





ACTA

SANCTORUM

PARISIIS. — EX TYPIS V. GOUPY, VIA GARANCIÈRE, 5.



PARISIIS & ROMÆ, APVD VICTOREM PALME. M.DCCC.LXVI.

ACTA
SANCTORUM

quotquot toto orbe coluntur, vel a catholicis scriptoribus celebrantur

EX LATINIS ET GRÆCIS, ALIARUMQUE GENTIUM ANTIQUIS MONUMENTIS
COLLECTA, DIGESTA, ILLUSTRATA A

GODEFRIDO **HENSCHENIO** ET DANIELE **PAPEBROCHIO**,

E SOCIETATE JESU.

EDITIO NOVISSIMA, CURANTE JOANNE CARNANDET

MAII TOMUS QUARTUS

QUO CONTINENTUR DIES XVII, XVIII ET XIX

OPERAM ET STUDIUM CONFERENTIBUS

FRANCISCO **BAERTIO** ET CONRADO **IANNINGO**

EJUSDEM SOCIETATIS



PARISIIS ET ROMÆ
APUD **VICTOREM PALMÉ**, BIBLIOPOLAM

1866

EMINENTISSIMO PRINCIPI

CAROLO

S. R. E. CARDINALI

BARBERINO

SACRO-SANCTÆ BASILICÆ VATICANÆ ARCHIPRESBYTERO,

ABBATI INSIGNIUM MONASTERIORUM

FARFÆ, S. SALVAT. MAJORIS, SUBLACI, CRYPTÆ-FERRATÆ, FOSSÆ-NOVÆ. S. LEONARDI ORD. TEUTONICORUM, S. MARIÆ DE BANCIO, S. MARIÆ DE SITRIA,

ALMÆ URBIS PRÆFECTO,

S. SEBASTIANI ORDINIS HIEROSOLYMITANI BALIVO,

NATIONIS POLONICÆ, SABAUDIÆ, HELVETIORUM, CATHOL. REIP. RAGUSINÆ, CANONICORUM REGULARIUM LATERAN. ET CŒLESTINORUM MONACHORUM

PROTECTORI.

Abrupturus moras, edendis Sanctorum mensis Maji Actis interpositas, per mortem primarii eorum Auctoris R. P. Godefridi Henschenii, et novæ hujus parturitionis postumum fœtum oblaturus Eminentiæ Tuæ; nullum, quo ipsam conveniam, reperio aptiorem titulum, quam quod hujùs operis priores Tomi duo continentes Acta Sanctorum Januarii, prodierint in lucem sub felicibus auspiciis Sanctissimi Propatrui Tui, Urbani VIII, Pontificis olim Maximi, Eminentissimique Patrui Francisci S. R. E. Cardinalis; ut vetus ille favor, ab Illustrissima Tua familia, primogenitis (ut sic loquar) fratribus impensus, animos faciat verecundanti ad Tuæ Purpuræ splendorem pupillo. Quamquam enim Patrocinium tantum diuturnum ipsis esse non siverit Optimi Pontificis, non multo post eorum Romam adventum, obita mors; supervivente tamen Eminentissimo ejus Nepote præfato, ejusque germano atque unanimi fratre Antonio, pariter Cardinale, factum eorum benevolentia est, ut succedentes ex ordine menses, Februarius, Martius, atque Aprilis similem invenirent gratiam, ante pedes summorum pro tempore Pontificum, Alexandri VII, Clementis IX, et Clementis X. Istis autem Purpurati Collegii columinibus huic mundo subductis, quid faciat, septem Tomorum mole,

mole, additoque sibi Propylæo, gravis Majus, ut, suo parente orbus, securus conspectum subeat Urbis et Orbis? Nihil utique sibi consultius invenit, quam ut prægressis fratribus notum hospitium, Barberinæ, inquam, Domus amicum limen, Teque, Cardinalis Eminentissime, prius adeat etiam ipse, quam ad Palatium Papale se sistat. Tum vero ingrediens Bibliothecam, Barberinæ erga bonas litteras affectionis monumentum perenne, curante Eminentia Tua solicite conservatam et insigniter auctam; receptusque in locum, juxta priores quatuor Menses sibi præparatum; recognoscat ibidem tot Codices alios, unde accepta referenda novit complura veterum scriptorum monumenta, faventibus iisdem Eminentissimis Patronis exinde transsumpta, et in suam structuram collata. Ita jam vix credet hospitem in Dominatrice Urbe se esse, ubi tantum suorum reperiet numerum; et, ut pridem notus expectatusque, nec incomitatus, adibit solium supremæ in terris Potestatis, deducente Eminentia Tua. Quomodo enim posset formidare repulsam, interveniente gratia talis ac tanti Proxenetæ? Quid porro aget, a primo illo gravissimi officii æstu respirans? Renuntiabit in Belgium, quam clementer exceptus, quam benigne habitus fuerit a Christi Vicario, respectu commendationis Tuæ. Inde vero transiens ad delibandum aliquid maximarum laudum Tuarum; dicet nobis ea Te pollere vitæ ac morum innocentia, quam, a prima infantia usque modo, nulla vel levis unquam tentaverit afflare suspicio; nequidem per effrænem illam licentiam, quæ Satyricis Poëtis concessa videtur tempore Pontificiorum Comitiorum. Narrabit, quanta Tua sit erga divinum cultum Religio; quam apparatus ad Missæ Sacrificium accedas, quam Deo intentus illud perficias; quam accurate sacros sub ipsum Ritus, et observes ipse, et observari ab aliis facias; quam munda, quam decentia omnia in subjectis Tibi ecclesiis esse velis, ut plurimum sumptu proprio. Laudabit zelum animarum, et Ecclesiasticæ disciplinæ rigorem, quo intendis, ut Sacerdotes ac Clerici Tui suo quam optime fungantur munere; dum commissa curæ Tuæ loca sacra præsens ipse visitas, non sine multiplici incommodo et impendio; dum eisdem per Apostolicas missiones consulis, quam potes frequentius; dum celebrata Synodo Sublacensi, conditisque in ea Decretis saluberrimis providisti, ut quisquis ea expleverit Pastor animarum, muneri suo plenissime fecerit satis. Commendabit idem Tuam integerrimam justitiam, cui in Romanæ Urbis Præfectura, velut in publico orbis Christiani theatro probandæ, prælusisti Urbinatensi Legatione; non solum ipse ab omni munere excutiens manus, sed Tuos etiam domesticos et ministros universos a donis recipiendis quam severissime prohibens, consueta quin etiam muneris istius emolumenta repudians. Qua enim ratione

appeteres

appeteres aliena, qui etiam propria liberalissime dispertiris, præsertim in pauperes; in quorum subsidium, Legatione prædicta fungens, multa aureorum millia erogasti; sicut in Abbatiis Tibi subditis accolas ac peregrinos egentes juvari curas frumento, pecunia, vestibus? Hoc est quod scientes miseri et inopes, Arimino redeunti a Generali Canonicorum Lateranensium Capitulo ibidem celebrato, ad multa milliaria obviam processerunt, communemque Pauperum Patrem ad Apostolicum Palatium gratulabundi deduxerunt. Fuit autem Tuæ juris servandi integritati tanta conjuncta mansuetudo atque prudentia, ut Provinciam, grassatoribus antea infestam, purgatam ab iis pacatamque reliqueris, ne unius quidem eorum effuso sanguine. Nec minus ibidem solers ad laxandam annonæ caritatem, effecisti, ut, cum aliæ circum Provinciæ fame laborarent, nullam ab ea privatim aut publice molestiam senserint Urbinates. Verum quo me abripit æstus animi, de tali Patrono sibimet gratulantis? quasi nesciam, inter innumeras excellentissimasque virtutes Tuas, unam vel ex præcipuis esse Modestiam, quæ graves Tibi reddit quantumvis meritissima laudes Tuas alienissima ab omni arrogantia et fastu. Taceri tamen à me non debet, quod inter tot munerum occupationes et curas, sane gravissimas; tantum erga litterarum studia afficiaris, quantum ab omni alio oblectamento assumendo abhorres; non solitus laxare animum, nisi vel legendo historiam quampiam sacram, vel aliquid Latine Italiceve scribendo. Id qui norunt Eruditi (quis autem non novit?) certatim Te sibi suisque studiis et lucubrationibus Patronum ambiunt, et reapse experiuntur: nec aliud est quod magis me impulit ad eumdem favorem sperandum postulandumque. De quo ne quidquam diffidere videar, ipsum solicitius exorando, abstineo pluribus, satisque habeo pro Eminentia Tua ad Deum et Sanctos juges fundere preces, ut quod fuerunt Patrui Tui Urbano VIII et quinque ex ordine summis Pontificibus; id omne pergas esse, totidem ac pluribus annis, sub uno S. D. N. Innocentio XI; nec non quidquid fuisti ab adolescentia Tua, Nobilitatis speculum, norma Prælatorum, sacri Collegii ornamentum, atque (ut uno verbo hæc et alia complectar plurima) dignus Urbano Papa et Barberinis Cardinalibus Nepos; donec peracto vitæ quam longissimæ ac felicissimæ curriculo, illorum ter beatis animabus jungaris in cœlo, particeps gloriæ ad quam præcesserunt; et consors Sanctorum, quorum ex parte hic legentur, ibi ex toto cognoscentur merita. Dabam Antuerpiæ MDCLXXXV.

EMINENTIÆ TUÆ

Cliens humillimus

Daniel Papebrochius S.J.

APPROBATIO ORDINARII.

ACepi, quam pridem optaveram, et diligenter legi partem alteram de ACTIS SANCTORUM MAJI, collectis et illustratis opera et studio *P. Godefridi Henschenii* piæ memoriæ, *et P. Danielis Papebrochii,* Theologorum *Societatis* JESU, quorum in hisce, qui nunc prodeunt, duobus Tomis Quarto ac Quinto laboriosam industriam et eruditionem multiplicem antehac pro modulo meo laudatam in primis tribus ejusdem mensis Tomis, nihil attinet iterum commendate pluribus ; quando ipsa expectatio videndæ continuationis tanta ubique Regionum Christianarum est, ut præclarissimo simul et utilissimo operi sola sufficiat ad commendationem prolixam. Dico igitur, duos istos pari cum antegressis passu procedere ; nihilque in iis repertum a me, quoad fidem aut mores, quo minus sint publica luce dignissimi. In quorum fidem præsentes propriæ manus subscriptione firmavi. Antuerpiæ MDCLXXXV, XXIII Januarii.

ANTONIUS HOEFSLACH,
Ecclesiæ Cathedralis Canonicus Graduatus,
Episcopalis Seminarii Præses, Librorum Censor.

FACULTAS

R. P. Præpositi Provincialis Societatis JESU Flandro-Belgicæ,

ET SUMMA PRIVILEGII CÆSAREI.

Cum Acta Sanctorum, ad diem decimum septimum octavum et nonum mensis Maji pertinentia, cura ac studio Godefridi Henschenii et Danielis Papebrochii, e Societate JESU, collecta, digesta, atque illustrata, tres dictæ Societatis Theologi legerint, Opusque laboriosum, eruditum ac luce publica dignum judicarint. Ego infra-scriptus Societatis præfatæ per Flandro-Belgicam Præpositus Provincialis, potestate ad id mihi facta ab Adm. Reverendo Patre nostro Carolo de Noyelle Præposito Generali, concedo Michaeli Knobbaert. Typographo Antuerpiensi, facultatem eadem Acta excudendi.

Cumque Sacræ Cæsareæ Majestatis decreto cautum sit, ne qui libri, a Societate JESU conscripti, in Provinciis Romano Imperio subjectis excudantur aut venales proponantur absque ejusdem Societatis consensu : hisce declaro, eumdem Typographum isto privilegio legitime frui. In quorum fidem hisce, officii mei sigillo munitis, manu mea subscripsi. Actum Antuerpiæ, mensis 4 Aprilis MDCLXXXV

ÆGIDIUS ESTRIX.

SUMMA PRIVILEGII REGIS CATHOLICI.

CAROLUS, Dei gratia, Hispaniarum, Indiarumque, etc. Rex Catholicus, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Brabantiæ, etc.Serenissimus Belgarum Princeps, diplomate suo sanxit, nequis Acta Sanctorum mensis Maji, auctoribus Godefrido Henschenio et Daniele Papebrochio Societatis JESU Sacerdotibus edita, præter voluntatem Michaelis Knobbari proximis novem annis ullo modo imprimat, aut alibi terrarum impressa in has nostræ Germaniæ Inferioris ditiones importet, veneliave habeat: qui secus faxit, confiscatione librorum et alia gravi pœna multabitur, uti latius patet in litteris datis Bruxellæ XXIII Junii MDCLXXIII.

Signat LOYENS.

INDEX SANCTORUM

AD TOMUM IV MAJI.

E

F

Y

INDEX CHRONOLOGICUS

ACTA

ACTA SANCTORUM

MAJI

TOMUS QUARTUS.

Divina circa hoc opus providentia factum existimo, quod cedentes postulationibus amicorum, non ferentium moram temporis necessarii componendis imprimendisque sex unius hujus Mensis Tomis, permiserimus dimidium eum ire in lucem. Mox enim atque ille sic prodiit, R. P. Godefridum Henschenium, *operis auctorem molitoremque præcipuum, paralysis corripuit; quæ intra annum mortem quoque, octogenario quidem, sed alias vivido vegetoque, attulit. Licet enim quod liberum habuit a morbo temporis, ad extremum ferme diem vitæ, utiliter occuparit, studendo scribendoque in rem communem; tamen extra Musæum digestamque in eo librariam suppellectilem positus, non multum poterat commodare Majo, difficilioribus partibus mihique sepositis absolvendo; obsequia vero, debita infirmo, haud parum distractas habebant meas horas curasque; nec potuissem tali rerum statu impressioni dirigendæ assiduitatem attentionemque imperturbatam præstare. Accedebat necessitas mutandi rursus Socii, cum mortuo* P. Daniele Cardono, *is, quo solum ad tempus commodato fueramus usi, dimittendus ad Studia Theologica esset; novus autem, in spem perpetui subsidii lectus,* P. Franciscus Baertius, *integro etiamnum anno, dum eadem absolvisset, expectandus. Præla etiam Knobbariana, inexcusabiliter occupata grandibus duobus voluminibus absolvendis (quibus totius Brabantiæ Consuetudines ac Municipalia jura tunc primum collecta prodítura erant) Si continuando pertinacius Majo sub idem tempus adhiberentur, lentius, quam nostris Typographique rationibus expediret, procéssura esse apparebat : quæ ubi ab illis fuissent liberata, tota reddi possent Majo unice promovendo. Hac autem progressus celeritate abunde compensanda videbatur mora interpositarum, dum ego compositionem absolverem, induciarum. Et absoluta illa quidem satis mature fuit, cœptaque impressio : cum Francici Belli horrenda tempestas, qualis numquam ante incumbens Belgio, rursum properantia præla, non quidem stitit omnino, sed ita sufflaminavit; ut unde sperare jubebar ante anni* mdclxxxiii *exituri totam alteram partem Maji; inde nunc educere ægre potuerim, quartum quintumque Tomum; in commodiora tempora coactus reservare sextum septimumque; huc enim moles operis per moram accrevit : quod ut monereris, lector, recusa hac prima pagina cautum oportuit.*

DECIMA SEPTIMA MAJI.

NOT. 1 APP. TOM. VII MAJI

SANCTI QUI XVI KALENDAS JUNII COLUNTUR.

Sanctus Andronicus, Sancta Junia, } a S. Paulo memorati.
S. Torpes Martyr, Pisæ in Hetruria.
S. Restituta, Virgo et Martyr Afra, Neapoli deposita.
S. Solochon, S. Pamphamer, S. Pamphalon, } Milites Ægyptii, Martyres Chalcedone.
S. Adrion, S. Victor, S. Basilla, S. Silvanus, } Martyres Alexandriæ.
S. Parthenus seu Parthenius, S. Gallicorus seu Callocerus, S. Epononus, } Martyres Romæ.

S. Primus,
S. Libo Episc. seu Liberius,
} Martyres Romæ.

S. Heraclius,
S. Paulus,
S. Mineratus,
S. Aquilinus,
S. Victor,
S. Artemius,
S. Calcorus,
} Martyres, Niveduni, seu Nividuni.

S. Possidius, Episcopus Calamensis, discipulus S. Augustini.

S. Cœlestinus Martyr, asservatus Rotnaci in Flandria.

S. Montanus, monachus reclusus in Gallia.

S. Stephanus, Patriarcha Constantinopolitanus.

S. Bruno, Episcopus Herbipolensis in Germania.

B. Thetmarus Presbyter, professus regulam S. Augustini in Holsatia et Wagria.

B. Franciscus Dyrrachinus, Ordinis Minorum, Uriæ in Salentinis.

B. Pasqualis Baylon, Ordinis Minorum Discalceatorum, Villæ-Regiæ in Regno Valentino.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Suranus Abbas, in Italia Martyr, *memoratur ab Andrea Bambergensi apud Bucelinum. De eo cum Martyrologio Romano egimus* XXIV Januarii.

Franchildis, mater S. Austrebertæ Virginis, *cum titulo* Beatæ *refertur a Saussayo (sed minore charactere sive inter Pios) et in Sacro Gynecæo Arturi. Illustris virtutum ejus memoria continetur cap. 1 Vitæ S. Austrebertæ filiæ* X Februarii.

S. Martiniani memoria ἐν τοῖς Ἀρεοβίνδου *indicatur in MSS. Menæis Bibliothecæ Ambrosianæ. Videtur esse* S. Martinianus eremita, *qui in* monte Arcæloco prope Cæsaream in Palæstina *vixit, cujus Acta dedimus* XIII Februarii.

S. Papias, Episcopus Hierapolitanus, S. Joannis Apostoli auditor et condiscipulus S. Polycarpi, *memoratur a Maurolyco et in variis MSS. Vitam ejus dedimus* XXII Februarii.

S. Herculani Episcopi Perusini, Translatio reliquiarum ad ædem illi sacram, facta anno 1609, *uti ad ejus Vitam est dictum* I Martii.

S. Eusebiæ Abbatissæ et filiæ S. Rictrudis translatio corporis, in novam ex auro et argento pulchro opere confectam thecam, *refertur in MS. collectione Sanctorum Ordinis Benedictini. Vitam hujus dedimus* XVI Martii.

S. Epaphroditus Apostolus, unus ex Septuaginta Christi discipulis, *memoratur in Menæis MSS. Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, ab aliis Græcis* 8 *et* 9 *Decembris. De eo pluribus egimus ad Acta S. Epaphroditi Episcopi Terracinensis* XXII Martii.

SS. Alexandri duo, Dionysii duo, Agapius, Timolaus, Romulus et Plesius, sub Diocletiano Imp. et Urbano Præside, Cæsareæ in Palæstina passi, *memorantur a Græcis in Menæis excusis. Eorum Acta dedimus* XXIV Martii.

Benedictus, opilio Avenione, *indicatur a Greveno, Canisio, Ferrario. Omnes dant ei titulum* Confessoris, *sed quia Canisius ex Greveno addit* et pastoris, *dubitavit Ferrarius an non hic esset ejus urbis* Episcopus 17 *Junii adscriptus. Acta ejus illustravimus* XIV Aprilis.

SS. Torquatus, Cæcilius, et Euphrasius *dicuntur a Francisco Tarapha de Regibus Hispaniæ*, mandante Nerone martyrio coronati, et XVI Kalend. Junii natalitius dies celebrari. *Coluntur seorsim variis diebus, et simul cum aliis* XV Maji.

SS. Heraclius, Paulinus et Benedimus *MM. in Menæis excusis hodie relati sunt, nos ex potioribus Synaxariis egimus de ipsis* XV Maji.

S. Peregrinus Martyr *memoratur in Martyrologio Wandelberti, item inter alios Martyres Novodunenses; uti ibidem dicitur, estque* Peregrinus Episcopus et Martyr *Autissiodorensis* XVI Maji.

SS. Aquilinus et Victorianus Martyres *memorantur in antiquo MS. Casinensi. Ab aliis* XVI Maji.

Maxima Virgo, *eidem Casinensi inscripta, ab aliis etiam* XVI Maji.

S. Carantocus, in Wallia prognatus, in Hibernia mortuus, *inscriptus est Martyrol. Anglic. 2 editionis. At decessit* XVI Maji.

Waldi Episcopi Confessoris Translatio *memoratur in MS. Florario: in Indice* Ubaldi *scribitur: videtur autem* S. Ubaldus Eugubinus XVI Maji.

Præandinus Confessor *refertur a Notkero et* Brananus *in MS. Belgico. Videtur* Brandanus *esse, qui colitur* XVI Maji.

Valeria Virgo et Martyr *refertur in Directorio Nivernensis Ecclesiæ pro anno* 1637 *et in MS. Florario. Plures hujus nominis occurrunt, etiam inter Virgines Ursulanas.*

S. Martialis Confessor *indicatur in eodem MS. Florario: sed etiam plurimi hoc nomine occurrunt et ferme Martyres, quorum aliquis potest hic positus esse.*

Sixtus Martyr *indicatur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum, sed quis hic sit non additur.*

S. Montanus, Martyr Cajetæ, *inscriptus est Indici Topographico Catalogi Sanctorum Italiæ a Ferrario, qui ejus neque in hoc suo Catalogo meminerat, neque deinde in generali Catalogo meminit.*

Findchanus, Episcopus de Druim Enaich, *indicatur in MS. Tamlachtensi. Colganus* XI *Martii ejus meminit in Vita S. Finchani, Abbatis de Ardchaoin, et notat.* 3 *asserit illum coli* 17 *Maji, quando etiam refertur a Mariano, Gormano et Auctore Martyrologii Dungallensis. Dicit autem Colganus eum floruisse* VII *seculo. Nihil alibi de eo legimus.*

Orestes, Patriarcha Hierosolymitanus, *a Theodorico Pauli in Chronico universali hoc die mortuus dicitur et laudatur ut Martyr. De eo sat actum a nobis ante Tomum* 3 *in Serie chronologica Patriarcharum istius Sedis.*

Sillanus Episcopus et Finnenus *memoratur in dicto MS. Tamlachtensi; De iis Colganus agit* XVI *Februarii ad Vitam S. Berachi in Notis num.* 24, *et in Supplemento num.* 6.

Critanus

Critanus,
Filiæ Garbhani,
Filii Guaslangii seu Hua-Slangii de Cluain-aibb } *referuntur in dicto MS. Tamlachtensi.*

Paulus Diaconus, monachus Casinensis, doctrina et pietate illustris, *cum titulo* Beati *memoratur a Bucelino.*

Waltherus, Abbas Manseensis in Bavaria, vir bonus et religiosus, obiit anno MCLVIII, sepultus in sacello S. Petri claruit miraculis. *Ita Gewoldus in Additionibus ad Wiguleium Hundium, tomo* 2 *Metropolis Salisburgensis pag.* 500. *Quo citato retulit dictum* Waltherum *cum titulo* Beati *ad hunc diem Menardus, et secutus est Bucelinus.*

Gisilbertus, Abbas Hemmenrodensis Ordinis Cisterciensis, *cum titulo* Beati *refertur ab Henriquez, Chalemoto, Bucelino. Laudatur a Cæsario lib.* 3 *cap.* 49 *et lib.* II *cap.* II, *sed absque titulo* Beati. *Fuimus nos in cœnobio Hemmenrodensi, et inquisivimus de iis, qui inter ipsos censebantur aliquam obtinere venerationem, sed de Gisilberto nihil indicatum est. Saussayus Piis annumerat.*

Laurentius, e monacho Claravallensi primus Abbas Villariensis in Brabantia, Ordinis Cisterciensis, *cum titulo* Beati *memoratur ab Henriquez, Chalemoto, Bucelino. Ejus non meminerunt Auctor Kalendarii Cisterciensis Divione excusi, Molanus, Miræus, Rayssius aliive ad hunc diem. At Raissius, in Hierogazophylacio Belgico, ultra triginta numerat hujus loci Abbates seu monachos, qui aliqua cum opinione sanctitatis vixerunt. Nos etiam tales inceperamus inserere huic operi, sed scivimus displicuisse, et ab iis deinceps abstinuimus. Saussayus Piis adscribit.*

Stephanus Metensis, *e primis Sociis S. Dominici, in cujus Vita illius fit mentio, a Bernardo Guidonis* carnis suæ rigidus moderator *appellatur. Celebratur hoc die ejus memoria in Anno Sancto Ordinis Prædicatorum cum titulo* Beati Patris. *Consule Malvendam ad annum* 1217 *cap.* 2.

Michael Argilæ a Turcis an. 1556 occisus,
Marianus Senensis Capriolæ an. 1476,
Joannes Floresius in Mexico anno 1560,
Maria Lopetia Cæsaraugustæ an. 1532.
Isabella Crivella Mediolani seculo 15. } Ordinis Minorum *ut* Beati *inscripti sunt Martyrologio Franciscano Arturi, et duæ ultimæ in ejus Gynecæo.*

Catharina et Leonora ejusdem Ordinis, *in Menologio Laherii ut venerabiles indicantur.*

SS. Tecusa, Alexandra, Phœne, Euphrasia, Matrona, Julia et Theodotus, Martyres, *indicantur in MSS. Menæis Mediolanensibus Bibliothecæ Ambrosianæ. Ab aliis referuntur* XVIII Maji.

Theodori Papæ Romæ certamen *indicatur in iisdem MSS. Menæis Mediolanensibus. De eo agimus* XVIII Maji.

S. Juliani Martyris *nomen inscriptum est jam dictis Menæis: in pluribus die* XVIII Maji.

S. Connallus, Archidiaconus Glascuensis, *refertur a Camerario: ab aliis* XVIII Maji.

S. Bernardini, Ordinis Fratrum Minorum, translatio facto anno 1472 sub Sixto Papa IV, *indicatur in MSS. Antuerpiensi monasterii S. Michaelis, et Florentino Senatoris Strozzii: item apud Bellinum, Grevenum, Molanum et alios. Dies ejus natalis incidit in diem* XX Maji.

Vincentius, Episcopus Confessor, *proponitur in MS. Florario. At quis ille? An* Vincentius Presbyter Lerinensis? *Referendus is* XXIV Maji.

SS. Felix et Fortunatus, Martyres Aquileiæ, *memorantur in MS. Florario et Viola Sanctorum. Ab aliis* XI Junii.

Lucina *memoratur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Forte est discipula Apostolorum, quæ ab aliis refertur* XXX Junii.

Cathanus, Episcopus in insula Hebridum Buta, avunculus ex sorore S. Blani, *ut* Sanctus *memoratur a Camerario et Dempstero in Menologio Scotico, et a Ferrario: allegatur Georgius Neutonus in Vita S. Blani, quando agi poterat de Cathano, seu* 19 Julii *seu potius* X Augusti.

S. Bernardi, Abbatis Claravallensis, translatio ad Avenionem, *memoratur in Kalendario Cisterciensi excuso Divione. De eo agetur* XX Augusti.

S. Augustini, conversio *indicatur in Usuardie indice MS. et aucto. Ejus dies natalis est* XXVIII Augusti.

S. Æmiliani, Episcopi Vercellensis, translatio *inscripta est Catalogo generali Ferrarii, ejus dies natalis est* XI Septembris.

Tres Virgines et Martyres Ursulanæ coluntur in monasterio S. Amandi Elnonensi, *et referuntur a Molano, Gelenio, Saussayo. De his et aliis Ursulanis simul agendum est* XXI Octobris.

Nunctus, Eremita et Martyr Emeritensis, *refertur in Hagiologio Lusitano Georgii Cardosi, et in Chronologia monastica Antonii a Purificatione. Quæ de eo sciri possunt tradit Paulus Diaconus de Vitis Patrum Emeritensium cap.* 3: *ast nihil addit de veneratione Ecclesiastica, quem Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico eidem asserit tribui (quod poterit interim cognosci) ad diem* XXIII Octobris.

S. Theodoretus, Presbyter Martyr, *indicatur in Græcis Menæis MSS. Ambrosianæ Bibliothecæ Mediolani. Videtur is qui Antiochiæ in Juliani Apostatæ persecutione passus est, et colitur.* XXII Octobris.

SS. Amati, Romarici, Adelfii corpora de monte ad aulam translata *dicuntur in MSS. Fastis Montis S. Romarici. Ex his* S. Amatus, *etiam in MS. Florario relatus, colitur* XIII Septemb.

S. Romaricus, *quando de* S. Adelfio *poterit agi, colitur* VIII Decembris.

S. Syri, primi Episcopi Papiensis, translatio *indicatur a Bellino, Maurolyco, Greveno, Molano, aliisque, et in nonnullis MSS. de qua agendum erit ad diem ejus natalem* IX Decembris.

Magnetus, Bovinus, Satyrus, Martyres, sepulti in ecclesia S. Gervasii Papiæ, *indicantur a Stephano Breventano lib.* 2 *Historiæ Papiensis cap.* 2, *in Historia S. Syri primi Episcopi. Diximus aliquando de iis una cum translatione S. Syri hoc die posse agi. Verum quia dolet Breventanus nullam illorum historiam extare, optaremus a Papiensibus saltem de cultu fieri certiores, ut aut die illorum natali, aut saltem ad Acta S. Syri possimus referre* IX Decembris.

DE SS. ANDRONICO ET JUNIA,

G.H.

A S. PAULO MEMORATIS.

SEC. I

Illustris horum memoria apud Græcos extat in omnibus libris Ecclesiasticis, ad hunc XVII Maji: atque imprimis in Menologio Basilii Imperatoris Porphyrogeniti isto exornantur elogio: Die decima septima ejusdem mensis Maji; memoria S. Andronici Apostoli unius ex Septuaginta et Juniæ. Andronicus, Christi Apostolus, cum terrarum orbem universum percurreret, perinde acsi alas quibus subveheretur haberet, Christi fidem ubique promulgans, omnem prorsus Ethnicorum errorem a fundamentis subvertit: omnem vero pietatem atque orthodoxam religionem plantavit, consortem secum habens atque adjutricem divinæ prædicationis, admirabilem feminam Juniam, mundo et carni mortuam, soli Deo vivam, ac munere suo fungentem. Simul ergo multos ex infidelibus ad Dei cognitionem pertraxerunt, eosque Christo conciliarunt, et lucis ac diei filios per sanctum baptismum effecerunt; atque idolorum templis eversis, ecclesias Christi ubique ædificarunt. Horum etiam Sanctorum magnam orbis luminare Paulus Apostolus mentionem facit in suis Epistolis; Salutate, inquiens, Andronicum et Juniam. Hi itaque cum impuros spiritus ex pluribus hominibus ejecissent, pluresque insanabiles morbos curassent, ad Christum emigrarunt.

Elogium ex Menol. Basilii Imperat.

B

2 *Hæc ibi, quæ post primum tomum Maji Græce legi possunt: et fere eadem habentur in MS. Græco Synaxario: item passim in omnibus Menæis manu exaratis et typo excusis, in Menologio Græco per Sirletum edito, Anthologio novo, auctoritate Clementis VIII Papæ vulgato, et ἐν βίοις ἁγίων per Maximum Episcopum Cytherorum collectis: ubique autem* S. Junia admirabilis femina *laudatur. Verba Apostoli Pauli ad Romanos capite 16 versu 7 sunt ista:* Salutate Andronicum et Juniam, cognatos et concaptivos meos, qui sunt nobiles in Apostolis, qui et ante me fuerunt in Christo. *Vocat autem* cognatos, *forte quia proprio sanguinis vinculo conjuncti, aut S. Paulo contribules, id est de tribu Benjamin, aut saltem quod Judæi essent; uti in eadem epistola de Judæis in universum dixit cap.* 8, Qui sunt cognati mei secundum carnem. *Appellat etiam* suos concaptivos, *quod aliquando simul fuerint in vinculis: sed ubi et qua occasione non exprimitur. Dicuntur* nobiles in Apostolis, *Græce ἐπίσημοι, id est, illustres et insignes in Apostolatu, quod Evangelium Christi infidelibus annuntiarint. Hinc Theodoretus S. Juniæ dignitatem miratur, quod femina Apostoli nomen adepta fuerit.* Papæ! *inquit,* quanta fuerit mulieris hujus Philosophia, ut et Apostolica appellatione digna sit habita. *Denique addit Paulus:* Qui etiam ante me fuerunt in Christo. *Hoc est qui ante me in Christum crediderunt et Christiani fuerunt: scilicet quando* Andronicus inter Septuaginta Christi discipulos *fuit assumptus, uti etiam Origenes, Chrysostomus aliique censuerunt.*

Mentio apud Paulum ad Romanos.

C

3 *Corpus* S. Andronici *ad aliquam ecclesiarum Constantinopolitanarum translatum fuisse videtur, et hinc factum esse, ut totum diei hujus Officium solus occupet,* Juniæ *nomine leviter solum et obiter indicato in titulis, et semel in Canone, quem S. Joseph Hymnographus composuit sub hac acrostichide,*

Αἶνον προσοίω τῷ σοφῷ Ἀνδρονίκῳ, ΙΟΣΗΦ,
Laudem Andronico deferam sapienti, JOSEPH.

Similiter in disticho, præfixo lectioni Synaxarii, solus nominatur Andronicus; *est autem hoc:*

Ἔθνη διδάξας, Ἀπόστολε, μυρία,
Πρὸς Χριστὸν ἦλθες, ὃς καλεῖ πρὸς φῶς ἔθνη.
Gentes, Apostole, cum plures erudisses,
Ivisti ad Christum qui gentes ad lumen vocat.

Miracula in ejus ecclesiam fieri solita.

Porro non solum corpus, sub etiam ecclesiam sub ejus nomine erectam vel saltem oratorium Constantinopoli aut alibi extitisse, indicat Canon: qui postquam Ode prima sic applaudisset Sancto, Morbos mundare, pessimosque spiritus effugare ex divina Numinis gratia accepisti, Deo sapiens Andronice; *in sexta Ode distinctius loquens,* Ædes tua, *inquit* curationum fontes cum fide accurrentibus scaturit, Apostole, abluens spirituales infirmitates; *et rursum in septima;* Graves morbos et quascumque ægritudines, ex corporibus pariter animisque recurrentium ad te in tua æde, effugas, sapiens discipule Christi. *Atque his consonat Antiphona, pro Psalmis inter secundam et tertiam Oden cantandis, sic concepta.* Divinus Andronicus, in lucem transformatus, illustravit corda cognitionis divinæ lumine: sicque accessit ad Dominum: et ideo etiam post mortem, ad suam venerabilem ædem accedentibus cum fide, curationes largitur, et magnam misericordiam cunctis impetrat.

E

4 *In Synopsi Apostolorum et discipulorum Christi, quæ sub nomine S. Dorothei Episcopi et Martyris passim excusa est, ac videtur esse alicujus Dorothei Romani et forsan Abbatis, ista de* S. Andronico XVIII *discipulo leguntur:* Andronicus, cujus etiam Apostolus in ea, quæ ad Romanos est, recordatur, Panoniæ factus est Episcopus; *ac postea collocatur* Junias LIV *discipulus istis verbis:* Ejus etiam mentionem facit Paulus: Apamiæ Syriæ factus est Episcopus. *Hinc ab aliquibus* Junias vir, *non* Junia femina *statuitur, addita etiam altera ratione, quod Paulus appellet* cognatos et concaptivos *ambos in masculino genere, uti Grammatici loquuntur, sed Græce* συγγενεῖς καὶ συναιχμάλωτοι *habentur communis generis. Quid? quod concurrentibus duobus diversis generis substantivis, potiori generi plerumque aptatur adjectivum, non solum apud Græcos sed et apud Latinos; et sic dicerentur* pater et mater mortui, *non* mortuæ. *Ceterum quidquid sit de genere illo, non magni æstimatur Synopsis prædicta, ac proinde non continuo admittuntur dicti Episcopatus illorum, absque aliorum Græcorum testimonio: quod tamen de S. Andronico fecerunt Galesinius, et hunc secuti Canisius, aut qui ejus Martyrologium Germanicum auxit; itemque Ferrarius, sed sequenti* XVIII *die Maji.*

Synopsis Dorothei Episcopos facit, etiam Juniam

F

quæ aliis femina est.

DE

DE S. TORPETE MARTYRE,

D. P.

PISIS IN HETRURIA.

SUB NERONE.

Quam certus et antiquus est hujus Sancti Martyris cultus, tam incerta fere sunt cetera omnia, quæ de ipsius Martyrii historia jam olim scripta inveniuntur. Certitudinem cultus dant ecclesiæ eidem erectæ, in Hetruria et Liguria apud Italos, in Provincia apud Gallos. Antiquitatem ejusdem cultus probant antiquissimi temporis Codices, Acta continentes; qualem unum nos ipsi habemus, initio quidem mutilum, sic tamen ut post primam primæ ex residuis paginæ columnam, hanc Rubricam exhibeat : Explicit Passio S. Torpetis. Incipit Passio S. Vitalis et SS. Gervasii et Protasii mense Aprili die XXIX, *quæ Passio ex numero marginali intelligitur fuisse* XXIII, *in ordine olim præcedentium et nunc amissarum ejusdem codicis Passionum. Deinde loco* CXI incipit Vita vel gesta S. Silvestri Papæ, mensis Decembris

Cultus et Acta vetustissima;

B die XXXI; *et consequenter, nullo servato temporum ordine, velut in supplementum postea allatæ describuntur aliæ Passiones* XI, *quarum postrema est* Passio Sanctorum Geminorum, *a nobis edita* XVII *Januarii, auctorem habens* Warnacharium, *affirmantem in Prologo ad Cerannium, quod Cerannius hic,* Eusebio Cæsariensi æmulationis studio coæquandus... Sanctorum Martyrum gesta.... devotus intendit congregare, in urbe Parisiaca *(cujus Episcopus creditur fuisse, quando in ea celebratum fuit Concilium* V *circa annum* DCXV*) quodque ipse Warnacharius eidem* Sanctorum Geminorum gesta, sicut devotionis studio imperarat, ita famulationis obedientia direxit. *Sammarthani in Episcopis Parisiensibus perperam hæc acceperunt, quasi non ipse* Cerannius, *sed* jussu Cerannii Warnacharius, undequaque colligens Acta Martyrum litteris exaravit : quæ, *inquiunt,* habentur in antiquis membranis. *Tales interim, ut dixi, nostræ sunt ; non quidem ipsius Cerannii originales, scriptæ Parisiis; sed ex his post secula duo vel tria, alio exemplari mediante, transcripta in Belgio; sicuti probare possumus ex aliis similibus apud nos MSS. codicibus. Quod autem ipsæ tales sint, quales primum compilatæ a Cerannio fuerunt, probat ordo libri, Tergiminorum Acta habentis*

ut ea circa an. 615 Cerannius habuit,

C *loco ultimo; in ipso vero libri corpore, ex tot Sanctorum Confessorum Sanctarumque Virginum Vitis, quibus postea successive creverunt, non jam Passionalia mera, sed ampliori notione Legendaria, nulla hic apparet, præter Vitam S. Gregorii Turonensis, et Acta S. Silvestri : cetera Martyrum sunt, et quidem vetustorum.*

2 *Secundum probando cultui antiquo argumentum præbent Ado, Rabanus, atque Usuardus, eodem fere tempore, id est seculo* IX *sua quique scribentes Martyrologia; et ea, quæ dixi, Acta in compendium contrahentes : brevius quidem more suo Usuardus, prolixius vero Rabanus atque Ado. Quin et Adonem secutus Notkerus eadem se habuisse ostendit, dum Adonis verbis quædam subjungit in fine, non aliunde quam ab Actis excepta. Et Usuardus quidem atque Ado cum Notkero diem hunc* XVII *Maji notant, quia, ut inquit Ado,* agitur festivitas Martyris et conventus civium XVI Kalendas Junii : *et hoc cum aliis plerisque secutus denique est Romani Martyrologii recognitor Baronius. Quia tamen secundum Acta* celebratur Natalis ejus III Kal. Maji, *non solum vetustissima Passionalia, sed etiam auctiora quædam Usuardi exemplaria cum MS. Florario Sanctorum,* XXIX *Aprilis* Torpetem *commemorant. Rabanus vero* XXIX *Martii de eo agit, exemplum*

in epitomen contracta a priscis Martyrologis,

sequente Notkero : adeo ut hi in suis MSS. videantur pro III Kalendas Maji, *legisse* IV Kal. Aprilis. *Citatur etiam a Baronio Beda pro* XVI Kal. Junii, *sed suppositilius, et (ut alibi diximus) ex Adone collectus. Vacat enim utroque die genuinus Beda, vacat et Florus. Quamvis autem in antiquo Bedæ supplemento, Divione reperto, legatur,* XVI Kal. Junii, in Tuscia Torpetis Martyris sub Nerone Principe; *id tamen majorem ætatem non probat, quia MS. illud non videtur esse Adone vetustius. Ignota igitur et Bedæ et Floro fuerunt Acta ista, licet ante eorum ætatem composita : sed composita tam infeliciter, ut quamvis ea sparsim repererimus in Passionariis (quæ plurima per Germaniam, Galliam, Italiam vidimus) non tamen fuerimus ea operi huic nostro inserturi, nisi litigia inter Lusitanos et Forojulienses, utrisque nationis suæ scriptores reliquos in partem trahentibus, et insertæ Pseudo-Dexteri chronico fabulæ, fundamentum haberent in iisdem Actis, ob quod produci a nobis debeunt.*

pro Majo, Aprili, Martio :

NOT 2** APP TOM. VII MAJI

E

3 *Damus ergo ea, ecgraphum Passionalis antiquissimi San-Maximiniani prope Treviros conferendo cum excusis apud Boninum Mombritium, Legendisque Coloniensi ac Lovaniensi paulo post, id est anno* MCCCCLXXXIII *et* V *cusis atque recusis : item cum quinque MSS. duobus scilicet nostris membraneis Codicibus et tribus apographis aliunde submissis; uno, ex civitate Lugdunensi a Joanne Columbi Societatis nostræ Presbytero scriptis claro ; altero, Suessione a Ludovico Nicqueto, monasterii Cœlestinorum Bibliothecario; tertio denique, quod ex Bibliotheca Ducali Taurini,* fideliter et ad verbum *exscripsisse se, testatus ad calcem est* Petrus Jofredus, Regiæ Ducis Sabaudiæ Celsitudinis Bibliothecarius, Historiographus et Præceptor, die XVII Decembris MDCLXXVII, ad opus RR. PP. Societatis Jesu, qui Antuerpiæ vulgandis Sanctorum Actis toti Christianæ Republicæ utilissimam operam præstant. *Est tamen illud, unde Jofredus exscripsit, volumen, aliorum originalibus multo recentius, styloque subinde cultiori ornatum, prout in Annotatis videbimus.*

Ea, licet apocrypha dantur ex MSS.

4 *Porro ut certius constet, quod dixi, his ipsis Actis, non aliis sincerioribus, usos Rabanum, Adonem, Notkerum, Usuardum; operæ pretium erit illorum examini meritæque censuræ præmittere compendia, ab ipsis formata. Est autem id apud Rabanum tale :* IV Kal. Aprilis in civitate Pisana, natale S. Torpetis Martyris, quem Nero Imperator jussit magnam Dianam, matrem Deorum adorare : quod ipse renuens, repletus Spiritu sancto, dixit : Melius est unum Deum adorare, qui fecit cœlum et terram, et omnia quæ in eis sunt, quam plures Deos colere, hoc est, dæmones. Exiens S. Torpes de Palatio, multum intra se cogitans, dixit : Quid faciam idolis non serviendo ? et baptismum salutis non accipio ? Tunc ascendit in montem, et clamare cœpit dicens, Pater Antoni, ubi es ? Respondit Presbyter Antonius, et dixit : Et quis es tu, fili ? S. Torpes dixit : Ego sum servus tuus Torpes. Tunc Antonius baptizavit eum in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Tunc statim Angelus Domini apparuit S. Torpeti, et dixit ei : Forti esto animo, quia tu nobiscum eris in paradiso. Postea Nero perrexit Romam, et Satellico cognato suo præcepit S. Torpetem in carcerem recipi, et alapis cædi, et ad columnam Habentinam nudo corpore religari : et dum S. Torpes complesset orationem cecidit illa columna, et oppressit ex impiis quinquaginta, et ipse Satellicus sub

F

prout habuerunt, Rabanus

A AUCTORE D. P. sub ea mortuus est. Tunc filius Satellici, nomine Silvinus, dum hæc ita agerentur, jussit ut leo ad eum devorandum dimitteretur : qui subito dimissus, dans rugitum super eum, eadem hora mortuus est. Et iterum dimissus est leopardus ; et ipse flectens, caput, lingebat plantas ejus. Tunc præcepit Silvinus ministris, ut ad mare deduceretur, et ibidem decollaretur. Sanctus vero Torpes, spem habens ad Dominum, ita oravit : Domine, suscipe spiritum meum et ita decollatus est.

Ado, 5 *Ado sic habet :* XVI Kalendas Junii. In Tuscia Natale S. Torpetis Martyris, sub Nerone Principe. Hic magnus in officio Cæsaris Neronis fuit, et a B. Antonino Presbytero baptizatus, et in fide Christi eruditus est. Hunc Nero, cum cognovisset esse Christianum, tradidit cuidam propinquo suo Satellico, ut impelleret eum sacrificare. Sed cum spiritu Dei confortatus, et in fide fundatus vir beatus, immobilis permaneret; fecit eum Satellicus alapis cædi, et ligatum ad columnam tamdiu verberibus affici, quousque sanguis guttatim de corpore ejus deflueret. Sed subito, cum Martyr cæderetur, columna cadens oppressit Judicem et quinquaginta cum eo
B viros. Inde tentus a ministris, positus est in rota. Postea feris objicitur a filio Satellici, nomine Silvio, sed minime ab his læsus. Cujus constantiam et virtutem quidam Consiliarius Neronis, Evellius nomine, inspiciens, Christo credidit : ac post paululum baptizatus, decollatus est in urbe Roma, V Kal. Maji, martyriique honore coronatus. Sed et B. Torpes, jubente Silvio foras civitatem Pisanam ductus, decollatione martyrium suum complevit III Kal. Maji. Hujus corpus ministri scelerum, impositum pene fractæ et cariosæ navi, simulque canem et gallum, projecerunt in decursum fluminis. Apparens autem Angelus Domini cuidam venerabili feminæ, cujus nomen Celerina, monuit ut perquireret Martyris corpus et sepeliret. Quod illa celerius complens, inventum cum omni reverentia sepelivit ; et de facultatibus suis, cessante persecutione, ecclesiam miro opere supra construxit. Agitur festivitas Martyris et conventus civium XVI Kal. Junii.

unde sumptæ Lectiones veteris Breviarii, 6 *Vetus Massiliensis monasterii Breviarium, absque nota anni charactere antiquo impressum ad usum ipsius monasterii, cujus appendix erat S. Torpetis Sacerdotium, Sinui Sambracitano nunc Grimbaldico adsitum, postquam Sancti festum Officio duodecim Lectionum, id est solennissime, agendum præscripsit in Kalendario, omnia fere ipsissimaque Adonis verba in octo*
C *distribuit Lectiones, reliquis quatuor Lectionibus ad Evangelii expositionem de communi designatis : in fine tamen dicitur corpus inventum a Celerina, non simpliciter*, sed inventum in Portu Sinus. *Eadem omnia, sed absque dicti Portus mentione leguntur die jam dicta in Martyrologio apud Notkerum, post hoc initium,* In
Notkerus, Tuscia civitate Pisana Nativitas S. Torpetis Martyris, sub Nerone Principe.... *sub finem autem, ex ipsis (ut dixi) Actis, insuper addit :* De quo etiam fertur, quod ingens machina, quam adversarius Dei Nero ad similitudinem cœli commentando fabricavit meritis et orationibus ejus in flumen Auxarum præcipitata fuerit, ita ut nusquam comparuerit. *Usuardus*
Usuardus. *denique :* In Tuscia S. Torpetis Martyris. Hic magnus in officio Neronis Cæsaris primo fuit : sed postea pro fide Christi, jubente eodem, alapis cæditur verberibus diutissime afficitur, ac bestiis devorandus traditur, sed minime læditur ; tandem vero decollatione martyrium suum III Kal. Majas complevit : sed tamen ejus festivitas celebrius hic recolitur ; *scilicet* XVI Kal. Junii. *Ita exemplaria omnia : quibus recentius aucta quædam, ut jam monui, etiam* III Kal. Maji *præmiserant hanc ejusdem memoriam,* In Tuscia S. Torpetis Martyris, qui jubente Silvio foras civitatem Pisanam ductus, decollatione capitis martyrium complevit : hujus tamen solennitas XVI Kal. Junii, festivius recolitur. D

7 *Fuit autem* civitatis Pisanæ *non solum origo vetustissima,* In istis auctum Actis, Pisæ,

Ante diu quam Trojugenas fortuna penates
Laurentinorum Regibus insereret,

sicut Rutilius Numentanus canit; sed longe etiam postea potentia tanta, ut ante Christianæ Æræ epochen annis circiter CLXXX, agrum pollicentibus Pisanis, quo Latina Colonia deduceretur, gratæ ab Senatu actæ *sint, uti docet Livius lib.* 41. *Cumque* creatis ad eam rem Triumviris *id factum esset; eaque Colonia nescio quo beneficio teneretur Juliæ genti obstricta ; ab eadem sibi nomen assumpsit, ut cives quidem* Coloni Julienses; *ipsa civitas* Colonia Julia Pisana *nuncuparetur; sicut videre est in duobus vetustis titulis apud Ughellum tom.* 3 *col.* 390 *et seqq. eadem tanta excelluit claritate, ut* Lucio Augusti Cæsaris filio Patrono *sit gloriata, sicut etiam ex titulis præfatis intelligitur ; quorum altero decernuntur ritus, quibus illi Consuli designato, sed ante initum magistratum mortuo, sit quotannis parentandum publicitus; altero similia aliaque majora luctus atque honoris publici monumenta constituuntur ejusdem Lucii fratri, Augustique pariter filio,* Caio, *post Consulatum gloriose gestum immatura* E
Augusti ætate florentissimæ, *quoque morte extincto; et ipse* unicum Coloniæ istius præsidium *appellatur. Cœnotaphium utrumque insigni eruditarum observationum volumine nuperrime illustravit Henricus Noris Augustinianus, Serenissimi Magni Hetruriæ Ducis Cosmi III Theologus, et in Pisano Lyceo Historiæ ecclesiasticæ Professor, quibus* Coloniæ Obsequentis Juliæ Pisanæ origo, vetusti Magistratus et Sacerdotum Collegia, utriusque Cæsaris vitæ, gesta, et annuæ eorumdem inferiæ exponuntur, et aurea utriusque cœnotaphii Latinitas demonstratur ; cum Parergo, de Annis regni Herodis, deque Præsidibus Syriæ, ac Romanis in Asia provinciis.

finguntur re tauratæ a Nerone, 8 *Atque hæc eo dicta sint, ut appareat quam parum sit verosimile, id quod initio Actorum* S. Torpetis *dicitur, urbem, et ante diu et Augusti ipsius ævo tam florentem, post annos sexaginta non integros, opus habuisse ut eum Nero, Cæsareæ familiæ ultimus Imperator, restauraret ; præsertim tacente ea de re Suetonio cap.* 19, *ubi se* in unum contulisse, *ait, quæ ille* partim nulla reprehensione, partim etiam non mediocri laude digna *gessit ; inter quæ vel imprimis debuisset Pisanæ urbis restauratio palatiumque in ea conditum numerari. Nec sane omisisset eam Nero ex se* Neropo
F lim *aut* Neroniadem *dicendam mandare : quem idem* Suetonius *cap.* 55 *ait* multis rebus ac locis, vetere appellatione detracta, novam induxisse ex suo nomine : *quia* summa erat illi æternitatis perpetuæque famæ cupido. *Accedit quod cum ista fierent, et eorum occasione fidem confiteretur* Torpes *Pisis, dicatur præsens fuisse Nero; quem Tacitus, totius vitæ ejus historicus accuratissimus, suo suadet silentio nec pedem quidem in Hetruriam intulisse, ut ibi boni aliquid vel mali ageret. Tantum etiam abest ut sit credibile, solicitum fuisse Neronem de condendo Pisis templo,* ubi quotidie Deos adoraret, *sicut aiunt hæc Acta, ut econtra Suetonius c.* 56 *expresse dicat, quod fuerit* Religionum usquequaque contemptor, præter unius Deæ Syriæ ; *quam ipsam* mox ita sprevit, ut urina contaminaret. Cœlum *denique* æneum, *unde pluviam terræ simularet se dare, solisque et lunæ cursus exhibere, neuter scriptorum præmemoratorum tacuisset, variam ejus in ædificando insaniam minutim prosecutus, siquid ejusmodi designasset. Tali principio cum respondeant Acta reliqua, et plures multoque etiam manifestiores contineant fictiones, nulla quantacumque vetustas efficere poterit, ut aliquid eis tuto credi putem , præter tempus locumque martyrii ac forte translationis , quorum memoria*

ibique conditum Dianæ templum,

et cœlum æneum.

moria fuerit perpetua Pisanorum traditione servata, potius quam attestatione Artemii, *ex cujus velut oculati testis ore, accepta gesta* S. Torpetis, *scripsisse fingitur* exceptor Audax. *Hæc vero, cum ex Annotatis nostris, ad ipsum contextum, ob eam quam supra dixi causam mox exhibendum, clarius patuerint; progrediar ad controversiam inter Hispanos Gallosque agitatam, totumque ipsius Sancti cultum distinctius explicandum.*

ACTA APOCRYPHA

ex variis vetustis codicibus, tam manu scriptis quam prælo cusis.

CAPUT I.

Confessio fidei coram Nerone.

In illo tempore, sub Nerone Imperatore qui per omnem *a* provinciam imperaverat, et *b* in honorem sui nominis in partibus Tusciæ civitatem Pisanam restauraverat, et ornatum Prætorii vel *c* Tessellarum palatium adornaverat. Qui dum multis diebus imperium protraheret *d*, recogitavit cum suis in quibus locis templum ædificaret, ubi quotidie deos *e* adorarent. Et invenientes locum in ingressu portæ Latinæ civitatis Pisanæ, in capite pontis fluminis Ausari *f*; et ibidem in omni pulchritudine ex marmore incisis vel virgulatis *g* tabulis jussit templum adornari; et jussit artificibus, ut ex auro mundo vel margaritis statuam Dianæ facerent, quam singulis diebus adorarent. Tunc facta est statua Dianæ miræ magnitudinis, vultu et oculis quasi vivens *h*, et sic eam Nero Imperator, cum magna veneratione et multitudine Paganorum, in vultu templi jussit configi: et in eadem die cum magna lætitia epulantes templum dedicaverunt, et singulis diebus Sacerdotes eorum non cessabant per officia servientes. Et dum magna initia templorum *i* essent, recogitans Imperator cum suis dixit: Credo quia possim et ego cœlum facere, in similitudinem cœli quod oritur super nos: et nullus inventus est qui præpediret *k* sermonem ejus. Tunc fecit cœlum æreum in pavimento columnarum *l* marmorearum numero nonaginta: quod cœlum jussit minutis foraminibus *m* pertundi: et altitudo cœli pedes centum. Et effusa a ministris aqua, quasi pluvia cadens in terram, cœpit Narzius *n* hujus loci servator clamare, dicens: Cognoscant omnes quia verum et inæstimabile est nomen Dianæ, ad cujus honorem Nero Imperator istas virtutes ostendit. Et sic mane jussit lampades fieri in factura solis, et per cœlum trahi, ut lucerent populo qui erat sub cœlo, et venientes ad occasum extinguebantur. Et iterum sero, hora *o* undecima, fecerunt simile speculum, cum magnis gemmis refulgens, clarum nimis, in factura lunæ. Et ante horam constitutam cecidit: et nec ipsa fragmenta inventa sunt. Sic nocte jussit *p* quadrigam per cœlum trahi, quasi tonans. Tunc misit Dominus ventum validum super eos: et quadrigam in fluvio mergi fecit, et transcapitatus est auriga, et nusquam comparuit.

Dicitur Nero Pisis condidisse templum Dianæ, fabricasse cœlum æneum:

2 Alia die Imperator sedens pro tribunali, nesciens quod factum fuerat, dixit ad populum: Cognoscant omnes, quia magna est Diana mater Deorum, per quam et ego istas virtutes ostendo. Tunc inter eos exiens vir magnus, nomine Torpes, qui et ipse de officio *q* ejus se protraxerat, repletus Spiritu sancto dixit: Quid dicis Imperator? Melior est qui unum Deum vivum adorat, qui fecit cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Nam qui plures deos colit, unumquemque offendit, Sed audi me, Imperator, quia ego de eorum genere sum, qui a tuis fidelibus Romæ passi *r* sunt; quos coronandos vidi per manus Angelorum, quique vitam repromissionis acceperunt æternam. Nero dixit: Et tu solus inventus es, qui hanc civitatem evertas? S. Torpes dixit: Civitas non evertitur: nam qui Christum confessus fuerit, salvabitur. Nero dixit: Pro quo ordine conscientiæ tuæ hoc protestaris? S. Torpes dixit: Conscientia bona de malo ad vitam revocat, et Spiritus sanctus ubi vult spirat. Nero dixit: Quare denegas deos nostros? S. Torpes dixit: Nego, quia video omnia imaginaria fieri. Nero dixit: Non *s* conturberis quia vidisti. S. Torpes dixit: In *t* his probaberis operibus tuis: Sol tuus jam non lucebit, luna nusquam comparuit, sonus tonitrui et qui movebant eum in fluvio interierunt. Nero Imperator dixit: Ut quid non adoras secundum consuetudinem deos nostros? S. Torpes dixit: Ego Dominum Deum vivum adoro, qui in altis est, qui in cœlo fecit luminaria magna solus. Nero dixit: Audi Torpes, cogita tecum bene serviendo, ne diversis pœnis cum injuria puniaris.

cujus ruinam explodens Torpes, ex mss. unius Dei fidem profitetur:

3 Exiens S. Torpes de palatio, multum intra se cogitans dixit: Quid faciam? Idolis serviendo Baptismum non accipio salutis. Et sciens quod sanctus Presbyter, nomine *u* Antonius, absconsus esset in *x* monte, exiens portam quæ appellatur Lucana, et per latus amphitheatri, et per noctem ambulavit ad eum: et ascendens in montem clamare cœpit dicens: Pater sancte, Antoni Presbyter, ubi es? responde mihi. Tunc sanctus Presbyter Antonius dixit de loco orationis suæ: Et quis es tu, fili? S. Torpes dixit: Ego sum Torpes, servus tuus. Ad quem Presbyter dixit: In monte timeo te, quia ex officio es. S. Torpes dixit: Audi me Pater, et non timeas, sed osculer manus tuas, et ora pro me: quia jam ego *y* hesterna die Imperatori dixi: Christum adorare desidero: et dubius factus sum, quia non sum baptizatus: ideoque requiro te, ut baptismum percipiam salutis. Presbyter dixit: Nescio si vera sunt, quæ hortaris. Sanctus Torpes dixit: Et si mentior, non sum dignus baptismum percipere salutis. S. Antonius Presbyter dixit: In nomine Domini mei Jesu Christi, ego te baptizo. Et descenderunt ad pedem montis, ubi est aqua viva ad latus Storiæ *z* leonum: et benedixit aquam suis manibus, et perfudit eum baptismo salutis: et signaculo Christi facto, dixit ad eum: Vale, fili, quia crescit tibi virtus loquendi et expugnandi adversarios tuos. Tunc osculans eum, plorans dixit ei: Angelus Domini comitetur tecum, fili. Sanctus Torpes dixit: Ora pro me, Domine, sancte Pater.

et ab Antonio Presb. baptizatus,

4 Et dum eadem nocte in civitatem reverteretur, Angelus dixit ei: Torpes, sustine me. Et dum post se respexit, vidit Angelum in albis indutum et magnum splendorem cum eo: et cecidit pronus in faciem suam tamquam mortuus. Tunc Angelus Domini dixit ad eum: Noli timere, Torpes, quia Dominus te hac nocte per suam manum coronavit: neque paveas minas inimicorum tuorum, quia ego tecum sum, et non est in hac civitate inventus homo qui pro Christo alapam sustinuisset, vel pro justitia cœlum intuitus esset: tu autem fortis esto in veritate. Scio quia mundum dereliquisti, et nobiscum eris in paradiso cum multitudine Sanctorum gaudens: nam corpus tuum in aliam provinciam transfretabo. Tunc Angelus sublatus est ab eo, et erigens se S. Torpes dixit: Gratias ago tibi, Domine Deus meus, qui misisti Angelum tuum, qui consolatus est me, et tribuit mihi fortitudinem sicut Propheta dicit: A dextris est mihi Dominus ne commovear, propter hoc lætatum est cor meum, et exultavit lingua mea; insuper et caro mea requiescit in spe. Domine Deus meus, esto adjutor meus, ut habeam fiduciam in te, quia me solum elegisti in hac civitate confidere in te: da mihi

atque ab Angelo confortatus,

A mihi fortitudinem sufferre tormenta, ut qui non credunt credant nomini tuo, Altissime.

EX MSS.

5 Sic ingressus mane civitatem, per portam lapideam, venit in foro civitatis Pisanæ : ubi residens Nero Imperator et plusquam quingenti viri et consiliarii ejus cum eo. Et postquam vidissent eum, stridebant dentibus super eum, dicentes : Iste est qui hesterna die magnam Dianam vel alios deos abnegare præsumpsit. S. Torpes dixit : Vos negastis, qui Deum vivum non adoratis : nam Dianam matrem deorum qui colitis, simul cum ea peribitis. Tunc nuntiatum est Imperatori quod ille dixerat. Elegit Imperator unum ex latere suo, nomine Satellicum, qui et ipse affinis Neronis inveniebatur : et Nero Romam ambulare festinabat, quia ibidem non minima Sancti patiebantur, qui pro Christo coronabantur. Nero Satellico dixit : Sede pro tribunali, et audi eum diligenter : et si non de isto vaniloquio se emendaverit, diversis pœnis interficiatur : et dicta adversus eum sententia, si perseveraverit in duritia cordis sui, gladio finiatur. Satellicus dixit : Omnia quæcumque commiseris ordinabo. Tunc Nero Romam ivit, Satellicus vero jussit S. Torpetem in carcerem mitti, dicens : Ego probabo si Deus tuus liberabit te de manibus meis. Jussit autem, ut feræ tribus diebus escam non acciperent, ut sanctum Martyrem devorarent.

traditur Satellico pervertendus aut puniendus.

B

ANNOTATA ET CENSURÆ.

a *An non angustum nimis hoc loco, nomen* Provincia ?

b *Mombritius et aliqua MSS.* in amoris sui nomine.

c *MS. Suessionense et nostrum*, Tessellare. *Taurin. Lugdun. et Monbrit.* Thessellarum *et* Tessalarum : *est autem* Tessella *quadratus laterculus; et* tessellatum opus *seu* pavimentum, *quod ex ejusmodi laterculis arte emblematica compaginatur. Sic ab auro, quo Romæ Neronis domus invidiosa nitebat*, auream nominavit *ipse, teste Suetonio cap.* 30.

d *Anno Imperii sui* 10, *vulgaris æræ* 61 *persequi Christianos cœpit Nero, occasione incensæ urbis, et mulierum ad castitatis curam traductarum : cum alias teste Eusebio lib.* 2 *cap.* 22, clementius se gessisset circa initia Imperii, et defensionem pro fide nostra benigne suscepisset. *Anno deinde Imperii* 11, *Christi* 65, *post occisos Petrum et Paulum Apostolos, Roma discessit in Græciam; neque rediit in Italiam nisi anno Imperii* 14 *Christi* 68, *quando seipsum interfecit, prius quam Romam appelleret.*

C

e *MS. Maximin.* Idola adorarent. *Lugdun. et Mombr.* quotidie adoleret. *Is scilicet qui* religionum usquequaque contemptor *erat, teste Suetonio.*

f *Cum hodie solus Arnus Pisas circumfluat, miratur Ughellus, qua ratione Rutilius de eis sic canat.*

Alpheæ veterem contemplor originis urbem,
Quam cingunt geminis Arnus et Auser aquis.
Conum pyramidis coeuntia flumina ducunt,
Intratur modico frons patefacta solo :
Sed proprium retinet communi in gurgite nomen,
Et pontum solus scilicet Arnus adit.

Vide apud Cluverium Italiæ antiquæ cap. 2 *consentientes sibi in hoc Plinium atque Strabonem : nec aliud ex Ughelli observatione et chorographicis hujus temporis tabulis sequitur, quam* Ausere *sive* Ausaro, *nunc* Serchio, *aliorsum verso et pontum subeunte per proprium ostium, ab Arni ostio circiter mille passibus dissitum, mutatam ibi esse soli faciem, ut sæpe alibi ac nominatim in nostris fluminibus Scaldi, Mosa ac Rheno. Quod autem* Porta Latina *statuatur* in capite Pontis fluminis Ausari, *indicare posset, agros a Pisanis oblatos Latinis colonis ad se deducendis, versus mare et confinia Lucensium fuisse porrectos.*

g *Mombr.* Jugulatis. *MSS. Maxim. et Lugdun.* Ungulatis. D

h *Maxim.* quasi juvenis.

i *Legen. Colon.* templi, *tria MSS.* temporum. *Taurin.* interstitia temporum, *quod præ aliis placeret, si in vetustiori exemplo legeretur.*

k Erat incredibilium cupitor Nero, *inquit Tacitus cap.* 42, *de molitionibus ejus agens, ad quas* magistris *utebatur* Severo et Celere, quibus ingenium et audacia erat, etiam quæ natura denegavisset per artem tentare.

l *MS. nostrum et Leg. Col.* quod sustentabant columnæ marmoreæ. *Taurin.* Super columnas marmoreas in pavimento dispositas.

m *Suetonius cap.* 3, *narrat, quomodo Romæ in Neronis domo fuerint factæ* Cœnationes laqueatæ, tabulis eburneis versatilibus, ut flores ex fistulis et unguenta desuper spargerentur : præcipua vero cœnationum rotunda, quæ perpetuo diebus ac noctibus vice mundi circum agerentur. *Harum autem similiumque machinarum obscura notitia, potuit auctori occasionem dedisse fictionum hujusmodi.*

n *Mombr. et duo MSS.* Nartius, *fortasse huc introductus pro* Narcisso, *Claudii Imp. liberto, ipsi quoque Neroni caro*; cujus abditis adhuc vitiis (*nam inter bona Neronis initia sublatus e vivis est ab Agrippina*) per avaritiam et prodigentiam mire congruebat, *juxta Tacitum, lib.* 13, *cap.* 1. E

o *Vide hic quam olim diversa fuerit horarum ratio; nempe quæ nunc ab occasu solis in Italia, a media nocte in Gallia et Hispania initium sumunt; tunc ab aurora inchoabantur; ut ex plurimis aliorum Sanctorum vitis inferre me memini.*

p *Sic et de Cosroe Persarum Rege narratur, quod* volens coli ab omnibus ut Deus, excogitavit quomodo in subterraneo specu, equi quadrigas trahentes in circuitu, quasi currum moverent et tonitru simularent. *Vide Beyerlinck in Theatro ad verbum* Adoratio; *a quo auctor qui hæc referat non allegatur, sed qui alia ibidem de eodem Chosroe dicta, spectantia ad an.* 614. *Potuit tale quid audivisse scriptor horum Actorum : fortassis etiam præ oculis habuit notissimos Virgilii versus,* 6 *Æneidos*

Vidi et crudeles dantem Salmonea pœnas,
Dum flammas Jovis et sonitus imitatur olympi.
Quattuor hic invectus equis, et lampada quassans,
Per Grajum populos mediæque per Elidos urbem
Ibat ovans, Divumque sibi poscebat honorem.
Demens! qui nimbos et non imitabile fulmen
Ære et cornipedum cursu simularat equorum.] F

q *Hinc Baronius in Romano Martyrologio, ad hæc verba Usuardi,* qui magnus in officio Neronis primum fuit, *addi posse credidit,* unusque ex his de quibus Paulus Apostolus ab urbe ad Colossenses scribit : Salutant vos omnes Sancti, maxime qui de domo Cæsaris sunt. *Verum hic* S. Torpes *tunc nedum baptizatus erat, fortasse nec Christianus. Epistola enim ad Colossenses a S. Paulo scripta est infra tempus captivitatis, finitæ an.* 56 (*uti ostendemus* 29 *Junii*) *adeoque anno Neronis* 2, *annisque ut minimum octo ante inchoatam persecutionem. Tamayo, libertate sibi consueta, veteribus Actis addenti quæ ex auctoribus suis, id est Pseudo-dextero et sequacibus accepit, dicitur* C. Sylvius Torpes, filius C. Sylvii, patruelis C. Sylvii Othonis, qui postea fuit Imperator, in domo Neronis œconomus.

r *Haud dubium quin intelligat Christianos, ob incensæ urbis culpam sibi imputatam crudeliter extinctos; sicuti etiam Tacitus narrat.*

s *Mombr. et MS. Maxim.* non contraheris.

t *MSS. Suess. Taurin. et nostrum cum Legend.* In hoc probabuntur opera vestra.

u

A u S. Antoninus, *Adoni* Antonius: *egimus de eo* 27 *Aprilis.*

x *Mons hic Lucæ quam Pisis propior fuisse videtur, aut saltem intra Lucensium terminos: de Sancto enim illo dicitur, quod conquisita Martyrum corpora ad Lucensem ecclesiam, ad quam ipse quoque translatus denique est, sepelienda deferebat. Distant autem Pisæ et Luca, juxta Ferrarium, solis* x. p. m.

y *MS. Maxim solum*, extrema die.

z *MS. nostrum*, Ubi est aquæ vivæ lacus et historia leonum. *MS. Taurin.* Ubi est aqua viva natatoria. *Tamayus*, Ad latus striæ leonum.

CAPUT II.

Tormenta illata, martyrium, sepultura.

Transactis autem tribus diebus jussit Satellicus adduci Sanctum de carcere, et venire ante conspectum suum. Sedens autem pro tribunali dixit ei: Torpes quid cogitas circa salutem tuam? Jam crede mihi, sacrifica diis sicut prius, et antecedet te honor tuus: sin autem diversis pœnis maceraberis. S. Torpes dixit: Quod semel vidi, negare non possum. B Satellicus dixit: Quid est quod vidisti? S. Torpes dixit: Qui credit, videbit Angelum Christi. Satellicus dixit: Et tu vidisti Angelum Christi? S. Torpes dixit: Qui credidit et baptizatus fuerit in nomine ejus, apparebit ei. Satellicus dixit: Recede a vaniloquio. S. Torpes dixit: Omnes qui non credunt in Christo, ipsi vana loquuntur. Tunc Satellicus jussit eum alapis cædi, et ad columnam *a* Habietinam nudo corpore ligari. S. Torpes dixit: Tu autem, Domine, ne longe facias auxilium tuum a me. Et dum cæderent eum, fluebat sanguis de latere ejus sicut aqua de fonte. Sanctus autem Torpes, elevans cum fiducia oculos suos in cœlum, dixit: Memor sum, Domine, quæ dixisti per Angelum tuum: Domine Deus, vindica sanguinem meum. Et cum complesset orationem, columna excelsa, ubi tenebatur, cecidit, et oppressit impios *b* quinquaginta; et ipse Satellicus sub ea mortuus est. Ministri autem tenebant eum, et miserunt in rotam: et filius Satellici nomine *c* Silvinus, stridebat dentibus super eum qualiter eum perderet.

Ad columnam dire cæsus, a

post contributos sub ruina Judicem et alios 50, b

c illigatur rotæ:

7 Alia autem die, dum seditio facta fuisset et magna tristitia in populo; ejecerunt eum de rota, et duxerunt eum ut ad feras mitteretur. Et venerunt C in amphiteatrum, et statuerunt eum in medio eorum: et subito dimissus est leo, dans rugitum super eum. Sanctus autem Torpes signaculum Christi fecit contra eum: et eadem hora leo mortuus est, et admirati sunt omnes. Iterum dimissus est leopardus: et ipse flectens caput lingebat plantas ejus. Tunc Evellius, Consiliarius Imperatoris videns mirabilia Dei, credidit in Christum, fugiens Romam; et ibidem decollatus, sub die quinto *d* Kalendas Maji complevit martyrium suum in pace. Tunc sanctus Torpes, egressus de amphiteatro, introivit sub cœlum æreum cum ministris; et elevans oculos suos in cœlum dixit: Domine Deus virtutum, exaudi orationem meam, et in hunc locum mitte Angelum tuum, qui evertat cœlum æreum et columnas quæ ferunt ipsum, ut cognoscant omnes quia firmasti cœlum, non homines qui faciunt similia. Tunc Angelus Domini venit cum nimbis et tonitruis et coruscationibus, et evertit cœlum æreum, et viginti quatuor *e* columnas ejus: et non minima multitudo Paganorum in eadem die mortua est: et ab eadem die multi dubii fuerunt ad sacrificandum idolis.

vincit leonem

et leopardum: d

e

8 Tunc Silvinus filius Satellici jussit eum gladio finiri *f*. Ministri tenuerunt eum, ut duceretur ad portam Romanam. Ille autem rogat ministros dicens: Oro vos, fratres, ut per amicum meum *g* Andronicum transeamus. Et sic venerunt ante domum D ejus, cum multitudine populi: qui clamans ad eum, ac se plorans, osculatus eum dixit: Amice, sequere me et sepeli corpus meum, dum finiero agonem: crede in Domino, mercedem consequeris. Tunc audientes ministri non permiserunt eum venire, ut adimplerentur quæ ab Angelo dicta sunt: Quia corpus tuum in aliam provinciam transfretabo. Et sic exierunt cum eo portam *h* Circensem, et introierunt in naviculam modicam. Ministri autem tenebant eum ne se in fluvium mergeret. Silvinus autem in foro civitatis cum multitudine Paganorum, dixit: Melius est ad mare decolletur, ne reviviscat: quia Deus eorum multas virtutes ostendit. Illi dixerunt; Ita fiat, sicut præcepisti. Tunc jussit ut nuntiarent eis qui ducebant eum. Currens unus ex Officio, clamabat post eos, dicens: Hoc vobis præceptum ut in Gradu ad mare ibidem decolletur. Et venerunt in Gradum *i* Arnensem: exierunt ripam fluminis. S. Torpes dixit: Domine Deus meus, suscipe spiritum meum. Nihil aliud dixit, nisi oculos levavit in cœlum, et sic decollatus est.

f

Ex MSS. gladio periturus g

h

ducitur ad mare,

i et decollatur

9 Ministri autem invenerunt naviculam modicam foris, quæ jam nullam utilitatem facere poterat; et miserunt in ea corpus justi, et canem *k* et E gallum cum eo: et cum aqua decurrente dimiserunt: et tam diu ibidem steterunt, dum eam non viderent. Tunc ministri in civitatem regressi, indicaverunt qualiter corpus perdidissent. Tunc Angelus Domini deduxit eum in portum *l* Sinus ad littus. Adhuc modice a mari concutiebatur navis: factus est canis quasi vigilans ad corpus, gallus vero indicans. Tunc exiens Angelus Domini pervenit ad quamdam matronam, Senatricem et vero nomine Celerinam *m*, et dixit ei: Surge, Celerina, diluculo, et vade ad littus maris in portu Sinos: sepeli corpus Justi, nomine Torpetis: omnia vero quæcumque petieris a Domino habebis. Senatrix vero, quasi vigilans, audivit Angelum loquentem sibi: exiliens a somno, residens in grabbato suo, territa cum lacrymis dixit: Gratias tibi ago, Domine Deus meus, quia dignatus es mittere Angelum tuum, ad commonendum ancillam tuam: Domine Deus meus, comple desiderium meum. Alia autem die Senatrix colligens multitudinem *n* Sacerdotum et innumerabilem populum, jejunantes ambulaverunt cum omni veneratione ad mare: et dum quærerent corpus, non inveniebant. Tunc Senatrix, dum per littora ambularet, respiciens in cœlum dixit: Domine Deus virtutum, ostende F nobis mirabilia tua, ut ancilla tua lætetur in te: et ostende mihi, ut videam quæ [*o* audivi ab Angelo tuo. Et cum complesset orationem, eadem hora gallus cantavit, et ipse indicans eum: et sic ad latus scopuli invenerunt navem, corpus, et canem, et gallum cum eo. Videntes Sacerdotes et populi admirati sunt omnes, plorantes et dicentes: Vere justus et Dei servus est iste, qui sic meruit ut cum tali fragmento veteris navis ad littus perveniret. Tunc levaverunt corpus involventes in linteaminibus mundis; et cum magna lætitia deduxerunt eum gaudentes in locum ubi Deo placitum fuit, in portum qui cognominatur *p* Sinos. Senatrix vero condivit cum aromatibus corpus, et cum omni diligenti honore deposuerunt in locum. Eadem hora canis et gallus nusquam comparuerunt: nam *q* et ipsa Celerina super medietatem Hispaniæ imperaverat. Tunc ædificavit ecclesiam miræ magnitudinis, fundatam cancellis, et *r* cymbio aureo refulgentem. Et in eadem die, in qua fabricæ officia in omnem pulchritudinem persolventes dedicaverunt, multi ægroti salvi facti sunt, orantes ad corpus, et tenti a spiritu immundo liberati sunt, et usque in hodiernam diem

k corpus appulsum ad Portum Sinus,

l

m

a Celerina Senatrice invenitur: n

o

p et honorifice depositum

q

EX MSS

A diem mirabilia Dei declarantur. Senatrix vero non minimam pecuniam et substantiam ecclesiæ dereliquit: et in hodiernum diem congregatur ibi.

10 Post quindecim autem *s* annos, audierunt de Nerone, eo quod perierat et mortuus fuerat: et omnes provinciæ lætabantur, quia convertebantur credentes in Domino Jesu Christo. Tunc exiens unus ex Officio ejus, nomine *t* Artemius, qui et ipse jam Christi baptismum susceperat, profectus est in loco Sinos: et exiens de navicula, ingressus ecclesiam oravit ad corpus, et dixit: Cujus vocabuli Sanctus hoc loco requiescit? Commanentes vero loci illius dixerunt: Torpes Dei servus. Tunc cognovit, quia ipse fuerat, qui a Nerone in civitate Pisana passus fuerat: et dixit: Indulgeat mihi Dominus, quanta ego in eum gessi, per jussa iniquorum Principum Paganorum: quia interfui quando Justus passus est. Et dixerunt ei: Quomodo vocatur nomen tuum? Ille dixit: Artemius. Et illi dixerunt: Et scis vere quomodo passus est? Artemius dixit: Ego in omnibus interfui, et manifeste scio qualiter passus est. Illi dixerunt: Nuntia nobis gesta ipsius. Et quia ipse Artemius *u* magis litteris eruditus erat, sedens dictavit gesta qualiter passus fuerat *x*. Celebratur Natalis ejus tertio *y* Kalendas Maji. Gloria Christo, qui tantam gratiam dedit timentibus se et Sanctum suum eripuit de altitudine maris: [et omnes qui eum invocant in mari, adjuvante Domino liberabuntur *z*], cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

Acta finguntur a teste oculato dictata.

B

ANNOTATA ET CENSURÆ.

a *Ita MS. nostrum. Ast. MS. Maxim. cum Rabano,* Habentinam: *Mombritius cum MS. Lugdun.* Averitinam. *M. Taurin.* Excelsum.

b *Insignis et effrons hyperbole: quam enim latam excelsamque concipere columnam oportebit, ut procul a tribunali stans, 50 viros cum judice opprimeret?*

c *MS. Maxim.* Salvinus. *Ado.* Sylvius.

d *Interim Rabanus, Notkerus, aliique (quos secutus est Baronius in Romano Martyrologio, et nos cum eo) videntur legisse* v Idus Maji. *MS. Taurinense,* sub die quarto Kal. Majas.

e *Ast hæ supra num.* 1 *dicuntur fuisse* numero nonaginta.

f *MSS. Maxim. et Ludgun.* feriri.

g *MS. Lugdun. Mombr. Tamayus* Andromeum.

h *Ita MS. Taurin. plura* Circiensem, *Lugdum.*

C *Mombr. Tamayus* Cirmensem, *Suession.* Curiensem.

i *Mombritius et pleraque MSS.* Graduarnensem. *Taur.* Gradum Arauensem, *haud dubium, quin locus ad ripam Arni, applicandis navigiis et exscensioni aptatus, nominis vestigio remanente in vico, dicto* S. Pietro in Gradi.

k *Modestius ad legem Pompeiam de parricidiis ff.* 48. Pœna parricidii more majorum hæc instituta est, ut parricida virgis sanguineis verberatus, dein culeo insutus..... cum cane, gallo gallinaceo, et vipera, nec non etiam simia, in maris profundum dejiciatur. *Vipera et Simia cum ad manum non essent, canis et gallus, obvia ubique animalia, adhibita fuisse potuerunt, navicula vero fatiscens pro culeo; ut ubicumque fortassis appelleret corpus, crederetur esse hominis insigniter nefarii, aut læsæ graviter majestatis rei, qui vel patrem suum vel patrem patriæ occidere tentaverit.*

l Fabius Valens e sinu Pisano, segnitie maris aut adversante vento, portum Herculis Monœci depellitur, *inquit Tacitus lib.* 3 *cap.* 42; *unde colligit Claverius lib.* 2 *Ital. antiq. cap.* 2, Mare, quod inter Populonium et Lunæ promontoriæ Arnum amnem curvo littore recipit, Pisanum appellari Sinum. *Sed*

cum supra dixerit Angelus, quod corpus Sancti in D aliam Provinciam *transfretaret, sine dubio alibi quam in Etrusco littore quærendus est ille* Portus.

m *Hic Tamayus arguitur a Gallis, in gratiam patriæ suæ Hispaniæ, inseruisse,* quæ super medietatem Hispaniæ imperaverat, *quasi non contentus id semel infra dici. Majori longe jure arguendus videtur, quod Pseudo-dexterum secutus, non dubitaverit* Celerinam *facere* abneptem L. Celerini, uxorem Vennonii Æbutiani, cohortis Gallicæ in Gallecia Tribuni, *cum quo, recipiente discipulos S. Jacobi Apostoli, ejus corpus referentes, Christiana ab iisdem facta, ac deinde vidua, et in dotali suo Eborensi agro victitans, S. Torpetis corpus exceperit; ac tandem pro Christo comprehensa martyrium sub Nerone compleverit: quo nomine vitam et elogium ejus hoc die contexit, exemplum sequente Cardoso; præeunte autem Galesinio, sed a titulo* Martyris *abstinente; per intolerabilem vero socordiam appellante eam* istius provinciæ Reginam, *unde Ferrarius in Catalogo generali ad hunc diem retulit memoriam* In Hispania S. Celerinæ Reginæ; *sequacemque habuit Arturum a Monasterio in Gynecæo sacro. Moderatior in hoc longe scriptor noster: dum enim* Senatricis *titulo, quasi præcipuo inhæret; ut summum dicere* E *voluit, quod ejus maritus Proconsulari jure bonum Hispaniæ partem rexerat.*

n *Hic rursum eadem, qua cœperat, fabulandi licentia palam uti incipit auctor: quis enim tot et tales tempore persecutionis Neronianæ, ita palam eductos sapienter crediderit?*

o *Hinc incipit antiquissimi nostri Passionarii insigne fragmentum.*

p *Ita utrumque nostrum MS. et MS. S. Maxim. cum Petro de Natalibus: cetera vero cum Mombritio et Leg. Lov.* Sinus. *MS. Italica versio* Porto Sino.

q *Legenda Lovan.* Postea vero ipsa Celerina imperavit medietati Hispaniæ: ipsa etiam ædificavit ecclesiam. *Est quidem hiulca hic oratio, et cum præcedentibus ac sequentibus verbis male cohærens, quapropter et in suspicionem adducitur ab aliquibus, quasi imperita quæpiam manus, præter mentem auctoris, hæc de* Hispania *adjecerit fortassis seculo* 12 *exeunte, quando Ildefonsus Arragoniæ Rex etiam Provinciæ Comitatum possedit, et hæc Hispaniæ nomine subcenseri potuit; aut saltem quando Hispania, Romano subtracta Imperio, in plura Regna erat divisa. Sed in tam inculto ut hic est scriptore, quis summam accurationem requirat? Et antiquitas MS. nostri, annos* DCC *excedens, suspicionem omnem interpolationis elidit. Videbatur autem res ipsa postulare, ut vel per parenthesim interjectam indicaret auctor, unde tanta Celerinæ partim auctoritas, partim opulentia; tam ad ipsum corpus, sine metu et interpellatione cujusquam, pleno die adeo solenniter sepeliendum; quam ad ecclesiam adeo augustam, Nerone mortuo, super illud, uti mox fingitur, ædificandum. Æque facile rejicitur quod suggerit non nemo,* Hispaniam *pro* Hesperia *(id est Italia, cui accenseri Provincia possit) obrepsisse: quia et huic evasioni obsistit antiquitas consensusque codicum omnino omnium; et* Hesperiæ *nomen, solis Poetis usitatum, gratis supponitur venisse in calamum mentemque scriptoris istiusmodi. Denique nihil opus est Gallis, Provincialium causæ patrocinari volentibus, torquere lectionem tam antiquam tamque receptam; quandoquidem seculo* VI *vel* VII, *quo scripta hæc Acta, subjecta Pyrenæis Gallia, cum prima Provincia Narbonensi usque ad Rhodanum, sub imperio Gotthorum dicta fuerit* Hispania citerior; *fortassis etiam et secunda trans Rhodanum, Provinciam continens; utpote vinculum commune ejusdem gentis, per Italiam Hispaniamque dominantis, quamdiu res Gothica apud Italos stetit, prout infra plenius declarabitur.* F

r Cymbium *seu* Cymbius *fornicem sive concamerationem*

A *tionem significat. Ita usus Corippus, Grammaticus Afer, lib. 3 in laudem Junioris Justini, apud Vossium de Vitiis sermonis.*

Quas super ex liquido præfulgens cymbius auro,
In modico simulans convexi climata mundi,
Immortale caput soliumque sedentis obumbrat.

hæc itaque vera est, et indubitata lectio, quamvis MSS. Maxim. et antiquissimum nostrum Cymbro auro, *Mombritius* Cymbo, *Taur.* Cinibro *habeant; Suession. et aliud nostrum* Cymbo et auro : *pro quibus Coloniæ impressum* auro et argento. *Verum quis non miretur inscitiam scriptoris, non solum primo Ecclesiæ seculo sed etiam persecutionis tempori ejusmodi fabricam affingentis, qualem vix Constantiniana viderunt tempora?*

s *Quibus scilicet imperavit Nero, ita ut primus annus a* 13 *Octobris cœptus finiatur cum Januario, et ultimus a Januario cœptus etiam numeretur pro anno, licet* 10 *Junii occisus sit Nero. Nimis autem ridiculum foret a tempore ædificatæ ecclesiæ dictos annos numerare, sic enim debuisset ibidem mors Neronis ultra decennium latuisse.*

t *Alibi* Arthemius. *MS. Lugdun. et Mombritius cum Tamayo* Archemius.

B u *Ita corrigo, licet exemplaria habeant* magnis, *aut* magnus.

x *Sic MS. nostrum recentius ; addit vetustissimum item nostrum, sub finem paginarum corrosum* ...... vans nomine Audaois. *MS. Maxim.* et sceptrum relevans nomine Audacis. *Lugdun. et Mombritius* et Exceptor revelans nomine Audacis : *Taurin.* Exceptor adjutor illius fuit nomine Audax. *Tamayus*, et Exceptor nomine Audax revelavit ea.

y *MS. Taurin.* XVI Kalendas Junii. *Nempe minus antiquus codex iste est, et hinc inde ad transcribentis arbitrium quasi expolitus.*

z *Desunt hæc* [ ] *in MS. Maxim. Mombritius cum MS. Lugdun.* Liberabantur.

DISSERTATIO

De cultu et reliquiis S. Torpetis.

§ I. An sinus Samblacitanus nomen Sancti tulerit ante seculum x?

Pro affirmativa parte

P*rovinciæ Gallicanæ anfractuosa quam maxime littora facit mare, crebros istius oræ sinus implens : quos* C *inter nullus et olim et nunc nominatior eo, quem veteres* Sambracitanum, Samblacetanum, *vel* Samblacitanum *nominarunt ; nostra ætas* Grimaldicum *vocat, vulgo* Golfo de Grimault, *intra Foro-juliensim diœcesim, dic etiam præcedenti indicatum a nobis,* de S. Maxima *agentibus deque oppido maritimo ab ea dicto. Huic autem oppido ex adverso trans sinum prædictum objacet oppidum* S. Torpetis, *portum habens non incommodum, quem nonnulli putant in Antonini Itinerario* Heracleam Cacabariam *appellari. Nolim ego hoc disputare, et veterum appellationum obscura incertaque scrutari vestigia, inter rudera civitatum oppidorumque, a Barbaris eversorum. Magis ad rem meam facit quærere, quo tempore cœperit sumpta a* S. Torpete *nomenclatio, ejusdem eo loco cultus antiqui et specialis certissimum argumentum.*

2 *Ad hoc explicandum primo loco faceret, si certum esset, instrumentum donationis, anno* DCCCCLXXX *factæ : probaret enim, jam fere a primis seculis Christianæ tranquillitatis, sub Constantino magno cœptæ, nomen istud ibi obtinuisse ; aut saltem diu ante tempora Saracenorum, qui jam inde ab anno* DCCXXII *cœperunt Provinciam incursare, ac denique Fraxineto munito in suorum latrociniorum firmam sedem totis duobus et medio seculis eam vastaverunt. Est enim hujus tenoris, apud Honoratum Bouche in Historia Provinciæ lib. 9 sect.* D
1 *cap. 5 relati.* In nomine Domini. Amen. Ad res

AUCTORE D. P. allegatur donatio anni 980,

magnanimiter gerendas remunerationibus accenduntur homines : sed tunc præcipue viris spectabilibus gloria retributionis ad easdem stimulos adjungit, cum ea sibi obveniunt loca, in quibus vires corporis et animi tentatæ, excellentia de inimicis trophæa reportarunt. Cum itaque Giballinus de Grimaldis, vir magni cordis et egregiæ magnificentiæ, nostris in omnibus contra Agarenos et Mauros sive Saracenos assistens aggressionibus, invasionibus, et periculis, Sinum maris Gambracium, qui communiter Rivus S. Torpetis appellatur, propria virtute ab eisdem Agarenis et Mauris sive Saracenis abstulerit, ejusque tale facinus peculiari Principis munificentia recognosci debuerit ; Nos Guillelmus Comes, Bozonis et Folcoaræ filius, in Arelate consistentes, et iisdem attendentes ; consentientibus Conjuge nostra et Guillelmo filio nostro, Annone Archiepiscopo et aliis Nobilibus ; præfato Giballino de Grimaldis, præfatum sinum maris Gambracium, qui communiter Rivus S. Torpetis appellatur, cum toto tractu et circuitu, damus, donamus, et possidendum integrum et defendendum contra Agarenos et Mauros tradimus, E soli Ecclesiæ Forojuliensi seu ejus Episcopo salvis dimissis juribus Episcopalibus. Si quis autem dicto Giballino de Grimaldis, potenti viro, in hac donatione contradixerit, indignationis nostræ pœnam incurrat, et insuper cum Core, Dathan, et Abiron in profundum absorbeatur. Anno igitur Incarnationis Dominicæ DCCCCLXXX, Indict. X, mense Septembri, regnante Conrado Rege Alemannorum seu Provinciarum, ego Comes Guillelmus hanc notitiam donationis scribi et manu mea roborari curavi. Adalaxia Comitissa firmavit. Guillelmus Comes firmavit. Anno Archiepiscopus firm. Rainordus firm. Riquelinus firm. Hildoardus firm. Pontius de Alaus firm. Fulco firm. Wido firm. Ingebradus firm. et alii firmaverunt. Bonifacius scripsit et firmavit.

post Saracenos Fraxineto pulsos :

3 *Non extat hujus donationis charta originalis ; sed exemplum dumtaxat inscriptum Codici cuidam Archivii Episcopalis Foro-julii fol.* 125 : *proinde pro levi habendum est, si librarius exerravit, scribendo* Gambracium, *pro* Sambracio ; Alauz. *pro* Alanz *vel* Alenz ; *quod integre exprimeretur* Alanzonum, *hodie* Allenson, *oppidum Provinciæ sub Vicariatu Aquensi. Graviora forsan videbuntur nec librariis imputabilia quædam alia, et suspectam rem totam factura ; puta* Indictio X *posita pro* VIII (*quod etiam Bouche observavit*) *vel pro* VIIII, *si* F *supponatur* Mensis Septembris (*ubi diei numerum non exprimi satis incongruum etiam est*) *provectus ultra* XXIV *diem, a quo sumendum Indictionis novæ initium. Scrupulum quoque injicere hic posset* Anno Archiepiscopus *Arelatensis ; dubitarique utrum ordinatus sit ante annum* DCCCCLXXXI, *quem primum ei videntur ponere Sammarthani. Sed et de hoc quærant alii : nam neque affirmativa sententia alicunde probatur ; neque, negativa posita, excederet librarii culpam unius* I *omissio, et sic cum Indictione primum inchoata* X *conciliaretur annus* DCCCCLXXXI, *deductus usque ad ultimos septem dies Septembris.*

sed in hac (dissimulatis aliis mendis)

4 *Ego prædictis omnibus, et aliis quæ moveri possent pluribus, dissimulatis, nulla magis re cogor judicium de veritate prænotati instrumenti suspendere, quam quod videam* Giballinum *eum, cui prætenditur facta donatio, more tunc necdum noto, sed primum introduci cœpto ducentis post id annis, indigitari veluti gentilitio cognomine* de Grimaldis *tunc more vixdum nascenti. Qua in re peccari a multis, nobilium familiarum origines scrutantibus, queritur ipsemet Honoratus Bouche § 2 præliminari ad Sect. 1 lib. 9 præcitati ; docetque ignota fuisse ejusmodi cognomina in Galliis, non solum tempore primæ ac secundæ stirpis Regum Francorum ; sed*

displicet usus cognominum,

A AUCTORE D. P. *sed etiam in principiis tertiæ, quæ ab Hugone Capeto anno* DCCCCLXXXVII *initium sumit. Tum demum docet, Reges quidem ac Principes supremos, a suis statibus; minores Proceres, ab oppidis villisque a se possessis cœpisse appellari: ita tamen ut ipsæ appellationes nec ad omnes pertinerent filios, sed eos dumtaxat quibus hereditario jure ejusmodi dominia cedebant in partem; nec diutius in eadem retinerentur familia, quam ipsa realis illorum possessio. Denique præfatus Bouche, asserens magnæ nobilitatis signum esse cum unum idemque est nomen familiæ et dominii, negat appellata a familiis dominia, sed familias asserit cognominata a dominiis,* paucissimis forsan exceptis, *inquit, et exempli causa (non tam ex suo quam aliorum sensu) proponit familiam* de Grimaldis, *quam aliqui putent dedisse nomen oppido in fundo sinus Sambracitani, qui ab eo nunc* Grimaldicus *dicitur. Quod sane oppidum ego potius crediderim a conditore* Grimaldo *accepisse nomen (sicut infinita alia oppida et castra) idque aliquot seculis prius quam* familia de Grimaldis *suum hoc proprium nomen haberet. Quod autem de Gibalino donatario diximus, applicari poterit* Pontio de Alauz, *inter firmantes collocato.*

tanto serius appellari cœptorum,

5 *In istam porro Honorati sententiam generalem de gentilitiis cognominibus (quæ et de Tesseris sive Insignibus aut Armis est) recentissime concedens amicissimus nobis D. Jacobus le Roy, in nuperrime edita Notitia Marchionatus sacri Romani Imperii, hoc est Urbis et Agri Antuerpiensis, lib.* 10 *cap.* 17, *auctores eadem curiose scrutatos allegat, Claudium Tauchet, Senatus Monetalis Præsidem, in Originibus Armorum; et Andream du Chesne, in Præfatione historiæ Domus du Plessis de Richelieu, expresse loquentes de veteribus Titulis familiarum. De Tesseris autem auctorem laudat et loquentem inducit testem omnino idoneum, Jacobum de Hemricourt, S. Joannis Hierosolymitani Equitem, (qui obiit Bruxellis anno* MCCCCIII, *et post se reliquit Gallico sermone scriptum Speculum Nobilitatis Hasbanicæ) asserentem, solum esse annos* CC *vel* CCXL *quod ea res cœperit: et huic adjungit Christophorum Butkens in Trophæis Brabanticis, assignantem annum* MCLX, *ante quem nihil tale extiterit in usu nobilium familiarum. Atque hos indicasse sufficiat, interim dum plenum eo de argumento opus, singula ad suas origines revocaturum, expectamus a nostro Francisco Claudio Menestrier, quod intelligimus prælo maturum esse.*

uti jam plures viri eruditi docuerunt.

§ II. Monumenta certiora cultus veteris S. Torpetis in Provincia.

C

Instrumentum Pontii Ep. Massiliensis

Oppidum S. Torpetis, *et ejus sub hoc titulo antiquitatem, securius quam ex Donatione jam examinata cognoscere cupienti, offertur primo Pontii Massiliensis Episcopi Donatio, sub nota anni* MLVI *a Priore S. Torpetis Mag. Petro Antibou nobis transmissa, fidem faciente Antonio Aubert Notario Regio: ubi inter alia nominatur* Ecclesia S. Torpetis Martyris, quæ est sita in Comitatu Forojuliensi, in territorio quod vocatur Fraxineto juxta mare. *Ipsum instrumentum, quoniam alibi impressum non extat, juvat hic totum ponere, in gratiam eorum qui illud tam studiose curarunt, estque hujusmodi*: Constat, antiquitus legali dispositione sancitum anteriorumque industria patrum legali jure decretum, ut si quispiam suas res voluerit alicui dare, vel commutare, aut vendere; per descriptionis paginam id studeat agere: qualiter ipsæ res, stabiles et inconvulsæ valeant perenniter permanere. Non solum enim hujusmodi descriptionis tabula viventibus et acquirentibus aliorum possessiones heredum est jam profutura; verum etiam futuris longoque post tempore succedentibus, ad cognitionem talium possessionum et ad tuitionem earum contra adversantes valde idonea.

donantis monasterio S. Victoris

D Quapropter ego Pontius Massiliensis Episcopus, fratresque mei; Dominus videlicet Guillelmus et Dominus Goffredus, Ancelinæ quondam filii, donamus Sanctæ Mariæ Dei genitricis altari, quod est consecratum in ecclesia Sancti Victori Christi Martyris, et eidem Sancto Victoris Martyri sociisque ejus, ac monachis ibidem manentibus, tam præsentibus quam futuris, in æternum, pro remedio animarum nostrarum nostrorumque parentum; scilicet ECCLESIAM SANCTI TORPETIS Martyris, quæ est sita in Comitatu Forojuliensi, in territorio quod vocatur Fraxineto juxta mare; et totum quod habemus vel habere debemus in territorio et in terminis ejusdem Sancti Torpetis usque ad mare, et ipsum mare; ipsum quoque quod Dominus Fulco, noster avunculus, ibi habet similiter in sua vita, et post suam mortem ad proprium allodem terminatur. Si quidem ipsa terra et ipse allodis ab Orientali parte, a loco qui vocatur Laudonarius, qui situs est in ripa maris, et pergit per media cacumina montium, sicut aqua vergit et dividit terram, et terminat terminos de Ramaticella, et fecit per antiquum murum qui est Aldissart et Pampalonam, et usque in Garonam decurrentem usque in mare ab Occidentali parte, et dividit hanc terram Sancti Torpetis et Castri Borriani; ab Aquilonari parte terminum [habens] ipsum mare. Hæc omnia supra dicta, et quæcumque continentur infra istos terminos et in ipsis terminis, videlicet terris cultis et incultis, pratis, pascuis, silvis Garricis *vulgo* Garriges, cum suis venationibus suisque piscationibus, aquis aquarumque decursibus, cum ipsis portis et salinis, omnia in omnibus, quidquid habemus vel habere debemus nunc et in futurum, vel post obitum avunculi nostri Domini Fulconis jam dicti Vicecomitis tantum, ab integro donamus jam nominato Sanctæ Mariæ Massiliensis cœnobio Sanctoque Victori Martyri, et ejusdem cœnobii monachis ibidem manentibus, tam præsentibus quamque futuris, in æternum, sicut supra dictum est, ad legalem et proprium allodem; ut ab hodierno die et deinceps habeant et possideant, cum omni quietudine et pace. Plane si quis ex nobis aut aliqua ulla persona venerit aut surrexerit, ad irrumpendum hæc, non valeat vendicare quod repetierit; verum iram Dei omnipotentis incurrat, et cum omnibus maledicatur, nisi * prævisus fuerit; insuper componat in viventi * vinculo eidem sancto Victori optimi auri libras centum. Facta est autem hæc donatio atque descriptio anno millesimo Dominicæ Incarnationis LVI, Indictione nona, regnante Henrico Rege. Pontius Episcopus Massiliensis firmavit. Goffredus frater ejus. Frater Guillermus Episcopus Tollonensis firmavit. Dominus Guillermus Vicecomes Massiliensis firmavit, et alios firmare fecit. Fulco filius ejus firmavit. Dominus Fulco Vicecomes. Frater Rostagnus de Cateneto firmavit. Romulphus de senatio. Frater Allastranus firmat. Fr. Ugo de Marcavalla firmat. Aldavaldus frater. Arcadius.... *ubi adhuc aliqua desiderantur, uti et nomen Notarii,* qui scripsit et firmavit, *originali forsitan membrana circa finem corrupta.*

E

Ecclesiam S. Torpetis.

anno 1056,

* *forte* pœnituerit
* *forte* in continenti.

F

7 *Etenim neque hæc habetur amplius, neque aliæ duæ duorum Episcoporum similes chartæ de iisdem terris eodem modo terminatis, sed simul cum priori registrantur in veteri libro pergameno S. Victoris, multas donationes collectas continente: inter quas folio* 133 *est* carta de Fraxineto, et carta de Grimaldo. *Ita auctor exempli nobis transmissi, in aversa folii parte titulum primæ Donationis Gallice notans, tamquam factæ anno* MLVI, VIII Octobris, *quem diem in contextu non reperio. Ex Registro Pergamenorum, asservatorum in archivio Regio civitatis Aquensis, Catalogus contextus circiter* MCC *enumerat* castra, sub Forojulii civitate sita, *et appellatur* castrum de S. Tropé: *et sic inquit Honoratus in*

ubi anno 1084 *castrum de S. Trop',*

A *in Chorographia Provinciæ lib.* 4 *cap.* 2, §. 6 *appellatur in Bulla Gregorii VII data anno* MLXXXIV, *quia scilicet* S. Torpes *valgo* S. Tropez *dicitur. Hujus autem Gregorii VII et Urbani II privilegia Abbati S. Victoris confirmans Paschalis II anno* MCXIV, *appellat* Cellam S. Torpetis : *cujus cum Abbatia S. Victoris unionem deinceps confirmarunt Innocentius II, anno* MCXXXVI, XVIII *Julii, et Honorius III anno* MCCXXIII, XVIII *Junii. Prioris autem, quæ Paschalis fuit, habemus exemplum transcriptum manu Fr. Joannis Francisci de S. Torpete Capucini, cui par est referri gratiam ejusdem exhibitione hoc loco. est vero tale.*

et anno 1114 cella S. Torpetis;

quando Paschalis 2

8 Paschalis Episcopus Servus Servorum Dei, dilecto in Christo Filio Octoni Abbati Massiliensis monasterii, ejusdemque successoribus regulariter substituendis in perpetuum. Apostolicæ Sedis auctoritate debitoque compellimur pro universarum ecclesiarum statu satagere, et earum quieti auxiliante Domino providere. Ea propter petitionibus tuis, Fili in Christo charissime Octo, non immerito annuendum censuimus, ut Massiliensis monasterii, cui Deo auctore præsides, ad Prædecessorum nostrorum Gregorii septimi et Urbani secundi exemplar, Apo- B stolicæ Sedis privilegio muniamus. Per præsentis igitur privilegii paginam, tibi tuisque successoribus, quæ a prædictis Pontificibus sunt firmata, firmamus: videlicet in Episcopatu Forojuliensi Ecclesiam parochialem S. Mariæ de Cabasse, S. Pontii, et S. Petri, cellam S. Mariæ de Luc, S. Petri des Ans, parochialem ecclesiam ipsius castri cum capellis suis, ecclesiam S. Juliani de Ailha, cellam S. Cassiani de Sala. Laudimias S. Victoris de Motta, S. Romani d'Estam, S. Mariæ de Pollione, S. Victoris de Rochataillada, S. Salvatoris de Buonis, ecclesiam parochialem de Cellians, ecclesiam S. Mariæ; cellam S. Mariæ de Barjamonne, S. Auxilii, parochialem ecclesiam de Callas, CELLAM S. TORPETIS, S. Pontii, S. Mariæ de Luesta; ecclesiam parochialem de Grimal, S. Antonini de Inter-castellis, monasterium S. Mariæ de Villerroze, S. Petri de Salerne, parochialem ecclesiam S. Dominici de Tostorio, S. Mariæ de Villa alta, S. Martini de Rocabruna. Ecclesias vero, sive quas cum decimis et oblationibus suis ipsi vestro monasterio concesserunt, salvo nimirum redditu quem in eas habere consueverunt; nos vobis vestrisque successoribus sic habendas, et quiete ac sine calumnia possidendas sancimus, sicut a vestris prædecessoribus possessa sunt. Decernimus ergo ut C nulli omnino hominum liceat idem monasterium temere perturbare; aut hæc quæ supra scripta sunt vel alias ejus possessiones auferre, vel oblatas retinere, minuere, vel temerariis vexationibus fatigare; sed omnia integre serventur, eorum, pro quorum sustentatione concessa sunt, usibus omnimodis profutura. Si qua igitur in futurum ecclesiastica seu secularis quælibet persona, hanc nostræ constitutionis paginam sciens, contra eam temere venire tentaverit; potestatis honorisque sui dignitate careat, reamque se Divino judicio existere de perpetrata iniquitate cognoscat, et a sacratissimo Corpore et Sanguine Dei et Domini Redemptoris nostri Jesu Christi aliena fiat, atque in extremo examine districtæ ultioni subjaceat, nisi secundo tertiove commonitu præsumptionem suam digna satisfactione correxerit. Cunctis autem eidem loco justa servantibus, sit pax Domini nostri Jesu Christi, quatenus et hic fructum bonæ actionis percipiant, et apud districtum Judicem præmia æternæ pacis inveniant. Amen, Amen, Amen. Scriptum per manum Grisogoni Notarii sacri Palatii. Datum Laterani per manum Joannis sanctæ Romanæ Ecclesiæ Diaconi Cardinalis ac Bibliothecarii, nono Kalendas Maji, Indictione sexta, Incarnationis Dominicæ anno MCXIII, Pontificatus quoque Domini Paschalis secundi anno XIII.

eam cum aliis multis

confirmavit dicto monasterio,

D

AUCTORE D. P.

Indictione non 6, sed 7,

9 *Ordinatus est Paschalis* XXIV *Augusti anno* MXCIX: *proinde in Majo anni* MCXIV *adhuc in cursu erat* XIV *annus Pontificatus : verum numerari debeat* Indictio non sexta, *sed* septima : *quam ita etiam crediderim in originali sed numeraliter scriptam* VII, *quo casu facillime contingit transcribentibus originalia librariis ut littera una numeralis excidat : sicut de facto plus semel accidisse comperimus in nova Conciliorum editione, ubi in epistola* 68 *ejusdem Paschalis Papæ cum die* XII *Kal. Decembris anni* MC *componitur Indictio* VIII *præterita, loco* IX *jam inchoatæ ab* VIII *Kal. Octobris. Item in epistola* 69, *ubi exprimitur annus Incarnationis* MCVI, *loco* MVII : *in epistola* 88, *ubi omisso* X *scribitur Indictio* II *pro* XII ; *et in epistola* 95 *data* Kal. Decembr. *anno* MCVI, *notatur annus Pontificatus* sextus *loco* septimi : *qui est error jam supra indicatus. Econtra ex litteræ unius superfluæ additione vitium quandoque deprehenditur in aliis ejusdem Pontificis Epistolis, puta* 72, *ubi annus* XI *Pontificatus, loco* X; *et* 73, *ubi annus Christi* MCXIV *notatur loco* MCXV : *similiter in epistola* 84 *legitur Indictio* IX, *pro* X : *item in epistolis* 92 *et* 93, *est annus Pontificatus* VIII *pro* VII. *Atque hæc ideo monuerim, ut intelligatur non statim credendum ecgraphis; sed prius* E *quam propter solum aliquem hujusmodi errorem Bulla quæpiam in suspicionem falsi adducatur, recurrendum esse ad originale : in hoc autem si idem deprehendatur error, jam pene moraliter certa tenebitur fraus, eo quod in vero originali talis error vix potuerit obrepere.*

10 *Notatum præterea etiam hic volo usum signandi Incarnationis annum, et quidem juxta morem communem a Kalendis Januarii, huic Pontifici Paschali ejusdem decessori Urbano II, non quidem perpetuum fuisse, sed valde familiarem; cum quarta fere pars epistolarum, hactenus sub eorum nominibus repertarum, istum characterem temporis subscriptum habeat. Sed et Honorii II epistola* 7, *et Innocentii II epistola* 3, 9, 12, *ac* 31 *cum sequentibus sex Annum Incarnationis Dominicæ notant : et Lucii II epistola* 5 *ac* 6; *nec non Eugenii III* 9, 10, 66, 70, 71, 72 : *tum Anastasii IV epistola* 12; *Hadriani item IV Epistola* 30, 38, *et* 39; *Alexandri III epistola* 52, *et in Append. ejus tertia epistola* 20 *cum duabus sequentibus ; Urbani III quoque epistola* 5 *simili modo insignitur. Post hac usque ad Eugenium IV nullæ sic notatæ epistolæ apparent in corpore Conciliorum : sed in Regesto apud Waddingum reperire est varias, sub Gregorio IX ab anno* MCCXXXIV *successoribusque Pontificibus, ita signatas usque ad annum* MCCLIX : *post quem solenniores paucæ, eæque consistorialiter a pluribus Cardinalibus subscriptæ, atque a S. R. E. Vicecancellario in forma amplissima expeditæ, inveniuntur habere adscriptum annum Incarnationis in eodem Registro, Bullario Ordinis Eremitarum S. Augustini, Bullario Casinensi, Bibliotheca Cluniacensi et alibi. Sed et harum paucarum ultima est Clementis VI, subscribentibus quindecim Cardinalibus anno* MCCCXLIII. *Exhinc vero altum rursus ubique de anno Incarnationis Dominicæ silentium in bullis Pontificiis (iis saltem quæ vel in corpore Conciliorum vel in operibus prænominatis exstant) usque ad annum* MCCCCXXXI *et initium Eugenii IV, de quo in Propylæo antiquario parte* 1 *num.* 129 *docuimus, ex Paulina lib.* 3 *cap.* 6 *scripta circa annum* MD, *quod eo* præsidente, adhortante *vero* Blondo Foroliviensi, Pontificii Collegii a Secretis Notario, in Bullis atque Rescriptis Pontificalibus, annorum a Christi Incarnatione supputatio scribi primum cœpit; *scilicet semper et continue:* etsi ea *non solum* fuerit *in Cereis* Paschalibus annotata longioris temporis tractu; *sed etiam in Pontificiis Bullis rescriptisque inveniatur in corpore Conciliorum jam inde a tempore Joannis XIII et anno* DCCCCLXXI : *sed parum constanter, nec nisi rarissime in minus solennibus.*

et addito anno Incarnationis,

tunc in Curia usitato (sed inconstanter) per 2 secula;

F

ac per Eugenium 4 restituto,

11 *Ceterum, ut ad* S. Torpetis oppidum *revertatur oratio,*

A *oratio, per supra posita Instrumenta satis liquido apparet, appellationem istam, si non fuit Saracenorum dominatu in Provincia antiquior, haud multo post eorum expulsionem tempore fuisse introductam, atque inter prima restauratarum ibidem ecclesiarum principia seculo* XI, *extitisse eam, quam Pontius Episcopus Massiliensis,* cum toto quod habebat vel habere debebat in territorio et in terminis ejusdem S. Torpetis, *anno* MLVI *donavit monachis S. Victoris. Erant hi ordinis S. Benedicti; et hujus Pontii decessorem ac patruum nepoti cognominem, primo quidem monachum atque Abbatem, deinde Episcopum ac restauratorem habuerant; deinde vero ab ejus nepote prælaudato, non una possessione sunt aucti, ut est videre apud Sammarthanos in Episcopis Massiliensibus. Non erat autem illa* S. Torpetis Ecclesia, *neque tunc cum illis donata est, neque toto illo seculo adhuc* Parochialis, *sicuti constat ex Bulla Paschalis II. Parochias a Cellis accurate distinguente, et* cellam S. Torpetis *vocante; ex quo scilicet Sanvictoriani monachi, ducta eodem suorum colonia eam cœperant habitare sub tali titulo, qui respondet titulo hodierno* Prioratus. *Tum vero, accedentibus paulatim accolarum domiciliis auctus locus* (*uti olim plura similis* B *originis loca*) *et contra piratarum incursiones munitus, vocari cœpit a vulgo* Castrum S. Tropé *idemque nomen obtinuit prætensus eidem Portus, sicuti nos docuit P. Carolus Faber, auctorem allegans Petrum Louvetum in nova Historiæ Provincialis epitome tomo 2 cap. 14 num. 40, ubi dicitur* Ramundus Berengarius, Comes et Marchio Provinciæ, Faventiæ (*qui est locus Forojuliensi civitati vicinus*) anno MCCXX, XV Martii, in ecclesia Dominæ nostræ de Cypro donasse ecclesiæ Dominæ notræ Forojulii, atque Bertrando Episcopo, et Raimundo Præposito Forojuliensibus ipsum Portum, definiendo donationem a Portu S. Torpetis usque Antipolim, *qui tractus per* XL M. P. *et amplius in Orientem protenditur : adeo ut non dubitem quin saltem circa initium seculi* XII, Parochiæ *titulus in titulum simplicis* Cellæ *successerit. Suspicor etiam tunc factum esse, ut sinus veteribus dictus* Sambracitanus *vocari cœperit* Rivus S. Torpetis : *etsi prætensa Comitis Gulielmi I donatio nomen istud faciat longe antiquius videri.*

Auctore D. P. Ecclesiæ Sancti, in monasteriolum conversæ, adjunctum Castrum cum Portu cognomine et Parochia:

12 *Sed tempore, quod evertit et mutat omnia, procedente, desolatus usque adeo locus est, ut prælaudatus P. Carolus dicat, anno* MCCCCLXX *nihil ibi fuisse reliquum præter unicam turrim; cum interim* Castrum de Grimaut, *ad intimum ipsius sinus anfractum* (Athenopolim *veterum fuisse volunt aliqui*) *florentissimum esset,* C *et jam inde ab anno* MCCXLIV *Baronatus titulo gloriaretur sub Renato Rege, quemadmodum testatur Honoratus Bouche, fol. 259. Itaque nihil mirum est, si abolito nomini* S. Torpetis, *quo antea sinus vocabatur, cœperit idem dici* Golfus, *id est,* Sinus Grimaldicus, *durante etiam nunc usu, quando Marchionatus titulo sub annum* MDCXX *ornavit locum Rex Ludovicus XIII. Cum tamen anno jam dicto* MCCCCLXX, *Joannes de Cossa, qui se* Baronem de Grimaut *appellabat, Renati Regis in Provincia Locumtenens generalis, Raphaeli de Garassio cessisset in feudum* S. Torpetis *ditionem; novus hic Dominus in locum plane desolatum traduxit ex ora Ligustica familias sexaginta; a quibus conditum est id quod nunc appellant* S. Torpetis oppidum, *cum nova ejusdem Sancti parochiali ecclesia; quam a quinque Presbyteris sub Priori Regulari Benedictino administrari docet Honoratus Bouche : remanentibus interim extra oppidum versus mare vestigiis ecclesiæ veteris, ad quæ progredi novos Priores, possessionem inituros, moris antiqui esse, docuit nos idem qui alia jam relata, P. Carolus Faber; addens id etiam nunc observari, postquam Patres Cappucini, anno* MDCXVII *illuc inducti, novam minoris spatii ecclesiam intra eadem rudera ædificarunt.*

quæ omnia destructa olim, reparari cœperunt anno 1470.

D

§ III. De cultu et prætensa inventione corporis apud Lusitanos.

Quidquid paragraphis duobus præmissis deductum a nobis est, aliud fundamentum non habet, quam quod sancti Martyris corpus eodem delatum olim fuisse Angelo (*ut in Actis dictum*) *gubernante, tam certa traditione tenere se putent inquilini Provinciales; ut cum Patribus quos dixi Cappucinis tradendus esset veteris ecclesiæ situs, conditionem voluerint addi qua caveretur,* quod si processu temporis contingeret ibi reperiri corpus S. Torpetis, sub tyrannide Saracenorum amissum, transferri debeat ad novam Parochiam, et in jus Priorum ejus redire. *Quin etiam nuperrime perscriptum ad me est,* Cappucinorum San-Torpeensium unum in familiari colloquio sibi sivisse elabi, quod Fratres sui fortassis haud difficulter thesaurum tam cupide expetitum reperturi essent, si Parochiæ Priores renuntiarent conditioni adjectæ contractui, vel ejus dimidiam partem inventoribus relinquendam pollicerentur. *Non existimo tam segnes futuros San-Torpeenses, ut huic qualiscumque spei principio indormiscant : sed omnino confido eos libenter de summo* E *jure remissuros aliquid, ut id quod præcipuum est obtineant, persuadeantque contra Lusitanos : qui locum* Sines *dictum in Eborensi diœcesi obtinent, et ex simili, ut aiunt, traditione sustinent, istud corpus non solum nunc apud se esse, sed fuisse ab initio sub Imperio Neronis. Huic Traditioni insistentes Patres Societatis nostræ, qui Romanum Martyrologium, jussu Gregorii XIII reformatum, in linguam Lusitanam transtulerunt, eique anno* MDXCI *præfixerunt Proprium Lusitanorum Sanctorum Martyrologium; narrata breviter Passionis historia, eidem addunt historiam translati statim a morte corporis in locum istum,* ubi (*illo ipso, quo ista imprimebantur, anno*) *mandante Xysto V ut veritas investigaretur, et rem curante D. Theodonio Eborensi Archiepiscopo,* inventa sint aliqua indicia veteris tum ecclesiæ, tum sepulturæ, ipsorum sacrorum ossium.

Gallis corpus apud se primo sepultum credentibus contradixerunt Lusitani,

14 *Talia cum etiam in Hispanico Tamayi Martyrologio legerem, et ex suppositis Dextero ac Juliano figmentis operose confirmari viderem; pro justo quo hæc abominer affectu, et ipsorum Actorum cognita fabulositate; parum aberat quin ista quoque indicia, quibus in cognitionem aliquam ecclesiæ, sepulturæ, atque ossium* S. Torpetis *venisse Lusitani dicebantur,* F *omnino contemnenda judicarem. Cavi tamen ne præjudiciis, quantumvis in speciem justis, gravarem causam. Considerans etenim quod de ea quæ facta prætendebatur inventione haberetur testimonium omnibus Pseudo-dextrinis figmentis antiquius, nostrorum scilicet Eborensium, Patrum, qui Lusitanum Martyrologium aliquot annis citius ediderant quam ista spargere in lucem cœpisset omnium figulus Roman de Higuera; ex omnium, etiam antiquissimorum MSS. consensu convictus Actorum auctorem, ridicule id quidem, sed asseruisse tamen de* Celerina *sacri corporis curatrice, quod* medietati Hispaniæ imperavit; *cogitavi fieri potuisse, ut Pisanorum vetus traditio, quæ tempus ac locum martyrii a S. Torpete tolerati definituro præluxerat, eidem etiam præluxerit quoad regionem ad quam corpus appulerit. Suspendi ergo judicium, donec præterita cum præsentibus contulissem ac denique judicavi, ex his ista accipere probabilitatis momentum non omnino nullum : quodque Provincialium traditioni, quamvis præjudiciis validissimis firmatæ, si non prævalere, saltem eatenus possit resistere, quoad novo argumento certior evidentiorque illa fiat, ad deturbandos ea quam prætendunt possessione Lusitanos. Nationali affectui aliquid concedere minime sibi pudendum Tamayus censet hoc loco; asserens* glcriosum esse pro patria pugnare. *Sed hoc, in historico,* uti culpa liberare non possum, *inquit R. P. Antonius*

etiam antequam Dextri chronicon etc. fingerentur:

A *P. Antonius Pagy, Minorum Conventualium Provincialis per Gallo-Provinciam*, sic et non possum non laudare Paternitatem tuam colendissimam ac doctissimum ejus Magistrum, qui uni veritati insistentes, ab omni affectu humano alieni estis: ut quisque, quem alia jam ante non occupaverit opinio, in vestris operibus, quæ millies volutavi, perlegendis mecum fatebitur. *Fretus ergo hujusmodi judiciis, de mea sinceritate formatis apud Provinciales amicos, quibus alias veritate salva quodvis obsequium debere profiteor, sine fuco referam quid pro se allegent Lusitani. Ac primo de præmemorata inventione* S. Torpetis, *ex Lusitano Latinam faciam epistolam, a P. Bernardo Sobrinho, Priore de Sines datam* XVIII *Martii* MDCXL *ad P. Fr. Michaelem Ferreiram Carmelitam.*

iidem exhibent epistolam ex Sines

15 Quod habetur per informationes personarum grandævarum et fide dignarum hujus oppidi de Sines, circa sanctum Martyrem Torpetem, est; quod Xystus Papa V mandavit D. Theotonio Archiepiscopo, anno MDXCI, ut omnem adhiberet diligentiam pro inveniendo ejus sancto corpore. Hoc autem inventum est per informationem senum aliquot bubulcorum, consuetorum boves suas æstivo tempore B invenire sub umbra cujusdam densi luci, qui tunc erat in ripa fluminis Junquieræ, istic se immergentis in mare: ubi sanctum illud corpus deposuerat nobilis quædam Christiana, postquam ei divinitus revelatum erat ut ipsum sepeliret. Ipsa vero ei honorabile sepulcrum condidit ex grandibus lapidibus, qui nunc ad hanc matricem allati sunt, sub quibus inventum est, sed sine capite. Mihi autem dixit Alexander Masseu Neapolitanus, Ingeniarius regni Algarbiæ, quod ipsum caput viderit Pisis civitate Tusciæ, ubi hic Christi miles fuit decapitatus ex mandato Neronis. Corpus illud generalis Vicarius de Beia posuit intra arcam trium clavium; et alias duas arcas impleri jussit terra de sepulcro sumpta: quas tres arcas hic cum magna veneratione servamus. Consuetudo autem mihi est, de hac terra præbere febricitantibus dum eam a me ut Reliquias petunt, quam illi vel ad pectus portantes vel aqua maceratam bibentes miraculosam solent referre sanitatem. Inventa sunt in eadem sepultura, grandis lampas, ex argilla formata; et lapis, in quo scriptas litteras nemo poterat legere: circumcirca vero ossa varia, quæ judicamus esse personarum, quæ se istic sepeliri mandarunt ex devotione erga Sanctum; qui, secundum traditionem seniorum, huc advenit C miraculose in quadam vetusta navicula, sine velis ac remis, cum gallinaceo et cane. Testes prædictorum omnium sunt P. Franciscus de Valladeres, Frater nostri Ordinis S. Jacobi, qui dicit ita se audivisse ex Petro Aires patre suo: et hunc, cum esset Judex ordinarius hujus oppidi, operam suam navasse prædicto Vicario generali in requirendo, et manum commodasse in aperiendo sepulcro. Manuel Pereira fere nonagenarius, qui omnibus et singulis præsens interfuit. Alfonsus Pirez Coresma, et Manuel Ferdinandus Fogaza, homines grandævi ac principales inter inquilinos, qui erant tunc in istorum comitatu. Atque ita omnes habemus ipsum pro Sancto, in ea forma quam permittit sancta Mater Ecclesia, ad quam ejusmodi rerum definitio pertinet: et ideo de illo non celebramus Officium, donec ipsa id faciendum declaraverit. Igitur vestra Paternitas bene impensum existimet laborem pro honore tam magni Sancti, supposito quod per eum sibi acquisiverit in cœlo Patronum specialem: cujus personam ad multos annos Deus conservet. Ex Sines XVIII Martii MDCXL. Fr. Bernardus Sobrinho.

qua dicitur corpus an. 1591 quæsitum

et in novam arcam translatum esse,

coram Testibus, an. 1640 rursum auditis.

16 *Præmiserat Cardosus,* Sines *esse* oppidum Maritimum in diœcesi Eborensi, haud procul a S. Jacobo de Cassem, in extremo termino Campi Ouriquensis, situm in littore quod a Troja usque ad Caput S. Vincentii porrigitur, ubi nonnihil in Oceanum extenditur terra, eique infert fluvios tres, Regalvum, Borboleganeum et Junquieram; munitum vero duobus propugnaculis et bellicis tormentis instructum; nec non navali statiuncula, intra quam se recipiunt piscatoriæ scaphæ, ad sustentationem trecentorum circiter incolarum, nauticam profitentium: quin et sapido vino et optima vervecina abundat, nec non feris volucribusque ad venatum, a quibus vicini fluvii lacusque frequentantur. *Addit deinde,* vulgo narrari, quod cum incolarum aliqui, translationi reliquiarum jam dictarum præsentes, earum particulas nonnullas furtim sublegissent, et secum domum qui que suam abstulissent; iisdem subito evanescentibus, seque sancto corpori (unde fuerant sumptæ) restituentibus, privati fuerint. *Denique miratur,* quid causæ habuerit Ecclesia Eborensis, cur, tam insignis Martyris reliquias possidens intra sibi subditam diœcesim, desierit de eo Officium recitare; cum tamen ejus festum hoc XVII die Maji inscriptum fuerit veteri istius Archiepiscopatus Breviario, quod anno MDXLVIII curavit de novo imprimendum.

Loci situs.

D AUCTORE D. P.

17 *Habemus nos Breviarium isto anno impressum* E Olisipone apud Ludovicum Rotorogium, *cujus elogio ad calcem additur, quod sit* denuo emendatum, correctum, immutatum, ac longe jam ordinatius elegantiusque factum, jussu et auctoritate Reverendissimi in Christo Patris Illustrissimique Principis ac Domini D. Henrici S. R. E. Cardinalis tit Sanctorum quatuor Coronatorum, Portugalliæ Infantis ac primi Eborensis ecclesiæ Archiepiscopi: *et in hujus Breviarii Kalendario, quod omni fere die festum aliquod aut Sanctum unum pluresve proponit, invenio nomen* Torpetis Martyris. *Exinde autem consequens esse, quod de eo fieri debeat* testum simplex, sub novem lectionibus, *æque ac Solennia Dupliciaque minora et majora* celebrandum, *ut habet Rubrica de festorum quadruplici differentia* (*de quo quia in proprio loco non invenitur sumenda fuerint omnia ex Communi*) *colligi potest ex Rubrica quæ dicit,* Secundum usum Eborensis Ecclesiæ numquam fit de feria, nisi in Adventu, in die Cinerum, in Quadragesima, et in tempore Resurrectionis, *idque paucis dumtaxat et determinatis diebus per hebdomades tunc occurrentes, ibidem sigillatim notatis. Hic autem usus, tam diversus a communi, totus desiit, recepto per omnem Lusitaniam usu* F *Breviarii Romani, editi jussu Pii Papæ V anno* MDLXVIII, *ac deinde Clementis Papæ VIII anno* MDCII *recogniti: neque toto mense Majo ex quatuordecim simplicibus festis, quibus feriæ in Romano Breviario vacantes antea implebantur, retentum est vel unicum; nequidem SS. Torquati et Sociorum Episcoporum, totius Hispaniæ Apostolorum, pro die* XV; *sicut apparet ex Kalendario Sanctorum aliquot Lusitanorum pro Officiis eorum apud Bracarenses, Olisiponenses, Eborenses et Conimbricenses, quod habemus Olisipone impressum an.* 1617, *et subjunctum Ordini recitandi Officii divini ac Missas celebrandi, juxta ritum Breviarii Missalisque Romani pro anno isto. Nihil ergo mirum est, quod abrogatum sit festum* S. Torpetis *in eo Regno, ubi nulla sub ejus nomine ecclesia erat, de corpore autem ubi esset ignorabatur. Et repertum quidem postea illud esse creditum fuit indiciis præmemoratis; ita tamen ut expectanda censeretur Romanæ Sedis definitio sive permissio.*

Cultus in veteri Breviario Eborensi an 1548,

abrogatus post assumptionem Romani Breviarii

18 *Aliquid ulterioris notitiæ requirenti deinde mihi, sub publica Emanuelis Moteirgo Notarii Apostolici fide, ex ipso oppido Sines, instrumentum hoc venit:* Licentiatus Laurentius Pyresius Leytao, Frater Professus Ordinis Militaris D. Jacobi, et Prior in ecclesia majori oppidi Sines, fidem facio, in hoc oppido religiose coli Reliquias corpusque Martyris S. Torpetis, quod fuit

AUCTORE D. P.

A fuit inventum maris in littore, juxta ostium Junqueiræ; translatumque a prædicto loco in ecclesiam majorem ipsiusmet oppidi Sines. Et secundum notitias veteremque traditionem, ex verissimis informationibus, fama constat prædicti Martyris corpus eo loci inventum fuisse, in sepulcro marmoreo inclusum; juxta quod, cum prædicti Martyris corpus quæreretur, aliqua etiam defunctorum corporum ossa reperta sunt, donec prædictum sepulcrum inventum est; ac reseratum, prædicti Martyris esse patuit. Nam in prædicto sepulcro fictile erat candelabrum, et aliqua tunc prodigia et signa edita fuerunt, ut clarius ipsius Martyris sanctimonia innotesceret. Cujus Corpus (uti dicere institueram) cum duabus simul capsis, plenis terræ ex eodem tumulo effossæ, translatum fuit in hoc oppidum, decentique loco collocatum in ecclesia majori : quo etiam sepulcri marmora advecta sunt, quæ ipsemet oculis vidi. Et postquam Prioratus mei regimen inivi in hoc oppido, ea transtuli, in aræ maximæ ecclesiæ majoris, ubi modo asservantur, opus ampliandum. Et fidem facio, prædictis lapidibus nullum inesse lemma, et ita in verbo Sacerdotis juro : nec unquam

Marmora veteris sepulcri ad ornatum altaris translata :

B constitit, aut memoria fuit alicujus reperti lemmatis aut inscriptionis in prædicto sepulcro. Item fidem facio, notum esse in hoc oppido oppidanorum pietatem in eadem ecclesia majori sacellum construere voluisse, ut ibi religiosius a fidelibus prædictæ colerentur Reliquiæ; destinato etiam ad id loco juxta sacratiorem ecclesiæ partem (Cruzeyro vulgo dicimus Lusitani) ubi deforis erat cœmeterium, quo defunctorum ossa conduntur ; quamvis ea res ad exitum tunc non pervenit.

19 Ego abhinc unum supra viginti annos, cum Prioris hujus ecclesiæ munus adimplere cœpi in hoc oppido, institui ut Majoris hebdomadæ Feria sexta solennis supplicatio ageretur; quæ fieri solet juxta undecimam Diei horam : et primo anno, quo solennis supplicatio fieri occepit, cum per prædictum ecclesiæ locum, ubi erat cœmeterium, transiret supplicatio; ab omnibus, qui illam comitabantur, ingens vis candidorum papilionum e Martyris tumulo vita est prodire : quæ volatu suo supra umbellam, qua Dominica tegebatur effigies, nobis speciem præbuit, et eamdem comitata effigiem, ubi solennis pompa absoluta est, evanuit. Quod prodigium omnibus, qui aderant admirationi fuit : et per sequentes etiam annos eodem modo prodire visum est, non sine ad-

annua supplicatio instituta,

C stantium stupore : donec in eodem loco abhinc quatuor annis erectum fuit sacellum, cœmeterio incumbens, et prædicto Divo Martyri dicatum. Unde etiam nunc singulis annis eodem prorsus die papilionum prodigium (de quo supra memoravi) prodire solet ; solennemque supplicationem, juxtaque Dominicam effigiem adsociate. Quæ omnia ita se habere in verbo Sacerdotis juro : in cujus rei fidem has litteras dedi, et hic subscribere volui. In Oppido Sines, die decima quarta Junii, anni millesimi sexcentesimi octogesimi primi. Prior Laurentius Pyresius Leytao.

cum miraculo papilionum e sepulcro advolantium.

20 *Ita ille, tam distincte soliciteque indicans, in sepulcralibus marmoribus nullum videri aut visum unquam fuisse lemma sive titulum, quia per interpositos amicos instabam, ut mitteretur mihi accurata delineatio earum litterarum, quas visas esse in lapide intra sepulcrum reperto Bernardus Sobrinho scripsit : nam eum lapidem, una cum argillaceo candelabro de quo supra, præsumebam vel una cum ossibus servari in arca, vel seorsim haberi in sacrario. Verum Laurentius Pyresius, mentem meam neutiquam assecutus, non illum lapidem inibi requisivit, sed alios de quibus non erat quæstio curavit inspiciendos; eoque fefellit, quam animo conceperam, et necdum plane deposui spem sensum asse-*

Lapis repertus intra arcam,

quendi, earumdem litterarum, ari insculpendarum et eruditorum oculis exponendarum, eoque medio certius aliquid statuendi de prædictis Reliquiis, sintne revera S. Torpetis, *an non. Interim, cum eæ litteræ fuerint tales, ut legi nequierint ad hominibus minime idiotis ac rudibus, quos verosimile est aut interfuisse inventioni aut postea esse consultos; clarum fit, eas non fuisse Latinas. Ægre etiam præsumere possum fuisse Arabicas, quales Mauris Hispaniæ occupatoribus post annum* DCCX *fuerunt in usu. Hi enim ornandorum corporum sanctorum curam nullam habuerunt, utpote Mahometani; neque ita ab Hispania pulsi sunt omnes, ut non frequentes in Lusitaniam veniant, saltem negotiorum causa, qui ad eas interpretandas vocari potuissent. Restaret ergo ut sub Suevorum Gothorumve in Lusitania dominatu eæ litteræ scriptæ sculptæve credantur, si vere, ut prætenditur, antiquissimæ eoque illegibiles sint. Regnarunt autem Suevi in Gallecia primum, ubi ad Christi fidem relicta gentilitate cœpti traduci, circa annum Christi* CCCCXLVIII. *Iidem haud multis post annis in Lusitaniam populabundi procurrerunt, et hac denique occupata, protracti sunt in Arianam perfidiam, post annum* CCCCLX ; *donec sub Theodomaro Rege, circa an.* DLVIII, *rursum facti Catholici, haud totis* XL *annis post venere sub potestatem Leovigildi Ariani : fidem tamen haud ægre tenuerunt, mortuo sub annum* DLXVIII *Leovigildo, et succedente Reccaredo ac reliquis ex ordine regibus Catholicis, usque ad Witizam et Rudericum : ob quorum sceleratos mores Hispania fere universa barbaris Mauris cessit in prædam, everso funditus Regno Gothorum, sub annum* DCCXIII. *Hinc porro consequens fore videtur, quod, si vere* S. Torpetis *corpus statim a morte devectum in Lusitaniæ oram est, ibique tumulatum a Christianis; ipsum apud eos celebrem adhuc cultum habuerit, cum seculo forsitan æræ Christianæ quinto Pisis scriberentur ejus antiquissima, licet fabulosa acta. Eæ iisdem principiis non absurde diceretur, idem sanctum corpus, in novam augustioremque ecclesiam, ab aliquo Suevici sanguinis Principe erectam seculo* VI *aut* VII *(eo loco ubi seculo superiori repertum est) translatum esse.* D

non Latinis aut Arabicis,

sed Suevicis aut Gothicis litteris inscriptus, E

probaret corpus ibi positum esse sec. 6 vel 7.

21 *Habes hic, Lector, etiam ex parte Lusitanorum, ni fallor, omnia quæ aliquam eorum prætensioni verosimilitudinem possunt conferre : sed sicut in Provincialium documentis recipiendis non dissimulavi quid minus certum videretur ; ita neque debeo reticere, difficultates nonnullas quæ faciunt ut nequeam in favorem Portugalliæ quidpiam certo definire. Movet me in primis, quod ad hanc partem sustinendam credere necesse sit,* F Portum Sinos *in Lusitania fuisse locum antiquitus famosum ac nominatum, tantæque celebritatis, ut etiam exteris, apud quos Acta qualiacumque primum conscripta opinamur, fuerit nominatissimus. Interim neque Ptolomæo, neque Plinio, neque veterum Geographorum ulli nota est, ejusmodi nomenclatura : sed nec aliqua medii ævi historia ejus meminit. Fortassis autem locus a Saracenis nomen ex lingua eorum accepit, quemadmodum pleraque Hispaniæ loca, ignota olim et ignobilia, post destructionem vero antiquarum urbium atque vicorum a Mauris factam, habitari sub eorum imperio cœpta ac nominari. Nunc autem non* Sinos *sed* Sines *pronuntiatur, itaque in Actis a se compilatis scripsit Tamayus, contra quam legerat in Equilino et Mombritio, quorum nomina prætendit in titulo. Quod cum ita sit, ægre poterit redargui qui diceret, illam Lusitanorum persuasionem de tumulo apud* Sines, *obscura pridem fama et absque nomine contenti intus corporis cognito, tandemque retecto, quasi is esset* S. Torpetis, *non esse multo antiquiorem uno vel sesqui seculo; nec aliud habere fundamentum, quam fortuitam nominis vetusti* Sinus, *et novi* Sines *congruentiam, additam ad vulgo notiorem significationem nominis* Hispaniæ : *quam qui nesciebant in citeriorem sive Cispyrenæam, et*

sed hæc difficile creditu facit novitas nominis Sines,

A et Ulteriorem *sive Transpyrenæam sub Imperio Gothico divisam fuisse, putaverint se æque certo tenere nomen sepulti, atque tenere credebant regionem et locum sepulturæ, ipsumque sepulcrum et in eodem contenta ossa: quæ fuerint forsitan alicujus vere Sancti, nunc Anonymi: et ut non essent, potuit tamen bona fides* S. Torpetem *in illis venerantium, gratias nonnullas divinitus impetrare, quales auctor epistolæ indicat.*

et obscuritas antiqui ibidem cultus,

22 *Alterum nec priori leviorem scrupulum ingerit obscuritas et ignoratio* S. Torpetis *in tota Lusitania usque ad ultimo elapsum seculum; cum interim ab ora Ligustica usque Massiliam idem a tempore immemorabili et templa et celeberrimum cultum habuerit, tamquam Patronus navigantium, qualem Acta faciunt. Nam Genuæ extat pervetusta ecclesia Collegiata sub ejus nomine, quam intelligo non ita pridem instauratam amplificatamque fuisse, et Nicæensis in Provincia civitatis Historicus Petrus Joffredus ad annum* MCLIX *proponit instrumentum solennis divisionis bonorum inter Canonicos et Episcopum, ubi inter alia adjudicatur Canonicis* Ecclesia S. Torpetis cum honore suo: *et in vicina Antipoli ejusdem nomen retineri scribit nobis Anthelmius: atque ut de ipso S. Torpetis oppido nihil dicam, etiam Massiliæ habetur antiquum ejusdem,* B *atque solennissimum Officium, ad monasterii Sanvictorini impressum. Quod autem in Eborensi Breviario vetusto supra indicatur, neque proprias de historia Lectiones habet, nec nisi simplicissimo ritu faciendum præscribitur, æque ac plurimi alii in ejusdem Breviarii Kalendario notati Sancti, nihil commune habentes cum Lusitania, et ad hoc tantum assumpti ut nulli diei, quo facere de Sancto licet, deesset suus aliquis proprius; quales facile fuit accipere ex Legendariis, post ejectionem Saracenorum restaurari cœptis, juxta vetustiora exempla e Galliis petita.*

nec probat nomen Hispaniæ

23 *Tertio facillimum captu est, quomodo navicula, per Arni ostium mare ingressa, refluentibus versus Oceanum aquis maris Tyrrheni, citra grande miraculum, absque humano ductu, allapsa sit in Sinus Grimaldici portum aliquem: non item quomodo eadem navicula, totum Gallicum et Ibericum prætervecta littus, fretum petierit Gaditanum, ut Oceanum ingressa verso in Septemtrionem cursu deflecteret ad Lusitaniam. Quare si eo quo Acta scribebantur ævo,* Narbonensis Gallia *æque* Hispaniæ *nomine censebatur ac* Lusitania, *ut secundum hanc feratur sententia, oporteret habere documenta evidentiora et antiquiora multo quam habeat pars altera. Quod autem Hispaniæ appellatio eo* C *usque se extenderit, auctoritate evidenti claret. Nam Concilium Narbonense, Æra* DCXXVII, *id est anno Christi* DLXXXIX, *celebratum est per septem istius Provinciæ Episcopos,* secundum quod sancta Synodus, per ordinationem gloriosissimi Domini nostri Reccaredi Regis, in urbe Toletana definivit: *et inter Notas Garsiæ Loyasæ ad Concilia Hispaniæ fol.* 131, *ex codice Hispalensi Divi Laurentii, qui anno* DCCCLXII *scriptus est, ponitur* divisio Provinciarum Hispaniæ et earum Sedium, *interque eas secunda est* Provincia Galliæ, *cujus* Metropolis Narbona: *ac rursum fol.* 133 *in codice Ecclesiæ Ovetensis litteris Gothicis, dicitur in principio sic scriptum:* In nomine D. N. Jesu Christi incipit numerus Sedium Hispaniensium et uniuscujusque Provinciæ Sedes, suo Metropolitano subscriptæ, usque in Rhodanum amnem; *ultimaque nominatur* Narbona Metropolis, *et sub ea* Sedes novem.

seculo 6 ac 7 usque ad Rhodanum se extendens

Denique fol. 135 *ex libro MS. Ecclesiarum Toletanæ et Ovetensis, cujus titulus est Itacius, et in quo historia Regum Vandalorum et Alanorum in Gallæcia, et postea Suevorum, et demum Gothorum scribitur, proponitur* Divisio terminorum, diœcesium et parochiarum Hispaniæ, a Rege Wamba facta, *ubi similiter jubetur ut* Narbonæ Metropolitæ subjaceant Sedes *nominatim expressæ sex: initio autem sic legitur,* Æra DCCIV, *id est anno Christi* DCLXVI Wamba Rex Gothorum re- D gnum novem annos obtinuit... *et inter cetera quæ gloriose gessit, ibique enumerantur,* Provinciam quoque Galliæ, quæ Hispania citerior dicitur, sibi rebellantem, multis agminibus Francorum interceptis subjugavit. *Ecce* Hispaniæ *nomen, saltem usque ad Rhodanum productum. Quod si contra assumat aliquis, negetque* Galliam Narbonensem secundam, *ad alteram Rhodani ejusdem ripam, eadem appellatione posse comprehendi, responderet pro sua patria San-Tropeensis aliquis, Actorum auctorem non aliud voluisse, quam ingentem Celerinæ potentiam mendaciter extollere, quasi quæ cis Rhodanum tunc quidem habitaret, cum illuc sacrum corpus appulit; antea autem, puta marito vivente,* super medietatem Hispaniæ imperaverat, *trans Rhodanum, id est* super totam Hispaniam citeriorem; *non quidem Neronis tempore sic dictam, sed tempore quo scribebat. Citata ex Loyasæ compilatione loca omnia, eodem modo recusa inveniuntur in novissima Conciliorum editione, tom.* 5 *col.* 879 *et seqq.*

AUCTORE D. P.

§ IV. Caput S. Torpetis Pisis. Acta unde et ubi scripta?

In gradu Arnensi decollati caput,

E *Dicunt Acta num.* 8, *quod ministris S. Torpetem ducentibus navicula ad supplicium capitis sustinendum,* præceptum *in via est,* ut in Gradu ad mare decollaretur: et venerunt in Gradum Arnensem; exierunt ripam fluminis... et sic decollatus est. *Ab eo tempore, mutato fluviorum alveo, vehementer quoque mutatam oræ istius maritimæ faciem fuisse oportet; nisi oppidum quod Chorographica Dominii Florentini tabula, a Joanne Antonio Magino edita, indeque in Atlantem Blavianum translata, appellat* S. Pietro in gradi, *perperam supra fossam, quæ Liburnum ducit, collocatur, uno ut minimum ab Arno milliari. Sed in tam exiguo spatii discrimine, non usque adeo fidendum esse tabulis, experiendo didicimus. Satis est nomen invenisse hodiedum superstes ex tanta antiquitate: esset autem juxta istam descriptionem decollationis locus media inter Pisam et mare via; ubi ministri relinquentes Sancti caput,* invenerunt naviculam modicam foris... et miserunt in ea corpus Justi... et cum aqua decurrente dimiserunt. *De capite Martyris quid factum sit prorsus tacent Acta, sive quia prius scripta quam istud revelaretur; sive quia procul Pisis scripta, quo talis revelationis notitia non pervenerat. Itaque de sacra ista Reliquia jam aliud nihil constat nobis, quam quod ipsa seculo* XIII *servabatur et colebatur in loco, proximo isti quem diximus* F *appellari* S. Petri ad gradus, *quique secundum Razzium tertio ab urbe milliario dissitus mari imminet; et in chrorographica tabula præteritus nomen hodie obtinet a* S. Luxorio Martyre, *ac vulgo dicitur* San-Rossore. *Colitur hic* XXI *Augusti cum sociis Cesello et Camerino, Calari in Sardinia martyrium passus sub Diocletiano et Maximiano: cujus sacra lipsana huc esse devecta a Pisanis, cum eam ipsi insulam sub suo tenerent dominatu, aliter sentientibus aliis, aliorum est opinio, teste Ferrario. Tenuerunt autem Pisani insulam Saracenis ereptam ab anno* MXVI *usque ad* MCCCXXII, *quando inde sunt ab Aragoniis pulsi; ut potuerit S. Luxorii monasterium istud, ex barbarorum manubiis erectum, abolevisse primum loci nomen, quod forsan desumebatur* a S. Torpete, *ratione Capitis istic pridem asservati: sicut testatur relatio MS. quam ex Italico Latinam sic facio.*

servatumque in æde S. Luxorii,

25 Tempore Friderici Archiepiscopi (*sedit hic ab anno* MCCLIV *usque ad* MCCLXXVIII) cum neque pluvia neque ros caderet supra terram per longum tempus, nec illa fructus ullos produceret, quæsitum cœlitus remedium est, frequentibus processionibus ad sacra loca per civitatem et oppida suburbana ducendis. Quadam ergo die, cum supplicabundum populum eduxisset Præsul versus ostium Arni ad vicum. S. Luxorii,

A Luxorii, ubi antiquitus servabatur Caput S. Torpetis, accepit sacram istam Reliquiam, et ad mare progrediens, facta in littore oratione, ipsam aquis immersit; Deumque rogavit, ut per ejusdem Sancti merita sitientibus agris pluviam largiretur. Sub hæc vehementior fluctus allabens sanctum Caput de manu Antistitis rapuit: qui consternatus eo casu, flexit in terram genua, atque cum lacrymis precibusque supplicare cœpit Deum, ut pretiosum istum thesaurum sibi restitueret. Fuit orationis efficacia talis, ut mare, quod tulerat, continuo revexerit in manus Archiepiscopi. Tum vero populus universus hoc videns, cœpit laudare S. Torpetem, magisque ad ejus devotionem accendi, et aquam ab eo fidentius poscere. Tantam autem aquarum abundantiam subito divina providentia concessit, ut ægre reverti potuerint ad monasterium S. Luxorii; et Archiepiscopus cum familia necesse habuerit equis conscensis ad civitatem recurrere. Ex illo autem tempore ingens fuit Pisanorum erga S. Torpetem veneratio: et in hunc usque diem durat, non sine effectu salutari. Nam in monte, ubi decollatus est, scaturiens aqua, suavis et candida, multorum creditur miraculorum esse effe-B ctrix; atque imprimis puerperis mulieribus benefica, lac amissum restituere.

AUCTORE D. P. In remedium siccitatis defertur ad mare

et pluviam elicit:

26 *Hac autem devotione crescente, factum videtur, ut Pisani S. Torpetis ecclesiam veterem (si quam tamen antiquitus habuerunt) magnificentius instaurarint, vel novam condiderint a fundamentis,* ad portam Septemtrionalem qua Lucam itur; *et ubi* ædes S. Torpetis Martyris fuisse traditio est, *inquit Franciscus Lanovius in Chronico Minimorum ad annum* MDLXXXI *num.* 3: *quo scilicet anno, post novam Provinciarum sedecim divisionem,* primi suos fructus Tusci fecerunt, accepto Pisis domicilio, *ipso quem dixi loco, cujus et* possessionem iniere Julio exeunte; *ubi* etiamnum sancti Martyris Caput magna religione servatur, ejusque nomen retinet cœnobium, opus splendidum, firmum, et amplum, et Pisanis civibus accepto referendum. *Nulla quidem memoria extat de tempore translati Capitis ex veteri S. Luxorii cœnobio: si tamen Pisas recepti Minimi sacram aliquam D. Torpeti ædem ibi repererunt, ut est verosimile: vix possum dubitare, quin in ipsa dictum Caput invenerint, cum apud istos Religiosos nulla supersit memoria de illo in urbem posterius allato illisque tradito.* Accedit porro ut anno MDCXXX epidemica lues magnam hominum stragem tota passim Italia ederet. Post varias processiones institu-C tas, placuit Pisano Magistratui proferri Caput S. Torpetis: quod per urbis vicos ac plateas circumlatum, quacumque portabatur sanitatem hominibus, cœlo salubritatem retulit. *Ita Appendix ad prænotatam Vitam Italicam MS. cujus ex Latino transferendæ auctores fuisse Patres Minimos, qui etiam Appendicem istam adjecerint, ac denique postremum articulum de peste adjunxerint, omnino mihi est verosimile.*

ecclesia ei in urbe structa

traditur PP. Minimis, cum capite:

quo circumlato pestis sedatur.

27 *Ecgraphum utriusque accepimus Avenione, beneficio P. Balthasaris de Riez Capucini, quale is Pisis acceperat a sui Ordinis ibidem Guardiano. Simile ecgraphum jam ante acceperat Silvanus Razzius, et, tamquam vetustissimi inter Pisanos Sancti Passionem continens, operi suo Italico de Vitis Sanctorum Tusciæ primo loco verbotenus inseruit, omissa Appendice, edidique Florentiæ, ubi vivebat, anno* MDXCIII; *ac rursum anno* MDCXXII, *cum aliqua præfatiuncula, qua excusat, se prima quidem vice non sine scrupulo ea Vita usum, eo quod non meminisset uspiam se legisse, quod Nero umquam ab Urbe Romana discesserit* (*in quo sane sua eum valde fefellerat memoria, si Suetonium ac Tacitum legerat*) *scrupulum autem istum sibi minutum, postquam apud aliquos historicos invenit,* numquam carrucis minus mille fecisse iter, (*verba sunt Suetonii cap.* 30) *quasi hoc ipso satis probabile fieret etiam Pisas venisse Neronem: quod nobis non videtur. Annotationem deinde* D *subjungens;* Quamvis, *inquit*, hæc Vita fere ex toto similis sit ei, cujus ecgraphum ab Ecclesia Pisana Romam ante hac missum est Cæsari Cardinali Baronio, ipsam alleganti in Notis ad Romanum Martyrologium; et quamvis eadem sit similis aliquibus, quas vidi Pisis; ac nominatim simillima uni, mihi hoc anno MDXC quo scribo commodatæ ab adm. Rev. D. Raphaele Roncioni Canonico Pisano: apparet nihilominus, ab auctore istius ultimæ non acceptata fuisse omnia quæ alibi narrantur, quasi non satis fundata ac dubia: puta quod S. Torpes fuerit nobilissimus Pisanus, et a Nerone Eques creatus, aliaque hujusmodi: quæ tamen vera esse potuerunt. *Quin Pisanus esse potuerit* Torpes *et genere nobilis, nemo negabit; et utrumque perquam verosimile mihi esse videtur: sed illa Equitum creandorum ratio, quæ primum innotuit medio ævo sub Principibus Christianis, non potest ad tempora Neronis trahi, nisi per summam imperite fabulandi licentiam: a qua licet auctor Actorum non excusetur, antiquior tamen etiam ipse fuit, quam ut hoc potuerit somniasse.*

Ita MS. Appendix ad Vitam Italicam,

vetustioribus MSS similem:

28 *Interim si, sepositis tantisper Actis, quatenus fa-* E *bulosa esse convincuntur, verosimiliorem de* S. Torpete *narrationem velim conjectando texere; supponam, ipsam fabulam, quoad multas suas circumstantias, aliquod fundamentum habere in veritate. Atque ita dixerim, non alibi quidem quam Romæ esse a* S. Torpete *Neronem visum increpitumque; sed hoc tunc accidisse, cum Nero* a Palatio Esquilias usque domum fecit: quam primo Transitoriam, mox incendio absumptam restitutamque, Auream nominavit. De *domus hujus* spatio atque cultu *Suetonio* suffecit retulisse, *quod* vestibulum ejus fuit, in quo Colossus CXX pedum staret ipsius effigie: *quodque ejusdem fuerit* tanta laxitas, ut porticus triplices milliarias haberet; item stagnum, maris instar circumseptum ædificiis, ad urbium speciem: rura insuper, arvis atque vinetis et pascuis silvisque varia, cum multitudine omnis generis pecudum ac ferarum. In ceteris partibus, *inquit Suetonius,* cuncta auro lita, distincta gemmis, unionumque conchis erant... Ejusmodi domum cum dedicaret, hactenus comprobavit, ut se diceret quasi hominem tandem habitare cœpisse. *Non deerant qui tam insane prodigeque, imo damnose ædificanti dictis carminibusve illuderent, unde hoc quoque extitit:*

quibus sepositis, videtur Torpes

contradixisse Neroni, auream domum Romæ ædificanti,

Roma domus fiet, Vejos migrate, Quirites;
Si non et Vejos occupet illa domus.

Ad quæ ille quidem mire patiens, teste Suetonio cap. F 39, neque auctores requisivit; et quosdam per indicem delatos ad Senatum, affici graviori pœna prohibuit: *si tamen talia et in os dixisset quispiam, et vesana ejus molimina contempsisset, credemusne securum ab ejus ira agere debuisse? Quid autem, si idem ille etiam ostendisset displicere sibi crudelitatem, contra Christianos exerceri cœptam, occasione imputati eis falso incendii? Quid denique, si inaudisset nomen suum, ut Christiani, delatum? Hæc igitur vel seorsim singula, vel simul omnia, obscuro relatu vulgarique traditione servata de S. Torpete, fundamentum dare potuerunt Passioni qualem dedimus conscribendæ; ipsi autem Sancto, Romæ agenti ac jam fortassis Catechumeno, occasio fuisse fugiendi in Tusciam Pisas, patriam vero similiter suam; ubi percepto baptismo jam securior fortiorque, vel per sicarios Roma submissos interemptus sit, vel publico judicio damnatus a civitatis Præfecto Silvino, Satellici filio ac successore.*

et in Christianos sævienti,

ideoque fugisse Pisas.

29 *Quod ad alteram Legendæ ejusdem partem attinet, in qua agitur de transvectione corporis in aliam provinciam; ea ut similiter obscurata sit circumstantiis fabulosis, quatenus tamen* Hispaniam *nominat, neutri (ut jam vidimus) nationi, pro eo quo auctor vixisse potuit seculo, magnopere suffragatur; etsi Equilinus et Galesinius,*

Nomen Hispaniæ adsitne vel absit in MSS. nil refert,

A *nius, simpliciter* Hispaniam *scribentes (quando nomen illud desierat etiam de Narbonensi Gallia intelligi) Lusitanis favere videantur; utique errore potius quam consilio. Quapropter existimo superflua solicitudine angi eos, qui, ut hanc quoque ansam Hispanis eripiant, magnopere satagunt invenire exemplaria, in quibus ipsum* Hispaniæ *nomen librariis vel negligentibus exciderit, vel a sciolis sit de industria præteritum, aut etiam in nomen* Galliæ Narbonensis *conversum; cujus tamen conversionis hactenus exemplar nullum potuit reperiri. Ferrarius quidem in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XXIX *Aprilis sic notat* : Mombritius III kal. Maji S. Torpetem martyrio coronatum scribit, sed quædam parum verosimilia habet, maxime vero circa illius sepulturam, quam in ora Provinciæ Narbonensis Galliæ, ubi oppidum S. Torpetis extat, sancto Martyri fuisse datam, Acta illius in Codice Pergameno Ecclesiæ Pisanæ habent. *Sed parum hac Annotatione movemur, quia credimus Ferrarium Ticini in Lombardia scripsisse, et Catalogi materiam collegisse. Non suis ergo, sed alienis oculis vidit Codicem allegatum : scimus autem eum sæpe deceptum fuisse informationibus, vel parum veracibus vel perperam intellectis.*

nec curandum quid forte habuerit Pisanum MS.

B *Hoc vero etiam nunc ei accidisse, colligitur ex Razzio, qui Florentiæ proxima Pisis urbe scribens, et citra controversiam Pisana omnia MSS. propriis oculis scrutatus, satis indicat nihil tale se ibi reperisse, cum annotationem Legendæ S. Torpetis affixam sic concludit* : Non obstante quod in supradicta Legenda tam manuscripta quam relata in Sanctorum... dicatur, quod locus ad quem navicula appulit, sic in Hispania; certissimum tamen est, quod oppidum S. Torpetis (in quo creditur ejus corpus esse) sit in Provincia : *ubi nota*, Creditur, *dici non*, Legitur.

30 *Interim Pisanus ille Codex a variis, etiamque a nobis frustra requisitus, non invenitur, jactura, quoad præsens punctum (quantum ego quidem existimo) non magna. Neque enim quia Pisis passus est sanctus Martyr, consequens est ibi puriora fuisse Acta : nisi ibidem etiam composita primum fuisse credamus. Hoc vero nulla mihi videtur ratione verosimile, considerata fabulositate tanta, quantam eo loco tamque vicino Romæ conjici in chartam potuisse, vel recipi a quopiam, haud facile persuadebor. Quinimo quanto fortiora sunt præjudicia, quibus Provinciales sibi arrogant Sanctum, tanto magis propendeo ut censeam, somniculosam istam farraginem, invalescente barbarie, fuisse inter ipsos compositam ab aliquo, qui ex vulgi incertis traditionibus et proprii sui capitis inventis ipsam consarcinavit, in prima S. Torpetis ecclesia festo ejus die prælegendam. Ab hoc autem exemplo alii aliique per Galliam et Italiam sua transcripserint : unde factum sit, ut primi Galli Usuardus et Ado in suis Martyrologiis* S. Torpetis *meminerint. Et Ado quidem, expresse addens quod* Martyris festivitas et conventus civium agitur XVI Kalend. Junii, *posito quod in Provinciam corpus appulerit, non alios mihi* Cives *videbitur indicare, quam eos qui nunc ab ipso nomen habent. Ex eo quoque quod hujus festivitatis non meminerint Acta, suspicabor ea esse scripta, cum adhuc Sancti corpus jaceret in prima ecclesia, quæ ei erecta fuerat post persecutiones; hac autem postmodum ampliata, propter concursum navigantium suaque ibi vota solventium, et sacro corpore magnificentius collocato, novum festum, quod plurima MSS. Martyrologia appellant* Translationis, *prævaluerit veteri quo Passio colebatur festo, quemadmodum in aliis plurimis Sanctis contigit.* D E

AUCTORE D. P. Nec enim Pisis videntur composita Acta

nec festum Sancti pro hac die institutum.

DE SANCTA RESTITUTA

NOT. 4*° APP. TOM. VII MAJI

VIRGINE ET MARTYRE AFRA,

IN ÆNARIA INSULA PRIMUM SEPULTA,

G.H.

DEINDE NEAPOLIM TRANSLATA.

SUB DIOCLETIANO

C **T***ria potissimum loca celebria censentur, habitatione, sepultura, et translatione Reliquiarum* S. Restitutæ Virginis et Martyris. *Primus est* Provincia Africa, *in eaque* locus Ponizarius, *ubi nata illa Christi fidem professa est, sub judicio* Primarii, *seu Advocati,* illius Provinciæ, *utique* Proconsularis : *intra hanc enim requirendum locum prædictum probant Acta, dum pro ferenda mortis sententia faciunt jam dictum Primarium recurrere Carthaginem, Provinciæ caput, ad ejus Præfectum Ecclesium. Fuit in eadem Provincia urbs Episcopalis* Thinnissa, *quid ni et* Ponnissa *seu* Poniza *aliqua, unde loco nomen? et hic forte non longe a Carthagine fuit. Habuit hæc celeberrimum Episcopum eumdemque Martyrem S. Cyprianum : sed hujus discipulam fuisse* S. Restitutam *nullo modo crediderim, licet id dixerint David Romæus, illumque secuti Paulus Regius, Ferrarius, aliique: qui propterea volunt eam cum S. Cypriano, sub* Valeriano Imperatore *martyrio coronatam esse : cum Acta infra danda expresse designent* Diocletianum Imperatorem, *et tempus* S. Caii Pontificis *Romani. Carthagine tamen fuisse basilicam huic Martyri dicatam, asserere videtur Baronius, in suis Notationibus ad hunc* XVII *Maji, dum affirmat,* non solum Neapoli... sed et Carthagine in Africa, ubi passa est celebrem fuisse S. Restitutam : Etenim, inquit, ejus nomine censetur illa basilica, Restitutæ dicta, in qua nonnulla Concilia celebrata habentur. *Sed ipse Baronius, in post editis Annalibus ad an.* 397 *num.* 44, *priorem illam suam sententiam retractans, arbitratur Basilicam illam potius dictam* Restitutam, quod possessa diu a Donatistis fuerit restituta Catholicis. *Ast rursus, eam a Donatistis aliquando possessam fuisse negat Antonius Caracciolus in Monumentis sacris Ecclesiæ Neapolitanæ cap.* 15 *sec.* 3, *quem consule : atque ita an aliquem cultum* S. Restituta, *Carthagine habuerit, incertum nobis relinquitur.* F

In Prov. Africæ Proconsulari passa,

2 *Secundus locus*, S. Restitutæ sepultura *celebris, est insula Ænaria, nunc* Ischia *dicta. Ad hanc insulam* corpus S. Restitutæ *divino nutu est navigio delatum : in* locum qui dicitur Ad-ripas *ibidemque a Lucina matrona sepultum, in* loco qui dicitur Eraclius *sive* Eradius : *ubi dein in littore insulæ templum* S. Restitutæ, *quod etiamnum extat fuit constructum. Habuit ea insula Sedem Episcopalem seculo Christi undecimo erectam, et Ferdinandus Ughellus acturus de hujus Sedis Episcopis, inter alia sic præfatur :* Duo Sanctorum corpora habere se affirmant, S. Restitutæ et Olivæ vel Olivatæ. Sed de Restitutæ corpore erudite scribit Antonius Caracciolus in Monumentis sacris Ecclesiæ Neapolitanæ, sitne corpus ejus Neapoli nunc, an vero in hac Ænaria insula.

sepulta in ins. Ænaria

Concludit

A *Concludit autem dictus Auctor sect.* 5, probabile esse, ossicula aliquot B. Restitutæ istic haberi.

AUCTORE G. H.

Neapoli habet ecclesiam a Constantino structam:

3 *Tertius igitur locus, solennissimo cultu* S. Restitutæ *celeberrimus, est* Neapolis, *antiquis et infra in Actis* Parthenope *dicta. David Romæus in Vita S. Restitutæ, una cum Vitis septem urbis Neapolis Sanctorum Custodum et Præsidum, anno* MDLXXI *excusa, ita scribit*: Constantinus, cognomento Magnus, Romæ imperans, Bysantium reædificaturus, in Græciam proficiscens, Neapoli audiens res multas novas et inusitatas, quæ quotidie in sepulcro S. Restitutæ fiebant; ut ejus corpus sanctius religiosiusque coleretur, Neapolim transferendum curavit, et templum illi exædificavit, quod majores nostri Episcopium et Archiepiscopatum nuncuparunt. *Porro*, majorem sacrorum pignorum B. Restitutæ partem Neapoli in ejus Ecclesia nunc esse, imprimis, *ut ait jam laudatus Caracciolus*, persuadet basilica in vetustissimo templo, quod S. Restitutæ vocabulum obtinet, a Constantino Magno religiosissime exædificata... Beatæ igitur Restitutæ sacra lipsana Neapolitani nunc possident, inquit ille sermonem prosequens, sub altari ejus ædis olim condita: ut præter Officium B. Restitutæ, oculati etiam testes affirmant. Nam cum extremis superioris seculi annis, Alphonso Gesualdo Cardinale Neapolitanam Ecclesiam moderante, primaria templi S. Restitutæ ara, quæ parieti absidis contigua erat, ut citerius adduceretur, dimota loco fuisset; repertus est sub terram alte defossus loculus marmoreus, columellæ marmoreæ superpositus, ossibus et cineribus fere plenus: in quo et phyalæ aliquot sacri cruoris, qui, ob temporis longitudinem locique situm, in pulverem rubeum jam transierat. Omnium autem, quotquot illic adfuerunt judicio, existimatum est, loculo illo marmoreo, tum quia sub ara maxima templi Restitutæ repertus est; tum etiam, quia servatus ampulla cruor martyrium indicabat, beatæ Virginis et Martyris Restitutæ sacra pignora contineri. Quamvis autem, corrosis ob vetustatem notis, lapis ille, quondam litteratus, nihil de ea re nobis testificari nunc possit; adsunt tamen in antiquo Officio S. Restitutæ versiculi aliquot rythmici, qui sacrum ejus corpus Neapoli jacere non obscure significant. *Ecce hi sunt.*

ibi sub altari ejus Reliquiæ,

B

ante annum 1610 repertæ.

Transit rates divino miraculo,
Nullo duce vel gubernaculo,
Præbens iter sacro corpusculo,
Ut quiescat proviso loculo.

C

Jam Lucinæ thesaurus creditur,
Cujus manu digne reconditur:
Inde nobis colendus traditur,
Quo festivus hic dies agitur.

Volaterranus, lib. 6 *Geographiæ agens de Campania, inter Sacra Corpora, quæ Neapoli esse scribit, annumerat* corpus S. Restitutæ Virginis et Martyris, cui dicata Basilica. *Quod ipsum asserunt Ughellus, in Præfatione ad Archiepiscopos Neapolitanos; Cæsar Eugenius Caracciolus, in Neapoli sacra pag.* 15; *Baronius, in Notis ad hunc* XVII *Maji, et passim alii.* B. Restitutæ *capillos plures esse in Ecclesia Montis Virginis, scribit Costus in Historia ejus monasterii, in Indiculo Reliquiarum. Solebat etiam olim invocari in Litaniis antiquissimis Beneventanæ Ecclesiæ. Agunt de ea vetera Kalendaria Neapolitanæ Ecclesiæ, et Martyrologium Patricianum apud eumdem Antonium Caracciolum.*

Leprosus in Sicilia sanatus.

4 *Octavius Cajetanus in Martyrologio Siculo,* Panormi, *inquit*, in cœnobio Virginum S. Claræ, celebritas Imaginis S. Restitutæ, *ob mirabile miraculum a* S. Restituta *editum, et ab eodem Cajetano, tomo* 2 *de Vitis Sanctorum Siculorum, his verbis narratum.* Anno Christi Domini MCCCLXXXII, Panormi vir quidam leprosus fuit, nomine Nicolaus Citharista: quem Magistratus urbis in ædem S. Joannis, quod publicum Panormitanæ Civitatis hospitium est leprosorum, haud longe ab urbe, amandare statuerant. Id ubi audivit Nicolaus, invocare D. Restitutam cum lacrymis cœpit, ut ex eo morbo sanum faceret. Cui B. Restituta de nocte apparens, Nicolae, dixit, noli mœrere: exurge, Archiepiscopum et Canonicos adi, meoque nomine eis defer, ut imaginem meam, quæ in æde maxima est sub altare S. Pauli, in cœnobium D. Claræ, quo par est honore, deportent. Hic Nicolaus ad B. Restitutam, Quodnam Archiepiscopo et Canonicis signum dabo, id imperatum esse a te? Hoc, illa intulit, dabis, quod hesterno die, a Magistratibus deliberatum de te est, ut ad S. Joannis ædem leprosorum amandent; haud tamen id fiet: enimvero jam sanus ex lepra factus es. Exurgit Nicolaus, ac persanatum se videt, infestoque ac deformi malo ereptum, perinde acsi corpus ejus numquam deformatum ex eo fuisset. Igitur summo mane, Archiepiscopo ac Magistratibus jussa a D. Restituta denuntiat: visi testem semet exhibet, et in miraculi fidem sanum ostendit. Quo miraculo permoti Archiepiscopus urbisque Magistratus, imaginem S. Restitutæ, ab æde maxima desumptam, solenni cum supplicatione ad monasterium B. Claræ transtulerunt: in quo anniversaria hujus miraculi, et D. Restitutæ memoria, ad XVI Kal. Junias celebratur.

D

E

Acta ex MSS.

5 *Acta* S. Restitutæ *damus, nobis Neapoli transmissa ab Antonio Beatillo Societatis Jesu Sacerdote, et ex collectione laudati Antonii Caraccioli Neapoli descripta, quæ prænotabantur eruta ex* MSS. codicibus Massarellensi et Taurenæ. *Idem autem Caracciolus ad Vitam S. Restitutæ citat plurimas lineas ex illis descriptas, asseritque ea a se ad tres codices MSS. collata. Sunt ea graviter satis, nec ineleganter scripta; sic tamen ut appareat, longas illas inter Martyrem ac Judicem dissertationes, et quas ipsa ad Deum fudisse dicitur preces, ab ingenio auctoris rhetorico fuisse adornatas, quales tali occasione ac tempore credidit convenire. Utinam autem simili libertate non sint explicata cruciatuum Sanctæ adhibitorum genera, atque aliæ plures circumstantiæ! Nos integra, ut accepimus, ita referimus: addimusque luculentum eorumdem compendium, ipsis pene verbis servatis, extare in Lectionibus Officii proprii, Neapoli impressis anno* MD, *quarum etiam ecgraphum reperimus Romæ in Bibliotheca Vallicellana.*

F

ACTA

Ex duplici MS. eruta a Caracciolo.

CAPUT I.

Professio fidei coram Judice et erudita dissertatio.

Cum Romani Imperii Cæsar, Carus nomine, moderaretur habenas, et Persarum gentes victor exuperaret; in superbiæ fastibus elatus, dum super Tygridem fluvium castra poneret, divino judicio fulminis ictu percussus, *a* interiit. Hujus itaque filii Numerianus et Carinus, in Regno succedentes, atque iniqui patris vestigia sequentes, divinam et ipsi experti sunt ultionem. Nam Carinus, prælio victus, apud *b* Argium occiditur: Numerianus autem, oculorum dolore percussus, dum in lectica portaretur, ab Apro socero suo *c* peremptus est. Sed Diocletianus Cæsar, cum successisset in Regnum, statim prædictum Aprum interemit, jurans, sine suo scelere Numerianum fuisse percussum. Iste igitur Diocletianus, dum adhuc regnaret, atque suam tyrannidem

Diocletiano persequente Christianos,

A tyrannidem in sublimia elevare cuperet, a Christi Ecclesia inchoans, per omnes provincias suæ ditioni subjectas, Judices ac Præfectos destinare studuit, præcipiendo crudeliter, ut ubicumque Christi cultores invenire valerent, igne, ferro, fame, ceterisque pœnarum generibus laniando trucidarent, nisi Christum celerius negarent, et dæmonum simulacris studerent flectere colla.

d S. Restituta in Africa,

2 Eo namque tempore, quo hæc gerebantur, et Romanam Ecclesiam *d* Caius Dei Pontifex et Martyr optime gubernaret, erat quædam Virgo in provincia Africa, in loco qui dicitur Ponizarius, nobili genere exorta et sacræ Scripturæ studiis optime erudita, nomine Restituta. *e* Hæc itaque cum per Dei gratiam Christianam religionem comperisset, sacri baptismatis sacramento renata, et sanctæ religionis habitu induta, virgo corpore et animo, die noctuque in mandatis Domini permanebat. Igitur dum Primarius provinciæ illius, nomine *f* Proclinus, ea ex jussu prædicti Cæsaris Diocletiani inquirendo transiret, et Christianum nomen penitus delere gestiret; quia secundum Scripturam nec civitas supra montem, nec lucerna super candelabrum potest ab-
B scondi fama; sanctitatem præfatæ Christi virginis indicante, suis eam jussit aspectibus præsentari. Dum hæc Christi famula cognovisset, humanæ fragilitatis memor, nec satanæ calliditatis oblita, ad solita orationis arma confugiens, hanc precem fudit ad Dominum: Tu me Domine creasti, tu in sancta religione fundasti: tu totum mundum diabolica fraude cæcatum per sanguinem Filii tui illuminare dignatus es: et nunc, Domine, quia adhuc calliditas illius per iniquos satellites sævire non cessat; tu Omnipotens, sine cujus nutu et sancto judicio patrare nil prævalet, redemptos Filii tui cruore ne patiaris perire. Ergo, Clementissime, noli me derelinquere: sed mitte Angelum tuum sanctum de cœlis, qui me custodiat, protegat, ac defendat; ne quando rapiat ut leo animam meam, dum non est qui redimat neque qui salvum faciat. Fac me ergo, Domine, viriliter consummare, quod te auxiliante hactenus conservare valui.

a Proclino Judice

interrogata,

3 Cumque fuisset ante conspectum præfati Judicis perducta, his verbis eam alloqui cœpit. Diva potestas Romani Imperii, Sacrorum Deorum numine compulsa, totum orbem squalloribus coinquinatum, de quadam secta cujusdam Crucifixi nequissima emundare et clarificare sagaciter studuerunt: quatenus ab omnibus illa cultura adoretur, et illa sacra-
C tissima numina celebrentur, quæ magnum Imperium atque omnes ejus adorant Magnates. Idcirco enim me hic ordinare studuerunt, ut qui homo sua sponte adimplere voluerit, ad gloriam sublimetur; qui autem renuerit, atrocissimis pœnis, gloria et vita privetur. Tu autem, ante omnem locutionis seriem, si in hoc quod cupimus fundata es, profitere; sin alias, scias, quidquid defuerit, adimplere curabo. Dic ergo, quod est nomen tuum, vel quem Deum adores. Beata virgo respondit: Nomen mihi est Restituta; illum verum Deum rationabiliter adoro, qui fecit cœlum, et terram, mare, et omnia, quæ in eis esse probantur; si est alius Deus similis isti, innotesce et trade, ut scire valeam, et adorem. Cui Judex: Omnis namque creatura, quæ spiritu regitur, animal dicitur: sed ut a ceteris animalibus homo discretionem habeat, dicitur quidem animal, sed et rationale et intelligibile. Hæc ideo diximus, ut si rationis capax et intelligibilis es, cito ad perfectum finem secundum tua dicta perveniamus. Suadeo ergo et moneo, ut si me a vexationis ira, et te a periculo mortis eripere cupis; non per tortuosa et devia incedas, sed per recta et pervia, atque ad singula interrogata rationabiliter respondere studeas. Ergo responde ad hæc,

unum Deum profitetur,

Quid tibi ex hoc competit? Ad quem Virgo Domini D talem reddit rationem, Prudentiam ingenii tui in hoc, quod recte proposuisti, et hominem a ceteris animalibus sequestrasti, laudamus utique et approbamus: et in hoc optime vota mea concordant, quoniam melius est a sapiente corripi, quam stultorum adulationibus decipi. Et quia me rationis capacem et intelligibilem esse profiteor, supplico et exoro, ut ea ratione mecum contendas, per quam me bestiam facere non cupias. Si patientiæ Judex et longanimitatis esse probaris, et non te indiscrete in vexationis iram ferino more præcipitare disponis; si patientiam diligis, si longanimitatem amplecteris, sine qua veridice nemo judicare valet (Nam impedit ira Judicem, ne verum cernere possit) et me imparatam non invenis ad patranda humiliter omnia, quæ justa ratione disponis: quod tuæ sapientiæ ex hoc complacet adimplere, dispone. Animadvertens itaque ille sanctæ Virginis sagacitatem, lætus effectus, credidit se illam per suæ calliditatis versutiam penitus irretitam habere, et sic ei melleo famine pestifera propinare cœpit: Gaudere te oportet mirifice et exultare, quandoquidem nostris interrogationibus humiliter et sagaciter respondere cœpisti. Indicium animi tui jam E cognoscimus, sine judicio discretionis nil tibi asperum imponimus, culturam Deorum investigamus. Hoc itaque juste finito, non adversus te, quod nefas est, irrogamus; sed secundum nostra commoda, et gaudia te excellentissime glorificamus; tantum quod cœpisti, humiliter perfice. Et Sancta ad hæc: Jam superius promisi omnia libenter implere, quæ justa ratione disponis. Et Judex: Et nos proinde gavisi sumus, et æquo animo patienter audivimus, et te ad sublimiora hortamur. Sed ne diutius te protrahamus; illum Deum nobis enucleatius pande, quem superius proposuisti fecisse cœlum et terram, mare et omnia quæ in eis sunt. Ad quem Sancta: Et dixi, et dico, et adorare non cesso: quoniam et alius similis ei non est. Tu autem demonstra, si est alius præter ipsum.

ex MSS.

4 Et Judex: Si in hoc te permanere promittas, confido et potentia et divinitate illius, quoniam ille est utique Deus meus, quem tu te asseris adorare. Quis est enim tam præpotens in cœlo et in terra, quam patrator cœli et terræ noster magnus ille Jupiter? Et proinde Jupiter dicitur, quasi Juvans pater; ipse enim totum orbem fovet ac protegit. Si istum Deum colis, profitere: si hunc professa fueris, jam nihil aliud restat, nisi pacis concordia, nisi amor caritatis, et ut inter amicos Imperatoris glo- F riose inviteris: quatenus tuo exemplo ceteri sua sponte ad ejus dicta concurrant. Eia age, celerius lætifica corda nostra, et profitere quod audire admodum desideramus. Ad hæc Virgo Domini: Cum te audivi dicere, Quia ipse est Deus tuus, qui est et meus, cœli et terræ patrator, exultavit cor meum in Domino, et speravi lucrari animam tuam: sed, ut video, fefellit nos spes nostra, cum hominem mortalem, sceleratum et impium, Omnipotenti similem esse fecisti. Ad quam Judex: Injuriam tantæ potentiæ audiendo, æquum fuerat, ut vivam te sulphureis flammis excruciatam necarem: sed quia sacra lex præcipit, ut nemo Judicum iracundiæ particeps esse debeat, imo potius quatuor virtutes animæ tenacius teneat; hoc est prudentiam, fortitudinem, temperantiam, atque justitiam; quidquid blasphemando protuleris, æquo animo sustinere debemus; donec te convictam, aut sacræ fidei aut atrocissimæ morti tradam. Attamen, ut cœpisti, nomen religionis tuæ pandere festina.

pro quo objectum sibi Jovem spernit

5 Tunc beata Virgo cœpit exponere rationem, dicens: Si Deum meum quem colo, jam tuæ inquisitioni non esset demonstratum, recte iterum atque iterum

EX MSS. et Christum Dei filium prædicat,

A iterum me de illo interrogare satageres: sed tamen quia dulcius est faucibus meis illum nominare, et super mel et favum ori meo semper: nomen ejus in corde meo versetur et nominetur; non pro tua examinatione, sed pro mea salute. Scire ergo convenit, quoniam, sicut præfata sum, Deum omnipotentem adoro, qui fecit cœlum et terram: et ut clarius nunc pandere valeam, ipse est, qui pro salute humani generis proprio Filio Domino nostro Jesu Christo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit eum; qui natus ex Virgine formam servi accipiens, sic assumpsit humanitatem, ut non perderet divinitatem, ac per hoc perfectus Deus inseparabiliter in æternum existeret. Iste nimirum factus obediens usque ad mortem, morte sua mortem destruxit; et tartara quassans, cruore pio purgavit crimina mundi. Ecce audisti, et intellexisti. Si in illum credere cupis, festina; accede ad eum et illuminare, et facies tua non erubescet. Respondit autem Judex: Si solummodo unum Deum professa esses, sicuti prius, posset esse aliqua ratio in nostra credulitate, dum nos non alium Deum nisi magnum Jovem intelligeremus. At postquam illum nominasti, quem natum esse ex fe-
B mina et usque ad mortem pervenisse non erubescis dicere, jam duos Deos asseris te colere, unum omnipotentem et viventem, alterum morientem et morte sua mundum salvantem, atque in divinitate sua humanam carnem veluti quoddam metallum cum alio metallo solidantem. Quod, qua ratione hoc fieri possit, ignoro; præsertim cum Romana sapientia hunc Jesum Christum de mundo eradicare conetur, ut non solummodo non adoretur, sed nec nominetur. Si habes aliam rationem, profitere.

minas Judicis contemnens.

6 Respondit Christi famula, et dixit: Aliam professionem non habeo nec profero. Absit, ut in ore meo resonet inaniter dicti Jovis vel aliorum dæmonum falsa laudatio. Quid ergo, ait Judex, facere disponis? Jam disposui, ait Virgo, quod disponere debui. De mea religione deque mea credulitate neque decertes, neque fatigeris. Dum mihi vita comes, dum spiritus hos regit artus, hoc a me audies, quod audisti. Si hoc, inquit Judex, a te audio, quod audivi; et tu a me illud experieris, quod excelsa potestas Imperii censuit: hoc est, ut aut Christum, quem dicis, contemnas, et Jovem adores; aut atrocissimis pœnis, gaudio et vita priveris. Et sancta, Gaudeo, inquit, quoniam nemo me vita privare valet, nisi ille qui in cœlis habitat et humilia respicit; qui postquam corpus perdiderit, habet potestatem animam
C perdere in gehennam. Et Judex ait: Ne mendax inveniar, quia promisi nuper, virtute patientiæ tecum agere; scito, quia si vis obedire meæ potentiæ, non recedo a digna promissione; sin vero, omnis mea patientia in fellis amaritudinem convertetur.
Ps. 54, 22 Respondit Christi famula; Dicens de vobis Propheta præmonuit, inquiens: Mollierunt sermones suos super oleum, et ipsi sunt jacula. Versutiam tuam video, diabolicæ fraudis insidias non ignoro; si centies mecum, si millies de talibus egeris, donec vivam non recedam ab innocentia mea, nec a fide salvifica Domini Jesu Christi: quod tibi ex hoc complacet, perficere stude.

ANNOTATA.

a Carus, *cum annum circiter imperasset, interiit anno* 283.

b *Aliis* Margum, *Mœsiæ superioris oppidum, ubi occisus est* Carinus *anno* 285.

c Numerianus *occisus est anno* 284, *cui successit* Diocletianus *a die* 17 *Septembris; cæso postea, ut dictum, a suis Carino, confirmatus in Imperio.*

d S. Caius *ordinatus exeunte anno* 283, *ut latius* D *dictum ad diem ejus natalem* 22 *Aprilis, obiit Martyr anno* 296.

e *Hucusque Vitæ exordium, ab Antonio Caracciolo acceptum.*

f Proclinus, *in Lectionibus et apud Romæum* Proclius, *at Regio et Ferrario* Procalus. *In Codice Theodosiano lib.* 12 *tit.* 1, *leges* 189 *et* 190 *sunt de* Principalibus *et* Primatibus *in Curia Alexandrina: quos constat functos munere Advocationis seu Causidicinæ in foro illustrium Magistratuum (quales erant Præfecti Augustales in Provinciis) et hac ratione in Africa hic videtur nominari* Primarius.

CAPUT II.

Post prima tormenta et consultum a Judice Præfectum, nova fidei professio.

Tunc Censor iniquitatis, furore nimio accensus, jussit eam expoliari, et diutissime cædi. Cum cæderetur autem, clamabat Sancta, et dicebat: Ecce modo comples ministerium animi tui, quare hactenus sub ovina pelle lupus latere voluisti? Vulnera sæva tua, medicina sunt meæ salutis; age quod agis; operare, quod operaris: veniet enim certissima dies, quando E amare metes, quod modo nequiter seminas. Christi me famulam esse spopondi, et viam ejus ambulare recusem? Absit hoc a me, absit a corde meo talis sententia. Gratias illi ago, qui me dignatus est talia pro nomine ejus pati. Hæc animadvertens Judex jussit eam catenis vinctam in tenebroso carcere trudi, et omnem humanitatem penitus ab ea arceri. Sed quid valet humana astutia, ubi favet divina benignitas? Ecce adest Angelus Domini, et lumen refulsit in habitaculo carceris, atque Christi famulam talibus alloquitur dictis: Gaude, Virgo beata; exulta, Martyr gloriosa: ecce misit me Dominus ad solamen tuæ salutis, ut quidquid impius tyrannus nequiter ingessit, ego lenire ac refovere debeam. Adhuc enim modicum, et recipies coronam vitæ, cœtibusque Angelicis sociaberis. Cernens itaque beata Martyr tanti luminis claritatem, atque roborata Angelici faminis consolatione, procidit in faciem suam, dicens; Gratias tibi refero, Jesu Christe, quia dignatus es audire precem famulæ tuæ, sicut in tribulationis meæ initio magnificentiam tuam invocare curavi. Ecce enim misisti Angelum tuum Sanctum, qui me confortavit, et consolatus est me. Laudo, et benedico nomen tuum, quia tu es Deus benedictus in secula; Videns igitur Proclinus tantam in puella constantiam, ut ante mortem eligere parata esset, quam Christi gratiam abnegare; et providens in posterum, ne victus F ab ea superaretur; suggessit ex hoc Præfecto Eustasio, qui civitati Carthagini ad tale facinus patrandum illis temporibus præesse videbatur, et in hunc modum Epistolam destinare curavit.

Diu cæsa

confortatur ab Angelo:

8 Inclitæ prosapiæ stemmate redimito Præfecto Eustasio, Proclinus Primarius. Industriam animi tui comperiens Romana sapientia, eo quod non esset præstantior te, qui jura publica studiose variis rebus decretaret; ideo te in hac Provincia ordinare studuit, ut perversam doctrinam, quam impii Christicolæ invenerunt de quodam Jesu Galilæo, qua pene totum orbem maculaverunt, tua solicitudine penitus amputare studeas; pro eo scilicet, quod diis nostris non solum reverentiam non inferunt, sed etiam palam maledicere non erubescunt. Proinde et ego nimis solicitus, comperi quamdam puellam, nomine Restitutam, genere et dignitate præclaram, sed ita in præfata doctrina fundatam, ut neque in prosperis neque in adversis aliquo modo eam flectere valeam, quo illam deserat et sacra adoret numina. Hac pro re præcepi eam fortiter cædi, et ferreis nexibus ligatam retrudi in carcere, quousque tuam ex hoc prudentiam

Judex consulto Præfecto

A prudentiam consulerem : et quidquid ex ea censueris, adimplerem. Serenitas ergo pectoris tui studeat hæc ordinare, et ordinatis litteris destinare. Hoc comperiens Præfectus Eustasius, talem studuit reddere orationem.

9 Receptis apicibus a tua prudentia destinatis, Procline carissime, illud in eis invenimus, quod ardenti animo invenire gestivimus : videlicet rebellem Imperialibus dictis, et sacris Numinibus blasphemias proferentem, irretitam retineri in carcere : et quia super hoc nostram voluisti consulere voluntatem, illud implere censemus, quod tuo libito patrare debuisti, sciendo proculdubio Imperialem censuram palam super hoc negotio esse promulgatam, et nullam in ea compassionem habere. Quapropter moneo te et exhortor, si ita obstinato animo perseverat, ut missi apices protestantur, omni remota segnitie, plus supra illam, quam supra animosos viros, evigilare festina, obsecrando, increpando, cruenta supplicia comminando, vel etiam inferendo, quatenus aliquo modo tuæ illam accommodes voluntati. Sin alias, in profundum maris ignibus exustam præcipitare festina : scilicet quia si a sexu femineo superamur, pro dolor! et debilioribus Christicolis robur admodum B accrescit, et dedecus Romanæ Excellentiæ non mediocriter irrogatur. Ergo perge solerter inchoata rite patrare.

ex ejus sententia,

10 Accepta igitur hac facultate Proclinus, alia die educi beatam Martyrem de squalore carceris jussit, et suæ exhiberi præsentiæ. Illa vero cum portaretur, totum corpus suum signo Crucis muniens, dicebat : Pone, Domine, custodiam ori meo, et tribue mihi sermonem compositum tibique placentem, ne quando insipiens inveniar, et illiciar iniquis seductionibus : tu enim commonens in te credentes, dignatus es dicere ; Dum steteritis ante Reges et Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini : dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini. Hæc dicens, ante tyrannum imperterrita stetit. Quam ille sic blando cœpit alloqui famine : Secundum censuram Romanæ sapientiæ, quæ commonet neminem inique perdere vel cuiquam inferre sine æquitate molestiam, magnam in te, o puella, exhibui patientiam : æquum enim et dignum fuit, ut post blasphemiam, quam palam sacris numinibus irrogasti, non te hoc seculum vivam hactenus possideret, sed vorax flamma et tartarus retineret, ipsaque Diva potestas suum opprobrium digne vendicaret. Sed ideo te perdere nolui, et usque ad hoc tempus C perducere curavi, ut et tu Imperialibus gaudiis perfruaris, et ego perfruar Deorum beneficiis, quæ totus mundus assequi concupiscit. Accede itaque, et respice, et Diis incipe flectere colla. Cui Christi Virgo respondit : Non recordaris, o Judex, quid tibi olim de talibus dixi. At Judex : Consulta dixisti, et multa irrogasti, quæ nec efficaciam nec veritatis compertam sunt habere rationem : attamen de multis id quod cupis pandere festina, ut sciam tibi reddere rationem. At illa respondit : Dum mihi proponeres quæstionem, et per quamdam discretionem hominem a bestiis discerneres, tuæ voluntati pollicita sum obedire, si me facere bestiam non decertares. Nunc autem illud agere studes, quod nulla ratione factura sum, hoc est, ut Creatorem abnegem, et creaturam adorem. Jam nec obedire, nec loqui tecum de hac re aliquo modo volo. At ille ait : Quod ego proponere disposui, hoc proposuisti. Sed quia irretita es tuis sermonibus, jam libere meam prosequar sententiam. Idcirco enim in principio narrationis hanc studui rationem afferre, ut tenaci animo eam retineres, et non te ad hoc perducere decertares, ut relicto humano sensu bestiali more viveres. Respondit Virgo Domini, et dixit : Audiens sapiens

iterum audita,

Mat. 10, 19

nec minis aut blanditiis,

sapientior erit, et intelligens gubernacula possidebit. Tu autem hoc agere minime studes, dum te superius supplicarem, ne ea ratione mecum contenderes, per quam me facere bestiam non cessares : et nunc talia oblitus, cum sapiens esse videris, bestiali more vivere cogis. Unde quæso, aut qua ratione talia astruas, edicere digneris. D

ex MSS.

11 Tunc gavisus Judex tanto famine sanctæ Virginis, sperans eam suis superare versutiis, ita cœpit vulto sereno dicere : Si mihi promittas, ut me jam amplius non per devia protrahas, brevi sermone te ostendo belluino vivere more ; si autem ad priora reverti disponis, quare moram facimus loquendo? Et Sancta ad hæc : Ita plane spondeo, promitto, polliceor. Quis enim sapiens veritatis viam effugere quærit? Et Judex : Non humana ratione te vivere comprobamus, in eo videlicet, quod sola in seculo vivere quæris secundum tuam propriam voluntatem; et illam religionem tenere contemnis, per quam totus mundus gubernatur et regitur. Quod autem deterius est, et nec humanum est nec bestiale ; cum tibi propter hoc præmia promittimus, impudenter illa despicis ; cum supplicia et mortem minamur, amabiliter te amplecti fateris : et ob hoc quis idoneus et intelligens humanam te asseret habere rationem? Cum homo qualiscumque pauperrimus, qualicumque infirmitate quassatus, numquam ad mortem venire appetat, ut famis penuriam et valetudinem infirmitatis evadat : sed semper, etiam cum ipsa penuria, vivere quærat. Et ipsa bestia, si eam in præcipitio quislibet demergere disponat, quantum ad ipsam attinet, toto nisu, toto conamine, ut mortem evadat, effugere decertat. Audiens hæc beata Virgo, irridens talia dicta ait : O virum sapientem, et Reipublicæ officia gubernantem! Hæcne est illa discretio, quam superius proposuisti de quatuor virtutibus animæ, hoc est, prudentia et fortitudine, temperantia et justitia? Nam prudentia discernuntur mala a bonis, per fortitudinem adversa æquanimiter tolerantur, per temperantiam fluxa voluptas libidinis refrænatur, per justitiam recte judicando sua cuique distribuuntur. Quisquis amat sapiens ista, cum vera sapientia cuncta ministrat : at si quis his indiget, non sapientiæ amicus sed inimicus esse decernitur. Tu autem quomodo istas virtutes retinebis? quomodo te asseres sapientiæ amicum; si per prudentiam sic discrevisti mala a bonis, et per justitiam sic distribuisti, ut cœlestia deseram, et terram desiderem ; ut angelica abhorream, et inferna consequar? Non est hæc humana ratio, sed diabolica suasio ; non sapienter sapere, sed inique desipere. Vere etenim sapiens est, qui secundum Deum sapit, qui æternam vitam appetit, qui Angelorum gaudia concupiscit : qui autem aliter sentit, recte fatuus comprobatur. Unde beatus loquitur Apostolus : Sapientia hujus seculi stultitia est apud Deum. Hoc quia ita est, tu nostra dicta imitari decerta, et Christi consequi fidem : quoniam quidem vera sapientia et cultura nihil aliud est nisi calliditas inimici, ut ad æternam vos trahat flammam incendii.

nec suasionibus flectitur.

E

F

I Cor. 3, 19

CAPUT III.

Posteriora tormenta, obitus, sepultura.

Hæc audiens iniquitatis arbiter, commotus ira et furore, dicebat : Hæc est atra dies, quam olim tibi prædixi, insinuando quod in fellem amaritudinis hæc mea dulcedo verteretur. Secundum duritiam tuam et cor *a* impœnitens tu tibi acquisivisti hanc iram in die furoris, de qua nemo te potest eripere. Testor namque Deorum limina sacra, quia nisi celerius illum Crucifixum negaveris, et Diis libamina exhibueris,

a Jubet eam judex crudelius laniari

EX MSS.

A exhibueris, diversis cruciatibus impiam tuam exhalare faciam animam. Cumque Virgo Domini fixa mente in Dei amore maneret, et impia dicta tyranni pro nihilo reputaret; jussit eam in eculeo suspendi, et totum corpus illius crudeliter unguibus lacerari. Cumque diu suspensa iis pœnis cruciaretur, et ab impiis diversis pœnis et opprobriis derideretur; elevans in cœlum oculos ita cœpit Dominum deprecari: Domine Jesu Christe, Creator cœli et terræ, qui pro nobis peccatoribus de cœlis descendere dignatus es, et veram formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, pretioso tuo sanguine crimina mundi purgasti, respice in me, et miserere mei: quoniam in te spero, in te confido: non confundar in æternum, neque irrideant me inimici mei: etenim universi, qui te expectant, non confundentur. Cernens autem Judex immensam ejus constantiam, quod nec ad modicum ejus voluntati pareret; jussit eam deponi de eculeo, et capillis suspendi in stipite, atque clavos in pedibus ejus figi. Cumque carnifices imperata cito complessent, cœpit eam subsannare tyrannus, et dicere: O misera, ubi nunc est tuum miserabile corpus? Attendis, quibus gau-

B diis anima tua lætatur? Talibus deliciis te oportebat epulari, talibus delectamentis, quæ præparatam gloriam consequi noluisti. Ubi est nunc ille crucifixus, in quem dicebas te confidere? veniat nunc, et liberet te. Tunc beata Martyr dicebat. Numquam tam bene epulata sum quam modo. Numquid non advertis, quomodo me adjuvat Christus? Nunc vere cognosco potentiam illius, quia supplicia tua deliciæ mihi facta sunt. Si ad priora adhuc alia inferre moliris, perfice: noli tardare, quatenus et rabies animi tui meo cruciatu saginetur, et paratum mihi bravium a Domino condonetur.

denique tormenta non sentientem

13 Arridens ad hæc Judex dicebat: Vere tamquam per antiphrasim miserum sortita es nomen: non enim Restituta, sed Dissipata recte vocari debuisti. Et merito: siquidem et tuo mortifero famine multos corrupisti, et temet ipsam ad cruenta supplicia dissipandam præparasti. Non enim, ut arbitror, humano semine procreata es, nec fœmineo lacte nutrita: tygres enim te genuerunt, et leænæ lac præbuerunt. Ferino more vixisti: ferina membra gestasti: expedit utique, ut quorum vita vixisti, illorum mortem consequaris. Sanguis enim tuus super temetipsam redundet, ut condecet homicidam, sibimet ipsi manum injicientem, et sponte sua se

C punientem. Quanto vero studio et amore contenderim, ut te ad celsa gaudia sublimarem, et ab hac stultitia revocarem, testes sunt Dii sacrati, et conscium tuæ insolentiæ pectus. Sed quid plura? Venit tetra dies et irrevocabilis hora, ut ferream animam tuam ignis incendia consumant. Certe cum tartara te susceperint, illic mea monita reminisceris. Sed ut ita sequantur facta, ecce ex hac hora, quod dicis, experieris. Igitur dictavit sententiam dicens, Restituta sacrilega, quæ nostra monita deseruit, ac per magicas artes tormenta superavit, divina numina adorare contempsit, et crucifixum tota mente dilexit, jubemus, ut in navicula, stuppa, pice, et resina referta ponatur, flammarum incendio concremetur, et in profundum maris projiciatur; quatenus et præsentes et secuturi diligenter cognoscant, qualia præmia recipiant, qui dictis Imperialibus contradicere præsumunt, et magnifico Deo Jovi non certant flectere colla. Hæc ubi dicta dedit, tradidit eam ministris ad id opus maturius exequendum. Inter hæc autem beata Martyr, cum se cognovisset ad Dominum citius profecturam, expandit manus suas ad cœlum, et his verbis alacriter cœpit deprecari Tonantem; Domine, inquiens, Deus Deorum, qui omnia verbo creasti, una cum Filio tuo Domino

addicit morti.

D Jesu Christo et Spiritu sancto, gratias ago tibi, quoniam me tu adjuvisti, et usque ad hoc tripudium perducere me dignatus es.

14 Hæc cum orasset, jam semiviva et penitus exsanguis effecta; apprehenderunt eam ministri, atque in naviculam imposuerunt; et sicut eis præceptum fuerat, perficere curarunt. Cumque navigassent quasi stadia quindecim, volentes ignem supponere, mox incomprehensibili et justo Dei judicio subito in profundum maris demersi sunt. Remansit autem Virgo Domini cum navicula, in qua ad cremandum posita fuerat. Quæ cum vidisset hæc, obstupuit, cœpitque mirari, et dicere: O altitudo potentiæ et clementiæ tuæ, Domine! quam incomprehensibilia sunt judicia tua, et glorificanda opera manus tuæ! Ubi est superbia impiorum, ubi potentia tyrannorum? Ecce demersa est in profundum, sicut ille quodam Pharao. Canticum ergo tibi decantent omnes in te credentes, quoniam gloriose honorificatus es. Sed quæso te nunc, Domine Deus, ut sicut populum tuum de abyssis pelagi liberasti, ita et me famulam tuam eripere digneris, et ad locum perducere, ubi tuæ placuerit voluntati. Mitte

Illa imposita naviculæ,

ministris submersis,

NOT. 5um APP. TOM. VII MAJI

E ergo Angelum sanctum tuum, qui hoc perficiat, et solamen contritioni meæ conferat. Ad hanc ergo precem, apparuit ei Angelus Domini, confortans eam, et dicens: Noli timere, famula Christi, ecce exaudivit Dominus orationem tuam, et misit me ut ad portum salutis te perducere debeam. Cumque vidisset Angelum Domini, talia sibi solamina proferentem, gavisa gaudio magno, elevans oculos cum lacrymis in cœlum, dixit: Jube me, Domine, istud seculum derelinquere, et in pace suscipe spiritum meum: jam enim tempus est, ut corpus istud pro nomine tuo quassatum anima derelinquat, et ad tua gaudia tandem pervenire mereatur. Hæc cum dixisset, quievit in Domino.

placide moritur.

15 Pervenit autem ipsa navicula cum beatæ Martyris corpusculo in partibus Campaniæ, in insulam, quæ dicitur c Ænaria, juxta Placidam, ad locum ubi dicitur Ad ripas, quæ distat a civitate Parthenope fere milliaria d xxx. Eo autem tempore erat quædam mulier, nomine e Lucina, quæ operibus bonis et religione sanctissima Deo omnipotenti sedulo serviebat. Huic itaque Angelus Domini in visu apparuit, et qualiter beata Martyr pro Christo passa sit et ad cœlorum gaudia migraverit, per ordinem indicavit: insuper etiam commonuit eam, ut ad præfatum locum pergeret, et corpusculum sanctæ Martyris inveniret, atque digna veneratione reconderet.

c Corpus in Ænariam delatum d e

F Cumque expergefacta fuisset, non incredula tantæ revelationi, accessit ad locum sibi demonstratum; invenitque intra naviculam sanctæ Virginis corpus, niveo fulgore coruscans. Gavisa itaque tanto munere, dignis aromatibus illud condire studuit: et advocans plebem Domini sanctam, cum hymnis et laudibus, et magno honore sepeliverunt eam, in loco qui dicitur Eraclius: ubi præstante Deo multa beneficia invenerunt fideles, per virtutem et merita beatæ et gloriosæ ipsius Martyris. Celebratur autem dies natalis ejus sexto decimo Kalendas Junias, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria in secula seculorum. Amen.

sepelitur.

ANNOTATA.

a *Paulus Apostolus in epist. ad Rom. cap.* 2 *v.* 5. Secundum duritiam tuam et impœnitens cor, thesaurizas tibi iram in die iræ. *Sed quam parum apte hæc verba ponuntur ut ab homine gentili prolata? Apparet nempe, quod præfati sumus, rhetorica amplificatione usum auctorem; non quæ dicta legerat, sed dici potuisse concipiebat, coacervasse.*

b

A b *Angeli in carcere apparitio num. 7 nihil habebat miri, quia potuerat per ipsam martyrem innotuisse. Sed hæc quo teste potuit affirmari? Apparet igitur non jam solum quæ dicta, sed et quæ facta hic dicuntur, ab auctoris esse ingenio: a quo forte etiam totus passionis tam prolixe enarratæ ordo.*

c *In Lect. Neapol. appellatur* Adrima juxta Prochytam: *et hæc quidem postmodum etiam* Procida *appellata facile potuit ab imperito librario verti in* Placidam: *quare Caracciolus notat quidem* Placidam *originaliter scriptam inveniri, proculdubio* tamen *legi debere* Prochytam. D *In* Adrima *major difficultas est: sed cum Homerus* Inarimen *appellarit, posset hinc quoque nomen istud detortum videri.*

d *Sufficeret forsan* xx milliaria *numerasse.*

e *Quam vereor ne hæc* Lucina, *mutuo sumpta sit a Romanis, apud quos hujus nominis matrona, ex sepeliendis Sanctorum corporibus laudem æternam promeruit?*

G.H.

DE SS. SOLOCHONE, PAMPHAMERE ET PAMPHALONE

MILITIBUS ÆGYPTIIS, MARTYRIBUS CHALCEDONE.

Notitia eorum ex Græcis ad Latinos Fastos translata.

Sub Maximiano

N*uda solius* Solochonis *memoria celebratur in Menæis excusis et nonnullis manu exaratis atque apud Maximum Episcopum Cytherorum: ex quibus nihil scitur, nisi quod* Sanctus B *occubuerit* Martyr. *In Menologio vero Basilii Porphyrogeniti Imperatoris honestum aliquot Elogium, uti de aliis ibidem relatis Sanctis, profertur: at martyrium ejus et sociorum latissime deducitur in MS. Synaxario Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod spectat ad Collegium Claromontanum Societatis Jesu Parisiis: aliquot etiam Elogium sed contractius refertur in Menæis MSS. Ambrosianis Mediolani, et Taurinensibus Ducis Sabaudiæ atque Chiffletianis, et ex similibus in Menologium Guilielmi Sirleti transivit. Illud ex prædicto Synaxario, tamquam potiori, hic primum Græce, deinde et Latine accipe.*

Nomen Solochonis in variis,

omnium elogium in MS. Synaxario,

2 Τῇ αὐτῇ ἡμέρα ιζ'. Ἄθλησις τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Σολόχωνος καὶ τῶν σὺν αὐτῷ. Οὗτος ἦν κατὰ τοὺς χρόνους Μαξιμιανοῦ τοῦ Βασιλέως, Αἰγύπτιος τὸ γένος, στρατιώτης τὴν τάξιν, τεταγμένος ὑπὸ Καμπανῷ Τριβούνῳ, μετὰ τρισχιλίων στρατιωτῶν τῶν σὺν τῷ Καμπανῷ κατὰ τὴν τοῦ Βασιλέως πρόσταξιν, ἐξ Αἰγύπτῳ τὴν Χαλκηδόνα καταλαβών. Κελεύσαντος δὲ τοὺς Ταξιάρχας καταναγκάζειν τοὺς ὑπ' αὐτοὺς θύειν τοῖς εἰδώλοις, καὶ ἑκάστου τὸ ἴδιον τάγμα προσάγοντος ταῖς θυσίαις, ὁ Καμπανὸς τὴν ὑπ' αὐτὸν λεγεῶνα ἠνάγκαζε τὸ πρόσταγμα τοῦ Βασιλέως ποιεῖν. Πάντων δὲ εἰξάντων, τρεῖς μόνοι ἀντέστησαν Σολόχων, καὶ Παμφανὴρ, καὶ Παμφαλὼν, Χριστιανοὺς ἑαυτοὺς ἀνακηρύττοντες, καὶ ἐπὶ τοσοῦτον αἰκίζονται, ὡς C ἐξοιδῆσαι τοὺς αὐτῶν νώτους, καὶ τὴν κεφαλὴν ὑπεράραι, καὶ ἐν αὐτῷ τῷ μαστιγοῦσθαι ἀποδοῦναι τῷ Κυρίῳ τὰ πνεύματα τόντε Παμφαμὴρ καὶ Παμφαλών. Ὁ δὲ ἅγιος Σολόχων, μικρὸν ἐνισχύσας, παῤῥησίᾳ τὸν Χριστὸν ἐπεκαλεῖτο, καὶ Καμπανὸν τὸν τύραννον εἰς ἀπόνοιαν, τὰ ἄψυχα θεοὺς ὀνομάζοντα· ὥστε ὀργισθῆναι τὸν Ἄρχοντα κελεύσει σπάθῃ τὸ στόμα διανοιγῆναι αὐτοῦ, καὶ οἶνον τῶν σπονδῶν διαχεθῆναι αὐτῷ. Ὁ δὲ Ἅγιος κὼν τὸν σίδηρον, καὶ ἀποκοψας ἐξ αὐτοῦ μέρος, ἅμα δὲ καὶ τὰ περικείμενα δεσμὰ διαῤῥήσας, ἔστη ἐνώπιον τοῦ τυράννου ὀρθρῶς, τὴν τοῦ Χριστοῦ θεότητα μεγαλύνων, καὶ τὴν τοῦ Ἄρχοντος κακοδαιμονίαν χλευάζων. Ἔνθα καὶ φωνὴ ἄνωθεν ἀνέχθη, αὐτὸν ἐνεπισχύουσα καὶ πρὸς τὸ μαρτύριον ἐπαλείφουσα. Ἔνθα πολλαῖς βασάνοις τιμωρηθεὶς, καὶ μαστιχθεὶς, καὶ τυφθεὶς ἀφειδῶς, καὶ κρεμασθεὶς μετὰ λίθου ἀπὸ ἕκτας ἕως δωδεκάτης ὥρας, ἐπεὶ τὸν Χριστὸν διαπρυσίως ἐκήρυττεν, δρεπάνῳ τὸ σχοινεῖον τεμὼν αὐτὸς, κάτωθεν σὺν τῷ λίθῳ ὄρθιος ἵστατο. Ἤδη δὲ βαθείας οὔσης ἑσπέρας, θυμῷ ἀσχέτῳ λειφθεὶς ὁ Καμπανὸς, λαβὼν κάλαμον γραφέως; ἐπὶ τὸ οὖς τοῦ Ἁγίου ἐνέπηξε, καὶ συνωθήσας εἰς τὸ ἐνδότερον ἤλασε. Καὶ αὐτὸς δὲ σὺν τοῖς στρατιώταις ἀπῆλθε, δώσων τὸ σιτομέτριον· οἱ δὲ Χριστιανοὶ τὸν Ἅγιον ἀράντες ἐπὶ κλίνης, διὰ τὸ πᾶν μέρος λελῦσθαι αὐτοῦ, ἐν οἰκείᾳ χήρας τινὸς ἀπέθεντο. Ἔνθα ἄρτου μεταλαβὼν, καὶ τοῖς παροῦσι Χριστιανοῖς εὐχῆς μεταδοὺς ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν, εὐξάμενος τῷ Θεῷ τὸ πνεῦμα παρέθετο.

quod docet

3 Eadem die xvii *Maji* certamen sancti Martyris Solochonis et sociorum ejus. Erat is genere E Ægyptius, sub Maximiano Imperatore miles inscriptus Ordini, cui Campanus Tribunus præerat, cum aliis tribus millibus militum. Cum vero ex mandato Imperatoris Campanus cum suis ex Ægypto Chalcedonem venisset, idemque Imperator præcepisset Ducibus, ut cogerent milites sibi subditos idolis sacrificare, et singuli cum suis ordinibus sacrificia offerrent; Campanus suam quoque quam ducebat legionem Imperatoris mandatum cogebat implere. Omnibus autem immolantibus, tres soli restiterunt, Solochon, et Pamphamer et Pamphalon. Qui cum se Christianos esse prædicarent, eam ob causam adeo sunt verberibus cæsi, ut dorsa eorum, extumescerent et capita inverterentur. Sub ista flagellatione deficientes, spiritum Domino reddiderunt Pamphamer et Pamphalon: Sanctus vero Solochon cum aliquantulum convalesceret, confidenter invocabat Christum, et Campanum tyrannum in desperationem agebat, quia res inanimas appellabat Deos. Quapropter Præses in iram commotus, jussit os ejus ense aperiri. et vinum libaminum in illud infundi. At Sanctus ferrum momordit, partemque ejus confregit: et cum vincula, quibus circumdatus erat, perfregisset, e regione coram tyranno adstitit, divinitatem Christi magnifice deprædicans, et infelicitatem Præsidis irridens. Tunc etiam desuper ad ipsum vox delapsa est, componens animum et ad F martyrium inclinans. Deinde variis tormentis cruciatus, et flagellatus, et crudeliter verberatus, et cum lapide suspensus ab hora sexta usque ad duodecimam, omnibus modis clare Christum prædicabat; et funibus falce disruptis, in solo cum lapide erectus humi stetit. Postea sera existente vespera Præses, nimio furore excandescens, acceptum calamum scriptoris, in aurem Sancti infixit, et intrusit in interiores partes, ibique occultavit. Et ipse quidem cum militibus suis discessit, daturus eis mensuram salarii; Christiani vero sustulerunt in lecto Sanctum, cujus omnia membra erant dissoluta: ac posuerunt in æde cujusdam viduæ: ubi sumpto pane, cum pro omnibus præsentibus Christianis preces fudisset, et elevatis in cœlum oculis orasset, spiritum Deo reddidit.

priores duos inter verbera expirasse,

Solochonem tormentis super vixisse.

4 *Hactenus Elogium ex dicto MS. Synaxario, quod ex majoribus Actis martyrii desumptum probant nonnulla, quæ hic non leguntur, habentur autem in aliis MSS. Menæis supra citatis et Menologio Sirleti, videlicet quod* vinctus funibus, in stadio supra acutas testes septies tractus est, postea dextra manu ligatus in trabe domus suspensus, saxoque in sinistro pede ligato

AUCTORE G. H. *In cripti Martyrol. Romano.*

A ligato gravatus; *ac tum, quod supra habetur,* fune ipso disrupto in terra erectus stetit. *Citato dicto Menologio ista habentur in hodierno Rom. Martyrologio* : Chalcedone sanctorum Martyrum Solochani et Sociorum militum sub Maximiano. *Verum Græcis omnibus* Σολόχων *scribitur, et socii* Παμφαμὴρ καὶ Παμφαλὼν, *Sirleto* Solochanus, Pamphamer, et Pamphalus. *Memorantur ad diem* VI *Januarii in MS. Florario et apud Grevenum in Auctario Usuardi,* SS. Sulcanus et socii Martyres, *et apud Maurolycum et Felicium* S. Sultanus Martyr. *De quibus nihil definientes, suspicabamur ipsos esse quorum hodie memoriam recolimus, corrupto nonnihil, ut sæpe accidit, nomine ejus qui præcipuus in certamine fuit* Solochonis : *cui in MSS. Chiffletianis hoc distichon accinitur.* D

Φυγὼν Σολόχων τοῦ σατανᾶ τοὺς λόγους,
Ἄτρωτος ἥκει πρὸς τὸν ὕψιστον Λόγον.
Fugiens Solochon verba satanica, ad Dei
Verbum supremum vulnerum immunis venit.

DE SS. MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

ADRIONE, VICTORE, BASILLA, SILVANO,

G. H.

In Martyrologio Hieronymiano memoratis.

XVII MAJI

B *Antiquissimum Martyrologii Hieronymiani apographum, quo ab initio operis usi fuimus, quodque a nobis Epternacensi monasterio redditum est, hunc diem ita auspicatur* XVI Kalendas Junii. *In* Alexandria, Adrionis, Victoris et Basillæ. *Quæ eadem et sola habet Rabanus, descripsitque auctor Martyrologii sub nomine Bedæ suppositi: quo citato et aliis MSS. eadem in hodierno Martyrologio Romano et apud Galesinium leguntur : eadem etiam omnia referuntur in MS. Aquisgranensi Ecclesiæ primariæ.* Adrione *omisso in MSS. Richenoviensi et Rhinoviensi ista habentur :* In Alexandria Victoris, Basilæ. *Loco* Basilæ *scribitur* Basiliæ *in Apographis Lucensi, Blumiano, aliquo Reginæ Sueciæ, et Corbeiensi nondum vulgato. In alio Corbeiensi Parisiis excuso etiam omittitur* Adrion, *et additur* Silvanus: *cujus apud alios nulla fit mentio. Notkerus et MSS. Romanum Cardinalis Barberini, Trevirense S. Maximini, Carmelitanum Coloniæ adservatum, Atrebatense, Tornacense, Lætiense, cum Adone MS. monasterii S. Laurentii apud Leodienses, Greveno, MS. Florario, ista tradunt :* In Alexandria Victoris et Basilii. E Victor *denique cum martyrii palæstra memoratur in MS. Leodiensi S. Lamberti, et omisso loco in MSS. Augustano S. Udalrici et Parisiensi a Labbæo nobis submisso: uti et* Victor *cum* Basilio *in MS. Pragensi. At memoria integra omnium trium* Adrionis, Victoris et Basillæ *inscripta est MS. Tamlactensi in Hibernia: adeo ut de his satis constare videatur, non æque de* Silvano, *quem tamen propter antiquitatem codicis unde acceptus est retinendum tantisper judicamus donec aliunde certior lux affulgeat.* Alexandriæ *licet variæ fuerint, in* Ægyptiam *tamen propendet conjectura, propterea quod in ea multus Martyrum sanguis fusus variis persecutionibus sit.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

PARTHENO SEU PARTHINIO, GALLICORO SEU CALLOCERO, EPONONO, PRIMO, LIBO SEU LIBERO EPISCOPO, F

C In Martyrologio Hieronymiano nominatis.

XVII MAJI

Altera hæc est turma aliquot Martyrum cum magna varietate in antiquis MSS. relata. Ac primo in MS. Corbeiensi Martyrologio S. Hieronymi Parisiis excuso ista traduntur. In Roma Parthini, Gallicari, Eponi, Liberti Episcopi. *In Lucensi codice loco* Parthiniii *est* Pathyni, *et in MS. Blumiano* Parthini, *ut in utroque* Galligori, *qui supra* Gallicori *scribitur. In MSS. Trevirensi S. Maximini, et Coloniensi S. Mariæ ad Gradus ista habentur :* Romæ Partimi, Liberti Episcopi, Galliceri, Eponònii. *In MS. Pragensi* Partini *scribitur, et* Gallicerus Episcopus *etiam statuitur, uti et in MS. Barberiniano, sed* Gallicorus *appellatur. Verum hoc omisso in MS. Adone Leodiensi S. Laurentii et in MS. Florario ista leguntur :* Romæ Partini, Liberi Episcopi et Epinoni. *Grevenus in Auctario Usuardi ista tradit :* Romæ natalis Partini, Galliceri et Eponomi, *et aliis interpositis iterum habet :* Romæ Liberii Episcopi et Confessoris. *Notkerus :* Romæ B. Parthenii.

2 *In antiquissimo Epternacensi Martyrologii Hieronymiani apographo hæc leges.* Roma, Paterni et Coloceri, Primi, depositio Libi Episcopi. *MS. Richenoviense et Rhinoviense* Romæ Parteni, Caloceri : *addit Richenoviense,* et depositio Liberi Episcopi. *MSS. Atrebatense et Tornacense :* Romæ S. Paterni et Liberii Episcopi. *MS. Reginæ Sueciæ ab Holstenio laudatum :* Romæ via Salutaria veteri natalis SS. Partheni, Gallæ, Chori, Primi. *Verum hæc in MS. Lætiensi videntur melius exprimi.* Romæ via Salaria veteri Sancti Paterni ac Primi et Liberii Episcopi. *In MS. Parisiensi Labbæi absque palæstra indicantur nomina* Primi, Pliberi, Partini, Gallicori, *quæ in MS. Augustano S. Udalrici ita scribuntur,* Primi, Liberi, Quartini, Galliaci. *In MS. Aquisgranensi fit mentio* Primi, *et* Pliberi. *In MS. Leodiensi etiam* Liberi. *At* depositio S. Liberi Episcopi *dicitur in MS. Vaticano S. Petri, Casinensi, Altempsiano et alio Reginæ Sueciæ. Denique in MS. Tamlactensi* Calloceri, Gallicorii, Liberii, *Primi,* Eponi.

3 *Sunt ergo* Partenus *seu* Parthinus, Parthinius, *et littera transposita,* Paternus : *tum* Gallicorus, Gallicorius, Gallicerus, Galligorus *et* Callocerus : *deinde, qui ut alius etiam refertur,* Epononus, Eponomus. Eponus *ac* Primus. *Denique* Libus, Liber *seu* Liberius Episcopus, *aliunde Romam adductus, atque alius a* Liberio *Pontifice Romano, qui in iisdem antiquis MSS. refertur ad diem* XXIII *Septembris.*

DE

DE SS. HERACLIO, PAULO, MINEREO, AQUILINO, VICTORE, ARTEMIO, CALCORO,

MARTYRIBUS NIVEDUNI,

Ex Martyrologio Hieronymiano notis.

G. H.

XVII MAJI

Martyres 7 in antiquis Fastis,

Tertia *est hæc turma Martyrum, in antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis indicata, et in vetustissimo Epternacensi his verbis :* Inveduno, Eracli, Pauli, Mineri, Aquilini, Victoris. Et alibi Artemi, Galiori. *Verum in aliis tribus ejusdem Martyrologii apographis omnes eidem loco attribuuntur : et locus qui supra littera prima transposita* Invidunum *scribitur, aliis est* Nivedunum, Nevedunum *et* Nimvidunum : *dein loco* Eracli, *aliis est* Heracli *et* Heraclii : *pro* Mineri, Aquilini *et* Artemi, *in Corbeiensi est,* Minerii, Augustini *et* Arthemii. *Denique pro* Galcori *in MSS. Lucensi et Blumiano est* Calori, *in Corbeiensi* Calcori. *Quinque priores* Nividuno *adscripti sunt in MS. Regiæ Sueciæ per Holstenium laudato, quibus in MS. Trevirensi S. Maximini*
B
additur Temius, *loco* Artemii. *In MS. Tamlactensi sunt nomina* Heracli, Pauli, Minerii, Aquilini, Victoris, Arthemi, Calori. *Usuardus ista tradit :* Civitate Niveduno Eraclii, Pauli, Aquilini cum aliis duobus. *Hi duo supra sunt* Minerius et Victor. *In MS. Barberiano et Florario,* Minerius, Aquilinus et Arthemius. *Notkerus ista habet :* Leviduno, Heraclii, Pauli et aliorum.

2 *Galesinius multa immiscet his verbis :* Niveduni beatorum Martyrum Heradii, Pauli, Aquilini, Victoris, Primi, Liberii et Peregrini. *De* Primo *et* Liberio *egimus in præcedenti classe Martyrum Romanorum, ad quos spectant, et forte cum* Peregrino *loco* Parthinii.

iis perperam alii adjuncti.

Peregrinus *etiam est cum* Martino, *loco* Menerii, *in Auctario Greveni ad Usuardum : est etiam* Peregrinus *in MS. Lucensium Canonicorum cum* Marciano et Nicandio *: sed duo hi remittendi ad diem* XVII *Junii videntur, aut certe* Peregrinus *est Martyr Anconæ jam* XVI *Maji relatus. Idem Galesinius corrigit* Heradium *loco* Heraclii ; secutus, *ut in Notationibus asserit,* scriptionem antiquorum exemplarium , *in quibus* corruptelam ingestam *suspicatur Florentinius. Nos porro in nullo MS.* Heradium *legimus : placuit tamen Baronio, et ita inscripsit hodierno Martyrologio Romano, citatque in Notis* Bedam, Usuardum et Græcos in Menologio. *Verum Græci de aliis Martyribus agunt, inter quos fuit aliquis* Heraclius, *non* Heradius *uti supra ostensum est* XV *Maji. Usuardus etiam* Heraclium *appellat. Prorsus autem siletur de his Martyribus in Martyrologio sub nomine Bedæ excuso, nedum in hujus genuino opere.*

3 *Palæstra martyrii* Nivedunum, *est* Noviodunum *Baronio : quem sequitur Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani, ubi omnes Martyres a Galesinio indicatos adfert, et* Heraclium *reponit, sed ordinem immutat : nec dubito quin hic accipiat* Noviodunum, *quod posterioribus* Noviomum *dictum est, urbs Episcopalis sub Archiepiscopo Remensi, haud procul ab Augusta Suessionum :* Nieu *certe lingua Celtica et adhuc Belgica nostra idem est quod* novum *Latinis. Noster Philippus Labbe in Martyrologio Romano Gallice translato,* Nivedunum, *vulgo* Nion, *ad lacum Genevensem collocat. Philippus Ferrarius in Topographia ad Martyrologium Romanum quærit ipsum in Mysia inferiore ad Danubium, ubi Ptolomæus lib.* 3 *Geographiæ cap.* 10 *habet* Nuiodunum, *Græce* Νουιόδουνον, *aliis etiam* Novidunum *dictum. Quæ lectori proponimus, cum ex nudis nominibus non possimus uni potius quam alteri loco attribuere quemquam.* E

Palæstra martyrii ubi sita.

4 *Masinus in Bononia perlustrata asserit,* S. Aquilini Martyris *asservari reliquias Bononiæ : et in ecclesia S. Blasii in platea S. Stephani esse in veneratione duo ejus ossa cum costa : alias quoque ejusdem Reliquias cultui exponi in ecclesia S. Francisci : quas omnes potius existimamus esse alicujus Roma recentius allati. In Martyrologio Casinensi litteris Longobardicis exarato ad diem sequentem* XVIII *Maji referuntur* sancti Martyres Eraclius, Paulus, Aquilinus cum aliis duobus.

Reliquiæ S. Aquilini Bononiæ.

C

DE S. POSSIDIO SEU POSSIDONIO

NOT. 6.ae APP TOM. VII MAJI

CALAMÆ IN NUMIDIA EPISCOPO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

D. P.

Vita recentior. Corpus et cultus in agro Mirandulano, hujus an alterius sit?

POST AN. CCCCXXX.

Acta in Bavaria collecta,

Diessa, *antiquum Canonicorum Regularium cœnobium in superiori Bavaria, etiamnum floret, ab anno* MCXXXII, *quo illud fundatum scribit Wiguleius Hundius tomo* 2 *Metropolis Salisburgensis, ejusque Præpositos recenset usque ad Simonem Werlinum Lanspergensem , anno* MDCXI IV *Idus Martii creatum. Ab hoc Præposito, jam sene, ut in litteris ad nos datis anno* MDCXL *indicat, accepimus Vitam* S. Alypii *dandam* XV *Augusti, et* S. Possidii, *quam hic damus : utramque autem collectam indicat a suo Decano P. Innocentio Keferlohero. Adduntur nonnullæ Annotationes : e quibus prima et præcipua est, quod* Possidius non apte vocetur Possidonius, qui constanter a S. Augustino appellatur Possidius, a quo diversus est Possidonius, qui in Concilio Milevitano (cujus est epistola 92 apud S. Augustinum tomo 2) locum XLVII obtinuit, ubi Possidius fuit duodecimus. Collocabantur enim juxta numerum annorum Episcopatus sive Ordinem promotionis, ut videre est in epistola 217 ejusdem S. Augustini. *Adderem ego, diversum utriusque Episcopatum verosimiliter exprimi in corpore Conciliorum : nam* Possidius *quidem post Canones Ecclesiæ Africanæ subscriptus invenitur sextus in ordine et proximus S. Augustino, ut* Episcopus Calamensis, Legatus Provinciæ Numidiæ, *in qua ipsa est* Calama, *inter Hipponem Regium ac Cirtum, Hipponi propior.* Possidonius *vero in Collatione Carthaginensi cap.* 127 *octavus sententiam dicens, notatur* Episcopus loci superioris. *Sed cum in dicta Collatione plures Episcopi sic identidem vocentur, imo in hoc ipso cap.* 127 *decimus octavus* Vitalis *et vigesimus secundus* Donatus, *qui postea intitulatur* Episcopus civitatis superioris;

confusum Possidii, et Possidonii nomen :

A superioris; *liquet non esse illud proprium Episcopatus* AUCTORE D. P. *nomen. Dicerem ergo referri ad ipsum, antea in Collatione eadem expressum, si antea Possidonium cum magis proprio titulo notatum invenissem. Ut ut est, confuderunt in eadem persona utrumque nomen, qui Scriptorum ecclesiasticorum edidere Catalogum : nam hic de quo agimus*, Possidius *appellatur ab Isidoro Hispalensi cap.* 8, Possidonius *vero ab Honorio libello* 3 *cap.* 8, *ubi ejus scripta numerantur, in Vita luculenter explicata.*

Cultus apud Canonicos et Eremitas S. Augustini

2 *Alterum Keferloheri annotatum est de Canonicis Regularibus, quod illi sint antiquis Clerici dicti. Neque vacat modo nobis, neque lubet in hanc disputationem ingredi : multo minus in alteram, qua disputatur, Clericine illi seu Canonici, an vero Eremitæ, S. Augustinum ejusque socios atque discipulos potiori jure vendicent Ordini quique suo. In præsentiarum sufficit indicasse, hunc, de quo agimus*, XVII *Maji sub rite duplici coli officio Ecclesiastico a Canonicis Regularibus Lateranensis Congregationis; postquam hujus Officia propria, quæ anno* MDCXIII *cum Approbatione sacræ Congregationis Rituum solum viginti numerabantur, aliis sedecim aucta sunt an.* MDCXXXV *studio Gabrielis Pennotti, id ex Pauli* B *V Decreto citra ulteriorem sacræ Congregationis assensum licere interpretati; exemplum secutis mox aliis Canonicorum Regularium Congregationibus nonnullis, quarum Officia propria similiter habemus aucta, puta Windesemensis in Belgio et Sanctæ Crucis in Lusitania : quæ omnia præferunt in titulo* Specialem Pii Papæ V concessionem; *uti et novissime iterum Lateranensis per Italiam, in editione Mediolanensi anni* MDCLXVI, *in qua ad numerum Sanctorum sedecim in Bulla Pii expressorum, ut de iis tamquam propriis ipsius Congregationis Patronis aut Sanctis facere liceat, tanta facta accessio est auctore D. Abbate Philippo Piccinelli, ut ab Italis ultra octoginta Sancti nunc sic colantur. Simili modo Patres Eremitæ Proprium suum anni* MDCXLI *in duplum augentes anno* MDCLXXI, *confecerunt sibi inter alia Officia nova etiam Lectiones de* S. Possidio (*sic enim vocare malunt quam* Possidonium) *coluntque eum sub ritu Duplici ex Indulto Clementis X.*

An Sanctus in Apulia exul obierit?

3 *Quo loco et genere mortis obierit hic Sanctus, non dicunt antiqui, et cum hisce ipse Vitæ Collector tacet. Lectiones a Canonicis Regularibus Lateranensibus recitari solitæ, circa finem sic habent :* Tandem in persecutione Wandalica sub Genserico, cum ceteris Episcopis et Clericis Africanis, navigio sine velis et C remigiis ad manifestum naufragium impositus, et cum illis ad oras regni Neapolitani delatus, ibidem sancto fine quievit. *Hæc ibi. Verum de illis Episcopis egimus* XI *Februarii ad Vitam S. Castrensis, et iterum* XVI *Maji ad Vitam SS. Rosii et Rossii, nomina autem omnium recensentur ad Kalendas Septembris in Martyrologio Romano, quo die colitur S. Priscus unus ex duodenario numero; sed absque mentione S. Possidii vel Possidonii. Hinc etiam in Lectionibus, pro Ordine Eremitarum S. Augustini approbatis, ista solum recitantur :* Demum Wandalis Africam devastantibus, Hipponem ad Augustinum confugit, atque morienti adfuit.... Hippone cum aliis Dei servis fuga dilapsus, navigio in Apuliam venit : ubi pie sancteque extremum diem clausit. *Thomas de Herrera in Alphabeto Augustiniano par.* 2 *pag.* 228. Post Augustini obitum, *inquit*, anno CCCCXXX, quantum supervixerit, ubi et quando, omnino ignotum. *Aliud certe nullum esse videtur argumentum, quo cœperit dici nostrum de quo agimus sanctum in Apulia obiisse, quam quod credatur idem esse cum eo quem sub nomine* S. Possidonii *coli* XVI Maji, tamquam Ducatus Mirandulæ Patronum, imo et per totam Rhegiensem diœcesim sub ritu duplici, *testatur Constantinus Ghinius Senensis in Natalibus Sanctorum Canonicorum. Imo*

et corpus ejus sit in agro Mirandulano,

putat quod S. Possidonii corpus probabili conjectura D existimari possit illud esse, quod ex Apuliæ partibus a Ludovico Imperatore Rhegium-Lepidi fuit adductum, atque Azoni tunc ibidem Episcopo donatum : quod ab eodem Azone venerabilis Bertha, tunc Mirandulæ Comitissa, deinde impetravit, et in ecclesia S. Georgii (quæ postea S. Possidonii dicta est) in suo territorio devote recondidit, et prædiis et proventibus dotavit anno Domini DCCCXIV, et XXVII Martii. *Hæc Ghinius. In citatis supra Lectionibus ex Proprio Canonicorum Regularium Congregationis Lateranensis, quod habetur*, Circiter annum salutis octingentesimum decimum, ejus Reliquiæ Mirandulam in Æmilia delatæ, et in ecclesia S. Georgii, quæ nunc S. Possidonii dicitur, conditæ, habentur in veneratione. *Sed in Lectionibus, quas Eremitæ S. Augustini recitant, distinctius quoad notam temporis legitur, quod* Ejus corpus Ludovico Pio Imperatore in Germaniam primo, deinde Rhegium-Lepidi delatum, postremo in agro Mirandulano collocatum est, anno post Christum natum octingentesimo decimo sexto. *Est autem* Mirandula *urbs Longobardiæ, sub proprio diu Principe ex gente Pica, sita inter ditiones Mantuanam versus* E *Septemtrionem et Mutinensem in Austrum, et habet sibi regiunculam subjectam : ubi tertio ab urbe milliario est ecclesia* S. Possidonio *dicata, et ab eo appellata : ex qua ut aliquid scientiæ certioris haberemus, dedit operam R. P. Bartholomæus Terisenghius, hoc superiori anno Collegii nostri Regiensis Rector : sed frustra: nulla enim ibi reperta scriptura est.*

et ecclesia nunc a se nuncupata?

4 *Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ ad diem* XVI *Maji celebrat* S. Possidonium, S. Augustini discipulum, Episcopum Calamensem : quem, *inquit*, ferunt non multo post S. P. Augustini excessum migrasse a seculo. Corpus apud Mirandulam oppidum, cujus Patronus præcipuus est, religiose asservatur. *Annotat dein*, quando et quomodo corpus hujus Sancti Episcopi Mirandulam delatum sit, sic haud accepisse. *Idem Ferrarius in Catalogo generali celebrat* S. Possidonium Episcopum ac Patronum apud Mirandulam, *idque* ex Tabulis Ecclesiæ Mirandulensis et Rhegiensis; *additque*, putari S. Augustini discipulum et Episcopum Calamensem, cujus corpus Mirandulam delatum sit. Sed nihil certi haberi. Quod autem difficultatem auget, esse Chronicon quoddam MS. Ecclesiæ S. Petri Rhegii : in quo legitur, Azonem XXIII Episcopum Rhegiensem corpus S. Possidonii Presbyteri, quod ex Apulia asportatum, a Ludovico Imperatore Bertæ Comitissæ donatum fuerat, ad preces ejusdem Comitissæ, dum a Concilio Aquileiensi ad propriam Ecclesiam rediret, in ecclesia S. Georgii (quæ nunc Plebs S. Possidonii dicitur) in Latiana curte condidisse; factamque commutationem (sic Imperatore jubente) inter Episcopum et Comitissam de prædiis et decimis anno DCCCXVI, ubi testium et notarii nomina sunt expressa. Quod si Presbyter fuit, quomodo appellatur Episcopus in Tabulis Ecclesiæ Rhegiensis? *Hæc Ferrarius : ex quibus aliæ subnascuntur difficultates. Nam neque Ludovicus Pius Imperator, anno istic scripto coronatus Metis, unquam in Italia fuit post obitum patris Caroli Magni; neque post conciliabulum anni* DCXCVIII *ullum Aquileiæ scitur Concilium esse celebratum, per secula quinque sequentia, usque ad annum* MCLXXXIV; *neque Regiensis Episcopus ullus invenitur apud Ughellum, qui tali anno sederit, nomine* Azo : *sed ad annum* DCCCXC *dicitur creatus* XXIV Azzius, *et a barbaris occisus an.* DCCCXCVIII. *Fatetur Ughellus*, Regio defuisse historicum, qui vetustæ civitatis eventus opesque jaceret in commentarios, *seque ex quodam Fulvii Azzalini compendio satis jejuno, quod habemus impressum an.* 1623, *aliisque monumentis contexuisse seriem Regiensium Episcoporum, in qua primum constituit* S. Prothasium

an vero id sit alterius S. Possidonii Presb.

hic vero num an. 816

A S. Prothasium *S. Barnabæ Apostoli discipulum. Quo seposito, et initium sumendo a* Cromatio *qui Constantini magni ætate sedere cœperit, maneret trigesimus tertius* Azzius, *in Chronico appellatus* Azo. *Huncautem si liceret in vivis retinere ultra annum jam dictum, una cum successore Fredulpho occiso ab iisdem Barbaris, eodemque quo Azzius anno (nam Petri, Episcopi secundum nos* XXXV, *ante annum* DCCCCIV *nulla invenitur memoria) solum mutandus esset annus* DCCCXVI *in annum* DCCCCI, *et haberetur annus primus* Imperatoris Ludovici, *non* Pii, *sed* filii Bozonis : *quemadmodum hujus annos numerandos intendimus comprobare in particulari exercitatione de successione et Chronologia Regum et Imperatorum Italicorum, post mortem Caroli Crassi seculo* IX *et* X *in jam pridem parato et nunc tamen dando tractatu de chronologia Pontificum Romanorum. Certe nihil frequentius factum videmus a chronicorum compilatoribus, quam quod in describendis veterum diplomatum instrumentis annos Christi vel adjecerint de suo, vel ex suo sensu immutarint. Si ergo dixerimus* anno I Ludovici Imperatoris *signatum diploma istud Regiense fuisse, pronum fuit ab homine nesciente quem potius eligeret, eligi hujus nominis primum Caroli filium, pro filio Bo-*

an potius 901 sit translatus?

B *zonis, tanto potius, si æque notus fuisset, huc referendo, quanto certius est eum in istis partibus atque imprimis Veronæ Imperii sedem obtinuisse. Neque vero difficile erit credere, quod tali anno, videlicet* DCCCCI, *Synodus aliqua Episcoporum, præsertim Lombardicorum, Aquileiæ convenerit : sive ad consulendum firmitati novi Imperii contra exauctoratum Berengarium; sive ad conservandam Italiam ab incursione barbarorum, quos e Pannonia per Forum-Julii transitum molientes repulerat quidem insigni victoria Fridericus Aquileiensis Patriarcha circa finem seculi* IX, *non ita tamen qui essent quotannis metuendi, uti patet vel ex ipsius Azonis seu Azzii et successoris Fredulphi cæde a barbaris iisdem patrata, anno ut vult Ughellus* DCCCXCVIII; *ut nos conjectamus* DCCCCII, *vel* III. *Ceterum expecto ut obtineam Regio integri diplomatis ecgraphum, huic conjecturæ plura forsan subsidia allaturum, si verum ; sin autem falsum est, plura suæ fictionis indicia. Interim dico* Possidonios *plures esse potuisse, nec sine fundamento id omne tenendum in confuso, quod simplicitas majorum nescivit distinguere propter homonymiam; quodque eadem ex more, pessimo quidem, sed usitatissimo, ad aliquem sui nominis celebriorem recurrens, in unum contulit, non obstante diversitate dierum, quibus Calamensis Episcopus, et Patronus Mirandulanus coluntur, hic* XVI *Maji, ut diximus ;*

C *iste* XVII. *Quia tamen Canonici Regulares et Eremitæ S. Augustini eumdem putant, noluimus eorum sententiæ, licet parum nobis probatæ, præjudicare separatim agendo de utroque velut certo diversis : cum præter jam dicta nihil aliud singulare occurrat circa ejus qui Presbyter solum fuisset, vitam, miracula, venerationem.*

VITA

ex Vita et Operibus S. Augustini collecta.

Auctore Innocentio Keferlohero Can. Reg. Diessensis in Bavaria Abbatiæ Decano.

PRÆFATIO.

Da occasionem sapienti, inquit Sapiens, et addetur ei sapientia. Cum igitur ex levi sæpe occasione, sapiens materiam sumat altioris sapientiæ, qui etiam plerumque per alterius stultitiam fit eruditior; præsentem Vitam colligere ausus fui. Atque utinam eorum saltem unus, qui in aliis, forsan minus utilibus minusve necessariis, desudarunt, in quorumdam Sanctorum conscribendis gestis laborem impendissent suum, quanta cum fidelium ædificatione id,

Prov. 9

Quam utiliter in Actis Sanctorum laboretur.

D quantoque cum Dei honore fecissent? Quod de eorum Vita Sanctorum maxime intelligendum est, qui de Ecclesia Catholica antiquitus tam præclare meriti sunt, Sanctorum Alypii, inquam et Possidii, quorum ille Tagastæ, hic Calamæ, uterque in Africa Episcopus, et discipulus sancti Patris nostri Augustini fuit. Ceterum id per tot annorum centurias, a tot præstantibus historiographis prætermissum fuisse, rem altius consideranti, rectissime in unum abyssale Dei judicium referendum mihi videtur. Neque enim crediderim tot eximiis scriptoribus ad id vel ingenium, vel eruditionem, vel alia requisita defuisse subsidia, quæ unus S. Augustinus ubertim suppeditasset. Certe ego ex hujus sancti Doctoris operibus, et privato erga utrumque Sanctum studio, et fraterna hortante caritate, et sanctæ nutu obedientiæ, Vitam utriusque Sancti conatus sum compilare, bona spe fretus, fore, ut per conatum hunc meum aliquorum peritiorum calamum excitem studiumque rudia mea expoliendi, quod meis precibus non desinam ab Omnipotente Deo impetrare.

A. KEFERLOHERO.

CAPUT I.

S. Possidii ordinatio, et patientia a Gentilibus tentata.

E Sanctus Possidius Afer, S. Augustini in monasterio discipulus, et per annos fere quadraginta familiaris (sicut in fine libri de vita sancti Doctoris a se scripti testatur) non tantum sacras ab eo litteras didicit, sed morum quoque sanctimoniam ita feliciter assecutus est, ut tanti magistri et in Christo parentis imaginem proxime referret, ut ipsemet aliquando testatus est S. Augustinus. Scribens enim ad certum Episcopum; Nimis autem ingratum, inquit, ac ferreum fuit, ut te qui nos sic amas, hic sanctus frater et collega noster Possidius, in quo nostram non parvam præsentiam reperies, vel non disceret, vel sine nostris litteris disceret. Est enim per nostrum ministerium non litteris illis, quas variarum servi libidinum liberales vocant, sed dominico pane nutritus, quantus ei potuit per nostras angustias dispensari. Hujus intuitu sanctitatis pariter et doctrinæ, defuncto Megalio Calamensi Episcopo, in Pastorali munere sufficitur Possidius. Qui factus Episcopus, nihil antiquius habuit, quam ut ad formam sancti Magistri sui Augustini collegium institueret Religiosorum, quos sui similes, id est, sanctos efficere verbo et

Augustini per 40 annos familiaris

factus Calamæ Episcopus

F exemplo studiosissime sategit; ut haberet, qui Patri suo spiritus essent solatium, et fidelibus rectissimorum morum speculum. Sed difficillima Possidio erat ea Episcopalis officii provincia, ob multa pericula, cum a Paganis, tum a Donatistis hæreticis : quorum utrique cum in illa civitate numero valerent, in Christianos Catholicos magno aliquoties furore debacchati sunt.

3 Edictis nuperrime tam Paganos quam Manichæos cohibuerat Imperator Honorius : illos, ut idolis nullum porro honorem deferrent, festa profana prætermitterent; hos (quibus postea comprehendit et Donatistas) ut sectam suam suæque exercitium sectæ penitus missa facerent : et quidem utrosque sub gravi pœna. His tamen non obstantibus, agitant paulo post Pagani in opprobrium promulgatarum legum, nec sine luculenta Christianæ religionis contumelia, sacrilegam suam solennitatem. Opponit se Pastorali zelo verbisque gravissimis Possidius : sed impii nec oratione ejus commoti, nec grandine mox divinitus immissa perterriti, ecclesiam semel, iterum, ac tertio lapidibus impetunt, subjectis facibus incendunt, Clericum unum, ceteris fuga dilapsis, occidunt : sanctus Episcopus, quem præcipue ad necem petebant, vix atque ægre evasit. Quæ omnia S. Augustinus

non obstantibus edictis contra hæreticos,

A gustinus, re postea coram inspecta, per epistolam 202 est testatus. Contra recentissimas, inquit, leges Kalend. Juniis, festo Paganorum, sacrilega solennitas agitata est, nemine prohibente; tam insolenti ausu, ut quod nec Juliani temporibus factum est, petulentissima turba saltantium in eodem prorsus vico ante fores transiret ecclesiæ. Quam rem illicitissimam atque indignissimam Clericis prohibere tentantibus, ecclesia lapidata est. Deinde post dies ferme octo, cum leges notissimas Episcopus Ordini replicasset, et dum ea, quæ jussa sunt, velut implere disponunt; iterum ecclesia lapidata est. Postridie nostris, ad imponendum perditis metum, quod videbatur apud Acta dicere volentibus, publica jura negata sunt: eodemque ipso die, ut vel divinitus terrerentur, grando lapidationibus reddita est. Qua transacta, continuo tertiam lapidationem, et postremo ignem ecclesiasticis tectis atque hominibus intulerunt: unum servorum Dei, qui oberrans occurrere potuit, occiderunt; ceteris, partim ubi potuerunt latitantibus, partim quo poterant fugientibus: cum interea contrusus atque coarctatus quodam loco se occultaret Episcopus, ubi se ad mortem quærentium B voces audiebat, sibique increpantium, quod eo non invento gratis tantum perpetrassent scelus. Gesta sunt hæc ab hora ferme decima usque ad noctis partem non minimam. Nemo compescere, nemo subvenire tentavit illorum, quorum esse gravis posset auctoritas, præter unum Peregrinum, per quem et plurimi servi Dei de manibus interficere conantium liberati sunt; et multa extorta prædantibus. Per quæ clarum factum est, quam facile illa vel omnino non fierent, vel cœpta desisterent, si cives maximeque Primates ea fieri perfecique vetuissent. Hæc Augustinus, de his, quæ diebus istis Calamæ facta sunt, cujus Ecclesia sub diœcesi Hipponensi constituta erat, adeo ut ejus visitatio ipsi incumberet Augustino, ut ipsemet Possidius noster, ejusdem Ecclesiæ Episcopus, cap. 12 docet: qui accepta clade, ad Magistrum suum confugerat: quemadmodum liquet ex S. Augustini epistola 254.

A. Kerer-lohero.

gravem ab his vexationem patitur:

quæsitusque ad mortem.

4 Quænam autem ista fuerint consecuta non invenimus; nisi quod Possidius, expostulaturus adversus Gentiles incendiarios et homicidas illos, navigavit ad Honorium Imperatorem: cujus cum severum ad Proconsulem rescriptum timeretur elicitum; Nectarius, Calamensium facile Princeps, homo Gentilis, ad Augustinum pro salute civium suorum litteras C dedit. Cui rescribens Ep. 254 idem Augustinus, de Possidio, apud Imperatorem causam prosequente, meminit. Ibi enim: Habes, inquit, expositas in hac causa cogitationes et vota pectoris mei. Quid autem lateat in consilio Dei, fateor, homo sum, nescio: quidquid illud est, id est justius atque sapientius, et firmissime stabilitum incomparabili excellentia præ omnibus mentibus hominum. Verum est quippe, quod legitur in libris nostris, Multæ cogitationes sunt in corde viri, consilium autem Domini manet in æternum. Proinde quid tempus afferat, quid nobis facultatis, aut difficultatis oriatur; quid postremo voluntatis, ex rerum præsentium vel correctione vel spe, subito possit existere; utrum Deus sic indignetur his factis, ut ea quam petunt impunitate, magis severiusque puniat; an illo modo, quo magis placet, coercendos misericorditer judicet; an aliqua duriore, sed salubriore eorum præcedente correctione, nec ad hominum sed ad suam misericordiam veraci conversione, quidquid terroris præparabatur, avertat et convertat in gaudium; jam novit ipse, nos autem ignoramus. Ceterum Possidius, ab Imperatore reversus, sedata tempestate, ita scelus vindicavit, ut idola destruxisse contentus, reis, gravem ejusdem Imperatoris iram merito verentibus, pœnam mitissimam impetraret. Atque hæ gravissimæ injuriæ sunt, D quas a Gentilibus Possidius noster toleravit, hæ Possidii vindiciæ, quibus eas sancte ultus est, nimirum vincendo in bono malum, et maleficia beneficiis compensando.

Imperatorem adit.

Prov. 19, 21.

Paganis ex hinc merito sibi timentibus,

idola confringit

CAPUT II.

Victoria de Donatistis disputando relata.

Verum his haud haud paullo minora passus ab hæreticis Donatistis fuit Possidius; ad quæ enarranda antequam descendam, veniam dabis, benevole lector, si rem paullulum altius repetam, nil tamen ab instituto meo recedens. Anno quadringentesimo tertio in Concilio Africano decretum erat, pro concilianda concordia Catholicos inter et Donatistas hæreticos, ut cujusque civitatis Episcopus suum antagonistam conveniret Donatistam Episcopum, quo cum de controversiis fidei ageret, et pars victa victrici cederet. Et ut omnia succederent ordinatius, conveniendi certa præscripta forma fuerat, quam Catholici observarent, dum Donatistas convenirent, quæ erat hujusmodi. Convenimus vos ex concilii nostri Catholica auctoritate missi, de vestra correctione gaudere cupientes, considerantes Domini caritatem; qui dixit: Beati pacifici, quoniam filii Dei vocabun- E tur; et admonuit per Prophetam etiam, his, qui dicunt se fratres nostros non esse, dicere nos debere, Fratres nostri estis. Hanc ergo pacificam ex caritate venientem conventionem nostram contemnere non debetis, ut si quid veritatis habere vos arbitramini, non dubitetis asserere: id est, ut congregato vestro concilio, deligatis ex vobis, quibus causam assertionis vestræ committatis; ut nos possimus hoc facere, ut etiam de nostro concilio deligantur, qui cum eis, quod delegeritis, constituto loco et tempore, quidquid quæstionis est, quod vestram a nobis separat communionem, cum pace discutiant: ut tandem aliquando, adjuvante Deo nostro, finem veternosus error accipiat: ne propter animositatem hominum infirmi nostri et ignari populi sacrilega dissensione dispereant; si enim hoc fraterne acceperitis, veritas facile innotescet. Hactenus forma, quam dicebant conventionis.

Conceptæ inter Catholicos et Donatistas conventionis forma,

post editam Formam.

Matth. 5, 9

6 Ceterum timebant Catholici Episcopi, ne, (quod post etiam accidit) Donatistæ, qui publicis Actis ad ineundam pacem atque concordiam per Catholicos Episcopos vocarentur, non tantum non consentirent; F sed nec ad disputationem cum iisdem descenderent, tam causæ diffisi suæ quam doctrinæ. Ergo eorum salutis studiosi iidem Catholici Episcopi, petiverunt ab Imperatore, ut ad mutuam collationem legibus compellerentur, quod et impetrarunt. Jam quid hac prudenter adhibita cautela acciderit Possidio, juxta præscriptam formam convenienti Crispinum, ejusdem civitatis cujus ipse erat, partis tamen Donatistarum Episcopum, nemo melius retulerit ipso Augustino. Ait igitur scribens ad Cresconium Grammaticum Donatistam lib. 3 c. 46: Interea Crispinus Calamensis vester Episcopus, a Possidio collega meo in eadem civitate apud Acta conventus, ad concilium vestrum primo distulerat, pollicens cum collegis suis ibi visurum, quid respondere deberet. Deinde post non parvum tempus, repetita conventione, rursum apud Acta respondit, ista scilicet: Verba viri peccatoris ne timueritis. Et iterum: In aures imprudentis cave ne quidquam dixeris; ne cum audierit, irrideat sensatos sermones tuos. Postremo hanc responsionem meam Patriarchali sermone definito: Recedant a me impii: vias eorum nosse nolo. Hactenus recitata ab Augustino verba Crispini, apud Acta Consularia scripta: quam vero turgida, et quam inflato

provocat Crispinum Pseudo-Episc. Calamæ

I Mach. 2, 62.

Prov. 23, 9.

A inflato corde, animoque tumenti prolata? Unde idem sanctus Augustinus: Hanc (inquit) ejus responsionem cum docti indoctique riderent, quippe hominis dicentis, verba viri peccatoris se non timere, cui respondere minime auderet, etc. expendit ejus responsionis sententias singulas, quas in omnibus ostendit prorsus fatuo esse homine dignas. Cum ergo ista responsio a multis intelligeretur, multis etiam demonstraretur quantum inanis esset, quantum attinebat ad causam: quam vero amara et maledica, quod non pertinebat ad causam; atque ita ejus, sicut apud nos habetur, doctissima annositas, hesterno contra stante tirone nihil adversum veritatem posse videretur; Crispinus tam suo suorumque pudore, quam legum necessitate compulsus, modo jactare cœpit, se velle de summa quæstionis cum ipso Augustino disserere. At idem Sanctus, satius fore ratus, si disputandi hic munus in suum discipulum declinaret; ipsi Possidio suo detulit, imo ursit ut acceptaret: qui obsecutus est feliciter, prout ipse his ipsis verbis eleganter recenset in vita Magistri sui cap. 12.

eumque superbe ac fatue diu tergiversatum

7 Memorabili Augustino Antistite omnimodis instante, ad controversiam ambo ipsi Calamenses Episcopi venerunt, et de ipsa diversa communione tertio conflictu secum egerunt, magna populorum Christianorum multitudine causæ exitum apud Carthaginem et per totam Africam expectante. Atque ille Crispinus Proconsulari et libellari sententia est pronuntiatus hæreticus; proque illo apud Cognitorem Catholicus Episcopus intercessit, ne auraria mulcta exigeretur: et est beneficium impetratum. Unde cum ingratus ad piissimum Principem provocasset; ab Imperatore relationi debitum est responsum solutum, et consecutum præceptum, nullo prorsus loco Donatistas hæreticos esse debere, et eos ad jura legum omnium contra hæreticos latarum ubique teneri debere. Ex quo Judex propter officium, et idem Crispinus, quod minime fuerat exactus, præcepti sunt denas auri libras Fisci juribus inferre. Sed protinus opera data est per Catholicos Episcopos, præcipue per sanctæ memoriæ Augustinum, ut illa omnium condemnatio Principis dimitteretur indulgentia: et Domino adjuvante, perfectum est. Qua diligentia et sancto studio multum crevit sancta Ecclesia. Hucusque Possidius.

B *tandemque ab Augustino coactum convincit disputando,*

8 In quibus quidem enarrandis, summæ animi moderationis et religiosæ modestiæ specimen edidit, tum quidem primo cum de molitionibus Donatistarum in Augustinum, deque ipso Crispino Calamensi Episcopo sermonem texens, de his quæ ipse ab eo passus sit, cum rem gestam recenseat, nomen tamen suum silentio penitus (ne sua facta prædicare videretur) obvolutum reliquit: tum etiam quod agens de publica disputatione triduana, qua Crispinus est convictus hæreticus, nomen suum pariter prorsus reticet; adeo quod, nisi S. Augustinus suis scriptis aperuisset, id præstitum a Possidio penitus remansisset obscurum. Altum scilicet sibi impresserat silentium vir sanctus, quod sancti Patres tum ante tum post ipsum communiter docuerunt, ut in proloquendis, quæ in laudem nostram quoquo modo redundare queant, quam cautissimi simus. Hinc sibi abs Tobia seniore dicto putabat; Superbiam numquam in tuo sensu, aut in tuo verbo dominari permittas: institutus etiam S. Pauli exemplo, eumdemque docilis discipulus secutus magistrum, qui cum magna quædam atque honorifica ne se (quod ita fidelium ædificationi Deique gloriæ amplificandæ congruere sciebat) scribere constituisset, fecit id obscure ac verecunde; Scio, inquit, hominem, in corpore an extra corpus, nescio: qui tamen ipse cum majora adhuc dicere potuisset, ut qui, raptus usque ad tertium cœlum, viderat quæ non licet homini loqui; Verum

sicut ipse de Augustino magnifice

C

Tob. 4, 14

de se modestissime narrat.

2 Cor. 12, 2

maluit, ut ipse ait, parcere. Quam pulchre dixit, inquit Epist. 875 Bernardus, Parco? Non parcit sibi arrogans, non parcit sibi superbus, non cupidus vanæ gloriæ et jactator actuum suorum, qui vel sibi arrogat, quod est; vel mentitur, quod non est. Solus qui vere humilis est, parcit animæ suæ: qui ne putetur, quod non est, semper, quantum in se est, vult nesciri, quod est; quod ipsissimum a S. Possidio nostro laudabiliter factitatum miramur, atque utinam et imitemur!

D A. KEPEBLOHERO.

9 Ergo cum verbis causam evincere diffideret Crispinus Donatista, armis eam obtinere satius judicavit. Id quonam modo per alios perfecerit, describit lib. 3 contra Crescon. cap. 46, S. Augustinus. Subito post paucos dies iter agenti Possidio, alius Cripinus ejus Presbyter, et (ut perhibetur) propinquus, tetendit insidias armatorum: in quos pene jam noster inciderat, nisi eis prospectis atque nuntiatis, ad quemdam fundum fugiens divertisset, ubi ille nihil auderet, vel non prævaleret; vel si quid etiam fecisset, negare non posset. Quo comperto, continuo consecutus est tanta cæcus insania, ut jam latere turpe arbitraretur. Tunc domum, in qua cum suis se Possidius incluserat, sepire armatis, lapidibus circumtundere, ambire flammis, aditum ex omni parte moliri. Quæ vero aderat incolentium multitudo, memor periculi sui, si in eo loco aggressum tantum facinus impleretur; partim illum deprecabatur ut parceret, quem resistendo non audebat offendere; partim vero ignes suppositos extinguebat. Cum ille nihilo segnius cœptis fervidus atque inexoratus instaret: cessit aliquando ictibus janua, ingressi sunt: sauciatisque cæde jumentis, quæ in inferiore domus parte compererant, de superioribus Episcopum deposuerunt, afficientes plagis et contumeliis. Ubi ne gravius sævirent, intercessit ipse Crispinus, velut aliis rogantibus flexus, quorum non tam videbatur in ira sua curare deprecationem, quam in facinore testimonium formidare.

E *Graves a Crispini sectatoribus injurias passus,*

10 In pœnam tam atrocis injuriæ, jusso Crispino ex lege decem auri libras pendere, memor Christianæ mansuetudinis Possidius, impunitatem ei primum a Proconsule, deinde ab Imperatore Honorio, qui mulctam adhuc ratam volebat, obtinuit. Sed juverit Augustinum ipsum audire, rem exactius enarrantem. Hæc postquam nota facta sunt in oppido Calamensi, expectabatur Crispinus Episcopus vester, quemadmodum suum Presbyterum vindicaret. Accessit etiam protestatio municipalibus Gestis expressa, cujus vel timore vel pudore cogeretur exercere ecclesiasticam vindictam. Quod cum omnino contemneret, tantusque fieret vestrorum tumultus, ut quia veritati prædicandæ respondere non poterant, itinera clausuri putarentur, imo vero etiam cernerentur; leges (quæ non deerant, sed, quasi deessent, in nostris manibus quiescebant) adversus Crispinum Episcopum vestrum commotæ sunt, magis ut nostra mansuetudo demonstraretur, quam ut illorum puniretur audacia. Neque enim aliter innotesceret, quid adjutorio Christi Ecclesia in suos inimicos posset, et nollet; non secundum hæreticam præsumptionem privato favore Circumcellionibus sævientibus, sed secundum Propheticam veritatem jugo Domini Dei subditis legibus. Exhibitus igitur Crispinus, et quod se esse Proconsuli quærenti negaverat, facillime convictus hæreticus, decem tamen libras auri (quam mulctam in omnes hæreticos Imperator Major Theodosius constituerat) intercedente Possidio, non est compulsus exolvere. Qua mitissima sententia non contentus, nescio quo consilio, quod displicuisse vestris omnibus dicebatur, ad ejusdem Theodosii filios provocandum putavit. Acceptatum est. Rescriptum est. Quid aliud? nisi quod pars Donati jam sciret, se

F

intercedit ne ut hæreticus juxta legem mulctetur

A. KEFERLOBERO.

A se ad illam pœnam aurariam cum ceteris hæreticis pertinere; cum quibus propter communionem talis persecutionis aut communem se deputet habere justitiam; aut si non deputat, non se ideo jactet justam, quæ ea pœna coercetur, qua coerceri et eas hæreses videt, quas concedit injustas. Hæc Augustinus.

CAPUT III.

Legatio ad Honorium Imp. Acta in collatione Carthaginensi. Reliquiæ S. Stephani acceptæ.

Destinatur Legatus ad Honorium Imperat.

Is porro vir erat Possidius qui etiam gravissimæ legationis aptus dignusque judicaretur, ut ad Imperatorem mitteretur. Occasio legationis hæc erat. Quo anno tumultibus Italia fuit agitata, Africana vero Ecclesia pace frueretur, congregatum est Carthagine concilium, ex quo decreta est legatio Episcoporum ad Honorium Imperatorem. Quid autem, et qui cum eo acturi forent, ejusdem Synodi præfatio declarat. Nempe eosdem Legatos missos esse contra Donatistas: hæc enim habet: In hoc concilio legationem susceperunt contra Donatistas, Florentius, Possidius, Præsidius, et Benenatus Episcopi, eo B tempore, quo lex data est, ut libera voluntate quis cultum Christianitatis acciperet. Ergo unus de legatis Episcopis noster Possidius erat; qui cum collegis suis legationem feliciter obiit. Cum enim Attalus tyrannus Romanum invasisset imperium, et jam Africam esset tentaturus; nimirum Heracliani in Africa Comitis, vel Macrobii in ea Proconsulis consilio, Imperatoriæ leges adversus Donatistas siluerunt; quod in discrimine posita videretur universa Africana provincia, si tot legibus exagitati et exasperati Donatistæ pro partibus Attali dimicarent. Quamobrem impetratum fuit ab Honorio Imperatore rescriptum, quo iidem sinerentur eam, quam vellent, religionem amplecti; sicque transacta res est. Cum autem periculum illud cessasset, Attalo exauctorato; Africani Episcopi, quod viderent Honorii rescriptum in magnum Christianæ religionis dispendium vertere, collecto Carthagine Episcoporum conventu, unam omnium sententia decrevere, mittendam esse ad Imperatorem Honorium legationem, quam ornarent quatuor illi Episcopi, ad hoc munus electi, qui rogarent Imperatorem, ut pro Donatistis datum revocaret privilegium. Et hoc est, quod in hujus Synodi præfatione illam sic habetur: Lex data est, ut C libero cultu quis Christianitatem acciperet. Id quod ex certa testificatione deducimus, videlicet ex rescripto Honorii Imperatoris, quo ipse annuisse comperitur petitioni eorumdem legatorum Episcoporum. Nam is rescriptum hoc anno dedit ad Heraclianum in Africa Comitem; quod sic habet: Oraculo penitus remoto, quo ad ritus suos hæreticæ superstitiones obrepserant, sciant omnes sanctæ legis inimici, plectendos se pœna et proscriptionis et sanguinis, si ultra convenire per publicum execranda sceleris sui temeritate tentaverint. Qui ipsissimus legationis intentus finis optatissimusque successus fuerat.

ut privilegium datum Donatistis revocetur.

Anno 411 interest collationi Carthaginensi.

12 Anno insequente celebre illud convocatum est concilium Carthagine, ubi ex parte Catholicorum totius Africæ convenerunt CCLXXXVI; cum ferme CXX in suis Ecclesiis, senectute et morbis præpediti, remansissent, essentque eo tempore LX sedes Episcoporum pastoribus orbatæ. Præfuit Collationi (sic enim vocari placuit etiam tunc, potius quam Concilium) Marcellinus Comes Tribunus et Notarius, ut Cognitor tantum, non ut Judex. Summa rei erat in eo ut schisma Donatistarum tolleretur, Atque in hac Collatione noster sanctus Possidius, habita consideratione sanctitatis et eruditionis in eo eximiæ, unus ex septem delectis disputatoribus erat, qui cum D Donatistis de re, cujus causa convenerant, ageret. Quid vero singulis trium dierum illorum, quibus disputatum est, gestum sit; quibusque futilibus subterfugiis Donatistæ usi fuerint, ne ad disceptandum de causa veniretur: sed et quantis probris ac contumeliis Catholicos affecerint, cum contra Catholici omnibus eos modis demulcere studentes, eosdem ut fratres amplecterentur: quomodo denique de causa loqui tandem a Marcellino coacti, manifestissimis probationibus de schismate et hæresi convicti fuerint, ac tandem Marcellini sententia damnati, Actisque subscribere compulsi; hæc omnia fuse tum sanctus Augustinus (qui et ipse unus cum sancto Possidio ex septem disputatoribus delectis erat) commemorat; tum in epistola habentur Synodali concilii Cirtensis, anno sequenti a Catholicis in Numidia celebrati, ut occurreretur calumniis Donatistarum, quibus conabantur irritam reddere prædictam Collationem; dum inter alia mentiebantur, Marcellinum præmiis fuisse corruptum a Catholicis, nullamque ejus sententiam esse dicendam, quam ipse noctu pronuntiasset: consumpserant enim variis tergiversationibus diem ultimum, adeo ut Marcellinus in eos noctu E pronuntiare coactus esset. In quos sanctus Augustinus plura: et inter alia de more Judicum, ut ad noctem judicium sæpe protraherent. Idem Sanctus, Milevitano quoque concilio præsens, egregiam operam præstitit.

et Petilianum Donatistam confundit:

14 In illa Collatione quantum momenti Possidius noster attulerit, discas licet tum ex subsecuto fructu, qui amplissimus extitit, quem legas apud S. Augustinum: tum ex iis, quæ Possidius illic generose prolocutus est, colligas. In specimen sint, quæ pauca subjungo, ut vel ex ungue, quod aiunt, leonem agnoscas simul, et S. Possidii in Collatione illa famosa Apostolicum zelum, et præstitam pervideas operam. Cum hæreticus Episcopus Petilianus gloriabundus dixisset; Episcopos nos meritis Christi Domini nostri et dicimus, et sæpe actis publicis dictum est etc. subdit noster Possidius: Episcopos meritis probare opus est, non jactare. Cum idem Petilianus multa ad rem non spectantia immodeste effutiisset in Catholicos; Possidius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit: Qua impatientia et tumultu agant, sit testatum his gestis, interlocutione Nobilitatis tuæ (o Marcelline) causam enim satis timent, ad cujus meritum omnino descendere nolunt. Non sint vacua omnia, quæ a partibus nostris in prosecutionibus F tanta dicta sunt, de Ecclesiæ Dei promissionibus et exhibitionibus. Quid tergiversantur? quid nescio quæ forensia rimantur? Jam dignetur Nobilitas tua pronuntiare faciem defensionis eorum. Rursusque Petilianus cum ad protractionem causæ dixisset: Non est equidem pars Catholica, nisi quæ hujus conflictationis sumpserit palmam: igitur cupimus recitari, quæ in judicio Proconsulari et Vicariæ præfecturæ ab ipsis (Catholicis) sunt ante longius prompta atque petita; Possidius Episcopus Ecclesiæ Catholicæ dixit, eum irridens: Si de causa præsumeres, ad causæ meritum venires. Et quæ alia plura dixit Christianæ libertatis et Pastoralis zeli plena.

donatur Reliquiis S. Stephani,

14 Subinde dignata est divina bonitas, devotam fidelis servi sui Possidii mentem Reliquiis sacris recreare. Orosius Presbyter, Hispanus genere, missus ab Augustino Episcopo Hipponensi pro discenda animæ ratione ad S. Hieronymum, Reliquias B. Stephani nuper inventas, rediens, primus intulit Occidenti. Acceperunt ex iisdem reliquiis partem ab Orosio inter alios S. Possidius noster, Augustinus Hipponensis Episcopus, et Evodius Episcopus Uzalensis: a quibus in Proto-martyris memoriam erectæ fuerunt ecclesiæ, in iisdemque eædem sacræ Reliquiæ

A Reliquiæ collocatæ; ab Evodio primum, inde a Possidio, ac postea ab Augustino, ut ipse lib. 2 de civitate Dei c. 8 testatur his verbis : Nondum est autem biennium, ex quo apud Hipponem-regium cœpit esse ista Memoria ; Stephani Proto-martyris scilicet : et multis (quod nobis certissimum est) non datis libellis de iis quæ mirabiliter facta sunt, illi ipsi qui dati sunt, ad septuaginta ferme numerum pervenerunt, quando ista conscripsi. Erant libelli ipsa facti miraculi certa scriptis mandata testificatio. Subdit autem : Calamæ vero, ubi et ipsa Memoria prius esse cœpit, et crebrius dantur, et incredibili multitudine superant. Uzali etiam, quæ Colonia Uticæ vicina est, multa præclara per eumdem Martyrem facta cognovimus; cujus ibi Memoria, longe prius, quam apud nos, ab Episcopo Evodio constituta est.

CAPUT IV.

Incursio Wandalica, Possidii scripta et obitus.

At ne hæc quidem diu stetit lætitia. Nam tot Gentilium furores, tot hæreticorum insectationes, barbarorum excepit immanis irruptio et grassatio, priora longe superans. Nam exinde vir Dei Possidius coactus fuit, post tot hominum cædes, tot ecclesiarum ruinas, etiam suarum ovium interitum, propriæque civitatis videre excidium. Hoc ipsemet in Vita S. Augustini cap. 28 indicans; Verum brevi consequenti tempore, inquit, divina voluntate et potestate provenit, ut manus ingens, diversis telis armata et bellis exercitata, immanium hostium Wandalorum et Alanorum, commixtam secum habentes Gothorum gentem, aliarumque diversarum gentium personas, ex Hispaniæ partibus transmarinis, navibus Africæ influxisset et irruisset : universaque per loca, Mauritaniarum etiam, ad alias nostras transiens provincias et regiones, omni sæviens crudelitate et atrocitate, cuncta quæ potuit expoliatione, cædibus diversisque tormentis, incendiis aliisque innumerabilibus et infandis malis depopulata est; nulli sexui, nulli parcens ætati, nec ipsis Dei Sacerdotibus vel ministris, nec ipsis ecclesiarum ornamentis seu instrumentis vel ædificiis. Et post de S. Augustino loquens, subdit : Vix tres superstites videbat ex innumerabilibus ecclesiis, hoc est, Carthaginensem, Hipponensem, et Cirtensem, quæ Dei beneficio excisæ non sunt, et earum permanent civitates, et divino et humano fultæ præsidio; licet post ejus obitum urbs Hipponensis incolis destituta, ab hostibus fuerit concremata.

B *Post vastatam a Wandalis Calamam,*

C

16 Calama vastata, Possidius ad suum Patrem profugit S. Augustinum, Hipponem-regium, tutum ratus futurum asylum : sed frustra. Licet enim urbs illa egregie munita contra vim etiam magnam hostium esset; tamen apparuit, non esse consilium contra Dominum, et nihil esse inaccessum iræ divinæ; quæ profecto invaluit etiam contra Hipponem. Accrevitque, inquit Possidius, mœroribus et lamentationibus ejus, ut etiam adhuc in suo statu consistentem, ad eamdem Hipponensium regionum civitatem ab iisdem hostibus veniretur obsidendam : quoniam in ejus tunc defensione fuerat constitutus Comes quidam Bonifacius, cum Gothorum quondam fœderatus exercitu. Quam urbem, ferme quatuordecim mensibus conclusam, obsederunt : nam et littus illi marinum interclusione abstulerunt. Quo etiam nos ipsi de vicino cum aliis nostris Coepiscopis confugeramus, in eademque omni obsidionis tempore fuimus. Ubi nobiscum super his infortuniis sæpissime colloquebamur, et Dei tremenda judicia præ oculis nostris posita considerabamus, dicentes :

ad S. Augustinum fugit :

Prov. 2, 130

obsidetur in urbe Hipponensi :

Justus es Domine, et rectum judicium tuum. Pariterque dolentes, gementes et flentes orabamus miserationum Patrem et Deum omnis consolationis, ut de eadem nos tribulatione sublevare dignaretur. Ubi cum S. Augustinus tertio obsidionis mense decubuisset lecto, febribus fatigatus est; membris omnibus sui corporis incolumis, integro aspectu atque auditu, adstante inter alios Religiosos Fratres S. Possidio, obdormivit in pace cum Patribus suis, in bona senectute. Pro cujus commendanda anima in corporis depositione, Sacrificium Deo obtulit idem S. Possidius, Patri suo usque ad extrema inseparabiliter adhærens, atque postrema ut decuit caritatis officia exhibens. D

A. KEPER-LOHERO

adest morienti Augustino ;

17 Postremo inter singularia Dei munera, seu Possidio seu per Possidium nobis concessa, sane inter laudes Possidii non postremas, duo quæ supersunt numeranda censeo. Unum, quod libros sancti Doctoris Augustini (tantum Ecclesiæ thesaurum) tanta diligentia custodivit, ut eo frui, post tot annorum centurias, etiam nos modo possemus. Tanta autem, inquit idem Possidius, ab eodem dictata et edita sunt, tantaque in Ecclesia disputata, excepta, E atque emendata, vel adversus diversos hæreticos conscripta, vel ex Canonicis libris exposita, ad ædificationem sanctorum Ecclesiæ filiorum, ut ea omnia vix quisquam studiosorum nosse et perlegere sufficiat. Verumtamen ne veritatis avidissimos in aliquo fraudare videamur, statui Deo præstante in hujus opusculi fine, etiam eorumdem librorum, tractatuum, et epistolarum Indiculum adjungere : quo lecto, qui magis Dei veritatem, quam temporales amant divitias, sibi quisque quod voluerit ad legendum et cognoscendum eligat, et id ad scribendum vel de bibliotheca Hipponensis Ecclesiæ petat, ubi emendatiora exemplaria forte potuerit invenire; vel unde valuerit inquirat, et inventa describat et habeat, et petenti ad scribendum sine invidia etiam ipse tribuat. Ante proximum vero diem infirmitatis obitus sui a se dictatos et editos recensuit libros, sive eos quos primo tempore conversionis suæ adhuc laicus, sive quos Presbyter, sive quos Episcopus dictaverat : et quæcumque in his recognovit aliter, quam sese haberet Ecclesiastica regula, a se fuisse dictata et scripta, cum adhuc Ecclesiasticum usum minus sciret, minusque intelligeret, a semetipso et reprehensa et correcta sunt. Unde etiam duo conscripsit volumina, quorum est titulus. De recensione librorum. Præreptos etiam sibi quosdam libros ante diligentiorem emendationem a nonnullis Fratribus F conquerebatur, licet eos postmodum emendasset. Imperfecta etiam quædam librorum suorum, præventus morte, dereliquit. Quique prodesse omnibus volens, et volentibus multa librorum legere et non valentibus, ex utroque divino Testamento veteri et novo, præmissa præfatione, præcepta divina seu vetita ad vitæ regulam pertinentia excerpsit, atque ex his unum codicem fecit; ut qui vellet legeret, atque in eo vel quam obediens Deo inobediensque esset agnosceret; et hoc opus voluit speculum appellare. Fecit autem, Indiculo superius promisso compositoque Possidius, ut sciremus posteri, qui libri sancti Doctoris legitimi forent, quinam spurii, tanto Catholicorum bono, quanto damno Hæreticorum. Providebat nempe vir prudens, succedentibus temporibus non defore, qui pro suis vulgandis stabiliendisque erroribus, adjudicaturi opera sancto Doctori essent, quæ revera ejus sunt; et adjudicaturi, quæ non sunt, pro sui libidine cerebri; tantum ut recens excogitatæ suæ Patronum falsitatis S. Augustinum, per summum nefas, seu adducerent seu traducerent. Non minus igitur accurate, quam pie utiliterque, obsecutus mandato sui sancti Patris est Possidius : qui

librorum ejus indiculum texit,

A. KEFERLOHERO.

A qui eodem teste, Ecclesiæ Bibliothecam et omnes codices diligenter posteris custodiendos semper jubebat.

et vitam scribit

18 Alterum divinæ benevolentiæ argumentum dixerim, sive in Possidium, quod ad fidelium ædificationem meruit Vitam tanti viri, quantum Augustinum suspicimus, stylo non minus veraci, quam pio gravique conscribere; sive in Augustinum ipsum, quod encomiasten adeptus est S. Possidium nostrum, imo suum; qui id sane instar beneficii habuit maximi. Hinc enim est, quod in fine historiæ suæ; Peto autem, inquit, impendio vestram caritatem, qui hæc scripta legitis, ut mecum omnipotenti Deo gratias agatis, Dominumque benedicatis, qui tribuit intellectum, ut hæc in notitiam et præsentium et absentium præsentis temporis et futuri hominum et vellem deferre et valuissem. Næ id ille quidem felicissime præstitit! adjutus nempe ab eo, quem scriptor religiosissimus auxiliatorem initio devocaverat: summam enim, inquit, quæso Majestatem, quo munus hujusmodi a me acceptum ita geram et peragam, ut nec Patris luminum offendam veritatem; nec bonorum Ecclesiæ filiorum ulla ex B parte fraudare videar caritatem. Ita pie Sanctus optavit, et datus est illi sensus; invocavit, et venit in ipsum spiritus sapientiæ: quem fideles lectores clare cum fructu sentiunt.

post magnam rerum vicissitudinem :

19 Atque sic, ut hactenus vidimus, placuit divinæ providentiæ in magno amico suo Possidio facere, quod fere solet in Sanctis omnibus, iis præcipue, quos in hac vita ad ampliorem gratiæ, et in altera ad sublimiorem gloriæ gradum destinavit; ut neque tribulationes, neque jucunditates sinat habere continuas: sed tum de adversis, tum ex prosperis justorum vitam quasi admirabili varietate contexit. Quod eum hic quoque, si alias unquam, fecisse considera. Vixdum enim factus Possidius Episcopus fuerat, cum Ecclesiæ suæ Calamensis videns incrementa, incredibiliter lætatus est; hortabaturque Calamenses, ut numero ac virtute identidem crescerent. Mox hujus extrema gaudii luctus occupavit, Gentilium illo furore successum turbante. Possidii deinde industria et Imperatoris favore Gentiles compressi, Ecclesia restituta est in statum, ita ut magis D floreret, celebri illa Crispini confutatione: sed iterum successit turbulentissima illa Wandalicæ vastationis tempestas, quæ tum Africam afflixit omnem, tum Possidii civitatem, universamque extinxit. Mitigavit calamitatem, quod hac occasione frui datum esset et præsentia et exemplo sancti Patris et Magistri sui Augustini, ad quem profugerat: sed is mox Possidii oculis subductus, est et in cœlum sublatus. Temperavit privationis dolorem, quod Patris virtutes pertractare et præclara facinora conscribere sibi uni obtigisset, qui id et pro notitia tot annorum, quibus eo familiarissime usus fuisset, omnium optime posset; et pro tenero in eum affectu, quo sanctum Patrem sanctus filius deperierat, omnium fidelissime præstare vellet: hoc ipso facto plane dignissimus, ut ejus quoque Vitam describeret aliquis, ex illo sanctorum Episcoporum numero, qui duce ac magistro Augustino, socio autem Possidio in omnibus usi, testes certissimi esse potuerant invictæ patientiæ et virtutum Pontificalium, quibus ille inter publicas calamitates splendidius eluxit. Sed quod hoc vel nemo fecerit vel si fecit aliquis frustra fecerit, deperditis scriptionis istiusmodi monumentis, posset ad cumulum ceterarum ejus calamitatum E adjungi; nisi divinæ cognitionis liber, in quo minutim descripta singula obtinent memoriam sempiternam, humanis qualibuscumque encomiis infinito præcelleret. Nostram ergo, non illius, in hoc defectu infelicitatem agnoscimus: quia ignorantes quo modo ac loco, anno ac die hinc emigraverit sancta illa anima, certitudinem beatitatis cœlestis, ab eadem post mortem obtentæ, debemus petere a constanti nostri Ordinis traditione, eum inter Sanctos suos Patronos soliti numerare: cui denique publicum ecclesiastici Officii Missæque honorem impendere cœpit, hoc primum seculo, electo ad id die XVII Maji: eo quod præcedens dies, quo in Regiensi ac Mirandulana ecclesia colitur S. Possidonius, idem cum nostro hoc S. Possidio creditus, impediatur festiva commemoratione S. Ubaldi, in Apostolico Pii Papæ V indulto nominatim expressi, adeoque apud nos ab immemorabili tempore sic culti, et in diei istius possessione prioris.

proprio Vitæ scriptore ad extremum caruit,

ab Ordine tamen ut Sanctus colitur.

C

DE S. COELESTINO MARTYRE,

F

ASSERVATO ROTNACI IN FLANDRIA.

HISTORICA SYLLOGE

Romanum Pontificatum imperite affictum refutans.

D. P.

XVII MAJI

Rotnac. inter alias Reliquias

Rotnacum *sive* Rotornacum, *incolis* Ronse, *Gallis* Renessa, *oppidum Flandriæ, duobus ab Aldenarda, quatuor a Gerardi-montio situm leucis, Boldrico lib.* I *Chronici Cameracensis cap.* 75 *dicitur* Rotnasce villa Brabantensis, *scilicet in antiquo ultra Scaldim* Bracbanto. *Est ibidem Ecclesia collegiata, S. Hermeti Martyri sacra, cujus ibidem esse corpus, Inda translatum per Ludovicum II Imperatorem, Lotharii Imperatoris filium, tradit Miræus in Fastis Belgicis, ad diem* XXVIII *Augusti S. Hermeti sacrum : ubi addit, ab eodem Ludovico* Reliquias SS. Cornelii Papæ, Cypriani Episcopi Carthaginensis, et S. Cœlestini apud Rotnacenses cum ampla dote depositas fuisse. *Addit Miræus, se ex Archivis Ecclesiæ Rotnacensis accepisse,* corpus S. Cœlestini XVI Kalendas Junii anni MCLXVII, ex veteri feretro in novum, permissu Episcopi Cameracensis (*erat is Petrus Alsatius, Theodorici Flandriæ Comitis filius, Episcopus solo titulo tenus, utpote sacrorum Ordinum expers*) esse translatum per Abbatem Einhamensem, eidemque Abbati tunc datum fuisse Caput. *De novo autem isto feretro agit Rayssius in Hierogazophylacio Belgico pag.* 428, *ubi ait, quod quas Rotnaci* deposuit Ludovicus Imperator Reliquias sanctorum Martyrum Cornelii Papæ, Cypriani Carthaginensis Episcopi, et S. Cœlestini, in feretro cupreo pie et honorifice conservabantur, Joannis Haii Theologi et Canonici Tornacensis temporibus: quod quidem feretrum Apostolorum imaginibus erat interstinctum, cujus longitudo quinque fere pedes æquabat, et in ejus margine tales versus inscripti visebantur:

est corpus S. Cœlestini elevatum an. 1167.

Duplex vita tenet cœlos, hic ossa tenentur:
    Ossa sigillavit hic operosa manus.
Sufficit ad titulum; Cœlestinum capit aula.
Gaudent in cœlis Cornelius et Cyprianus.
Vita Cœlestini gladio fuerat data fini:
Cornelius gladii suscepit acumine funus.
Cum quo bis deni gladio cæduntur et unus.

Carnificisque

tamquam Martyris

A Carnificisque manu sic passus erat Cyprianus.
Hic Cœlestinum Sanctos locat et Cyprianum
Hæc brevis arca Patres conjungit Apostolicos [tres.

2 *Porro, sicuti* Apostolici *nomen, quatenus etiam* S. Cypriano *tribuitur, non potest accipi in sua illa strictiori significatione, qua* Pontifex Romanus *dicitur* Apostolicus : *sic neque necesse est, ipsum ita sic tributum intelligere* Cœlestino; *maxime cum gladio cæsus dicatur is, cujus Rotnaci habentur Reliquiæ. Est quidem verum, quod neque* S. Cornelius *credatur a nobis martyrio cruento finivisse Vitam, et tota Passionis ejus historia rejicienda refutandaque sit in Tractatu, quem pridem paratum habemus de Chronologia Pontificum Romanorum. Fatendum est tamen historiam istam, seu malis vocare fabulam, antiquissimam esse; quam proinde nemini tunc suspectam sequi potuerint debuerintque Rotnacenses, in condenda epigraphe ista : cur autem errassent in* Cœlestino, *quem constabat in pace rexisse ecclesiam et obiisse anno Christi* CCCCXXXII, *Pontificatus sui* IX, *nulla rationabilis causa fingi potest. Quid? quod qui* SS. Cornelium et Cyprianum *cum reliqua Ecclesia* XVI *Septembris colendos assumpserant, nec* B *ignorabant* S. Cœlestino Papæ primo *a veteribus Martyrologiis assignari* VII *diem Aprilis, ab Anastasio diem* VI, *quando et nos de eo egimus, dimisso Aprili maluerint suum* S. Cœlestinum *colere* XVII *Maji, quando facta est translatio prædicta. Quare licet a posteris, nullum* S. Cœlestinum Martyrem *invenientibus in Martyrologio Usuardi, quo Belgicæ ecclesiæ ferme sunt usæ usque ad novissimam recognitionem Romani, aliquando sit creditum Rotnaci hab eri* corpus S. Cœlestini Papæ primi ; *major tamen habenda est fides antiquioribus Epigraphes prædictæ auctoribus, gladio cæsum Patronum suum asserentibus : sicut eis etiam habuit Saussayus in Martyrologio Gallicano,* Martyrem *appellans. Et hunc sententiam amplexi sunt Bartholomæus Petrus Lintrensis et Georgius Colvenerius Doctores Theologi Duacenses, qui Joannis Molani Natales Belgicos, in quibus dicebatur* Cœlestinus Papa, *cum Notis anno* MDCXVI *recudendos curarunt.* D

non ut Papæ Romani.

AUCTORE D. P.

3 *Ad Caput quod attinet separatum a corpore; edidit Lucas Acherius tomo* X *Spicilegii script. vet. Historiam cœnobii Affligemiensis, prope Alostum siti, non ita pridem continuatam ex propriis loci monumentis : ubi dicitur pag.* 614 Arnulfus Abbas, ex monacho et Priore affligemiensi, ab Einamensibus in Abbatem electus, cum diu cum laude rexisset, abdicante se Godscalco ab Affligemiensibus in Abbatem repetitus : *ac dein pag.* 615 *additur :* Ipse autem caput S. Cœlestini Papæ Eynamo, vel ut Eynamenses volunt, Rotnaco Affligemium attulit... obiit plenus meritis et diebus circa annum MCLXVIII. *Hæc ibi. Supra indicatus Rayssius pag.* 3 *et* 4 *refert Reliquias Affligemii asservatas, absque ulla* S. Cœlestini *mentione. Alius ab isto* S. Cœlestino Martyre *videtur etiam esse* Cœlestinus Abbas Blandiniensis, patria Scotus : quem a Carolo Martello in exilium trusum, propterea quod Ragenfredi diceretur esse partium, obiisse anno DCCLXV in monasterio Rotornacensi *tradit Meyerus in Annalibus Flandriæ. Si tamen ab obitu suo miraculis eum claruisse, atque pro Martyre habitum, posset ostendi; vix dubitarem quin majorum nostrorum vetus simplicitas, propter homonymiam personas temporaque confundens, una cum celebribus Sanctorum Cornelii et Cypriani Reliquiis, etiam allatum a Ludovico Imperatore crediderit, hujus S. Cœlestini corpus, tamquam alicujus qui pro Christiana fide sub Imperatoribus ethnicis martyrii agonem gladio consummarit : licet revera non mortuus, sed vivus istuc olim advenerit.*

Caput Affligemii.

Alius Cœlestinus Ab. Blandiniensis. E

NOT. 7.ᵉᵉ APP. TOM. VII MAJI

G. II.

DE SANCTO MONTANO

MONACHO RECLUSO IN GALLIA.

Notitia ex Hincmaro. Cultus in agro Luxemburgensi.

SECULO V

Ante an. 435

C **C***ultum sacrum* S. Montanus *hoc die nactus est, quo ejus corpus translatum : cujus ita meminit in Usuardi Auctario Molanus :* Lauduno Clavato translatio corporis S. Montani monachi. *Quæ inde transcripta leguntur apud Canisium et Ferrarium : item quia* monachus *dicitur, apud Wionem, Dorganium. Bucelinum; a quibus citatur* Hincmarus in initio Vitæ S. Remigii, *cujus ortum matri diu ante prædixit. Natum esse S. Remigium anno* CCCCXXXV *ostendimus ad Vitam S. Vedasti* VI *Februarii num.* VII, *ergo annis* XLV *antequam S. Benedictus nasceretur, ut prudenter eum emiserit Menardus. Saussayus in Martyrologio Gallicano, elogio ex Vita S. Remigii desumpto, eum sic exornat ad hunc* XVII *Maji.* Apud Lugdunum-Clavatum translatio corporis S. Montani Reclusi, prophetiæ spiritu et conversationis sanctissimæ gratia præclari : qui S. Ciliniæ, matri S. Remigii Apostoli Francorum, ejusdem nativitatem prædixit. Cumque esset cæcus, vaticinii ut fructum perciperet, post sacræ prolis ortum, materno lacte oculos liniens suos, visum recepit : postque temporalis luminis fruitionem, addita meritis coronide, ad sempiternæ lucis gaudia ovans profectus est. *Intelligendus proinde est* Montanus, *de quo Hincmarus ista scribit.*

2 Erat quidam venerabilis ac dignus professione et nomine, Montanus monachus, in reclusione solitariam vitam ducens, jejuniis, vigiliis atque orationibus continue vacans, nec non ceterarum virtutum insignibus adeo Divinitati se commendabilem reddens, ut Angelicis sæpe frueretur alloquiis, et frequenter cœlestibus visionibus ac revelationibus interesset. Is ergo cum pervigil in oratione pro pace sanctæ Ecclesiæ, quæ multis ac diversis afflictionibus apud Galliarum et Belgicarum provincias vexabatur, Deum omnipotentem indefessis precibus exoraret : nocte quadam plus solito orationem protelans, usque lucis crepusculum in contemplatione permansit. Qui cum lassitudine ac fragilitate carnis compellente, paululum membra sopori dedisset ; subito per divinam gratiam Angelorum choris et animarum cœtibus beatissimorum hominum jam cum Deo regnantium, et immortalitatem adhuc corporum expectantium spiritibus interfuit, et familiarissimum cœpit audire colloquium. Inter cetera igitur, quæ in conventu illo cœlico audivit, etiam illi sancti spiritus, humanæ salutis avidi, queritari cœperunt de Gallicanæ dejectione Ecclesiæ ; et quid facto ad talia opus esset, crebro versare sermone ; dicentes quia tempus esset miserendi ejus : duplicia enim receperat pro omnibus peccatis suis, quamquam fæx ejus non sit exinanita. His ita inter se

F

revelatione sibi facta de S. Remigio nascituro

A se conferentibus, subito vox adfuit, a superioribus atque secretioribus adytis, saluberrime atque suavissime intonans; quæ et præsentium solaretur spirituum mœstitiam, et quod futurum erat gratulabunda promulgaret sententia, ita dicendo: Dominus prospexit de excelso sancto suo, Dominus de cœlo in terram aspexit, ut audiret gemitus compeditorum, ut solveret filios interemptorum: ut annuntietur nomen ejus in gentibus, in conveniendo populos in unum et Reges ut serviant ei. Cilinia in utero concipiens, filium pariet nomine Remigium, cui a me salvandus populus committetur. Beata siquidem Cilinia, intenta piis operibus, licet corpore teneretur in mundo, mente conversabatur in cœlo....

AUCTORE D. P.

3 Vir autem ille venerabilis inter illius temporis innumera pericula, tanta consolatione accepta, Ciliniæ divinum oraculum, gratia Dei perceptum, innotuit. At illa dixit ad Montanum: Quomodo fieri potest ut anus lactem filium? cum mihi a temporibus multis exactis muliebria defecerint, ac vir meus Æmilius vetulus sit, ac in ævoso ejus corpore frigidus extet circum præcordia sanguis, et voluptatis B opera in eo penitus emarcuerint.... Cui B. Montanus respondit: Scias quia cum ablactaveris puerum Remigium, de lacte tuo perunges oculos meos, et recipiam lumen. Nam ut merita illi accrescerent, sicut et S. Tobiæ juxta divinum sermonem, ut justus justificetur adhuc, idem B. Montanus lumen corporalium oculorum amiserat.... Concipitur ergo futurus Christi Pontifex, et Christi adminiculante misericordia, mater beatissima feliciter filium genuit, cui Remigii secundum Domini dictum in baptismate nomen imponi fecit. Et ablactatus, sicut suus prænuntiator prædixerat, lacte matris oculos sui vatis matre obstetricante perungens, lumen illi gratia divina restituit... Ortus est autem in pago Laudensi alto parentum sanguine. *Hæc Hincmarus in dicta S. Remigii Vita: quam Fortunato tribuit Flodoardus, qui eadem lib.* 1 *Historiæ Remensis cap.* 10 *narrat; addens,* Montanum tertio fuisse admonitione pulsatum, ut matri suæ benedictæ Ciliniæ veridica relatione prædiceret.

Indicat Ciliniæ matri:

et visum recuperat hujus lacte.

4 *Alexander Wilthemius, vir antiquæ historiæ peritissimus, e collegio Societatis nostræ Luxemburgensi, quod Rector etiam gubernavit, aliquando ad nos ista perscripsit:* Intellexi in Aurea-valle traditionem esse, S. Montanum, qui D. Remigii sanctitatis vates matri C ejus fuit, cellam habuisse inter Martis-villam et Montem-medium, in loco qui hodieque ibi extat, dictus a S. Montano, cultus a vicinis ob miracula D ibi edi solita. Addunt et Reliquias quasdam esse in monasterio Virginum Juveniaci. *Nota sunt dicta oppida in Ducatu Luxemburgensi,* Mons-Medius *vulgo* Monmedy *ad Carum fluvium, a Francis anno* MDCLVII *post longam obsidionem interceptum. At* Martis-villa *vulgo* Marville, *magis vicina est Dampvillerio. Inter Montem-medium vero et Marvillam super Carum fluvium situm est* Juviniacum, *nobilissima Benedictini Ordinis et sanctimonialibus frequentissima Abbatia, cujus Antistita Domina est loci, qui olim S. Montani cella, nunc sacellum est; obtineturque ex illius permissione ab Eremitis duobus, quemadmodum didici ex litteris P. Jacobi Pirenne, et parva dumtaxat leuca distat a Parthenone cum prædio eodem spectante. Illuc autem dicuntur instituti peregrinationes frequentes ad depellendos pecorum morbos, quæ etiam circum sacellum religiose ducuntur. Sed nulla ibi adest Sancti Reliquia: fuisse tamen aliquando crediderim, et hanc ipsam majoris reverentiæ causa translatam esse ad monasterium: est autem, quantum meminit ipsius Juveniacensis Pastoris nepos, a prænominato P. Jacobo interrogatus, Os maxillare.* Mechliniæ, *in ecclesia Societatis Jesu aliqua particula Reliquiarum traditur esse* S. Montani, E *sed an hujus, quis dicet?*

Cultus ejus in agro Luxemburgensi

NOT. 8ª APP. TOM VII MAJI

5 *Alius* S. Montanus Martyr Sirmii in Pannonia *relatus a nobis est ex antiquis Martyrologiis die* XI *Maji, quo itidem* S. Montanus monachus *refertur in MS. Florario, qui* prius cæcus per lac matris S. Benigni (*imo* Remigii) restitutus *dicitur in MS. Usuardo in Alsatia aucto: quæ de hoc Sancto sunt intelligenda: ut etiam dum* S. Montanus Confessor *memoratur in MS. Martyrologio Ordinis Carmelitani, item alio Coloniæ et Lubecæ anno* MCCCCXC *excuso, et in Auctario Greveni. Habemus autem Missale Ecclesiæ Laudunensis, anno* MDVI *excusum, in quo ad* XVII *Maji præscribitur* Missa de S. Montano, *cum hac oratione:* Propitiare quæsumus, Domine, nobis famulis, tuis per S. Montani Confessoris tui, cujus Reliquiæ in præsenti requiescunt ecclesia, merita gloriosa, ut ejus pia intercessione ab omnibus semper protegamur adversis. Per Dominum etc. *et in Kalendario indicatur legenda Lectio tertia de Vita ejus, quam non existimat aliquando propriam extitisse, sed ex Hincmaro acceptam relationem jam supra datam. De ipso porro corpore, ejusque præsenti cultu, et veteribus recentioribusque miraculis si quid nos docuerint Laudunenses, libenter referemus vel ad Appendicem, vel in Supplemento operis per posteros nostros faciendo.* F

et 11 Maji.

Officium proprium 17 Maji.

G.H.

DE SANCTO STEPHANO

PATRIARCHA CONSTANTINOPOLITANO.

Cultus ex Synaxariis Res gestæ ex Leone Grammatico.

ANNO DCCCXCIII

Encomium ex Menologio Basilii Imperat.

C*elebrant Græci* S. Stephanum Patriarcham Constantinopolitanum *hoc* XVII *Maji, ac primo in Menologio Basilii Porphyrogeniti Imperatoris, non nisi post unum ab ejus morte seculum exarato, hoc de eo extat elogium:* Eadem die, XVII *Maji,* memoria Stephani Patriarchæ Constantinopolitani. Hic quidem natus est filius illustris Basilii Romanorum Imperatoris, ob ipsius autem ingenuos mores, ac reliquam prudentiam, animique quietem, et virtutis sublimitatem, cum adhuc juvenis foret, Imperatoris et sacræ Synodi Clerique totius ac populi suffragio, et quod potius dicendum est Dei beneplacito atque judicio, ordinatus fuit Patriarcha Constantinopolitanus. Collocatus autem in magno et sacro throno, et cura magni gregis suscepta, ad felix Ecclesiarum Dei regimen omnes cogitationes impendit: Custosque vigilantissimus et verus Pastor emicuit, suas oves dirigens secundum orthodoxæ religionis leges, misericordia pauperes prosequens, viduas et orphanos defendens, aliosque injuriis oppressos ab iniquorum manibus eruens, ac Deo in omnibus serviens. Quare cum ita se gereret, carnemque continentia castigaret, in ipso ætatis flore ad Christum migravit. *Hæc in dicto Basilii Imperatoris Menologio: quæ eadem inde, sed ad* XVIII *Maji, translata videntur fuisse in pervetustum MS. Synaxarium*

A *rium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod Parisiis in Collegio Claromontano Societatis Jesu asservatur, ubi sub initium indicatur eum* fuisse fratrem Imperatoris Leonis sapientis, *sive* Leonis Philosophi. *Tertio Cardinalis Baronius ad annum* 888 *num.* 9, *eadem retulit ex quodam* Græcorum Menologio, *asserens* relatum inter Sanctos, ejusque anniversariam diem natalem agi XVII Maji : *quo etiam die sacra ejus memoria celebratur in MSS. Græcis Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ, et duplicibus Taurinensibus Ducis Sabaudiæ, nec non sed ad* XVIII *in Divionensibus Societatis Jesu, et in his dicitur* μνήμη τοῦ ἐν ἁγίοις Πατρὸς ἡμῶν : *et quia* στέφανος *Græce* coronam *significat, in adjuncto disticho dicitur* Stephanus *ex peritura vita abiisse, et accepisse coronam non perituram : quod ita Græce exprimitur :*

MS. Synaxario

et aliis MSS. Menæis.

Ἐκ τοῦ διαῤῥέοντος ἐξέβη βίου
Στέφανος, οὗ στέφανος οὐ διαῤῥέει.

Iterum XXVII *Maji celebratur in citato MS. Synaxario, et alio Mazarinico.*

2 *Hactenus de ejus cultu in fastis MSS. Græcorum, latius deducta, quod nulla ejus mentio fiat in Græcorum Menæis excusis aut Menologio Sirleti. Ceterum ex* B *Historicis Græcis, qui hæc tempora attigerunt, plane Synchronus ei fuit Leo Grammaticus : qui cum rebus gestis Leonis Philosophi et Constantini Imperatorum, ac S. Stephani fratrum, suam historiam finit, excusam typis Luparæis cum historia Theophanis : et pag.* 470 *describit Acta Basilii Macedonis Imperatoris, et hæc mox interserit :* Porro Imperator, Natalitiorum Christi die, celebri processus apparatu, ad magnam Ecclesiam profectus, Stephanum filium baptizavit, et equis candidis ad currum junctis cum Augusta in eo sedit. Baanes autem Præpositus una cum eis ad palatium usque puerum gerebat, Imperatore per viam nummorum munus spargente. *Mortuus est Basilius Macedo Imperator Kalendis Martii anno* DCCCLXXXVI, *eique successit Leo Philosophus filius.* Stephanus autem, *inquit Leo Grammaticus pag.* 475, ejus frater, Syncellus erat cum Photio Patriarcha, ab hoc educatus et eruditus... At Photio se throno abdicare coacto, et in Armenianorum monasterium Bordi dictum detruso, Imperator fratrem suum Stephanum in Patriarchium induxit : qui imminentibus Christi Natalitiis Patriarcha consecratur a Theophane, primæ post Patriarcham Sedis Episcopo, et a reliquis Præsulibus. Vixitque in Patriarchatu annos sex et menses quinque : et vita functus, in Sicellorum monasterio sepelitur. *Hæc Leo Grammati-* C *cus. At Georgius Cedrenus in Historiarum compendio;* Basilius, *inquit,* Imperator Stephanum filium, reliquis natu minorem, Ecclesiasticorum collegio adscribit. *Tum* Leo Philosophus, Photio in monasterium amandato, e vestigio in ejus locum fratrem suum Stephanum Syncellum ingerit : quem quia tum Episcopus Heracleæ in vivis non erat, Theophanes Præses designavit.

Solenni pompa baptizatur :

consecratur Patriarcha a Theophane :

3 *Referuntur hæc ad annum primum Imperii Leonis, cujus anno tertio dicitur* Stephanus, Imperatoris frater, e vita decessisse, et in ejus locum Patriarcha creatus Antonius, cognomento Cauleas. *Eadem fere ex Cedreno descripsit Joannes Curopalates Scilitza. Vitam S. Antonii Cauleæ, a Nicephoro Philosopho auctore coævo scriptam, illustravimus ad diem* XII *Februarii, in quam cum hujus successione S. Stephani decessoris sanctitas sic prædicatur.* Hæc *gesta S. Antonii* movebant amorem Ecclesiæ Christi Sponsæ, ardebatque sitiens eum quem diligebat, et quærebat tempus conjunctionis : et prævidens tempus desponsionis, spe dulci jucunde ducebatur. Sciebat enim fore, ut præcedentis sponsi dignitate minime viduaretur, sed cum transmiserit sacrosanctum virum, qui ab infantia ad Deum vocabatur, eum, inquam, qui ex Corona nominatus fuit, Stephanus, et qui ex fasciis est sacrosanctus, sacrosancto conjungatur : qui ex illius privatione ab ea acceptum mœrorem solvet. *Præter hanc prædicti Antonii Vitam, habemus nunc etiam aliam ab alio Nicephoro, Gregora scilicet, concinnatam, totis quidem quatuor seculis post primam, talem tamen quæ huic magnam lucem allatura quandoque sit, nonnulla etiam suppletura quæ a Nicephoro Philosopho omissa sunt. In hac autem posteriori Antonii vita sic legitur :* Cum autem Stephano illius temporis Patriarcha defuncto, qui Throni Patriarchalis solitudinem non ferebant, Cathedra dignum quæritarent, omnium linguis prædicabatur Antonius. D

ejus a puero sanctitas.

AUCTORE G. H.

4 *His ita deductis, restant pauca de tempore Sedis S. Stephani breviter indicanda.* A Leone Philosopho fratre S. Stephanum in Patriarchium inductum, et in Patriarcham imminentibus Christi Natalitiis consecratum *testatur Leo Grammaticus : factum vero id est anno Imperii Leonis primo, Christi* DCCCLXXXVI, *et forte circa* XVIII *Decembris. Addit Leo Grammaticus* vixisse in Patriarchatu annos sex et menses quinque *ac proinde decessisse* XVII *Maji anno* DCCCXCIII : *ad quem annum initium S. Antonii successoris retulit Marquardus Freherus, in Chronologia præposita tomis duobus Juris Græco-Romani, Francofurti anno* MDXXXVI *excusis. Sed perperam initium Stephani opposuit anno* DCCCLXXV, *quando scilicet adhuc imperabat* Basilius, *cui sequenti dumtaxat anno vita functo successit filius Leo Philosophus, sub quo initiatum esse Patriarcham omnes admittunt, etiam Cedrenus et Sciitza; licet perperam anno sequenti hic, ille tertio anno e vita decessisse asserant. Atque ita tribus eum annis præfuisse etiam scribitur sub finem libri 4 dicti Juris Græco-Romani, et nos cum Baronio ad Vitam S. Antonii Cauleæ, ubi mortem S. Stephani, et successionem S. Antonii retulimus ad annum* DCCCLXXXVIII : *quod proinde hic cuperemus emendatum.*

Tempus Sedis. E

5 *Porro prædicto S. Antonio successit in fine seculi* IX Nicolaus Mysticus ; *et huic* XV Maji Indictione III, *id est* DCCCC *Christi anno* vita functo successor creatur Stephanus, Amaseæ Metropolita, *uti scribit Cedrenus : qui deinde, ut idem ait* die mensis Julii ιε', *id est* XV, *non* XXV, indictione sexta, *adeoque anno* DCCCCIII mortuus est : cum ei muneri præfuisset biennium et menses undecim. *Hic est ergo cujus* memoria, *cum epitheto distinctivo* τοῦ ἐξ Ἀμασείας μετατιθέντος, ex Amasea translati, *ad* XVIII *Julii inscribitur Synaxariis quibusdam MSS. Mediolani, Taurini et Parisiis, nec non omnium præclarissimo Claromontano supra laudato : unde dubium nascitur utrum pro* ιε' *apud Cedrenum non debeat legi et scribi* ιη' : *sed facile solvitur, cum Cedrenus ipsum diem mortis, Synaxaria depositionis diem notasse potuerint. Quæ omnia huc referre voluimus, tum ne unus cum altero confunderetur ; tum ne de eo, si forte aliud nihil singulare inveniatur, iterum nobis sit isto mense agendum.* F

Successorum unus Stephanus colitur.

DE

NOT. 9ᵃᵉ APP. TOM. VII MAJI

C. II.

DE SANCTO BRUNONE

EPISCOPO HERBIPOLENSI IN GERMANIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS

Natales ejus, rescripta Pontificum, elogia vitæ, et testimonia miraculorum exponens.

ANNO MXLV.

Floruit *seculo Christi undecimo sanctissimus Herbipolensis in Franconia Germaniæ provincia Episcopus* Bruno, *vita hac mortali functus anno* MXLV. *Fuit is et illustri generis prosapia natus, et eximia doctrina vitæque sanctitate clarus. Patrem ei* Conradum II Ducem Carinthiæ, *anno* MXXXIX *vita functum, assignat Hieronymus Megiserus in Annalibus Carinthiæ et in Tabula Genealogica inserta ad paginam* 772. *Eidem illustre fuit genus maternum, nato matre* Mechtilde, *filia Gebhardi Dynastæ Quernfortensis et Sophiæ Comitissæ Mansfeldensis: cui Gebhardo frater fuit* S. Bruno, *Episcopus et Apostolus Prussiæ, cum octodecim sociis martyrio coronatus anno* MVIII, XIV *Februarii, ad quem diem Acta ejus edidimus, diximusque videri ab hoc S. Brunone Martyre huic ejus nepoti nomen* Brunonis *inditum fuisse. Hanc prosapiam explicat Elias Reusnerus in Auctario operis genealogici* Βασιλικῶν *pagina* 45. *Est autem dictum* Quernfurtum *inter Salam, Unstrutum et Ravam amnes sita ditio, quæ peculiares olim Comites habuit, nunc Mansfeldiæ conjuncta est.*

Nobilis prosapia paterna B *et materna,*

2 *Eximia ejus doctrina, etiamnum in pretioso thesauro posteritati relicta elucet ob varia ejus Commentaria: quorum aliqua sunt in integrum Davidis Psalterium, et in Cantica tam antiqui quam novi Testamenti, quæ cum ipsis Psalmis in Officio Ecclesiastico recitantur: item in Orationem Dominicam, in Symbolum Apostolorum et S. Athanasii: quæ primo edita sunt anno* MCCCCXCIV, *dein e Joannis Cochlæi recognitione recusa anno* MDXXXIII, *nunc vero leguntur tomo* XI *Bibliothecæ Patrum editionis Coloniensis: sed Joannes Eisengrein in Catalogo testium Catholicæ veritatis folio* 81 *citat etiam* lucubrationes in Epistolas S. Pauli et Proverbia, *de quibus alibi nihil legimus.*

in varios Scripturæ libros Commentaria.

3 *Demum vitæ sanctitas optime colligitur ex miraculis, divinitus ad intercessionem* S. Brunonis *patratis: ex quibus habemus quadraginta et amplius intra* XIV *menses anni* MCCII *et sequentis notata; sic ut in iis legantur quinque cæci illuminati, surdi et muti sanati tres; claudi, paralytici et contracti viginti, submersi duo resuscitati, totidem suspensi servati, ac tres vincti catenisque ligati in libertatem restituti, energumeni etiam diabolo pulso liberati, calculosi, gibbosi, strumosi, et veneno infecti patrocinium ejusdem experti. Fuerunt hæc miracula Herbipoli anno* MDCXVI *ex veteri codice excusa, quæ nos hic damus: nec dubitamus, quin sequentibus annis fuerint plura hujusmodi patrata, quorum meminerunt Pontifices Romani Gregorius IX, qui præfuit Ecclesiæ a die* XXI *Martii anni* MCCXXVII *usque ad annum* MCCXLI, *et Innocentius IV, qui sedit a die* XXIV *Junii* MCCXLIII *usque ad annum* MCCLIV. *Horum litteras ex Registris Romanis habuit Cardinalis Baronius, et aliqua fragmenta ex iis decerpta edidit in suis Notationibus ad hunc* XVII *Maji. Nos easdem ab ejus atque Oderici Raynaldi in conscribendis Ecclesiasticis Annalibus dignissimo successore Leandro Coloredo ex Registro Archivii Vaticani transcriptas, integras accepimus atque hic damus.* Gregorii IX *Epist.* 56 *data anno Christi* MCCXXXIII *hujusmodi est, inscripta* Abbatibus... de Brannebach et... Scovetal Cisterciensis Ordinis Herbipolensis diœcesis et... Priori Fratrum Prædicatorum Herbipolensium.

C *Miracula hic danda:*

4 Mirabilis Deus in Sanctis suis, ut suæ virtutis potentiam mirabiliter manifestet, et salutis nostræ causam misericorditer operetur; fideles suos quos semper coronat in cœlo, in mundo etiam frequenter honorat, ad eorum memorias signa faciens et prodigia, per quæ pravitas confundatur hæretica et fides Catholica confirmetur. Nos ergo quantas possumus, etsi non quantas debemus, omnipotenti Deo gratiarum referimus actiones, quod in diebus nostris, ad confirmationem Catholicæ fidei et confusionem hæreticæ pravitatis, evidenter innovat signa, et mirabilia portenta immutat, faciens illos coruscare miraculis, qui fidem Catholicam tam corde quam ore nec non et opere tenuerunt. Sicut enim Vener. Fr. N. Episcopus et dilectus Filius Decanus et Capitulum ac Populus Herbipolensis nobis per nuntios suos et litteras intimarunt, Dominus tantam piæ memoriæ Brunoni Episcopo Herbipolensi contulit gloriam, quod sepulcrum ejus tot et tantis dat coruscare miraculis, ut inter alios Sanctos ejus non invocari suffragia sit indignum. Quare nobis humiliter supplicatur, ut super miraculis, quæ per eum Dominus operatur, testimonia recipi faceremus. Verum quia in tam sancto negotio non est nisi maturitate et gravitate prævia procedendum, de circumspectione vestra plenam in Domino fiduciam obtinentes mandamus, quatenus, adscitis vobis viris religiosis et Dominum timentibus, de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentissime inquirentes, depositiones testium receptorum sub sigillis vestris inclusas usque ad nostrum beneplacitum conservetis. Quod si non omnes etc. Datum Lateran. Kalend. Maji anno XII. *Executos esse quod sibi mandatum fuerat Commissarios Apostolicos, liquet ex* Innocentii IV, *post brevem Cœlestini IV dierum octodecim Pontificatum succedentis, Epistola* 364, *ad eosdem Abbates et Priorem data anno* MCCXLVI, *hujuscemodi tenoris.*

de quibus monitus Gregorius 9 E *jubet informationes de iis sumi* F

5 Dudum Vener. Fratri N. Episcopo et dilectis Filiis Capitulo Herbipolensi intimantibus fel. record. Gregorio PP. præd. nostro, quod sanctæ memoriæ Bruno Herbipolensis Episcopus, qui olim degens in mundo magnis pollebat meritis, nunc vivens in cœlo tot coruscat miraculis, ut ejus sanctitas apertis indiciis comprobetur, et ejus inter alios Sanctos non invocari suffragia est indignum; ac per hoc supplicantibus ut eum Sanctorum adscriberet Catalogo venerandum: idem Prædecessor vobis dedit suis litteris in mandatis, ut adscitis vobis viris religiosis et Deum timentibus, de virtute morum et veritate signorum, operibus videlicet et miraculis, diligentissime inquirentes, depositiones testium receptorum sub sigillis vestris inclusas ad Sedem Apostolicam fideliter mitteretis. Licet igitur, per inquisitionem factam super iis per vos, quam de mandato nostro ad Sedem transmisistis eamdem, de ipsius Sancti miraculis plane constet, per quæ Sanctus quis videtur haberi posse apud homines in Ecclesia militante; quia tamen

et Innoc. 4 præterea mandat

A men ad hoc, ut in Ecclesia triumphante Sanctus sit aliquis apud Deum, perseverantia sola sufficit, juxta illud. Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ (quod evidenter illa Joseph talaris tunica figurabat) ut merita et miracula sibi invicem testentur, cum nec merita sine miraculis, nec miracula sine meritis plene sufficiant ad perhibendum inter homines testimonium sanctitati: et propter diuturnitatem temporis non possit in Teutonia reperiri aliquis ut asseritur, qui super iis de visu queat testimonium perhibere: Nos attendentes, quod in tam sancto et pio negotio est cum gravitate ac maturitate plurima procedendum, mandamus, quod non solum per testes, sed famam etiam et auditum ac scripturas authenticas, de vita et conversatione ac meritis ejus, per vos vel alios fide dignos solicite inquirentes, quæ inveneritis nobis sub sigillis vestris fideliter transmittatis. Quod si non omnes etc. Datum Lugduni Nonis Novembr. anno v. *Equidem nullus dubito quin hoc quoque mandatum simili accuratione expleverint Commissarii, secutaque sit desiderata Canonizatio: neque enim adeo cunctanter ut nunc, in hujusmodi negotiis procedebatur: sed doleo quod Decretum super ea re editum nusquam inveniatur, multoque magis, quod necdum* B *uspiam se prodiderit exemplum prædictorum Processuum, ex quibus hujus Sancti gloria mirifice potuisset per nos illustrari, prout jam sæpe probavimus in aliis.*

inquiri in vitam,

saltem ex fama et scriptis.

6 *Interim gaudendum merito est, quod horum defectus non retardaverit Cardinalem Baronium, quo minus inscriberet nomen ejus novissimis Romani Martyrologii tabulis a se recognitis et multipliciter auctis. Idem ante a Galesinio cum illustri hoc elogio factum erat:* Herbipoli S. Brunonis Episcopi et Confessoris. Hic in familia clarissima natus, divinis excultus muneribus, illius civitatis Episcopus factus, omne patrimonium in Ecclesiarum usum atque ornatum contulit. S. Chiliani ecclesiam magnificentissima ædificatione construxit atque illustravit, et amplo item prædio auxit. In omni denique genere virtutis vigilans, vitaque ac moribus cum Christi disciplina congruens, tum studio tum exemplo Herbipolensium civium mentes ad hæreditatem patriæ cœlestis accendit. *Hæc ibi, quæ inde in tertiam editionem Martyrologii Germanici, a Petro Canisio cœpti translata sunt, sed plurimum contracta. Auctorem Galesinius allegat in suis Annotationibus Democharem; et errantem secuto Baronio, at Baronium secuto Canisio, occasionem dedit errandi; dum pro* XXVII *Maji, quem in Bruschio mox citando legerat* S. Brunoni *mortualem fuisse, transcripsit* XVII. *Dubitavimus ergo essetne ad dictum diem nobis* C *differendus hic Sanctus: nam miraculorum hic titulus est:* Miracula S. Brunonis Episcopi XX Herbipolensis, qui obiit XXVII mensis Maji anno MXLV; *et huic numero consonat Epitaphium,* VI Kalendarum Junii *signans. Sed cum Ecclesia Herbipolensis, pro Romani Martyrologii reverentia, cœperit eum colere hoc* XVII *Maji, nos quoque eumdem diem retinemus; donec error per novam Martyrologii ejusdem recognitionem corrigatur.*

Nomen in Martyrologio Rom.

7 *Acta ejus et præclara facinora, quæ facile potuerunt saltem ex Processibus colligi, miramur olim non fuisse accurate conscripta. Si autem fuerint exarata, dolemus aut jam pridem excidisse, aut alicubi adhuc in absconditis bibliothecarum scriniis latere. Eorum loco damus pauca aliorum de eo elogia. Primum sit Joannis Trithemii, Abbatis Spanhemensis, dein S. Jacobi in suburbano Herbipolensi: qui in libro de Scriptoribus Ecclesiasticis, anno* MCCCCXCII *absoluto, ista habet:* Bruno Episcopus Herbipolensis, Conradi Imperatoris secundi patruelis, natione Theutonicus, vir in divinis Scripturis studiosus, vita et conversatione sanctissimus, qui ob meritorum suorum excellentiam catalogo Sanctorum inscriptus, Franciæ Orientalis singularis Patronus habetur, comportavit ex antiquorum Patrum scriptis pulchram expositionem in totum Psalterium. Si aliud scripserit, nescio. Moritur sub Henrico Imperatore secundo, anno Domini MXLV, Indictione XIII, VI Kalendas Junii. *Similia habet idem Trithemius in Catalogo virorum illustrium Germaniæ, ubi dicitur* secularium litterarum non ignarus, ingenio præstans, eloquio dulcis et ornatus, et qui multis et vivus et mortuus miraculis coruscavit. *Prodiit typis dictum Psalterium anno* MCCCCXCVIII, *ad quod aliquis Herbipolensis ista præfatur:* Beatus Pater Bruno, secundum seculi dignitatem Conradi II Imperatoris patruelis, secundum Dei vero electionem Herbipolensis olim præclarus Episcopus, religione et vita sanctus; post mortem ipsam temporalem (quam subiit anno Christi millesimo quadragesimo quinto, sexto Kalendas Junii) etiam miraculis clarus; præter majorum virtutum opera, quibus in Dominico ovili Pastor bonus effulsit, quibusque commissum sibi a Domino gregem et opere et exemplo semper pavit; thesaurizans nihilominus posteris filiis suis memorabilem et sanctum Psalmorum librum, ex quo iste impressus est, sumptuose scriptum, quasi hæreditatis spiritualis non minimam portionem reliquit: quod et Apostolo nostro beatissimæque civitatis Herbipolensis primo Episcopo S. Kiliano offerens, his eumdem sanctum Patronum nostrum versiculis exorat:

Elogia ex Trithemio,

D AUCTORE G. H.

Præfatione ad ejus Psalterium,

E

Sit collega tuæ sortis, Pater o Kiliane,
Antistes, dono qui te veneratur in isto.

8 *Addimus loco longioris Vitæ epitomen a Gaspare Bruschio editam an.* MDXLIX *in Episcopis Herbipolensibus his verbis:* XIX S. Bruno, Conradi Carinthiæ Ducis filius, matre Baronissa a Querfurdt natus, Imperatoris Conradi secundi patruelis, aut (ut aliqui volunt) e sorore nepos, eligitur in Episcopum Herbipolensem ab unanimiter consentiente Clero, anno Domini MXXXIII. Præfuit summa cum laude annis undecim, uno mense, diebus quatuordecim. Construxit et illustravit magnificentissimis ædificiis Cathedralem S. Chiliani Ecclesiam: alia etiam totius Episcopatus templa pulchre reficiens ac exornans, in quæ omne patrimonium suum contulit. Fuit Episcopus eximie doctus: scripsit Commentarium in Psalterium Davidicum qui extat. Secutus est anno Domini MXXXIV Conradum Imperatorem in Italiam, ad eam debellandam ac suæ potestati subjiciendam profectum. Obsidente vero et graviter aliquoties oppugnante Imperatore Mediolanum, accidit in ipso sanctæ Pentecostes festo, ut Episcopo Brunone in castris Imperatoris Sacra faciente, tanta cœli tempestas oriretur, ut omnes homines diem extremi judicii adesse arbitrarentur: multi enim milites de cœlo fulmine tacti perierunt, multis etiam tantæ tempestatis horrore ad insaniam redactis. Episcopus Bruno ad altare stans, nihilominus Sacrum suum absolvit. Quo peracto Imperatorem accedens, dixit in ipso Sacro apparuisse sibi S. Ambrosium, Mediolanensium olim Episcopum: qui, nisi Imperator statim obsidione urbem solveret, gravia ipsius vitæ ac valetudini minitaretur. Hoc sive prodigio sive commento Imperator motus, ac ab Episcopo Brunone persuasus, facta prius pace cum civibus, urbem obsidione solvit, raptis tamen ad supplicium præcipuis aliquot civibus, talis rebellionis et contumaciæ auctoribus. Bruno ex hac expeditione Herbipolim reversus, dono dedit Ecclesiæ Herbipolensi nobile prædium quoddam Westphaliæ, lingua Saxonica Sunnenreich cognominatum, quod mortua matre ad ipsum erat devolutum: ex quo prædio singulis annis habebat quinquaginta marcas argenti puri, et alia quædam apophoreta.

et Bruschio, juxta quem

Episcopus creatus an. 1033,

obsidionem Mediolanensem

suadet solvendam.

A 9 Anno Domini MXLV proficiscitur, cum Imperatore Henrico Nigro ac multis aliis Germaniæ Principibus, in Pannonias. Cum autem in superioris Pannoniæ castro quodam Bosenburgo, e regione Ipsensis oppidi ad Danubium sita, pernoctaret Imperator cum omnibus Principibus; ipsa Maji vicesima die concidit ejusdem arcis sublime ac ruinosum cœnaculum seu solarium, in quod jam cœnandi causa tota Cæsaris aula convenerat. Imperator, ruente cœnaculo, apprehensa fenestra, singulari Dei protectione incolumis mansit. Reliqua tota multitudo, Principes, Episcopi, Nobiles ac Milites, summi et infimi corruerunt: inter quos multi statim expirarunt, multi graviter læsi et mutilati sunt. Ibi Episcopus Bruno tam misere etiam et inclementer a fortuna, rerum humanarum moderatrice, exceptus est, ut septimo die post hunc casum in eadem arcæ naturæ debitum absolveret, vigesimo septimo videlicet die Maji anni MXLV. Revectus est cum summo omnium suorum luctu Herbipolim, ubi in summæ basilicæ crypta sepultus ac terræ parenti redditus est cum tali epitaphio:

AUCTORE G. H.

et an. 1045 ruina cœnaculi læsus,

obit 27 Maji,

Anno Domini MXLV, sexta Kalendarum Junii,
B obiit Beatus Bruno Episcopus, fundator hujus Ecclesiæ.

10 *Hæc Bruschius: qui quæ narrat de obsidione Mediolanensi, et suborta tempestate, accepisse potuit ex Sigeberti Chronico ad annum* MXXXIX, *quando dies Pentecostes cadebat in* III *Junii: ubi consequenter additur, quod:* Bruno Episcopus, qui Missam canebat, et Secretarius Imperatoris cum aliis tribus, dixerunt, se inter Missarum solennia vidisse S. Ambrosium, Imperatori indignando minitantem. *Hermannus Contractus, Conradus Abbas Urspergensis et alii, referunt hanc expeditionem ad annum* MXXXVII, *quando festum Pentecostale occupabat diem* XXIX *Maji, absque ulla hujus tempestatis et apparentis S. Ambrosii mentione. Idem Hermannus Contractus Henrici Nigri ternas expeditiones in Pannoniam describit, in favorem Regis Petri contra rebelles ejus subditos, susceptas anno* MXLII, III, IV; *anno deinde sequenti narrat, quomodo* Petrus Rex Henricum Regem in festivitate Pentecostes, *id est* XXV *Maji,* ad se invitatum magno apparatu suscepit, et maximis muneribus donavit, eique regnum Pannoniarum, Principibus Hungarorum fidelitatem ei et successoribus ejus juramento firmantibus, reddidit: quod tamen ab eo ipso, dum viveret, possidendum recepit. In quo, *inquit,* itinere Rex quoddam vetus solarium ascendens, cum multis aliis
C ædificio cadente corruit: ipsoque, Deo protegente, illæso, Bruno Wirciburgensis Episcopus, letaliter cum aliis collapsus, post unam hebdomadam, id est VII Kalendas Junias, obiit; et ad Sedem suam reportatus ibique sepultus, Adalberonem successorem suscepit. *Porro* Ipsense oppidum, *vulgo* Ips, *e regione cujus ruina præmemorata accidit, nomen habet a fluvio inter Lintzium et Viennam, pari fere utrimque* 12 *Germanicorum milliarium intervallo, Danubium subeunte, situm in monte; cui ex adversa ripa objacens castrum, in tabulis Geographicis varie exprimitur,* Porsenperg, *et* Besenburg, *intra terminos Austriæ Superioris, quam sane apparet haud recte cum Pannonia Superiori confundi a Bruschio: cui tamen ipsum Epitaphium Brunonis transcribenti potius crediderim quam Hermanno quoad diem obitus, retinendo* VI Kalendas Junias, *tunc Feriam* II *Pentecostes: quod et Trithemius fecit et Abbas Urspergensis. Posteriores scriptores sua ex Bruschio contraxerunt; ut sunt Antonius Monchiacenus Demochares de Missæ sacrificio in Herbipolensibus Episcopis, Petrus Cratepolius de Sanctis Germaniæ, Joannes Gualterus in Chronico Chronicorum in Catalogo Episcoporum Herbipolensium, Sixtus, Senensis, Conradus Gesnerus, Antonius Possevinus, Bucelinus, et alii.*

in itinere versus Hungariam

in Austria superiore.

D

MIRACULA

Anno MCCII et MCCIII patrata ex MS.

Anno Incarnationis Domini millesimo ducentesimo secundo, sexto decimo Kalendas Julii, luna vicesima secunda, visa sunt miracula in crypta Sanctorum Martyrum Kiliani et Sociorum ejus, et Beati Protomartyris Stephani.

1 Primum est quod cum quædam mulier paupercula; nomine Gepa contracta esset octo annis et amplius, in die Dominica mane, cum Missa celebraretur, eadem mulier casu Missæ interfuit juxta tumbam S. Brunonis Wirzeburgensis Episcopi: quæ multis videntibus gressum recepit. Eadem die cuidam mulieri, nomine Adelheidi, strumæ magnæ circa collum ad nihilum redactæ, non amplius apparuerunt. *16 Junii*

2 Quarta feria ejusdem hebdomadæ, eodem evomuit venenum in magna quantitate, et ad plenum curata est. In illa nocte paullo ante crepusculum, quædam virgo de civitate Wirtzburg Recheiderin, recepit gressum, testimonio multorum. *19 Junii*

E

3 Quinta feria ejusdem hebdomadæ, mulier quædam de Elthman, media die, Sacerdote suo sibi testimonium perhibente, visum recepit. Circa noctem quædam virgo nomine Bertha de Wirtzburg, ab infantia contracta, recepit gressum. *20 Junii*

4 In vigilia S. Joannis Baptistæ, mulier quædam de Limbach, nomine Demut, in tantum contracta, quod in terra serpebat, liberum recepit gressum. *23 Junii*

5 Sequenti die, quædam de Leinnach, quæ in carruca venerat, gressum recepit. Quidam puer de Buttelbrunn, nomine Heinricus, in manu et uno crure contractus, est curatus. Quædam puella de Bleichfeldt, Irmengart contracta, erecta est. Sub testimonio multorum contigerunt ista. *24 Junii*

6 In festo S. Joannis et Pauli, nomine Adelheit, qui fuit surda et muta et contracta, curata est. Eodem die quædam de Alhusen, a gibbo maximo, omnibus videntibus, curata est. *26 Junii*

7 Sequenti die feria V, Henricus de Lougingen, qui sufficiens testimonium non habebat, juravit quod uno crure longo tempore contractus fuerit, et curatus est. *27 Junii*

8 Feria sexta puer quidam, longo tempore contractus et infirmus, curatus est. Eodem die virgo quædam de Gorbolsdorff, Militis filia, cum deberet discere Psalterium, a dæmonio sæpius vexata, perdidit loquelam septem diebus; et conveniendo ad nostram civitatem, in itinere recepit loquelam, multorum testimonio. *28 Junii*

F

9 In Vigilia S. Kiliani, post Matutinas, quædam de Windsheim, Wendelmut, manu contracta, curata est. *7 Julii*

10 In die sancto B. Kiliani et Sociorum ejus, vir quidam de Himmelstat, longo tempore cæcus, visum recepit. Media die puer quidam de nostra civitate, in manu contractus, est curatus. *8 Julii*

11 In divisione Apostolorum, quædam, nomine Bertha de Ochsenfurt, contracta, est erecta. Eodem die, de Wertheim et Geilenhausen, duæ puellæ, bono testimonio, sunt erectæ. *15 Julii.*

12 Sequenti die quædam, Mechilt nomine, quinque annis contracta, est erecta. Quidam servulus Canonici nostræ Ecclesiæ, qui ab infantia fuit contractus, nomine Reinhardus est erectus. *16 Julii*

13 Virgo quædam de Bambergensi civitate, juxta tumbam S. Kunigundis duobus annis morata fuit: quæ in nocte Reginæ Virginis, media nocte curata est, et quinque annos ita contracta fuit, quod in terra manibus ambabus et pedibus serpebat, cui nomen est *7 Septemb.*

est Agnes. Quædam de Iphonen, Kunigundis nomine, per annum et dimidium contracta in uno crure, dum juxta tumbam S. Kunigundis Bambergæ fuit, in somnis vidit qualiter S. Bruno eam curare deberet : quæ cum esset in itinere, et navigio ad civitatem vellet venire, libere gressum recepit. Quidam puer qui sex annorum fuit, de Ense, apprehensus est a lupo hora vespertina, et ad silvam delatus ab eo, et undecim vulneribus infectus. Cujus mater, dispersis crinibus et vestibus laceratis, cum magno clamore invocando S. Brunonem sequebatur, et puerum apud lupum semivivum invenit. Quæ ut S. Brunonem ter invocavit, lupus a puero recessit, et sic per S. Brunonem evasit. Quædam de Wormatia, ab infantia surda et muta, testimonio multorum honestorum virorum, qui tunc aderant, qui etiam postea venerunt, auditum recepit et loquelam. Quædam de nostra civitate, Gisela nomine, a dæmonio liberata fuit. Alia de nostra civitate, Irmengart nomine, visum recepit. Sequenti die alia quædam, Jutta nomine, illuminata fuit.

14 In Parasceve quidam puer trium annorum usque ad mediam diem in aqua submersus fuit, et inventus est mortuus : cujus pater et mater dum invocarent S. Brunonem, et per invocationem multorum, resuscitatus est. Quædam puella de Retzstadt, quatuor annis a dæmonio vexata, liberata fuit. Quidam puer a furibus captus fuit, et in compedibus positus : qui cum solus esset, invocavit S. Brunonem, et tetigit compedes, et solutus est. Quidam captus erat qui innocens fuit : et dum suspenderetur, invocavit S. Brunonem, et suspensus pependit de tertia usque ad vesperas, quod non poterat mori. Dumque suspendentes traherent eum per pedes, ut eo citius moreretur; non profuit : sed postea a quodam transeunte solutus fuit, et sic evasit. Quædam juxta tumbam S. Brunonis; quæ fuit obsessa, fuit absoluta. Quædam arreptitia, quæ fuit mater undecim puerorum, et in quolibet eorum partu a dæmonio vexata, ad ultimum per septem dies plene obsessa est, ita quod insanivit : et ad tumbam S. Brunonis, liberata fuit. Quidam contractus de ista civitate, multorum testimonio, ad tumbam S. Brunonis fuit erectus. Quidam Eberh, mercator de ista civitate, in compedibus ligatus, per S. Brunonem fuit liberatus et evasit. Quidam puer de Schmalkalden citra sex annos semper serpebat in terra : qui infra Passionem Domini recepit gressum. Quidam puer de Tubera, qui submersus fuit in puteo, a prima usque ad meridiem mortuus, circa vesperas vivus evasit.

Anno 1203 4 Aprilis — *Ex ms.*

15 Quædam Virgo cæca, in Vigilia Ascensionis Domini, ad tumbam S. Brunonis, illuminata est. *14 Maji* Puer Uldarici, de Ehrenbrehteshoven nobilis viri, in calculo laborans, ad tumbam S. Brunonis oblatus, multorum testimonio liberatus est. Quidam paralyticus sex annis et amplius, qui multos habuit cognatos in civitate, curatus est. Quidam de Fulda innocenter suspensus, auxilio S. Brunonis evasit.

16 Quædam Erdlindis Eleemosynaria Domini L. de Sphippe, tribus catenis ligata fuit, quarum una juxta tumbam S. Chiliani, altera in Mergetheim, tertia in Vigilia S. Kiliani ad tumbam S. Brunonis decidit, et sic soluta et curata evasit. *7 Julii* Quidam puer de Heydingsvelt, in genibus ab infantia tantum debilitatus, ita quod ire non posset, a parentibus suis ad tumbam S. Brunonis oblatus, ibidem gressum recepit. Alter puer de Karleburg cujus sinistra manus contracta fuit, in præsentia multorum curatus est. Uxor Sculteti de Pissingen, clauda, et in uno crure contracta, delata est ad tumbam S. Brunonis: cujus invocans gratiam, subito crure erecto gressum recepit, et puer ejusdem calculosus a calculo liberatus fuit.

DE B. THETHMARO PRESBYTERO

PROFESSO REGULAM S. AUGUSTINI,

G. H.

IN HOLSATIA ET WAGRIA.

Vita Collecta ex Chronico Slavorum Helmoldi coævi.

ANNO MCLII. — *Tempus obitus*

Inter viros *Apostolicos, qui Holsatiam, Wagriam, ac vicinas ditiones doctrina et sanctitate vitæ illustrarunt seculo Christi duodecimo, fuerunt* Vicelinus, Aldenburgensis *ibidem* Episcopus (*cujus Sedes anno* MCLXIII *Lubecam est translata*) *ejusque discipulus* Thethmarus. *Illius dies natalis est* XII *Decembris, hujus* XVII *Maji, quo obiit* in Vigilia Pentecostes, *non post annum* MCLX, *quo eum floruisse scribit Bucelinus; sed anno* MCLII, *quando cyclo Lunæ* XIII, *Solis etiam* XIII *litteris Dominicalibus FE, Pascha celebratum fuit* XXX *Martii, et Pentecostes* XVIII *Maji. Florebat eodem seculo* XII *in Wagria dicti Vicelini discipulus* Helmoldus, Presbyter Bosoviensis *apud Plonensem ibidem lucum, mortuus anno* MCLXX *: cujus calamo habemus exaratum Chronicon Slavorum : ex quo res præclare gestas a* Thethmaro *decerpimus, et hic damus. Inter monasteria ibidem a Vicelino erecta, fuit* Falstera, *in agro Holsatico posteris* Neomonasterium *et incolis vicinisque* Newmuster *dictum, inter oppida Plonam et Itsehoam situm ad amnem Schwalam, aliis Schalam, qui non procul inde in Storam defluit, ac postea, haud procul infra Glucstadium in Albim delabitur. Aliud monasterium constructum fuit prope arcem* Sigeberg, *auctore eodem Vicelino a Lothario Imperatore erectam : quo monasterio everso B. Volkerus Martyr occubuit, ad cujus Natalem* VII *Martii late de hac regione et fide introducta egimus : quæ omnia lector ibidem reperiet. Dein aliud monasterium constructum est ad dexteram ripam Travæ fluvii* in oppido Slavice Cuzalina, Teutonice *olim* Hagerestorp, *nunc* Hagelsdorf, *in Præfectura Wagriæ Sigebergensi ad confinia Stormariæ. His prælibatis accipe quæ de* Thethmaro *habet Helmoldus, lib.* 1 *cap.* 73 *aliis* 74 *ita scribens :*

Vita ab Helmoldo scripta. — *Monasteria in quibus vixit.*

2 Ut de vita Thethmari quiddam breviter summatimque perstringam, ante conceptum matri sanctæ revelatus, ab ipsis cunabulis mancipatus est altaris ministerio; commendatusque bono Magistro [Vicelino] discipulus optimus, perseveravit in disciplina usque ad viriles annos. Discipulus in Brema, socius in Francia, sustinuit jugum Magistri cum patientia, juxta illud Jeremiæ : Bonum est viro cum portaverit jugum ab adolescentia sua. Post reditum a Francia, abeunte Domino Vicelino in Slaviam, veluti sublato pædagogo, relictus est sibimet. Qualis ergo apud Bremam in regendis scholis, et qualis in Decania fuerit, dixerint Bremenses. Hoc dixisse sat est: quia post digressum ejus, lumen Ecclesiæ illius sublatum, Brema clamabat.

Educatus sub B. Vicelino. — *Thre. 3, 27* — *Bremæ Decanus.*

A AUCTORE G. H.

3 *Hic liceat interponere, quæ idem Helmoldus cap. 58 ejusdem libri primi scripserat*, In diebus, *inquit*, illis nobilissimus vir Thethmarus, Domini Vicelini quondam discipulus, et in studio apud Franciam socius, relicta Præbenda et Decania Bremensi, devovit se Falderensi collegio; vir contemptor hujus seculi, sectator voluntariæ paupertatis, et in spirituali conversatione summæ perfectionis. Cujus per omnia extollenda sanctitas tanto humilitatis culmine et benignitatis vigore subnixa erat, ut videres inter homines Angelum, scientem compati infirmitatibus singulorum, tentatum autem per omnia. Destinatus posthæc Hagerestorph, quæ et Cuzelina, cum aliis Fratribus, hominibus novæ transmigrationis magno solatio fuit. *Hæc ibi Helmoldus, quæ in citato capite 73 idem sic exponit*: Translatus ergo in Falderam, desiderio melioris vitæ, magnum gaudium attulit sua præsentia Domino Vicelino; sed et omnibus, quos angulus ille horroris et vastæ solitudinis continebat, nova quædam facies orta est de adventu tanti hospitis. Post aliquot annos, dilatante Deo fines Ecclesiæ, missus est Cuzelinam, quæ et Hagerestorph, et incolis novæ habitationis solatio fuit.

in conversatione Angelus habitus:

degit Falderæ

B Captivis enim et despoliatis tanta pietate concurrebat, ut dandi magnitudo vires domus illius adhuc teneræ excedere videretur. Inter orandum sive legendum aures ejus semper vigilabant ad ostium, suspensæ quando venit egenus pulsans et petens. Reverebatur eum Comes Adolfus, eo quod redargueret culpas ejus, nec parceret delinquenti. Duritiam enim cordis ipsius, quam exhibuit Episcopo, venerabilis ille Sacerdos adhibitis emplástris emollire sategit, sed omne medicamentum altior morbus evicit. Audito tamen eo multa faciebat, sciens eum virum justum et sanctum. Expletis ergo annis decem, infirmitate correptus est, absente Episcopo et apud Marcipolim posito.

dein Hagerestorphi.

4 Cum ergo Fratres, lecto ægrotantis appliciti, spem recuperandæ salutis instaurarent, ille cum magna recusatione aiebat: Nolite, Fratres dilecti, præsentis vitæ dilationem mihi repromittere: nolite spiritum meum, de peregrinationis fastigio ad patriam tendentem, hujuscemodi verbis affligere. Ecce decem anni sunt, ex quo vitam meam sub professionis hujus titulo protrahi rogavi: et exauditus sum. Nunc tandem laborum requies oranda est: et confido de solita pietate Dei, quia nec hac petitione frustrabor.

Æger anhelat ad cœlum:

C Augebantur ergo torsiones vitalium, nec tamen in defectu corporis vigor interioris hominis emarcuit. Completum est in eo illud Salomonis: Fortis est ut mors dilectio, flumina et venti non potuerunt extinguere eam. In moriente vivebat caritas, quæ in exhausto corpore integrabat affectum, præbentem Fratribus solatium de mœrore, consilium in rebus ambiguis, morum ædificationem, imprimentem cordibus amicorum novissima quædam valedictionis vestigia, numquam abolenda. Sed nec immemor dilectissimi Patris sui Vicelini, orabat perintime vias ejus a Deo dirigi, per hunc sibi viam salutis et spem regni patefactam multoties congratulans. Venerunt ergo ad ægrotum, fraterna solicitudine, Prior Falderensis Ecclesiæ Eppo et Bruno Sacerdos, et post visitationem exhibuerunt ei sacræ Unctionis officium. Quo venerabiliter suscepto, participatione nihilominus vivifici Corporis Domini communitus, perseverabat in gratiarum actione. Nocte vero qua Vigilia Pentecostes obvenerat, hoc est, XVI Kalendas Junii, pervigil in oratione, precibus invitavit Angelos, suffragia Sanctorum interpellavit omnium: jamque recedente anima, movebatur adhuc lingua in oratione et confessione laudis. O dignissimum Sacerdotem! o gratissimam Deo animam! Felicem dixerim in cursu, sed feliciorem in

Cant. 8. 7.

consolatur Socios:

Extremis Sacramentis munitus pie moritur:

D perventione, qui brevissimi laboris compendio apud Deum gloriam meruit sempiternam, apud homines sanctæ recordationis affectum.

5 *Hæc ibi Helmoldus, a quo indicata* Marcipolis *est* Merseburgum, *urbs Episcopalis Misniæ, quo ad quædam Comitia evocatus fuerat* Vicelinus Episcopus: qui, *inquit Helmoldus sub initium dicti capitis* 73, reversus in parochiam suam, invenit sanctissimum virum Thethmarum præsenti vitæ subtractum: quod nimirum Episcopo maximam intulit mœstitiam. Ille enim dulcissimus vir, omnium semper devotione complectendus, neminem suo tempore visus est habuisse comparem. *Ejusdem laudes et sepulturam prosequitur capite sequenti Helmoldus his verbis*: Cujus venerabilis Sacerdotis transitum longe ante prædicere solebat Luthbertus Frater, qui militiam hujus seculi servitute Dei commutans, cum famulo Dei Thethmaro pauperum qui erant in hospitali curam gessit. Hic tempore quodam visitans Falderam, vultum prætendit plus solito subtristem, atque lacrymis suffusum. Interrogatus causas mœstitiæ, respondit merito se tristari, qui patris amantissimi præsentia destituendus esset in brevi. Fatetur nihilominus de his non somniantem, sed vigilantem, divinitus se instructum. E Nec longe post prophetantis verbum velox Sacerdotis obitus subsecutus est. Fratres quoque, quos intimus viri affectus flere coegit, revertentes ad cor, hauserunt spem et resumpserunt spiritum consolationis, memores oraculi.

lugetur a B. Vicelino:

obitus ejus ante prævisus:

6 Ubi ergo in Faldera nuntiatum est de obitu ejus, statim miserunt nuntios ad transferendum corpus, eo quod ipse discedens hoc intentius oravisset. Quod tamen venerabilibus fratribus, Theodorico, Ludolfo, Luithberto et ceteris, qui illic degebant, nullatenus persuaderi potuit: dicentes omnes se malle mori, quam tanto pignore privari, quod Wagirensi Ecclesiæ noviter cœptæ futurum esset et honori et solatio. Confluentibus ergo de Sigeberge et de vicinis oppidis fidelium populis, corpus sanctum terræ commendatum est, cum multa pauperum lamentatione, de sua destitutione conquerentium. Magnificetur ergo in Sanctis suis, qui virum hunc perfecit sibi dignum Sacerdotem, consummatum vocatione felici. Vobis quoque, o Patres Lubicanæ reipublicæ, salus abundantior erit a Domino, si virum talem digne excolueritis, statuentes eum in fronte eorum, qui diruta Ecclesiæ nostræ in nova culmina surgere fecerunt.

certatur de corpore a Falderensibus:

honorifice sepelitur:

7 *Hactenus Helmoldus, auctor ut dixi coævus: ex cujus verbis elegans elogium de vita et obitu* Tiadmari F *(ita enim appellat) contexuit Albertus Krantzius lib. 4 Wandaliæ cap. 16, et sub finem ista habet*: Hæc ad verbum de eo viro nostri sunt Helmoldi testimonia, quæ eo posui consilio, ut videat posteritas, quibus tum viris terra floruerit. *Iterum Krantzius, lib. 6 Metropolis cap. II de Vicelino agens*, Postea, *inquit*, cum quodam juvene Thietmaro perrexit in Franciam, studuitque sub Magistris Rudolpho et Anselmo. Tribus igitur annis in studio transactis, reversi sunt. Thietmarus Bremæ fit Canonicus: Vicelinus Magdeburg ad Norbertum veniens Archiepiscopum, fit Sacerdos. *Hic est* S. Norbertus, *Fundator Ordinis Præmonstratensis, creatus Archiepiscopus anno* MCXXVII, *quo Henricus Bangertus in Notis ad Helmoldum initium Falderensis monasterii collocat. Idem Krantzius cap. 18 ejusdem libri 6 ista habet*: Eo tempore Thietmarus, Vicelini quondam discipulus, relicto Decanatu Bremensi, devovit se Falderensi collegio: qui destinatus Hagerstorpe, transmigrationi novæ magno fuit solatio. Vir utique in spirituali conversatione magnæ fuit perfectionis.

laudatur a Krantzio.

8 *Habemus codicem MS. a Continuatore Helmoldi confectum seculo decimo quinto, in quo ista leguntur*: Circa idem

A idem tempus S. Vicelinus fuit in Ecclesia Bremensi Scholasticus et in Theologia disertus, qui multas habuit divinas revelationes tempore juventutis suæ. Hic semper æstuabat barbaris Slavis, prope Holsariam demorantibus, fidem Christi prædicare. Nam illis diebus in tota terra Wagriorum. . fides Christi nullibi habebatur; et si aliquando habita fuerat, tamen quasi per octoginta annos omnes a fide Christi declinarant. Hic Sanctus Vicelinus vestem religiosam, quam Canonici Bremenses cum Regula S. Augustini abjecerant, derelinquere nolens, cum Sancto Viro Thetmaro, Cantore Bremensis Ecclesiæ, partes Holsatiæ adiit, et de jussu et mandato Reverendissimi viri Domini Adalberonis Archiepiscopi Bremensis et Hamburgensis villam Wippendorp alias Faldere, in qua capella lignea constructa fuit et per longa tempora deserta, in possessionem recepit, ac ibidem monasterium construi fecit : a quo Niemunster per amplius vocitatum fuit. Ista capella quasi prima fuit in tota Holsatia : et ibidem quamvis Christiani esse dicebantur, tamen lucorum et fontium error ac idololatria multiplex habebatur : et eo strictius S. Vicelinus de die noctuque vigilando,

Regula S. Augustini observata a Thetmaro.

B orando et prædicando verbum Dei, serviebat sub veste religiosa et regula sancta.... Multi etiam venerabiles viri Ecclesiastici et Clerici S. Vicelino, in ordine, regula, habitu, et sancta vita se copulabant. Acta sunt hæc circa annum Domini MCXXV, *aut paulo serius ut supra diximus. Nam Vicelinum a S. Norberto ordinatum Sacerdotem tradunt cum Krantzio, Albertus Stadensis, et auctor Historiæ Archiepiscoporum Bremensium. Ex hoc porro nonnulla proferuntur in Geographiæ Blovianæ Germania, in Holsatia proprie dicta ac Præfectura Bordesholmiensi pag.* 168.

9 *Fuit autem cœnobium ex Falstera seu Neo-monasterio anno* MCCCXXXII, *per Henricum Swineborch* XV *Præpositum, translatum* Bordesholmam; *ubi* Vita S. Vicelini in templo infixa fuit, in tabella versus Septemtrionem : *in qua dicuntur,* cum translato monasterio Vicelini Reliquiæ pariter translatæ, ante summum altare in medio sanctuarii, cum aliorum duorum Servorum Dei ossibus. *An unus ex his Dei servis censendus* Thethmarus, *de quo agimus, non possumus certo indicare. Habemus etiam ex MS. codice* privilegia monasterii Sigenbergensis S. Augustini, *inter quæ proferuntur diploma Lotharii Imperatoris datum anno* MCXXXVII, *Donatio Adalberonis Archiepiscopi facta anno* MCXLI, *Copia ordinationis ad institutionem dicti monasterii spectantis signata anno* MCL, *demum Privile-*

assa an Bordesholmam translata?

C *gium Henrici VI Imperatoris concessum anno* MCXCII.

D *Quibus omnibus subjungitur* Processus metricus de B. Vicelino : *in quo laudatur hujus* confrater unus Thetmarus, *ante* Bremensis Cantor Canonicus. *Habemus denique aliam Vitam B. Vicelini, ex MS. Danico Latine translatam, in qua ista leguntur* : S. Vicelinus ad arcem Sigeberg extruxit monasterium ad pedem montis, inductis eo Fratribus ex Neomonasterio : inter hos erat Thethmarus Bremensis, qui eo advexit supellectilem et omnem commeatum et annonam in talibus initiis necessariam : Lotharius autem variis agris et privilegiis monasterium ditavit.

AUCTORE G. H

Suppellex ejus allata Sigebergam.

10 *Et hæc præcipua sunt, quæ de Thethmaro reperimus, quem non auderemus surripere Regulæ S. Augustini, et adscribere sanctissimo Ordini S. Benedicti, cujus in hactenus relatis auctoribus non reperimus vestigium, licet id posteriores Martyrologi Benedictini fecerint. Præivit Arnoldus Wion ad hunc* XVII *Maji his verbis :* Magnopoli in monasterio Falderæ Sancti Thetmari, discipuli S. Vicelini Episcopi : hic Decanatu Bremensi relicto monasterium Falderæ ingresus est, et miraculis clarus quievit. *In Notis allegantur Helmoldus et Krantzius. At quid velit* Magnopolis *urbs, non capimus. Cum moreretur Thethmarus, non* Falstriæ *sed* Hagerestorpii, *aberat Vicelinus ad*

An recte adscriptus Martyrologiis Benedictinis

E *comitia evocatus; non* Magnopolim, (*quæ aliquibus* Mechlemburgum *dicitur*) *sed* Marcipolim, *quam diximus esse* Merseburgum, *urbem Episcopalem Misniæ. Deinde non tam clarum miraculis, quam virtutibus, quievisse indicant Acta hactenus prolata. Ex Wione aliqua contracta ediderunt Benedictus Dorganius et Hugo Menardus : plura adjunxit Gabriel Bucelinus, et omnes* Sancti *titulo* Thietmarum *honorant. Secutus est in Catalogo generali Ferrarius his verbis :* Magnopoli in Germania S. Thietmari monachi, *ac dein asserit* Falderæ apud Magnopolim vitam monasticam professum. *Similia iidem omnes habent ad* XII *Decembris de B. Vicelino, et* VII *Martii de B. Volkero, quos Ordini Benedictino adscribunt. At Petrus de Wagenare, Ordinis Præmonstratensis apud Furnenses in Flandria Prior, post editum tractatum de Viris hujus Ordinis aut sanctitate aut miraculis illustribus, postea edidit Auctarium : in quo Ordini suo adscribit B. Vicelinum, ejusque discipulos B. Thedmarum, et alios. Verum ut Canonici Bremenses Regulam S. Augustini, una cum Ordine Præmonstratensi observatam receperint diu ante quam S. Norbertus fuerit constitutus Archiepiscopus, tempora Ordinis anno* MCXX *instituti non permittunt.*

aut Ordini Præmonstensi?

F

DE B. FRANCISCO DYRRACHINO

NOT. 10ᵃ APP. TOM. VII MAJI

ORDINIS MINORUM URIÆ IN SALENTINIS.

D.P.

CAPUT I.

Auctorum Franciscanorum testimonia. Vitæ epitome ex oratione Q. Marii Corradi.

SEC. XIV

Memini me ad XI Aprilis agentem de S. Barsanuphio *Solitario prope Gazam in Palæstina, cap. 3, quod est de duplici sancti ejus corporis translatione, de fortuna urbis* Uriæ, *olim inter Brundusium Tarentumque celeberrimæ, prolixius agere; nonnulla tamen de ipsa deque* S. Barsanuphii *Reliquiis, usque eo dissipatis, ut sola ejus nunc manus supersit, addere potuissem voluissemque, si distinctius cognita mihi fuisset Oratio, quam Q. Marius Corradus Uritanus ad Ordinem et Populum Uritanum pronuntiavit, circa annum* MDLXX de Divi Francisci Dyrrachini divinis honoribus. *Nunc iis, quæ* S. Barsanuphium *spectantia, ibidem veluti per transennam attinguntur, potius quam pertractantur, dilatis in tempus faciendi Supplementi; de* Francisco, *quem primario atque ex proprio instituto spectat Oratio illa, ea excerpo, quæ nisi ibi haberentur collecta, hactenus Franciscano Ordini suo nomine tenus solum cognosceretur insignis olim Beatus; adeo pauca jejunaque sunt verba, quibus circa eum usi sunt antiquiores scriptores.*

Ex oratione Corradi non solum cognitio de S. Barsanuphio habetur,

A

AUCTORE D. P.

sed præcipue de hoc Beato :

2 *Primus isque antiquissimus Fr. Bartholomæus de Pisis, anno* MCCCXCIX, *Ministro et Capitulo Generali approbantibus, scripsit librum Conformitatum vitæ B. Francisci ad vitam D. N. Jesu Christi, ubi fol.* 86, *juxta editionem Bononiensem anni* 1590, *hæc solum leges :* In Provincia Apuliæ in Oria jacet Fr. Franciscus de Duratio, qui signis inclitus fuit. *Proximus Bartholomæo ætate fuit Marianus Florentinus, uno circiter seculo, junior; qui (uti Lucas Waddinghus in Additionibus ad Annalium suorum Tomum* 7 *num.* 3 *agnoscit)* Philippum *appellavit : forte quod hoc ei primum nomen in seculo fuerit : nam* Franciscum *dici in religione voluisse, pro suo erga sanctum Fundatorem affectu, indicare videtur Marius : et sub hoc solum nomine etiam notus fuit Marco Olisipponensi, circa an.* MDL *secundam Chronicarum partem scribenti; et Francisco Gonzagæ, de Origine Seraphicæ Religionis, sub annum* MDLXXXVII *parte* I *enumeranti Sanctos Ordinis Minorum, Divorum Catalogo adscriptos, pag.* 94. *Sed eadem uterque brevitate utitur ; hoc solum addentes verbis Pisani, quod* Franciscus septem annis panem non gustavit. *Eodem fere anno quo Gonzaga Romæ, suum Historiarum Seraphicæ Religionis opus excudebat Venetiis Petrus Rodulphus Tossinianus, qui paulo ampliori elogio fol.* 99, B. Franciscus, *inquit,* Dyrrachinus, laicus, vir summæ simplicitatis, qui annis septem panem non comedit, silentii maximus observator, quod legitur de Agathone Abbate, quem, lapillo assidue ori ejus indito, tacere didicisse ferunt; idque ab eo annos tres observatum, ut nec etiam cum fari vellet expeditum ei esset. Fuit quoque obedientiæ cultor præcipuus, de quo illud insigne narratur. Cum enim esset Uriæ Apuliæ coquinarius, ea hora qua elevabatur in ecclesia Corpus Domini, neque ipse impeditus interesse potuisset, divinitus apertus est paries qua videre potuit. Jacet Uriæ miraculis clarus. *Refertur istud Agathonis exemplum libel.* 4 *de verbis Patrum interprete Pelagio cap.* 7, qui per triennium lapidem in ore mittebat, donec taciturnitatem disceret : *quibus dum aliquid amplius addit Rodulphus de Francisco, videri potest Vitam ejus quamdam habuisse : si autem nullam habuit, tam ipse quam ceteri supra nominati a pleniori* B. *Francisci cognitione tanto fuerunt remotiores quanto longius ab ultimis Italiæ finibus, in quibus Franciscus vixerat, vivebant scribebantque. Itaque Corradus prælaudatus vel in solo suæ Orationis argumento facile omnes superavit, ipsum sic exorsus.*

B

auctoribus Ordinis parce de eo locutis.

C

Ille de restituendo ejus cultu solicitus

3 Uria civitas est antiquissima in Salentinis. Vixit hic longo tempore Franciscus Dyrrachinus, in sodalitate Francisci Assisiatis ; homo is qui cœlestem inter homines vitam egit. Est in Commentariis Franciscinorum (*hi vero utinam superessent simplicitate primigenia, qua ipsos vidit legitque Marius*) toto septennio hunc præter aquam et olus omnem sibi humanum victum detraxisse. Ostenta divinitus ei vivo et mortuo quam plurima acciderunt. Denique illius defuncti corpus Uriæ in templo Collegii Franciscinorum hominum, ubi sanctissime vixerat, nonnullis cum divinis honoribus longo tempore servatum est. Postea vero quam publica et privata fortuna perpetuis calamitatibus afflicta esset, aut potius incolumi adhuc omnium rerum statu religio hominum refrixisset ; eo negligentiæ, ne dicam impietatis, ventum est, ut sola de illo divinitatis opinio servetur ; quamobrem tota oratione hoc agitur potissimum, Divo illi honores, per injuriam atque scelus diu intermissos, restitui oportere. *Hoc autem sic agit ; ut cum prima parte Orationis multa de SS. Barsonophrii, Darii atque Chrysanthæ Reliquiis Uriam allatis, deque amplitudine veteris status propter earum dissipationem pene ad nihilum redacta disseruisset ; tandem propius in materiem veniens, parte Orationis altera existimare se ostendat, quod Francisci corpus,* non religione aut aliquo humano sensu, sed divino consilio reservatum sit, *in spem resuscitandæ aliquando reipublicæ. Tum Vitæ illius synopsim texit, quam pro majori parte transcribit Waddinghus in supra citatis ad tomum* 3 *Additionibus. Nos ex ipso fonte haurientes aquam; hujusmodi verba inde sumpta exhibemus.*

Vitæ synopsim texit, juxta quam

D

Dyrrachii suscepit habitum,

4 Dyrrachii natus, quæ civitas est in Epiro, non generis nobilitatem, non ea quæ summa et præclara habentur in vita, cogitavit unquam : honores autem, ambitiones, et gloriam imperandi aliis sui loci hominibus, summum sibi esse periculum et summum nefas putabat attingere : sapientiæ vero tantum coluit, quantum humanæ et sui ipsius imbecillitati divinisque beneficiis cognoscendis satis esse videretur. A prima adolescentia in Francisci Assisiatis familia sodalis fuit : quocirca nomen quoque sibi imponi voluit, quo ad cœli vias omnes perquirendas duce uteretur. Summum esse imperium putabat, aliis obtemperare ; summam gloriam, omnibus inservire... Audierat, id quod erat, Collegii locum extra portam Brundusinam Francisco Assisiati magistro suo a civitate nostra donatum fuisse, et in eo quosdam hujus familiæ admiranda pietate homines, victu asperam, sed cogitationibus suavem ac cœlestem vitam agere. Dyrrachio igitur, ubi sanctissime a primis annis vixerat, Uriam venit; et in Collegio quod non multo ante Franciscus ipse condiderat, augenda quotidie religione, laboribus, et rerum cogitatione, cœlestium, egit quod reliquum erat ætatis. Exultabat me hercule vir sanctissimus gaudio, gestiebat lætitia, cum lustraret oculis domum, partesque omnes et angulos perquireret. Omnia deosculans, et labiis terram lambens, Hic, hic, inquit locus est : hoc Magister meus limen suis illis pedibus trivit ; hunc fontem bibit ; hic sæpius vota fecit ; hanc aram frequentavit. Taceo hic verbera, quibus macie et inedia confectum illud corpus assiduo cædebat : nec sanguinem dico hamatis flagris arefacto jam de corpore exhaustum. Atque ut alia non dicam, propter continentiam victus admirationi cunctis mortalibus fuit. Tantis enim laboribus, quos vel noctu suscipiebat ad preces atque vota Deo facienda, vel interdiu ad commoda sociis et officia præstanda, illud etiam addidit, ut vitam semper aqua tantum et pane sustentaret. Ad hanc tenuitatem victus cum se diu exercuisset, et ope divina res adjuta felicissime succederet; cogitavit etiam, fierine posset ut usu quoque panis careret. Cœpit igitur pedetentim experiri. Quod cum vix ferret natura humani corporis, consilium tamen susceptum tenuit ; et expers rerum omnium, quibus vesci homines consuevere ; totis septem annis, quibus postea vixit, oleribus tantum et aqua duravit....

unde transgressus Uriam

E

eximia vitæ auctoritate,

F

5 Sed vos scio majora quædam expectare ut exponam, si qua illi vivo, si qua mortuo divinitus acciderunt.... Memini sæpius in caritate imbrium, aut alia majori vi atque intemperie, cum supplicationibus publicis noctu ad pulvinaria circumferendo Francisci Dyrrachini corpore, nos injuria cœli incommodoque omni esse liberatos. Quamobrem, nisi ingrati, nisi immemores eorum sumus quæ ab illo accepimus, non est quod suspensi et increduli amplius ostenta requiramus. Duo tamen hic referam, non quia putem huic aliquid ab ostentis posse accedere : sed quia unius adsunt quædam testimonia, et confessio eorum hominum qui rem tegere et obscurare voluissent ; alterum ideo tacere nolui, quia inest in eo quod vehementer doleam et vos magnopere accusem. Quodam tempore Uriæ in Collegio, quod antea jam dixi, conventus agebatur hominum Franciscinorum, quo, tamquam ad comitia quædam, communibus de rebus, divino cultu et novis Rectoribus

atque etiam miraculis claruit.

A ribus Collegiorum, consulendi causa undique venerant. Die festo solis mane, cum in templo ejus Collegii pro summa religione Sacrum fieret, hic Dyrrachinus, ut si Christi ipsius res esset, ita officia et summam domus omnem sustinebat. Ecce a templo tintinnabuli signum datur : Christi corpus ostendi populo intelligit. Ad id statim accurrens, dum præsenti ex mole rerum plurimarum explicare se non potest, posito genu mentem et oculos intendit, suspiria et lacrymas movet, dureque pectus cædit. O miram illius certissimæ fidei et pietatis vim, quæ omnium hominum linguis prædicari debeat! Apertis enim sponte nutuque divino tribus muris, qui interjecti erant, nullo apparente motu, nullo audito sono, via sanctissimi viri oculis ad aram facta est, unde Sacrum populo ostendebatur.

coquinæ intentus Christi corpus elevari per ipsos parietes cernit

6 Cum rite suoque more supplicavisset, ac Deo gratulabundus tota domo curaret ea quæ religiosorum hominum tantæ multitudini opus erant; hunc illi favorem et monstrata divinitus furiæ inviderunt. Quamobrem ita se et dolorem suum ulciscuntur, ut quæ in penu, quæ in cella vinaria, quæ in foco et in popinis erant, ex corrogata undique a bonis viris B stipe, ea diriperent; et quæ ad ejus ipsius diei cœnam parabantur, ne quid vir sanctissimus ex eo labore a Deo vel a suis mereretur, omnia, confractis etiam vasis omnibus, effunderent. Subitus rerum fragor omnium tantus fuit, ut sibi motus quidam terræ in domo fieri videretur. Re cognita, Deo solum gratias agit, ab illo consilium expectans quid facto opus esset. Non multo post, cum adhuc Socii in sacris quibus jam dixi, et in comitiis diem consumerent; adest ad januam humana facie et vestitu juvenum manus, cum vasis, canistris, et regio dapium varii generis apparatu : qui jussu domini sui, principis cujusdam Uritani viri, ea se Francisco Dyrrachino et sociis ferre dixerunt. Hærere homo, mirari, ac stupere unde magnificentia tanta muneris : et profecto ex juvenum quoque vultu immortale nescio quid sibi in animum spirare videbatur. Illi vero, Satis, inquiunt, Pater, hæc vestra sunt : his utimini : ad vasa recipienda mox redibimus. Hic dicere cum studeret aliquid, eosque statim abeuntes ad januam sequeretur, illorum aspectum subito ex oculis amisit. Ad cœnam vero cum ventum esset, tantus fuit odor et suavitas inusitata rerum omnium, ut boni viri et sancti, cœlestia sibi a Dyrrachino cibaria illo die apposita esse, cognoscerent. Itaque C res una ex alia cum in tanta hominum frequentia rescita esset, quæ diu ab illo celari vix poterat, admirabilis vita ejus ac sanctitas ex eo facto esse cœpit illustrior. Vides quanta uno die sit expertus?... quid putandum ergo reliqua in vita illi accidisse? Ergo tamen illa prætermitto omnia... et hæc eo dicere volui, quod ex illa cœna vas quoddam Brundusii longo intervallo ad honestissimum virum hujus memoriæ, Angelum Mundinam, ejus familiæ sodalem, pervenisse dicitur. Nostri vero homines, qui illa ætate aut non multo post fuerunt, nullam in his vasis religionem debere esse putaverunt..... Minora sunt omnino quæ sequuntur, sed nostra in iis est culpa major.....

pro cœna per dæmones dissipata

meliora fercula divinitus accipit,

ex quibus vas unum Brundusii servatur.

7 Recens memoria est cum id accidit, quod posset quisque vestrum recondari, Duo quidam hospites hic in Francisci Collegio diu fuere usi liberalitate, quantam facultates loci atque hominum ferre potuerunt. Unus ex iis, per dies aliquot secum male cogitans, altero nihil suspicante, clam de corpore Francisci Dyrrachini mandibulam furatus est. Cum denique Lupias discederent, aliis cum rebus multis et vilibus, in manticam illud ossum conjecit : hanc in jumentum imponit : id corruit statim ; et, seu vera mors illa fuit, seu morti simile quiddam, cognosci prorsus non potuit ; sensus certe et vita D nulla amplius est visa. Onus cum esset expositum, et jumento corium detrahi deberet, sanitate integra subito apparuit. Hospes qui aderat, sibi conscius patrati sceleris, monstra hæc divinitus fieri intelligit. Rapta igitur, ut clam et celerius potuit, mantica, furtim se a turba subtraxit, et jumento amplius uti noluit, et quantum onus fuit rerum suarum sibi in scapulas imposuit : consceleratus postea jurabat donec mandibulam ferret semper toto corpore tremuisse. Alia non persequar multa hujus generis : et hæc duo si testata velit quisquam, adest Angelus, quem dixi, Mundina Brundusii, qui vasum adhuc ostendit, et ejus rei ab omnibus traditam per manus fidem et religionem testatur : adest corpus ipsum, quod integerrimum antea semper, nunc mandibula, ut dixi, mutilatum inspicere potestis.

Mandibulam a corpore furati irreverentia

AUCTORE D. P.

morte jumenti punita scitur,

8 *Waddinghus eadem hæc subtractis nonnullis describens, de fure mandibulæ præfatæ concludit, tamquam ex relatione Corradi, his verbis :* raptamque clam manticam scapulis imponit : tremuit tamen et gemuit ipse sub pondere, donec furtum restituit. *Ast restitutionis non meminit Corradus : sed, cum pluribus pro restaurando communiendoque adversus ejusmodi* E *ausus sepulcro instituisset, sic urget propositum* : Quid, *inquit,* porro tam necessarium est, quam de manibus ac potestate sceleratorum hominum corpus illud sacratissimum liberare? Mandibulam ex eo raptam ab hospite perditissimo ac teterrimo homine jam dixi. An ego mentior? Ipsum corpus inspicite. An semper illud ossum defuit? Hoc ne fieri quidem potest : et, seu cum dixi et rem ego factam scio, seu alio tempore, necesse est nostra [exigua] diligentia ac religione illam corporis partem amissam esse : [nam] et ego olim adolescens, et mecum plurimi, corpus integrum omne cognoverunt. *Hujus vero culpæ gravitatem ac dedecus cum oratorie exaggerasset ;* Quid, *inquit,* hospes ille homo, qui sepulcrum violare, tremendamque illam corporis religionem impiis manibus attingere ausus, quem in usum evulsam reliquo de corpore mandibulam convertit? In eum scilicet quem scelerati homines et nefarii solent, ut magicas ad artes et nefandissima omnia rebus ejusmodi abutantur. O rem auditu fœdam cogitatuque horrendam! O bonitatem et patientiam Dei prædicandam! Tene, Francisce Dyrrachine, tuaque membra iis in rebus esse versata, quibus fortasse aut homini sensus, aut matronæ pudor, aut amicis gratia, aut sepultis quies, aut cœlo serenitas auferatur? Si quid est tale factum, quod vehementer esse factum suspicor, mirum nisi motus fuit ingens F terræ, vel nisi de cœlo, ut quondam in sceleratos, flammæ corruerunt. *Hactenus Corradus, indubitanter supponens, mandibulam præfatam sic esse ablatam, ut neque ubi esset, nec quid eadem fieret innotuerit. O quam facile erratur, si vel tantillum ab antiquis monumentis quæ quis sequenda suscepit, deflectat, de suo vel detrahens vel addens aliquid.*

sed eam restituisse gratis asseritur.

9 Quo certo tempore obierit *Franciscus,* non est qui referat, *inquit Waddinghus : sed nec quo saltem seculo vixerit. Ipse floruisse eum putat circa annum* MCCCV, *eoque in Additionibus ad Tomum 3 refert quidquid collegerat ex Corrado : hic vero videtur significare, viventi etiamnum S. Francisco Assisiati fundatum apud Uritanos Conventum, ad quem se Dyrrachio, ubi susceperat habitum Franciscanorum, contulerit noster Beatus, fama severioris ibidem quam in patria sua disciplinæ illectus. Sed ut primum daretur, non continuo consequens foret, Franciscum Dyrrachinum fuisse ex iis, qui vel primi vel paulo post primos in eodem Conventu habitarint ante annum* MCCXXVI *quo S. Assisias obiit ; imo nec ante annum* MCCLVIII, *licet ante hunc variis in locis cœperint existere, qui relaxatam multis modis*

In conventu Uritano,

A *modis paupertatem Ordinis non ferentes, eamdem restituere satagebant; sicut apparet ex Vita B. Joannis Parmensis, Ministri Generalis VII ad XIX Martii a nobis illustrata : qui Joannes eorum conatui vehementer favit electus anno* MCCXLVII. *Etenim sub hoc Generali necdum vel Dyrrachii vel Uriæ conventum habebat Ordo, quemadmodum apparet ex ejus distributione in Provincias, Vicarias atque Custodias, facta sub S. Bonaventura anno* MCCLVIII, *et relata ab Haroldo in fine Epitomes Annalium. Idem Haroldus aliam similem deinde proponit, factam anno* MCCCC *per Bartholomæum Pisanum, ubi in Provincia Dalmatiæ sub Custodia Ragusina ponitur secundus* Locus Duratii, *et in Provincia Apuliæ sub Custodia Tarentina* Locus *item secundus* Oreæ. *Stabat ergo Conventus Uritanus, seculo* XIV : *quo seculo ad medietatem perducto scissus quidem est Franciscanus Ordo in Conventuales et Observantes, non tamen vel ab his Observantibus Conventus iste cœpisse credendus est, vel horum fama allectus Dyrrachinus venisse Uriam : nam in Distributione locorum Regularis Observantiæ, facta anno* MDXVI *et apud prædictum Haroldum reperienda, Uritanus conventus non nominatur.*

AUCTORE D. P. sub an 1258 necdum noto, sed ante an. 1400,

10 *Ex his porro consequitur, quod* Franciscus, *cum* B *nequeat adscribi Observantibus, Uriæ numquam receptis, antiquioris alicujus reformationis Fratres ibidem invenerit, vitæ religiosioris magistros. Omnibus autem expensis non alios huic loco aptiores invenio quam Clarenos, nomen sortitos initio seculi* XIII *ab amne Clareno, inter Asculum et Nurcinas alpes, ad quem eorum Congregatio fuit instituta, ductu B. Angeli Cingulani, alias de Clareno. Hæc enim Congregatio, sub nomine* Pauperum Eremitarum Fr. Angeli de Clareno, *juxta Privilegium Cælestini Papæ V, datum Fr. Liberato Maceratensi ejusque sociis,* Eremitis Domini Cœlestini *dictis (quorum unus ipse Fr. Angelus fuerat) insigniter floruit, sub Ordinariorum obedientia, et veste a Minorum habitu distincta toto sesqui seculo, donec eos Sixtus Papa IV anno* MCCCCXLII *generalis Ministri imperio subjecit; ita tamen ut unum e Societate sua Clericum eligere possent, qui sub nomine Vicarii, a generalis Ministri obedientia dependens, eos gubernaret. Quamvis enim Clareni in Piceno præcipue Umbriaque fuerint multiplicati; pronum tamen est credere, eosdem secundum mare per Apuliam quoque et Calabriam propagatos, faventibus iis qui Fr. Liberatum cum suis ibi antea receperant; eosdemque vexatos, et sub assumpto in Gallia* Spiritualium *nomine extinctos* C *circa annum* MCCCXVIII, *haud immerito dolebant; quamvis ex iis aliqui culpabiles fuerint schismatis, eligendo sibi auctoritate propria Ministrum generalem in Hetruria Siciliaque. Sive igitur ex Apulia in Salentinos delati aliqui, ex dicti Fr. Liberati sociis Uriæ conventum exorsi sunt, qui sese subduxerint vexationi ad Clarenorum Congregationem aggregati; sive ipsi Clareni primi fuerint in loco isto occupando, quem olim forte præsentia sua consecraverat S. Franciscus Assisias in suo versus Palæstinam itinere; manet verosimile, initia Conventus Uritani posteriora esse initio seculi* XIV, *nec nisi illo vergente ad finem obire in eo potuisse Franciscum Dyrrachinum. Non est etiam cur dicamus eumdem Conventum, qui anno* MDXVI *nondum adnumerabatur Conventibus Observantium, ante Pontificatum Sixti IV aut etiam postea a Clarenorum arctiori disciplina et habitu ad Conventualium laxitatem defecisse, quamdiu quidem istorum Congregatio nomen antiquum tenuit; licet id postea factum esse haud obscure colligatur ex Corrado, Fratrum sui temporis exiguam religionem notante, quemadmodum ex sequenti Capite apparebit.*

inter Clarenos videtur vixisse Beatus, sub finem sec 14.

D

CAPUT II.

Q. Marii Corradi conatus pro restaurando cultu B. Francisci

In *sua jam laudata Oratione remedia suggesturus Corradus adversum mala, quæ Uritanæ civitati divinitus immissa graviter conquestus erat; et animos civibus suis facturus, ad restaurandum B. Francisci sepulcrum et cultum, qui totius Orationis scopus est;* De sacris ædibus quinquaginta sunt, *inquit,* si numerem etiam suburbanas, quibus (o facinus detestandum!) cloacarum loco ac sentinarum abutimur. Illarum restitutioni non grave negotium est singulis annis de ærario bis millies sestertium, publicæ salutis causa, velle esse attributa... restitutio autem sepulcri sæpe dicti non certo aliquo sumptu terminanda est? Si vicies ad rem aut si quadragies impendere possemus, equidem vix ea summa et sepulcri honore contentus esse possem. Sed quando nobis tanta difficultas est ærarii, ex ipsorum difficultate temporum et novis quotidie tributis, ut nostros taceam depeculatus; age, oro vos, id fiat, quod minimo sumptu fieri potest. Quanta enim res sepulcrum illud vetus munire saltem, ne pateat curiosis, ne pateat sacrilegis, ne E pateat furibus, ne pateat magis ac sceleratis hominibus? Nisi hac culpa violati sepulcri et sanctissimi corporis nos omnes expiandos esse crederem; ego solus, nulla ope vestra, quamquam sic afflicta semper fortuna et eversa, isto quidem sumptu vos liberarem : nunc tamen publice et necessario illam religionem sepulcri restituere nos oportet..... Utinam igitur ferret nostræ fortuna civitatis, quanto Salernitani Matthæum, vel Bononienses Petronium, tanto nos Franciscum Dyrrachinum cultu et religione venerari! Sed minime tamen putandum est, sine magno scelere prætermitti id posse quod facultates nostræ sinunt : et Franciscus ipse, studiis nostris et religione permotus, et urbi nostræ conciliatus, efficiet, ut aliquo in tempore plurima sibi rei divinæ munera et amplissima reddere possimus.

Ad restaurandum sepulcrum, quod exiguo sumptu fieri poterat,

12 *Denique cum concluderet Corradus satisfaciendum esse Deo,* gravissime offenso, *tum* ex præsenti neglectione rerum divinarum, *tum* propter impietatem et scelera majorum; Mihi, *inquit,* videtur, nihil ad hanc fortunam esse salutarius, quam stato tempore certisque sacris de nobis ipsis pœnas reposcere, et quæ in hac urbe per octingentos annos commissa sunt omne in posterum tempus lugere. Totam ad- F hanc rem summi viri atque sanctissimi, Caroli Bovii, Pontificis nostri, consilium et auctoritas interponenda nobis erit. Hic fortasse diem festum Francisco Dyrrachino instituere pro ejusmodi commissis satis esse judicabit. *Nullus ergo certus eatenus dies colendo B. Francisco huic fuerat, cui antea idem Marius, cum de sepulcro ageret, optabat etiam* mentionem in sacris, perpetuum ignem, et alia si qua videbuntur insignia sanctitatis majora; *qualia scilicet expresse Canonizatis a Sede Apostolica tribuuntur. Interim sola festi annui constitutione expetenda contentus :* O si virum, *inquit* sapientissimum adducere ad hanc voluntatem possimus, pulcherrimam huic urbi, debitam religioni, et nostræ maxime necessariam saluti! Illum diem si videro, quem certissima spe sum nos omnes esse visuros, novam hanc urbem nobis putabo esse restitutam; nec desperabo aliqua saltem in posteritate, a vicinis urbibus antiqua ornamenta omnia invisum iri. Dabit hoc Deus nostræ religioni, dabit Francisci Dyrrachini patrocinio et gratiæ : quem hac tota oratione utinam ex parte aliqua repræsentare potuissem!... Nunc vos ipsi proponite apud vestras cogitationes illum quasi nobiscum

aliaque religiosi cultus argumenta curanda,

Uritanos frustra hortatus Corradus,

A biscum loquatur, macilenta facie, contractis oculis, nudis pedibus, horrido vestitu, jejuniis consumptum et voce tenui dicentem : Hanc esse, Uretani, urbem vestram, non nobis aut mihi, sed his collibus tantum, saxis et ruinis possum credere. Ubi enim illa Uria nunc est, quam ego copiis affluentem, et rebus florentissimam omnibus reliqui? Aliquid certe a vobis aut majoribus vestris in ea peccatum est, quo ex tanta gloria tantas in sordes atque oblivionem delapsa est. Non teneo lacrymas : doleo enim plurimum casus urbis, unde mihi gradus in cœlum feci : sed moveor magis latente et vetere aliquo scelere civitatis. Verumtamen si a Christo venia petatur, ego supplex illum orabo, ut hanc maciem, hanc nuditatem, hanc inediam, et illos multos annos quibus mihi omnem detraxi victum humanum, et quidquid Christo vixi, vobis omnibus prodesse velit, perinde atque si vestris ea in corporibus, vestra et urbis vestræ causa perpessi essetis. O pias voces ! O conditionem sanctissimi hominis præclaram !... Audiamus oro vos macie et laboribus confectum, audiamus nunc de cœlo immortalitatis ornatu indutum : illius vultum cogitemus, et videre nobis præsentem B videamur, solis atque siderum aspectu splendentiorem : ipsum denique ad suam opem atque auxilium nos invitantem audiamus : illi, grati animi significationem suo corpore honorando aliquam, ostendamus.

recurrit ad Episcopum Bovium ;

13 *Potens enimvero ad persuasionem oratio! Frustra nihilominus declamationem istam suam fuisse videns Marius, et cum verborum sono etiam memoriam transire dictorum; publice ipsam censuit exhibere legendam, præmittens ei epistolam cum eadem oratione a se missam* Illustrissimo et Reverendissimo Joanni Carolo Bovio, Uritanorum Archiepiscopo et Brundusinorum : *quem exhortatus ut* ædes, in *Uritana* urbe sacras, quarum tanta pollutio et quotidiana *erat*, pergat vel tollere omnino, uti cœpit; vel castissimum iis cultum religionis restituere; *commendat eidem imprimis* Sanctissimum Dyrrachini corpus, illud honorari pene desitum sæpius nefando sacrilegio a sceleratis hominibus attrectatum, convulsum, aliqua ex parte imminutum. Tum, Oro, *inquit*, obsecro, perque ipsius numen te obtestor, ea tecum recordere quæ Uriæ in sacrario te rogabam, prius quam a nobis Manduriam discederes. Ego qui afflictam semper nostræ civitatis fortunam, tanta ex neglectione Divorum præcipue natam esse scio; majores nostros C soleo accusare vehementer, nec hominum loco habere, qui præjudicata hæc scelera nobis reliquerunt. Fratris vero mei Francisci Corradi sæpe tentavi operam, quo ad sepulcrum et corpus illud fieret aliqua restitutio religionis. Verum is, quamquam templo et collegio præsit ubi corpus est; collegas tamen suos adducere nondum potuit, qui ad opus illud vel teruncium dari vellent : nosti enim genus hominum, inter quos non valde magna est nec plurimorum de pietate cogitatio. Colui ex iis multos, rei etiam divinæ studiosos et mei amantissimos; qui tamen, paucis repugnantibus aut certe moram negotio quotidie aliquam interponentibus, jam desperant fieri posse amplius, ut quæ volunt quæque oportet consequantur. Quamobrem ego, qui multos ante annos frustra hæc mecum dolere sum solitus et conqueri apud omnes τῇ πόλει συνοικοῦντας et religionum magistros ; nunc denique... oro te, quantum de salute patriæ orarem, ut cujus jam dixi Dyrrachini corpus, et Barsanuphii de corpore quæ supersunt paucissima, et non pietatem quidem, sed scientiam pietatis atque memoriam, in civitate nostra putes majore etiam cultu ac studio retinendam.

non sine querelis de Uritanorum duritie.

14 *Hactenus ad Bovium Archiepiscopum Corradus, proximo ante editionem* anno MDLXX, VII Kalendas Quintiles : *quo eodem anno mense Octobri Bovium* D *obiisse scribit in Archiepiscopis Brundusinis Ughellus tom.* 9 *Italiæ sacræ, ubi refert eidem Uriæ in æde Cathedrali sepulto, positum ab Ordine et Populo Uretano epitaphium; in quo ad ceteros ejus titulos additur* Uritana civitas, ex multorum injuriis in pristinam dignitatem Archiepiscopalem restituta. *Tam velox autem Bovii mors succidit verosimiliter spes omnes conatusque Corradi, pro restaurando cultu Beati Francisci Dyrrachini. Neque enim audimus, quod Bovii successor Bernardinus de Figueroa quidquam circa istud egerit, in suo annorum* XIV *Pontificatu. Hic enim dimissis ædibus, quas,* vetustate collapsas aut bello dirutas, sumptu proprio a fundamentis, sibi successoribusque suis, in veteri arce, antiquitatis conservandæ causa, restituerat *Carolus (sicut in marmoreo titulo legitur apud Ughellum) videtur Brundusii plerumque habitasse, ubi sanctimonialibus Capucinis cœnobium similiter a fundamentis struebat. Nec enim alia causa fuisse videtur, cur post Bernardini mortem totis sex annis Sedes utraque vacarit, quam contentio Brundusinorum Uritanorumque diuturna inter se super potiori jure habendi apud se Præsulem, titulique Archiepiscopalis renovatis jurgiis, quæ jam inde ab initio* E *conjunctarum Sedium, id est ab anno* MLXII *constat efferbuisse, quando a Goffrido et Sichelgaita Brundusinis Comitibus interpellatus Urbanus II, Godino, Uretanum dumtaxat Episcopum se dicenti, præcepit, ut, quando* virorum veracium assertione, qui rem diligenter investigarant, compertum erat, Cathedram, quæ tunc apud Uritanum municipium habebatur, apud Brundusii civitatem antiquitus extitisse, *eadem miserante Domino restituta, illuc ipsam referret. Quod mandatum iterante Paschali II, declaratum est* Brundusinæ Ecclesiæ Uritanam Ecclesiam subjacere. *Concordiæ tamen causa Godini, successor Balduinus, æqualiter se* Brundusinæ et Uritanæ Ecclesiarum Antistitem *scripsit, secutis exemplum posteris; varia urbis Uritanæ, quam septies exustam tradunt fortuna non obstante, usque ad Bovii decessorem Franciscum Alexandrum; in cujus de Uritanis quæsti favorem, Paulus III pronuntiavit, Ecclesiam Brundusinam ita esse Archiepiscopalem, ut sibi unitæ Uritanæ æque ac ceteris suffraganeis suis præponi in omnibus deberet.*

Auctore D F. sed Bovio defuncto

subnatisque inter Uritanos et Brundusinos controversiis,

15 *Repullulantibus autem cum Bernardini prædicti morte contentionibus istiusmodi, post sexennii vacationem diremptus uterque Episcopatus est; et, Archiepiscopali titulo Brundusinis relicto, Uritanis proprius* F *Episcopus obtigit. Horum in ordine quintus Raphael Palma, ex Conventualibus S. Francisci assumptus anno* MDCL, *si nihil novi decrevit obtinuitque, nescio quis ex quatuor decessoribus ejus alius præsumi possit hoc fecisse, maxime post Urbani VIII severissima decreta anni* MDCXXV *et* XXXIV. *Imo eorumdem decretorum respectu factum crederemus, ut si quid illi recepissent novi citra Apostolicæ Sedis consultum, id totum abrogaretur, tamquam* longissimum tempus illiusve immemorabilem cursum, *id est,* centum annorum metam *non excedens. Quare non magni facimus quod Arturus a Monasterio, in suo Franciscano Martyrologio, nullo allegato auctore, nisi quorum verba initio descripsimus citra ullam diei designationem; B. Francisco huic adscripserit diem* XVII Maji, *in utraque ejusdem Martyrologii editione annorum* MDCXXXV *et* LIII. *Hunc tamen diem ex Bollandi nostri judicio retinemus; quia, cum de antiquo et sufficienti ad appellationem* Beati *cultu constet, ex præmissis de corpore supra terram ad venerationem aspectabili, et processionaliter pro siccitate avertenda circumlato (quibus indubie conjuncta aliquando fuerunt anathemata, ad sepulcrum appensa, ardentes ante illud lampades cereive, aliaque similia) credidimus nos posse exemplum sequi, privatæ quamvis auctoritatis, donec aliunde constaret, debere illi alium magis proprium*

nihil videtur esse peractum,

et dies 17 Maji solius futuri arbitrio lectus.

A *prium diem. De hoc autem doceri cupientes, scripsi Collegii nostri Tarentini Uretanis vicinioris Rectori P. Jacobo Viterbo, a quo quidquid ultra prædicta accepero libenter referam in hujus Tomi Additamentis.* D

DE S. PASCHALE BAYLON

D. P.

ORDINIS MINORUM DISCALCEATORUM S. FRANCISCI

VILLÆ REGLÆ IN REGNO VALENTINO.

ANNO MDXCII

Paschalis, ab an. 1618 beatificati

Quem *Paulus Papa V anno* MDCXVIII Beati *titulo ornavit, et Officio ac Missa coli permisit; hoc quo scribimus anno* MDCLXXIX Sanctorum *Catalogo posse adscribi, quandocumque S. D. N. Innocentio XI visum fuerit, sacra Rituum Congregatio, post accuratum causæ totius examen, declaravit : adeo ut sperandum sit, proximis hisce annis et prius quam hujus tomi exempla Romam perveniant, ipsum quoque solennis Canonizationis diem nominandum a sua Sanctitate, et secuturum extremum Actum, qui posteris* B *Supplementum huic operis facturis non exiguam daturus sit scribendæ Appendicis materiam. Interim* Sanctum *incipimus appellare, juxta commune proverbium quo dicitur;*

et mox canonizandi Vitam

Quod parum distat, nihil distare videtur.

2 *Obierat* Paschalis *prope* Villam-regalem, *Valentini apud Hispanos regni prænobile oppidum, hoc die in Dominica Pentecostes anno* MDXCII, *cum Fratribus Minoribus Discalceatis ad Provinciam S. Joannis Baptistæ dictam spectantibus, Custos præesset* P. Fr. Joannes Ximenez; *qui primus ejus vitam anno* MDXCVIII *conscripsit Hispanice, sub titulo* Chronicæ, *et Valentiæ anno* MDC *impressam dedicavit Philippo III Hispaniarum Monarchæ, quando jam e vivis excesserat ejus pater Philippus II, qui Auctori indicaverat, placere sibi ut ea scriberetur.* Scribo autem, *inquit Cap.* 1, ut faciam satis obedientiæ præcepto mihi injuncto, et obligationibus multis propriis, quibus adstringor; in aliquam compensationem laboris, quo me Vir beatus ad Religionem adduxit, divina quadam revelatione impulsus, ut puerum annos quatuordecim dumtaxat natum, ex domo paterna pene furtim abduceret, unius noctis in eadem hospes, nec auroram secuturæ diei præstolatus; meque deduceret per iter circiter octingentarum leucarum, et ad nostræ Discalceationis asperitatem laboremque assuefaciendo C solus esset pater et mater et magister a Deo datus, toto tempore Novitiatus; neque prius ex hac vita egressus quam me relinqueret, sicut prædixerat, hujus Provinciæ electum Custodem.

scribit ejus alumnus J. Ximenez :

3 *Scripsit ergo sibi cognita, partim propria experientia scientiaque de visu partim aliorum eadem sic scientium et in Judicio Archiepiscopali rite deponentium, relatu : ideoque omnino operæ pretium fuit, totum illud opus Latinum facere, omissis dumtaxat moralibus quibusdam digressionibus amplificationibusque et primis Capitibus quatuor, formam Prologi potius quam historiæ habentibus, sub hisce titulis,* Cap. 1 Ob quam causam voluerit Christus, quatuor sanctos Evangelistas habere Chronologos suos; et quare auctor hoc velit esse sancto Fr. Paschali. II Quare voluerit Deus hoc seculo manifestare tres suos magnos famulos, Fr. Ludovicum Bertrandum, Fr. Nicolaum Factorem, et Fr. Paschalem Baylon, *quorum primus, Ordinis Prædicatorum decus insigne, anno* MDCLXXI *Sanctorum Albo adscriptus, colitur* IX *Augusti : secundus, eumdem quem Paschalis Ordinem Franciscanum, idemque Valentinum Regnum exornavit, et obiit* XXIII *Decembris, cujus causam in Sacra Romana Rota expeditam haberi ait Arturus a Monasterio.* III Quid sit miraculum : nec quidquid mirabile est etiam miraculum dici posse et quomodo vera miracula cognosci debeant. IV Utrum possit coli Sanctus aliquis, antequam sit ab Ecclesia canonizatus. *Quibus, ut dictum est prætermissis, reliquum omnem contextum Latinum fecimus. Succedere primæ vitæ potuisset* Relatio Auditorum Rotæ Francisci Sacrati, Joannis Baptistæ Coccini, et Alphonsi Manzanedi de Quignonez coram Paulo V, *quam secuta Beatificatio est : sed certius omnia et distinctius notata reperiebantur vel in ipso fonte, id est, Vita prædicta quatenus est ex Testium juratorum dictis excepta; vel ex posteriori altera, quam scripsit Hispanice primum, deinde etiam curavit reddendam Italice, et impressam Romæ anno* MDCLXXII *Camillo Cardinali de Maximis dicavit* P. Fr. Christophorus d'Arta, *ad causam Canonizationis agendam constitutus Procurator.*

quam Latinam damus, omissis paucis :

omissa etiam relatione AA. Rotæ.

E

4 *Nempe ex hac in tres libros divisa primo fecimus Vitæ ac virtutum* Supplementum, *primæ Vitæ addendum, omissis quæ antea fuerant sufficienter explicata : deinde totos fere libros, secundum ac tertium Latinos fecimus, sub uno* Gloriæ Posthumæ *titulo : cui ad historiæ plenitudinem aliud nihil deest, quam ut habeamus gesta post Januarium anni* MDCLXXII, *ubi Christophorus desinit, usque ad hunc præsentem diem : quæ ut Roma impetraremus quærendi diligentia nobis non defuit; sed ei, quem per litteras appellavimus, Canonizationis Procuratori, aliis forte majoribus impedito, promptitudo obsequendi : hic tamen defectus haud difficulter suppleri posthac ab alio quovis poterit. Utinam etiam inveniatur, qui ex copiosissimis Processibus, quales primum ad Rotam allati fuerunt anno* MDCXI, *Spicilegium faciat miraculorum, a Christophoro omissorum, aut nobis mittat Relationem aliorum in Sardinia patratorum, et anno* MDCLXV *descriptorum, quæ ab eodem Christophoro, prolixitatem excusante, indicatur dumtaxat num.* 39. *Facilius patimur defuisse nobis eam Vitam, quam, post recensitos omnes qui de Paschali utcumque agunt Auctores, ultima libri pagina laudat idem Christophorus, scriptam a P. Fr. Antonio Panhez, ejusdem cujus fuit Beatus Provinciæ filio, Concionatore et Guardiano Conventus a Torrente nuncupati. Quamvis enim ea potissimum et usum et adjutum se fateatur Christophorus; non est tamen recentiori nostra antiquior nisi annis paucis, utpote Waddingho sub annum* MDCL *scriptores Ordinis sui recenseuti ignota. Adde quod Christophorus dicat, eam quidem* eruditissime conscriptam *esse, verum,* uti in Proœmio fatetur *Auctor,* non adeo exactam ad historiæ leges, sed magis ad utilitatem spiritualem legentium : qua ex causa licet multum probata fuerit in Hispania minus apta sit visa ad genium Italorum, digressionibus quantumcumque aptis præferentium historiæ succinctæ fluxum nuspiam interruptum, *qualem etiam in hoc opere solemus requirere.*

Ex recentiori Italica datur Supplementum et Gloria postuma :

F

indicatur alia Vita Hisp. per Ant. Panhez :

5 *Multo tamen magis optanda foret secunda collectio miraculorum aliorum et posteriorum, facienda ex informationibus ad secundum Processum* MDCLXX *præparatis Valentiæ, ex quibus* solum sex principaliora excerpi et Processui inseri voluerunt, *qui (uti num.* 139 *testatur Christophorus)* Styli in Romana Curia usitati praxim aliquam habentes, plura necessaria non judicarunt. *Etenim asserit idem Christophorus,*

optatur nova posteriorum miraculorum collectio.

ea

A *ea haud pauciora numero esse, quam quæ ad primum Processum instruendum concurrerant. Neque dubitandum est, quin annis his ultimis novem multa etiam divinitus patrata sint, et saltem in Conventu Villaregiensi adnotata, digna quæ non tradantur oblivioni. Alii brevitati studentes potuerunt ista non desiderare: nos, quibus curæ est ut nihil in oblivionem veniat, quod vel Sancti pro Deo, vel pro Sanctis Deus est operatus; rogamus Provinciæ istius Superiores, ut pro futuro operis hujus Supplemento mature faciendam curent nobisque submittant novam ejusmodi compilationem; ad normam earum, quas isto in genere perfectissimas dedimus II Aprilis, post antiquam Vitam S. Francisci de Paula; et V Maji, post documenta de cultu S. Angeli Carmelitæ.*

VITA

Ex Hispanico Fr. Joannis Ximenez.

CAPUT I.

Natales Sancti, et vita pastoritia ante ingressum in Ordinem.

B

CAP. V.

Nativitatis ejus locus, tempus, auctores.

Frater Paschalis Baylon, religiosus Ordinis S. P. N. Francisci, et filius Provinciæ S. Joannis Baptistæ Discalceatorum, natus est in oppido Turris-formosæ, pertinente ad monasterium Dominæ nostræ Horti regalis Ordinis Cisterciensis diœcesis Seguntinæ. Quamvis enim ipsum oppidum spectet ad regnum Aragoniæ, in spiritualibus tamen spectat ad Episcopatum regno Castellano inhærentem: id scilicet agente Domino, ut commune Regni utriusque pignus Paschalis esset. Natus est autem anno millesimo quingentesimo quadragesimo, Apostolicam Sedem obtinente Paulo III; et Carolo V Imperatore Hispaniam gubernante. Natus est etiam honestis parentibus dicti oppidi inquilinis, quorum professio erat, agrorum cultura pecorumque pastu vitam tolerare. Patri nomen fuit Martino Baylon, mater Isabella Jubera nuncupabatur: quorum licet minime illustris esset sanguis, illustres tamen coram Deo et Angelis erant animæ, propter sincerum Christianitatis cultum et virtutes tali nomine dignas: sed et sanguis ipse, tametsi ignobilis, purus erat a sordibus Judaicæ vel Mauricæ aut hæreticæ propaginis, ex parte quidem patris ductus a Martino Baylon et Lucia Santander; per matris vero caput avos attin-
C gens Ferdinandum Juberum et Mariam Xeriz, omnes in dicto oppido Turis-formosæ progenitos.

Cur Paschalis dictus?

2 Talibus ergo parentibus avisque dignum nepotem ac filium illa excepit, cui creditur Paschalis nomen idcirco inditum esse, quod Paschali die in lucem venerit. Mox autem in ipsa pueritia futuræ indolis suæ dedit indicia: licet enim a suis parentibus, velut alter David, fuerit pascendis gregibus adhibitus; non ideo tamen præclusam sibi ad discendas litteras viam credidit. Librum enim in pera circumferens, et modo ab hoc, modo ab illo instrui petens, ac privatim secum in illa solitudinis commoditate ruminans quæ didicerat, partim diligentia sua propria, partim Dei gratia singulari adjutus, legendi scribendique mediocrem acquisivit peritiam; quo scilicet solum contendebat, ut libris sanctis frui posset, et recitare Officium Beatæ Virginis, cujus Horas penes se habebat assidue, sæpissime visus eas pervolvere, eaque de causa ab aliorum consortio pastorum secedere: tam enim parum illo delectabatur, ut plerumque extra commune sepimentum reductus sibi privatim ignem strueret, quo posset sine arbitris Deo sibique vacare. Videbatur autem sodalibus suis Angelo similis conversatione et moribus: quantum enim alii ætate ista capiuntur jocis

Pueritia insignis,

ludisque, tantum iste virtutis et sanctitatis exercitiis D velut ex propensione quadam naturali: in omnibus referens maturitatem quamdam senilem, imo religiosam disciplinam: idque solo eum docente atque erudiente Deo.

EX HISP. XIMENII.

2 Admirationem vero meretur, quod cum Minoritam discalceatum numquam vidisset, a puero tamen discalceatus vivere voluerit, non solum exuendo omnem amorem seculi, in quo consistit vera religio; sed etiam materiales calceos, sine quibus passim conspiciebatur ambulare, per dumeta atque spineta sequendo gregem, montesque scandere et per eorumdem petrosas declivitates descendere, nulla viarum asperitate territus. Quantamcumque enim illam amplexabatur libens pro ejus amore, qui pro salute humani generis vitam omnem duxit inter cruces atque labores, tam prompto animo quin etiam anxie dsideranti, ut diceret, Baptismo habeo baptizari, et quomodo coarctor donec perficiatur. Cum ergo Paschalis noster per campos inter pecora pastoris simul et pœnitentis monachi, hominis atque Angeli vitam conjungeret, domino cuidam serviens, cui Martino E Garziæ nomen erat: adeo alte penetravit in ejus amorem, ut Paschalem alloquens; Eia, diceret, dimisso grege in oppidum me sequere atque in domum meam, mihi qui liberis careo futurus filius et omnium possessionum heres. Nemo non cupide fuisset amplexus conditionem, qua offerebat alienus amor, quæ negaverat suæ nativitatis sors, divitem patrem, domum opulentam, urbanas delicias, copiosam substantiam, tanti solita æstimari a mundo. Sed eum nempe jam impetraverat a Deo in filium S. Franciscus, discalceationem nostram jam tum moliens in Hispania, illumque ad eam peropportunum sibi fore præsciens; unde ejus animo tam firmiter impresserat sanctæ paupertatis amorem, ut non posset ei ulla ratione is eximi. Itaque Domino suo sanctus puer respondit; se quidem multas ei debere gratias propter favorem immerenti oblatum; non tamen eum posse admittere, propterea quod constitutum haberet servire Deo in paupertate: tantumque abesse ut possessiones vel divitias appeteret, ut omni eas unquam habendi facultate privare se ultro vellet, religiosam vitam suscipiendo; atque adeo jam nunc ire se velle, habitumque suscipere.

a puero discalceatus

adoptari se a divite omnino non patitur:

4 Porro illius temporis pastores jurati narrant, quod ipsis ludendi causa quandoque convenientibus atque Paschalem secum ut tantisper colluderet invi- F tantibus, ipse continuo se proripiebat cum grege suo, ne tantulum quidem temporis inter eos ponere volens: quia cum paucorum esset verborum, ceterorum garrulitatem gravate ferebat. Audierunt etiam quod aliquando capras custodiens diceret, se velle ab earum cura absolvi, quia fruges alienas depascebantur, eoque animæ suæ creabant periculum; tam teneram ei jam tum conscientiam sanctus Dei timor efformaverat. Rem profecto in ejusmodi ætate miram: dicunt enim testes omnes, quod quando ex patrio oppido venit, non plus septemdecim fuerit vel octodecim annorum. Addit vero eorum unus, nomine Joannes a Campis, ex Turre-formosa oriundus; quod cum ipse et Paschalis simul degerent in loco de Montuenga regni Castellæ; unam leucam distante a Turre-formosa gregem biennio toto custodientes notaverit in sancto adolescente multas virtutes, et magnam morum honestatem: quodque numquam eum jurantem audiverit, ut passim faciunt pastores alii,: sed semper laudantem Deum ejusque Sanctos, imprimis sanctissimam Dei matrem Mariam. Quod si pecus aliquod vel infirmari vel mori contigerat, dicebat socio, anxietatem animi præ se ferenti: Tace frater, quid enim faciemus! Salvet nos Domina nostra. Cum vero aliquod aliud infortunium incommodumve

lusus puerilis osor,

Sanctorum cultor.

EX HISP. XIMENII.

Deo se in omnibus conformat.

A modumve obveniebat ex plurimis, quibus obnoxia est pastoralis vita; Salvet me Deus, inquiebat, ecqua hæc est Domini nostri gratia? laudo eum in omnibus, et quantas possum gratias refero.

5 Ita vivens seque exercens, cum videret Præfectum pastorum, sub quo operam elocabat suam, quotidianas habere rixas, modo cum dominis camporum, modo cum ipsis pastoribus; dixit amico cuidam, qui id postea juratus affirmavit; Malum, mi frater, hoc officium pastoris esse videtur, quia quotidianas secum discordias trahit: volo igitur religiosus fieri. Cui alter; Si constitutum habes renuntiare mundo, quin te ad Hortum-Dominæ nostræ confers? est enim opulentum istud monasterium in patria tua. Sed Paschalis; Non placet, inquit, nec genio meo videtur congruere: nempe qui divitias nullas Evangelicæ paupertati præponebat. Tali ergo occupatus desiderio, continuis apud Deum precibus instabat, ut mentem suam illuminare dignaretur, atque monstrare, quo in statu gratiorem ei famulatum posset præstare. Itaque præter Officium Marianum atque Rosarium, cujus sertum sibi confecerat ex funiculo, inductis granorum loco nodis; prolixas alias orationes cœpit de genibus recitare, conversus ad quoddam

Opulentum monasterium negat se ingressurum,

B eremitorium dictum S. Mariæ de la Sierra; idque omni mane a se notari Præfectus pastorum narrare solebat. Dum autem tali postulationi insisteret, in desertis illis campis; apparuerunt ei Frater unus et una Monacha, eique declararunt quam grata esset Deo vitæ religiosæ professio: quemadmodum Paschalis ipse retulit cuidam suo amico, homini bene morato atque sincero, ac propterea specialiter caro. Qui hoc ipsum solenni jurejurando confirmans, addidit sibi ab eo dictum, quod ei apparuisset etiam alius Frater, eadem inculcans; Et ideo, inquiebat, nolo possessionem vel pecuniam ullam, sed volo dimittere omnia ut Deo serviam in religione. Post dies vero circiter quindecim revertimus, ait ille, cum nostris gregibus ad campos, et vidi quod sub bardocucullo pastoritio tunicam esset indutus monachalem, dixique mihi: Vale, frater; vado ego ut serviam Deo: et sic me dimisit.

confirmatur apparitionibus:

6 Ne autem de visione (qua ei creduntur per verosimilem conjecturam apparuisse S. Franciscus et S. Clara, cum alio quopiam nostræ sacræ Religionis Sancto) possit dubium moveri amico isti, tamquam eam ille fuisset commentus; utque dictis ejus aliis

virga elicit aquam e terra:

C omnibus certam deinde fidem haberet; voluit Deus, ut coram ipso patraret miraculum simillimum ei, quo olim Moyses, pastor etiam ipse, sitienti populo aquam eduxit de petra. Cum enim ei verbis expressis dixisset; Quo pignore mecum certas, amice, quod ipso quem ostenderis loco, hac mea virgula aquam eliciam? vidit subito, sicut testatus est coram oculis suis aquam erumpere de sicca humo lympidissimam, ubi nulla unquam visa fuerat. Interrogatus autem amicus iste cur res tam memorabiles non revelasset citius, respondit, hactenus ausum non esse, quod ignoraret utrum ea revelatio commodo vel incommodo foret ad causam, donec juramento adstrictus est, quæ sciebat edicere: cum autem ista fierent fuisse Paschalem septemdecim vel octodecim annorum adolescentem, nec deinde eum amplius a se visum. Incompertum porro est, quis ei in desertis illis attulerit habitum Franciscanum: unde vehementi præsumptione creditur, hunc ei cœlitus datum esse. Prioris autem testis assertionem confirmavit ex eodem oppido æque juratus alius, affirmans quod etiam ipse eum viderit tunicella grisea indutum, quali induuntur Franciscani Fratres. Quamquam quid opus est altero teste? cum tanta de prioris veracitate opinio sit in oppido suo, ut quidquid dixerit credatur æque certo ac si suis oculis rem quisque vidisset: et talem agnovere Religiosi in Conventu Villæ D regalis, cum illuc venit, venerabilis senex et antiquis illis patribus simillimus, ad visitandum sui amici sepulcrum.

7 In ea ergo quam diximus ætate egressus de terra et cognatione sua, qua Deus ac S. P. N. Franciscus interna motione ducebant, venit in oppidum Montis-fortis, in regno Valentino, ubi est unus ex antiquioribus hujus Provinciæ conventibus a Domina nostra Lauretana nuncupatus, valde devotus ac solitarius, utpote leuca media semotus a plebe; in quo reperit Fratres aliquot magnæ perfectionis ac veros S. Francisci imitatores. Invenit etiam ibidem imaginem Deiparæ, miraculose repertam eo loci; unde suspicantur aliqui, si ea, quæ Paschali sub habitu monachali comparuit, Clara non fuerit, ipsam fuisse, quæ in suo conventu voluerit eum suscipere ad habitum religionis; sicuti ex alio etiam suo, Villæ scilicet Regalis, eumdem eduxit ad coronam gloriæ. * Non tamen mox ut illuc appulit, habitum petiit obtinuitque: sed agenti interius Spiritui obediens, multis diebus oberravit in locis circumpositis, et veluti procabundus ambiebat ædes Dilectæ suæ, operam locans interim pascendis gregibus per omnes

oppidum Montis-fortis petit:

CAP. VII

bonis operibus se parat ad religionem.

E campos Montis-fortis, Albæterræ et Origuelæ, factus omnibus, quibuscum agebat, speculum virtutis et honestatis. Ita testantur quibus cum eo contigit tunc versari; imprimis ipse ejus in pastoritio opere aliquando præfectus, dictus Stephanus Lopez; qui videns tantam in illo juvene sanctitatem vitæ, tantum studium orationis et continuam ejus occupationem in recitando Rosario, libris precum volvendis, legendis Sanctorum vitis factisque, ut etiam noctium partem bonam impenderet hujusmodi exercitiis, lumen ad ea sibi privatim accendens; considerans præterea quod totam Quadragesimam et præscriptos toto anno jejunii dies solo pane et aqua transigeret; verbis autem plenis fervoris atque devotionis omnes ad Dei amorem servitiumque potenter attraheret; visus est in eo se habere Angelum, divinitus missum in solitudinis suæ peregrinationisque solatium.

Quadragesimam pane et aqua transigit;

8 Vidi, inquit testis iste, semper tam compositum ut nihil unquam in ejus factis dictisve notare potuerim minus decens, ne verbum quidem otiosum, nedum mendacium vel juramentum; ut summum dicere solitus; In veritate ita, vel; non ita est. Solebat autem mihi dicere: Ecce, cum dico, In veritate, F scito quod neque nuger nec mentiar. Monebat etiam me ut confiterer peccata mea, dicens, quod conveniret me res cum Deo habere compositas et animam præparatam in omnem quæcumque ea foret mortis horam. Itaque tanta cum efficacia loquentem audiens de rebus divinis, dicebam intra me, quandoque etiam affirmabam aliis, Si juvenis iste fiat aliquando Frater, bene posset esse prædicator. Specialiter autem affirmat, in ista ætate ac primo juventutis fervore miratum se esse integerrimam ejus castitatem, qua nec minimam quidem alicujus immunditiæ mentionem coram se fieri patiebatur. Idque affirmabat, multa experientia et in variis occasionibus a se compertum; atque idcirco familiarius aliquando interrogasse, an nullas aliquando tentationes carnis motusque naturales sentiret; eumque respondisse; Sentio quidem nonnumquam, sed mox correpto viridi aliquo ramusculo usque eo carnem meam cædo, donec ex ea natæ tentationes motionesque, doloris excessu victæ, evanescant. Addidit etiam, quod cum aliquando ipsum et Pashalem ad suum ovile invitasset Albaterranus quidam, quæsivissetque num vellent adduci mulierculam, quicum noctem agerent; castissimus juvenis tamquam gravi plaga percussus excanduit; et Si feceris, inquit, te ipsamque lapidibus hinc ejiciam: quoties enim vel nomen audiebat mulieris

modestia ejus in verbis summa:

castimonia integerrima,

voluntariis pœnis conservata

mulieris ad severitatem componebat vultum, eoque monstrabat quam gravis sibi esset omnis sermo de altero sexu.

Frequenter templum Fr. Minorum adit Sacramenta percepturus.

9 Oberrans ergo, sicuti dixi, per montes conventui circumjectos, sæpe admovebat gregem ad maceriam qua is cingebatur, ut caram sibi ecclesiam visitaret, in eaque obiret Confessionis atque Communionis sacramenta, cum devotionis internæ externis indiciis tam manifestis, ut socios omnes in sui admirationem converteret. Erat autem tunc ibi Fr. Josephus de Cardenete, vit religiosissimus unusque ex primis Provinciæ filiis, qui postquam multis annis in hac observantia qua subditus qua prælatus vixit, cum laude magnæ humilitatis et in inconcussæ inter multas magnasque tribulationes patientiæ; peregrinationis suæ cursum absolvit in Conventu Ayorensi, dum ego istic eram, ad magnam ædificationem omnium religiosorum. Quippe qui post toleratum patientissime extremum morbum, appropinquante festo S. P. N. Francisci consuetis Ecclesiæ Sacramentis munitus, cum moneretur mortem instare, non modo nihil est contristatus turbatusve animo, sed oculis vultuque lætitiam internam testantibus cœpit agere gratias Deo, quod ex hoc carcere sese educeret ad regnum cœleste. Et veluti qui ab exilio ad patriam revocari se audiebat, exorsus cantare Psalmum CXXI; Lætatus sum in his, quæ dicta sunt mihi, in Domum Domini ibimus; rogavit infirmarium ut ipse alterum versum subjungeret : atque ita alternatim progressus cantando usque ad finem Psalmi pervenit, in quo Crucem amplectens expiravit ipso die S. P. Francisci mane, relicto corpore tam formoso ut omnes mirarentur. Hunc ergo Fratrem in isto Conventu tunc habitantem misit aliquando Guardianus suus, ut lactis aliquid peteret a Paschali : a quo cum revertens multum laudaret eximiam ejus caritatem devotionisque fervorem, respondit Fr. Antonius Segura, quo ille Confessario utebatur, Scito, inquiens quod confitenti non ausim injungere pœnitentiam uno Pater et Ave prolixiorem : vix enim tantillum recitare potest, quin continuo in extasim rapiatur.

Eximius caritate,

10 Solebat autem bonus hic pastor, messis tempore secum gestare falcem, qua subinde juvabat messores eorum, qui annonam suam colligebant ; idque gratis, non tamen solius caritatis respectu, sed etiam justitiæ, si forte eorum segeti damnum aliquod grex suus intulerat : quamvis hoc caveret vigilantissime, ideoque nullus unquam de eo queri auditus est, sed potius optabant agris suis propinquum degere, cujus cognitam habebant sanctitatem. Quod si forte accidisset aliquid secus quam volebat, conveniebat ultro dominum loci, manifestans damnum, et pretium de suo dimenso stipendiove repræsentans. Cum ergo alicui hoc modo se obtulisset, isque virtutem talem demirans gratuito condonatum vellet quidquid id erat, quod alius etiam in facto deprehensus voluisset dissimulare, nedum ultro fateri ; rogavit anxie acciperet ille quod suum erat : fieri enim non posse, ut rem alienam retineret ipse, qui propter Christi amorem vellet etiam proprias res omnes abdicatas. Tantis denique præparatus virtutibus, crescente indies desiderio Crucis atque omnimodæ cum Crucifixo nuditatis, decrevit dimissis gregibus Habitum petere, non ut Sacerdos fieret, quamvis et legere et scribere nosset, sed ut Frater Laicus, scopæ et peripsema domus Dei : quod autem petiit facile impetravit, jam notus Fratribus.

et justitia

habitum Fr. Laici petit et impetrat.

CAPUT II.

Paschalis jam Religiosi, occupationes diurnæ atque diuturnæ.

CAP. X

Hoc in statu expeditus seculi curis, animam sensusque omnes tam interiores quam exteriores in finem a se intentum defixit, non solum discens exercitia et ceremonias Ordinis, sed et deliciosis concupitæ diu Rachelis amplexibus inhærens, totum sinum cordis pandebat Deo ad summæ perfectionis apicem vocanti, seque ad tenendam in proposito perseverantiam corroboranti : prout reipsa eam tenuit usque ad solennem professionem, et abhinc ultra usque ad mortem : adeo ut qui cum eo familiarius vixere, uno ore et communi voce testati sint, perfectiorem in omni virtutum genere Religiosum numquam a se visum in Ordine nostro Franciscano. Alii amplius affirmabant, neque alibi uspiam aut unquam sibi cognitum fuisse Sanctum, ad gradum sanctimoniæ æqualis progressum : quippe qui non modo numquam viderant a Paschali peccatum aliquod, non dico mortale, sed nec veniale committi ; verum neque verbum otiosum proloqui, neque in risum effundi notaverant. Numquam ille cernebatur ab opere vacuus, nisi cum oraret ; de nemine unquam audiebatur murmurare, aut queri de quoquam ; numquam iratus turbatusve inveniebatur, vel incompositus aut ad aliena distractus : sed omnis ejus vita, opera ac verba sanctitatem spirabant : unde communis inter Fratres jam tum persuasio invaluerat, fore ut Dominus eo mortuo multa per ipsius intercessionem miracula faceret. Talis de eo opinio inter seculares æque ac Fratres cum teneretur, certo eam ipse experimento potui juratus affirmare, sicut et feci, hoc cui ipse interfui casu coram Commissariis proposito. Almansano Conventui serviebat Paschalis in officio portarii, quando eo advenerunt mulieres aliquot, volentes Guardiano confiteri. Hoc illi referenti injunxit Guardianus, ut negaret se esse domi : sed Paschalis, alias solitus obedire ad unguem, Dicam, inquit, Pater occupatum te esse, neque nunc egredi ad illas posse. Nequaquam replicat Guardianus, sed dicito, me domi non esse. Paschalis econtra, humili vultu ac gravi voce, Ignosce mihi, inquit, Pater, hoc enim non dicam : mendacium enim id esset atque peccatum veniale : atque ita rediit ad portam magna cum tranquillitate.

EX HISP. XIMÉNII. Ad summam perfectionem contendit,

mentiri detrectat,

12 Sed nec alio ullo casu vel levissimum ejus delictum vidi, licet in variis conventibus cum eo vixerim, sociusque ejus fuerim in duobus prolixis itineribus, quorum occasione facile contigit ut homo, laboris ac tædii leniendi causa, indulgeat sibi aliquid quod sit cum culpa nonnulla conjunctum. Expertus econtra sum eum tam humilem, obedientem, mortificatum, castum, misericordem, solicitum, devotum, austerum, modestum, ac mitem, paupertatis caritatisque studiosum, viva fide plenum, in oratione perseverantem, omni denique virtutum genere sic cumulatum, ut discernere nequeam ecqua in eo magis excelluerit. Nunc enim in ejus paupertate considero extremæ perfectionis actus : alias coram oculis mentis meæ offertur caritas, instar solis refulgens, et aliarum virtutum velut stellarum fulgorem retringens. Si me ad ejus humilitatem converto, ad ejus qui nusquam est fundum nequeo pertingere : si pœnitentiæ rigorem considero, eo provectum intueor, ut nulla humanæ prudentiæ regula videam limitari, sed omnem prorsum modum excedere, adeo ut citius aliquis culpandum de excessu, quam laude dignum posset censere. Cui enim non videbitur nimium, si unus idemque pane solo et aqua victitet, setaceo vestiatur cilicio, gravi ex ferro catena supra nudum cingatur, pro lecto terram aut contabulationem, pro pulvinari truncum habeat ; ibique non se extendat, sed veluti nimis delicatum id foret, somnum tantummodo capiat sedens aut contractus, non sine aliquo cruciatu, absque alio ceteris in rebus necessariis solatio ? Quomodo, per Deum immortalem ! vivere poterat

omni virtutum genere elucet,

præsertim mortificatione sui.

EX HISP. XIMENII.

A terat homo, in se usque ad ejusmodi excessum severus? Si per diem oculos non claudebat in somnum, sed etiam æstate ipsa, ceteris meridiani somni tantillum captantibus, ipse sub ferventissimo sole laborabat in horto, idque nudo capite; si neque post mediam noctem dormiebat, orationi insistens usque mane; neque ante illam se dabat sopori nisi sub horam nonam ac decimam, deinde primus ad Matutinas in choro; qua demum ratione fieri potuit, ut corpus ex carne ac sanguine compositum, sicuti meum, pedibus consisteret, duarum dumtaxat triumve horarum pœnosa requie sustentatum? Tuum et a te acceptum hoc robur erat, Deus, quo supra naturæ ordinem instructus, solus ipse, infirmus ac debilis, adeoque parce sustentatus subibat onera, quanta nec duo sani valentesque religiosi fuissent ausi suscipere: idque ita ut nihil propterea de suis exercitiis spiritualibus remitteret.

CAP. XI.

Janitorem sedulum agens, aliis simul officiis se impendit,

13 Ultimos vitæ suæ annos ut plurimum quidem occupatos habuit in Janitoris aut Refectoriani officio, in conventibus Villenæ, Almansæ, Valentiæ, et Villæ-regalis: quotiescumque tamen offerebatur occasio, etiam horto, infirmariæ, hospitalitati et coquinæ curandæ se libentissime impendebat: quod ibi magis exercetur laboriosa humilitas. Singulis autem se applicabat tanta cum devotione et animi gau- B dio, ac si non hominibus ministraret, sed Angelis; resultabatque in vultum ejus internum cordis ejus gaudium, ut lætum semper leniterque subridere Cœlitum in morem videretur; et jubilum, quo efferebatur anima per os erumpens, cantica et psalmos faceret resonare, quos voce submissa modulabatur et suo quosque tono: quomodo sæpe audivi, et vidi Almansæ in horto laborantem, et ad ligonis ictus attemperantem modulos, eo etiam in opere sub quo valentissimi quique solent ingemiscere fatigati. Quod si interim nolæ tinnitus audiebatur a janua, mox eo accurrebat; et quandoque occurrentibus sibi Fratribus (nam plerumque tacitus præteribat obvios, exhibenda singulis reverentia contentus) pium aliquid insusurrabat in aures: puta; Bonum est quidquid est a Deo: vel illud S. Ignatii; Amor meus crucifixus est; idque cum ea vocis suavitate, ut cunctis inspiraret tenerum quemdam pietatis affectum. Ad januam autem veniens parvis et magnis dabat quidquid peterent, liberalissimo animo vultuque exporrecto semper, et magna cum affabilitate ac comitate, ita ut neminem dimitteret absque solatio: quamvis C multi venirent petentes lactucas, caulesve aut herbas ex horto alias; nec enim eximia ejus caritas poterat alicui quidquam negare, et tamen non videbatur Fratribus ulla unquam facta imminutio proventus hortensis.

affabilis et liberalis erga omnes,

14 Contigit aliquando, cum Almansæ hortulanum simul et janitorem ageret, sub noctem advenire syndicum conventus, atque ad ostium invenire pueros aliquot, rogantes ut sibi pro infirmis, qui multi tunc erant in civitate, darentur * porri. Ambigebat vehementer Sanctus, dubius an ulli superessent in horto, quia ad usum ægrotantium passim requirebantur: ivit tamen, prædictum syndicum post se ducens: qui præsens adstitit, dum Paschalis sub quadam spinea sepe, areolas a semitis dirimente, pauca quædam eaque exilia folia porrorum collegit, solos cum suo germine bulbos relinquens, folio autem nec uno residuo: atque cum illis ad ostium properans, divisit in pueros quidquid habuit. Rediit autem postero die et quidem primo mane syndicus, carnes obsonatus pro Fratribus, et rursum ad portam alios pueros reperit idem postulantes: quibus, tamquam testis oculatus dixit, porrorum nihil esse in horto. Cum ergo portam aperuisset Paschalis, eumdem usque in hortum secutus est syndicus; et porros, quorum bulbos foliis revulsis vesperi viderat prorsus infrondes, vidit copiose hilariterque frondentes. Quod dum miratur stupore suspensus: Vide, inquit Sanctus, vide Divinam bonitatem, cui placuit, una hac nocte tantum dare paucis istis porris incrementum, in solatium pauperculorum infirmorum iis opus habentium. At ego credo, reposuit syndicus, quod hac nocte oraveris ut eos tam subito crescere faceret Deus. Tacuit ad hæc Sanctus, solumque vultu subridenti annuit syndico: qui rem pro magno miraculo habuit, multisque tum Fratribus, tum secularibus narravit, sicut et mihi qui ipsam sub juramento testatus sum. Si non erat in horto quod petebatur, non sinebat tamen manibus abire vacuis quemquam, sed aliud aliquid in vicem dabat, aut saltem floridum aliquem ramusculum. Aliis solatii alterius egentibus, in afflictione quapiam animi vel corporis, quam poterat promptissimum largiebatur; affectuque tam tenero, ut ærumnas alienas tamquam proprias sentire videretur: quo in opere caritatis cum forte duobus occurrisset religiosis, non potuit, quantumvis humanorum in talibus oculorum fugitans, dissimulare lacrymis perfusas genas: qui eo animadverso dixerunt inter se: Certum est fuisse aliquem, qui dolorem suum narrando exposuit Fr. Paschali.

* Ital. V. bette.

porri folia vesperi pauperibus data

D *una nocte renasci precibus impetrat.*

E

CAP. XII. *Quibus diem operibus peragere solitus sit.*

15 Inimicus otii, quod animæ pestem esse noverat, cum a media nocte usque mane (nec enim nisi rarissime somnum repetebat post Matutinas) perstitisset in choro orationi vacans, præstolabatur auroram: cujus cum signum campana dedisset a choro descendebat in ecclesiam, et magna cum devotione visitabat altaria pro lucrandis Stationum Indulgentiis, per bullam sanctæ Cruciatæ oblatis: tum reserata ecclesia excitabat Fratres, uniuscujusque ostium ter pulsans et dicens; Laudetur dulcissimum nomen boni Jesu: ad Primam, Fratres, ut Deum laudetis et benedictam ejus Matrem. Mox ministrabat primo Missæ sacrificio: neque uno contentus ministrabat aliis quotquot poterat, aut singulorum partem aliquam velut furtim audiebat, a porta quo vocatus forte erat ad ecclesiam recurrens: numquam vero ministerium in hoc suum negabat alicui, quin saltem in principio ei assisteret, donec revocaretur. Præparabat deinde refectorium, et panem ponebat F in cophino: hoc autem facto conjiciebat se in genua ante imaginem istic positam, junctisque et elevatis usque ad faciem manibus, orabat per tempus quo symbolum Apostolicum bis recitaretur. Tum vero assurgens submissa voce incipiebat cantillare aliquas strophas in laudem Deiparæ; interimque magna cum alacritate, nec tamen absque circumspectione pari, dividebat panem per uniuscujusque locum, secundum laborum uniuscujusque mensuram, dignitatem personæ, aut necessitatem, meliores partes apponens Prælatis, prædicatoribus atque infirmis. Quodam igitur mane occurrens mihi ad De-profundis in conventu Villæ-regalis, ubi tunc concionabar per Quadragesimam, manu apprehensum induxit in refectorium, dicens: Veni huc, plus quam aliquis ex nobis debes Domino: voluit enim ut unum solum panem, qui optimus hic est comedas tu: et mappulam rationi meæ impositam sublevans, detexit panem candidissimum, quem maximo cum gustu comedi, aliud nihil tunc considerans: postea vero advertens animum dubitavi undenam habuisset eum panem, cui ista in regione numquam videram eatenus nec postea vidi similem: doluique quod nihil ex eo reservassem.

Triclinii instruendi curam gerit,

16 Cum pleuritide correptus in lectum se moriturus composuit, uti sibi fuerat revelatum, quæsivit ex Guardiano cuinam tradi juberet claves refectorii. Illo autem nominante quemdam Fr. Antonium Alvarez Sacerdotem, instruxit eum accurate, dicens: Ecce Fr. Antoni, hæc est clavis refectorii; ista vero,

qua de re moribundus instruit alium:

A ro, cujusdam arcæ in officina positæ, ubi colloco panem meliorem pro infirmis aut aliter necessitatem habentibus. Quamvis autem Caritas vestra in oppidum abiens alias claves hic relinquat, non tamen istam: semper enim ibi inveni aliquam provisionem delicatioris panis, pro iis qui magis merentur magisque laborant: pro quibus etiam semper sepones vinum optimum. Quia vero sese ipse reputabat omnium indignissimum, sibi etiam servabat panem magis nigrum ac durum minutioraque frusta; similiter et mantile magis tritum, calicemque et cultrum viliorem ac semiruptum seligebat sibi, nec non ex fructibus minus maturos aut semiputridos, uvarumque rejectamenta et raphanorum reliquias, pridie in ossarium vas conjectas ac sterquilinio destinatas. Novitios præterea instruens de modo parandi refectorii, docebat in numero semper aliquod mysterium sibi præfigere, ut, si prunorum verbi causa modica quantitas aderat, tria singulis in honorem sanctissimæ Trinitatis; sin aliquando major, quinque in memoriam quinque vulnerum Domini, aut septem pro totidem Spiritus sancti donis impetrandis apponeret.

sibi viliora reservat.

17 Recluserat quodam die se in refectorio Valentini conventus, quando religiosus quidam illac B transiens, vidensque hora indebita apertum posticum quo ab officina in hortum itur, per ipsum intravit versus refectorium; invenitque Paschalem coram imagine Mariana, supra principalem refectorii portam collocata, tripudiantem, et retrorsum antrorsum magno cum jubilo salientem: quem nolens interpellare regressus in officinam est, et post morulam aliquam facto strepitu clara voce dixit; Laudetur D. N. Jesus Christus; et Paschali respondente; Laudetur semper, ad eum velut tunc primum ingrediens, vidit vultum ejus tam inflammatum, ut ad devotionem non exiguam moveri se sentiret. Dixit autem ei Sanctus: Si quid hinc, tibi opus est, Frater, accipe ut vis. Quin etiam solebat ad jentaculum vel merendam invitare Religiosos, quos eo egere judicabat: quod si quos verecundia teneri observabat, relinquebat illis apertam refectorii officinam, et festinanter accurrebat ad portam, velut istic aliquid negotii habens; deinde vero ad eamdem claudendam revertebatur, cum jam crederet ipsos suæ necessitati fecisse satis: quam enim erga seipsum severus, tam erga alios omnes blandus erat ac mitis.

Coram statua Virginis tripudiat.

18 Tempus quod ei forte supererat impendebat C legendis libris sanctis, aut scribendis sententiis suæ devotioni aptioribus, quas legendo notarat, vel resarciendis vestibus suis aut veteribus sandaliis Fratrum, quæ reparata ipsis reddebat. Post prandium statim recurrebat ad curandam ollam, quam erat pauperibus distributurus ad januam: et hos quidem primum faciebat genua flectere, consuetasque præibat orationes; rursumque absoluto eorum prandio genuflexus cum iisdem agebat Deo gratias. Atque in hoc caritatis opere tam erat absorptus, ut nesciret se ab aliis religiosis observari, quemadmodum ego ipse expertus sæpius, diu ante oculos ejus versatus, priusquam eos in me conjiceret. Cum autem Guardianus suus in Villa-regali ei diceret; Cave Frater, ne eleemosynam des quibusdam pueris, qui fiducia ejus a te accipiendæ otiosi vagantur nec volunt laborare; respondit: Eleemosynam, Frater, do propter Deum: quid scio an is cui negarem non sit ipse Christus? Quantumcumque tamen profusus in hoc genere, discretus tamen etiam erat, meliora servans pauperibus studiosis, velut dignius occupatis, et infirmis ac senibus tamquam magis egentibus. In his aliquando fuit centenarius unus, cui reservans appositam sibi in refectorio portionem carnis, clam sepositam ad hoc, aluit eum quamdiu vixit; tanta cum reverentia eidem ministrans, quanta patri potuisset, vehementerque exultans quod id inobservatum crederet. D

Pauperibus benigne cibos distribuit,

EX HISP. XIMENII.

19 Æstatis tempore, sicut jam dictum est, meridianum somnum post decantatam Sextam capientibus Fratribus, ipse sub ardentis solis radiis repurgabat hortum, nudo capite. Hora post meridiem prima illos excitabat ad Nonam, quibus, ac deinde Vesperis et aliis Horis devotus intererat. Tum in suis occupabatur officiis, quibus, perfunctum in refectorio aut ad januam conventus, vix alibi invenisses quam in choro aut ecclesia, ubi manebat a prima nocte usque in horam nonam, aliquando etiam diutius: diu ac sæpe genuflexus, et brachiis in crucem extensis orans. Alias (et hoc magis ordinarium erat) manus junctas efferebat ultra faciem, cubitis absque ullo sustentaculo pendentibus in aere, ad affligendum ea ratione corpus. Quandoque prostratus in terram eidem os applicabat, donec sumpta a Venerabili Eucharistia benedictione veniam assurgendi petiisset. Denique ad suam cellam se conferebat, dormiturus paucis illis, quæ usque ad Matutinas supererant, horis; idque collectis tibiis atque intra vetus stragulum colligatis, reclinis ad angulum parietis; ne, si sese extenderet incumbens, plena corpus quiete frueretur. E

frequens coram Venerabili orat.

CAPUT III.

Itinera viri sancti per suam Provinciam: item Franciam, Xerez et Villam-regalem,

CAP. XIII.

Egrediebatur Dei servus magna cum alacritate ad eleemosynam ostiatim emendicandam, tantamque alacritati illi jungebat devotionem, ut ejus sensum aliquem aspiraret omnibus eum considerantibus. Veniens autem ad ostium aliquod, voce elata dicebat: Pax Domini sit huic habitaculo. Laudetur D. N. Jesus Christus. Fratribus S. Francisci pro Dei amore. Per plateas vero, colligebat quidquid forte reperiebat linei laneive panniculi, aut fili rupti, vel chartæ laceræ. Et hæc quidem ei serviebat ad notandas scripto sententias, quæ legenti sibi magis placuerant; istis vero resarciebat vestes suas. Regressus autem in conventum, recta ibat ad Guardianum loci cum mantica sua in humeris; eoque conspecto provolvebatur in genua, porro adrepens donec ei manum esset deosculatus. Huic quoque labori addebat F discretionis virtutem cum habitaret Jumillæ, ubi conventus alto in monte situs abest integra leuca a vico. Considerans enim socio suo futuram necessariam quietem, ultro deponebat manticam ad fontem in via scaturientem; electumque ex omnibus candidiorem panem offerebat socio; ipse (quod alias extra refectorium numquam fecisset) frustilla nigriora rodebat. Non erat solicitus pro jumento petendo, quoties suo ipse dorso deferre collectas eleemosynas poterat, quantumvis grave pondus aut via prolixa foret: prout observatum præcipue est Jumillæ, Xativæ, et Loriti: unde aliquando egrediens ad petendum oleum, cum plures ejus cantharos accepisset, transfusum in sportulas suas bajulabat humeris per leucam plusquam dimidiam: occurrentibus autem sibi atque mirantibus cur non uteretur jumento, humiliter gratioseque respondebat. Et quod jumentum majus me?

Ostiatim stipem devote petit.

Laceras chartas vel pannos e plateis colligit.

21 Moris autem erat ut etiam ad remotiores a suo vicos progrederentur Fratres, non ad quærendum triticum, sericum, mustum, aliave hujus generis in nostra discalceatione prohibita, sed ficus siccas vel uvas passas in usum infirmorum, vel lanam in vestimentum. Inter illos vero sic ibat Fr. Paschalis, ut omnium ad se adverteret oculos affectumque; et nemo nostrum eo veniret ex simili causa, quem

Ob sanctitatem omnibus in ore est:

Ex Hisp. Ximen.

A quem passim non interrogarent incolæ, qui se haberet sanctus iste Frater. Nec mirum : videbant enim eum, quasi semper ipsasque per noctes, in hospitio vel campo orationi intentum, nec nisi de Deo ac rebus divinis loquentem audiebant : videbant quod omni feria sexta et aliis per annum esurialibus diebus, quantumcumque aut iter longum fecisset aut sub pondere collectarum eleemosynarum fatisceret, nihil de jejunii rigore remitteret, modico pane caseoque ad meridiem sumpto contentus : videbant quod solis ferventissimi radios nudo semper exciperet capite cum singulari animi lætitia, viæ prolixitatem distinguens nunc decantandis Deo suaviter laudibus, nunc piis de eodem colloquiis, nunc oratione mentali.

Viro debili vires,

22 Comitabantur quandoque eum devoti aliqui seculares, atque in petendis eleemosynis juvabant : horum unus, dictus Fr. Jacobus Faxarinus tam infirmo pectore erat, ut asthmaticum se credidisset, si tussi quoque se vexatum sensisset, adeo difficulter trahebat spiritum; et si acclivitas aliqua superanda erat, deficiebat anhelitu. Talem se videns rogavit Sanctum, ut se Deo commendaret : quo respondente, ut fideret Domino, per quem sanandus erat; continuo se sensit malo omni liberum, expeditumque ad

et uxori ejus lactis copiam impetrat.

B quosvis montes collesve subeundos sine molestia. Ut autem uxor quoque illius esset particeps præmii, quod Fr. Jacobo rependebatur pro obsequiis Paschali præstitis; hujus orationibus flexus Deus tantam ei copiam lactis concessit, ut quæ suis ipsa infantibus citra opem aliarum mulierum numquam antea suffecerat, nunc etiam quæreret alienos; idque ab eadem hora, qua marito fidem Sanctus dederat, de eo quo egebat divinitus obtinendo.

Quæ inter mendicandum observaret.

23 Qua autem ratione eleemosynas istas conquireret, intelligi poterit ex depositione cujusdam socii ejus, per sanctam obedientiam et sub pœna excommunicationis majoris latæ sententiæ adjurati. Cum, inquit, essem in Conventu Fr. Onufrii Xativæ, sub Fr. Ludovico de Aracil Guardiano, ibidem eleemosynarii simul et ostiarii munere fungebatur Paschalis. Cum ergo aliquando essemus egressi simul ad corrogandas uvas passas, per istas Mauricorum valles; dixit mihi : Est quod læteris, Frater, quia professionem laici emisisti, qualis ego semper fui (prius enim habitum sumpseram ut futurus Chorista) tum varia addidit, ex quibus prophetiæ spiritum ei cognovi inesse. Toto autem itinere ambulantes loquebamur de Deo, aut recitabamus Officium Dominæ

C nostræ, cui multum afficiebatur : quoties vero ad aliquam considebamus umbram, recitabamus Stationem sanctissimi Sacramenti. Appulsi in oppidum ante omnia adibamus ecclesiam, petituri benedictionem Curatorum aut Vicariorum, quos pio alloquio recreabat. Finito deinde quæstu egressi de loco, si quod frustum panis acceperamus, comedebamus in via : neque enim unquam se exorari sinebat ab invitantibus, ut apud eos cibum sumeret.

Cap. XIV.

Ex obedientia arduum iter Parisios ingressus

24 Inter itinera quæ fecit, memorabilis fuit ejus protectio in Franciam, de qua testem habeo Fr. Joannem de Moya, Definitorem Provinciæ, qui variis vicibus Superior Paschalis fuit, eratque Guardianus Almansæ anno MDLXX, quando egressus inde est ille circa finem Septembris. Hic juratus deposuit, quod inter millenas virtutes Sancti erat ejus singularis, prompta, et alacris obedientia, quantumcumque res difficilis aut etiam cum mortis periculo juncta foret. Cum enim Generalis dictus a Capitefontium, natione Francus, Parisiis ageret; et Provinciæ Custos magni cujusdam momenti litteras ad eum mittendas haberet; deliberans cui ex omnibus subditis suis perferendas eas traderet (sciebat enim hæreticos, quorum tunc plena erat Gallia, iis præsertim in partibus quæ necessario erant transeundæ, D Fratribus esse infestissimos, pluresque eorum per exquisita tormenta necavisse) oculos conjecit in Paschalem : qui nihil excusans, sed ad omnia mandata implenda alacer, statim sese in viam dedit, plane discalceatus, ac ne sandalia quidem recipiens, aut tunicellam infra habitus sui simplicissimi ruptos ac detritos pannos. Sic ingressus in Franciam appulit in quemdam Ordinis nostri conventum, Religiosis eruditis abundantem : inter quos considerato obedientiæ Paschali impositæ præcepto, disputatum est acriter, liceretne aliqui manifesto mortis periculo se exponere causa obedientiæ. Sed omnibus tandem sententia stetit, licitum id esse : atque ita transire eum siverunt, quo missus erat, certus nullum adeundæ mortis periculum declinare, in quod per obedientiam mitteretur.

ubique male excipitur ab hæreticis,

25 Ibat ergo in suo illo paupere habitu, diu noctuque per publicas vias, in conspectu rabidorum istorum luporum mitissimus agnus, servante ipsum semper Deo, quamvis verbo et opere exciperetur ubique male; in oppidis autem ac vicis frequentioribus etiam lapidibus impeteretur, magno cum tumultu conclamante plebecula; Ad papistam, ad pa- E pistam : inter quæ contigit saxum unum tam certo in eum ictu vibrari, ut eum fere solo straverit, humerum autem sinistrum gravissime affecerit, relicto dolore, quem diu postea in Hispania tulit. Ipse nihilominus viam tenebat suam ac ne passum quidem suum gravem atque modestum accelerabat propterea. Alio in loco* cingentes eumdem cœperunt interrogare, an crederet in eo, quod Sacerdotes nostri conficiunt, Sacramento contineri Christum : quibus generose respondit, omnino id se credere. Contra vero arguentes, existimantesque quod eum facile possent sophismatibus suis irretire, tam solidis nervosisque responsis per infusam sibi rerum Theologicarum scientiam confudit, ut denique, non ferentes se convinci, silices sustulerint, lapidaturi ad mortem, nisi Deo placuisset immissa undique saxa deflectere, sic ut iis circum supraque volantibus a nullo eorum tangeretur.

** Aurelianis, uti creditur, ex Vita altera,*

impetitus lapidibus non tangitur;

periculum mortis adit evaditque,

26 Post hæc suum iter prosequens, fameque tantum non enectus, accessit ad ostium cujusdam ex opulentioribus regionis istius Proceribus, sed hostis Catholicorum infensissimi : qui jussum ad se mensæ accumbentem induci, habitumque et vultum ejus contemplatus, juravit Hispanum exploratorem esse, cui pro eleemosyna, mox atque prandium absolveret, daturus erat meritam mortem. Nihil ad hæc motus F Sanctus perstitit in vestigio, donec loci Domina miserta, eum jussit abripi e conspectu mariti ac domo ejici impransum, ut erat. Sed quod apud divites frustra quæsierat solatium, invenit ad ostium pauperculæ Catholicæ, gratias agens Deo protectori ac provisori suo. Alibi, persequente eum injuriosa plebecula, interveniens quidam eum arripuit, dicens, quod eruere eum vellet a furore populari. Induxit ergo eum in porcorum haram, ibique sublata clave reclusit usque in crastinum, absque ulla refectione; quapropter nihil mitius expectabat quam mortem, ad quam se istic inclusum æstimabat. Sed rursus duabus post solis ortum horis idem homo adfuit, et eleemosyna data dimisit. Narravit insuper mihi Sanctus, aliquando obviasse sibi equitem lancea instructum, qui nulla salutatione præmissa, dixit; Frater, Deus estne in cœlo? Ipso autem respondente, quod vere ibi esset, rediisse hominem unde venerat; credere vero se, quod si respondisset in cœlo pariter et in Eucharistia esse, intendebat eum lancea configere : sed martyrio se fuisse indignum. Fuit etiam cum vultu amœno et hilari excipiens eum matrona, quædam interrogavit; an venisset ad suam, id est hæreticam,

haræ includitur:

A hæreticam, transiturus religionem : quo respondente cum solita sibi constantia, quod esset religionis S. Francisci, confusa mulier retro abiit. Denique per mille pericula, injurias atque incommoda, demandatum sibi iter emensus remensusque, in hanc Provinciam rediit, tam cumulatus meritis, quam attenuatus laboribus.

in provinciam suam redit

CAP. XV.

27 Ultimus hujus jam dictæ Provinciæ Custos fuit Fr. Franciscus Ximenez, qui in oppidum Xerez de la Frontera, patriam scilicet suam profectus ad matrem consanguineosque visendos, vice sua Commissarium reliquerat. Hinc verosimiliter necessitas quædam se obtulit, Custodem ipsum consulendi per internuntium, ad quod promptum similiter Paschalem habuit : qui totum illud plus quam centum leucarum iter, ab usque Valentia in Xerez, confecit anno MDLXXV, non alio quam cum quo Franciam adierat apparatu. Hic dum esset, non sine grandi Custodis ac Fratrum ibidem existentium solatio et commodo; existens ego aliquando in choro ad Tertiam, quæ Missæ majori præmittitur, vidi eum intrantem absque pallio, indutum tunica tam vili, B pannosa atque stricta, ut sacco inclusus videretur. Ingressus autem cum aquam benedictam sumpsisset, juxtaque pulpitum se dimisisset in genua, terram exosculans, junctis et elatis supra vultum manibus, tamdiu perseveravit in eo situ, absque ullo corporis aut vultus motu, ut (ego quamvis puer, et parum ad ejusmodi res æstimandas factus) non potuerim eo visu satiari, sed in eodem oculos defixos tenuerim, usque dum adveniens Religiosus aliquis eum de terra sustulit, atque ad altiorum sedilium unum transire fecit; ubi toto Officii tempore mansit, tanta cum devotione ac reverentia, ut satis eam nequierim demirari.

Iter Paschalis in urbem Xerez;

quid ibidem actum.

28 Postmodum conventu egressus visitare cœpit domos consanguineorum Custodis, ubique ea comitatus modestia, tamque piis ad salutem cujusque promovendam verbis utens, ut ingentem suæ sanctitatis opinionem apud omnes sibi acquireret: quæ quidem opinio mihi imprimis profuit. Cum enim pater meus abesset in Peruvia, ac proinde sola hic mater mea, qui fratrum major natu eram, præsentia mea indigeret ad domus atque substantiæ domesticæ regimen, adeo efficacibus verbis apud eam est usus, ut insciis consanguineis, qui discessum meum erant certo certius impedituri, permiserit me noctu egredi ac proficisci Valentiam studiorum causa, ad animæ C meæ bonum æternum : cujus auctorem post Deum agnosco Paschalem, quo comite, non minus quam Raphaele Tobias securus, qualem eum erga me sim expertus dicere non possim, tum quia meam ea res personam spectat, tum quia ejusmodi beneficia non verbis sed operibus pensanda sunt. Unum dico quam matri pollicitus fuit de me curam, hanc usque ad ultimum spiritum tenuisse, quando moriens dixit Fratribus circa lectum stantibus : Monete Fr. Joannem Ximenez, ut recordetur quod eum de patria sua eduxerim.

29 Numquam per viam voluit equo uti, quantumcumque precibus importunis urgerem et deprecarer eum, ut saltem ad spatium temporis exiguum mulæ meæ insideret, donec aliquantulum respiraret a fatigatione, quam causabat itinerum diurnorum prolixitas et incitatus mulæ gressus. Imprimis vero admirabar rigorem paupertatis, quem tenens constanter nolebat in diversoriis uti emptis a me cibis ; sed nullam sibi indulgens requiem, egrediebatur ad panis quidpiam ostiatim petendum pro Dei amore: neque aliud comedebat, Habebam autem coctam carnem in pera: quam cum solus totam absumere non possem, quin prius propter æstivos calores corrumpi inciperet, abjeci eam in sterquilinium. Tum vero

Emptis cibis abstinens

alios ostiatim petit :

assumpsit eam Sanctus, et adhuc aliquot diebus servatam comedit, nauseante me propter ejus fœtorem, nec minus dolente quod adeo fœdam rem manducaret, ut mirer nullam ei exinde contractam infirmitatem. Dormiebamus aliquando in areis triturariis, erat enim tempus trituræ: ubi postquam ipse me, velut solicita mater, composuisset cubitum et suo operuisset pallio ; dimittens me, abibat in aliam partem areæ; cumque me sopitum credebat, ipse se ponebat in genua junctis ante faciem manibus, aut in crucem expansis: atque hæc omnis ejus quies erat. D

EX MSS. XIMENII. abjectam in sterquilinium carnem manducat :

30 Per diem ut plurimum sejunctus a me ambulabat solus, nec difficile est divinare quid ageret; cum vero se jungebat mihi, de rebus cœlestibus loquebatur tanto cum spiritus fervore, ut eumdem omnibus se audientibus communicaret. Recordor autem specialiter, quod noctium una socium itineris habentibus nobis Equitem quemdam, sermo fuerit de devotione erga sanctissimum Rosarium. Et secularis quidem iste narravit, quomodo aliquando fuerit a nocturnis grassatoribus liberatus beneficio beatissimæ Virginis. Cum enim multas ei plagas cultris gla E diisque inflixissent, et pro mortuo devolvissent ex colliculo quodam ; accurrerunt ad mulam, bulgam sellæ adnexam ablaturi in prædam. Sed illa, inquiebat, saltibus calcibusque ferociens, nulla ratione cohiberi potuit, quin ab eorum manibus expedita prosequeretur iter, prægrediens et intactam secum bulgam auferens: ego vero absque ullo vulnere aut læsione sanum me reperi, quia beatissimæ Virgini me commendaveram. Tum Sanctus tali tamque vehementi spiritu sermonem excepit, ut, quantumvis puer, totus manserim conversus ad Deum, adeoque sancto ejus timore perculsus, ut mirarer fulmen nullum cœlitus dimitti in pœnam ingratitudinis meæ ac negligentiæ circa ejus cultum ; conceperimque propositum firmum, aliam omnino vitam exordiendi, post generalem peccatorum omnium Confessionem, statim ac venissem Valentiam. Ad complementum porro felicitatis meæ, intulit et de oratione mentali, eatenus mihi ignota, sermonem ; persuasitque ut Granatæ emerem librum aliquem spiritualem, prout feci, ex ejus consilio eligens opus aliquod Mag. Fr. Ludovici Granatensis: unde tantum anima mea fructum hausit, quantum alii plurimi ante me. Ideoque omnibus spiritualiter instrui a me volentibus F commendo aliquem auctoris istius tractatum, eum præsertim, qui Dux peccatorum inscribitur, rogans ut vel duodenas saltem lineas ex eo quotidie velint attente legere: certus sum enim, quod qui semel id facere cœperit, non erit illa duodena contentus. Ego certe, ex quo illum habui, non potui satiari legendo diu noctuque, quin etiam per viam tererem manibus.

virtute sermonis sui alium convertit.

Libri Granatensis commendantur.

31 De Granatensi conventu egredientem ad prosequendum iter, apparitor quidam in equo aggressus in quadam urbis istius platea cum suo satellitio, comprehendere illum voluit, tamquam vagabundum, duris eum verbis increpans, et obedientiæ chirographum exhiberi sibi ferociter mandans : quo viso ipsum quidem libere dimisit progredi ; me vero ingens admiratio cœpit incomparabilis istius mansuetudinis, quam tenuit nec verbum pro se dicens. Magnam quoque ejus patientiam in variis doloriticis casibus vidi, præsertim in exitu ab oppido Huescar, ubi cruciabilis vomitus ei supervenit. Quiscumque in eum per viam incidebat, animabatur sermonibus ejus ad serviendum Deo, et pro ejus amore tolerandum aliquid: quemadmodum expertus est Eques, quidam pedester ingrediens, adeoque pauper ut a nobis peteret eleemosynam. In hunc pastores quidam, facinore prorsus inhumano ac barbaro, canes suos

Paschalis increpitus tacet :

inopem solatur.

EX HISP. XIMENII.

A suos laxaverant, eratque miserabile visu quomodo, qualemcumque ejus vestitum ferocia istia animalia lacerassent. Veniebat Eques miserandus, totus perfusus lacrymis, unam manicarum ab humero abstractarum manu ferens, eaque pro sudario utens: sed optimum in sancto viro consolatorem reperit, qui expansis caritatis visceribus eum excipiens, nobiscum voluit comedere. Supervenit inter hæc Frater quidam ex Societate Jesu perquam discretus, qui et ipse eamdem viam pedester tenebat optimo cum exemplo modestiæ. Ambo itaque salutaribus monitis instruxerunt adolescentem, suadentes ut in domum suam reverteretur, patri obediret, confiteretur de peccatis et serviret Deo, sic omnia ei cessura feliciter: prout reipsa accidit. Occurri enim postea eidem Religioso Valentiæ, mihique is dixit, quod pauper iste juvenis venerit ad se visitandum alio prorsus in statu, cum duobus famulis, splendidissimeque vestitus, utpote ex familia plane eximia natus.

Patientiæ exercendæ materies præbetur ipsi a viæ comite:

32 Sed neque ex mea parte, utpote pueri et laboribus inassueti, defuit viro sancto patientiæ exercendæ in hoc itinere materia. Accidit ut sub ardenti sole Caravaca egressum me sitis vehemens occuparet: quia ergo toto illo quatuor leucarum spatio
B quod Caravacam inter et Calasparram interjacet, neque diversorium neque fons ullus occurrit, torquebantur viscera caritatis, cum dicerem, non me posse amplius sitim ferre, et sub alicujus pinus umbra velle subsistere. Animabat ille me spemque ingerebat inveniendæ alicubi aquæ: præcurrebat etiam, discurrebatque hac illac, si forte eam reperiret. Tandemque in puteo quodam juncos pro aqua vidit collegitque, ut eorum suctu tantisper sitim fallerem, donec veniremus ad canalem oppido vicinum; ubi sumpta panis buccella primum licuit sitim explere. Postero die bene mane ibamus Jumillam: unaque a Calasparra leuca exerrantes a via, incidimus in canalem adeo largum et profundum ut saltu nequiret superari: solum aderat, quod ponticuli vicem præstaret, lignum tortum atque gibbosum: per quod vir sanctus transire volens in aquam decidit una cum ipso ligno, unde totus madefactus meque in altera ripa effuse ridentem intuens, patientiæ suæ robur et constantiam probavit. Denique cum dimissa jam mula pedes eum comitarer ad conventum S. Annæ in monte Jumilla; totusque fatigatus negarem, me posse vel passum procedere; ille offerebat se
C mihi bajulum; idque recusanti saltem extorsit bulgam meam portandam: qua sua caritate animos mihi tantos addidit, ut quod restabat, itineris modicum cum eo conficerem, donec ipsius conventus in alto positi recrearemur aspectu. Tum vero redditis Deo gratiis, monstravit mihi eminus Fratrem in horto fodientem et dixit; Scito Religiosum istum esse Guardianum loci et concionatorem: talis enim hic mos obtinet, ut etiam tales et hortum curent et coquinam: quod verum esse reipsa comperi, vidique ab eorum alterutro transeuntes ad pulpitum devote atque humiliter.

in aquam incidens ridetur:

CAP. XVI.

33 Post multos deinde annos, cum ego jam suscepto habitu et sacerdotio Artium et Theologiæ lecturam explevissem, dicturus per Quadragesimam in Villa-regali, transivi Xativa, ubi tunc morabatur Sanctus: ab eoque magna cum benevolentia exceptus, rogavi Ministrum Provincialem (erat is tum Fr. Antonius Alverus) ut ipsum mecum remitteret Villam-regalem. Et quia sciebam ipsi non convenire ejus loci cœlum, quartanas etiam febres patienti; isto autem delectari, quia conventus ille nomen a Deipara habet; forte etiam quia divina revelatione didicerat, ibi se absolvendum a carcere hujus mortalis corporis; obtinui tandem, nequidquam reluctante Guardiano, quod rogaveram. Ibamus ergo, D
sed pedites ambo, quia oblatum equum (permittente id ejusmodi debilibus Regula) noluit ullatenus acceptare. Postquam autem cœpimus ascendere montem, qui est trans flumen Xativæ, antequam ad Enouas veniremus, vidimus Fratrem quemdam alterius ordinis expectantem cum gravi pera: quam continuo Sanctus portandam sibi depoposcit, et suis debilibus humeris imposuit. Ego vero exoneravi eum, ipsa in dorsum suscepta: sed ille mox a dicto Religioso petiit pallium nihilo levius: atque ita totum illud iter peregimus. In hoc porro exeuntes Alzira via perquam lutosa, vidimus in salebris collapsum jumentum, ac plorantem juxta agasonem: quem ille blande consolatus, licet advesperasceret altumque lutum esset, ad jumentum accessit, ipsumque exoneratum de salebra sustulit, eductumque rursus oneravit singulari cum alacritate.

Æger in via alterius sarcinam portat.

CAPUT IV.

Zelus animarum. Arcana conscientiarum inspecta. Revelationes aliæ.

CAP. XVII.

Singulari vir sanctus donatus videbatur gratia verborum, ad conversionem animorum quantumvis E
obduratorum. Cum ergo in oppido Jumillæ in regno Murciæ Guardianus loci concionatorem suum misisset ad civem quemdam, gravi injuria ab altero læsum, addito socio Paschale; offensusque non modo non cederet hortamentis ejus, sed in ipsum medicum suum versa rabie, manus quoque eidem injicere pararet; transiit illac vir devotus ex Confratribus Ordinis, rogavitque in domum suam declinaret in reditu ad conventum. Illo autem paucis respondente se facturum ejus desiderio satis, tantillum temporis nactus Paschalis; Eia, inquit, frater, condona injuriam propter Deum. Nec pluribus opus fuit: Convertebat se ad hominem adhuc induratum, ut credebat, Concionator; ei quando prodesse non posset, valedicturus in tempus aptius: et præter opinionem totum conversum, audivit Fr. Paschali respondentem; Pater, condono ei propter Dei amorem: fiant omnia ut volueritis. Quæ res tam insperata Concionatori isti reduxit in memoriam, id quod alias de socio suo narrari audiverat: scilicet quod adolescentem, in quo ad mortis paternæ condonationem movendo frustra laboraverant multæ graves ac litteratæ personæ, obviam sibi factum, paucis hu- F
milibusque verbis induxerit, ut nihil opponens diceret, se paratum publico etiam instrumento condonationem testari. Similiter civis quidam Villæ regalis, qui nullis induci rationibus potuerat, ut a sua prætensione aliqua desisteret; mox ut missum ad se ex parte Guardiani Paschalem audivit, professus est cum juramento, visum sibi esse quod non posset non obedire voci ejus.

Is mutat obstinatos ad vindicandum animos,

35 Pari efficacia Valentiæ peccatori ad numquam confitendum obstinato, et confessionem persuasit et integram totius vitæ mutationem, solito postea dicere, Religiosus iste non est homo, sed Angelus. Quidquid porro aliud intendebat eadem flexanimi comitate eloquentiaque obtinebat. Fuit cum ad visitandam quamdam infirmam missus, quæ, medicis de sua salute desperantibus, nimis muliebriter suum dolebat infortunium; eidem tanto cum spiritu verba fecit, ut in omnem Dei voluntatem prompta facile ostenderet, non humanæ, sed divinæ suadelæ mutationem tantam esse. Quin et aliorum culpas, etiam Superiorum, blandissimo quodam humillimoque modo sic notabat, ut non modo non indignaretur quispiam, sed delictum agnosceret reprehensus, gratias agens de admonitione tantæ caritatis plena. Quod si videbat aliquos

et peccatoris confessionem aversantis.

A aliquos levi de causa absentes a choro aut oratione, subridens ipse dicebat in transitu: Quid isti hic agent? Cur non eunt in chorum? et mox tacebat. Illi vero nihil cunctantes, placidæ ejus suggestioni obtemperabant.

CAP. XVII. 36 Est in montibus Loritano conventui vicinis spelunca, ad quam per hebdomadam unam se conferebant Religiosi singuli, eremiticæ vitæ delicias ibidem studiosius experturi : nihil autem eo inferebant præter pauxillum biscocti et cucurbitam aquæ. Et illi quidem veniebant inde auditum Missam, sed ea absoluta revertebantur, nemini loquentes nec pedem inferentes conventui, nisi finita hebdomade, quando redibant fasce lignorum onusti. Hoc exemplo motus quidam novitius, non solum simile quid ambiebat, sed etiam tentabatur, ut dimisso Ordine desertum aliquod peteret, vitam ibi solitariam perpetuo acturus : prius tamen de hoc suo consilio voluit conferre cum Sancto, tunc Valentiæ existenti. Agnovit mox Paschalis diabolicam eam esse suggestionem : eique ostensurus, non esse uniuscujusque solitudinem tenere ; Cum ego, inquit, habitarem in conventu Dominæ nostræ de Lorito, contigit Prædicatorem (qui istic solebat per aliquot hebdomades in spelunca, quæ ibi est, se recolligere) nocte quadam sic terreri a dæmonibus, visis in tugurium ignem jaculari, ut relictis, quos istuc intulerat, libris quibusdam fugerit ad conventum. Tunc missus a Guardiano sum, relaturus prædictos libros, voluique ea nocte experiri quid esset vita solitaria : atque sub initium noctis oravi aliquantulum, deinde ad somnum me composui ; media rursum nocte ad repetendam orationem surrecturus, eamdemque continuaturus usque mane, præmissa prius acri corporis flagellatione. Verum longe diversum accidit, in somnum enim tam profundum incidi, ut non prius expergiscerer, quam per os speluncæ ingressi solis radii diem tam esse significarent : atque ita insigniter ludificatum me videns, redii ad conventum plenus confusione. Valuit porro exemplum, a propria ejus persona sumptum : et novitius nihil in sua deinceps vocatione titubans, propositum tenuit usque ad solennem Professionem.

Tentationem a Novitio pellit.

B

CAP. XVIII. 37 Insigni autem erga salutem profectumque animarum ferebatur zelo, in omnem lucri spiritualis occasionem instar seduli mercatoris intentus. Hinc cum Franci quidam per quam rudes in effodienda cisterna apud conventum Villæ-regalis laborarent, cœpit eis doctrinam Christianam explicare, assiduitate et patientia maxima, articulos fidei et præceptorum decalogum ignaris præiens et lectionem eis suam repetens. Didicerat etiam facere cordulas, ad usum Confratrum, quibus ut se quam plurimi jungerent satagebat, explicando multitudinem gratiarum et indulgentiarum ab Apostolica Sede Confraternitati concessarum. Suadebat præterea frequentem Confessionis et Communionis usum, et ne qua occasio dimitteretur Jubilæum aliquod promerendi vel Indulgentias granis benedictis attributas : quorum grande sertum circumferebat ipsemet, ad singula quotidie statas preces decurrens. Ex eodem animas juvandi desiderio procedebat fervor, tum per seipsum prædicandi quibus vis egentibus, ex quibus fuerunt in Villa regali mulierculæ aliquot prostitutæ pudicitiæ ; tum per Prædicatores sui Ordinis, quos ferventissimis verbis et rationibus efficacissimis hortabatur ad suum munus fructuose peragendum : cujus rei crebram ipsemet experientiam habui. Scio autem quod alteri etiam, Villenæ per Quadragesimam concionaturo, datus socius, quem sciebat minus facile, minusque libenter id officii facere, quia sui ipsius prædicator magis quam Christi erat ; abduxerit eum ab errore, sic ut maximo cum fructu,

Variis modis salutem animarum promovet,

C

minimoque cum labore, suas illas conciones absolverit. Ad hoc vero ostendebat necessariam esse orationem multam, qua fructus inter auditores faciendus peteretur instanter. Itaque die quadam ingrediens in cellam Prædicatoris, ejusdemque Guardiani sui in Villa-regali, et eum perquam solicitum in pervolvendis libris reperiens, dixit : Non omnia reposita esse in libris, sed ad meditationem se conferret, bonos sermones in ea formaturus. Considerans denique quam efficax ad correctionem vitiorum animarumque salutem esset divini Verbi prædicatio, efferebatur gaudio ad signum campanæ eo vocantis, et orabat ferventer, tam pro Prædicatore cathedram ascensuro, quam pro populo audituro.

D

EX HISP. XIMENII.

38 Subinde autem dignatus est ostendere Deus, quam gratus esset sibi iste salvandarum animarum zelus, revelando eidem secreta quorumdam hominum peccata, quo magis illo accenderetur, agnita proximi necessitate. Ita cum aliquando comitaretur sui conventus Prædicatorem Fr. Bartholomæum Pastorem, hospitio exceptus a devoto quodam Ordinis Fratre et ad mensam perhumaniter adhibitus, cognovit ejus animam a dæmone captivam teneri ; atque voce ad testandum miserationis affectum composita dixit : Frater, confitere nunc, tam commodam in socio meo occasionem habens. Respondit hospes : Dominica die id se facturum commodius in conventu. Tacuit tunc quidem Sanctus, sed interioris animi stimulos, quibus eum pungebat amor istius animæ letaliter sauciæ dissimulare non valens, in eumdem rursus sermonem post modicum est relapsus, suadens et instans ut illico confiteretur ; excusante se nihilominus hospito, ipsoque socio importunitatem istam moleste ferente, et nimiam Paschalis simplicitatem intra se redarguente, quod hominem imparatum, nulloque examine præmisso dispositum sic urgeret. Tandem tertio eamdem cantilenam cum iteraret, nequivit pungenti intus conscientiæ diutius resistere hospes, et ultro cœpit restitanti Confessario supplicare, ut se confiteri volentem confestim audiret : dimissusque in genua ; Credo, inquit, Pater, quod Deus Fr. Paschali revelaverit peccatum quoddam mortale hisce diebus a me patratum, neque enim est aliud quod conscientiam gravet. Quo audito dixit intra se confessarius ; Vere Deus benedicto isti hujus Fratris conscientiam retexit, simul et hujus erga nos caritatem et illius pro animabus zelum remunerare volens.

occultum peccatum cognoscit,

E

39 Magis etiam notabilis casus accidit in loco cujusdam conventus, ubi ostiarium agebat Sanctus. Homo ibi erat Fratribus ipsique Paschali pie addictus, quem fornicationis spiritus eo adduxerat, ut alienam uxorem inductam haberet ad crimen adulterii certa hora ac loco committendum, cum maximo utrimque periculo vitæ : quia rem suboderatus maritus cum suis consanguineis operiebatur occasionem utriusque citra periculum suum occidendi. Ibat ille nihilominus in positas sibi insidias, sed audiebat a tergo campanulam sonantem : ad quam respiciens, nox enim per lunæ claritatem sublustris erat, nihil circa se vidit, neque tunc, neque secunda ac tertia vice, quibus, ipso iter suum intentionemque prosequente, suum quoque sonum dare perseverabat campana vicinior semper, tandemque propinqua adeo, ut calceo videretur esse affixa. Ad hunc tertium sonitum aures obstinati cordis aperuit homo, divina intus movente gratia : et; Quid si, inquit, cœlestis hæc admonitio sit, porro ire prohibentis Dei. Itaque converso cum mente gressu, cœpit Divæ Virginis Rosarium devotius recitare ac demum retro ire : proxima vero die cum obviæ sibi mulieri multis se vellet excusatum, quod non adfuisset loco et hora statutis ; Ne in hoc labores, inquit ista,

F

quemdam ab adulterio et morte revocat :

EX HISP. XIMENII

A ista, sed Deo potius age gratias, quod te atque me eripuerit morti, nobis in constituto loco præparatæ ab inimicis, qui nos ibi expectabant, ac deinde nullum domus angulum dimiserunt quem non sint perscrutati. Obstupuit ad hæc ille, et ad conventum se contulit, ubi mox Fr. Paschalis ei obvians secreto dixit : Frater, dudum est quod te expectabam, acturus de negotio momenti maximi, et reprehensurus quod tam dissolutus sis in persequendis appetitibus tuis : quia enim tantopere te diligo, tua causa duxi pejorem, quam alias unquam in vita mea, noctem. Interroganti vero, Quamobrem. Dum satago, inquit, ne vitam simul et animam perderes. Cumque etiam tunc ostenderet flocci in istud pendere; Recordare, inquit Sanctus, quomodo pater tuus, quia te genuit, hæc et illa sit passus; enumerans singula quæ filii causa ipsi acciderant, etiam secretissima quædam, et humana ratione neutiquam rescita. Prædixit etiam eidem plurima eventura quæ ad litteram complentur quotidie, cum magna admiratione ipsius testis, et omnia ei divinitus revelata fuisse agnoscentis : qui rursum, cum ei hoc capitulum prælegerem, asseruit cum lacrymis, sic accidisse, nec habere se quod demptum vel additum velit.

CAP. XIX.

Ex revelatione cognoscit animam purgatorio detineri,

B 40 Dum ostiarium Almanzæ ageret, Matrona quædam, valde addicta Ordini ipsique Beato, curaverat certum numerum Missarum dicendum, quia Paschalis ei revelaverat animam fratris ejus purgatorio detentam eo subsidio egere; postea vero cuidam suæ nepti familiarius dilectæ dixit : Magnus Dei servus est Fr. Paschalis, neque præter me alius Almanzæ novit ad quantum gradum sanctitatis pertigerit : ex iis autem quæ de ipso novi, certissimum habeo (atque hoc memoriæ manda, carissima, usque ad meam mortem, si forte prior te de vita tollar) sancte eum moriturum, et in hora sui exitus multis miraculis honorandum a Deo. His mota neptis, et confirmata in ea quam de Paschali pridem habuerat opinione, desideravit per eamdem amitam suam ex ipso discere, an anima patris vel matris suæ esset in purgatorio, et egeret aliquo ad egrediendum inde subsidio. Fecit quod erat rogata Matrona, et post aliquot dies responsum a viro Dei acceptum retulit nepti, alterum quidem eorum non egere suffragiis, pro altero vero velle Deum, ut Missæ triginta totidem continuis diebus dicerentur, assignando peculiarem, quæ sub ipsis dicenda esset, Collectam. Quo facto iterum requisivit mulier Sanctum, per eamdem amitam suam, numquid ultra opus foret :
C responditque Beatus, sufficere adhibitam modo diligentiam, quæ et Deo acceptissima fuerit, ideoque specialiter ab eo remuneranda esset.

Fratrem a dæmone illudi,

41 Idem ostiarii officium exercebat Valentiæ, quando ibi vivebat Religiosus quidam, solitus quavis nocte corpus suum tam severe flagellare, ut ecclesia tota concuti videretur. Orabat tum aliquando in ea Sanctus, cum ei revelavit Deus flagellationem hujusmodi diabolicæ tentationis effectum esse, laqueos suos sub boni specie occultantis. Surrexit igitur ivitque ad eum; quanto autem ei appropinquabat magis, tanto fugiebat longius dæmon : cujus rei indicium manifestum dabat relicto post se sulphureo odore tam tetro, ut simile nihil huic odori percipi posse videretur : simul et Fratri illi arrecti sunt pili capitis præ horrore. Dixit autem ei Sanctus : Non ita deinceps, non ita, Frater : ecce enim dum unum alterumve vehementiorem ictum aliqui corporis parti inflixisti, mortificata caro reliquos non sensit : hi proinde ad aliud non serviunt, quam ut corpori infirmitatem inducant, molestiam creent communitati, ipsum religiosum ad laxitates perducant, dum prætextu necessitatis quædam sibi indulget, quorum postmodum usus in consuetudinem transeat. Contigit etiam ut in itinere constitutus obviaret Fratribus

alios non jejunare,

D aliquibus, propter viæ laborem jejunium non observantibus : de quo eosdem reprehendit, certos non nisi revelante Deo hoc ipsum scire potuisse.

et multa occulta.

42 Pro certo habetur, multa quoque alia divinitus ei revelata fuisse : quæ pro sua humilitate neque ipsemet aliis etiam Superioribus declaravit; neque ut declararet hi voluerunt eum compellere. Patuit id quando ad scribendam Vitam sancti Fratris Nicolai Factoris, inquisitio fiebat in ejus virtutes et memoria dignas actiones, imposito cunctis præcepto obedientiæ quidquid noverant enuntiandi. Hoc præcepto in arctum coactus Sanctus, primum quidem cunctabatur, eo quod in iis quæ noverat ipse nonnullam partem haberet : ac denique id solum et præcise manifestavit, quod ad gloriam Sancti facere videbatur, cetera silentio involvit. Deposuit itaque juratus quod Fr. Nicolao nocte quadam obtigerit divina revelatio per stellam mirabiliter luminosam; simulque didicit etiam sibi Paschali similem obtigisse favorem : seque id ex eo cognovisse, quod occurrentem se tenero complexus affectu, quasi in ænigmate dixerit : Tenesne memoria, Frater, noctem stellæ? multos magnosque favores tunc a Do-
E mino recepisti. Sed quinam hi favores fuerint, tacuit Paschalis : neque ullius unquam importunitate postea induci potuit, ut eos revelaret. Verosimile est igitur eamdem silentii legem ipsum tenuisse circa alia, propriam dumtaxat perfectionem indicantia, et dona sibi gratis data.

CAPUT V.

Spiritu prophetiæ et scientiæ infusæ claret Paschalis.

CAP. XX.

Prædicit futurum Provincialem,

Nec occulta præsentia solum, sed etiam futura cognovisse Sanctum multis patuit exemplis, quorum aliqua proferam. In his primum locum meretur, quod maxime publicum est et a pluribus Testibus confirmatum; quod scilicet mortem suam sanus prædixit, et infirmus diem qua moreretur, quin etiam horam punctumque temporis, prout infra fusius explicabitur. Secundum sit quod anno MDXCI mense Octobris, omnes Capitulares conveneramus Valentiam in conventum S. Joannis Baptistæ; ubi ad me veniens in cellam Fr. Didacus Castello Guardianus Villa regalensis, sub quo vivebat Sanctus, inter prima salutationis verba gratulatus est mihi Provincia- F
latum, triduo vel quatriduo antequam eligerer. Ego vero cum scirem me esse omnium eligibilium maxime juvenem (necdum enim trigesimum secundum ætatis annum compleveram) Mitte, inquam, Frater,

et Definitorem,

ejusmodi nugas. Ast ille vultu ac verbis seriis; Vere, ait, si Fr. Paschalis propheta est, tu Provincialis, ego Definitor ero. Quæsivi ergo quomodo et qua occasione hoc ei Sanctus revelarit. In digressu, reposuit ille, ceteris Fratribus atque etiam ipsi valedicens, rogavi ut me commendaret Deo; Faciam inquit, ambula feliciter, futurus Definitor et Magister Novitiorum, et Fr. Joannes Ximenez fiet Provincialis. Et dictus quidem Fr. Didacus de magisterio Novitiorum nihil mihi tunc dixit, tum quia abhorrebat ab officio isto, tum quia res erat futura absque exemplo in ordine, cui eatenus numquam acciderat utrumque munus in eamdem personam conferri. Miro tamen Definitorii consensu factum id est, et ipse utrumque admisit, tum quia cogebat obedientia, tum quia ex prædictis noverat eam esse Dei voluntatem.

item ægrotantis fratris mortem

44 In prædicto Villa regiensi conventu infirmabatur ejus prædicator Fr. Petrus Cabrellas, vomitus crebros patiens, non tamen adeo vehementes, ut lecto

A lecto cogeretur decumbere. Desiderabat hic scire quid de salute sua sciret Fr. Paschalis; quia rogatus ut pro ea oraret, responderat; Faciam equidem: verum quid proderit? Exoravit ergo Guardianum, ut quis morbi futurus esset exitus, edicere eum cogeret obedientiæ præcepto. Cui ille contraniti non valens, inflammato nonnihil vultu, ut commotum appareret, dixit infirmo, Frater Prædicator, vult Deus ut moriaris, neque amplius prædices verbo sed opere, vives enim adhuc menses aliquot: igitur te commenda Deo et habe patientiam. Quæ verba tono tam gravi ac serio dixit, ut nemo de secuturi exitus veritate dubitaret: vixit autem adhuc quatuor menses religiosus iste et ferventissimus prædicator: sed ex ea hora pulpitum numquam ascendit, mortuus inter brachia mea anno MDXCI. Simili modo cum in Villa-regali sæpius visitaret Andream Ventrel infirmam; Dominica quadam die, qua ei hoc obsequium ultimo præstitit, petiit illa ut sanitatem sibi a Domino posceret. Cui Paschalis; O soror, non est bona istæc tua petitio; potius dicito, Domino Deus, si tuæ Majestati placeat me tollere de hac vita, fiat voluntas tua. Cum vero illa iterum replicaret et sanitatem

uti et alterius,

et suam.

B reposceret, Spiritu sancto inflammatus Sanctus; Soror, inquit, præpara te, ambo enim cito inibimus iter grande. Itaque accidit: obiit enim illa proximo die Lunæ, et ipse Dominica subsequenti; cum magna omnium admiratione, ad litteram cuncta impleta cernentium, atque imprimis Joannis Ybagnez, prædictæ mulieris mariti, qui præsens adfuit et juramento eadem est testatus.

CAP. XXI.

Prædicit, materiam sufficere structuræ,

45 Quando in eodem Villæ-regalis conventu decreverant cisternam fabricandam locare, quæ loco isti imprimis necessaria erat ad vitam ibi ducendam; parata quidem erat materia aliqua, sed considerata faciendi operis amplitudine et profunditate, tam ipsi Guardiano quam fabricæ magistro videbatur neutiquam suffectura: qua de re valde anxiabatur Guardianus; quia in ejus opere, quod velut fusile esse debet, si desit aliquid materiæ necessariæ, periculum est totius perdendi. Hoc videns Sanctus, monuit ne metuerent dare initium operi: nihil enim eis defuturum, sed potius superfuturum aliquid. Quod licet contra opinionem omnium esset, creditum tamen fuit, quia dictum a Paschale: et dicti veritatem rei exitus comprobavit. Eodem in oppido, cum eleemosynæ petendæ causa plateas obiret, ad ostium cujusdam Clerici, Verbegal dicti, C audivit eum incidisse in morbum, dixitque; Dentur ei quam primum Sacramenta, quia iisdem magnopere indiget. Quod intelligentes domestici, pro ea, quam de sanctitate viri habebant, opinione, confestim executioni mandarunt: et æger susceptis Sacramentis sine mora expiravit.

ægram valetudinem recepturam,

46 Mense Martio anni MDXCI Catharina Torre, Villæ regalis incola, periculosa laboravit infirmitate, sanguine in vultum ascendente, eumque in modum monstrosum inflante. Hanc cum visitaret Sanctus, rogaretque quomodo valeret: Tam grave inquit, malum sentio, Pater, ut nihil dubitem, quin moritura sim: ecce enim septem diebus noctibusque continuis nihil dormio, propter cruciatus magnitudinem et febris ardorem. Ille vero respondit: Confide in Deo, Soror, et ego promitto tibi quod ex hac infirmitate non morieris: verumtamen rogo ut confitearis de peccatis, teque pares veluti morituram: quia hac præparatione movebitur Deus ad sanitatem accelerandam. Fecit mulier quod jussa erat, et eadem nocte sanam se mirata est, ut verificaretur quod Sanctus dixerat; et ipsa testificaretur quod hic scriberem, ad eorum instructionem, qui se putant certo morituros mox atque receptis Sacramentis testamentum condiderint. Dicta autem mulier jam sana, alia rursum vice est experta certitudinem prophetici istius spiritus. D Cum enim iterum ipsam visitaret Paschalis, ejusque frater ex dolore lateris tam male haberet, ut merito crederetur moriturus, dixit ei Sanctus; Ne sis solicitus, Frater, sed crede quod cito sanandus sis: hujusmodi infirmitates immittit Deus, ut recordemur sui: sed ipse sinet te educare liberos tuos. Egredienti autem e domo dixit Catharina; Ora Deum, Pater pro sanitate fratris mei, vides enim quam damnosa mihi mors ejus foret: cui ille; Confide, Soror, non morietur; ita tibi promitto. Perstitit ipsa nihilominus etiam tertia vice eamdem suam inculcare petitionem: et ille, Quando ego promitto, inquit, bene potes credere. Quæ verba tantæ asseverationis plena, prorsus quidem aliena ab ejus humili consuetudine fuerunt et contraria ei studio, quo collata sibi cœlitus dona nitebatur operire: permittebat tamen Deus, eadem innotescere volens, ut aliquando sic quasi oblivisceretur sui propositi. Completa sunt autem præcise omnia: sequenti enim die æger convaluit.

EX HISP. XIMENII.

uti et fratrem ejus itidem ægrum,

47 Tertia quoque vice voluit Dominus in eadem muliere confirmare experientiam prædicti spiritus: E quindecim enim diebus antequam in ultimam suam infirmitatem incideret ipse Sanctus, obviam ei facta, interrogavit utrum visitasset infirmas duas, sibi notas et æqualiter periclitantes de vita. Illo autem affirmante, quæsivit quid de ipsis ei videretur; Anna, inquit, Dominica vivet, et uxor Joannes Ybagnez certo morietur: quod intra paucos dies vere dictum fuisse apparuit. Sed et ipsamet Catharina, grandi quodam animi mœrore afflicta, eodem dissimulato, accessit ad ostium conventus, Confessarium petens sicut ab ostiariis conventuum peti solet. Cui Sanctus; Vehementer, inquit, cruciat te, Soror, ista ægritudo. Negavit mulier se quidquam dolere: replicavit ille nihilominus, bono ut esset animo, et patienter ferret afflictionem suam, hac enim viam sibi muniret ad cœlum. Videns ergo se latere, non posse, suumque secretum eidem patere, multum consolationis cepit ex verbis ejus: omninoque præsagiens, cito eum inter Sanctos recipiendum cum magna gloria, petiit promitti sibi ab eo, quod, si prior vocaretur a Deo, pro ipsa apud illum intercederet orando. Respondit autem Sanctus, Si hanc mihi gratiam fecerit Dominus, præsto ero ad omnes petitiones tuas exaudiendas. Et promissi certitudinem sensibiliter experta est mulier, quoties auxi- F lium Paschalis post mortem ejus invocavit, quod etiam confirmabitur miraculis, ad preces hujus ipsi devotæ mulieris factis et infra referendis.

duarum item alteram sanandam,

alteram morituram.

CAP. XXII

Scientia infusa quælibet intelligit;

48 Spiritui prophetiæ junxit in eo Deus scientiæ donum, utique infusæ, quippe qui litteras nullas didicerat. Ipse ego de me dicere possum quod experiri id voluerim aliquoties, nec unquam frustra. Quamvis enim non uteretur terminis scholasticis Theologorum, simplici tamen illo suo vulgarique idiomate respondebat mihi eadem ipsa, quæ nos non sine labore per multas ac metaphysicas ratiocinationes ad conclusionem deducimus; idque cum tanta facilitate et claritate, ut appareret, quæstionem universam funditus ei perspicuam esse. Confiteor autem quod probandi et arguendi causa semel ausus fuerim rationes aliquot scholasticas ei objicere: sed ipse adeo me coarctavit, ut me in quamdam propositionem deduxerit, quam evidenter demonstrabat esse falsam. Itaque licet Philosophiam ac Theologiam prælegissem aliis, mansi tamen ex una quidem parte confusus, ex altera vero salubriter instructus, ut intelligerem, quod licet respectu discipulorum meorum magister dicerer, ipsius tamen potuissem esse discipulus. Idem experimentum sumpsit Fr. Emanuel

A Emanuel Rodriguez, libris editis clarus, cujus primum discipulus, deinde et socius in cathedra fui : ideoque solebat dicere, quod Frater iste, si Sacerdos foret, absque alio studio posset fieri Prædicator, quia per viam aliquando argumentatus cum ipso erat de altissimis mysteriis Trinitatis, Incarnationis aliisque similibus; quodque ad omnia commodissime respondentem magis exercere volens, crebris eum in eodem itinere urserit argumentis, quæ cuncta ea facilitate dissolvit, ut, quin ea ipsi cœlitus infusa esset scientia, nequaquam posset dubitare. Similiter de divinis attributis ad intra et ad extra velut perfectum Theologum ratiocinantem audivisse testatur Fr. Joannes de Moya, Provinciæ hujus Definitor : et cum dictis congruunt testificationes Fr. Petri Adam, magistri mei, aliorumque Theologorum, qui sæpe sæpius ei proposuerunt difficiliora Scripturarum loca explicanda, ipso ad singula clare demonstrante, ejus se discipulum esse, qui neque tempore neque libris indiget.

EX DISP. XIMENII.

49 Poterat etiam quoscumque Theologicos libros legere atque intelligere, quoties id permittebant occupationes suæ; atque ex sic lectis collegit libros B duos punctorum singularium ad spirituale solatium suum, memoriamque excerptorum, in quibus de unione hypostatica Verbi summa cum claritate ac brevitate dictum reperitur quidquid a consummato Theologo posset expectari : similiter et de Angelis et de aliis materiis Theologicis. Hos autem libros, cum esset quadam vice infirmus, obnixe rogavit Guardianum, ut post mortem suam juberet comburi : verus enim humilis nolebat in mundo vestigium aut indicium aliquod superesse unde honoris aut gloriæ aliquid ad se proveniret. Postquam tamen convaluit nova quædam puncta in iis adnotare perrexit, ex iis quæ recenter vel legerat vel fuerat meditatus. Dicet hic aliquis; Si eos tam serio latere volebat, ut comburi peteret; cur ipsemet hoc non fecit de suæ mortis die admonitus a Deo? Ita ego aliquando ipse mihi : sed inspiravit mihi Deus ut inspicerem librorum istorum primas paginas; atque in iis scrupuli mei solutionem reperi, scriptam charactere prorsus recenti in pagina nova, ceteris expresse superadjuncta : quod facile apparebat, facta cum ceteris collatione, in quibus scriptura valde deformis multumque obscurata spectabatur. Verba autem quæ ibi scripsit, ad mortem se parans, hujusmodi sunt.

Libros duos de rebus Theologicis subtiliter scribit,

50 In nomine sanctissimæ Trinitatis, Patris, C Filii, et Spiritus sancti, trium Personarum et unius veri Dei, creatoris omnium visibilium atque invisibilium, cui sit gloria et imperium per omnia secula seculorum. Amen. † Ego Fr. Paschalis Baylon, natus ex oppido Turris-formosæ S. Mariæ de Horta, scripsi hanc farraginem pro mea spirituali recreatione, ex multis sanctis libris fideliter collectam. Qui titulus, dictis libris præfixus, duo me docuit : primum quod abdicaverit a se omnem vanam gloriam, negando sua esse quæ scripserat : deinde quod cum immediate eum scripserit ante mortem suam sibi divinitus revelatam, divinitus quoque prohibitus fuerit id, quod adeo catholicum et pretiosum erat, dare flammis, sicut faciendum proposuerat. Porro librorum istorum unus datus fuit Fr. Joanni de Angelis Commissario, qui tunc Provinciam visitabat; alter penes me remansit, qui eum pro magno thesauro servo, et pro solatio sane singulari, dum autographum viri tam sancti video, et singula tam certæ veritatis considero esse, ut nec littera quidem abesse vel addi debeat; sed scriptura ejusmodi est, ut ipsissimam referat paupertatem. Ne quid enim chartæ perderetur, tam sunt densæ lineæ ut se contingere videantur; et quamvis puncto uno finito, inchoetur aliud, non tamen et linea : sed interposita crux

in chartis conglutinatis amore paupertatis,

distinguit in eadem continua linea paragraphos, D usque ad finem chartæ absque ullis marginibus : ipsa vero charta, in qua scribebat, plerumque erat conglutinata ex fragmentis hinc inde per solum inventis et collectis. Sunt in iis libris exercitia quædam spiritualia, quorum infra specimen dabimus : operiuntur autem pannorum rudium frustulis operose consartis, ne scilicet dilectæ paupertatis insigne a foris deesset.

51 Dicitur quod eorumdem librorum unum aliquando viderit Illustriss. D. Joannes de Ribera, Archiepiscopus Valentinus et Patriarcha Antiochenus; soloque exterioris speciei visu motus voluerit cum eorum auctore versari familiarius, singulari deinceps affectu illum complexus. Quem quidem affectum etiam mortuo servans, petiit ex ejus vestibus aliquid sibi dari venerationis ergo : quod acceptum pius ille ac prudens Prælatus, præmisso osculo imposuit capiti coram me, magnoque cum animi sensu dixit : Pater Provincialis, quid agimus? Simplices isti nobis extorquent cœlum de manibus. Crememus libros nostros. Cui respondi, Culpam hi non habent, sed superbia nostra : hanc crememus. Cumque ei E narrarem miracula quædam per invocationem nostri Sancti facta, dixit perquam affectuose Dominatio sua Illustrissima, quod optaret mortuum fuisse in suo Archiepiscopatu, ut posset debita cum diligentia informationes curare, ad promovendam ejus venerationem publicam necessarias.

quorum unus laudatur ab Archiepiscopo:

52 Porro ad prædictorum omnium confirmationem placet hic attexere clausulas aliquas, de libro excerptas in hæc verba Deus est spiritus purissimus et subtilissimus; materiæ omnis et corporis expers. Deus est perfectissimum ens, in quo perfectiones omnes accumulantur, potestas, auctoritas, majestas, sapientia, pulchritudo, liberalitas, misericordia, pietas, gratia. In Deo non potest inveniri distinctio partium diversarum, propter ejus summam simplicitatem : ita ut ipsius esse sit ejus essentia, essentia sit posse; posse sit velle, velle sit voluntas, voluntas sit intellectus, intellectus sit intellectio, intellectio sit esse, esse sit sapientia, sapientia sit bonitas, bonitas sit justitia, justitia sit misericordia : quæ licet habeat contrarios effectus effectibus justitiæ, ut sunt ignoscere et punire, una sunt res, quia eadem est ejus justitia quæ misericordia, et eadem misericordia quæ justitia ejus. Tribus autem modis debemus Dei meminisse, scilicet cognoscendo ejus potentiam per opera creationis, sapientiam per opera F redemptionis, bonitatem per opera glorificationis et remunerationis. Prior memoria debetur Patri, secunda Filio, tertia Spiritui sancto. Atque hæc sunt ejus formalia verba, quæ deinceps prosequitur, ad comprobandam unitatem divinæ Essentiæ et pluralitatem Personarum, tanta cum subtilitate et elegantia, ut quantumcumque cæcus, videre quis possit, ad ea scribenda, nedum ad intelligenda, opus fuisse cœlesti dono et gratia speciali.

quædam inde proferuntur.

CAPUT VI.

Miracula quædam in vita S. Paschalis patrata.

Quamvis Dei servus singulari studio conaretur donatas sibi divinitus gratias hominibus occultare, et exemplis magis prodesse quam miraculis : obedientiæ tamen et caritatis respectus pellebant eum aliquando extra eos quos sibi humilitas fixerat terminos, quemadmodum in sequentibus curationibus, solo signo Crucis patratis, apparebit. Cum nocte quadam Fr. Petrus Cabrellas, in conventu Vallisregalis prædicator, continuo sanguinis vomitu exhauriretur,

CAP. XXIII

Crucis signo vomitum sanguinis sistit,

A hauriretur, ut mors certa ei adesse videretur : confidens tamen quod virtus Paschalis sanitatem sibi posset recuperare; rogavit Guardianum, ei ut mandaret guttur suum Crucis signo notare. Quod rogando primum cum ab ejus humilitate non impetraret Superior, veniendum ad obedientiæ præceptum fuit : quo impleto, cessavit ipso momento ille sanguis fluere; ita ut quamdiu deinceps vixit (vixit autem ut supra diximus quatuor adhuc mensibus) simile nihil passus sit.

dentium doloribus medetur,

54 In eodem conventu erat alius Sacerdos Fr. Joannes Lopez, dentium dolore graviter cruciatus, qui cum noctes aliquot egisset ea causa absque somno, neque ad Matutinas, aliasque orationes cum ceteris posset assistere, in festo Assumptionis propter ejus solennitatem, conatus vincere quam tolerabat molestiam, ut melius potuit ad Matutinas venit; ipsisque nec non mentali oratione finitis, ceterisque ad suas se cellas recipientibus, solus ille cum Fr. Paschale mansit in choro : eumque jam solum, affectuose rogavit, ut apud Dominam nostram deprecaretur pro se, ut festum cum Fratribus agendo particeps fieret communis solatii. Cui respondit Pas-B chalis : Vade, hodie tibi non dolebunt dentes. Nec sane doluerunt die ista : sed nocte sequenti, velut finitis induciis, rediit idem dolor, multo quam unquam antea vehementior. Ergo ex sua se proripiens cella, cœpit per dormitorium veluti sui impos discurrere et quiritari : accurentibus vero nonnullis ad voces ejus clamosas, cum iisque Fr. Paschale, nec invenientibus quod ei solatium facerent, supervenit Fr. Joannes Olacte, atque dixit; Frater Joannes, dicito Fr. Paschali, ut Crucis signum super te formet : quia cum Valentiæ essem gravique angina torquerer, ut eodem me signavit, statim convalui. Ad hæc verba recordatus infirmus ejus quod sibi ipsi recenter acciderat rogavit eum ut ipse signaret. Sed Paschalis, Angelico quodam modo subridens, bis se excusavit, amanter dicens : Tace, improbe, nec ista dicas. Verum dolore incrementum per singula momenta sumente, in genua se conjecit infirmus, magno cum affectu dicens; Frater, per Dei viscera miserere mei, quia ecce morior : fac obsecro Crucis signum. Tum Sanctus tantillum cunctatus, incenso rubentique vultu se convertit et dixit : Confide, et Crucis signum ipse facito : atque ita cessavit omnis dolor, cum præsentium admiratione maxima, qui Deum in Sancto suo laudantes cubitum recesserunt.

C

item tumori colli oleo lampadis,

55 Fr. Josephus Hidalgo in sua depositione affirmat, quod, cum in Conventu Villæ regalis moraretur cum Sancto, collum sibi cum dolore grandi intumuerit : quodam autem die, quærens ex eo Fr. Paschalis, quo in statu esset malum ejus, jussit ut se inungeret oleo lampadis ante imaginem S. Francisci ardentis : quo proxima nocte facto, mane se persanatum lætatus est. Jacobus Masquefa mercator et civis Villa-regalensis, coram Commissariis

et cholicæ signo crucis :

Episcopi Tortonensis juravit, quod extremis colicæ doloribus aliquando gravatus, cum audisset Sanctum per plateam petere eleemosynam, invitari eum ad se jussit, rogavitque ut ventri suo signum Crucis imprimeret, nihil dubius quin hoc satis futurum esset ad optatam sanitatem recipiendam. Excusabat Sanctus peccatorem se esse, a quo talia peti non deberent : sed cum persisteret supplicando infirmus, et appareret cruciatus eum pati gravissimos; caritate motus, ut alias obedientia, signum Crucis formavit ei : et quasi ipso facto discinderetur funis aliquis intestina constringens, subito liberum se sensit; miraculo tanto celebriori, quod malum pridem familiare ac frequens infirmo penitus cessaverit, neque ex ea hora ultra eum afflixerit.

D

EX HIST. XIMENII CAP. XXIV.

eodem signo puellam duabus strumis liberat.

56 Eodem in loco puella quædam Paula Lianzola nuncupata duas collo strumas ferebat, alteram ovo parem, alteram aliquanto minorem, annis jam quatuor : et earum quidem unam, ut curaret, aperuerat chirurgus; sed nec ipse nec alius, qui postea manum admovit, quidquam medelæ adferre valuit, sed in pejus vergebat quotidie malum. Accidit ergo ut illac transiens Paschalis matrem filiamque amare flentes repererit, hanc quidem quia incurabile videbatur malum, istam vero quia eodem prohibebatur filia sibi atque marito, visu privatis, ministrare. Suum porro infortunium prolixe et dolenter explicanti vetulæ, dixit Fr. Paschalis : Consolare, soror, filia enim tua sanabitur. Rediit autem expresse die postero Sanctus ad ejus domum, quæ dicebatur Joanna Vidal, uxor Joannis Lianzola; quæsivitque an domi esset filia sua. Qua respondente, Domi esse; accersiri jussit, atque omnes pannos applicatosque plagæ emplastra deponi; deinde signum Crucis fecit, dicens : Gratia Patris et Filii et Spiritus sancti sit tecum. Amen. Tertioque repetens sacra Jesu ac Mariæ nomina, mandavit puellæ, ut confiteretur, mox sana futura; et vetuit ne quid amplius E plagæ imponeret, vel alteri tumori proxime aperiendo. Mirum dictu! Veluti si radicitus exempta fuisset strumarum una, ipso illo instanti evanuit; altera, intra quartum quintumve diem sanata similiter est, eodem quo Sanctus eam tangebat momento rupta. Postea puellam monuit, ut redditis Deo gratiis silentio premeret modum curationis suæ : quod illa fideliter tenuit, ne contristaret eum a quo alias dolentibus oculis suis simili ratione curatam se meminerat. Ad majorem autem testificandæ post Sancti mortem veritatis fidem, remansit in collo puellæ cicatricula, quam hodieque ostentat.

Febrim a puero depellit.

57 Balthasar Rubert, civis Villa-regiensis, de filio suo Josepho deposuit, quod febribus adductus fuerit in mortis jam jam imminentis discrimen : sed cum Sancto eum commendasset, ipsi et uxori ipsius promisit non moriturum : et promisso fidem fecit secuta brevi sanitas. Ysabella Pallares, uxore Petri Ceralta, civis Villa-regalensis, negligentius filium infantem custodiente, per scalas usque in solum hic cecidit, tam graviter impingens ut mortale vulnus in fronte apparuerit : nam ultra quod graduum septemdecim scalæ essent, impegerat caput in columnam sive postem domus. Congregati ad curam chirurgi decreverant terebrandum cranium : et puer F oculis clausis spem vitæ nullam faciebat, matre plurimum anxia, tum propriæ orbitatis sensu tum metu mariti, mox ac domum rediisset rem intellecturi. Interim opportune eodem accessit Sanctus, eam consolans : quæ magna cum instantia ac fide ei dixit : Ora pro pueri salute, Pater, aut saltem ut uno adhuc anno vivat, itaque maritus meus nesciat mea culpa mortuum esse. Cui Sanctus; Quoniam, inquit, Soror, non petis ut absolute vivat filius, sed solum ut libereris a molestia, quam times a marito, confide in Deum : credo enim certo quod te juvabit, et ego ex mea parte juvabo intentionem tuam. Dies nonus Aprilis erat cum hæc agerentur, et puer jam pene mortuus aperuit oculos, alacerque et vegetus expedivit se ab ulnis maternis : et pila in pavimento jacente ludere incipiens, ostendit facto, quod verbis necdum dicere poterat, se esse sanatum. Sanus autem perseveravit toto quo Sanctus promisit tempore; anno deinde vertente, ipso nono die Aprilis, obiit ex alia infirmitate, tam levi, ut qui aderant dicerent, videri puerum velut joco mori. Sed mater recordata quod ipso hoc die terminaretur annus gratiæ a Beato promissæ, idque publice enuntians, admirationem cunctis duplicavit, imprimis marito suo, modicam uxoris suæ fidem redarguenti. Quia si vitam

Alteri et scalis lapso vitam ad annum prorogat.

EX HIST. XIMENII CAP. XXV.

A tam, inquiebat, absolute petiisses, etiam hanc impetrasset Sanctus per annos plures.

Mulieri lac impetrat.

58 Angelæ Gomban, uxori Michaelis Morena, civis Villa-regalensis, toto jam mense lac defecerat quo filium aleret, magna cum ejus molestia : utpote quæ paupercula erat, nec facile inveniret, quæ lactando infanti gratis præberent ubera. In hac afflictione posita transeuntem forte Paschalem rogavit cum lacrymis, ut se commendaret S. Francisco : cui Sanctus solita comitate respondit; resumeret animum, mox enim lacte abundaturam, sicut revera accidit. Pectori enim, mensem integrum arido, admotus infans jam desuetus eidem admovere labra, cupidissime se immersit; et copiosum lac trahens, formosus pinguisque cito apparuit, donec ablactaretur tempore congruo, cum magna admiratione vicinarum, quæ noverant quamdiu lac Angelæ defuisset.

alterius lactantis dolores pellit.

Ysabella Amcilla, uxor Francisci Fernandez civis Villa-regalensis, jurata sicut et ceteri testes, asseruit, quinque filios se habuisse, quos omnes intra quartum quintumve mensem amiserit, tanto cum eos lactaret uberum dolore excruciata, ut ultra concipere formidaret. Post mortem autem quinti filii, pauperculum quemdam suscepit ex devotione lactan- B dum : sed ab hoc quoque ad pectus sumpto eosdem patiens dolores, desperavit ipsum a se feliciter educari posse. Sub hæc Joannæ Trullench amicæ suæ colloquens, intellexit ipsam quoque eadem passam, sed a Fr. Paschali, cui devota erat, curatam esse; neque dubitare eam, quin si ad eum similiter recurreret, salutem esset consecutura. Credidit mulier verbis amicæ, captataque occasione præsentis ad ostium suum Fratris eleemosynæ causa, rogavit eum ut sibi a Deo impetraret gratiam hujus pueri educandi : pro qua ille se oraturum libens promisit, et post pauculos dies revertens; Confide, inquit, Domina, quia orationes meæ tibi non deerunt, et hac vice sana infantem istum educabis. Sicut et fecit magno cum solatio suo.

59 Post Ysabellam etiam Joanna Trullench mox dicta comparuit, deposuitque sub fide jurisjurandi, quod statim a puerperio prohibita fuerit partum suum lactare, papillis fissis et uberibus dolentibus. Cumque ei hæc infirmitas quatuor circiter menses durasset, mœsta illa Sancto, eleemosynæ causa ad ostium domus suæ venienti, infelicem suam conditionem manifestavit, qua cogebatur alieno lacte alere prolem. Ille autem pro ea confidere jussa oraturum se recepit, ipsoque temporis puncto sana perfectissime fuit.

Dysuria sanatur.

Francisca Montanhez, uxor Francisci Pi- C tarch Notarii, civis Villa-regalensis, filiam se habere dixit, nomine Petronillam, annorum quatuor, quæ paulo ante quam moreretur Sanctus, difficilem urinæ suppressionem patiebatur. Cumque proavunculus puellæ recurrisset ad conventum, quasdam in medelam herbas petiturus; et narrasset Sancto periculum dilectissimæ sibi proneptis, solatium accepit, ex eo audiens ab ista infirmitate non morituram. Et vero mox ac deinceps libere urinam reddidit, intercessione, sicut familia omnis credidit, Fr. Paschalis.

CAP. XXVI.

Mulieri desperatum gressum restituit:

60 Tædium lectori parerem, si vellem referre omnes quas mulieribus sibi devotis Sanctus obtinuit gratias : non tamen possum quin narrem miraculum, cunctis Villa regalensibus civibus notum, patratum in persona Hieronymæ Verguesa, uxoris Guillermi Montanhez. Ceciderat hæc e domus suæ solario, cadensque os coxendicis ruperat secundum longitudinem : quod genus fracturæ, tali præsertim in parte, difficillimum curatu esse dicebant periti; neque credebant futurum, ut absque subaxillaribus fulcris unquam gradi posset. Recurrit ad commune mœrentium solatium maritus, casu uxoris afflictus; a quo confidere jussus est : futurum enim ut recta per do- D mum ambularet uxor, non expresso tamen quo id fieret tempore : atque hoc idem simili modo repetebat, quoties vir accedebat ad Sanctum. Interim curabatur mulier a chirurgis in oppido de Burriol, unde revertit paupercula, non tantum non sana, sed adeo male habita, ut non nisi post bimestre potuerit de lecto surgere, ac deinde ægerrime promovere gressum, subaxillaribus nixa per menses aliquot, absque spe humanitus convalescendi, etiam ex judicio chirurgi qui curam susceperat. Postmodum contigit mori Sanctum, tantaque operari miracula quanta infra videbimus : quibus auditis ipsa, memor promissi marito suo facti, voluit ad corpus venerabile honorandum accedere. Pervenit ergo ad sacrum feretrum, hinc quidem furcillæ, inde alteri personæ innitens, et qualemcumque gressum difficillime moliens. Mox autem ac manum exosculata est, sensit veluti secretam virtutem, exinde transfusam in corpus suum, totum percurrere et solidari ossa : sic ut potuerit sine furcilla atque per se sola domum regredi, mirantibus omnibus et laudantibus Sanctum in promissis, etiam post mortem præstandis.

61 Alia mulier in Villa regali, nomine Catharina E Lenzola, tertium quartumve diem laborabat in partu filiæ, in utero transversim positæ : neque de ejus morte dubitabatur, propter sanguinis, quem emittebat, copiam.

alia bis in partu levatur:

Sed cum filium quemdam suum misisset ad conventum ad orationes Sancti petendas, ipso quo inter se locuti sunt puncto puer et Sanctus, peperit mulier, cum suo partu sana ac salva. Eadem alias paritura filium, et memor beneficiorum in se collatorum a Sancto, misit similiter, quæ peterent orationes : et prius quam internuntiæ reverterentur, expedita fuit a laboribus partus : quod tamen plene felicitatis non fuit. Exulcerata enim grandibus plagis patebant ubera : quare rogavit Sanctum, ut sanitatem sibi a S. Agatha Virgine et Martyre peteret. Quod cum ille libenter se facturum respondisset, melius habere se mulier sensit : tertio autem die nec vestigium quidem plagarum superfuit, miraculo tanto certiori, quod in decem suis puerperiis idem semper sic passa sit, ut quatuor aut sex mensibus ad curationem exigeret, et ad lactandam prolem alieno opus haberet auxilio, quo, in præsentiarum nullatenus eguit.

62 Puella quædam, Francisca Monserrada nomine, ex abundantia sanguinis in caput subeuntis oculorum infirmitatem incurrerat tam gravem, ut F post decem dies unius oculi visum prorsus amiserit, per nebulam pupillæ superinductam.

Cæcæ bis visum reddit.

Aperta ei sæpius erat vena, setacea etiam corda per collum trajecta nonum jam mensem gestabatur, absque convalescendi remedio. Ea propter mœsta puellæ mater, cum cuidam ejusdem oppidi inquilinæ mulieri occurens causam ei sui doloris narrasset; Quin tu, inquit illa, ad S. Fr. Paschalem adducis filiam, certo certius curandam? Paruit altera, accedensque ad ostium conventus dixit Sancto : Jam nosti, Pater, infirmitatem filiæ meæ, credo pro certo quod vestra Reverentia mihi eam possit cum Dei auxilio curare : supplico igitur, per datam tibi divinitus gratiam, ut mei me voti compotem facias. Cui Sanctus; Ne talia, inquit, mihi dixeris, Soror : et continuo puellam advocans, dixit; Veni huc, et supra oculos tuos tertio pronuntia hæc verba; Per signum sanctæ Crucis, Jesus, Sancta Maria. Hoc facto sanari puella cœpit, donec integram oculorum aciem recuperavit. Verum non fuit hæc eis diuturna lætitia; cum enim post paucos exinde dies nimio aliquo labore corporali excitus sanguis denuo ad oculos ascendisset, rursum aperienda puellæ vena, rursum setaceus funis per collum trajiciendus judicabatur. In hoc rerum

A rerum statu rediit ad ostium Sanctus, et quomodo cum filia ageretur interrogans matrem, eadem quæ prius audivit. Itaque iterum eam solatus ac bono animo esse jubens, puellam sine læsione sanandam promisit: atque ita factum est ut pro minuendo sanguine adveniens die sequenti chirurgus, admirabundus dixerit, nihil eo opus esse, quia ex integro sana puella erat.

Tubera capitis aufert.

63 Alteri mulieri, cui nomen Franciscæ Marco, filia fuit Ysabella Pasquala, quam curavit sanctus a tuberibus pestilentibus, quorum unus clauso pugno æqualis erat, minores alii, quibus collum usque ad caput annis multis obsitum fuerat. Non audebat eis manus apponere medicus, sed sperare faciebat matrem, quod ætate maturiori evanescerent accrementa importuna per menstruas purgationes. Verum cum ad ostium forte adesset Sanctus, ubi ordinarie audiebatur parvula, plorans propter dolores colli, quæreretque de ejus valetudine; solo manuum suarum tactu eam sanavit, absque alia ulla medicina. Ne autem mulieres dumtaxat videantur beneficia Sancti esse expertæ, concludam hoc caput gratia una, obtenta per devotionem viri cujusdam ejusdem oppidi Villæ-

Calculum abigit tacto corpore.

B regalis, dicti Bartholomæus Moliner. Filius huic erat trimulus, suppressioni urinæ obnoxius. Quadam autem vice cum ultra biduum hoc malo laborasset puer, nec ulla ei medicina prodesset (nam inter arenas, quibus gravabatur, calculus erat nucleo pini æqualis, uti postea cognitum est) cruciatuum suorum vehementiam demonstrabat parvulus, quibus poterat planctibus torsionibusque membrorum; non sine ingenti patris omniumque circumstantium sensu puerum coram oculis suis mori videntium. Hæc dum fierent, transibat eadem forte platea Sanctus; et domum istam veniens, ubi filii patrisque dolores vidit, manum affecto corpori modeste admovit. Et ecce, velut attactum sacrum non ferens malum, reseratis subito cataractis simul erupit petra, urina, arena multa; puerumque exoneratum ac sanum dimisit, qualis etiam nunc perseverat, nullum ab inde incommodum passus, absque aliquo vestigio reliquo prioris symptomatis.

CAPUT VII.

De humilitate, paupertate et pœnitentia Paschalis.

CAP. XXVII

Publice reprehensus gaudet,

C Vidimus et mirati sumus in Sancto nostro gratias gratis datas, quæ cum ipsa hominis sanctitate connexionem necessariam non habent; ad eas nunc transeamus, quæ reipsa sanctum ac Deo gratum constituunt. Inter has prima et ceterarum fundamentum humilitas est, quæ ita excelluit in Paschali, ut quicumque de eodem sibi noto testimonium jurati dixerunt, virum humillimum uno omnes ore appellarint: quam ex vero, sequentes casus nonnulli docebunt. Cum esset portarius in conventu S. Joannis Baptistæ Valentiæ, Guardianus loci, austerus et senex, coram tota communitate eum in refectorio acerrime reprehendit, quædam verba proferens, quæ morosæ isti ætati potius quam veritati congruebant, et alteri excutere patientiam potuissent; dicensque inter alia: Plenus confidentia es, quia putas thesaurum te habere in manibus: profecto nisi caveris tibi, thesaurus iste in æs vel argillam convertetur. Stabat ad hæc omnia genuflexus Sanctus, defixis in terram oculis et capite inclinato, sed internum gaudium ipso vultu præferens, veluti si suas laudes audivisset; condolentibus interim ei Fratribus, quod ita publice tractaretur adeo sanctus Frater, vel quia tunicam reliquerat in claustro ad solem expositam, vel quia superiori placebat ea ratione ipsius exercere virtutem. Ipse vero finita reprehensione surrexit, et Guardiani pedes, uti moris est, in signum gratitudinis osculatus, accurrit ad ostium conventus aperiendum, quia eo vocatus per nolam erat. Ibi cum aliquamdiu moraretur. Fr. Joannes Insulanus, arbitratus eum studio cunctari propter sensum reprehensionis acceptæ, seorsim abducto dixit: Frater Paschalis, patientiam habe. Cui Sanctus; Ecqua vero in re? In illa, inquit alter, reprehensione tam aspera. Tunc ille magna cum humilitate dixit, Frater, scito quod por os nostri Guardiani locutus est Spiritus sanctus.

D EX MSS. XIMENII.

et correctiones uti a Spiritu S. accipit

65 Idem respondit alteri Fratri ipsum solari volenti, quod fracto olivarum vasculo, ejusdem frusta collo alligata circumferentem aggressus pari ferocia Guardianus, ut negligentem incuriosumque notasset. Dicenti enim videri quod modum excessisset Superior, pro re tantilla locutus tam aspere: Tace, inquit Sanctus, quia vere ejus verba ut a Spiritu sancto prolata accepi. Idem similiter Villenæ contigit. Fuit etiam cum eleemosynarius conventus graviter eum redarguit, quasi eleemosynas, tanto a se labore conquisitas, nimia liberalitate prodigeret: cui nec

E

unum quidem verbum in sui excusationem respondit. Neque vero cuiquam unquam se reprehendenti gravius aliquid reposuit, quam quod secularibus quibusdam ejus admonitionem justam non ferentibus, eumque per convitium appellantibus caprarium atque opilionem, hilari vultu dixit: Ne turbemini, Fratres, quia de omni verbo otioso rationem Deo dabit homo. Inter alios porro humiliationis voluntariæ actus, frequens ei fuit et per omnem vitam observatum, quod, cum juvenes Fratres de manu Magistri sui benedictionem acciperent, ipse cum iisdem se nudans disciplinam faceret. Humiliora officia domus promptiori exequebatur affectu: unde cum aliquando nomen suum in tabula, ubi illa distribuuntur prætermissum videret, ad ejus curatorem accurrit, rogans ne eo merito privatum se vellet: itaque et in latrinis purgandis et in eluendis immunditiis sedulo versabatur.

Ubique humilitatem exercet.

66 Eadem virtus adeo solicitum eum reddebat, ut quæ sibi honori possent verti omnia occultaret. Eadem faciebat ut vilissima quæque sibi in habitu victuque collecta seponeret. Eadem cogebat quamcumque speciem prælationis declinare. Quod si aliquando Præsidentis conventualis munus obedientia imponebat, nolebat id apparere exterius ac ne benedictionem quidem a se peti: et quia hoc effugere omnino non poterat, quando simul portarii exercens officium, egressuris debebat aperire ostium; hoc aperto se recipiebat post januam, ne se honorari conspiceret. Eadem optabilem ei suavemque reddebat quemcumque in opere aut verbo despectum, quod vel ex ipso ejus incessu oculorumque dejectu notare poterant ii qui alias numquam hominem viderant. Eadem impediebat ne se ullo cujusquam dicto factove lædi putaret: quare nec iratum eum quisquam vidit, nec murmurantem audivit. Quod si murmurantem ipse audiebat aliquem, cavebat ne apud se damnaret, sed continuo sibi objiciebat aliquam illius laudem, quo celaretur vitium alienum saltem in oculis suis: solumque sciebat proprias licet levissimas culpas aggravare et manifestare, credens se omni bono indignum, dignum malo; neque aliquid sibi præter æquum fieri, sed omnes Dei creaturas, per quas patiebatur quidpiam, considerabat ut vindices exiguæ virtutis et gratitudinis suæ.

CAP. XXVIII

Paupertas ejus in rebus omnibus

67 Proximum humilitati tam profundæ erat absolutissimæ studium paupertatis, ad quod comprobandum sufficit videre vestes ipsius tritas, viles, ex panniculis consutas, usque eo ut impossibile esset invenire mendicum qui eas haberet ex tot frustillis, duorum

EX HIST. XIMENII

A duorum digitorum latitudinem raro excedentibus, consarcinatas. Quæ quidem frustilla panniculorum omnis generis requirebat in sterquiliniis, lotaque seponebat ad usus suos; nec non filamentorum fragmina et aciculas cuspide orbas, quibus a se collectis inducebat ipse cuspides ad cotem ad hoc comparatam. Sandalia etiam vetera prorsusque detrita consuebat sibi ut melius poterat. Lampades cum assula pinea accendebat, ut ceræ parceret : cumque vidisset aliquando olei quidquam effundere Fratrem, magno cum zelo velut reprehendendo dixit : Iste est pauper? Dici non potest, quo spiritu Fratres exhortaretur, ut vere pauperes esse niterentur, et resartis tunicis palliisque non minus gauderent, quam elegantiis seculares. Verba autem sua confirmabat exemplis, quorum aliqua de excessu forsan culparit quispiam. Tale fuit, quod cum interiores quosdam panniculos annos decem aut octo gestasset, eos denique haberet tam densis lanei lineive panni segmentis opertos, ut quæ esset eorum materies præcipua discerni nequiret, et veluti in clypeorum duritiem stipati viderentur. Itaque et ego et quotquot eum novimus, audemus dicere, quod licet multos religiosos B viderim amatores paupertatis, neminem tamen huic similem in victu vestituque.

maxime in vestitu,

68 Vestes novas numquam admisit : sed ab aliis detritas vilioresque volebat. Cum autem novam ei tunicam fecissent Jumillæ, alterique tunicæ integrandæ deessent segmenta ea, quibus ad latera immissis in orbem pars inferior laxatur, detracta tunicæ sibi datæ reddidit, dicens sibi sufficere partes reliquas, qui macilento erat corpore. Ipsa igitur consuens adeo arcte stringebatur ad pedes, ut gressum difficulter formaret ad ambulandum. Hac de causa cum aliquando in civitate Murciæ a quibusdam Ecclesiasticis exploderetur; non solum nihil questus est, sed in se potius culpam contulit male formati incessus. Si pedem alterutrum offendens læsisset, huic sandalium resartum aptabat, altero pede nudus permanens; causamque quærentibus respondebat, minime æquum videri ut sanus iisdem, queis infirmus deliciis frueretur. Par erat ejus in victu paupertas, vix aliud comedentis quam micas frustillaque panis in canistris collecta : obsonium autem, quod Jumillæ addebat, erant reliquiæ, ex pridiana pauperum olla corrasæ, aut raphanorum lactucarumve inter ossa abjectarum residua. In cella ejus nihil vidisses præter stragulum vetus ac ruptum, Crucem ligneam et Deiparæ Virginis imaginem chartaceam: C atramentarium insuper arundineum ad conscribendos libros suos, cum ea quam supra diximus parcimonia chartæ compaginatos. Atque hæc omnis ejus supellex fuit; quam humanis despicabilis oculis tam grata divinis, quod et miracula probaverunt, ad reculararum tam vilium contactum patrata.

victu,

et cella.

CAP. XXIX.

Patientiam exercet tolerando frigus,

69 Paupertatem consequitur pœnitentiæ rigor : paupertas enim exercetur in paupere et parco cibo atque vestitu, et hoc est pœnitentia : et hæc in Sancto nostro tam fuit singularis, ut quantumcumque de ea dixero, parum tamen dixisse videbor. Siquidem ordinarius ejus vestitus unica semper tunica fuit, quamvis multos annos habitaverit in conventibus ac regionibus frigidis, ut sunt Jumillæ et Almanzæ montana; ubi etiam religiosissimi quique, licet duas tunicas palliumque induti, necesse habent sæpe ad communem focum recurrere, etiam sic ægre hiemem omnia gelantem tolerantes : nam inter glaciales crustas et nivium algores discalceatus semper ambulabat. Quem autem calorem addere potuisset cilicium ex spinis carduorum contextum, quo aliquando induebatur, aut rastellum ex lamella ferri stanno obducti minutimque pertusi? Nullum profecto : ac ne illud quidem cilicium, quod ex setis equinis contextum, ei erat loco telæ Hollandicæ vestisque Paschalis, adstrictum rudi catena, cujus aliqui annuli D detritis grossioris lini segmentis obvoluti erant, ne mutuo constrictu inter ambulandum laborandumve sonum ederent, suæque pœnitentiæ asperitatem curiosis proderent.

gestando cilicia,

jejunando,

70 Sed forte quod vestitui deerat, supplebat copia alimenti? Minime vero : neque enim commune illud quod indulgetur in religione, membris jejunio maceratis, admittebat ipse : sed cum alii carnes edebant, solo ipse pane vescebatur quam sæpissime. Alias solum jusculum apponebat sibi, illudque ad mortificandum gustum jam frigidum : quia carnes non sumebat nisi rarissime, et quasi numquam cœnabat. Jejunabat ordinarie omni feria sexta multisque per annum diebus in pane et aqua : imo totis decem primis annis observavit ejusmodi jejunium ter quavis hebdomade. Numquam extra communem refectionem sumebat quidpiam, ne quidem baccam vel uvam unam. In festis autem Nativitatis et Resurrectionis aliisque similibus quando fideles solent esse in eleemosynis largiores, ut Religiosis laurius aliquid abundantiusque præbeatur, ipse magis studebat temperantiæ; nec volebat ut sibi diversis in E patinis apponerentur edulia, sed simul omnia in unam confundebat scutellam. Non deerant interim qui subinde explorarent, utrum appositam sibi carnem comederet; notaruntque, quod magna cum cautela suam dissimulans abstinentiam solas herbulas, quibus erat incocta, gustaret; ipsam vero vix unquam comedebat; sed veluti si comederet, extractis paulatis ossibus dissecabat in frustula, quæ denique successive reponebat in scutellam pauperum.

71 Quando in prædictarum solennitatum vigiliis post cœnam conveniebant Religiosi ad recreatiunculam aliquam, ut moris tunc est sumendam, aliquid scilicet passarum aut ficuum fructuumve pro tempore parabilium; ipse pro suo Refectoriani munere ea inferebat, tum ad orationem se recipiebat in chorum; quia nequidem exiguum istud solatium lasso corpori suo voluisset indulgere, quod Christo confixerat in cruce, neutiquam vel ad momentum dimittenda, quamvis singularitatis nota ei propterea imponeretur ab aliquibus. Quod si propter mandatum Superioris nequiret subterfugere, corpore quidem intererat collationi, animo vero expatiabatur ad consideranda divina illa mysteria, quæ talibus diebus Ecclesia celebrat. In hujusmodi consideratione raptus aliquando extra se, dum consideret in scamno F saxeo una cum ceteris, tunc in culina, eo quod frigus esset, ad collationem congressis; ante tempus surrexit, magno cum impetu clamitans atque vociferans, ita ut a tribus quatuorve Fratribus, qui ei manus injecerant, ægre posset summa vi contineri. Videns ergo Superior eorum brachia in conatu deficere, voce elata dixit : Fr. Paschalis, per sanctam obedientiam impero ut quiescas. Ille autem quievit statim, a sensibus tamen tam alienus et tam debilis remansit, ut cadens in terram fuerit pro mortuo efferendus inter brachia, deferendusque in cellam. Similis casus eidem aliquando accidit ad Dominam nostram de Lorito, ubi cum jejunasset Quadragesimam Apostolorum, seque ad Pentecosten celebrandam appararet, ipso die et hora tertia qua Spiritus sanctus adveniens sua hominibus elargitus est dona, Religiosis in oratione conjunctis, non potuit se continere Sanctus, quin cum stupore omnium alte exclamaret.

flagellando se,

72 Flagellabat se ipse ferme quotidie, præcipue quando Officium erat de Martyre, tum ut vel sic experiretur dolores martyrii in ipsius Sancti qui colebatur societate, tum ut pœnam illam vice martyrii offerret Deo, testareturque quam pro eo optaret totum

A totum sanguinem fundere. Observatus est autem in festis S. Michaelis vel Angelorum diutius se flagellare, quia istis diebus hoc faciebat novies recitando Psalmum, Miserere, in honorem novem chororum Angelicorum. Infirmus nullum solatii admittebat genus ex iis quæ aliis præberi solent, non culcitram, non lodices: neque prius se dabat curandum Medico, quam compelleretur expresso Superioris mandato. Toto autem infirmitatis tempore quantumcumque graves essent fortasse cruciatus, numquam queri, numquam audiebatur vel gemitum dare. Mox vero ut eum dimiserat febris, surgebat e strato, seque ad chorum vel infirmariæ ipsius sacellum oraturus conferebat, in qua quidem actione aliquando inventus est tam imbecillis, ut non posset ascendere scalas nisi dorso ad parietem connixus. Aliquando quartanam patiens, cum ei curam adhibere nollet, idque ei scrupulo ducerem, respondit: Scias, Frater, quia quartanam non patior ex aliqua naturali causa, sed per Dei specialem voluntatem. Fuit cum alias quartana laborantem expresso mandato compulit Guardianus comedere carnes: sed has ille tunc quidem obedienter manducavit, sub noctem autem sumpta
B acri disciplina compensabat corpori quod fuerat ejus mortificationi ipsa die detractum, quamvis ea dies esset febrilis recursus.

duriter dormiendo. 73 Lectus ejus Almanzæ storea erat juncea, et lignum pro cervicali, vileque stragulum quo se operiebat. Fuit autem ibi multo tempore sub campana, in cella tam paupere, ut neque portam haberet, neque ex toto esset cooperta. Alias in ætate provectiori dormiebat supra tabulas pellicula instratas. Verum ut neque dormiens a se cruciando cessaret, aut perfectam quietem corpus caperet, colligebat sese veluti in globum, ore genua contingens; et corpus stragulo implicans sic alligabat, ut non posset omnino sese extendere. Cum in oppidum egredienti contingebat socium aliqua in domo considere; ipse sedilia fugiens circumspiciebat sibi suppedaneum aliquod humileve scabellum; et in hoc ipso adhuc notabatur ex uno solum latere considere solitus, ex alio velut suspensus se cruciare. Hortabatur vero etiam alios Fratres, præsertim juniores, ut duriter tractando suum corpus, sæpeque in pane et aqua jejunum servando, ipsum possent spiritui subjicere. Cum autem die quadam vidisset Religiosum, in sua cella habentem poma; quæsivit ex eo Sanctus, cur ibi aliquid edulii haberet. Ipso vero respondente,
C quod non haberet ea esus causa, sed solum ut visu obfactuque delectatus benediceret Domino, subjunxit Sanctus, Scias, Frater, quod qui libenter habet in sua cella esculenti quidpiam, numquam obtenturus est spiritum perfectionis: quam vocem audivi et diligenter notavi.

CAPUT VIII.

De oratione ac meditationibus S. Fr. Paschalis.

CAP. XXX Postquam a seculo, ubi quam amans fuerit precandi diximus, ad statum religiosum transierat; tanto inter orandum gaudio spiritus perfundebatur Paschalis, ut cum potentias omnes haberet occupatissimas, præsentem semper Deum ante oculos mentis suæ cernens, id ipsum exterius appareret. Nam et cum esset inter medias secularium turbas, semper inveniebatur tam alacri, sereno, et placido vultu, ut quisquis eum consideraret, in facie, oculis, labiisque perpetuum quemdam veluti risum notaret. Et oculos ille quidem ac faciem sæpe sic elatos in cœlum ferebat, ut qua pedes irent quandoque non videret. Ita cum nocte quadam egrederetur de choro,

Studium ejus orandi,

ubi prolixius oraverat, nec attenderet ubi figeret D gressum; de sublimiori gradu ad imum scalarum pedem corruit tanto cum impetu, ut ego, qui tunc forte vacabam studiis, audito lapsu voluerim egredi cella. Sed subito omnia quieta audiens, paulo post ipsum habui ad cellæ meæ ostium, pulsantem modeste ac lumen petentem: in quem intuens, vidi vultum ejus grandi tubere turgidum; indeque intellexi ipsum fuisse qui ceciderat: nam ex ore ipsius ægre id potui elicere. Cum autem nullum vellet malo isti remedium, noluit ut ego id quæsitum egrederet cella: sed ipse ad suam se magna cum patientia silenter contulit: quamvis tam gravis lapsus fuerit, ut ejus quod tunc passus est incommodi reliquias tulerit per omnem deinde vitam.

EX HISP. ... XIMENII ...

75 Nihil aggrediebatur unquam, de quo non exquisivisset Dei per orationem consulti voluntatem, quod sequenti casu declarabitur. Expediebat vehementer Conventui, ut cuidam ejus necessitati consuleretur: et quia sciebat Guardianus, quod Sanctus, si scriberet Provinciali, promptum ab eo remedium obtineret; rogavit ut faceret et rem indicaret. Epistolam ergo scripturus abiit in cellam cum chartæ scheda, quam eum in finem dederat Guardianus: E qui aliquanto post tempore scire volens an absolvisset, ex improviso cellam aperuit, invenitque Sanctum genibus in oratione defixis junctisque manibus inter quas chartam tenebat, rogans Dominum ut pennam regeret, et quæ scribi vellet ipse intus dictaret. Neque tantum id faciebat in majoris momenti negotiis, sed etiam ad minimas actiones. Alias, cum dormientibus aliis, Religiosi quidam transirent ejus cellam, audiverunt ipsum intus suspirantem atque gementem: in quo ne sæpe deprehenderetur formidans, haud raro sese conferebat ad hortum, ubi observatus a nemine dulcia cum suo Jesu misceret colloquia. Suspicabatur hoc quidam Frater Jumillæ: ergo speculaturus quid ageret, ibidem se latenter abscondit, viditque se penetrantem inter condensas quasdam arbores, cum crebro brachiorum motu velut aliquid solicite querentem, et blanda voce jaculatorias emittentem pias ac fervidas, quarum memoriam particularem retinuisse se negavit Religiosus iste: ego vero eas manu ipsius propria sic reperi descriptas.

ante quamlibet actionem.

76 Doce me, Abyssus profundissima, creatrix rerum omnium Sapientia, quæ in divina tua lance appendisti magnitudinem montium colliumque, et pondus terræ tribus digitis suspendisti. Suspende, F Domine, pondus corporeæ gravitatis hujus, quod circumfero, tribus tuis invisibilibus digitis, ut videat et cognoscat quam admirabilis sis in omni creatura. Tu es lux suprema, quæ fulgebas ante aliam omnem lucem in montibus sanctis tuæ antiquissimæ æternitatis: cui omnia manifesta et conspicua fuerunt priusquam fierent. O lux, ab omni macula abhorrens, quænam deliciæ sunt tuæ Majestatis cum homine? Unde præparasti in me thronum Regia tua excellentia dignum, in quem intrans deliciarere? Unde habet homo ut fiat templum puritatis tuæ, teque intra se recipiat? In hunc modum nulla transibat ei hora diei, quam ejusmodi orationum varietate non distingueret, totus intra se collectus, ad fruendum eo quem intra animam suam portabat paradiso; hoc enim ex Evangelica doctrina eum hausisse apparet ex verbis, in libro ejus scriptis, hujuscemodi.

Ejusdem jaculatoriæ preces quæ fuerint.

77 Regnum Dei intra vos est, inquit Salvator. Luc. 17. Quale est autem istud regnum? Id nempe de quo Apostolus ad Romanos VIII, Justitia, pax, gaudium in Spiritu sancto. Ubi justitia ponitur tamquam omnis hujus boni radix, pax vero et gaudium uti fructus hujus radicis, in quibus consistit nostra quies

EX HISP. XIMENII

A atque felicitas. Atque hoc significant nobis duo nomina Melchisedechi, qui appellabatur Rex justitiæ, Rex pacis. Hæc enim duo sese invicem comitantur : nec enim unquam pax sine justitia, aut justitia sine pace invenitur. In vanum igitur laborat quisquis pacem quærit et verum gaudium citra justitiam et bonam conscientiam. Hactenus ille : alibi vero sic scribit : Amem te, Domine, fortitudo mea, refugium meum, liberator meus in laboribus atque periculis. Quid mihi est in cœlo, Deus, et extra te quid volui supra terram? Deficit anima mea et caro mea in desiderio tuæ Majestatis : quia tu es Deus cordis mei, tu pars mea et hereditas mea in æternum. Has similesque voces pronuntiabat Sanctus inter illas arbores S. Annæ de monte. Et quamvis is, qui explorabat ibi actiones ejus, conabatur latere ; ei cum patientia et consueta sibi lenitate sensum aliquem suum declaravit dicens, Cur me persequeris?

Orantis situs, raptus, et hilaris vultus

78 Solebat orare cum tanta attentione et vehementia spiritus, ut absque sensu externarum rerum raptus in Deum, aliquando etiam conspiceretur ad cubitum unum elevatus a terra. Ita Jumillæ in choro eum a se visum, cum illuc forte esset ingressus, B deposuit Fr. Andreas Rodriguez, seque eo viso vehementer pavefactum. Notavit etiam mulier quædam Villa-regalensis, Francina Sebastiana, quod die Jovis sancto eum viderit orantem coram Sanctissimo, totoque corpore prorsus immobilem acsi clavis fixus solo fuisset, per horas omnino quinque continuas. Sacrificio Missæ tam devotus intererat, ut similem affectum aspiraret omnibus intuentibus. Sæpius quoque observatum fuit, quod eidem sacrificio ministrans, flexis genibus et manibus ante faciem junctis (qui erat ordinarius orantis situs) difflueret lacrymis copiosissimis. Eadem Francina utpote particulariter Sancto devota, duobus vel tribus diebus antequam infirmaretur, notavit quod tempore totius Missæ cui serviebat, subridere sibi perpetuo sit visus : pleno autem risu exhilarari eum vidit, cum librum ab Epistolæ cornu ad alterum, quod Evangelii dicitur, transferret. Cumque post dies ab inde circiter decem audiret eum obiisse, identidem cogitationi suggerebatur, quod risus iste fuerit indicium alicujus notitiæ de glorioso suo fine acceptæ. Et huic testimonio consonant plurium Fratrum dicta, asserentium quod per eosdem dies extraordinariam quamdam in eo lætitiam notarint ; qua fiebat ut inter ambulandum rideret cantillaretque, velut lætissimo aliquo nuntio C recreatus. Devotissimus erat etiam Reginæ cœlorum et Rosarii ejus, quod partim ex ejus scriptis intelligitur, partim videtur colligi ex ea assiduitate qua ipsum semper manibus tractabat : quibus si ad aliquod ministerium peragendum habebat opus, expediebat eas injecto in collum Virgineo serto, quod a se non prius quam spiritum ipsum suum dimisit.

CAP. XXXI

Scripta ejus de oratione.

79 Porro ut iis satisfaciam, qui cum desiderio imitandi cupiunt videre specimen piorum exercitiorum ejus ; transcribam hic quædam ex ejus libello, circa orationem meditationemque notata. Meditatio, inquit, est studiosa operatio intellectus, occultæ veritatis notitiam investigantis. Oratio est devota attentaque suspensio mentis in Deum, ad avertenda mala et bona concupita obtinenda. Contemplatio est suspensa elevatio animæ in Deum, quæ jam mundanis rebus mortua, degustat gaudia pacis et dulcedinis internæ. Otium et quies sancta, sunt effectus contemplationis, quos potissimum vita contemplativa intendit. Lectio est diligens consideratio Scripturarum cum attentione intellectus. Dico, inquit S. Bonaventura, quod nostra locutio et nostra oratio sunt desiderium alicujus rei, aut petitio conformis desiderio nostro. Gloriosus autem S. Chrysostomus, docens quomodo oratio sit principium et causa grandium bonorum, sic loquitur : Ecqua res esse potest D aut justior, aut pulchrior, aut sanctior, aut plenior sapientia, quam conversari et loqui cum Deo? Si enim ii, qui agunt cum sapientibus, cito efficiuntur sapientes ; quid dicemus de iis, qui semper cum Deo loquuntur, deque suis rebus omnibus cum eo consultant? O quanta est sapientia, quanta virtus, quanta prudentia et bonitas, et temperantia, et æqualitas morum, quam secum trahit studium orationis! Non errabit igitur qui dixerit, quod oratio sit causa omnis virtutis et justitiæ ; et quod nihil eorum quæ sunt animæ necessaria ad eam intrare possit si desit oratio : quin potius, quemadmodum civitas carens muris et propugnaculis facilem hosti præbet ingressum ; sic anima, quæ non est oratione munita, facile vincitur a dæmone et vitiis impletur. Nihilo longius a veritate recedet, qui sustinuerit, orationem esse tamquam nervos spirituales animæ : sicut enim corpus per nervos, quibus contexitur, in omnem sese partem movet : et sicut ipsi tam necessarii sunt corpori ad vitam, ut iis sublatis dissipanda continuo sit omnis ejus harmonia et consonantia ; ita animæ E per nervos orationum manent firmæ, idoneæque ad vitam spiritualem exercitationemque perfectam in curriculo virtutis.

80 Ratio propter quam Deus nos creavit, adeo pauperes et virtutibus destitutos, fuit, ut nos exerceremur in oratione, eaque mediante pertingeremus ad ipsum et virtutes ab eo peteremus. Tam necessaria nobis oratio est, ut sine illa secundum Deum vivere nequeamus : estque hæc virtus veluti pignus quod Deus a nobis exigit, ut nos conjunctos sibi teneat : sciebat enim quam utilis nobis foret præsentia sua et conservatio, quamque periculosum nobis foret vel tantillum ab eo separari. Quandoquidem Deus maxime cupiat favores suos nobis dare ; in omni quam petes re, confide firmiter daturum Deum quod petieris. Nihil petas nisi ad hoc prius a divina voluntate præmoveatis, qui maxime cupit dare et annuere petitioni tuæ, quam voles petere ; et expectat donec aliquid petere incipiamus : itaque ad petendum moveri magis debes propensione quam ad largiendum habet Deus, quam necessitate propria ejus rei quæ petitur. Exerce animam tuam per actus vehementes atque potentes ad volendum quidquid vult Deus, removens a tua voluntate omne bonum et commodum quod ex tali voluntate consequi pote- F ris, eo solum excepto quod voluntas Dei mereatur supra omne concupiscibile appeti, eoque quod sua divina Majestas velit nos indipisci quod cupimus ; ut eo obtento fiamus majores servi Dei, eumque amemus perfectius. Petitiones et orationes tuæ omnes semper tali intentione signentur : et quando petes pete cum amore et per amorem, cum instantia et importunitate. Abstrahe animum a rebus hujus mundi, et cogita in eo nihil esse præter Deum et animam tuam : neque cor tuum iisdem distrahi vel ad modicum patere. Judicium cæcum, simplex et humile, memoria supra seipsam experrecta, amor divinus omnia nostra sicut oleum condiat.

81 Quatuor sunt gradus perfectionis, scilicet ; Anima omnibus rebus creatis spoliata, imo et a suo corpore abstracta : anima unita Deo per spiritum et voluntatem : anima familiaris Divinæ Majestati : anima quæ recipit quidquid impositum fuerit, tamquam de manu Dei, ubique gratias agens. Duplex est modus contemplationis, alter per creaturas in intellectu, atque hic modus est valde difficilis et laboriosus, quia exercetur per potentias et intellectum cum spatio temporis : cujus licet multa utilitas sit, numquam tamen assequetur perfectionem qui in hoc loco sistit, neque pure et absolute est homo

A homo spiritualis. Alter modus, uti fere est sine labore, sic ferme sine temporis impendio cum maximo merito tendit ad perfectionem : sed modus hic absconditus est et pauci eum inveniunt : appellatur autem nominibus variis, nunc quidem Scientia infusa, alias Sapientia abscondita, alias Theologia mystica vel Exercitium aspirationis. Invenitur vero per viam aspirationis, quæ est ignis incensus, ardens in corde, altus ferventibus vivisque desideriis amoris, qui nutrit et sustentat animam devotam cum voluntatis affectibus continuo novis. Hunc ignem divini amoris accendit divina bonitas per suam infinitam clementiam intra viscera amantis animæ, et ipse per quietam perfectamque contemplationem continuatur, in qua et non sine ea potest servari incendium istius amoriferæ flammæ; quæ animam assimilat camino, per quem ipsa se sublevat, immersura se centro illi sempiterno, unde divini amoris disciplina processit et ignis hujus prunæ candentes. Quieta contemplatio et finis in quem terminatur hic amor, est amor sempiternus, qui in hac vita cœptus incendi, numquam extinguitur neque ardere desinit, donec ad vitam æternam B pertingat. Contemplari, secundum præcisam vocis notionem, est animam sese attollere in Dei amorem pure et absolute, non involvendo se nubibus aut obscuritatibus notitiæ rerum creatarum, earum præsertim quæ infra animam rationalem sunt. Atque hactenus sunt ipsa Sancti verba, quibus etiam exercitia sequentia expressa inveniuntur.

CAP. XXXII.

82 Cum transieris viam purgativam et aliquanto tempore in ea constiteris, id est in notitia tuæ exiguitatis, miseriæ et vilitatis : cumque nonnullos annos insumpseris meditandæ Passioni D. N. Jesu Christi ejusque sanctissimæ vitæ; cum denique Deum in suis creaturis cognoveris, teque in virtutibus exercueris cum multa tui notitia; incipe magna cum humilitate te dare et occupare in via quam vocant illuminativam, et in ea quam appellant unitivam, quæ consistit in agnitione beneficiorum divinorum cum gratiarum actione, atque in suavi exercitatione amoris et caritatis Dei. Summa porro exercitiorum vitæ illuminativæ hæc sit.

Materia singulis hebdomadæ diebus meditanda.

Die Lunæ multa cum diligentia debes considerare beneficium creationis, dicendo : Gratias tibi ago, Deus meus et Rex supremus, quod ab æterno me prædestinaveris et in perpetua caritate amaveris. O ardentissime amator mi, pater mi, gloria C mea, spes mea, quando fideli amore te diligam? quando te intimis visceribus complectar!

Die Martis, beneficium gratificationis, dicendo : Gratias tibi ago, Domine mi supreme, cui complacuit me tibi gratificari in tuo dilectissimo Filio, eidem non parcens. Gratias tibi ago, Domine, quia dedisti mihi Spiritum sanctum in signum adoptionis, in privilegium amoris, in annulum desponsationis, participando ejus dona, fructus et sanctas inspirationes. Atque hic ages gratias pro omnibus Sacramentis.

Die Mercurii considera beneficium vocationis, dicens : Gratias tibi ago, Domine mi et Deus supreme, quod toties exerrantem revocasti et restituisti, modo per inspirationes internas, modo per externas admonitiones.

Die Jovis beneficium justificationis dicens : Gratias tibi ago, Domine mi et Deus supreme, quod dignatus sis voluntatem meam sic commutare, ut quæcumque ad pœnitentiam spectant et antea mihi erant amara, dulce nunc sapiant.

Die Veneris beneficium dotationis, dicens : Gratias tibi ago, Domine mi ac Deus supreme, quod mihi dederis in donis naturalibus intellectum capacem et tenacem memoriam, in donis fortunæ robur

EX HISP. XIMENII.

D et decoram conformationem corporis, in donis gratiæ pure credere et ardenter imitari etc.

Sabbato beneficium gubernationis, dicens; Gratias tibi ago, Domine mi ac Deus supreme, quod in hoc esse me conservaveris, dando mihi incrementum quotidianum, valetudinem bonam, ingenium hilare, cum ex me ipso nihil sim.

Dominica beneficium glorificationis, dicendo : Gratias tibi ago, supreme Deus, quod mihi concesseris gaudia paradisi, dando mihi supra naturæ meæ exigentiam fruitionem Divinitatis, visionem mei Redemptoris, et gloriosæ Matris ejus. O Domine, quanta mihi lætitia erit videre Regem cœlorum in suo decore, et dominam meam virginem Mariam, totam deificatam et glorificatam.

83 Simili modo utendum est punctis aliquot elevativis, ad affectum in singulis dictorum beneficiorum innovandum elevandumque animum, dicendo : O suprema bonitas! o altissima æternitas! o incomprehensibilis majestas! o amator ardentissime! o hospes suavissime! o sapor sanctissime! o Rex præclarissime! o Magister prudentissime! o Recreator sufficientissime, o Redemptor largissime! E o Custos diligentissime! Quomodo, Domine, dignas tibi gratias referre potero pro tantis beneficiis, tantis donis, tantis misericordiis? Neque solum in his vitæ illuminativæ exercitiis hujusmodi punctis uti debes; sed etiam in exercitiis aliis. Debes etiam in recognitione istorum beneficiorum ruminare auctoritates aliquas scripturæ, elevando animam tuam atque dicendo : Benedictio, sapientia, claritas, gratiarum actio, honor, virtus et fortitudo Deo nostro, per omnia secula seculorum. Amen. Quia vero oratio ut sit perfecta tribus partibus constare debet, scilicet agnitione culparum, imploratione misericordiæ, et actione gratiarum, ideo sciendum est, quod gratias Deo agere non sit aliud quam elicere actum interiorem animæ, quo agnoscimus Deum pro Domino infinito et universali, a quo dimanat omne bonum : quo etiam is, qui bonum aliquot cœleste recepit, delectatur, considerando per ejusmodi benefactum magis habilem factum se esse ad serviendum datori omnis mali; et delectatur videndo se aptum esse ad magis amandum meliusque serviendum datori omnis boni.

Quomodo in via unitiva orandum,

84 Denique sub titulo exercitiorum Vitæ unitivæ hæc descripta reperio. Veniens ergo, Frater, ad locum orationis, teque muniens signo sanctæ Crucis, F ac spiritum intus recolligens, assume personam et affectum filii et sponsæ cum affectu amoris : informa meditationem de laudibus perfectionibusque divinis : ac disce in iis gustare quam dulcis sit Dominus in hunc modum.

singulis diebus.

Die Lunæ primo debes amanter considerare, quomodo Deus est conditor omnis esse, id est principium et finis cunctarum rerum : a cujus arbitrio pendent omnia.

Martis cogita, quomodo iste tuus dilectus sit decor universi, omnesque creaturas fecit formosas : ipse est cujus pulchritudinem sol et luna mirantur, in quem desiderant Angeli prospicere.

Mercurii perpende, quomodo is quem amando requiris est gloria mundi, quem adorant Angeli, laudant Archangeli, tremunt Potestates, cui denique omnes serviunt.

Jovis cognosce, quomodo is quem amas totus est caritas : et quod is qui manet in eo, maneat in caritate et Deus in eo. Item quod sicut natura ignis est ardere, incendere et calefacere; ita proprietas caritatis divinæ sit creare, gratias suas largissime effundere, inflammare amorem, incendere, salvare, redimere, custodire, liberare, et illuminare.

Veneris considera, quomodo is, quem multum amare

A amare desideras, sit regula et exemplar omnium rerum.

EX HISP. XIMENII.

Sabbato expende, quomodo is, quem amas est quietissimus, et absque ulla sui mutatione mundum perpetua ratione gubernat, sator cœli terræque.

Dominica agnosce, quomodo is, quem diligendo concupiscis, sit sufficientissimus: et qui illum possidet, possideat quidquid sibi opus est.

Actus virtutum varii.

85 Singulis porro exercitiis istis sevire possunt elevativa hæc puncta: O Domine, tu amor meus es, meus honor, mea spes, meum refugium, mea vita, mea gloria, meus finis. O amor meus! o beatitudo mea! o servator mi! o gaudium meum! o director mi! o magister mi! Non quæro, Domine, nec volo ut mihi proponatur aut dicatur alia res nisi tu, Domine Deus meus: quia tu mihi sufficientissimus es, pater meus, fratres mei, nutritius meus, rector meus, custos meus, totus desiderabilis, totus amabilis, totus fidelis. Adorationis quoque actus hac forma exerceri debet mente magis quam voce: O excelsissime Domine, anima mea adorat te super judiciis justitiæ tuæ, pro nostra redemptione exercitis in dilectissimo filio tuo. Gratiarum actionem B sic concipies. O supreme omnium Domine, anima mea tibi offert gratias et laudes pro ardentissimo amore quo dilexisti me ante ordinationem mundi: virtute cujus me prædestinasti et me fecisti Christianum, meque convertisti et eruisti a seculo. Et hoc modo possumus dicta verba applicare ad agendas gratias pro quocumque beneficio. Appellanda etiam oranti sunt merita mysteriorum vitæ D. N. Jesu Christi, dicendo: O Domine, per vestram sanctam Incarnationem miserere mei peccatoris. Ad prosequendam vero hujus exercitii viam, existimo aptissimas esse nocturnas vigilias, privando corpus omnibus superfluis, nec præter præcisam necessitatem ei quidquam indulgendo in victu aut somno, ut te possit per iter amoris portare: quia anima contemplativa non curat corpus, nisi quatenus obligatur; idque solum pro Dei amore, cui cupit placere, et quia divina Majestas id jubet. Anima justa, quæ transiit perviam purgativam et illuminativam, et viriliter invigilat custodiendæ quieti interiori, acquiret absconditam sapientiam, et gustabit dulcedinem quam largitur Deus diligentibus se. Aufer a te omnem amorem proprium, et tui ipsius horrorem perfectum concipe: cupias vere et ex animo contemni, affligi, deprimi ob omnibus, et pro vili haberi. C Neque tamen magnum quid esse putes, si ipsis injuriis læteris et oblecteris: scis enim quia eas juste mereris, propter multa tua graviaque peccata. Atque hæc omnia ex diversis quidem locis, ex uno tamen ipsius libro collecta sufficient, ad explicandum orationis et contemplationis practicæ spiritum, quo dirigente talia sapere et scribere potuit.

CAPUT IX.

Excellentia fidei, devotio erga Eucharistiam atque Deiparam.

CAP. XXXIII.

De Christi nativitate verba facit ad fratres;

Magnam esse fidem suam, vivam, solidam, et ferventem demonstrabat Sanctus, loquendo de mysteriis ejus cum tanta certitudine et efficacia, ut omnibus miraculo esset, adderetque animos ad amplectenda fugiendaque ea, quæ nobis ut talia fides proponit. Notabile imprimis erat quanta delectatione et voluptate narraret vitam et miracula, passionem et mortem D. N. Jesu Christi, idque tam asseveranter et dilucide, quasi singulis mysteriis præsens adfuisset. Fuit cum ei per obedientiam injunctum fuit Jumillæ de Christi nativitate ad Fratres verba facere: quod ita fecit acsi ipse, dum erat per campos pastor, eorum unus fuisset, quibus Angelus D gaudium istud magnum evangelizavit, cum iisque præsepiolum vidisset, et infantem in eo positum adorasset: addebat quomodo plorantem panniculis involvebat mater, et sua ei ubera præbebat; jubilantibus interim festiveque modulantibus cœlestium spirituum exercitibus: inter quæ quoties pronuntiabat sacra JESU ac MARIÆ nomina, ea id faciebat teneritudine ac reverentia, ut satis appareret ipsi intus in corde esse descripta. De tempore porro et loco quo natus est Christus, hæc ejus manuscripta invenio.

87 Cum gloriosa Virgo Maria tam pretiosum filium de Spiritu sancto concepisset, die XXV Decembris, nocte silenti et quieta, peperit unigenitum suum in pauperculo tugurio. Natus est ergo ex purissimo ventre sacratissimæ Virginis Mariæ, quæ fuerat filia sancti viri Joachim et legitimæ uxoris ejus Annæ: quæ ipsum peperit juxta computum scriptorum anno ab orbe creato V ∞ CXCIX, ab Urbe condita DCCLII, anno Imperii Octaviani Cæsaris Augusti XLII. Cum autem gloriosa cœlorum Regina esset in loco tam desolato, circumdata fuit splendidissima luce. Tum hora sacratissimi partus adfuit E in media nocte Dominica die: natusque est D. N. Jesus Christus sub rupe quadam, quæ erat juxta diversorium. Natus est, inquam, nosque illuminavit sol justitiæ Jesus Christus Deus noster, et nos de excelsis visitavit. Atque infra. Secundum nativitatem divinam habet Christus patrem sine matre; secundum humanam matrem sine patre. In hunc modum pergit ille explicare magnalia vitæ et mortis Christi, confirmando mysteria fidei nostræ et articulos humanitatis Christi, auctoritatibus Prophetarum, quibus nos Theologi solemus uti contra Judæos. Contra hæreticos vero grande nobis argumentum datur ex ea confidentia, qua in itinere Francico usum diximus mori paratum, contra quos etiam sic scripsisse legitur.

de eadem scribit.

Scripta ejus contra Hæreticos.

88 Hæreticos Scriptura sacra insensatos appellat: contra quos, inquit Salomon Sapientiæ V, accipiet armaturam zelus Dei, et armabit creaturam ad ultionem inimicorum: induet pro thorace justitiam, et accipiet pro galea judicium certum, sumet scutum inexpugnabile æquitatem: acuet duram iram in lanceam, et pugnabit cum illo orbis terrarum contra insensatos: quæ proprie est appellatio hæreticorum: quia non solum habent obscuratum intellectum, sed etiam torpent sensu ad qualecumque bonum opus; F unde consequitur, ut verissimum sit, quod de iis affirmat fides. Præterea Deus est auctor naturæ quæ secundum S. Chrysostomum sit quædam secreta Dei manus: cum ergo Deus ipse sit auctor naturalis rationis, idemque etiam auctor fidei, fieri non potuit ut faceret fidem contrariam naturæ, aut veritatem fidei contrariam veritati naturæ: ex quo sequitur primo, quod peccatum infidelitatis et hæresos sit peccatum stultorum, et cavillatorum ignorantissimorum; ideoque appellantur a S. Petro indocti, instabiles, insipientes: et S. Paulus de iis dicit, quod tenebris obscuratum habeant intellectum, alienati a via Dei per ignorantiam, quæ est in illis propter cæcitatem cordis ipsorum. Ita Sanctus. Nunc vero addere vellem quæ de articulis Divinitatem spectantibus manu sua nobis reliquit descripta, sed manus mihi constringit proposita brevitas: specimen accipe in verbis sequentibus.

2 Petr. 3
Eph. 4, 18.

Scripta de mysterio SS. Trinitatis

89 In illa æternitate et duratione infinita absque principio atque mutatione, prius quam aliquid visibilium creaturarum appareret, erat Deus unus in essentia et trinus in personis, Pater et Filius et Spiritus sanctus, singulis habentibus inter se perfectissimam beatitudinem, gaudium et communicationem

A tionem ineffabilem ; cum Verbum, id est, æternus, unicus, et unigenitus filius Dei, semper procedat ab æterno Patre suo, per spiritualem et intellectualem generationem : simulque procedat Spiritus sanctus per amorosam processionem et spirationem Patris ac Filii. Habent autem omnes tres Personæ unam eamdemque substantiam, quamvis sint tres veræ ac reales Personæ sine principio et sine fine : et omnes tres inter se cognoscunt, communicant, amant, gaudent infinito cum gaudio ; quod majus esse non potest nec crescere, quamvis omnipotentissima Majestas illa millenos mundos crearet, qui in eum amando semper occuparentur. Pater æternus ab alia nulla Persona procedit : Filius procedit ex solo Patre : Spiritus sanctus ex Patre et Filio. Non est major nec prior una persona quam alia : sed omnes tres æternæ sunt æternitate eadem, omnes tres perfectione sunt æquales : eadem omnibus sapientia, bonitas, potestas, dominium et imperium. Hæc ergo fidei nostræ, quam profitemur, confessio est. Unus Deus in Trinitate et unitas in Trinitate. Progreditur deinde Sanctus pari passu altissima quæque de inscrutabili mysterio dicere, quæ absque ullius falsitatis fermento proferri ab homine litterarum rudi, B quis est qui non obstupescat?

Creber est in salutando Venerabili ;

90 Fratres omnes multique seculares signanter testificati sunt notatam a se fuisse in Sancto præcipuam quamdam devotionem erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum : adeo enim imbuta erat anima ejus isto dilecti sui pretiosissimo pignore, ut quoties vel tantillum otii a consuetis officiis suppetebat, quadam veluti violentia traheretur in ecclesiam ; mille vicibus eo recurrens, sicut mille vicibus inde avocabatur ab obedientia per nolulam ad ostium sonantem. Contingebat tamen haud raro, ut aliquantula patientia opus haberent pulsantes, donec se expedivisset ab illo dulci amoris carcere : cum autem eis satisfecisset, rursus inveniebatur aut Missas audiens, aut genibus flexis versus sacrarium, protensis illuc manibus, et ea corporis positura ut videretur Sagittas amorosi affectus vibrare in istum amatorem hominum, sub accidentibus panis latentem. Ex eodem fonte profluebat insignis reverentia erga Sacerdotes, quos ad ostium venientes qua ratione exciperet pium erat vel intueri. Positis enim humi genibus Sacerdotis dexteram ambabus apprehendebat manibus, osculabatur amanter, faciei, C oculis, ori admovebat : idque faciebat Sacerdotibus sine discrimine omnibus, religiosis et secularibus, atque eorum benedictionem petebat.

Præparatio ad illud suscipiendum,

91 Communicabat devotissime, non vultum contorquens aut vehementia emittens suspiria, quemadmodum novi quidam spirituales, ferventes, musto imperfectionis suæ : sed vultu alacri, quieto, modesto, in quo legeres internam lætitiam animæ talis hospitis præsentia dignatæ : ad cujus etiam receptionem præparabat se per confessionem peccatorum, multo crebrius faciendam quam communicaret : neque enim hoc faciebat quotidie. Quo autem id faciebat, die majorem recollectionis atque silentii curam monstrabat : utebatur etiam quibusdam devotissimis precatiunculis, quarum hoc specimen accipe : O Domine, Deus meus, creator cœli et terræ, Rex potens, qui manu illa tua robusta me ad tuam imaginem et similitudinem creavisti : quis sum ego ut memor sis mei? aut quis est homo, Pater pientissime, quod sic magnificas eum? tuoque cordi atque amori tam prope jungis? Statim ac creasti eum, fecisti dominum, dando ei copiosissimam mensam in paradiso voluptatis : sed post redemptionem parasti ei alterius longe generis mensam, teque ei in ferculum apposuisti manducandum. O Domine, quæ tanta liberalitas, quæ magnificentia tam eximia : quod cum is sis, qui es, Deus D infinitus, creator, et redemptor, meo te includas pectori? O mi bone Jesu! O salus mea! offero tibi pauperem animam meam et cor languidum. Multoties divinam tuam Majestatem offendi, et tamquam proditor Absalon de regno cordis mei te expuli. Purga, me, fons aquarum viventium. Sana me, medice salutaris : indue me fide et spe firma, meque dignum te templum effice. Formidabat magna cum fide Centurio, quia accedebas ad domum illius : Baptista, prius sanctificatus quam natus, baptizare te metuebat : et ego peccator non metuam te suscipere, creatorem ac dominum Angelorum? O Pater cœlestis, da mihi vires et robur ad opus tam grande. O Fili, Patris sapientia, sapientiam et prudentiam mihi largire. O Spiritus sancte, amor Patris atque Filii, inflamma cor meum et purifica animam tuæ caritatis igne, ut viva cum fide recipiam hoc sanctissimum Sacramentum.

EX HISP. XIMENII et orationes præviæ :

92 Alias orationes sic descriptas habebat : Rex cœlorum, Domine mi Jesu Christe, ego peccator indignus accedo ad sanctum altare tuum, invitatus voce tua divina, et fretus clementia. Tu me vocas ad mensam tuam, teipsum mihi in cibum offerens : E ergo, licet parvulus, audebo tamquam alter Benjamin venire ad convivium, quod meus major natu Joseph germanis suis præparavit. Supplico Majestati tuæ, referam inde eos fructus quos tam sublime Sacramentum in tuis amicis operatur. Infirmus sum, tu medicus meæ salutis. Peccator sum, tu es qui justificas impios. Pauper sum, tu infinitis divitiis locuples. Da mihi augmentum fidei incrementum caritatis, complementum virtutum omnium, cum quibus tibi serviam, te omni vita mea laudem, te denique fruar in cœlo per gloriam. Amen. Domine Deus mi, Jesu Christe, Fili Dei vivi ; qui in die sanctæ cœnæ tuæ, per infinitam qua nos semper amasti caritatem, instituisti et ordinasti sacramentum pretiosi Corporis et purissimi Sanguinis tui in memoriam tuæ dolorosæ passionis, dedistique sanctis Apostolis tuis comedendam carnem tuam sacratissimam et bibendum pretiosissimum sanguinem, supplico tibi, Domine, et humiliter peto, ut emollias duritiem cordis mei, des mihi lacrymas compunctionis, quibus omnes peccatricis animæ meæ sordes abluantur. Multum enim et diversimode usque hodie peccavi, cogitatione, verbo, visu et opere. Mea est F hæc culpa, Domine ; mea maxima culpa. Nihilominus vere confiteor et firmiter credo, quod tu, Domine, potes condonare omnia peccata mea, per infinitam bonitatem et misericordiam tuam. Ergo, mi dulcis Domine, ignosce mihi omnia ; quia de omnibus et singulis doleo, firmiterque propono solicitius imposterum omnem noxam cavere. O mi piissime Domine, da mihi servo tuo tantam ac talem devotionem, qua hodie te recipiam in statu gratiæ sicut convenit. Tu, Domine, ore tuo sancto dixisti, Ego sum panis vivus, qui de cœlo descendi : si quis manducaverit ex hoc pane, vivet in æternum. O panis dulcissime, sana palatum cordis mei, ut sentiat effectum amoris tui : sana illud ab omni infirmitate, ne qua alia dulcedo præter te ei sapiat. O panis sanctissime, qui contines delectamentum omne et omnem saporem : qui semper nos reficis, et numquam deficis : comedat te cor meum tuaque dulcedine delectabili ac sapido gustu repleantur viscera animæ meæ. O panis sacer, panis vitæ, panis purissime, qui de cœlo descendens vitam mundo dedisti. Veni, Domine, veni in cor meum : sentiat anima dulcedinem beatissimæ præsentiæ tuæ. Pelle a me inimicos omnes, qui mihi incessanter insidiantur. Fugiant, Domine, fugiant a facie infinitæ potentiæ tuæ ; ut a te, Domine, intus ac foris custoditus,

Ex Hisp. Ximenii.

A ditus, recta via tendam ad regnum cœlorum, in quo facie ad faciem semper contemplabor tuam infinitam essentiam, teque in æternum contentus vivam. Amen.

Orationes post Communionem ad Deum:

93 Orationum quoque post Communionem recitandarum hujusmodi formulas sibi descripserat. Gratias tibi ago, Pater æterne, qui me dedisti Filio tuo, non solum liberandum a sathanica tyrannide, sed etiam ad me solandum faciendo se cibum in hac sancta Hostia. Gratias tibi reddo infinitas, Redemptor mi, quod tanta cum liberalitate ditaveris animam meam ipso vestro corpore et sanguine sacro. Gratias tibi dico, Spiritus sancte, caritas perfecta, quia visitasti, cor meum et in eo tuum sanctum amorem amplificasti. Omnes Angeli laudent, et omnes creaturæ glorificent te, Deus meus, une ac trine, Pater, Fili, ac Spiritus sancte. O Domine, utinam per hoc Sacramentum maneat anima mea per amorem unita tecum! Rogo Majestatem tuam ut posthac numquam offendam te. Fastidio mihi sit mundus et ejus pompæ omnes : toto spiritu tuo dominare debili carni meæ, ut te favente perfectum
B referam triumphum de diabolo. Crescat in me sancta dilectio tua, perficiantur in summo gradu fides et spes mea, ut proficiat anima mea de virtute in virtutem, donec videat et per claram visionem fruatur eo quod hic adorat fideliter, possideatque cum lætitia perfectæ gloriæ eum ipsum, quem inclusum et opertum suscepi in hac sancta Hostia.

94 Laudes et gratias tibi reddo, piissime ac benignissime Domine Deus, creator meus ac rerum omnium : tibi, qui me peccatorem indignum, non propter merita mea, sed per gratiam tuam, dignatus es satiare pretioso corpore unigeniti filii tui Jesu Christi, Dei ac Domini nostri. Supplico humillime tuæ sacratissimæ Majestati, ut hæc sanctissima communio et receptio gloriosi Filii tui non sit ad pœnam et condemnationem animæ meæ : sed juvet ad inveniendam vitam, et obtinendam indulgentiam peccatorum. Sit ea mihi veræ fidei armatura, confirmatio spei, et scutum bonæ voluntatis. Sit emundatio vitiorum : auferat et removeat a me omnem carnalem concupiscentiam ; foras ejiciat omnem vanitatem : sit frænum linguæ meæ et virtuosa reformatio animæ. Sit augmentum ardentissimæ caritatis, profundissimæ humilitatis, honestatis, pacis, ac reverentiæ, perseverantiaque in omni bono, in omni virtute et sanctitate. Sit tutela certa contra insidias inimi-
C corum meorum, visibilium et invisibilium : sit perfecta mortificatio omnium mearum motionum carnalium, et spiritualium ac denique sit nodus inseparabilis conjunctionis inter me et te, Domine Jesu Christe. Rogo te, Domine, ut placeat tibi me miserum peccatoremque ad convivium gloriæ cœlestis vocare : in qua tu eris, Domine, benedictis Sanctis tuis verum lumen, perfecta et consummata lætitia, plena beatitudo, et gaudium interminabile. Amen. Gratias tibi reddo, Rex meus, spes et gloria mea Jesu Christe, creator et redemptor mi, pro ineffabili hoc favore, quem recepit anima mea, facta cubile tuæ divinæ Majestatis. Dic, o Domine liberalissime, quod dixisti in domo Zachæi, quando pauperculum ejus cœnaculum es ingressus : Hodie domui huic salus facta est, quia hic est filius Abrahæ. O Rex gloriæ, sana animam meam, corrobora illam in tribulationibus, et da ei gratiam, o fons omnis gratiæ, ut semper te amet, tibi serviat, te laudet in hac vita ; et in altera te fruatur per gloriam. Amen. Jesus.

Ad Virginem Mariam.

95 Ad Deiparam quoque se convertens, dicebat : O sancta Maria, dignissima mater D. N. Jesu Christi, Regina cœli terræque serenissima, quæ meruisti tuo in ventre sacratissimo eumdem gestare Creatorem rerum omnium, cujus venerabilissimum corpus D
recepi hodie ; dignare, Domina, intercedere pro me ; ut quidquid contra hoc Sacramentum peccavi per ignorantiam, negligentiam aut malitiam, propter tuam deprecationem mihi condonet Jesus Christus filius tuus, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat in secula seculorum. Amen. Jesus.

Sanctosque omnes.

Ad eamdem porro Dominam et Sanctos omnes sic loquebatur. O excellentissima et nobilissima mater Dei ac Domini nostri Jesu Christi, sacratissima virgo Maria : quæ eumdum Dominum et Creatorem universorum meruisti concipere in tuo purissimo et sacratissimo utero, cujus pretiosissimum corpus præsumpsi hodie indignus suscipere ; vos autem sancti Angeli, Sanctique omnes et Sanctæ Dei, qui continue contemplamini eumdem æternum Deum per claram visionem, quem ego peccator non formidavi recipere ; vos ergo oro obtestorque humillime, ut me juvetis in referenda Domino Deo nostro gratia pro tam grandi beneficio, quia ego minime sufficiens ad hoc sum ; et rogate eum ut mihi condonet, quod cum exigua præparatione me contuli ad recipiendum hoc sanctum Sacramentum ; utque mihi det E
gratiam ut ab hinc me præparem cum majori multo devotione ac reverentia, qualis tam sublimi Sacramento convenit ; atque ita denique per suam infinitam misericordiam, me vobiscum collocet in perpetuam gloriam paradisi ; in qua ipse semper vivit et regnat sine fine. Amen. Jesus.

Cap. XXXIV. Cultus erga B. Virginem ejusque imagines.

96 Nullis verbis explicari potest, quantam devotionem et amorem haberet erga Deiparam Virginem, cujus nomen numquam audiebat appellari, quin religiose caput inclinans alios ad sui imitationem traheret. Quandocumque autem transibat locum, in quo erat aliqua imago ejus, valde notabiliter profundeque toto capite atque etiam corpore inclinabatur ; præsertim quando transibat eam, quæ est in loco dicto De profundis, in Villa-regali, cui non solum caput inclinabat, sed quoties solus erat etiam flectebat genua : uti ex ipsa culina sæpe notavit coquus, licet ipse nesciret se observari a quoquam Ego quoque eum sæpius genuflexum vidi ante imaginem Conceptionis, quæ est in ecclesia : cujus puritatem non solum defendebat, vocando Immaculatam : sed etiam in chartis suis descripsit Officium, quod in ejus festo recitamus. Hoc autem die et in die Nativitatis dignum erat visu spectaculum, quomodo particulari quadam et excessiva devotione toto vultu inflammatus et quasi extra se raptus ap- F
pareret. Quod si tunc novitium aliquem aut ex junioribus unum habebat obvium ; Veni huc, inquiebat, Frater, et genua flecte. Numquid credis in Deum, dic ergo ut ego, Benedicta, laudata, glorificata et exaltata sit immaculata Conceptio, vel (si is dies erat) Nativitas parvulæ. Majori etiam cum lubentia animi in iis habitabat conventibus, qui titulum Dominæ nostræ ferebant ; et sic ei divinitus datum videtur, ut in eo qui dicitur Dominæ nostræ de Lorito habitum Religionis assumeret ; et hunc cum meliori habitu Beati commutaret in Villa-regalensi Dominæ nostræ de Rosario.

Annotata ejus de S. Rosario.

97 Volupe ei erat loqui de Rosarii devotione, deque gratiis et indulgentiis per ejus usum obtinendis, quarum longum catalogum sibi descripserat, et quomodo quovis die Mercurii possit eo recitato liberari anima ex purgatorio, ultra plenariam Indulgentiam quam sibi ipsis lucrantur Confratres, juxta Bullas Pauli III et Pii V. Quid vero rei sit Rosarium his verbis notavit : Dicitur Rosarium, quia Ave-Maria, tamquam rosæ albæ, sunt applicatæ et addictæ puritati mundissimæ Dominæ nostræ ; Paternoster vero, tamquam rosæ coloratæ, sacratissimis plagis supremi nostri et dulcissimi Domini

A Domini Jesu Christi. Nominatur Psalterium, quia tot continet Ave Maria, quot sunt Psalmi Davidis. Vocatur Corona, propter circulum mysteriorum quæ consideranda proponit. Sed et Rosarium Domini nostri debet Christianus recitare et contemplari : cujus forma cuidam Dei servo fuit in hunc modum revelata. Cum Religiosus aliquis contemplaretur mysteria Reginæ Angelorum, Matris ac Dominæ nostræ; videbatur ei quod nostra dulcis mediatrix recitanti Psalterium suum specialem gratiam petebat a filio . cui hic cum ineffabili suavitate respondit, ut etiam suum ille recitaret Rosarium, pro Ave-Maria dicendo, Ave benignissime Jesu; et pro Pater-noster, Salutationem Angelicam.

98 Atque hæc omnia sunt verba ipsius Sancti, deinde se extendentis ad explicanda mysteria prædictæ Coronæ, multasque ejus Indulgentias, explicando, quid sit Indulgentia plenaria, quid Indulgentia tot vel tot annorum vel quarentenarum de impositis pœnitentiis; ad describenda etiam varia grana per summos Pontifices benedicta : quæ omnia ab eo scribi videtur Deus voluisse ad confusionem

Oratio ad Mariam pro felici morte.

B hæreticorum hujus temporis. Denique hanc orationem pro articulo mortis chartæ consignavit. O sanctissima Mater misericordiæ : Virgo grandis, Virgo magnifica, Virgo suprema; Mater Dei, Regina terræ atque cœlorum, excelsa Imperatrix Angelorum et hominum, singularis Advocata peccatorum, atque post Deum refugium certum, remedium atque auxilium afflictorum. O Maria, dulce nomen, nomen amœnum, nomen suave et vires conferens; Filia Patris, Mater Filii, Sponsa Spiritus sancti. O Mater Dei, Princeps gentium, respice hunc pauperem peccatorem. Ad te clamo : Veni, dulcis Domina, succurre in hac hora tantæ necessitatis. Hæc est hora propter quam semper te invocavi : ne me deseras in hoc articulo, o dulcis Adjutrix, qui tibi me ex toto corde commendo : adjuva me, per D. N. J. C. etc.

CAPUT X.

Castitas, mortificatio, silentium, caritas, observantia Paschalis.

CAP. XXXV

Qui tantus, fuit amator Virginis, haud dubium quin et fuerit virginitatis, et hanc illibatam conservarit usque ad finem vitæ. Huc certe spectabat

C rara ejus abstinentia, qua non solum a carne et vino tot annis abstinuit, ad etiam cum propter infirmitates suas jussus esset modico vino uti , selegit sibi semper viliores et acidas magis vini reliquias; et has ipsas adhibebat tam parce, ut potius videretur sibi auferre gratum et naturalem gustum aquæ, quam vini utilitatem spectare. Eodem referebantur tam frequentes et tam prolixæ disciplinæ, tot et tam variæ hispiditatis cilicia, catenaque lumbos debilitatos stringens. Nulla tamen virtus circa pugnam probatur : quare nec huic sancto viro defuisse tentationes castitati contrarias verosimiliter credi posset, etsi non nisi incerta aliqua earum indicia haberemus. Ad certiorem tamen scientiam meam voluit Deus, ut quasi oblitus propositæ sibi circa talia taciturnitatis (quia nec minimam quidem mentionem de ejusmodi rebus aut ipse faciebat unquam, aut ab aliis coram se fieri patiebatur) indicaret mihi, quisnam gravissimus assultus fuerit, quem hoc in genere unquam passus est. Tempore quodam præsumpsit dæmon infernali suo flatu reaccendere jam pene extinctos in eo concupiscentiæ carnalis stimulos, et mulieris cujusdam speciem imaginationi ejus importunissime ingerere; quam similiter in ipsius Sancti viri desiderium accendebat. Ita dispositis

Gravem tentationem patitur,

machinis diu varieque velitatus, tamdemque plena D conflicturus acie, tam acribus stimulis exagitavit quadam die æstiva Paschalem æque ac mulierem ; ut Paschali quidem, dum Religiosi alii post sumptum prandium requiescerent, necesse fuerit recurrere ad ecclesiam et misericordiam a Deo postulare : sed mulier imbecillior, omni pudore ac timore abjecto, recta venit ad Conventum (eratis is S. Joannis de la Ribera Valentiæ) et magno impetu campanulam pulsans excivit, pro officii ratione, Paschalem. Hic cum more suo illuc veniens dixisset; Laudetur D. N. Jesus Christus, aperuit ostium, totusque contremuit, coram se videns eam cujus causa sic tentabatur. Ipsa autem, horæ opportunitate et loci solitudine audacior, nihil verba morans, ut nimium lenta, expansis in eum brachiis involabat; amplexura, nisi resiliisset velocissime Sanctus; confusæque ac dicenti, Quid fugis? an existimas quod te velim amplecti? nihil respondens occlusisset raptim fores, atque ad suum se recepisset azylum, victoria relata de hoste visibili æque ac invisibili.

EX MSP XIMENII

et superat,

CAP. XXXVI

100 Passiones etiam reliquas animi nihilo minus E mortificatas habebat Paschalis, præsertim quæ ad irascibilem et concupiscibilem facultatem pertinent. Erat ille quidem juxta depositionem Medici Villa-regalensis Joannis Francisci Beneit, qui admodum familiariter vivente usus fuerat, naturali complexione cholericus; numquam tamen in suo ostiarii officio, aut alia quavis occasione, notatus est patientia victa aut infracta iratus turbatusve; ut summum, si quid sibi dicebatur aptum provocare indignationem, aut sese modeste quieteque excusabat, aut silebat omnino, vultu semper eodem, semper sereno : adeo ut sua illa temperies ad hoc tantum ei servire videretur, ne, quod cholericis contrarii melancholici solent, esset in operibus suis remissus. Quare neque necesse erat studiose observare horas ac tempora, quibus cum eo agendum esset, ut aliquid impetraretur. Amorem consanguineorum et patriæ usque eo repressit, ut hanc revisere numquam petierit, numquam voluerit, illis vero nullum ostenderit aliquando affectum alium, quam spiritualem per orationes ex desiderio cunctos in cœlo conspiciendi. Honorem omnem mundanum contemnens in refectorio coram Fratribus et in populo coram secularibus libenter sese humiliabat. Ergo anno MDXCVI cum pro aqua frugibus impetranda institueretur Almanzæ generalis processio ad ædem Dominæ nostræ F de Bethleem, sesqui leuca distantem ab oppido, coram innumerabili hominum omnis conditionis sexusque et ætatis multitudine, vidimus eum venire discalceatum, cum gravi cruce in manu et spinea corona in capite, rudique ad collum fune ; quasi solum se reum negatæ de cœlo pluviæ cunctis vellet indicatum.

Publice se affligit pro pluvia obtinenda.

101 Mortificationem porro sensuum, quam sibi sumpserat observandam, nescio an commodius explicare possim, quam iis quæ de ea reliquit verbis. Debes in animo infixa habere principia duo. Primum ut de te sentias quod sentires de corpore mortuo fœtidoque et vermibus scatente, ad cujus præsentiam horrescunt vivi, caput avertunt, obturant nares. Alterum, quod si tecum ex merito vellet agere aliquis, deberet tibi eruere oculos, truncare nares, aures, labia, et omnia tui corporis membra deformare ac sensus torquere, quia cum iis offendisti Deum . atque in hoc ita deberes lætari, ut nihil optabilius existimares; omnes autem diffamationes, calumnias, exprobationes quamvis graves atque acerbas, combiberes velut liquorem delectabilem, recipiens eas cum singulari gaudio et cordis tripudio. Opus est etiam, ut te convertas atque reclines inter brachia Christi pauperis, humilis, contempti, mortui, diffamati pro tua reparatione, usque dum etiam ipse in omnibus

Quomodo de se ipse sentiat

A omnibus sensibus tuis mortuus sis, solusque Crucifixus vivat in corde tuo.

Ex Hisp. Ximenii.

Cap. XXXVII. Quantus fuerit silentii amator.

102 Silentii legem hanc sibi fixerat, ut de suis ipse rebus numquam, de aliis non nisi parce loqueretur, quantum necessitas postulabat. Hinc fit ut tam pauca sint quæ sciuntur de intrinsecis ejus virtutibus, deque revelationibus ac favoribus cœlitus ei factis: quos alioqui multos fuisse, præsumere facit vitæ ejus sanctissimæ ratio. Eo in itinere quod Xativa Valentiam simul fecimus, inter alios de virtutibus sermones, valde laudabat silentium et recollectionem, in qua ab exterioribus vacans anima, tota occupatur videndis audiendisque iis, quæ Deus interius agens objicit menti. Ipse vero majori diei parte sejunctus a me ambulabat tacens meditansque divina: adeo ut necesse mihi esset iteratis fere interrogationibus et quasi forcipibus extrahere ab ore ejus verba. Dicebat mihi aliquando, Crede, Frater, quod totum bonum Religiosi consistat in oratione; oratio autem mentalis et quieta haberi nequit ubi est effusio sensuum et multa loquacitas. Certum est, quod qui os suum non claudit, similis est vasi liquoribus odoriferis pleno, aut fornaci calefactæ, a quibus B apertis vis omnis odoris calorisque exhalat. Curare debemus ut thesaurum nostrum abscondamus a latronibus, qui enim eum portat discoopertum per viam adeo plenam grassatoribus, videtur eos invitare ad prædam.

Laudes de eodem conscriptæ.

103 Neque solum servandum silentium in lingua, sed et in gestu vultuque: quia fieri potest, ut cor quidem cohibeat linguam, per oculos tamen, frontem, et colorem prodat secretum gaudii, doloris, vel indignationis latentis. Verum de his ipsummet Beatum audiamus in libro suo sic scribentem. Dicebat S. Gregorius Nazianzenus, rationem reddens cur suo se Episcopatu abdicaret; Recordabar quietis meæ et silentii; meque ab eo arceri videns, quod ab initio vitæ amaveram, atque in magnis periculis constitutus promiseram Deo; omnia dimisi, et recessi. Quod autem hoc ejus silentium et quies fuerit recollectio de qua agimus, ostendit idem Sanctus Doctor cum ait: In veritate nihil mihi videtur præstantius et conducibilius homini ad vitam æternam, quam clausis sensibus exterioribus, extra mundum et carnem positum converti ad semetipsum, alienatum et alienum a curis humanis; solique Deo ita loqui, ut rebus omnibus visibilibus superior, animamque divinis affectibus plenam habens et rerum C cœlestium ideis absque mixtura corporearum, efficiatur homo verum speculum divinæ imaginis, macula carentis; atque adhuc in terra positum fieri quodammodo socium Angelorum; et contempta ac dimissa fragilitate humana, ad superhumanas transferri superveniente Spiritu sancto. Quod si aliquis vestrum ejusmodi ardorem aliquando sensit, intelligit quid dicam.

Cap. XXXVIII. Colloquia ejus spiritualia

104 Non impediebat tamen iste, de qua locuti sumus, silentii amor, quo minus suis locis temporibusque loqueretur de Deo rebusque divinis, nullo humano timore vel respectu ab hac sancta sua consuetudine abstrahendus. Faciebat hoc semper, et quidem cum fructu singulari, quoties visitabat infirmos aut solabatur mœstos; et elucebat tunc ex ipso loquentis vultu ingens fervor cordis, de dilecto suo sapidissime apud alios ratiocinantis; adeo ut tædio nemini esset colloquium tale quamvis prolixum. Sic cum aliquando in oppido Elche decumberet ægrotus, ad eumque visitandum quidam Conventus amicus venisset statim post meridiem; alleviando spiritui mœsto indulgens Sanctus, institutam de Deo orationem sine fatigatione protraxit usque in noctem. Cumque secularem illum moneret Guardianus jam noctem ingruere; excusavit se ille, negans totum istud tempus visum sibi esse plus quam horam. Singulis autem dicebat ætati aut conditioni cujusque congrua; aleatoribus, ut se abducerent ab eo vitio, quo simul et anima et facultates exponuntur periculo; juvenibus, ut se commendarent Deo, castitatem colerent, prava consortia declinarent; Senibus, ut patientes essent et exemplo bono ceteris; novitiis, ut multas pœnitentias facerent, jejunarent multum, comederent parum; omnibus, ut regulas et leges sui status servarent. Denique sermo ejus universus aliud non erat, quam efficax ad virtutem inductio.

sine tædio diu audita.

D

Cap. XXXIX. Caritas erga proximum:

105 Quod attinet ad caritatem erga Deum et proximum, in qua perfectio virtutis consistit, has ipse leges præscripserat sibi in libello: Ad vitam æternam consequendam tria debent homines scire ac facere; erga Deum habere cor filii, erga proximum cor matris, erga seipsum judicis. Itaque optime noverat paupertati et parcimoniæ circa seipsum jungere liberalitatem erga proximum. Accidit aliquando in Villa-regali ut post solis occasum ad ecclesiam nostram veniret mulier afflictissima, dicta Magdalena Rupert, remedium angustiis suis petitura a Deo; cum enim haberet domi tres filios infirmos, non solum cetera opportuna eo in casu solatia deerant; sed propter summam egestatem, etiam panis, E quem iis frangeret. Oranti supervenit Paschalis, clausurus ecclesiam, quæsivitque, eo loci tam sero cur esset. Pater, inquit illa, afflictionem quamdam patior, in qua rogo ut me commendes Deo. Faciam, reponit Paschalis, et templum ea egressa clausit. Ipsa vero per rimas introspiciens, vidit Sanctum in media ecclesia mox genuflexum promissa complere: et magna cum spe impetrandi auxilii domum regressa, accessit ad armarium ubi frustillum panis dimiserat, quod dividere volebat in filios, potius ut benedictum quid, quam ut cibum: et ecce duos integros panes in eodem reperit, quos cum ipsa nec quisquam domesticorum ibi posuerit, oportet ab Angelis fuisse allatos ad preces servi Dei Paschalis. Quia autem non solo pane egebat mulier, movit Deus personas devotas duas, quibus numquam illa suam necessitatem indicaverat, ut subministrarent ei omnia, quamdiu filii ægrotabant.

Mulieri victum cœlitus impetrat oratione sua pro filiis,

106 Quin etiam post mortem perrexit Sanctus eidem mulieri opitulari. Cum enim filium suum quadrimum aliquando de solo attolleret irata, magno cum impetu, manum tenellam a compage sua movit. Ex hinc puerulus propter vehementiam doloris plorare et ejulare inconsolabiliter: ergo quarto die F chirurgum vocans mater, jussa est ab eo in diem sequentem atque horam certam, præparare aquam calidam et alia quædam: ipsa interim ad ecclesiam nostram accurrit, ut Sancto jam mortuo filii sanitatem commendaret. Hinc magna cum fiducia exauditæ orationis suæ domum regressæ, et ut jussa erat facienti, supervenit chirurgus; manumque pueri curare volens, reperit juncturæ suæ restitutam: quam etiam ille, qui desierat flere, movebat in partem quamcumque jussisses. Ergo ab alio valentiori medico præventum se videns chirurgus, domo excessit admirabundus. Duobus postea mensibus, majorem ejusdem mulieris filium Jacobum contingit a pectore deorsum usque ad pedes sic inflari, ut consultus medicus judicaret morose curandum, præbitis potionibus purgativis. Ergo cum suæ sibi conscia paupertatis necessarios ad id sumptus fieri a se non posse intelligeret, recurrit ad sepulcrum Paschalis, rogans a Deo impetraret purgationem, quam emere ipsa filio nequiret. Rem miram! Ipso die cœpit adolescenti laxari alvus, cum ultroneo per triduum fluxu, cujus beneficio evacuatis humoribus tumor omnis subsedit, qui non nisi lentissime curandus putabatur. Hoc autem miraculum cum aliquando

quorum unius luxatam manum,

alterius tumens corpus sanat.

Fr.

A Fr. Hieronymus Planes Definitor cuidam Sorori, de Sax dictæ, narrasset, quæ et ipsa necesse habebat purgari, se quoque pari fide commendavit Sancto, et absque potione experta est salutarem suæ orationis effectum.

CAP. XL

Nullis torquetur scrupulis:

107 Erat mandatorum et regularum observantissimus Sanctus, neutiquam tamen scrupulosus: quare cum aliquando in choro adstaret proximus lateri meo; factaque inclinatione ad recitandum Pater-noster, animadverteret me eo absoluto iterum illud repetere ex quodam scrupulo, severe monuit, ne id alias facerem: Deum enim offendi, et dæmoni occasionem dari ad animam inquietandam importunis scrupulis, qui sunt tamquam pulices conscientiæ, eamque fatigant et conturbant, ac perdere faciunt conversationem cum Deo et tranquillitatem contemplationis, refrigerando flammam amoris divini, atque adeo aperiendo portam cuivis spirituali damno. Mittere aliquando voluit Guardianus eleemosynarum collectorem, ut cereos aliquos peteret pro ornatu Sepulcri in hebdomade sancta, ut moris est: quia autem devotæ personæ, a quibus petendi erant, debebant eos comparare pecunia a cerario, scrupulosior ille excusabat sese, eo quod petitioni huic intervenire debebat pecunia. Aderat tum forte Guardiano Sanctus, et petiit ut hæc eleemosyna sibi committeretur petenda, commissam autem sibi rem magna cum alacritate suscepit et absque ullius scrupuli indicio. Primo enim contrahebat debitum apud cerarium, candelas credito accipiens, deinde, quos sperabat libenter pretium soluturos adiens, dicebat: Domine, tali viro debentur tot cerei, fac nobis caritatem, et solve pretium, fuerunt enim pro sanctissimo Sacramento. B

Commendat paupertatem,

108 Monebat omnes ut Dei mandata servarent, dicens, ut si vellent solatium a Deo et favorem ejus in suis laboribus promereri, sæpius confiterentur et emendarent vitam; comperturosque experientia, quod ea ratione supra se ac familiam suam acciperent benedictionem divinam. Quando autem instruebat Fratres, primum quod eis inculcabat, erat observatio Regulæ, specialiter circa punctum paupertatis, cum limitationibus Nicolaï III et Clementis V; circa quod punctum multum etiam laudabat expositionem Patris Fani. Dicebat, Fratri Franciscano fugiendam esse pecuniam, sicut pestem, uti ei vere est: nec eam esse attingendam nisi sub modis cautelisque per Regulam et Pontifices Romanos jam dictos præscriptis. Cum forte illum Religiosus quidam adeo sancte vivere observasset, accessit ad eum interrogans; Frater, quid agam, ut salver? Cui ille respondit: Non aliud, Frater, quam serva Regulam, idque ad litteram; itaque vive securus de cœlo obtinendo. Alius Religiosus sæpe rogabat Paschalem, ut ipsum Deo commendaret; ille vero positis continuo humi genibus, dicebat, Domine, da gratiam Fr. Petro (sic enim vocabatur) ut servet Regulam; nec unquam mutavit hanc phrasim, quotiescumque ab hoc interpellabatur.

et regularum observantiam:

C

quod ipse solicite præstat.

109 Non solum autem habebat semper penes se Regulam in libello descriptam, cum omnibus interpretationibus, expositionibus, et modificationibus summorum Pontificum atque Doctorum; tam accurato studio eam perlegens atque considerans, ut præ multis litteratis eam calleret et intelligeret: sed etiam redigebat in praxim, tam quoad præcepta quam quoad consilia; mireque gaudebat, si videret Fratres circa Regulam solicitos, et quæstionem super ea moventes: me quoque induxit, ut eam transcriberem cum expositionibus, quas habebat in suo libro. Imprimis autem optabat eam custodiri quoad paupertatem, tam dilectam Christo, et a S. Francisco tam commendatam; multumque delectabatur observantia, quam videbat in nostra discalceatione vigere. Itaque licet videret multos ex sancto quodam zelo transire ad Capucinos, qui Barcinonæ et alibi in Catalonia maximi vulgo fiebant, eo quod apud ipsos crederetur perfectius Regula observari; ipse tamen quietus semper mansit in provincia, ad quam eum Deus vocaverat, numquam aut opere aut verbo ostendens ullum desiderium Capucinorum. Certum tamen est ipsum adeo fuisse perfectionis amantem, ut si credidisset ibi commodius eam se assecuturum, medium ejusmodi continuo fuisset amplexus. Verum probe intelligebat, quod eadem utrobique res esset (sicut etiam experti sunt varii, qui ab illis reversi in Provinciam, in se comperisse affirmabant) ideoque nolebat hanc dimittere, neque pro extruendo altari uno destruere aliud. Et vero eadem apud nos et illos vivendi est ratio, neque in ullo puncto substantiali diversa; etsi forte differentia sit aliqua in forma exteriori, et ordinationibus quibusdam hic aut illic magis vel minus rigidis; adeo ut qui apud nos non erit perfectus filius S. Francisci, nec erit in alia parte Franciscanæ Religionis: quod vicissim de Patrum Capucinorum congregatione dictum velim, propter exactam, quæ inter eos viget Regulæ nostræ Evangelicæ observantiam: ut utrimque Religiosi quieti vivamus et gratias agamus Domino, qui pro sua bonitate infinita nos vocavit, ut sine æmulationibus et contentionibus serviamus ipsi, tamquam fratres et filii ejusdem sanctissimi patris et perfectissimæ matris. D EX HISP. XIMENII. E

CAPUT XI.

Reliqua Fr. Paschalis vita et felix obitus.

CAP. XLI.

Vexatur a dæmonibus,

Fieri nequit ut aliquis sit verus Dei servus, quin dæmonem patiatur inimicum, tantoque ferociorem et importunum magis, quanto ferventius studioque majori incumbit in ejus gloriam promovendam in seipso et aliis. Ergo neque die neque nocte cessabant nefarii Paschalem oppugnare: nocte tamen durior plerumque erat conflictus. Ordinarie enim tunc audiebant Religiosi, cellæ ejus vicini, magnos in ea fragores ac strepitus, et quandoque tantos, ut universa subverti videretur. Audiebatur non raro etiam ipse, grandem edere clamorem: ad quem accurrentibus Fratribus, et, quid ei accidisset, requirentibus, excusabat molestiam aliquam vel somnium esse, ipsisque agebat gratias pro benevolo succursu. Fratres nihilominus haud dubitabant, quin luctæ istæ essent cum dæmonibus: harum enim indicia in ipsius corpore dabant mane livores et cicatrices a plagis relictæ. Accidit aliquando Valentiæ, ut ad eum sic noctu exclamantem accurrenti Fr. Josepho de Cardenete, et interroganti, quid rei esset, responderit; O Frater, si videres equitatum discurrentem per claustrum, obstupesceres profecto. Alias quoque idem ei respondit: et reipsa quotquot hac de re testantur Religiosi, asserunt, tantum subinde in cella ejus solitum audiri tumultum, ac si integræ legiones equitum per ipsam discurrerent. F

qui diversa forma apparent.

111 Quales tamen eæ pugnæ fuerint numquam ex ore ejus sciri potuit; solum aliquando dixit Fr. Jacobo Morales, amico et Confessario suo, conflictus grandiores esse cum meditabatur aliquid de passione Christi, cujus Cruce mediante semper victor remanebat. Fr. Petro de Aranda similiter fassus quadam vice est, quod aliquando Valentiæ ægro, apparuerit dæmon in forma Christi Crucifixi, multo sanguine perfusi: sed agnitum a se, illustrante intus Deo, fuisse lupum sub ovina pelle, et qua merebatur ratione exceptum. Alias cum Fr. Christophoro Claver visitans viduam Almericam, cum co-

EX HISP. XIMENII.

A ram ea sermo incidisset de somniis, terriculamentis et visionibus diabolicis; dixit, nihil istorum esse metuendum; se quidem timere nihil, quamvis in Loritensi conventu multo cum strepitu sæpe conati sint dæmones eum terrere; specialiter quando sub forma Crucifixi per cellæ fenestram ingressus sathanas, egressus est per portam. Idem se vidisse etiam fassus est, cum quodam die inter Fratres Valentiæ de isto argumento sermo agitaretur. Dicebat etiam se eumdem vidisse aliquando cum tæda accensa in manibus discurrentem, veluti omnia incensurum: non tamen se ausum fuisse clamare, ne Fratres hora tam intempestiva excitaret. Quæ omnia non tam admirabamur ab eo visa, quam præter consuetudinem ejus manifestata, volente id scilicet Deo ad instructionem nostram.

CAP. XLII. *Quos inhabitaverit Conventus.*

112 Talibus autem pugnis atque victoriis, nec non illustribus suarum virtutum exemplis decoravit Sanctus omnes, in quibus aliquando hospes egit, Conventus; id est, plerosque hujus Provinciæ: feliciores tamen fuerunt illi, qui inquilinum habuerunt. Imprimis Conventus S. Joannis Baptistæ Valentiæ, ubi annis multis portarium et refectorianum B egit: uti et in Conventibus S. Onuphrii de Xativa, et S. Josephi de Elche. Plurimum autem temporis vixit Sanctus in Conventu Loritensi, ubi et habitum sumpsit, et per solennem Professionem Ordini est inseparabiliter adjunctus. Hinc ille excurrebat ad vicina oppida Aspes, Agostes, Eldæ, Noveldæ, imo et Alicantes, ad eleemosynam de more petendam; et suo proximos ædificabat exemplo. Jumillæ etiam commoratus est Sanctus in illo solitario conventu S. Annæ de Monte. Almansæ ad septem annos habitavit, ubi ego eum multis diebus magistrum habui: ibi vidi ejus mortificationes, abstinentias, disciplinas, jejunia, atque alia opera cum magno Spiritus fervore facta, dum esset hortulanus, coquus, refectorianus, et portarius; solebatque dicere, tam diu ibi se hæsisse, ut juste expelli jam posset. Ayoræ quoque, ubi hæc nunc scribo, in conventu S. Antonii Patavini aliquoties fuit; sed dumtaxat hospes. Ast Villenæ in conventu S. Annæ fixa et diuturnior ei commoratio fuit; cum egregiis duobus ac veris S. Francisci filiis Fr. Alfonso Rodriguez Guardiano et Fr. Francisco de Bayona.

A sancta femina judicatur Sanctus.

113 Inter spirituales personas civitatis istius, erat mulier conjugio alligata, quam viri Religiosi ac Principes multi faciebant magni, propter humili- C tatem simplicitatemque ejus et frequentissimas ecstases, Hieronyma Lopez appellata. Hæc viro gravi ac religioso hujus Provinciæ retulit, quod, ex quo Fr. Paschalem nosse cœpit, pro singulari Dei servo eum habuit, propter multa et evidentia indicia sanctitatis: quorum specialiter unum erat, quod eum etiam eminus videns, sentiebat continuo in corde suo motum singularem spiritualis lætitiæ: eo quod sibi videretur conspicere animam mundam, speciosam, atque amicam Dei. Quoties autem eum intuebatur (ut fere solebat) cum attentione animi majori, quam passim objecta intueri solemus; toties offerebatur ei intra atque extra ipsum lux quædam jucunda et consolativa, qua totus circumfluus ac circumsplendens, intus etiam illuminatus videbatur. Eidem mulieri contigit aliquando, ut gravi febre cum intenso capitis dolore torqueretur; quo tamen non obstante vim sibi intulit, atque a domo sua ad S. Annæ ecclesiam venit, coram sanctissimo Sacramento se commendatura Deo. Venienti autem ad portam et campanulam pulsanti occurrens Paschalis tunc portarius, prior dixit: Quomodo huc venis, Soror, vultum adeo inflammatum habens? videris mihi non bene valere. Cui illa cum se dixisset venire febricitantem et caput dolentem; ipse soluto et hilari risu capiti ac fronti ejus manum imponens; D Vade, inquit, cito Dominus sanam te faciet. Dictum, factum. Expedivit se illa a servo Dei: et ecclesiam intrans, cujus ostium proximum erat ostio conventus, omni malo liberam sese sensit, et sanitatem tactui illius sanctæ manum acceptam retulit.

quam et febri liberat.

Situs villæregalis.

114 Ultimus quem incoluit conventus, Villa-regalensis fuit, quo eum altera eaque postrema vice adduxi Xativa, ubi ægrotantem inveniebam, illic dicturus per Quadragesimam, unde etiam post aliquot annos in cœlum transiit. Sita est Villa-regalis in fertili planitie Burrianæ, octo leucis Valentia distans Barcinonem euntibus: cujus forma ac situs spectabilis est, eo quod structa in quadrum, longitudine majore quam latitudine, in medio platea dividatur, ducta a porta in portam, quam alia rursus in medio transversim scindens, sic crucem constituit, ut ex ejus puncto medio in quatuor oppidi portas prospectus pateat. Minores autem hinc inde plateæ duæ, totidem minoribus plateis utrimque transversim ductis quadrifariam sectæ efficiunt, ut una cum majoribus plateis concurrentes faciant cruces novem: muros autem ornant justæ altitudinis turres, quatuorque ad angulos propugnacula excur- E rentia ad portarum custodiam. Hanc loco formam dedit conditor suus invictissimus Rex Jacobus primus subacta Valentia, et condito palatio ornavit filius ejus Petrus, quem hic natum credunt multi, eoque trahunt hortum extra urbis muros dictum Infantium. Alterum ejus latus cingit mare, alterum e propinquo cingit Millas fluvius: qua autem parte Valentiam respicit, in suburbio Conventus Carmelitarum spectatur: ex altera Barcelonam versus, conventus noster S. Mariæ a Rosario dictæ, ubi morantur Franciscani Discalceati, Provinciæ S. Joannis Baptistæ.

CAP. XLIII *Obitus sui tempus præscit;*

115 In hoc conventu habitanti Paschali non solum felix sua mors obtigit, sed etiam divinitus creditur revelata. Ut enim taceam extraordinariam illam vultus hilaritatem et sub Missa risum fere continuum ante mortem, de quo supra; deposuit Fr. Alphonsus Camacho, quod Sanctus paucis priusquam infirmaretur diebus eum rogarit sibi ut pedes aqua calida lavaret. Miratus ille petitionem tam insolitæ rei, nam nec ab itinere rediens permittebat, ut quisquam sibi pedes lavaret; prompte paruit. Lavanti autem Sanctus dixit: Fieri potest ut ægrotem, mihique Oleum sacrum sit ministrandum, quo casu expedit pedes habere mundos. Proximo F vero Dominico die decubuit æger; et postea extrema Unctio ministrata ei est. Ipso quoque Dominico, paucis antequam decumberet horis, egressus ad eleemosynam corrogandam, accessit ad singulas suorum devotorum ædes, omnes visitans magna cum caritate: tantum in una earum cuidam infirmæ dixit, ut præpararet se quia ambo ingressuri erant magnum iter: et ambo eadem hebdomade obierunt. Denique, ut in processu historiæ videbitur, diem et horam exitus sui distincte prædixit.

ægrotat.

116 Sanus fuerat toto Dominico illo die: sub noctem vero sensit calentem febrim cum lateris dolore: quem tamen dissimulavit, usque dum proximo Lunæ die illuscente, Religiosus quidam, videns cunctari Sanctum, nec aperiri ecclesiam, venit ad cellam ejus et dixit: Veni, Frater, ecclesiam aperi, quia jam tempus est. Cui ille; Has, inquit claves accipe, Frater, et ecclesiam aperi: non possum ipse, quia infirmus sum. Accurrit ad Guardianum Frater, eique rem indicat. Guardianus medicum accersiri jubet, qui curationem a sanguinis missione exorsus, mandavit culcitram ægro et lodices sterni: quod licet recusaret Paschalis, permittere tamen propter obedientiam debuit, quin et indusium lineum

A neum induere; ita tamen ut dilectus sibi habitus, ab oculis ejus non auferretur. Crescebat interim violentia mali, cujus tamen indicium nullum dabant gemitus, querelæ, suspiria, ac ne motus quidem ex una in alteram partem; quamvis angustias tantas pateretur, ut non solum vox, sed etiam respiratio quandoque interclusa videretur. Numquam ille solatium aliquod, sicut ægri passim, numquam cibum aut potum petiit, præterquam postrema nocte, ut in agoniam robustior descenderet. Solum ergo deficere Sanctum notabiliter ex pulsu arteriæ et ipsius corporis debilitate, medico supra modum admirante, quod cruciabiles istas lateris affecti puncturas non saltem motu corporis proderet. Tantumque aberat a quærendo solatia, ut aquam subinde ad refrigerium offerentibus diceret, necessariam haud esse.

117 Aderat eo loci Definitor Provinciæ Fr. Didacus Castellon, qui et amicus Sancti familiaris et Guardianus aliquando fuerat. Hic discessurus Valentiam, ubi morabatur, cupiebat primum certificari utrum ex ea infirmitate moriturus esset Sanctus; tali casu mansurus ibi, ad mortem et sepulturam ejus spectandam. Id ipsum ergo sine ambagibus ex illo quæsivit: et Sanctus consueta sibi simplicitate respondit, quod non ante Sabbatum: idque ipsum postea pluries respondit, diem tamen et horam discrete reticens. Sed et in hoc ut sui oblivisceretur aliquando, voluit Deus: cum enim Fr. Alfonsus Camacho, infirmarii tunc munere fungens, dixisset; Admone me, Frater, qua hora moriturus es, ut habitum tibi tuum reddam in quo expires; Sanctus, cum id se facturum promisisset, quamvis et Veneris et Sabbati dies jam transiissent, habitum tamen non petebat: illucescente autem Dominico quo obiit, magna cum instantia eum petiit ab iis qui aderant Religiosis. His vero sese subducentibus, ne eo motu mortem ei accelerarent inter manus suas; ipse una ante illam hora surrexit de strato, solusque se vestire cœpit. Superveniens autem infirmarius juvit eum, et intellexit hanc esse horam, quam eo signo indicandam promiserat. Notabile porro est, quod cum die quadam indicasset medicus, morbum esse letalem et videri ultimum fore; ipseque responderet, nullum sibi lætius posse accidere nuntium, qui multis annis eum concupiscenter optaret; Sed de die, inquit, mortis quid videtur? quando is erit? Respondit medicus; verosimile sibi ex morbi processu videri, quod die Veneris: cui Sanctus; Non, inquit, ante Sabbatum aut ultra, quando Deus voluerit. Hæc tam prudens et circumspecta responsio Definitori, qui valde premebatur, persuasit fieri posse ut longiori adhuc tempore vita Sancto protraheretur, ipseque interim sua Valentiæ negotia expediisset; itaque abiturum se dixit. Quo intellecto; Ne eas, inquit Paschalis; nec enim poteris. Manebat tamen ille constans in proposito discedendi, et ibat; cum tanta ei tibiæ unius contractio omniumque membrorum convulsio advenit, ut in proxima cella decumbere coactus sit, jam se mori ratus: unde inter manus Religiosorum revectus ad cellam propriam, tota ea nocte stupefactis sensibus quasi letargicus mansit, sicut tempore catarrhi generalis: mane autem alleviatus, intellexit Dei voluntatem esse ut maneret, sanctique viri exitum felicem præsens videret.

Prædicit diem mortis,

B

C

et impediendum abitum Definitoris.

118 Crescebant dolores et decrescebant vires Sancto: ergo extrema sibi dari Sacramenta petiit, et singulari cum devotione suscepit. Tum sepulturam corpori suo petiit, et accersito Guardiano tradidit ei diversarum Indulgentiarum grana benedicta, quæ habebat veteri involuta panniculo, petentibus distribuenda, et dixit: Quia brevi non erit tempus, Frater, quo declarare tibi possim horum granorum Indulgentias, volo eas manifestare Caritati tuæ. Quibus sigillatim explicatis, etiam tradidit ei precatoria sua serta Rosario juncta dicens: Hoc Trinitatis est, istud Adriani, aliud vero Generalis etc. Eodem tempore veniebant ad eum plurimi ex urbe primarii, qui valedicentes, benedici sibi ab eo petebant: quod citra excusationem devote largiterque faciebat, commendando enixe eis servitium Dei et curam pauperum. Optabat tamen esse solus, et hoc ipsum sæpe inculcaverat sanus: sed non potuit ita omnibus se excusare, præsertim Fratribus extremum videre et alloqui tam dilectum Fratrem cupientibus: qui licet ægre vocem formaret, dicebat tamen singulis aliquid quod eis magis necessarium erat. Cuidam ergo enixius postulanti consilium aliquod ad salutem obtinendam: Vellem, inquit, Frater, prolixius tibi loqui possem: in summa dico; Cave arctiores cum mulieribus amicitias jungere, et serva ad litteram S. P. Francisci Regulam: hoc faciens sine dubio salvaberis.

Disponit se ad mortem,

D

EX HISP. XIMENII.

119 Tandem Dominica Pentecostes illuxit, cum habitum petiit sumpsitque ut dictum est: in lectum autem reclinatus quæsivit identidem a quodam Religioso, num datum esset signum campanæ ad Missam majorem: quo denique respondente datum esse, magna cum lætitia videbatur eam vocem excipere, tamquam certum transitus sui felicis indicium: totusque in Crucifixi cujusdam imagine defixus, instanter petiit, ut se humi sternerent, cupiens scilicet eodem, quo S. Franciscus, modo expirare: sed hoc ei concessum non est. Tenens ergo Rosarium manibus innexum, subito cœpit alta voce clamare; Jesus, Jesus, seque signare, et adstantem Religiosum rogare, ut benedicta aqua conspargeret tum ipsum, tum cellam universam; eo ipso satis indicans, aliquid terrificum et malignum suis oculis objici. Denique intra decimam et undecimam horam, eodem momento quo sanctissimum Sacramentum elevabatur a Sacerdote solennem Missam celebrante; maxima cum quiete ac renidenti vultu, animum suo reddidit Creatori, die decima septima mensis Maji, anno Christi millesimo quingentesimo nonagesimo secundo cum annis ætatis suæ quinquagesimo secundo, cum annis viginti octo in Religione vixisset. Defuncti gloria mox revelata est duabus hujus provinciæ et regni personis, perquam celebribus opinione sanctitatis: quibus in diversa loca distractis monstravit Dominus animam Paschalis, instar Eliæ, curru igneo subvectam. Una earum (cujus, utpote viventis, reticetur nomen) Fr. Didaco Castellion in confessione dixit, quod hanc revelationem habuerit in campo: interrogata autem, corporaliterne an spiritualiter id vidisset; respondit; se quidem eam vidisse corporalibus oculis, cum autem hos clausisset experimenti causa, spiritualiter tamen eamdem visionem perseverasse. Alterius testimonium eo credibilius evadit, quod cum antea numquam Sanctum viderit, omnia tamen vultus in ea visione a se conspecti corporisque lineamenta perfectissime descripserit: neque admiratione caret, quod utraque ad eumdem Confessarium ex diversis locis advenerit, eamdem visionem revelatura.

E

quam obit 17 Maji 1592.

F

Anima videtur curru igneo in cœlum vehi.

CAPUT XII.

Miracula triduo Pentecostali ad sancti corporis præsentiam facta.

Remansit corpus Sancti cum dolore et vultu tam vivido ac formoso, ut dormientis potius quam vita functi videretur: ut autem is, in quo vixerat et obierat habitus pro Reliquiis servari posset, aliam ei vestem induxere Fratres: quorum unus considerans cadaver

CAP. XLIV

Concursus ad cadaver et veneratio:

EX HISP. XIMENII.

A cadaver illud non esse fœdum aut rigidum, ut passim alia, sed carne tota mundum, molle, tractabile, et per omnes articulos flexile, continere se non potuit, quin manum ejus deosculans, se projiceret in genua, amanter exclamans : Nihil minus, quam nunc video, de te mihi promittebant, o Sancte : nunc pro me Deum ora. Audita deinde in populo mors universos excivit, quorum alii pauperem ejus cellam, in qua, præter chartaceam unam imaginem detritosque panniculos et quasdam resartas soleas, nihil erat, diripere; alii fasciolas obligatæ post sanguinis minutionem venæ, emplastraque et similes vilissimas reculas inter se partiri ; alii satagebant ipsum sanctum corpus videre, admirari, venerari : quibus ut fieri posset satis, toto Pentecostali triduo relictum ipsum in ecclesia est, atque ultima demum vespera sepultum : interim haud pauca contigerunt, ad posteritatis memoriam omnino transmittenda.

Ejus qualitates.

121 Primum, quod non modo remansit corpus, quale supra dixi, vividum et flexile : sed etiam capite, collo, fronte sudorem mittebat instar viventis : qui sudor, licet admotis linteis identidem abstergeretur, manare tamen non cessabat. Oculi quoque B integri, recti ac vivi, si palpebras attollebat aliquis, fixe videbantur intueri. Hic fiebat, ut eo spectaculo satiari neutiquam populus posset ; quidam etiam sæpius ad id ipsum reverterentur, quasi prius, quam domum attingerent suam, retracti occulto impulsu ad ecclesiam : quidam etiam continuo ibat redibatque, velut avelli inde nequiret : omnes denique aut manus osculari, aut rosariis attingere, aut aliquid ex habitu decerpere conabantur. Sed et foras rem fama vulgante, idem ardor animorum communicatus, multos ex vicinis oppidis villisque attraxit : eratque prorsus volupe intueri turbas instar militarium legionum intra circaque conventum dispositas, per campum arboribus consitum, ut per vices sibi invicem ordinate succedere, atque ad sacri corporis aspectum possent pervenire. Neque defuit patrandis miraculis Deus, ad ejusmodi fervorem magis magisque accendendum.

Sanantur clauditas ad osculum manus,

122 Principium illis datum in extero quodam Castellionensi, Baptista Cebollin, qui ecclesiam ingressus claudicans ac furcilla nixus, post manus sanctæ osculum, rectus egressus est. Considerabant eum præsentes omnes dum ibat ad feretrum, imprimis mulier quædam, Aymerica nomine, Fratrum soror atque devota ; atque, ut ipsa post retulit, dicebat intra se : Si Deus in hoc homine dignaretur C miraculum operari, propter merita servi sui, grande id omnibus foret solatium. Sub hæc penetravit se claudus usque ad corpus; sed quia debilitatus erat, non nisi cum difficultate atque paulatim inclinare se potuit ad manum osculandam. Hoc autem facto viderunt omnes sine difficultate erigentem se : qui præ magnitudine gaudii, oblitus baculi, cœpit quaquaversum discurrere instar capreæ, claris vocibus factum in se miraculum publicans simul et Paschalis sanctitatem. Deinde egressus ab ecclesia, et quaquaversum procurrens, vulgabat eadem per oppida Almazotæ et Castellionis ; eaque tam certa relatione plurimis causa fuit huc veniendi. In his Villa-regalensis mulier, Isabella Cano. Huic cadenti humerus pugnusque ita dislocati erant a sesquianno, ut brachio illo nec uti posset, nec ipsum sublevare, nisi alterius brachii auxilio : quare etiam non poterat ipsa suas per se vestes, induere, sed ab aliis mulieribus adjuvanda tactum etiam earum reformidabat. Frustra eam curare tentaverant medici atque chirurgi : sed remedium nunc offerri divinum audiens, prompte accurrit ; promptiusque ad feretri contactum sanata, seipsam omnesque adstantes gaudio et admiratione complevit.

distortus humerus ad tactum feretri:

123 Ursula Mascarell tibias et coxendices habebat fœde exulceratas, neque præ dolore poterat vel ambulare, vel operis quidpiam domi facere. Huic cum Domina sua Catharina Cerralta persuasisset, ut cum fide ad sacrum corpus iret, mananteque inde humore plagas suas perungeret; paruit puella, et licet ægerrime, executa datum sibi consilium, ut domum rediit, sanam sese ex toto mirata exhibuit Dominæ, nullo vel levissimo tam horribilium plagarum vestigio apparente. Ejusdem domus pater-familias Arcis Lanzola dictus, inveteratum ab annis viginti tumorem in collo ferens, eidem applicuit manum Sancti : et detumescere paulatim collum sensit, donec totus tumor evanuit. Cæciliæ Miro, post varia accidentia, tumida remanserat manuum una : quam cum aperuisset chirurgus rursusque clausisset; cœpit in illa ad omnia inutili intolerabiles sentire cruciatus. His autem diu toleratis, cum obiise Sanctum audisset, secuta est ceteros : manusque deosculata, suam ipsa læsam perunxit sudore ex vultu manante; atque ex eo tempore melius habere incipiens, paulatim plenam assecuta est sanitatem.

D CAP. XLV *tibiæ exulceratæ ;* *inveteratus tumor in collo,* *et in manu ;*

124 Ursula Vicente, annorum octodecim puella, filia Mathiæ Vicente, civis Castellioni dela Plana, periculosa detinebatur infirmitate. Etenim brachiis ac tibiis debili intumuerat unum genu instar mediocris ollæ, sic ut chirurgi judicarent duabus vel tribus partibus aperiendum : sed et tibiam istam habebat altera breviorem. His omnibus malis pejus aliud accedebat, quod in ore sub finem palati apertum transitum dabat ossiculis narium ea via sese ejicientibus, magno cum miseræ puellæ incommodo : nisi enim illud gossipio obturaretur, non poterat quidquam manducare aut bibere quod non per nares egrederetur. Denique gulam constringens tumor quidam arctabat adeo, ut loqui volentem ægre intelligerent, qui proxime adstabant. Hoc in statu fuit biennio integro, nullum tot malis remedium invenientibus chirurgis medicisque, donec ad aures ejus allatæ sunt voces claudi, factum in se miraculum nec volentis nec valentis tacere. Tunc ipsa ad conventus Villa-regalensis ecclesiam deferri se petiit, et sudore manante ab ejus facie inungens suam, multum sese ad sanitatem proficere sensit : eamque ut integram daret Sanctus orans, facta est voti compos : et quæ biennio integro fuerat monstro similior quam mulieri, prius quam de ecclesia egrederetur tota apparuit alia, ac domum rediit ante noctem F perfecte loquens, et clausam palati rupturam ostentans. Jacobus Masquesa Villa-regalensis habebat domi cognominem sibi filium quinquennem, cui jam ab anno per umbilicum prodibant intestina, quibus continendis opus erat emplastro picato ad ventrem applicito : cujus tanta vis fuit, ut inflammatus umbilicus abscessum fecerit, erumpente per plagam pure tam copioso, ut illius procidentia molestius multo hoc accidens esset. Intelligens ergo pueri nutrix Hieronyma Jorda, quam parabilis in conventu Discalceatorum S. Francisci medicina inveniretur, illuc detulit parvulum; et prædicto liquori suam ipsa tingens manum, membra pueri male affecta attigit : qui non quidem in vestigio sanatus fuit, sed intra paucos abinde dies, nulla alia medicina adhibita.

E CAP. XLVI. *item puella variis malis biennio affecta,* *intestina erumpentia ;*

125 Balthasari Rubert quovis vere tam copiosus ad oculos subibat sanguis, ut pluribus deinde mensibus maneret brevi ac debili visu, magna cum molestia sua : cui finem invenit, mox atque defuncti manum oculis suis imposuit, nihil tale deinceps passus. Eodem tempore illuc attulit Damiana Anno Josepham Ferrandiz bimulam, filiolam Petri Ferrandiz et Ursulæ Aguilar : cui toto uno anno tam male affectus fuerat oculorum unus, ut clausum eum

CAP. XLVII *defectus oculorum ;*

A eum perpetuo teneret, semper plorans neque luminis quidquam ferens, quod non apposita manu conaretur excludere. Adhibiti chirurgi setaceum ei funem per collum trajecerant, malumque non levarant sed auxerant. Feliciorem ergo alium medicum ei quærens Damiana, parvulæ miserta, fecit ut manus Sancti oscularetur, fide propria supplens id cujus illa non erat per ætatem capax : et parvula mox oculum prorsus sanum aperuit. Gratiæ Moreno, uxori Petri Costa Villa regalensis, sub oculo sinistro apostema natum erat instar ovi columbini, introrsum radices jaciens, aforis autem fœdum in modum patens, tanto cum cruciatu, ut dictum oculum crepaturum vel e capite prorupturum crederet, ad omne interim opus inutilis per annos quinque, et grandes sæpe ejulatus emittens. Hic oblatam sibi in morte Sancti occasionem minime negligend a mratus, post osculum manui fixum, ejus flexibilitatem demiratus, super vultum suum duxit, eoque attactu omne malum detersit, sola cicatrice relicta magnitudine medii Regalis. Venit etiam a Castellione puella, Sperantia Vaciana, filia Petri Vaciani, cui rheuma tam copiosum distillare cœperat per unum B oculorum, ut non modo molestiam magnam animo, sed et vultui fœditatem faceret : quæ coram sancto corpore divinum implorans auxilium, mox sana fuit suppresso rheumate, et plena gaudio domum rediit.

fœdum apostema; rheuma molestum:

CAP. XLVIII

hernia diuturna; item alia 40 annorum;

126 Christophorus Lobet, civis Valentinus, ab annis triginta laborans incurabili hernia, statim ut accessit ad osculandas Sancti manus, in affecta parte corporis pungentem quemdam dolorem sensisse se ait, acsi ab aliquo ad curationem contrectaretur, perfecte autem sanatum fuisse testatæ sunt personæ fide dignæ complures. Villa-regalensis quidam, dictus Joannes Simon Montero dixit, quod sibi annum agenti ætatis circiter duodecimum, calcem impingens in ventrem bestia, inguen dexterum tam graviter ruperit, ut per annos quadraginta quibus sic læsus fuit, nihil facere corporalis laboris potuerit, quin ad duorum pugnorum crassitiem erumperent intestina, cum cruciatu tanto, ut subinde morti se proximum crederet. Mortuo autem Sancto cum ante ejus corpus orans perseveraret, secunda Pentecostalis festivitatis nocte omnino sanum se esse reperit; ideoque sub quartam matutinam gaudio plenus ad conventum venit acturus gratias, et favorem sibi factum cunctis enuntiaturus. Exinde autem adhuc C sanus vivit, et ad quemcumque laborem valens ; nec satis mirari potest quod post herniam annis quadraginta toleratam, ea nunc faciat senex, quæ meminit juvenem non potuisse.

CAP. XLIX

debilitas gravis et asthma; affectum brachium;

127 Maximam autem mihi aliisque admirationem attulit Maria Claveria quinquagenaria, uxor Hieronymi Nicto, tota consumpta, emaciata ac debilis, ita ut nec ad viginti passus procedere domi suæ posset absque defatigatione maxima. Morabatur illa Borrianæ, unde quia non tam prompte quam optabat apparabatur vehiculum, quo huc adduceretur. Cœpit ipsa pedes inire viam, non jam humeris brachiisve nixa alienis, sed octenni dumtaxat puerulo comitata. Totum autem iter absque ulla fatigatione absolvit, quemadmodum postea medico narravit; et pedes Sancti deosculans, mirabilem intra se revolutionem sensit, cum qua ab asthmate aliisque accidentibus curata toti viciniæ et plebi illi pro miraculo fuit, imo ipsi etiam, qui curandam susceperat, Doctori medico Collado, qui ipsum ut tale, solebat referre tanto majori fide dignus, quantum naturalium effectuum a supernalibus secernendorum experientior. Alia mulier Catharina Castellena indidem venire properabat, ut prius quam sepeliretur sanctum corpus, admovere eidem posset brachium tam male affectum, ut nec nere nec aliud quidquam posset facere, quin ipsi in- D flaretur manus cum dolore diu etiam post perseverante, adeo ut opus esset etiam dormituræ, tempore quantumvis frigido brachium ipsum ex altero habere pendulum, ne quid eo contingeret. Sed Villam regalem perveniens, coram sancto corpore plenam subito sanitatem recepit.

EX HISP. XIMENII

CAP. L

spina dorsi e lapsu fracta;

128 Almanzoræ erat Catharina Sala, uxor Joannis Vellvivre agricolæ, quæ ante quatuor aut quinque menses per maceriam quamdam, viginti circiter palmos altam, retrorsum lapsa supra truncas arbores, spinam dorsi circa os sacrum fregerat, eo cruciabilius quod utriusque rupturæ partes in modum crucis decussatæ sic erant, ut extrorsum prominentes corpus miseræ mulieris in globum convolvi facerent, et ipsa neque per se de terra assurgere, neque ab aliis sublata posset quoquam procedere, nisi admodum lente duabus subnixa fulcris; et tunc etiam humi cadebat, si vel minimum lapilli alicujus offendiculum occurreret, rursum alienas manus expectatura per quas sublevaretur. Hoc in statu inutilis ad omnia mansit quoad obiit Sanctus, cujus ut cœperunt audiri miracula, statim eo se portari voluit, certo confidens in E ejus meritis. Difficile erat ejusmodi corpus illuc perducere : ergo inventa hæc ratio est, ut equo clitellario adducto et utrimque supra clitellas sarmentitiis fascibus instrato; eam velut mortuum truncum imponerent sui : atque ita magna cum cautela eamdem observantes sustentantesque, ægre tandem ad portam Conventus Villa-regalensis pervenerunt : ubi ex equo deposita, suisque furcillis nixa, adjutaque ab aliis, intravit in ecclesiam ultima die Pentecostalis tridui. Intenti in eam erant omnium oculi, cupidi tam grande videre miraculum, illa autem Sancti manus millies milliesque deosculans, grandi interius gaudio se perfundi, et nescio quid etiam sublevationis in corpore sentire testabatur. Sed indicantibus Fratribus, quod vellent quietis aliquid capere; satellitium, quod compescendo populo advocatum erat, coegit omnes exire de ecclesia etiam Catharinam prædictam, frustra id multis deprecari conatam : exivit tamen multo expeditior quam venerat, furcilla unice sustentata gradiens. Post duas deinde horas aperta ecclesia, suum illa alacriter requisivit medicum ; sed non invenit ; corpus enim raptim sepultum fuerat sub concavitate cujusdam altaris. Nihilo tamen minus ante ipsum sepulcrum se conjecit in genua, totaque hora sic perstitit orans. Tum vero F facta est manus Domini super eam, contractaque ossa in suum se reduxerunt statum et in momento consolidata sunt; et ipsa erecto assistens corpore, adstantibus omnibus suoque in primis marito admirationi maximæ fuit : et quæ inter fasces sarmentorum media, velut unus eorum advecta fuerat; super equum suum commode vecta, excivit omnem oppidi sui populum, qui mane longe aliter egredientem viderant, solebantque incurvam per oppidum videre.

CAP. LI

digitus fissus et febris,

129 Erat in Villa-regali puella, filia Michaelis Gilabert, Helena nomine, annos nata viginti duos. Huic a sexennio vel decennio intumescens digitus per plures fissuras tam gravem emittebat purulentiam, ut nec ipsamet infirma fœtorem posset tolerare : quare frustra esse videns remedia omnia, optabat ut sibi digitus, tantæ fons molestiæ, præscinderetur. Interim miracula Sancti audivit ; et quia vi febrium affixa lecto progredi non potuit ad ecclesiam, ab ipso strato suo invocavit Paschalem, ex habitu ejus decerptam particulam digito infirmo superponens. Nec pluribus opus fuit : dimisit eam febris, fissuræ digiti coaluerunt, et intra paucos dies plena ei constitit valetudo. Similiter in lecto suo sanitatem iisdem diebus recepit Castellione Bernardus Bartol

quadragenarius

EX HISP. XIMENII. *item febris et letargus;*

A quadragenarius, continua febri letargoque laborans: huic jam deposito a medicis et loquendi facultate privato, pia quædam mulier linteolum attulit, quo manantem miraculose sudorem a vultu mortui absterserat: et mox atque eo caput decumbentis attigit, febri pulsa, rediit ægro loquela et sanitas. Joanna Domingo, uxor Silvestri Segarra Castellionensis, sexagenaria, fuerat quinquennio impedita sinistro crure, eo quod os sacrum cui utrimque committuntur ossa coxendicum (Pontem ideo vulgus appellat) ruptum ei erat, et os ipsius coxendicis sinistræ loco motum. Itaque non nisi super furcillas duas moliri gressum poterat, crus debile in aere sublatum portans; quamvis autem nulli diligentiæ parceret pro recuperanda salute, frustra tamen ea omnis fuit. Tandem animos addente fama miraculorum, jumento imponi atque a filio Villa regalem duci voluit; ubi propter confertæ multitudinis pressuram ægre adducta ad feretrum, post datum manui osculum, in genua se dimittere tentavit, id quod totis quinque annis facere nequiverat: tum perfectam sanitatem cum lacrymis postulans, grandem in affecta parte dolorem sensit: ipsumque os dislocatum non sine B fragore in suam se juncturam recepit, et quod fractum erat consolidatum est. Prius ergo quam ab ecclesia egrederetur, utrumque genu commode flexit ad agendas gratias: iter deinde ingressa ad reditum, de via visitavit quamdam suam vineam, totam eam pedibus obiens; et domum veniens maritum viciniamque omnem admiratione complevit.

crus claudum, et os sacrum ruptum;

CAP. LII

dolor pectoris,

130 Inter plurimos, qui linteola sua tingebant sudore a sancto corpore dimanante, fuit Isabella Joanna Gurrea, vidua Francisci Miravet, agricolæ Villa-regalensis: quæ a triennio gravi pectoris dolore oppressa, et ad omne opus inutilis, ac neque dormire nec comedere aut bibere libere valens propter cruciatus acerbitatem, quandoque etiam sublatis clamoribus conturbabat vicinos, recurrente ad tertium aut quartum quemque diem malo, aliquando etiam quotidiano: neque remedium ullum excogitare ei poterant medici, crebra sanguinis minutione et alvi purgatione nihil proficientes. Mox autem atque post osculum sanctæ manui datum, linteolum quod dixi admovit suo pectori, alleviatam se sentiens, publicavit miraculum in se factum. Eadem affirmat, quod Septembri sequenti acuto supra modum capitis dolore cruciata est, qui nullum requiei spatium relinquebat; cogebatque ad ejusmodi demonstrationes doloris summi, ut medici ex iis aliisque C accidentibus judicarent periculum esse epilepsiæ. Recordata igitur quam promptum alias experta esset remedium, ipsumque linteolum penes se esse, ipsum ut olim pectori, ita nunc capiti applicuit; ipsoque temporis puncto liberata, nihil tale hactenus passa est. Eodem tempore, quo ad corpus expositum stabat, filios suos ambos, quos domi habebat febribus prostratos, filium scilicet septennem Petrum et filiam decennem Franciscam, eidem sisti fecit Joannes Yvanhez Villa-regalensis: qui corporis contactu, nec non liquore inde manante, mox ambo convaluerunt, sic ut quos inter brachia adduxerat infirmos, sanos et pedibus suis ambulantes domum reduxerit.

et capitis;

febris duorum puerorum;

tibiarum vulnus;

131 Vincentia Periz, uxor Joannis Carceler, tibiarum unam habebat plaga tam grandi patentem ut manu expansa obtegi plaga ægre tota posset. Hæc tam parabilem apud Sanctum præstari medicinam videns, ejus manu ipsam plagam curavit tangendam: adhibitoque deinde frustillo habitus ejus, intra paucos dies consolidatam eam vidit, cui duorum annorum curatio ante id frustra adhibita fuerat. Filia Bernardi Oliver Villa-regalensis, nomine Magdalena, crurum unius inflationem adhibitis medicamentis percuratam credebat: sed rursus ei malum rediit multo quam ante vehementius, candorem carnis in livorem convertens tanto cum dolore, ut pedibus nequiret ultra consistere. Hæc ubi se maxima cum difficultate coram sancto corpore in genua posuit salutem postulatura, voti se compotem brevi sensit, et remisso tumore omni livoreque sublato, sana domum rediit, in eademque valetudine hactenus perseverat. Joanna Taudos, uxor Andreæ Gomez Villa regalensis, eodem tempore liberata fuit ab exundantia sanguinis in caput et collum, unde eidem magni excreverant tumores non sine febribus: quæ incommoda omnia cessaverunt, cum bis terve manus Sancti fuisset osculata. Joanna Pitarque, uxor Joannis Bathe Villa regalensis, incurabili narium infirmitate quinque annis laboraverat: qua similiter absoluta fuit, post manus pedesque Sancti pio osculo deveneratas. Similiter et Angela Bona, uxor Salvatoris Sola Villa-regalensis, eamdem infirmitatem plus quam ab anno patiens, naribus suis applicuit digitum unum Sancti, et mane altero experrecta, sanam se surgere mirata est.

D *crus male curatum.*

Aliæ infirmitates sanantur

CAPUT XIII. E

Miracula post sepulturam in Villa-regali patrata.

CAP. LIII

Corpus sepulturæ mandatur;

Crescebat in horas multitudo populi, ad venerandum sacrum corpus, et referenda sanitatum remedia concurrentis; et jam triduum erat, quod eorum inconditas voces tumultumque importunum sustinebant Fratres; quando eis denique visum est necessarium, illud sepelire sub concavo altaris collateralis, quod Conceptæ Virgini sacrum, præcipua in veneratione Sancto semper fuerat, ibidem solito flexis genibus orare. Ut autem id facere possent, auxilio brachii secularis adhibito, sub prætextu quietis capiendæ, seculares omnes, licet ægre, dimoverunt ab ecclesia: in qua jacebat sacrum istud pignus jam pœne nudum, divulso in particulas habitu, quatenus eo brachia atque crura tegebantur. Ipsum ergo sic ut erat imposuerunt capsæ, eique superinjecerunt vivæ calcis congruam quantitatem, ut consumptis cito carnibus haberi possent ossa munda et candida; utque sanctitatis opinioni apud rude vulgus nihil detraheret cadaveribus omnibus naturalis corruptio, et qui corruptionem consequitur fœtor putridus. Quo facto, clausoque firmiter altari, denuo aperuerunt Fratres ecclesiam: in quam plebs intromissa, sublatum ex oculis corpus tam ægre tulit, F ut vim adhibituri fuerint, confracturique altare prædictum, nisi satellitii præsentis metus eos compescuisset. Modestius denique ferre cœpit populus quod factum erat, ubi apparuit subducto ab oculis sancto corpore non cessare miracula, sed ex ipso sepulcro virtutes procedere. Atque utinam, prius quam ista fierent, accersitus alicunde fuisset pictor peritus, ad excipienda sancti vultus lineamenta! Nunc, quia aliud non licet, supplebo verbis, quod vivis coloribus melius factum fuisset.

calce sandapilæ injecta:

Formæ ejus delineatio.

133 Fuit Fr. Paschalis statura mediocri, optime conformato corpore, vultu non formoso quidem, sed gratioso, delectabili et amœno, rotunda fronte et utrimque versus tempora elevata, cum duabus aut tribus rugis nonnullaque calvitie. Oculi cærulei, parvi, profundi, alacritatem vivacitatemque sic præferebant, ut modestiæ honestatique congruæ decederet nihil. Palpebræ, rugosæ et nigris præcinctæ ciliis, oculorum exilitatem obscuro illo suo colore supplebant. Supercilia arcuata et minime subtilia; nasus altus, modicus, beneque formatus; os mediocre erat: sub hoc infraque sinistrum labium apparebat

A rebat cicatrix, quæ ipsum aliquantulum contrahens nullam addebat vultui deformitatem, sed efficiebat, ut semper videretur subridere. Mediocritatem non excedebant aures; genas honestus rubor, vultum reliquum color fuscus quidem, sed tamen perquam vivus tingebat. Collum grande una alterave ruga contrahebat : barba non admodum densa canitiei aliquid habebat mixtum. Manus et pedes perquam bene proportionati callos grandes induerant : hi, quia iis semper nudis ambulabat, istæ ex multiplicis operis gravi assiduoque labore. Caro ei plena, sed exsucca; vires firmæ et sanitas integra, usque ad quinquennium vel sexennium vitæ ultimum. Quibus sic notatis fieri posse confido, ut ad primam occasionem pictoris periti faciamus imaginem proxime ad verum accedentem, concurrente instructione plurium, qui hominem novimus, ejusque imaginem vivam nobis habemus impressam; nec non ipsius, quamvis exucci, vultus præsentia : placuit enim Deo ipsum in carne servare toto hoc biennio, non obstante vivæ calcis infusione.

CAP. LIV.

Curantur guttur oppilatum;

134 Aderat sepulturæ Fr. Jacobus Morales, Confessarius ipsius Sancti : qui considerans quam libe- B ralis in concedenda petenti cuivis sanitate esset Paschalis, cum sextum jam mensem haberet guttur pectusque sic oppilatum gravi rheumate, ut ægre posset respirare; accessit ad corpus, et rescissam ex fune quo cingebatur particulam suspendit de collo, rogans Dominum sanitatem per intercessionem servi sui, eamque mox obtinuit. Quæ autem sepulturam secuta sunt miracula sigillatim referre omnia, laboris res plena tædiique foret. Itaque ex numero propemodum infinito seligam exempla paucula. Paucis post corporis depositionem diebus, Sperantiam Adelantado, uxorem Bartholomæi Mouliner Villa-regalensis, tam gravis occupavit pleuritis, ut veluti jam jam moritura valedixerit marito, inconsolabiter mœrenti, eique liberos suos commendarit. Tum allatus ei pulvillus est, super quem caput Santus reclinarat : qui applicitus lateri, unde præcipuus existebat dolor, eumdem repressit abegitque; ipsa Sperantia magnis vocibus clamante; Sancte mi Fr. Paschalis, adjuva me. Sed amoto mox pulvillo rediit dolor, donec ipsum resumens infirma, arctius quam ante applicuit lateri; neque prius dimisit, quam aliquot horarum experientia sibi certa videretur libertas sua. Mulieris quoque ejusdem maritus, febribus continuis vehementer laborans, octavum C post diem prædicti pulvilli recordatus, ipsum applicuit capiti suo, statimque levius habuit, atque intra paucos dies convaluit usque in præsens. Idem alia plura testatus est sibi collata beneficia esse, quorum unum fuit, quod cum calculo et suppressione urinæ cruciabiliter laboraret, atque insuper gravi hernia, quibus malis ad varias domus suæ necessitates curandas reddebatur inutilis, ad Sanctum se vertit, plenamque sanitatem petiit, quam et obtinuit.

pleuritis; febris; dysuria; hernia;

dolor capitis;

135 In ipso conventu Villa-regalensi gravibus febribus et dolore capitis infirmabatur Religiosorum quidam Fr. Joannes Sanchez de Arguelles : quem visitans medicus attenteque considerans, dixit Guardiano : Hic Frater admodum periculose ægrotat; quod si mortalis ei non sit, perquam diuturna erit infirmitas. Quo audito magna cum fiducia Frater ille se commendans Sancto, petiit aliquid reliquiarum ejus ad se ferri, et allatus est ei pileolus ipsius; quem capiti imponens, in horas, ut sibi videbatur, disrumpendo, sub mediam noctem liberum se reperit. Salvatori Sola Villa-regalensi obtigerat de spoliis viri sancti pellicula, qua uti solitus erat ad pedem lecti tempore infirmitatis. Cum ergo decimo post mortem ejusdem die se opprimi doleret gravi asthmate, cui toto sexennio obnoxius manserat, cum molestia fere continua; seque jam morti vicinum crederet, in eaque expectatione ipsi advigilarent mater, uxor, filiique; recordatus pelliculæ supradictæ adferri eam sibi fecit, allatamque imposuit brachiali reclinatorio sellæ, cui insidebat (nec enim aliter esse poterat) eidemque pectus suum applicuit inclinatus, aliquod extremæ illi angustiæ solatium quærens. Nec frustra : ipso enim momento sensit magnam totius corporis alterationem, quæ in extremis pedum digitis cœpta usque ad summum capitis verticem subivit : ipse autem mox sanus atque alacer de sella exilivit, obambulansque per cubiculum cœpit exclamare et dicere : Jesu bone, quid hoc est? O sancte Frater Paschalis! ecce jam sanus sum. Paulo post cubare in lecto volens, filiarum unam accersivit, ut sibi calceos detraheret : quod quia antea non fuisset ausus permittere, etiam tunc vereri cœpit, ne hoc motu renovaretur sibi dolor suus. Displicuit Deo tam pusilla fides. Rediit ergo idem dolor, licet mitior : cujus causam agnoscens et culpam fassus, denuo pelliculæ prædictæ incubuit; et statim indormiscens, post quatuor demum horas evigilavit absque ullo morbi prioris vestigio. Eadem pellicula contra infirmitates suas usi quam plurimi, cum eam redderent, etiam dicebant, speratum se ab E ea consecutos effectum.

D. EX HISP. XIMENII

asthma gravissimum;

136 Jacobus Avinniente Villa-regalensis juratus affirmavit, quod ab anno MDLXXXV colicos dolores pati gravissimos cœpit ex suppressione urinæ, quam identidem ei pariebat glareosæ materiæ calculorumque abundantia, subinde egeri solita, et aliquando etiam instrumentis ferreis elicita foras. Custodiebat ille solicite sese, omnibus medicorum præscriptis consiliisque obedientissimus; sed nullo effectu. Ergo fretus miraculis, quæ a Sancto in vivis agente patrata sciebat, et plura post mortem jam patrabantur, rogavit Religiosorum aliquem, ut de rebus beati Fratris quidpiam sibi concederet; obtinuitque par sandaliorum : in quibus præsentissimam se medicinam habere non ex vano arbitratus, a mense Majo anni MDXCII usque ad proximum Septembrem ea servavit, in extremæ scilicet necessitatis articulum; quamvis interea octono fere die quovis recurreret ei consuetum jam malum. Ipso vero Septembri mense, cum jam non amplius tolerabilis dolor videretur, sandalia prædicta parti affectæ applicuit, Sanctum invocans; et subito tam plene exauditum se miratus est, ut, cum antea non soleret se dolor nisi paulatim remittere, ventremque tumentem et stomachum subversum relinquere, tunc omnis in momento tem- F poris abscesserit, nullo sui vestigio relicto. Admirationem auxit, quod eodem instanti ejecerit calculum, cum tanta copia arenarum majorum atque minorum, ut si egressam simul urinam ab iis separares, unius ovi testam vix mediam impleres. Paucis exinde diebus iterum colicos dolores sensit, iterumque eodem remedio utens, et integram tandem a Sancto sanitatem postulans, ab ea hora usque hodie nullum deinceps incommodum passus, confidit porro tale quidpiam se numquam passurum.

dolor colicus, et calculus;

CAP. LV

pleuritis; hæmorrhois; hernia;

137 Jacobo Sahera, incolæ loci Usseras dicti, pleuritide laboranti, soror sua Ursula, quæ in Villa-regali marito juncta vivebat, particulam ex habitu Sancti misit : sequenti autem die is qui ante periclitabatur de vita, febri et dolore liberatum se sensit alteroque post die surrexit de lecto bene validus. Eadem mulier deposuit, quod quinque aut quatuor annis integris hæmorrhoidum molestias graves passa, subito ut se Sancto commendavit, sanitatem sit consecuta, et eamdem usque hodie servat. Eugenia Nicola, filia Salvatoris Sola Villa-regalensis, annum ac dimidium nata, post sextum a sua nativitate mensem rupta erat ex una parte, intestinis ad

quantitatem

A quantitatem ovi gallinacei protuberantibus. Pro hujus curatione consultus a patre chirurgus, in istiusmodi malis multum versatus, quia tam grandis et difficilis hernia erat, mercedem suam æstimavit ducatis viginti. Nimium hoc pretium esse curationis tam incertæ visum est patri; maluitque eam petere et sperare a Sancto : spes autem minime vana fuit, quia sequenti die sanatam parvulam mater invenit.

EX HISP. XIMENII. febris fatalis;

Cum vero post paucos dies eamdem puellam febris invasisset, tam valida ut de vita ejus actum omnes judicarent; accurrit ad sepulcrum Paschalis pater : neque diu ibi genuflexus oravit, quin stimulante interius cura cito surgeret domumque rediret : ubi fere ex toto sanam reperit, quam animam agere paulo ante viderat :-et secuta est brevi integerrima sanitas. Monserradæ Annon, uxori Jacobi Pasqual Villa-regalensis, molestissima per annos multos erat purgatio menstrua; neque profuerant remedia ad curationem adhibita : geminum ergo novemdium vovit ad Sancti sepulcrum, debitasque purgationes deinceps absque incommodis istis accidentibus habuit.

menstrua purgatio.

138 Cum octo annorum esset Claudia, filia Petri
B Serraltæ Villa-regalensis, et variolis simul ac pustulis pestilentibus laboraret, fuit deposita a medico, asserente, eam ipso vel postero die morituram : nam et oculos malum clausos tenebat jam dies quindecim, imo videndi quoque abstulerat facultatem, prout apparebat, quando pupillis jam fractis admovebatur lumen, aliaque sumebantur experimenta. Interim puella instanter petebat adferri sibi pileolum Sancti, asserens mox et visuram et convalituram se. Quod cum factum esset, et dictis fidem res ipsa fecisset; Numquid aiebam, inquit, recuperandum mihi visum et sanitatem, mox atque allatus mihique admotus esset pileolus iste? Ecce, video candelam accensam applicatamque ad ostium portæ. Rediit porro ex suo quodam prædio pater, et filiam jam clare omnia videntem intuitus, spem reliquæ convalescentiæ in Sancto posuit, qui eam intra dies aliquot paulatim donavit. Addit Isabella Palladeres, mater puellæ, miraculo jam dicto adjunctum fuisse beneficium grandius, quo curata et liberata est anima ejus ab odio quo Franciscanos Fratres prosequebatur, non alia ex causa quam quod eleemosynis ostiatim petitis viventes, neque post crebram acerbamque repulsam ad suas ædes accedere desistentes, ipsum imprimis Fr. Paschalem ferre non magis, quam Turcas posset : nunc vero sic iis afficitur, ut priorem de-
C testans duritiam, benignissime eos excipiat, nihil illis unquam negatura; imo etiam, si necessariis heredibus ipsam carere contingat, majorem substantiæ suæ partem legatura Fratribus; sicuti maximo cum affectu et verbis exquisitis deposuit.

Variolæ et pustulæ pestilentes, atque inde orta cæcitas curantur. hinc inimica Patribus reconciliatur

139 Francisca Montanhez, uxor Francisci Pitarch Villa regalensis, deposuit quod guttur sibi adeo intumuerit interius, ut deglutire omnino nihil præter modicum calidæ sorbitiunculæ posset, idque difficulter, quomodo et de peccatis confessa est. Decimo autem quinto infirmitatis die recordata Sancti, pileolum ejus sibi adferri petiit, allatumque imponens capiti, statim sopita est. Ipsa autem nocte crepuit apostema, mirabilem copiam purulenti humoris ejiciens; et paulatim convalescens, tertio vel quarto post die lectum dimisit bene sana. Pauli Batle Villaregalensis filiolus quadrimus, Antonius Joannes, dolebat auribus copiose humore manantibus, unde existentem cruciatum continuus pueri ejulatus indicabat. Cui compatiens mater sua, paucula ex habitu Sancti filamenta imposuit ægris auribus, eodemque puncto temporis stetit humor, et desiit dolere puer. Cum autem post paucos ab inde dies eidem puero vehemens urinæ suppressio obvenisset, quam absque incisione negabat curari posse medicus, eo quod D videretur grandior calculus transversim hærens obstruxisse meatum naturalem. Mater efficacem Sancti intercessionem jam experta, ad sepulcrum ejus accurrit, et genibus flexis postulavit filio sanitatem : quem deinde regressa monuit, ut etiam ipse sancto Fratri Paschali se commendaret, et frustillum ejus habitus puero imponens, expectabat quomodo noctem eam ageret. Egit autem quietissime dormiens, et mane experrectus nullo gemitu vel lamento testatus dolorem, matrem observantem movit, ut lectulum ejus inspiceret; invenitque citra ullius urinæ indicium jacentem sub puero calculum, piso grandiori æqualem. Hunc qui viderunt similia experti, atque ego imprimis, qui tunc in Villa-regali aderam, non potui dubitare, quin supra quadrimi pueri vires naturales esset tantæ quantitatis calculum ejicere : et interroganti mihi, quis eum sanavisset; incunctanter respondit; S. Fr. Paschalis. Quæ autem hæc omnia testificata est mulier de se ipsa dicit, quod aliquando graviter humero dolens, ita ut motum brachii impeditum haberet, manum ejus magna cum fide imposuit humero, dicens. Benedicte Fr. Paschalis, sana me : et sanata fuit ex ea hora.

Sanatur inflatum guttur; humor ex auribus manans; calculus; affectus humerus;

140 Prius autem quam ad alia transeo, lubet E explicare, quid mihi acciderit hanc historiam scribenti. Cum enim in hoc nimia contentione incumberem, studio absolvendi cito operis, hemicranii dolorem incurri, eumque tantum, ut remedia aliqua frustra expertus nullam quietis partem capere, aut in cella possem remanere, propter acerbos pungentesque cruciatus; sed media nocte hac illac discurrebam nunc sedens, nunc ambulans, aut etiam jacens, nusquam tamen solatium inveniens. Cum ergo cœpissem considerare, quod hujus mali causa alia esse non posset, quam excessus laboris in obsequio pio suscepti; accepi partem habitus quam servabam, et parti dolenti apposui dicens; Ut cognoscas, o Sancte, quod propter hunc cruciatum cessare nolim a prosecutione historiæ tuæ, etiam nunc volo ei intendere : atque hoc dicto arripui librum, et legere cœpi. Nec mora, eodem puncto temporis me corripuit somnus, cujus antea nec spes quidem minima videbatur : dormivique librum manibus tenens, sedensque in sella ad candelam ardentem. Mediam, ut mihi videtur, horam dormiveram, quando expergefactus sensi me liberum, præter istius morbi morem, nullo doloris vestigio remanente. Sed et Fr. Franciscum de Torres, quo amanuensi utor, secundo postquam hunc librum scribere cœperat die febris gravis corripuit; acceptum F autem pileolum Sancti capiti suo imposuit, et vespere quodam subito sanus fuit, cum nostra et medici admiratione maxima.

hemicranii dolor; gravis febris.

CAP. LVI

141 Joanna Costado, uxor Gasparis Miro agricolæ Villa regalensis, annos nata viginti, dixit, quod ab annis duobus collapsa ex maceria domus suæ lumbos fregerit, eoque fuerit impedita aliquid soliti operis facere, accedentibus præsertim cruciatibus diu noctuque non se remittentibus. Considerans autem quanta per S. Paschalem operaretur Deus, particulam habitus aliquam petiit a religiosorum quopiam, acceptamque applicuit parti offensæ : et eodem instanti tam libera fuit omni dolore, atque expedita ad opus quodlibet, ut casum læsionemque non incurrisse, sed somniasse sibi videretur. Similem particulam cum filio suo nunc bimulo Jacobo, paucis post nativitatem diebus rupto, applicuisset Hieronyma Gurrea, uxor Jacobi Perez Villa-regalensis, sanum eum habuit absque alia medicina vel curatione. Dixit etiam eadem, quod post istius pueri partum, abscessum sibi inter ubera subnatum lanceola aperuit chirurgus : cum autem supra vulnus positum

Fracti lumbi; hernia pueri; abscessus intra ubera natus,

A positum esset ceroma, quod fuerat lateri Sancti applicitum quando obiit; confidenti quod, qui filio invocatus succurrerat, etiam sibi adesset, consolidata fuit intra duos aut tres dies plaga, quasi numquam doluisset. Antonius Calceler, a molesto ad partes secretas tumore liberari cupiens, novemdium ad sepulturam faciendum suscepit; et nono die ad finem vergente, subito se sanatum est protestatus, nullam aliam medicinam experiendo.

tumor secretus,

142 Isabella Pallares Villa-regalensis, hemicranii doloribus ultra quatuor annos cruciata tam vehementer, ut quoties hoc ei malum recurrebat (recurrebat autem frequentissime) non posset vel unicam buccellam trajicere; nactaque pelliculam, qua usus fuerat Sanctus, et de qua supra etiam quædam miracula narravimus, ipsam capiti dolenti applicuit, intra mediam horam liberata fuit, et libera usque hodie perseverat. Hieronyma, filia Joannis Trullench Villa-regalensis, annorum duodecim, passa fuerat ante sesquiannum apostema sub oculo, unde continue manabat humor; et subeunte ad oculum eumdem sanguine, remansit ex eodem nubecula supra pupillam, quæ omnem istius oculi usum sustulit. Mox autem B atque ejus afflicta mater, Isabella Ametla nomine, defuncto pie commendavit filiam, stetit humor et disparuit nubecula; nullo adhibito remedio, præterquam oleo lampidis ante sepulcrum ardentis, quo aliquando se ungebat puella. Jacobus Ripolles, habitans in loco Cabanes dicto, præ nimio in campis labore ruptus est in inguine uno: post sesqui annum vero in Villam-regalem venienti, suumque incommodum narranti dixit amita quædam ipsius: Commenda te, fili, per novem dies S. Fr. Paschali, et divinum auxilium per ejus intercessionem obtinebis. Dictum factum, comitante quamdoque ipsa eum amita: et novemdio finito redintegratum se sensit, qui ruptus fuerat.

hemicranii dolor; apostema visu privans; ruptura in inguine;

143 Petrus Pasqual, filius Francisci, annos octodecim natus, plus quam annis quatuor doluit cruribus, maxime circa juncturas: eaque habebat tam inflata ac tumida, ut ad laborem omnem inidoneus esset. Hoc videns mater ejus Francisca Marco, recordataque beneficii, quod a vivente adhuc Sancto acceperat in persona filiæ, ab incurabili colli capitisque infirmitate solo tactu liberatæ, persuasit filio ut novemdium ad sepulcrum susciperet peragendum: quod ut fecit, die ultimo apparuerunt crura ab omni tumore libera, et sic manserunt usque modo. Testificatur autem eadem mulier de seipsa, quod post C puerperium laborans continua febri, ad mortis articulum adducta fuerit intra paucos dies: quod videns consanguinea ejus Aymerica tulit ei pulvillum, quo usus fuerat infirmus Sanctus; eoque et fide in illum concepta mediantibus, periculo præsenti exempta convaluit. Michael etiam Vicente Villa-regalensis, annorum quadraginta duorum, tam acutam patiebatur febrim, ut de vita sua actum crederet. Ergo receptis Sacramentis et testamento condito, mortem operiebatur in hora. Sed S. Fr. Paschalis recordatus, pileolum ejus sibi petiit exhiberi: quo facto tam copiosa mox salus adfuit, ut prius quam digrederentur Religiosi, qui pileolum dictum attulerant, superveniens medicus et arteriæ pulsum explorans, dixerit mirabundus: Alius melior medicus hic manum apposuit: jam enim sanus est: sicut revera fuit et fuisse probavit, sequenti die de lecto surgens.

tumor crurum; febris continua; febris item letalis;

144 Petrus de la Torre Villa-regalensis, annorum viginti sex, continua correptus febri, nono aut decimo infirmitatis die tantopere premi se sensit, ut mortem formidans petierit sibi adferri pelliculam Sancti, quam (sicuti dictum) Villa-regalensis quidam civis Salvator Sola reverenter servabat. Hac autem supra infirmi caput posita, mirabilem mox toto corpore passus est revolutionem: qua paulatim cessante, cessabat pari passu febris, sic ut sequenti die plane sanus extiterit. Dominicus Sales Villa-regalensis, annos natus octoginta, gravem annos quindecim et amplius patiebatur molestiam a pediculis, ex corpore ejus tam copiose scaturientibus, ut sibi domesticisque suis omnibus fastidio esset, quia nihil proderat indusia identidem renovare. Quodam autem die prorsus liberum se inveniens a molestissimis insectis illis, quæsivit admirabundus ex nuru sua Sperantia Torner, ecqua novitatis hujus causa esse posset? Tum illa ingenue fassa est, quod pertæsa laboris tanto jam tempore frustra positi in emundandis ejus vestibus, precata sit S. Fr. Paschalem, ut sibi in hac necessitate succurreret, a quo se nunc exauditam videbat. Ursula Mugnoz Villa-regalensis, vidua Petri Perez, crurum uno impedita fuit cum continuo cruciatu, qui neque somnum neque quietem eidem indulgebat. Venit ergo ad sepulcrum Sancti, solamen postulans: sentiensque alleviari malum, profecit paulatim non minus in fiducia quam sanitate, sic ut intra paucos dies crus flectere potuerit et sine impedimento ambulare, sicut etiam potest hactenus.

alia item continua sanatur. D EX HISP. XIMENII: Pediculi abiguntur, et dolor cruris.

E

CAP. LVII.

145 Catharina Torrella Villa-regalensis, vidua Joannis Zafont, superius memorata, cui minime dubitanti, quin pro eximia sibique comperta Paschalis sanctitate aliquando collocandus esset in numero Sanctorum, promiserat quod ei esset opitulaturus, quoties ab ea rogaretur; deposuit jurata, quod promissionem veracissimam multis ac variis casibus sit experta. Ac nominatim, quod cum mariti quondam sui frater Joannes febri continua laboraret ad mortem, ipsa illius recordata, ad fidelitatem ejus explorandam accesserit, precando ut ægrum illum adhuc servaret in vivis: qui licet tunc ageret octogesimum ætatis annum, tamen convaluit sexto morbi tam periculosi die. Item quod anno MDXCII frater suus Joannes Torrella mense Julio, simili correptus morbo, post quindecim dies convalescere quidem visus sit, sed paucos post dies recidivam gravius quam ante patiens, extremis fuerit Sacramentis munitus. Hoc in periculo compatiens ei Catharina promissum sibi auxilium petiit tam efficaciter, ut ille die postero sanus assurrexerit. Deinde cum eidem fratri pes esset contortus, et hunc omnino loco suo motum diceret postridie ad summe dolentem advocatus chirurgus, ac lenientia quædam eidem superimponi F mandavit, quo minori cum dolore patientis posset die postero operam dare restituendo in sedem suam pedi amoto. Hæc dum fiunt, hinc chirurgi manum metuens infirmus, inde dolores ægre perferens, una cum uxore et prædicta sua sorore Catharina, Sanctum invocavit, communique omnium trium voto promisit novenam ante ejus sepulcrum continuandam, rogans efficeret ne postero die esset opus chirurgo. Mox autem dormire cœpit: et mane facto expergiscens, pedemque considerans, invenit a Sancto perfecte curatum: itaque vestes suas alacriter sumpsit, atque ad ipsius Chirurgi domum ambulavit. Qui ut eum vidit, et suis oculis ægre credens nudatum tibiali pedem inspexit, minime dubitavit quis ei curationem adhibuisset.

Duo periculosa febri liberantur. Pes amputandus curatur.

146 Neque solis hominum necessitatibus atque infirmitatibus curandis Sancti intercessio valuit, valuit etiam animalibus rationis expertibus, quod duplici facto probatum est. Francisca Blasco, uxor Pauli Repolles agricolæ Villa-regalensis, equum suum, in quo omne familiæ alendæ subsidium habebat, subito quodam accidente sic gravari videns, ut prostratus in terram, pedes jam veluti moriturus extenderet, supplicavit Fr. Paschali, sibi ut in hoc tristi casu adesset: precibusque absolutis surrexit equus,

Equi duo subito sanati

A equus, sanus atque alacer. Amplius dixit Hieronyma Esleve, uxor Joannis Aygua agricolæ Villa-regalensis; nocte enim quadam solo extensum a se repertum fuisse equum suum, et quantum scire poterat mortuum. Qua jactura cum intime commota illa preces ad Fr. Paschalem direxisset, assurrexit mox equus, ut ait illa, et tamquam sanus cœpit comedere.

Ex Hisp. Ximenii.

CAPUT XIV.

Miracula invocato Paschali variis locis facta.

Cap. LVIII.

Fr. Michael Julian, habitans Jumillæ in conventu S. Annæ de monte, per obedientiam adjuratus dixit, quod ante novem aut decem annos passus sit dolorem stomachi adeo gravem, ut singulis hebdomadis semel iterumque affligi eo solitus, aliquando etiam ad extrema adduci videretur: quare ad communem vitæ nostræ rationem ineptus, neque discalceatus incedere, nec aquam bibere poterat: quod si alterutrum subinde facere conabatur, continuo apprehendebat eum malum solito acrius vehementiusque: utrumque autem sine incommodo ei licuit, mox atque intercessionem B. Paschalis devotus invocavit. Jumellensis B civis Benedictus Ximenez, tanta oppressus febri, ut nec confiteri quidem libere posset; nocte quadam intelligens mortem Paschalis eamque secuta miracula, eidem se commendavit; et subitus corpore sudor ei prorupit, ac secum foras febrim expulit. Eodem in loco Catharina Herrera, herniosa, cum devote recepisset particulam aliquam ex reculis Sancti, eam superposuit loco rupturæ, statimque fuisse consolidatam juravit. Petrus Gasque ibidem inquilinus, quintum sextumve annum tantos in pectore dolores sustinuerat, ut ambulare pedibus non posset, et sæpe vix respirare; quod etiam ei contingebat cum loqui vellet: inflatus præterea vehementer, erat ad omnem corporalem laborem ineptus. Hic audita S. Fr. Paschalis fama, decrevit se Villam-regalem transferre: ubi novemdiali devotione peracta ad sepulcrum, tam sanum robustumque se reperit, ut quantocumque labori par, partem majorem viæ Jumillam reducentis, quæ plus quam triginta leucarum est, pedes confecerit. Ibidem in conventu isto religiosus erat, Fr. Andreas Vela nuncupatus, pedibus tam impeditis, ut ægre a conventu ad oppidum posset ire. Huic incidit fiducia, quod si S. Fr. Paschalis sepulcrum visitaret, sanitatem consequeretur. Petiit C ergo licentiam a Guardiano seque in viam dedit, tantopere mox relevatus, ut citra difficultatem ambulaverit pedibus Villam-regalem usque.

Curantur stomachi dolores;

febris;

hernia;

pectoris cruciatus;

pedes debiles;

148 Anna Hernandez, uxor Joannis Terrega civis Almanzani, nigra bile gravata tam dire fuit, ut cor ejus frequentissime occupans, diu noctuque innumeris fere vicibus eam prosterneret sensuumque usu omni privaret, toto corpore trementem et os torquentem ac si rabida foret. Cum ergo anno MDXCII simili modo torqueretur, ipsa parentesque sui miserunt ad conventum S. Jacobi, qui est Almanzæ, quæsitum servatam ibidem ipsius Sancti vestem: quam a duobus Religiosis allatam ut excepit supra se infirma, sensit per omnia corporis sui membra, a capite ad pedes, ardorem instar flammæ discurrentem: simulque relevatum cor suum atque omni malo liberum. Mansit autem ita sana diebus multis, donec gravi quadam molestia superveniente motus melancholicus humor idem malum reduxit nocte una: quo tamen mox liberata fuit atque mane se Beato commendans, iterum petiit vestem prædictam: et ut esset pro accepta miraculose sanitate grata, thecam ex serico faciendam curavit cui sacra vestis imponeretur.

atræ bilis abundantia;

149 Isabella Gomez Tertiaria, civis Almanzana, anno MDXCII in Albacere duplici tertiana periculose D laborans, die quodam in ipso febrilis frigoris accessu recordata Paschalis, quem viventem noverat familiarius et pro Sancto coluerat, ab eodem cum lacrymis postulavit, ut ne se mori extra patriam permitteret: eoque ipso articulo sensit febrim multo leviorem solito esse: nec deinceps amplius eam est passa. Addit præterea quod ex suppresso sibi per menses quatuor muliebri fluxu, varia incommoda ei subnata sint, atque inter alia etiam febris continua. Cum hac ingrediens aliquando in cubiculum matris, sub ejus cervicali reperit particulam ex habitu Sancti, quam pluries exosculans opemque postulans imposuit pectori: seque mox exauditam experta est fluxu tam copioso, quam erat ei ad perfectam sanitatem necessarius. Ejus denique mater, vidua Gabrielis Gomez, nepotem quemdam suum Bernardum nomine, filium Michaelis Lopez, ad conventum adduxit, cui ex lapsu collum contortum fecerat apostema tam malum, ut ei aperiendo novaculam necessariam esse judicaret chirurgus. Sed collum pueri veste sancta contactum, pristinam rectitudinem flexibilitatemque recepit; apostema quoque ultro resolutum E detumuit, et mirantibus omnibus integra sanitas cito rediit.

duplex tertiana;

menses mulieris repressi;

150 Augustinus Moreno, filius Ægidii civis Almanzani, ex jumento lapsus in caput, periculosum vulnus accepit: ad quod cum tumor enormis et febris continua accessissent, necesse fuit cranium per crucem aperire, sit ut cerebrum conspiceretur. In hoc discrimine positum, in quo os collumque phlegma copiosum obsederat, et guttur flammeus ardor occluserat, ne quid alimenti trajicere posset; a medicis desperatum ac fere jam mortuum miserata mater Petronilla Yvanhez, ad S. Fr. Paschalem se convertit, et filii collo apposuit frustulum ex habitu ejus: quo facto cœpit puer spem aliquam vitæ facere, ac deinde ad sanitatem proficere sumpto cibo, sic ut intra dies paucos cum summa medici atque chirurgi admiratione perfecte sanus fuerit. D. Isabellæ Gonzalvez, annos natæ septem, filiæ Joannis Rectoris Almanzani, supra oculum dextrum natum est * tuber, quod crescens totum vultum collumque et pectus sic inflavit, ut ad XXIII Junii MDXCIII certo moritura crederetur a medicis. Huic cum Religiosi nostri habitum Sancti superposuissent, post unius horæ spatium, eo quod jam nox dimidia erat, redierunt ad conventum. Ceterum tam quieta mansit puella, ut admirabundus pater quod nullum ejus F motum audiret, nedum querelam, uti solebat, ad lectulum accesserit attentius eam consideraturus: invenit autem placidissime dormientem. Postridie vero experrecta parvula, resoluto jam ferme tumore, alacrior unum oculorum suis ipsa digitis reclusit, dixitque se adstantes omnes clare intueri: et deinde profecit ejus convalescentia usque ad plenam sanitatem.

vulnus capitis;

Hisp. Sastra

151 XXVIII Januarii MDXCIII Joannis Vicente, Rectoris etiam Almanzani, filius Joseph, mane sumptis vestibus de lecto surgens, ipso in vestigio corruit, itaque jacuit tota die usque ad tertiam postmeridianam per horas circiter novem, gelidus, rigidus, lividus, adeoque similis mortuo, ut talem revera esse judicaverint accersiti medicus atque chirurgus. Afflicti tam præmatura filii morte parentes, sumpta in S. Fr. Paschalem fiducia, petierunt ex Conventu ad se ferri habitum ejus. Quem cum Religiosi duo imposuissent jacenti, et post mediam horam rursus eum auferrent, desperantes de vita ejus atque redire festinantes, in se reversus prædictus Joseph, Ah! inquit, Mater Dei! et mox tam integros sensus sanitatemque recepit, ut die proximo fuerit de lecto surrecturus, nisi volentem parentes sui cohibuissent. Affirmabat

casu pene mortuus,

A firmabat autem ille, annorum tunc octo puer, eo quo mortuus jacere videbatur tempore, conspexisse se Religiosum aliquem ex Discalceatis S. Francisci, habitu simillimum nobis, eaque oris lineamenta habentem, quibus apparebat ipsum Fr. Paschalem describi : conspexisse autem quod ante lectum genuflexus versus aliquam imaginem Virginis Deiparæ ad lectuli caput fixam, junctisque ante vultum manibus (quæ ipsa erat orantis, dum viveret, compositio ordinaria) et oculis in dictam imaginem fixis, spatio temporis notabili oraret : eodem vero articulo quo exclamavit : Ah ! Mater Dei ! obtinuisse Sanctum ab ea sibi vitam et sanitatem.

CAP. LIX.

mamilla immodice tumens;

152 Catharina Ramirez et de Bosque, Villaregalensis, XXIX Maji MDXCV deposuit et dixit, quod præteritis diebus una mamillarum ejus immodice intumescens tantum ei cruciatum attulit, ut totam sese interius putrefactam existimans, neque doloris acerbitatem, cui leniendo nulla proficiebant medicamina, ferre ultra valens ; ipsamet tamquam rabida forfices sumpserit, earumque cuspides alte infixerit uberi dolenti, ex quo mox per utramque plagam puris copia maxima prosilivit. Timebant ii qui ipsam B curabant, ne gangrænam crescens ardor gigneret : post quorum curationem, qua plagis impositi peniculi ex lino vulnerarii emplastro superimposito firmati erant, nocte quadam videns mulier nullam sibi quietis aut somni partem inter tantos cruciatus sperandam, afferri sibi fecit pileolum S. Fr. Paschalis; eoque super vulneratam mamillam posito ipsum cœpit devote invocare. Ipsa autem nocte lapsa in somnum non nisi sequenti mane evigilavit, seque omnino sanam reperit, tam integre consolidatis plagis, ut præter exiguam utrobique cicatricem nullum earum superesset vestigium : quid autem factum sit peniculis vulnerariis, quos dixi pridie vesperi impositos fuisse plagis instar clavorum, numquam potuit divinare : nec enim toto lecto quæsitos diligentissime unquam valuit reperire.

dolores dentium diuturni;

153 Isabella Gomez Villa-regalensis, vidua Ludovici Sessè dixit, quod jam ab annis viginti solita fuerit singulis fere octonis diebus gravissimos pati dolores dentium : quibus cum aliquando vexaretur, de iisque quereretur, petiit a persona quadam chordulam, quam ei dederat Sanctus sua manu confectam : quam ubi applicuit dolenti maxillæ, evanuit subito dolor omnis et usque hodie numquam rediit.

scabies capitis;

Domicella Ursula, filia Monserrati Annon Villa-regalen- C sis, habebat ab annis octo totum caput usque ad frontem opertum scabie, intra quod tempus varia a variis ei exhibita adhibitaque fuere remedia effectu nullo. Hoc videns puellæ mater, motaque horrore ipsius mali, fœtore suo totam familiam a filiæ obsequiis absterrentis, suasit ut se S. Fr. Paschali commendaret, simulque voverunt, sepulcrum ejus nudis pedibus adire : quo facto sanata est scabies, totaque munda domum suam reversa est : quin et calvities depilis omnino capitis intra paucos dies operta fuit crine, tam denso ac si numquam tali malo laborasset.

parturiens periclitans;

Isabella Zafont, uxor Bernardi Amoros Villa-regalensis, periclitabatur in partu, eo quod transversus fœtus extenderat brachium, neque obstetrix illud posset intra ventrem parturientis reducere aut fœtum subrigere. Cum ergo ad mortem Christiane obeundam facta peccatorum confessione se apparasset, et adhibitæ quædam Sanctorum Reliquiæ nihil opis contulissent ; petiit, ut sibi afferretur funis cinctorius S. Fr. Paschalis : quo mox atque cincta fuit, periculo libera, fœtum enixa est, sicut erat, transversum, cum magna præsentium omnium admiratione.

EX HISP. XIMEN.

inflammatio axillarum;

154 Jacobus Amposta Villa-regalensis, inflammationem sub axillis talem patiens ab annis plus quam viginti, ut plagis atque rimis caro scissa hiaret, D cum ea causa a variis cibis malo istis contrarii abstinere cogeretur, sæpe etiam operis nihil facere posset, commendavit se S. Fr. Paschali, et sic affectis axillis admovit tertio rosarium, quod ipsemet faciei illius imposuerat, quando expositum in templo corpus prostabat : moxque sanatus fuit, sicut est hodie, nihil inter cibos discernens.

hernia gravis;

Puer, patri suo civi Villa-regalensi Gabrieli a S. Clemente cognominis, tertio post suam nativitatem mense, ruptus erat; et crescens usque ad annum ætatis quintum hernia, pugni jam æquabat magnitudinem; quando mater miserta filii, pro eo ad sepulcrum Sancti novenam vovit, et prius quam totam explevisset sanum habuit.

inflammatio femoris;

Simili novemdiali devotione liberari promeruit Pedrus Llop, civis Villa-regalensis, ab inflatione cruris a coxendice ad pedem pertingente, cum magno cruciatu totius hominis et impedimento gradiendi non minori.

brachium male curatum;

Octennis puer Joseph Girona, Joannis Villa-regalensis civis filius, annis aliquot habuerat dislocatum brachium : quod male curatum, non solum ad omnem motum erat inutile, sed tantos insuper causabat dolores, ut eos clamando ejulandoque prodere cogeretur, quin etiam lividum E totum erat atque inflatum. Hujus mater, penes se habens unam ex chordulis a Paschale formatis, illam tam male affecto filii brachio devote imposuit, et continuo perfectissimæ redditum sanitati mirata est.

hernia;

Valuit auxilii tam præsentis experimentum, ut, quoniam idem filius suus etiam ruptus erat ab infantia sua, per eumdem Sanctum hac quoque parte curandum confideret. Ergo novenam ad sepulcrum vovit, et biduo vel triduo prius quam absolveret, petitæ gratiæ compos fuit.

cæcitas;

155 Joannes Torres, ex Castellion de la Plana, annos triginta quinque natus, visum ab anno quasi totum amiserat, eoque ineptus erat conficiendis ex cannabe calceis, quo opificio se debebat sustentare. Intelligens autem in Villa-regali ad sepulcrum S. Paschalis fieri miracula, illucse contulit, viæ ducem atque comitem habens uxorem suam. Qui ut venerunt paulo ultra sacellum S. Barbaræ, videre Joannes cœpit arbores quasdam siliquarum; quantoque longius progrediebatur, tanto perfectius intuebatur omnia; adeo ut veniens ad eremitorium S. Quiteriæ, quod est juxta pontem instratum fluvio Villa-regalensi prope Conventum, personam quamdam inde venientem cognoverit mulierem esse. Venit ergo F ad sepulcrum Sancti, et coram Deo prostratus in genua, corpus quidem ipsum intus positum necdum distinctissime videre potuit, sed mox ut egressus ab ecclesia est, ita clare discernebat omnia, ut obvium sibi e conventu Religiosum nomine appellarit suo : atque ita proficiente videndi facultate, intra tres quatuorve dies perfectissimam eam habuit, et exercendo suo opificio sufficientissimam.

spasmus;

Isabella Leonart, uxor Marci de Las oppidum prædictum incolentis, filiam lactabat nomine Sperantiam, cui vehemens spasmus supervenit, quo totum tremefiebat corpus, distorquebatur os, et oculi convertebantur. Certam ergo medicinam, sibi commendatam, filiæ applicare volens, monita fuit ne faceret; sed potius ad S. Fr. Paschalem, multa miracula in Villa-regali patrantem, recurreret. Paruit consilio, vovitque visitare sepulcrum, et ad illud Missam dicendam curare. Nec mora, conquievit parvula, tremor cessavit, redierunt ad statum suum os oculique, omnibus qui aderant tam subitam curationem mirantibus.

CAP. LX.

ruptura inguinis;

156 Plus quam annum et dimidium ruptus in inguine sinistro erat puer triennis Vincentius, filius Joannis Alviola Notarii et Magdalenæ Escuder : quibus cum multum dolorem crearet ea infirmitas, audientes

A audientes de miraculis S. Fr. Paschalis, ad ejus corpus visitandum venerunt in Villam-regalem; eoque contacto, magna cum fiducia revertebantur ad propria. Ibat puer clamans ac dicens omnibus, induerent sese habitu S. Paschalis, qui eum curarat, apparensque jusserat ut ita fieret. Inspexerunt ergo eum propius parentes, itaque sanum integrumque viderunt ac si numquam læsus fuisset: ipse vero puer mira cum gratia, innocentia et hilaritate omnibus spectare volentibus se nudabat, eosque ad Deum in Sancto suo laudandum invitabat. Sperantia Guerola, uxor Vincentii Montaladre, per scalam quatuordecim aut quindecim graduum descendens, deferebat, inter brachia hastilia assatoria sex vel octo et alia quædam culinaria instrumenta. Hæc, fallente in secundo graduum supremorum vestigio, recta cecidit in terram, nusquam impingens aut hærens, quia mobilis scala, et non sat firmiter applicata, ad ejus casum se converterat. Cadens autem nihil eorum, quæ portabat dimisit, sed ipso in aere invocavit Paschalem : quo propitio, quamvis in caput ceciderit, nullam tamen læsionem tulit, sed alacris surrexit, nihilo plus sentiens, quam si non cecidisset.

EX HISP. XIMENII

præceps e scalis lapsa, servatur illæsa

B 157 Joannes, Dominici Navarro filius, ex oppido Nulles, annos natus viginti, ex equo lapsus coxendicum unam aliquantulum afflixit : quod cum per duos menses neglectim tulisset, ita interim crevit dolor, ut denique difficilem ei gressum faceret, cogeretque ut plurimum in lecto residere, eo quod admodum claudicaret. Cogitans ergo de remediis malo applicandis, recordatus est S. Fr. Paschalis, devoteque proposuit poscere reliquias habitus ejus : eodemque tempori matri ejus Missam majorem audienti (erat enim festivus dies) similis obvenit cogitatio. Quam cum ambo inter se collatam a Deo esse credidissent, frustillum aliquod afflictæ parti ipsa vespera applicarunt; et Joannes mane facto expergiscens, omni dolore et claudicatione liberum sese esse sensit, et mox reipsa monstravit. Maria Gauz, uxor Ludovici Serra in oppido jam dicto, oculis infirmata per dies quindecim, etiam per domum suam nequibat sine duce ambulare, imo nec a lecto quidem suo ad proximam culinam : defluebat autem ex iisdem oculis guttatim sanguis tam copiosus, ut nocte una lodices duas humectaret. Ut vero se commendavit S. Fr. Paschali, stetit sanguis, et ipsa tantum videre cœpit, ut commode jam posset in quantumque vellet domus partem procedere sola, magna cum lætitia vicinis omnibus manifestans factam sibi gratiam : et intra paucos dies plenissime convaluit.

Lapsu ex equo læsus sanatur.

Visus ereptus restituitur.

C

158 Ejusdem oppidi Nulles inquilini, etiam tres sequentes fuerunt. Primus puer septennis, filius Monserrati Gabalda et Joannæ Boxa, diebus quadraginta sic doluerat capite, ut visu denique privaretur : quem recuperavit cum sanitate, mox atque mater, aliis mediis frustra tentatis, S. Fr. Paschalem vocavit in vota. Alter Michael Felix tam infeliciter crura læserat, ut nisi ab aliis juvaretur nec in lecto quidem movere se posset : donec post geminum tam gravis infirmitatis annum, ad Sancti sepulcrum portari se fecit, ubi continuo gradiendi facultatem recepit. Tertia denique fuit Francisca Sanchiz, uxor Michaelis Simon Notarii, cui in oculos assurgens sanguis, non solum cruciatum et animi magnam dejectionem afferebat, sed etiam cataractas quasdam crearat, per quas ægre posset videre homines, qui sibi ministrabant, tamquam arbores ambulantes. Adierat illa quidem Valentiam, ut apud multos, qui ibi habentur, Doctores medicos levamen aliquod inveniret : sed frustra id fuerat. Itaque et infirmitate sua et grandis pecuniæ expensa inutili supra modum afflicta, nocte quadam ad S. Fr. Paschalem se convertit, eique votum aliquod fecit : D mane autem sequenti domesticos omnes distincte cognovit, in eademque videndi potestate perseverat, licet non acutissima, quia non omnibus expedit visu, ultra id quod necessarium est, valente frui.

Curantur cæcitas ex dolore capitis;

crura læsa;

oculi male affecti;

159 Petrus Joannes Monton, Mascarellensis oppidi civis, gravi quadam et incurabili infirmitate septem annis continuis laboraverat, quorum tres ultimos in lecto transegerat, qui licet meris floribus fartus fuisset, non potuisset non esse molestus. Decrevit igitur de lecto egredi, et gressum qualemcumque moliri fulcris subaxillaribus, quod et fecit difficillime, licet non nisi corpore universo curvato. Interim de miraculis servi Dei inaudiit, sepulcrum ejus visitare disposuit, ipso instanti levius multo habuit, ivit ut potuit, quantoque magis ad Villam-regalem appropinquavit, tanto facilius ambulare se sensit. Secundo denique die quo visitavit sepulcrum tam robustus fuit, ut relictis ibidem fulcris, idem, quod laboriose fecerat, iter remensus sit agilis expeditusque. Ejusdem nepos Gregorius Monton, Morellæ habitans, eadem qua patruus, fama excitatus, eodem ire proposuit, nec dissimili quo patruus suus successu E ivit redivitque; ipso, quo ecclesiam ingressus orare cœpit, momento perfecte sanatus ab inveterata tibiarum debilitate.

infirmitas annorum;

160 Luenæ habitabant quos nunc memorabo; Joannes filius Joannis Guitnot Perayle et Ursulæ Obiart : cui herniam pugno parem patienti integritatem debitam parentes sui obtinuerunt, S. Fr. Paschalem invocando : Jacobus Alfaxari et Ursula Boneta; qui bimulum filium suum Christophorum, continua febri lætaliter ægrum, jam pro mortuo habebant : Scholastica Gonzalea, vidua Gasparis Cervello, quæ paulo amplius quam anno uno apostemata in gutture tumenti patiens, quæ ipsa scrofulas esse credebat, post medicorum artes frustra explicatas ad eam curandam, promisit visitare Sancti sepulcrum, atque ita plenissime curata est; denique Beatrix Dorothea, puella duodennis, filia Mag. Joannis Martinez et Ursulæ Andres, quæ cum pluribus diebus oculo dextro multum pateretur, nihil autem videret, venit ad sæpe dictum sepulcrum, et prius quam pedem templo efferret, perfecte curata integro usa est visu.

varia beneficia impetrantur.

161 In oppido, de las Useras dicto, Petrus Font-Cantero et Joanna Pastora bimulum suum filium Petrum dolebant ab ipsa pene nativitate herniosum F esse, ita ut humanum pugnum ruptura excederet : sed hunc a sepulcro domum suam retulere sanatum. Montserrada Bertrana, uxor Joannis Perez, annos nata viginti sex, videbatur scrofulis tumenti in collo laborare : quæ similiter sana redivit a sepulcro pie visitato. Joannes Torrella Benibarlensis, annorum quadraginta duorum, tam fœde ruptus erat, ut ultra palmi unius longitudinem prosilientia foras intestina dependerent, nec laborare vel ambulare posset. Hic miraculorum ad invocationem S. Fr. Paschalis patratorum audita frequentia, Villam-regalem venit, petiitque pileolum illius sibi deosculandum præberi: et eodem momento quo genua flexit ante sepulcrum, sensit subduci rursum intestina, suisque restitui sedibus, non sine aliquando cruciatu : cum quo recedens, manumque parti affectæ applicans, redintegratum se miratus est, et cum gaudio Fratribus nuntiavit. Exinde plures anni quam quinque fluxerunt, quod ad quævis exercitia corporis ac labores quantoscumque idoneus, nullum præteriti mali indicium sensit.

CAPUT

A

CAPUT XV.

Reliquæ curationes miraculosæ ope S. Paschalis impetratæ.

CAP LXI. Horrore percitus tranquillitati redditur;

Puer quidam, Petri Ripolles et Isabellæ Andrez in oppido Cabanes habitantium filius, patri cognominis, deposuit et dixit, quod ab annis circiter duobus sibi cum jugo boum in campo existenti acciderit, ut prope transiret serpens perquam deformis, cujus aspectu fuerit usque adeo perterritus, ut numquam exinde auderet esse solus, tantaque animo insederit tristitia, ut sæpe diu multumque lacrymaretur nulla apparente ex causa: non sine parentum formidine, ne quid gravius ipsi contingeret. Itaque cum id sibi uno anno durasset, adductum ab eis se ait ad sepulcrum S. Fr. Paschalis, ibique mox redditum pristinæ mentis tranquillitati. Die XXIV Augusti anno MDXCV Petrus Fuster, civis Lucenensis testatus est, quod etiam ipse annos circiter duos tam curto utebatur visu, ut transiens per campum tritico consitum nequiret distinguere, consitusne esset an non, nisi ipsas spicas contingeret manibus: anni autem erant sex ex quo ei cœperat oculorum acies sic hebetari. Cum vero Villam-regalem venisset, audivissetque a multis prædicari gratias quas interventu Paschalis impetrarant, decrevit etiam se conferre ad ecclesiam, in qua jacet sepultus, ibique a Deo per ejus merita pristinam videndi facultatem reposcere: quam ipso instanti recuperare cœpit, sic ut prius quam ab ecclesia egrederetur res unas ab aliis visu distingueret; et Lucinam regrediens, quanto procedebat longius tanto intueretur clarius; donec iterum domum suam attigit, ubi perfectissimo visu fruens admirationi omnibus se cognoscentibus fuit.

videndi facultas restituitur;

B

tormina leniuntur.

163 Isabella Alvera, Valentina, annos nata viginti quinque, dixit, quod a puerperio fuerit per tres menses infirma, et continuis ventris lumborumque tormentis cruciata: quibus accesserat febris continua. Contra quæ mala tam medicorum quam obstetricum consiliis frustra usa, cum mœsta admodum lecto decumberet, visitavit eam quidam Religiosus discalceatus consobrinus suus, Fr. Petrus Morales nuncupatus; monuitque ut pie invocato benedicto Fr. Paschali, magna cum fiducia imponeret particulam ex habitu, quam ei porrigebat. Paruit illa salubriter consulenti, et statim quidem aliquid solatii sensit, deinde ipsa nocte doloribus caruit: mane autem facto plane relevatam se sentiens, vidit quod cum urina egessisset multum humoris spissi instar puris et perquam nigri; exindeque cognovit, quam gravis sua infirmitas fuerit. Quin et febris et reliqua accidentia prorsus cessaverunt intra duos vel tres dies, post quos plane sana venit actura gratias ad sepulcrum. Anno jam dicto MDXCV mense Januario, cum Valentiæ esset Sperantia Raphael et de Roviro, mulier vidua, et magno lateris dolore ac febribus laboraret; post ultima Sacramenta percepta, cœperat etiam destitui et loquela et sensu. Sic jacenti atque a medicis depositæ, allatus est habitus S. Fr. Paschalis, qui est in conventu S. Joannis de la Ribera. Mox autem atque is fuit supra se explicatus, rediit in se, oculos aperire ac loqui incipiens; deinde sub certi nuncupatione voti commendavit se Sancto: qui eadem ipsa nocte ad sui lectuli pedes genuflexus, in situ orantis apparens, et ad imaginem quemdam Deiparæ in ipso conclavi existentem bis dicens; Eia, Domina, nunc serio; disparuit. Quamvis autem infirma numquam vidisset viventem, iis tamen indiciis ipsum a se visum declaravit, ut veram ejus figuram animo inhæsisse nemo dubitaret; brevique consecuta sanitatem integram, ad visitandum sui benefactoris sepulcrum Villam-regalem venit.

C

Ad extremum redacta recreatur.

164 Eodem anno, XXII Augusti, Michael Atmella, filius Petri, adhuc quinquennis, in Villa-regali cecidit in majorem oppidi ipsius canalem, tunc admodum turgidum; et versus rotam molæ, sub ea vertentem, ferebatur aquarum violentia. Quod videns mater, eumque jam sub aquis mersum juvare non valens, primum quidem B. Paschalem invocavit, deinde abiit accersere maritum, ut filium extraheret. Dormiebat tunc ille: sed uxoris clamoribus excitatus accurrit, animo plane consternato. Cumque frustra aliquamdiu corpus requisivisset in canali, intellexit ab uxore qualiter torrens aqua per canalem molendini abstulerit parvulum. Ergo objecto tabulato aquam stitit infra molendinum, ibique cum magna admiratione sua omniumque adstantium reperit filium transversim jacentem, sanum ac salvum sine ullius læsionis vestigio. Anna Mavala, Borrioli nata, dixit, quod filia sua octennis angina tam gravi laboravit aliquando, ut ægre trajicere aquam, cibum autem per biduum capere omnino nullum posset: quam ubi S. Fr. Paschali obtulit, mox sanam habuit. Joannes Vincentius, filius Ludovici Orti et Hieronymæ Pastora, civium Castellionensium, menses non plures quam duos natus, cœpit infirmitate, quæ vulgo consternatio dicitur, sic laborare, ut quoties vel plorare inciperet vel aliquid incommodi pati, maneret sensu motuque privatus, quandoque etiam respiratione sensibili, ut minimum ad horas sex; semel etiam tota una nocte, adeo ut jam mortuus crederetur. Insuper in inguine sinistro sic crepuit, ut ovi magnitudinem hernia gravis æquaret. Taliter anno integro patientem promisit pater portare ad sepulcrum Sancti, adhibens interim medicinas varias; sed ante curatus non est puer, quam votum suum compleret pater, et filium ex animo commendaret: exinde enim omnino sanus fuit.

D

EX HISP. [illegible] Mersus sub rota molæ morti eripitur.

Infans varia infirmitate liberatur.

E

165 Soror Villanova, S. Claræ monacha in oppido Castellionensi, vehementer dolebat capite, propter tumorem quem in eo ferebat: qui tamen simul cum dolore evanuit, mox atque se Sancto commendavit. Alia in eodem conventu, Soror Gratia dicta, molestum in ore carnis accrementum patiebatur, quod sæpius manu chirurgi recisum succrescere denuo non cessabat: sed et hoc sublatum ex toto est post preces ad S. Fr. Paschalem fusas. Catharina Conilla, vidua Joannis Lorenzo Borriolensis, morbo quodam mulieribus satis familiari tenebatur, quo sanguis sursum attractus in collo et capite tumores creat: qui omni hebdomade semel quandoque etiam bis recurrens, duobus (ut fere solet) diebus ei durabat, cum febri aliisque ordinariis accidentibus: sublatus autem totus est, postquam sepulcrum sæpedictum visitavit. Mariana Vequez, uxor Jacobi Castellani, etiam Borriolensis, eadem infirmitate plurimum fatigata, per menses quinque quot hebdomadis recurrente, idem quod Catharina fecit et eodem successu.

Diversi morbi curantur;

F

166 Arcisa Escudera, uxor Francisci Andres ex Almanzora, apoplexiæ obnoxia, sic ut quoties ea attingebatur toto uno latere maneret paralytica, haud exiguo temporis spatio nullam in eo vitam sentiens; idem etiam patiebatur cum equo veheretur, ac nominatim cum veniret anno MDXCIV ad visitandum corpus S. Paschalis, quod tunc populo monstrabatur. Ceterum quia in ipso itinere illius patrocinio se commiserat; ab eodem religiose inspecto rediens, domum suam venit ab omni malo et tunc et deinceps libera. Aloysia Guardiola, Joannis Navarri mercatoris Almanzorani uxor, genibus tam male affecta erat, ut ea in ecclesia flectere nulla posset ex causa, sed neque ad humi sedendum ea complicare. Ergo necesse erat humili semper sedili uti, ex quo ipso non poterat se, nisi difficulter et viribus alienis nixa, erigere. Audiens

sanantur paralysis;

genua male affecta;

EX HISP. XIMENII

A Audiens hæc miracula Sancti, robur ab eo petiit tantum saltem, quo posset ad sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum accedere, eumque in finem sepulcrum sæpe dictum visitavit. Quo facto magna cum facilitate flectere se in genua et per seipsam erigere potuit : quod identidem animi causa fecit : sed quia vel nimis restricta petitio ejus fuit, vel ita saluti ejus conveniebat, rediit postea pars doloris, ita tamen ut genua flectere seque erigere sine auxilio cujusquam semper posset.

urinæ fluxus nimius ;

167 Petri Adell Almanzorani filius Jacobus urinæ fluxum patiebatur, magna cum molestia ac verecundia sua, quod in ætate annorum octodecim non posset ipsam continere nocte, ac lectum quotidie humectaret : sed visitato sancto corpore deinceps molestia illa passione caruit. Ibidem Almanzoræ Gabriel Clara et Beatrix Daroza habebant filiolum triennem, dextera in parte miserabiliter herniosum Petrum nomine, ita ut ad ovi similitudinem intestina erumperent : quem coram corpore Sancti exhibitum, invenerunt ad ejus contactum fuisse redintegratum : siquidem domum relato lintea dementibus nullum prioris mali signum apparuit. Cum Gregorius Sunner, textor Morellensis, gradiendi privatus facultate, idem sepulcrum visitare proposuit; ipso instanti melius se habere sensit, atque ut melius valuit cœpit inire viam : in qua quantum ipse promovebat se, tantum proficiebat ad sanitatem, donec pervenit ad ecclesiam, ubi cum oravisset expedito gressu domum suam revertit. Hieronyma Jordana Villa-regalensis narrat miraculum, quod sibi in vita ipsius Sancti atque iterum post ejus mortem contigit : videlicet, quod cum aliquando dolor dentium plane intolerabilis sibi ad dies quindecim duravisset, atque ad suæ domus ostium die quadam venisset Sanctus ; ipsa ingredi jussum rogavit pro Dei amore, ut genis suis signum Crucis imprimeret. Quod eo pro sua humilitate recusante, ipsa manum arripuit, et qua maxime dolor urgebat applicuit, eoque facto totum fugavit etiam pro tempore post recurrenti. Cum vero eodem mortuo rursus ab eodem impeti se sentiret, recordata Rosarii quod corpori Sancto admoverat, eodem maxillis admoto cruciatum omnem abegit, usque in præsens eum non amplius passa.

intestina erumpentia ;

B *gradi nequiens;*

dentium dolor;

hæmorrhois ;

168 Molestis hæmorrhoidibus laborabat Ursula Sahera Almanzorana, a quibus sanata est mox atque S. Fr. Paschalis precibus se commendavit. Bartholomæum, sex hebdomadum infantem, parentes sui

C *hernia gravis ;*

Franciscus Masut et Francisca Fabregada Mancofani cives, utrimque ruptum invenerunt, crevitque hernia progressu temporis prodigiosum in modum. Hunc duos et medium annos ætatis habentem iidem parentes commendaverunt Sancto, et intra paucos dies convaluisse mirati sunt eo magis, quo graviora accidentia comitabantur herniam, quibus aliquando fiebat ut ad horas viginti quatuor mortuo similis jaceret : quorum deinceps nihil sustinuit. Helena Miraveta, uxor Jacobi Palau Benicarlensis, testatur, quod in die Epiphaniæ anni MDXCV maritum et liberorum aliquot infirmos habuerit; eoque die nihil penes se pecuniæ reperiens, maxima fuerit necessitate pressa. Tunc ei in mentem venit, ut S. Fr. Paschalis merita imploraret : quod dum facit, accedens ad eam quædam sua vicina, nomine Navipla manum extendens, dixit : Accipe, Domina, nummos hosce, mihi cum potueris restituendos; dabat autem octo vel novem Regales. Accepit gratanter oblatum mutuum mulier afflicta, et post paucos dies prædictam suam vicinam alloquens ; Ignosce, inquit, Domina necdum enim restituere possum, quos mihi commodasti nummos. Ecquos, reponit illa, nummos tu dicis? nihil ego tibi dedisse me scio. Agnovit mox mulier divinum in sua illa extrema necessitate favorem : et; Erravi, inquit, existimans te fuisse. Sed usque in hanc horam rescire non potuit mutuatricem ; ideoque ab onere ejus restituendi se credidit absolutam, Fr. Paschalis beneficio. Ludovici Pons Almanzorani filius quidam, scitur ejusdem interventu ab hernia esse curatus, sicut et alii plurimi. D

pecunia egenti miraculose datur.

CAP. LXII.

Miserabiliter ægra et deposita sanatur.

169 Cæcilia Zorbina, uxor Josephi Ayberich civis Benicarlensis, paralysi correpta anno MDXCIV mense Majo, media sui corporis parte a capite ad pedem præclusa remanserat, omni usu brachii crurisque impedito; quarum partium caro adeo erat emortua, ut forficibus incisa nec sensum ullum nec humorem daret, ac ne caro quidem ibi jam superesse, sed sola pellis ossibus obducta videretur. Hinc evenit, ut cubante cum ipsa quadam puella scabiosa, pars quidem sana ardore tam vicino contacta intumuerit, altera vero nihil mali attraxerit. Manus etiam contracta in pugnum, digitique tam arcte sibi juncti erant atque in modum aquilinarum ungularum curvati, ut nulla vi dirimi aut extendi valerent; collapsum vero brachium non nisi ab altero sano attolli, ipsaque nec induere sibi neque exuere vestes posset, vel unam aciculam figere. Simili modo attracta retrorsum tibia difficillimum ei faciebat incessum : ad E hæc autem omnia accessit oppilatio ventris, frequentes ac graves dolores pariens. In tali statu existentis aures pulsavit fama miraculorum, quæ in Villaregali patrabantur, pluresque ibi curati suadebant, ut ipsa se quoque S. Fr. Paschali commendaret. Quibus mota devotionem erga eum concepit tantam, ut duobus mensibus prius quam sanaretur, identidem somniaret se ab eo curari. Quod cum illa referret aliis, explicabat formam vultus ac staturæ habitusque et gestus, a se per soporem visam tam perfecte, quasi cum ea diu multumque fuisset conversata. Nocte porro illa, quæ redditam sanitatem octiduo præcessit, dormienti Fr. Paschalis apparuit, expresse mandans, ut Villam-regalem se conferret, ibi sananda. Hinc tanta ei fiducia succrevit, ut pluribus Benicarli morantibus asseveraret, sanandam se si in Villam-regalem iret. Erant nihilominus multi, qui dicentes incurabilem ejus morbum esse; eamque objurgabat etiam frater suus, quasi eo itinere nihil facturam præter damnosas ipsi ejusque marito expensas : nam si salvam illam Sanctus vellet, id æque Benicarli atque in Villa-regali posse effectum dare. Verum maluit illa sibimet dormienti, quam ipsis vigilantibus credere. F

170 Ergo Benicarlo discedens die Lunæ XVI Octobris MDXCV, in Villam-regalem die Martis sub meridiem appulit, labore non levi per iter leucarum decem. Sumptum autem apud Hieronymum Jordan Notarium hospitio, prius quam aliquid sumeret quietis aut cibi potusve, una cum Isabella de Soriano et de Asnar perrexit ad conventum, vocatumque in ecclesiam Fr. Jacobum Morales, eum quem Sancti Confessarium fuisse diximus, rogavit suppliciter, ut aliquid Reliquiarum ejus sibi adferret, quo brachium tam male affectum contingeret. Paruit ille, catenamque et pileolum atque chordam Sancti attulit : cumque catenam manui imposuisset, visum est infirmæ, ipsam exterius aciculis punctim terebrari, intus vero igne ardentissimo aduri : eodemque momento ipsam aperuit. Tum ad cubitum translata catena est, eisdemque signis prægressis sanatum sustulit mulier seque ipsam signavit, magna voce exclamans, jam sanam se esse : sed cum ambulare vellet comperit necdum sibi crus esse curatum. Rediit igitur ad orationem cum lacrymis, et mox eosdem dolores, quos dixi, per totum latus usque ad extremos pedum digitos sensit descendere, atque ita integram habuit sanitatem : et stupentibus omnibus, manibus

A manibus ac pedibus utrisque æqualiter expeditis utens, sine baculo alacris et erecta discurrere per ecclesiam, vesperi vestes sibi demere, mane induere, atque omnia facere potuit, quæ robustissima ætatis atque conditionis suæ. Quin et caro infirmi lateris, paulo ante nulla, subito tam plena apparuit, ut in nullo differret a carne alterius lateris, nisi candore atque mollitie, utpote tota nova ac recens. Sed et oppilatio ventris dissoluta est, neque deinde rediit unquam. Porro adeo subito curatam se videns bona mulier, noluit in Villa-regali subsistere, sed incredibili plena gaudio, sequenti mane die Mercurii XVIII Octobris discessit, ac Jovis XIX die mensis, Benicarlum advenit; incolis omnibus et ad eam excipiendam visendamque occurrentibus et accurrentibus, nec sine lacrymis Deo gratias agentibus : ubi usque hodie sana perseverat, integras leucas pedibus cum onere ambulans, linum batuens, agrum sarculo repurgans, aliaque laboriosa opera rusticana obiens: quemadmodum ego ipse vidi hoc anno MDC Benicarlo transiens, totumque casum ex ea sigillatim audire volens.

B CAP. LXIII

Mortuus partus animatur.

171 Hieronyma Pastora, uxor Ludovici Ortiz Castellionensis, magno cum labore et cruciatu enixa fuerat fœtum, ut videbatur mortuum, utpote cui nulla obstetricis diligentia in calefaciendis pannis lineis, fovendoque et calefaciendo corpori diu multumque applicandis, proficiebat: quapropter denique domo abiit. tempus operamque nolens ultra perdere in eo, quem omnis sensus motusque expertum et gelidum relinquebat. Inter hæc mœsta puerpera, memor alterius filii sibi a S. Fr. Paschali curati, uti supra est relatum *, convertit se ad eumdem, pietate materna promittens, quod antequam S. Barbaræ festum transisset, ipsa ad sepulcrum ejus in Villam regalem iret, si huic mortuo partui saltem tantillum vitæ daret, ut posset baptizari. Neque mora : aperuit oculos qui mortuus fuerat, et baptizatus integris quinque diebus vixit, magno cum solatio matris majorique bono suo. Vincentia Maxiana, sex menses nata, Almanzoræ ad mortem trahebatur a gravissima febri, cum aliis accidentibus letiferis juncta : jamque tres circiter horas jacuerat motus et anhelitus expers, imo certo mortua, quantum diligentiæ adhibitæ a circumstantibus, cereum accensum ori admoventibus digitosque torquentibus, poterant comprobare. Ergo sepulcrali linteo involvendam judicantibus omnibus, mater, velut illud quæsitura, recepit se in hortum; ubi a nemine audiendam se credens, cum ejulatu ac gemitu prostrata in terram, cœpit auxilium S. Fr. Paschalis magno clamore invocare. Deinde sine linteo ad conclave reversa, eo quod confideret fore, ut vivam filiam inveniret, nequaquam se doluit expectatione prostratam, sed sanam valentemque etiam hodie possidet.

* num. 164

Pro mortua relicta reviviscit.

C

172 In oppido Useras octodecim annorum adolescens Jacobus Vives, filius Joannis Vives de la Escaletta, mente captus ac rabidus, ita ut catenis esset constringendus, magno domesticis omnibus dolori, sed imprimis cuidam materteræ suæ fuit, Sperantiæ Mascaros nuncupatæ, quæ eum tenerrime semper dilexerat. Supplicavit ergo B. Fr. Paschali, ut nepotem suum sano judicio redderet : et quod suppliciter petiit, continuo impetravit. Eodem in oppido filius Jacobii Ruvii adhuc lactens, per spinam dorsi ruptus, præ dolore aliisque accidentibus mamillarum maternarum alteri papillam corroserat per circuitum, alteri eamdem prorsus abstulerat. Qua in necessitate cum Sanctum invocasset mater, et ipsa et filius suus ab omni incommodo liberati sunt : quemadmodum testatus est pater, gratitudinis ergo ad sepulcrum veniens, cum litteris, manu Gasparis Mascaros Clerici scriptis, fidemque totius rei facientibus. Alia hujusmodi plurima referre possem, nisi legentium caverem fastidio : sunt enim infinita, quæ non solum in Villa-regali, sed in aliis passim oppidis fiunt, iis præsertim, in quibus provincia nostra Conventum habet, singulos aliqua fere reliquiarum ejus parte instructas, ut sunt habitus, tunicella, pileolus, chorda, minores panni, imo lodices ac stragula, quæ sano infirmove in usu fuerunt, quæque ad infirmos delata plurimas operantur curationes. Ita hic Ayoræ ante duos tresve dies didici, quod Damiana Perez, uxor Petri Perez Bayle, colica laborans infirmitate, qua singulis quin denis imo et octonis diebus corripiebatur, cum sibi domesticisque admodum molesta esset (quocumque enim vel minimo iræ motu tam atrociter afficiebatur, ut videretur jamjam moritura) devote petiit pileolum Sancti, ad ejusque contactum plenissimam recepit sanitatem, quæ ei etiam nunc post plures menses durat.

Mente captus et rabidus sanus fit.

Spina dorsi rupta et papilla mordicus ablata restituuntur.

D EX HISP XIMENII.

CAPUT XVI.

Promovetur cultus. Corporis integritas. Vitæ compendium. E

Multitudine miraculorum, quæ ad Sancti invocationem quotidie patrabantur, excitati Prætor et Jurati oppidi Villæ-regalis, anno MDXCII mense Novembri, miserunt ad suum Episcopum Dertusanum Procuratorem et Syndicum, dictum Joannem Jordan, cum uno ex Juratis, nomine totius populi supplicaturum, ut Dominatio sua juberet informationem juridicam sumi de vita, morte, virtutibus et miraculis S. Fr. Paschalis : quod ille fecit hoc tenore. Nos Gaspar Puntes, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus Dertusensis etc. dilectis nobis in Christo, Hieronymo Gasco, Presbytero, Vicario perpetuo ecclesiæ parochialis oppidi de Villa-real, Officiali foraneo villæ et stationis Almanzoræ ; et Priori monasterii S. Thomæ Ordinis Prædicatorum S. Dominici, villæ Castellionis-planiciei, nostræ Dertusensis diœcesis, salutem in Domino, et in commissis debitam adhibere diligentiam. Noveritis, quod coram nobis hodierno die comparuit Magnificus Joannes Jorda Notarius, * vicinus dictæ Villæ Villæ-regalis nostræ diœcesis Dertusensis, et alter ex Juratis dictæ villæ anno præsenti ; et nobis dicto nomine Jurati obtulit et præsentavit quamdam scriptam papyri supplicationem, schedulam sive scripturam, in et super qua quidem scriptura informationem recipi supplicavit. Nos vero, volentes in et super prædictis rite et legitime procedere, prout tenemur, quia rerum probatio de jure est differenda: ideo, dicto Jorda instante et requirente, tenore præsentium vobis dicimus, committimus, et mandamus ; quatenus, nostra ex parte et pro nobis, omnes et quoscumque testes, quos pars dictorum Juratorum de Villa-real dare et producere voluerit, in et super probandis contentis in dicta papyri schedula, quam vobis ad partem clausam et sigillatam mittimus, ac de vita et moribus dicti Fr. Paschalis Baylon, et de per eum gestis, illos ambo simul et diligenter recipiatis et examinetis, medio juramento, et Notario publico et idoneo vobis bene viso interveniente, interrogando eosdem testes super prædictis, ac de scientia et causis scientiæ, et aliis circumstantiis in similibus interrogari solitis. Quorum quidem testium dicta et depositiones, scripto traditas et nemini ostensas, nobis per fidum latorem confestim mittere procuretis ; significantes nobis, vestris cum litteris responsivis, quæ, qualis, et quanta per nos ipsis testibus fides sit adhibenda. Testes

CAP LXIV

Informatio juridica de vita Paschalis

Epistola Episcopi.

* l. civis

F

EX HISP. XIMENII

A Testes vero, qui vobis nominati fuerint, si se gratia, odio, amore, vel timore, vel favore subtraxerint, cogatis per censuram ecclesiasticam veritati testimonium perhibere: quoniam nos vobis, in et super præmissis, plenarie committimus vices nostras. Datum Dertusæ die primo mensis Decembris, anno a nativitate Domini millesimo quingentesimo nonagesimo secundo.

Episcopus Dertusensis, Scriba Marti Not.

Responsum ad eamdem.

174 His, ita ut præscriptum erat, curatis, Commissarii sic responderunt. Illustriss. ad Reverendiss. D. D. N. Gaspari Punter, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopo Dertonensi, Hieronymus Gasco, Presbyter, Vicarius perpetuus ecclesiæ parochialis villæ de Villa-real, et Officialis foraneus villæ et stationis Almanzoræ; et Fr. Bartholomæus Comes Monachus, Prior monasterii seu conventus S. Thomæ, in villa Castelionis planitiei Borrianæ constructi, cum debito honore et reverentia, ut decet, salutem et honorem. Insequentes, complentes, et ac in effectum deducentes contenta in quibusdam de testium receptione litteris, per magnificum et discretum Joannem Jorda Notarium, nomine in B eisdem litteris contento, impetratis, sigilloque curiæ vestræ Dominationis in earum dorso cera rubea impresso sigillatis, nobisque per jam dictum Joannem Jorda Notarium, d. villæ Villæ-regalis vicinum, die XIV mensis Januarii MDXCIII præsentatis, et per nos cum eis, quibus par est, humili [obsequio] et subjecta reverentia receptis, quæ datæ fuerunt Dertusæ die I mensis Decembris, anno a Nativitate Domini MDXCII, mediante Joanne Hieronymo Jorda Not. præd. villæ vicino, per nos ad prædictam testium exceptionem specialiter assumpto, omnes et quoslibet testes, quos d. Joannes Jorda dicto nomine dare et producere voluit, diligenter recepimus; eosque de scientia, et causis scientiæ, et aliis circumstantiis in similibus interrogari solitis interrogavimus. Quorum quidem testium depositiones, in scriptis redactas neminique ostensas, clausas, et sigillo meo d. Hieronymi Gasco in cera rubea in earum dorso impresso sigillatas, per præsentium latorem mittimus: significantes vestræ Dominationi, quod ipsi testes sunt vitæ, famæ, et conversationis optimæ et honestæ, et tales, ut procul dubio eorum dictis et depositionibus plena, uti pie scire atque intelligere possumus, adhiberi valeat fides. Et exinde, tamquam obedientiæ filii, nos C mandata vestræ Dominationis insequi et complere quam libentissime parati etc. Datum in d. villa Villæ-regalis, die octavo mensis Augusti, anno et Nativitate Domini MDXCIV.

Fr. Bartholomæus Comes Prior,
Hieronymus Gasco Presbyter.

De mandato prædictorum magnificorum Commissariorum, Joannes Hieronymus Jorda Not. et Scriba.

Philippus 2 Rex Hisp. favet cultui promovendo.

175 Ego quoque missus fui, ut de re tota relationem facerem Majestati Philippi secundi, cujus singularem erga Deum Sanctosque religionem expertus etiam sum. Nam cum negavisset audientiam tractare volentibus gravia regnorum suorum negotia, propter infirmitatem qua tenebatur; mihi eam concessit in Vigilia S. Joannis Baptistæ anno MDXCIII, ut coram se et carissimis liberis suis, Philippum tertium Dominum nostrum et Infantem Dominam Isabellam, referrem de vita et miraculis S. Fr. Paschalis; quemadmodum feci, ipsis cum maximo silentio, attentione et alacritate audientibus. Mandavit autem mihi, ut Informationem de eisdem conficerem, Regium favorem suum addicens promovendæ venerationi ejus, cujus pileolum et catenam D voluit custodiri, donec ex mandato suo a me peterentur. Instructor etiam Principis nostri Don Garcias de Loyasa, Archiepiscopus Toletanus, quem Deus habeat in cœlo, et Excellentissimus Marchio Deniæ, qui me tunc in conspectum suæ Majestatis adduxit, et in conclavibus suis hospitari voluit, singulari cum devotione a me petierunt Reliquias ex habitu, quas dedi et ipsis et aliis quibusdam Magnatibus istius aulæ, qui tunc aderant in insigni conventu S. Laurentii del Escurial: qui easdem cum maxima exceperunt reverentia, videntes quanti sua Majestas nostrum Sanctum faceret.

CAP. LXV

Provincialis ad mortuum festinans in morbum incidit,

176 Cum hic moriebatur, obibam ego juxta officii mei obligationem, tamquam Provincialis, conventus mihi subditos, eramque in extremo totius provinciæ Jumellensi cœnobio. Ibi quam triste acciderit mihi nuntium istud, novit Deus et oculi mei. Festinavi autem continuo proficisci in Villam-regalem, itineribus quam vires meæ patiebantur majoribus: unde et propter tempestatis istius calores, et quia sic Deo placitum fuit, Villenæ in morbum incidi adeo gravem, ut de vita mea desperarent medici: sed allato ad me habitu Sancti, qui Almanzæ servabatur, miraculose convalui: non tamen ita cito viam E emetiri potui, tam morbo quam aliis occupationibus præpeditus, quin octo omnino menses post sancti viri obitum effluxerint, priusquam Villam regalem appellerem. Ibi multi me præstolabantur, ut aperirem sepulcrum et capsam, quibus continebatur viri sancti corpus, ut ipsum viderent; alii in circumjectis oppidis positi pactique cum Villa regalensibus amicis, ut se tempori monerent, omnem adventus mei famam auribus arrectis captabant. Ego vero considerans minime expedire tunc inspectionem publicam, curavi vulgandum sermonem priusquam eo venirem, quod nullo modo aperienda erat capsa, nec ego eam inspecturus.

ab coque sanatur.

Idem aperto loculo corpus integrum deprehendit.

177 His ita provisis, nocte quadam appuli ad conventum Villa-regalensem: cumque uni Religiosorum sub obedientia mandassem, ut quam secretissime perfringeret parietem, quo claudebatur concavitas altaris, et sarcophagum sine strepitu reseraret; prætextu capiendæ quietis mihi a via fesso necessariæ, jussi ut Religiosi omnes, quos sermocinando detinueram in cella mea donec confectam rem scirem, in suas se cellas singuli reciperent. Assumpto deinde Guardiano et socio meo aliisque duobus Religiosis, postquam alios omnes indormivisse cognovi, ad inspiciendum sepulcrum accessi, F et corpus totum viva calce coopertum reperi. Hanc ego cum propriis manibus dimovissem, discooperui vultum Sancti, divinitus integrum in carne sua, et totum reliquum corpus integrum, ut ne quidem extremitas narium, quæ prima defluere mortuis solet, in eo desideraretur. Vidi integros oculos, barbam, labia, collum, pectus, ventrem, manus, carne ubique integra: et dexteram manu mea elevans, osculum eidem fixi, notavique mollem eam esse atque tractabilem, et crystallino quodam humore stillare. Inspeximus tibias, cruraque tam plena, ut nec pilus quidem decidisse notaretur. Nihil autem fœtoris naribus, nihil visui horroris offerebat: sed eliciebat omnibus devotissimas lacrymas positum coram oculis nostris tam insigne miraculum.

Post biennium adhuc incorruptum reperitur.

178 Post hæc mandavi, ut clauderetur capsa et paries apertus reficeretur: calcem vero nolui amoveri, dicens: Qui in hac calce tot mensibus te conservavit, poterit sic conservare annis aliquot, ut testatius fiat celebriusque miraculum, quando transferendus es in locum honoratiorem. Venit deinde Commissarius, qui visitabat Provinciam; quando Religiosi Villa-regalenses, cupientes corpus sanctum videre,

A dere, ipsum aperuerunt cum ejus licentia anno MDXCIV die XXII Julii, duobus et amplius annis postquam in viva calce sepultum fuerat: invenerunt autem ipsum sic constitutum. Vestis tota pannique minores in cinerem abierant, unico excepto panniculo, qui supra verenda corporis restabat integer, præbebatque testimonium virginalis illius pudicitiæ, qua nec mortuus quidem voluit hac parte nudus conspici. Integrum quoque suis omnibus membris spectabatur corpus, carnibus tamen et nervis exsuccis sine ulla corruptione, quod erectum in pedes per se consistit. Verum tamen est quod desit ei acumen narium, et nonnullis in locis extrema cutis; deest etiam sinistra auris et digitus unus, quos revulsos fuisse apparet: quod si in pedibus mutilum est aliquid, id etiam factum fuerit indiscreta devotione aliquorum, libero suo arbitrio abuti divinitus permissorum, ut sæpe alias, iis etiam in rebus, quibus natura præter morem parcere fuerat jussa a suo Conditore.

Capsæ triplici sera munitæ includitur.

179 Manet porro nunc corpus istud venerabile intra capsam, triplici sera clausam, ad cautelam majorem: clavium autem unam habet Civitas, honoris et securitatis ergo sibi concreditam a Religione, sub B actu authentico, quod per hoc non prætendat jus aliquod in tam pretiosas reliquias, quas agnoscit esse proprium ipsius Franciscanæ Religionis thesaurum. Eadem Civitas, ad ipsum honorificentius collocandum, fabricari jussit capellam pro novo sepulcro, quod illustrissimus Dominus et singularis noster Patronus Don Carolus de Borja, Dux Gandiæ, promiserat se confecturum ex marmore Genuensi, si filium sibi daret: dederat autem Sanctus, ut postulatus erat, Marchionem de Lombaya, formosissimum infantulum, cui pater suus in baptismo voluit dari nomen Francisci Didaci Paschalis, quo donum esse illius agnosceret. Ut autem Illustrissima Ducissa etiam se obligatam specialiter agnosceret, et Marchionem ex se natum filium esse orationum atque votorum; placuit Deo, ut ipsum non prius ederet in lucem, quam renovata esset memoria S. Fr. Paschalis, invocando eum in ipso periculosioris articuli discrimine, quando secundum attestationem obstetricis, conversus in utero fœtus brachium prætendens, significavit, quam præsenti ipse ac mater sua egerent auxilio. Non est hoc quidem indicatum Ducissæ, ne animus ei ad laborem minueretur: ipsa tamen sentiens C differri partum seque plurimum fatigari, verso ad Ducem adstantem vultu ait; Domine, si placeret Deo in hac hora me liberare, numquid iremus visitatum corpus S. Fr. Paschalis? Respondit Dux, id se facturum libentissime. Tunc illa sublatis in cœlum oculis cœpit instanter auxilium Sancti exposcere; cumque ventri ejus impositæ essent Reliquiæ ejus, quæ in Gandiensi conventu servantur; prodiit in lucem sanus infans, quasi eatenus mandatum Sancti præstolatus; parentesque suos et familiam universam complevit lætitia.

Dux Gandiæ voto Sancto facto prolem impetrat.

Compendium

180 Est ergo nunc corpus S. Fr. Paschalis inter altaria Conceptionis et Rosarii: qui locus et capella undique convestitur imaginibus cereis, tabellis votivis, linteis mortuariis, aliisque insignibus miraculorum, per Sancti istius invocationem patratorum; quorum præcipua longo ordine dedimus in hac historia, prout ea simul cum notitia vitæ atque virtutum excerpsimus ex Informationibus seu processibus, Episcopali (ut supra vidimus) auctoritate formatis. Quæ omnia, ut chronologico concludantur compendio, dico, quod natus est S. Fr. Paschalis in oppido Turris- formosæ anno MDXL. Suscepit habitum apud Dominam nostram Lauretanam de Monteforti in regno Valentino, die Purificationis virgineæ anno MDLXIV, Custodem Provinciæ S. Joannis Baptistæ agente Fr. Alfonso de Lerena. Anno deinde sequenti ejus Professionem excepit Fr. Joannes de Cordovilla, istius Conventus Guardianus. Obiit anno MDXCII, ætatis suæ LII, regnante in Hispaniis Philippo II, Sedem Apostolicam obtinente Clemente VIII, Generale Ordinis Franciscani Ministerium sustinente Fr. Francisco de Tolosa Episcopo Tudensi; Custodiam vero hujus provinciæ administrante eo qui præ ceteris erat indignissimus. Sepultus est denique in conventu Villæ-regalis, octo leucis ab urbe Valentia, in regia via quæ Barcinonem ducit. Atque hic finis esto præsentis Chronicæ, quam conclusi in conventu S. Antonii de Ayora, oppido Illustriss. Ducis del Infantado, anno MDXCVIII mense Decembri, ipso die quo Ecclesia id Matutinis Laudibus ad Benedictus præscribit cantandam Antiphonam: Ecce completa; quam et ego ad Dei gloriam huic meo operi possem subscribere.

D EX HISP. XIMENII.

SUPPLEMENTUM

Vitæ, virtutum et miraculorum.

Ex Italico P. Fr. Christophori d' Arta. E

CAPUT I.

De vita Paschalis ante susceptum Religionis consilium.

L. I. C. I.

Anno MDXL, primo Pentecostalis Paschatis die, XVII mensis Maji, in loco Turris formosa dicto, natus agricolis, sed honestis piisque parentibus Paschalis, futuræ sanctitatis ab ipsis incunabulis dare cœpit indicia; primo ratiocinii humani initio doctrinæ Christianæ elementa labiis adhuc balbutientibus pronuntiare tam libenter assuescens, et signum Crucis digitis tenellis formare, ut ea res delectationi magnæ parentibus esset. Cum autem etiam die quadam ad divina Officia eum super brachia portasset mater sua in ecclesiam, notatus est tam quieto ore, oculisque in mysteriis sacra tam intentis hæsisse, ac si eorum dignitatem pleno percepisset intellectu. Exinde sic ille affici erga ecclesiam cœpit, ut si vel tantillo tempore eadem mater illum relinqueret solum, quo pedibus rectis nondum per ætatem accedere poterat, etiam manibus adreperet, non sine magna parentum solicitudine, qui eum toto requirentes oppido, F non nisi in ecclesia reperiebant. Quod cum sæpius accideret, et justus alicujus infortunii a parvulo incurrendi metus subesset, conati quidem illi sunt objurgationibus minisque absterrere ab ejusmodi ausu, vincere tamen non potuerunt propensionem, non tam naturæ, quam gratiæ illuc allicientis.

Pueritia Paschalis.

2 Procedente ætate procedebat etiam pietatis affectus; nec alia fere puero ludicra erant quam Rosarium et Sanctorum imagines: quo multum conferebat materna institutio, variis exercitatiunculis piis eum informans: patris autem reverentissimus semper, numquam visus est in aliquo ejus mandatum transgredi. Quin etiam fratribus suis quatuor, ex quibus nonnulli erant ætate majores, tali erat exemplo, ut eo præsente nihil indecorum facere auderent, idque cum necdum ageret annum ætatis septimum. CAP. II.
* Quem ubi attigit, pascendo gregi potius quam agriculturæ applicandum censuit pater, eo quod is minus pollere viribus videretur. Hoc agens, singulariter afficiebatur cuidam eremitorio, cui a sanctissima Virgine della Serra nomen erat, et ejusdem imagini. In hujus ambitu frequens Paschalis, vultum illuc convertebat identidem, sæpe etiam eo versus flectebat genua, et quas memoria tenebat recitabat preca tiunculas: quod si abducere longius gregem ei opus erat,

Gregi pascendo præficitur.

EX ITAL. D'ARTA.

A erat, præsentiam dilectæ sibi ædiculæ supplebat icuncula matris Dei, supra chartam duriorem expressa; eamdemque pedo suo pastorali insculpserat, una cum Crucis forma; et ipsum solo defigens, intendebat suavibus cum Domina sua Patronaque colloquiis, et cuidam ejus Officiolo percurrendo.

CAP. iii. *Socii ipso præsente a periculo tuti sunt.*

3 Cum sese inter sodales occasio dabat loquendi de Deo, de virtutis excellentia, de peccati gravitate, tantum aderat verbis ejus jam grand'uscali pondus, ut ex iisdem ejus sodalibus aliqui in suis depositionibus dicant, sæpius visos esse homines grandævos lacrymantes, attenteque excipientes monita ejus de observantia mandatorum Dei. Hinc fiebat ut viciniæ totius pastores, magni ac parvi, cum de eo forte loquebantur, appellarent Beatum (ipsa testium verba sunt) et pro tali haberent; ejusque ambirent societatem, persuasi quod eo præsente nihil sibi posset evenire mali: quod sane notabili ad memoriam eventu patuit aliquando. Pascebat cum uno ex illis gregem in territorio Alconchelensi, et inter duas grandes quercus ambo consederant; cum subitus turbo utramque radicitus e terra extulit prostravitque, sic tamen ut una illarum in unum, altera in
B alterum latus caderet, illæsis qui medii erant adolescentibus, Deoque gratias referentibus: quæ res deinde ab aliis cognita, multum eos in concepta de Paschali opinione confirmavit. Quod si adversi incidebat aliquid, prorumpentes forte ad juramenta aut blasphemias socios corripiebat modeste, dicebatque, sicut eorum quidam deposuit; Tace, frater, quid faciemus? Adjuvet nos Virgo; Domina nostra opituletur nobis.

CAP. IV. *Curat ne cui grex suus damnum det.*

4 In illo autem pastorali opere mirum quantum esset solicitus, ne cui damno causam daret. Ergo cum aliquando instaret mater, ut cujusdam amitæ suæ pauculas capras pasceret; ille magno cum animi candore; Parce, inquit, mater, neque hoc mihi impera; quia sunt tam petulcæ, ut quantacumque adhibita diligentia grande tamen damnum ubique faciant; et ego nolo habere occasionem cuiquam faciendi male. Ejus autem eo in genere vigilantiam hoc declarat, quod atramentariolo pennaque instructus semper, in collectis eam ad rem studiose chartarum particulis, notabat locum et dominum loci, cui forte damnum aliquod grex suus attulerat: et, si erat pretio æstimabile, continuo id indicabat læsis, eorumque arbitrio compensabat, neque patiebatur a conductoribus suis quidquam exigi aut solvi,
C quia id totum suæ imputans negligentiæ a se solvi debere aiebat: quod si illi causa gregis sibi commissi aliquando mulctabantur, id ante omnia detractum volebat debito sibi stipendio.

Renuit auferre, et ablatas comedere uvas.

5 Idem annorum necdum quatuordecim, jussus aliquando a magistro pastorum ingredi vineam quamdam ad uvas carpendas, cumque id facere recusans, minis etiam adigeretur, constanter respondit; Nec si membratim me discerpere valueris, morem in hoc tibi geram. Tunc ille multum indignans eodem ingressus uvas attulit, et, ut manducaret secum, Paschalem invitavit: atque hoc etiam recusantem non ferens, a se repulit. Sed permansit in proposito sanctus puer, magistroque modeste significavit, furto ablata numquam esse utilia. Multo etiam junior erat, neque adhuc decimum ætatis annum compleverat, quando pastorculus quidam, videns eum in manibus habere funiculos quosdam e juncis marinis contextos et multis nodis insterstinctos, quæsivit ex eo quem usum haberent. Cui Paschalis: Hi quidem, inquit, Coronæ recitandæ serviunt, isti vero ad peccatorum meorum memoriam retinendam. Tum socius; Ecqua, infert, in re tu potes peccare? Paschalis autem magno cum fervore: Ecqua in re quæris? Conculcando hanc terram, videndo, cogitando. Tantam scilicet tenellæ menti mali bonique D
discretionem jam tum infuderat Deus. Otii autem fugientissimus simul et propagandi cultus Mariani zelantissimus, si quid vacui habebat temporis libenter impendebat texendis ex junco istiusmodi rosariis, quæ inter pastores distribuebat, usum simul et docens et suadens.

CAPUT II.

Vocatio Paschalis ad Religionem ejusque acta ante ingressum.

CAP. V. *Socio uni mentem de religione indicat.*

Familiaritas ei contracta erat cum quodam Joanne Apparitio, quem sibi unanimem fidelemque per tres annos expertus, solum fere habebat socium: huic suum ille vitæ religiosæ ineundæ consilium indicavit, huic post quindecim dies dixit, quid sibi juxta eremitorium Alconchelense pascenti fuerit a Fratre et Moniali sibi apparentibus circa id revelatum: huic etiam paucis post diebus se obtulit cum habitu et pallio cinerei coloris, quali utuntur Religiosi Franciscani, dicens, iterum sibi eosdem apparuisse, quodque ad eorum mandatum implendum vellet ex E
ea regione discedere (sicut reipsa fecit, transferens sese in locum dictum Penhas de S. Pedro in regno Murciæ, ubi sororem habebat) huic denique revertens post annum occurrit, pro pallio indutus palliolo religioso et pileolo cinereo. Id autem testanti Apparitio attestantes plures alii expresse notant, palliolum breve fuisse, et funem quo cingebatur crassum, eique, quo Discalceati nostri utuntur, simillimum.

CAP. VI. *Sitientibus aquam suppeditat, ubi nulla erat.*

7 Cum eodem Apparitio pascebat aliquando gregem Paschalis in via quæ Capræ-fontem ducit, circa locum Covatilla dictum, ubi fons erat unde solebant bibere, sed adeo turbidam tunc habebat aquam, ut vel aspectu suo nauseam crearet. Cum ergo alibi eam quærere vellet Apparitius; Non discedamus hinc, inquit Sanctus, quia ego aquam hic tibi præbebo: atque a via regia nonnihil deflectens, depositis in terra pedo ac pera, fossam parvulam manibus suis excavavit, quæ mox repleta fuit aqua clarissima, ad eamque sedentes ambo eductum e sitarcis panem manducarunt. Admiranti autem Apparitio dixit Paschalis: Amice, quando sitiens non habueris aquam, terram percute scipione, et invenies. Dixit autem Apparitius prædictus, quod paulo post eodem reversus, non amplius aquam istam repererit: sed ad servandam loci memoriam, Crucem posuerit, F
quæ adhuc supererat, quando ille prima vice in Villaregali his de rebus testimonium dixit.

CAP. VII. *Septennis præsagia futuræ vitæ dat.*

8 Ceterum non tunc primum cum prædicto Apparitio communicavit suum de vita religiosa consilium, aut cogitare id cœpit; sed diu antea hujusmodi vitæ aliquando tenendæ præsagia dederat. Habebat septennis parem sibi ætate cognatum Franciscum Delgado, quem parentes sui ex devotione induerant habitu Franciscano: quæ res eum tam gratiosum faciebat videri Paschali, ut ab ejus consortio avelli vix posset. Cum ergo infirmum Franciscum aliquando visitaret, invenit ejus vestem in scamno expositam: quam sibi induens, seque in ea gaudenter demirans, induci non potuit, ut in digressu eam deponeret; cum lacrymis sese opponens eis, qui ipsam abstrahere sibi vellent, neque minis cedens. Quo viso avunculus pueri matrem accersiri jussit: ad cujus mandatum ille quidem paruit, sed perrexit inconsolabiliter plangere. Postquam autem ætate jam grandiori recusasset sibi cum filia oblatam a Martino Garcia hereditatem; is, qui antea sæpe fuerat paterna in domo de temporali re aliqua colloquentibus germanis dicere solitus; Ego nihil volo, nihil volo, quia debeo esse Frater; eumdem in finem patrimonii se

A se contingentis partem fratri suo Joanni Baylon atque sororibus duabus concessit. Matrina autem ejus, quæ eum summe diligebat, totiesque auditum dicere quod deberet fieri Religiosus, appellare solebat Fraterculum suum; postquam intellexit revera habitu sancto indutum; Gaudeo, inquiebat, quod Paschalis meus verbi sui fidem impleverit.

CAP. VIII. *Sorori valedicit.*

9 Annum agebat ætatis vigesimum, quando hac de causa in Valentinum regnum se contulit: quo in itinere transire voluit per Rupes S. Petri dictas, ubi sororem habebat, ut supra dictum, nomine Joannam Baylon, ut ei valediceret. Excepit eum cum gaudio soror, cœnamque paravit: sed inducere nulla ratione eum potuit, ut aliud quam panem et aquam gustaret. Quod quamvis ei displiceret, existimans tamen id ab eo fieri, quia lassus a via egebat requie; mandavit sodali suæ Joannæ Garciæ, ut fratri lectum sterneret. Refert autem hæc in suo examine, quod cum ambæ eum in cubiculum deduxissent, jussæ recedere, et luminis extinguendi curam sibi relinquere, paulo post redierint ad ostium, cui ille interius pessulum obduxerat; notantesque lumen adhuc ardere introspexerint per rimas, viderintque
B eum nudare se, sumptisque funiculis tanto cum rigore flagellare, ut coactæ fuerint inde abire, non valentes planctum dissimulare. Postera die jentaculum eidem præpararat soror; sed ille iterum præter panem et aquam gustare nihil voluit, ac ne in pera quidem accipere quidpiam edendum in via; solum petiit, ut cucurbitula quam ferebat impleretur aqua dicens, quod si fames urgeret, frustum panis esset medicaturus; atque ita discessit. Illæ vero ingressæ cubiculum, invenerunt lectum, uti eum hesterno vespere composuerant; indeque intellexerunt, quod noctem humicubans egisset.

CAP. IX

10 Postquam eo quo iter intenderat appulit, dominumque invenit cujus gregem pasceret; cum observatus esset identidem id facere circa conventum Virginis Lauretanæ, idque renuntiatum domino ejus esset, metuenti ne grex suus sterili in solo et tam frequenti accessu depasto minus commode haberet, quæsivit ex eo cur non ad alia pascua lætiora transiret. Cui Paschalis; Ego et grex meus nusquam bene sumus nisi in conspectu Virginis, cujus protectio eum valde impinguabit. Hoc audito, fidem ejus et devotionem admiratus ille, dictorumque veritatem experientia comperiens, agere eum deinceps pro libitu sivit. Dicunt autem pastores, inter quos quadriennio toto versatus est, quod cum ipsi luporum
C metu vigilarent, Paschalis gregem suum noctu plerumque dimitteret in campo, seseque ad ostium conventus transferret orationis ergo, secutus protectione Deiparæ. Dici autem vix posse aiebant, quantum eam veneraretur, flectendo genua conventum versus cum signum dabatur ad Ave Maria, Rosarium ejus attentissime recitando, quod semper in manu aut ex collo portabat, alios que ut idem facerent inducendo: cum autem dormiebat suum illum scipionem, in quo Deiparæ iconem sculpserat stringebat amplexu, et vigilans cavebat ne eum vel in pecudes jaceret, vel aliqua leviori actione inhonoraret. Sed et suavissime de ea loquebatur, nihil frequentius in ore habens, quam, Salvet me Dei mater, Virgo me sospitet. Similiter et S. Josepho afficiebatur tenerrime; ideoque libenter adibat colliculum quemdam, medium inter oppida Elches et Montisfortis, quod ex eo Conventus ambo, quos solos Valentino in regno tunc habebat provincia nostra, eminus conspiceret; suum scilicet Virginis Lauretanæ, et alterum Sponso virgineo sacrum.

Virgini Mariæ gregem committit;

eamdemque pie colit.

11 Si quando rogabatur a sociis pastoribus, ut cum iis manducaret; accipiebat pauxillum panis, idque aquæ intingens surgebat, dicebatque ita levius se habere. Libenter tamen videbat ipsos manducantes ac bibentes etiam vinum, licet ab eo ipse constanter abstineret: ac ne in domibus quidem patronorum suorum, quando illuc pro gregis sui necessitatibus adibat, oblatum instanter volebat suscipere. Discalceatus semper cingebatur crasso ex juncis marinis fune: sibi autem ea de causa compatientibus respondebat, Hunc in modum fit aliquid ad obtinendam peccatorum remissionem, et cœlum si possibile est consequendum. * Ut autem accurate servaret præscriptam sibi distributionem temporis, solare horologiolum penes se ferebat. Justitiæ vero erat observator tam rigidus, ut vel intrare in vineam alicujus ad carpendum uvarum racemum grande quid crederet, quodque nemini licitum esset, nisi extrema siti aut fame urgente. Quod cum nimis scrupulose ab eo sumi dicerent alii; nihilo ipse minoris æstimavit quamvis parvulas reculas in illa materia; adeo ut, si grex suus vel quatuor obulorum damnum faceret alicui, continuo id curaret compensare. Dicentibus autem sibi, quod ita volens agere, tandem plus solveret quam esset gregis totius pretium, respondebat: Multa parva hominem ad inferos trahunt, et ego nolo tanto gravari pondere. E

Magnam minimorum curam habet.

D EX ITAL. D'AVITA.

CAP. X

amantissimus justitiæ,

12 Contigit ergo, ut sine ipsius culpa aliquando pecus in sata quædam ingressum, haud leve ut ipsi videbatur damnum faceret, quod eum vehementer conturbabat, quia nomen domini, cui satisfacere oporteret, ignorabat. Hæc in mœstitia defixo occurrit per viam homo, quem hilariter interrogans, numquid sciret quis agri illius foret dominus, cum nomen audivisset, auditumque more suo vellet scripto mandare, non reperit atramentariolum suum; hominique, turbationis quam præseferebat causam requirenti, respondit: Quia excidit mihi atramentarium, neque possum scribere nomen ejus, cui grex meus damnum dedit, timeo autem ne ipsum memoria mea excidat. Nimia videbatur Gaspari Guerræ (id ei homini nomen erat) ista solicitudo: sed respondit Paschalis; Præstat, amice, hic quam in inferno solvere. Ut ergo suæ faceret conscientiæ satis, coram eodem Gaspare, agni unius auriculam inscidit, acceptamque festucam intingens sanguini, ut melius potuit, nomen scripsit; quod idem deinde vir admirabundus publicavit. Similiter quia verebatur, ut quantacumque adhibita diligentia ad plenum satis fecisset iis juxta quorum agros solebat pascere, fodientibus aut metentibus eorumdem famulis aliquando se jungebat; et hoc faciens etiam integro F die, nolebat vel panis buccellam aut aquæ haustum ab iis accipere, sed de proprio vescebatur.

sanguine agni scribit, atramentario perdito.

13 Hinc fiebat, ut in eo tribunali, quod constitutum istis locis habetur ad æstimanda damna ab animalibus facta, tanta, haberetur fides Paschali etiam injurato, ut simplici ejus depositioni fides haberetur absque informatione ulteriori: quo etiam juvit hic qui sequitur casus. Incurrerat nocte quadam grex suus in sementem vicinam, et damnum notabile ei intulerat; quod statim ac mane vidit Paschalis, ad judices retulit, rogavitque venirent æstimaturi noxam. Venerunt illi, et coram domino judicarent absumptum esse grani tantum, quantum mensura impleret, quæ in regno Valentino barchiglia nuncupatur: verumtamen suspendendam definitionem ultimam, donec sementis, quæ adhuc in herba erat, ad frugem maturitatemque pervenisset. Reversi ergo messis tempore æstimatores nusquam fruges lætiores copiosioresque repererunt quam eo loco, quem a grege suo depastum fatebatur Paschalis; et Deum in servo suo mirabilem collaudarunt. Notarunt alii, quod in hac parte tam solicitus, numquam tamen pecora sua jactis pedo lapidibus arceret ab agris alienis aut in viam reduceret, sed ut summum comminari solitus,

Seges depasta, lætior invenitur.

EX ITAL. D'ARTA.

A solitus, maxima cum moderatione modestiaque id faceret, illis velut hominibus parcens. Alii observarunt, quod licet plenus misericordia erga pauperes nemini stipem petenti negaret, non tamen cum eis dividebat panem, sibi ad sui sustentationem datum a patronis : sed potius denariorum aliquid, e salario reservatum, curabat penes se habere, ad eorum necessitatem sublevandam.

CAP. XI. *Quomodo colat festa :*

14 Qui tam solicitus erat, ne quid alieni juris fraudaret, facile intelligitur quam exactus fuerit in eorum mandatorum observatione, quæ divinum concernunt cultum. Ergo ne memoriæ defectu alicui Vigiliæ cum jejunio observandæ deesset, curabat habere Kalendarii exemplar, ex eoque etiam indicabat sociis, quæ festa essent de præcepto colenda. Curabat etiam pridie eorum sic disponere domi omnia, ut nec ligna quidem comportanda haberet, quatenus diem totum impendere sacris exercitiis posset. Quod attendentes pastorum magistri, præscindebant etiam ipsi occasiones, per quas potuisset impediri ; quin et diebus feriatis non raro facultatem præbebant audiendæ Missæ. Gratanter id sane accipiebat Paschalis, sed graviter ferebat, quod, ne deesset B officio suo, adeo celeriter deberet reverti. Quando autem nec illud licebat et erat in loco vicino conventui, observabat sedulo pulsum campanæ, ut quo non poterat corpore, accederet affectu. Et gratificari illi volens pientissimus Dominus, cujus deliciæ sunt esse cum filiis hominum, sæpe ei inter nubes spectabile exhibebat sacrosanctæ Eucharistiæ mysterium, Angelicis manibus in hierotheca sustentatum. Unde ille gaudio immenso perfusus continere se non poterat, quin advocaret socios, ut fierent ejusdem participes spectaculi : qui licet intendendo oculos, quo ille digitum, nihil viderent ; non dubitabant tamen, quin vera diceret, idque plures postea testati sunt.

S. Hostiam spectandam ei exhibent Angeli.

CAPUT III.

Insignes Paschalis jam religiosi virtutes.

CAP. XII. *Ingreditur Religionem,*

Interim contemplabatur virtutes et vitæ asperitatem in isto Virginis Lauretanæ conventu florentem, eique arctius per vinculum religionis cupiens uniri voti compos factus est anno MDLXIV a Custode Provinciæ Fr. Alfonso de Lierena, Guardianum conventus agente Fr. Joanne de Cordoniglia : exactoque novitiatus anno religiosa vota professus est in C festo Purificatæ Virginis II Februarii * Exinde varios habitavit conventus, atque in loco Montagnanæ. Ibi cum esset, exibat frequenter lignatum, et fasce onustus redibat domum : quoties autem cum socio eleemosynæ causa abibat longius, cedebat in via lignorum fascem, et hunc veluti hospitii mercedem ferebat in domum ejus Fratris apud quem erat noctem acturus, vel eumdem relinquebat eleemosynæ nomine apud aliquem pauperem. * Eodem humilitatis spiritu conabatur occulere virtutes suas, et favores sibi factos divinitus. Accidit tamen aliquando, ut raperetur in ecstasim quodam in loco, ubi videri a Fratrum uno poterat : de quo vehementer postea erubescens, Fratrem illum adiit, monuitque ne magnopere æstimaret quod viderat : egisse enim secum Deum quod sæpe indulgens pater erga immorigerum filium, blandius eum tractans ut paulatim a vitio ad virtutem traducat.

CAP. XIII *Humilitatis ;* *CAP. XIV.*

CAP. XV. *et Patientiæ studiosus.*

16 Humilitatem ejus comitabatur insignis patientia, quæ nullo casu videbatur posse commoveri. Visitabat aliquando in Villa-regali quemdam infirmum, nomine Damianum Porquet, gravius quam sciebat periclitantem : quod intelligens Paschalis cœpit eum, ut cito moriturum, monere suaviter, sed aperte. Displicuit ea libertas circumstantibus, mi- D nime existimantibus adeo vicinum esse discrimen ; quare eum cœperunt injuriosius objurgare, dicentes, idiotam esse et indiscretum, quod rei medicæ imperitus præsumeret ægrum conturbare nuntio tam importuno ; aliaque addentes convitia domo illum expellebant, imprimis uxor decumbentis. Ad hanc ergo sereno vultu sese convertens : Ignosce mihi, Soror, ignosce, inquit : non enim dixi, ut te conturbarem, sed ut infirmum præpararem ad mortem Christiane obeundam : numquid autem etiam tibi videtur, prius saluti animæ providendum esse quam corporis. Laudetur D. N. Jesus Christus : mane cum Deo. Et hæc dicens abiit adeo lætus, ac si magno bono ibi donatus fuisset. Vix autem egressus erat domo, quando Damianus in se conversus, et notæ sibi sanctitatis virum minime vana monuisse persuasus, curavit rebus suis prospicere et extrema suscipere Sacramenta : brevique post obiit, tam improviso successu cives omnes implens admiratione non vulgari. Alias cum congruum judicasset seculares quosdam de aliquo excessu monere, et hi injuriam sibi fieri rati convitia reponerent, dicentes ; verum esse E hypocritam, quem satis appareret inter capras educatum : non potuit animo continere gaudium, ne foras erumperet in vultum ; et genua fletens atque culpam deprecans, impudentiam illorum sua illa mansuetudine vehementer confudit.

CAP. XVI. *Item Obedientiæ ;*

17 Par erat in illo obedientiæ virtus, cujus hoc specimen sit. Cum in Valentino conventu morabatur, simul Dispensatoris et Ostiarii fungebatur munere, utroque propter incolarum multitudinem perquam laborioso. Hoc intelligens, qui tunc erat Provincialis Fr. Petrus de Sena, pro eo quo ipsum diligebat amore, aliquando ei dixit ; Videtur mihi, Fr. Paschalis, quod hic nimium fatigeris : visne ad alium conventum te transferam? Respondit autem ille : Quod ad mutationes attinet, non convenit ut meum exquiratur judicium, quia ego me totum posui inter manus obedientiæ : faciat Caritas vestra quod volet : mutet vel relinquat : quantumcumque enim occupatio sit multa, et inquietudinis plena Ostiarii cura, dum ego per obedientiam laborabo, juvabit me Deus. Alias sciens Provincialis, quod Guardianus conventus, quem Paschalis incolebat, valde parum esset factus ad mores et ingenium viri Dei, dixit ei : Fr. Paschalis, numquid expediret missionem ab hoc conventu petere, quando in eo tibi bene non est? Intellexit facile Sanctus, quo vergeret talis interrogatio ; atque respondit : Non, Frater : numquam enim F ejusmodi petitionem probavi ; econtra semper expertus sum, quando nos committimus Superioribus nostris, post Guardianum unum non adeo commodum sequi alium aptiorem : quod non contingit, quando nostro arbitrio eligimus aliquid, quia tunc a malo ad pejorem devenitur.

etiam post mortem.

18 Quanti porro faceret obedientiam, etiam post mortem voluit significatum, idque gemina vice expertus est Guardianus quidam. Prima, quando in conventu Villa-regalensi die ipsius Sancti festo ad concionem dicente D. Frederico Villa-rasa Canonico Metropolitanæ Valentinæ, atque ad eum locum, ubi facienda erat mentio earum percussionum, quas intra capsam miraculose audiri explicabimus infra, sic dicente, Quod licet multi asserant, mihi dubium est : Fr. Michael de Villa-rasa ipsius Canonici nepos et Guardianus, dixit intra se ; O Beate Paschalis, quamvis ego nihil audeam tibi imperare, tamen, ut hujus loci Superior declaro tibi votum meum esse, ut dubium istud concionanti auferas. Ecce autem ipso illo momento tam valido ictu insonuit capsa, ut quotquot in ecclesia aderant ipsum audiverint ; populoque mirante, errorem suum agnoverit orator,

nec

A nec sine lacrymis sermonem finierit. Alias, cum idem Guardianus ad ipsius B. Paschalis altare Missam diceret, ingressus est ecclesiam Dux de Alcala, tanto cum comitatu strepituque, ut impossibile Guardiano videretur cœpta mysteria prosequi. Recordatus ergo prodigiosæ, quam nuper fuerat expertus, obedientiæ, per modum imperantis rogavit Sanctum, ut tumultum compesceret : confestimque auditus e capsa pulsus omnes attonuit atque silere fecit; itaque sacrificans quiete ac devote Sacrum perfecit.

CAP. XVIII

Paupertatis amor.

19 De amore paupertatis, quo enituit Sanctus, dici potest, quod creverit cum eo in ventre matris suæ : ex quo enim hæc illum concepit, adeo erga pauperes cœpit affici, eisque tam profuse largiri quidquid poterat, ut ad prodigalitatem res tendere passim diceretur in populo; unde etiam aliqui ipsam accusarunt apud maritum, quasi ei liberisque injuriam facientem. Sed respondit vir bonus : Id quod uxor mea largitur pauperibus, nec mihi nec liberis decedere potest. Ex hoc amore fiebat, ut vestis novæ nihil admitteret nisi ægerrime : quare cum aliquando Guardianus Villa-regalensis, indecorum judicans eum indui usque adeo attrita resartaque tu- B nica, novam sumere eum jussisset; tanto suffusus rubore ibat per monasterium, ut eidem remedium quæsierit, a parte anteriori assuendo quædam frusta attriti panni, ut suos ipse oculos falleret Sed deinde cum aliquis Fratrum quæreretur aliquid panni lanei sibi deesse, lateralia segmenta tunicæ suæ rescidit, tradiditque egenti, ipse eadem tam arcta idcirco utens ut saccum indutus videretur. Alias palliolum decentius minusque informe imponere eidem volens Guardianus, coactus est abstinere cœpto, propter submissionem animi, quo deprecabatur, ne suo illo pauperrimo habitu privaretur. Subligaculum autem lineum, quod minorem pannum appellamus, habens præ frequenti sartura instar ligni duratum, quoties laverat, madidum ut erat resumebat potius, quam ut siccandum soli exponeret, et sic forte ab aliquo conspiceretur. Videns aliquando religiosum quempiam, cui Joanni Valera nomen erat, resarcire ejusmodi panniculum particula lanea; lætitia plenus exclamavit, quod eum pro vero filio S. Francisci nosset. Si quid contra dilectam sibi paupertatem committi putabat, monebat libere : itaque cum aliquando data esset Provinciali palla ex serico, isque eam destinasset faciendo altaris pallio, partemque C deesse intellexisset, syndicoque mandasset, ut congruum quæreret supplementum; respondit Paschalis; videret; quomodo id cum paupertate consisteret : monitumque gratum habuit, Provincialis et cœpto abstinuit. * Quodam in conventu cellula erat sub campanili adeo arcta, atque insuper ostio et fenestra ac pene etiam tecto carens, ut nemo in ea posset habitare : ipse vero non destitit eam postulare a Guardiano, donec pro magno suo solatio obtinuit.

CAP. XX.

Austeritas ejus in se.

20 Jam de pœnitentiarum ejus rigore quid dicam? Ciliciorum quibus utebatur mollissimum, contextum erat ex setis, huic vero ad humerum pectusque applicaverat ferream equi soleam. Hoc autem cum de imposito ligno, quod ei pro cervicali erat, subduxisset Fr. Petrus Herrera, sibique experiundi causa induisset, nec brevi quidem spatio temporis tolerare valuit : et tamen ipse sic aut multo asperius indutus, et triplici etiam catenæ ferreæ gyro cinctus, opera quamtumvis laboriosa exequebatur hilariter. * Austeritas porro tanta servabat in eo florem virginitatis illibatum, eademque merebatur ipsi victoriam contra tentationes Angelicæ isti virtuti adversas : neque ipsi tantum, sed etiam aliis, qui tali ex causa ejus precibus se

CAP. XXI

commendabant. Hoc se expertum juratus deposuit D Didacus Araziel civis Monfortensis, falsus de se, quod per decem annos gravissime impugnatus, numquam frustra invocaverit ejus auxilium, de cujus insigni castitate grandem conceperat opinionem ex eo tempore, quo cum vivente cœperat versari familiariter. * Interim profundissima ejus humilitas, ingeniosum eum faciebat ad inveniendos prætextus, quibus virtutes suas occuleret. Hinc cum aliquando Fratrum aliquis eum interrogaret, qua ratione posset dormire non extendens corpus, nec unquam cessans ei aliquid molestiæ irrogare: Nescin' inquit subridens Paschalis, opilionem me fuisse, ideoque consuetum dormire duriter, nullum inde pati incommodum?

EX ITAL. D'ARCA

CAP. XXII

Benignitas in alios, CAP. XXIV

21 Quam autem erga se rigidus tam erat benignus erga alios Paschalis : quin etiam liberalis præsertim erga pauperes. * Cum ergo aliquando fuisset annus solito sterilior, dixit ei Frater eleemosynarius; Obsecro, Fr. Paschalis, moderatior esto in largiendo pane, quia ægre nunc obtinetur. Respondit ille ; Fidamus Deo, credamusque nobis panem non defuturum : pro quovis enim frusto E panis quod dabimus, aperiemus portas duas per quas ad nos eleemosyna intrabit.* Simili occasione Guardianus Villa-regalensis, metuens ne cives, qui suis ipsi dentibus subtrahebant unde sustentarentur religiosi, nimia Ostiarii sui liberalitate in dandis eleemosynis offenderentur, vetuit, ne cui pauperi panem daret extra consuetam horam distribuendæ inter egenos ollæ. Obedivit initio Sanctus, sed cum cordis ejus teneritudo pati non diu posset, eos qui aliis horis veniebant discedere sine solatio, Guardianum accessit : fuitque tam efficax ejus oratio, ut ille convictus rationibus, quas suggerebat inflammata ejus caritas, diceret : Vade Frater, et quidquid domi est elargire quacumque placuerit hora.

CAP. XXV

maxime in pauperes.

22 Accidit aliquando, cum portarii simul et refectoriani officio Sanctus fungeretur Valentiæ, ut vesperi tantum panis quæstuarii ferrent, quantum toti communitati videbatur posse biduo integro sufficere. Nihilominus sequenti die monuit eleemosynarium Paschalis, ut de pane in prandium acquirendo cogitaret. Hic turbatus animo, cum quæsisset, quomodo jam nunc posset panis defecisse ; ad refectorium properat, et omnes ejus angulos scrutatus frustra, ad ostiariam cellam abit, ibique canistrum reperit cum pauculis panibus : quos se- F cum ferens in canistro, et sequi ostiarium jubens, ab Guardianum detulit, dixitque indignabundus : Quomodo tandem poterit salvari Paschalis, si talia facit prætextu caritatis? Erat Guardianus Fr. Andreas a S. Antonio, vir prudens et sanctus : qui commotum plus æquo Fratrem placare volens; Quid faciam, inquit, si Fr. Paschalis Sanctus est? Pupugit hæc sua laus, quamvis alio fine tonoque ac veluti per ironiam prolata, fugientissimum gloriæ humanæ Paschalem : itaque nihil moratus, canistrum secum silenter abstulit rubore suffusus atque discessit. Placuit autem Deo, cujus causa dispendium istud obvenerat, panem istum modicum, quem pauperibus suis Paschalis servaverat, multiplicari, sic ut inde fuerint affatim satiati Religiosi quadraginta, et nihilominus superesset ad usum pauperum, cum admiratione cunctorum.

Panes multiplicantur.

23 In paranda pauperum portione diligentissimus erat simul et nitidus, dicens, non esse illis danda ea quæ alias foras deberent abjici, maxime cum id etiam eorum sanitati posset officere : quod si mensarum reliquiæ nimis paucæ videbantur, addebat aquam et oleum cum aliquantulo pane, omnia sic apparans, ut pauperibus abunde fieret satis. Observaverat eum aliquando non nemo ita condientem

Cibos pauperum sapidissimos facit

EX ITAL. D'ARTA.

A tem cibos istos, dicebatque; Quem saporem poterit jus istud habere, ex hujusmodi ingredientibus paratum? Cui Paschalis; Optimum, inquit, per Dei gratiam. Ille ergo, cum nonnihil secessit Sanctus, gustare voluit: gustatumque condimentum sic probavit, ut tota vita sua nihil sapidius gustasse juraverit. Idem alias accidit, cum juvare eum jussus Fr. Joannes Rodriguez dixit; Quid faciemus? nihil enim in refectorio relictum est pro pauperibus. Cui Paschalis; Ne ea te cura tangat, inquit, impleto aqua cacabum et igni admoveto. Paruit Joannes, interim dum Paschalis paucula panis frusta cum sale quærit: quibus aquæ injectis; Quid, inquit tantillum proderit in tam copiosa aqua? At Paschalis spiritu fervens; Fecimus, respondet, quod potuimus; nunc reliquum est, ut quod potest ex parte sua agat Deus. Res mira! Gustatam deinde offam sic laudavit Frater prænominatus, ut dixerit, melius conditam numquam se comedisse.

CAPUT IV.

B *Prudentiæ, scientiæ et prophetiæ dona Paschali concessa.*

CAP. XXVI *Prudentia Paschalis*

His omnibus virtutibus conjuncta erat prudentia singularis, propter quam non raro contigit in iis ubi habitabat conventibus, Præsidentem eum constitui pro Guardiano absente, licet non deessent Religiosi Sacerdotes ad hoc munus idonei. Similiter cum aliquando deesset Magister Novitiorum (quod officium magnam discretionem requirit) præesse iis jussus est Paschalis, uti testatus est, qui sub ipso Novitius Almanzæ fuit anno MDLXXVI, meminitque plurium utilium monitorum ab eo tunc acceptorum. In conventu etiam Jumillensi concordi voto scribens ad Ministrum Provincialem communitas tota, Superiorem petiit Paschalem, et per menses aliquam multos habuit, cum magno omnium solatio et satisfactione. Noverat enim mirabilem in modum servare lenitatem erga alios communisque vitæ rationem cum omnibus, etsi erga se proprie tam esset durus austerusque. Itaque cum aliquando intellexisset Magistrum Novitiorum in conventu S. Annæ indiscreto quodam zelo abripi, et gravius solito onus tam in pœnitentis quam in orationibus aliisque exercitiis imponere subjectis, secreto eum advocavit, instruxitque de moderatione tenenda tam feliciter, ut Magister ille magna cum gratitudine palam C professus sæpe sit, quantum ex ea instructione profecerit.

CAP. XXIX. *Farinam benedictione auget.*

25 Cum habitaret in conventu Villa regalensi, egressus aliquando ad mendicandum panem, venissetque ad ostium cujusdam sui devoti, Joannis Fernandez; ipsemet pater-familias occurrit, duos panes manu præferens. Quod admiratus Paschalis; Quomodo, inquit, nunc duos panes accipio? Dicam, reponit Joannes, quia minus frumenti video me habere, nec satis pecuniæ, ut quod mihi meisque necessarium erit emam, ideo eleemosynam duplicare statui, ut modicam, quæ superest, farinam multiplicare dignetur Deus. Hac ejus fide delectatus Paschalis quæsivit, ubi eam haberet conditam. Veni, inquit ille, et vide. Ivit Paschalis, suamque benedictionem impertitus; Ne verearis, inquit, defuturam tibi farinam: et hoc dicto abiit. Testimonium autem de his postea ferens Joannes, affirmavit, quod licet farina illa non esset sufficiens pro media temporis quod restabat parte, duraverit tamen usque ad messem, ultra quam solebat, cum sua magna justaque admiratione.

CAP. XXXII

26 Inter hæc etiam prophetiæ spiritu pollere Sanctum, tum aliis, tum sequentibus casibus patuit. Mulier quædam Isabella de Exea dicta, ex quadam displicentia proposuerat animo nullam amplius eleemosynam conventui facere; in eoque sibi videbatur tam fixa, ut numquam se movendam crederet, quamvis totus mundus hoc ei mandaret. Cum autem primum ei locutus est Sanctus, audivit ab eo; Soror, promittas mihi, quod caritatem hactenus nobis factam non sis ex ulla causa intermissura: unde intellexit ea, cor suum ei divinitus patefactum, salubriterque confusa propositum mutavit. Fr. Petrus Pastor redidat a parentibus suis, post tractata quædam negotia sibi molesta: atque Villena transiens, ubi tunc Paschalis morabatur, cum eoque agens, ex ordine referentem quid tractasset, acsi præsens adfuisset, miratus est, consiliisque ab eo acceptis recreatus adjutusque. Fr. Joannes Olarte, magnam spiritus obscuritatem patiens, quam neque Novitiorum Magister Fr. Emanuel Rodriguez potuerat tollere; cum B. Paschali dixisset se quadam spirituali afflictione premi, non addita causa, totam hanc ei explicuit Sanctus, et conscientiam ejus serenavit. D *Occulta novit.*

CAP. XXXIII *Eventura prædicit.*

27 Erat in Villa-regali juvenis Sancto carus, sed lusui perdite addictus: quem cum frustra sæpe monuisset Paschalis: Lude, inquit, lude: sed numquam vinces: quod cum is deinceps esset expertus, E fide amici verbis habita a lusu abstinuit. Agathæ Borrel maritus jacebat depositus a medicis: quam ideo afflictam consolans Sanctus; Cursum suum, inquit habebit infirmitas; sed quamvis longa, mortalis non erit. Simili occasione id ipsum dixit Bartholomæo Sart, pharmacopœo Villa-regalensi, et dicti veritatem facti probavit eventus. Antonius de Fuentes in suo examine refert; quod quidam vicinus suus ita esset a Fratribus alienus, ut omnem occasionem fugeret agendi cum eis: quodque id narranti sibi Paschalis dixerit: Veniet tempus, quo iste magna devotione motus, curret post Fratres: itaque successisse ait, ut vix majorem illo benefactorem Ordo habuerit in oppido Elche, ubi res contigit Villenæ pharmacopœus erat, qui gratis subministrabat Conventui omnia, quibus opus erat ex sua officina: cujus caritatem aliquando expendens Paschalis; Rependet, inquit, homini isti mercedem Deus dando ei filium, qui fiet Frater Discalceatus: et hic fuit Fr. Gaspar Valera, Sacerdos probus et cum magna virtutis fama mortuus. Villæ regalensi oppido lis gravis erat eum civitate Talentina coram Senatu Arragoniæ: pro qua tractanda missus Don Joannes Jorda Presbyter, ire noluit nisi Paschali F valedixisset. Cum ergo eidem commendasset negotium et itineris sui successum: Vade, Frater, inquit ille, vade, quia lætior atque robustior reverteris: quod sibi ad verbum accidisse testatus deinde est.

CAP. XXXIV *Scientia infusa præditus est.*

28 De scientia Paschali divinitus infusa testatur Fr. Petrus Herrera, quod Valentiæ habitanti sibi proposuerit sæpe quædam puncta prædicanda: quæ ille gratanter excipiens, populoque exponens magnum sibi suisque auditoribus fructum tulerit. Cumque aliquando præscribenti ea sibi Paschali diceret; Libenter ego ista accipio, sed opus est, ut de fervore tuo impertiaris mihi ad eadem utiliter prædicanda; humiliter respondebat vir sanctus: Crede, Frater, quod spiritum et fervorem communicabit Dominus, et ita semper experiebatur, nihil dubitans, quin tam alta tamque solida ei divinitus suggererentur. * Omnibus autem quibuscum agebat utilis et jucunda erat ejus conversatio: cujus rei testem imprimis notabilem habemus Marchionem de Navarres, Comitem de Almenara, Valentiæ commorantem, tunc cum ibi ostiarius erat Paschalis: qui adeo se captum ejus alloquio fatebatur, ut hoc frui omni fere vespera satageret, quia exinde referebat, magnam CAP. XXXV

A gnam de peccatis suis contritionem et mutationem morum notabilem, novis quotidie propositis desideriisque Deo serviendi confirmatus: addebatque, ejusmodi fragrantiam splendoremque solitum absistere a corpore Paschalis, ut quamvis in obscura ad ostium cella sine lumine esset, facile tamen eum videret; neque ab eo digrederetur, nisi cum majori ejus quam primum revisendi desiderio.

Vindictæ cupidum reconciliat hosti.

29 Martinus Crespo, civi Montis-fortis, propter occisum proditorie a suis adversariis patrem, implacabili æstuabat cupiditate vindictæ: cumque nemo ignoraret, quanti ad quietem publicam bonumque commune referret ignem istum restingui; multi viri religiosi ac nobiles interposuerunt auctoritatem suam: sed frustra semper, quamvis et mater et frater primogenitus Martini in pacem consensissent. Ergo placuit, ut die Veneris sancto, quando exhibenda erant Passionis Christi mysteria, adduceretur in ecclesiam, ubi cum Clerus secularis ac religiosus per Jesu Christi sanguinem obtestaretur, ut inimicis condonaret. Sed et hoc frustra fuit. Tunc Paschalis hominem manu apprehensum seduxit a turba, suamque ad eum exhortationem his verbis conclusit; Frater, condona pro Dei amore, quandoquidem videris, B qualia hic sint repræsentata de mysteriis Passionis Christi. Et hæc saxeum antea pectus ita emollliverunt, ut sæpius deinde cum juramento affirmarit, non habuisse se quod ei responderet, ideoque dixisse; Per me licet, Frater, scribatur reconciliationis instrumentum; omnesque inveterati odii radices ita ex corde suo revulsas fuisse, ut oblata sæpius occasione commoda sumendæ vindictæ, etsi injuriæ patri factæ recordaretur, ultionis tamen desiderium numquam senserit reviviscere.

30 Extremo in morbo decumbentem Sanctum curabat medicus, qui filiolum suum ad ipsum adducens rogavit, ut ei precaretur bene: quod ille, pro insigni sua caritate negare non valens, capiti pueri signum Crucis impressit, dixitque: Pater, Filius et Spiritus sanctus benedicat tibi, creatura Dei, teque faciat amicum pauperum. Neque diu postea vixit Paschalis, sed anno MDXCII, prima Pentecostes die, cum sacrosancta Hostia elevaretur sub Missa, spiritum felicem Deo tradidit.

POSTUMA GLORIA

ex libro II *et* III *Christophori d'Arta.*

C

CAPUT I.

Incorrupti corporis quaterna inspectio intra novem annos.

CAP. II.

Misere affecta sanatur

Mortui corpus cum esset in ecclesia expositum secundo die Pentecostes; atque ad sepulturam, quæ eodem die facienda credebatur, infinita vis populi confluxisset, et grandia quædam essent facta miracula; placuit Fratribus hora competenti cantare Missam. Sub hac Joannes Simone et Maria Simona Ferrer, in Castellione planitiei commorantes, moti miraculo, quod in erectione civis sui Baptistæ Cibollim factum eodem matutino tempore noverant, sese penetraverunt ad feretrum, adducentes filiolam suam Catharinam, quæ ab annis multis tumores grandes ovorum instar in fronte, brachio ac pede ferebat. Horum aliquos cum aperuissent chirurgi deprehenderunt malum profundius intra, quam supra carnem altius pertingere; cumque jam omnes lividum contraxissent colorem, malum esse immedicabile visum cunctis est; grandes interim cruciatus patiente puella, cui jam sæpius magna carnis frusta fuerant exsecta. Illis ergo tribus ad feretrum stantibus cum Missa esset inchoata, pater quidem D genibus flexis fundebat orationem, mater vero discooperiens plagas filiæ reverenter a vultu et collo Sancti tergebat sudorem miraculosum, quo digitis collecto tumores singulos inungebat. Statim autem atque elevari cœpit sacra Hostia, subsiliens pater exclamare cœpit; Bono animo, bono animo simus. Miraculum! miraculum! Fr. Paschalis oculos aperit. Ad hunc clamorem continuo versus cadaver omnes se converterunt: magis autem admiratio crevit, quando ad elevationem Calicis, iterum aperti sunt oculi, firmiter in altare defixi, donec ille super corporale repositus esset; eodemque instanti curata est puella, nullo vel minimo signo in ea remanente.

EX ITAL. D'ARTA.

Sanctus post mortem oculos pandit;

CAP. VI.

sepultus diverso tempore inspicitur,

2 Octavo post mortem Paschalis mense Villamregalem advenit Fr. Joannes Ximenez Provincialis: et quo in statu sacrum corpus reserato sepulcro invenerit, ipse descripsit. Biennio post idem fecit Fr. Didacus Castellione Provincialis, reperitque, ut idem Ximenez narrat, consumptis jam calce vestibus nonnulla etiam ex parte violatum. Itaque mansit sacer hic thesaurus, usque dum alia vice apertus est, inventumque, deesse pedes ambos, serra ad E eorum cavillas resectos. Cumque dubitaret nemo, quin audaci et indiscreta domesticorum aliquorum pietas id fecisset; placuit per expressum obedientiæ mandatum sub pœnis excommunicationis gravissimæ imperare restitutionem furti, qua impetrata, collatos ad locum sectionis pedes eosdem esse, qui corpori deerant, agnitum est. Videtur autem singulari majestatis divinæ providentia id permissum fuisse, ut divisæ per conventus Reliquiæ essent infinitorum miraculorum instrumenta; satisfieretque virorum Principum tam ecclesiasticorum quam secularium instantissimis desideriis, quibus pro maxima felicitate fuit particulam vel minimam impetrasse. Quia autem inspectiones omnes prædictæ, in quibus semper suavis odor ab incorrupto corpore emanavit, privato arbitrio et curiositate propria movente, sunt factæ; placet hic ad longum extendere actum visitationis, Apostolica auctoritate peractæ anno post Sancti mortem nono.

nominatim an. 1611 23 Julii

Episcopus Segobricen.

3 In Dei nomine. Amen. Anno a nativitate Domini MDCXI...... XXIII mensis Julii, de mane, pulsata hora VI, adm. Illustris et Rev. Dominus D. Genesius Casanova, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Segobricensis Episcopus, Judex Remissorialis et Commissarius Apostolicus subdelegatus, me infrascripto Joanne Augustino Casanova Notario deputato et F jurato præsente, constitutus personaliter in ecclesia Conventus et monasterio Virginis de Rosario Fratrum Minorum Ordinis S. Francisci Discalceatorum Provinciæ S. Joannis Baptistæ, extra et prope mœnia oppidi Villæ-regalis; et clausis januis dictæ ecclesiæ ad evitandum concursum, continuando et prosequendo supradictam visitationem sepulcri, ubi asservari dicitur corpus d. Servi Dei B. Paschalis Baylon, coram Josepho Mascarell Bajulo, Joanne Hieronymo Bennet Justitia, Marco Antonio Gil, Jacobo Pitarc, Petro Mata, et Jacobo Gil Juratis, et Josepho Renau Syndico prædicti oppidi Villæregalis, et aliis personis peritis, nominatis per præd D. Judicem Remissorialem et assistentem in præsenti visitatione, et convocatis per Petrum Fortunum, ex nuntiis deputatis et juratis in præsenti causa, de provisione d. D. Judicis Remissorialis; et etiam præsente reperto Petro Joanne Pellicer, Doctore Medicinæ oppidi Benicarlon diœcesis Dertusensis, qui citatus de provisione præd. D. Judicis, ad testificandum in præsenti processu et causa interfuit infrascriptis: et in præsentia Bartholomæi Giner, Presbyteri Theologi Rectoris ecclesiæ Parochialis

EX ITAL. D'ARTA.

depositam in altari arcam aperturus

A rochialis de Carcavento diœcesis Valentiæ, et D. Joannis Jordan Presbyteri beneficiati in parochiali ecclesia præd. oppidi Villæ-regalis, testium ad infrascripta vocatorum; et in præsentia aliquorum aliorum, tam ecclesiasticorum quam secularium, instante et supplicante P. Fr. Joanne Ximenez Procuratore in præsenti causa; D. Judex mandavit inferius deferri suprasc. arcam, existentem super duabus trabibus ligneis, parieti capellæ majoris ecclesiæ d. Conventus affini, in parte Evangelii; et illam mandavit apponi super altari collaterali purissimæ Conceptionis B. Mariæ, sito intus cratem sive cancellum præd. capellæ in parte Evangelii. Et præd. D. Judex accepit unam de tribus clavibus, cum qua clausa erat præd. arca, quam habebat præd. P. Fr. Joannes Ximenez, quam ad d. effectum dixit sibi fuisse datam a P. Provinciali præd. Provinciæ S. Joannis Baptistæ: et aliam posuit in sera in medio præd. arcæ. Et suprad. Marcus Antonius Gil Juratus major, habens alteram clavem, apposuit illam intus seram: et P. Fr. Joannes Sanchez Guardianus suprad. Conventus, qui habebat alteram prædd. clavium, illam apposuit in sua sera.

denuntiat sub excommunicatione

ne quis inde aliquid tollat,

B 4 Et priusquam aperiret præd. arcam, præd. D. Judex, in præsentia omnium prædictorum et mei præd. Notarii et prædd. testium, publicavit censuram contentam in remissorialibus litteris in clausula sequenti. Sepulcrum autem in quo corpus præd. b. m. F. Paschalis Baylon reconditum asservari dicitur, visitetur et aperiatur: atque illud cum omnibus et singulis circumstantiis describatur, describique fiat: testium porro nullus vel alius quispiam aliquid ex præd. sepulcro abstrahere, auferre, surripere aut amovere valeat, sub pœna excommunicationis latæ sententiæ eo ipso incurrendæ, a qua nisi a Romano Pontifice absolvi possit. Nec minus abstrahi, auferri, vel amoveri quidquam sub devotionis vel quovis alio prætextu permittatur, nec vestes aut ossa depositi vel quid minimum ex d. sepulcro amoveatur: sed omnia prout fuerint inventa relinquantur, et in eodem statu, modo, et loco in quo corpus nunc est restituantur et reponantur, ac restitui et reponi curentur. Convenit autem declarari lingua Castellana prædictam censuram, ut ab omnibus secularibus circumstantibus, linguam Latinam non intelligentibus, audiatur. Et declarata et explicata præd. censura, præd. D. Episcopus aperuit cum una ex prædd. clavibus unam seram præd. arcæ: et mandavit prædictis Marco Antonio Gil Jurato et Fr. Joanni Sanchez Guardiano, ut cum aliis clavibus unusquisque suam aperiret seram: et sic aperuerunt, et fuit aperta præd. arca in præsentia præd. D. Judicis et omnium prædictorum et mei præd. Notarii et testium. Et intus præd. arcam fuit repertum corpus præd. Servi Dei Fr. Paschalis Baylon, indutum habitu et capucio fusetani coloris cinericii, cum suo funiculo sive cordone accinctum. Et præd. D. Episcopus et Judex Remissorialis, in præsentia omnium prædictorum et mei præd. Notarii et testium, cum forficibus aperuit d. habitum, plus quam apertus erat, a pectore usque ad cingulum: et d. corpus fuit sub hujusmodi forma repertum. Caput sine capillis et cute capitis, barba et collum integra; oculi intro clausi, nasus, in quo deficiebat teneritudo, cetera cum sua cute; os cum suis dentibus, præter duos qui deficiebant, sed remanentes sunt valde firmi: barba integra, licet sine pilis: manus dextera firmiter fixa et integra, sed defuit sinistra, quæ videtur fuisse manu ablata: et etiam deficiebat digitus pollex manus dexteræ, ablatus cum violentia; et fuit ablatus a DD. Ducibus Gandiæ, quando venerunt ad visitandum d. corpus: et illud habent domi suæ pro Reliquia in magna veneratione, prout retulit

C *tum arcam aperit,*

in eaque corpus integrum invenit;

D suprad. P. Procurator: et similiter deficiebant duo pedes, qui quidem fuerunt ablati manu, ut videre erat; et in residuo d. corpus erat integrum, ut constabit ex relatione desuper facienda, per supradd. medicos et chirurgos, peritos, vocatos, et ad præd. effectum convocatos. Et illico aperta suprad. arca exiit ex ea et ex d. corpore fragrantia quædam extraordinarii odoris; et videbatur non esse florum odor neque alia naturalia: quem odorem olfecerunt et se olfacere asseruerunt, tam præd. D. Judex quam alii circumstantes. Et ego præd. Notarius et Scriba quoque olfeci.

qua iterum clausa

5 Et statim postea, viso et recognito d. corpore, suprad. D. Judex Remissorialis mandavit claudi præd. arcam, eo modo quo antequam aperiretur existebat. Et accepit d. clavim, illamque dedit et restituit P. Fr. Joanni Ximenez Procuratori: et suprad. Marcus Antonius Gil Juratus, et P. Fr. Joannes Sanchez Guardianus, acceperunt unusquisque suam clavem: et præd. D. Judex mandavit restitui præd. arcam proprio loco, ubi existere solebat: et assignavit præd. die præsenti hodierno ab octava ad nonam horas ante meridiem, ut supradd. medici et chirurgi faciant relationem dictæ et præsentis visuræ d. corporis coram sua Dominatione Reverendissima, in ecclesia Parochiali S. Jacobi d. oppidi Villæ-regalis, quæ est locus assignatus præsentis remissoriæ: mandando prædd. medicis et chirurgis præsentibus, quatenus sub pœna excommunicationis et sub pœnis et censuris contentis in litteris remissorialibus, assistant in loco et hora assignatis, pro facienda suprad. relatione, interponendo in omnibus supradictis suam auctoritatem pariter et decretum judiciale omni meliori modo. De et supra quibus omnibus et singulis præmissis d. P. Fr. Joannes Ximenez petiit et requisivit per me d. Joannem Augustinum Casanova, Notarium deputatum et juratum publicum, sibi recipi et confici instrumentum, quod per me d. Notarium fuit receptum, loco, die, hora, mense, et anno supradictis, præsentibus ibidem prædd. Bartholomæo Giner Presbytero S. Theologiæ Doctore Rectore Parochialis ecclesiæ villæ de Carcavente Valentinæ diœcesis, et Joanne Jordan Presbytero in ecclesia parochiali præd. oppidi Villæ-regalis Beneficiato, testibus ad præmissa vocatis, rogatis, specialiterque assumptis.

E *Medici et Chirurgi requisiti,*

referunt

6 Et pro executione præd. provisionis supradd. medici et chirurgi fecerunt relationem tenoris sequentis. In nomine Domini. Amen. Noverint universi, quod anno a nativitate Domini MDCXI die vero intitulato XXIII mensis Julii, Indictione et Pontificatu quibus supra, coram Illustriss. et Reverendiss. Domino D. Petro Genesio Casanova, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Segobricensi Episcopo, de Consilio suæ Majestatis, et Judice Remissoriali Apostolico, specialiter electo et nominato ab Illustriss. ac Reverendiss. Dominis Cardinalibus Ritus Canonizationis Sanctorum, litteris Apostolicis remissorialibus desuper expeditis et continuatis in processu in causa præd. canonizationis servi Dei F. Paschalis Baylon, Fratris professi laici Ordinis et Religionis Fratrum Discalceatorum S. Francisci, personaliter constituti Joannes Franciscus Benet medicinæ Doctor, habitator Villæ-regalis, ætatis LVI annorum parum plus vel minus; Joachimus Aguillar, etiam medicinæ Doctor, oppidi de Castellion de la Plana, ætatis XLI annorum parum plus vel minus; Didacus de la Buena L annorum chirurgus, et Gaspar Salas chirurgus d. oppidi Villæ-regalis, experti, nominati per suam Dominationem reverendissimam, pro faciendo visuram corporis servi Dei Fr. Paschalis Baylon, et citati et vocati ad hunc effectum per Petrum Fortunum, nuntium juratum in ista causa, in ecclesia parochiali præsentis

F

quomodo jussi corpus sanctum inspicere

A præsentis oppidi Villæ-regalis pro promotione hujus causæ, inter octavam et nonam horas ante meridiem, virtute juramenti ab eis præstiti in manibus et posse suæ Dominationis reverendissimæ ad Deum Dominum nostrum et sancta quatuor Evangelia, de bonam, fidelem et veridicam relationem faciendo, in præsentia infrascriptorum Josephi Marcarell Bajuli, Joannis Hieronymi Vennet Justitiæ, Marci Antonii Gil Jurati majoris, Jacobi Pitrarc, Petri Mata et Jacobi Gil, Juratorum in hoc præsenti anno MDCXI, Josephi Renau Syndici, Antonii Damian Vellot Notarii et Scribæ Salæ et prædd. Juratorum, D. Michaelis Sart Vicarii perpetui præd. parochialis ecclesiæ Villæ-regalis, et D. Francisci Joseph Mascarell Presbyteri V. I. D. et Beneficiati in præd. ecclesia; interrogati a sua Dominatione Reverendissima, quod postquam cognoverant et inspexerant corpus servi Dei Fr. Paschalis Baylon, depositati in arca quæ cum tribus clavibus fuerat aperta in præsentia suæ Dominationis Reverendissimæ et omnium prædictorum in præd. conventu et Notarii illius oppidi; fecerunt relationem veram eorum quæ B eis videbantur, super integritate et incorruptione prædicti corporis præd. servi Dei Fr. Paschalis Baylon, et de aliis requisitis quæ in eo erant.

ipsum invenerunt sic integrum,

7 Et supradd. relatores, virtute præd. juramenti fecerunt suam relationem sequenti forma, et dixerunt et fecerunt relationem ipsi præd. relatores, qualiter in præsentia et assistentia suprad. reverendiss. D. Judicis remissiorialis Apostolici et aliorum testium specialiter citatorum et vocatorum pro facienda visura quam fecerunt de corpore præd. servi Dei D. Paschalis Baylon; et viderunt et recognoverunt cum magna attentione et punctualitate corpus servi Dei Fr. Paschalis Baylon, a capite usque ad pedes. Et sic dixerunt et dicunt, quod corpus illius in genere integritatis est integrum et continuum, habens continuas cavitates: videlicet animalem, quæ est caput continuatum per collum, ac vitalem quæ est ad pectus, et isti connaturalem quæ est venter, quæ continuata perseverat et durat usque ad femora, genua, aliasque inferiores corporeas partes; et brachia similiter continua, cum suis articulationibus, et manus quoque continuas, et omnia integra adeoque compacta (ex quo existit cutis continua et integra) eo modo quo habent homines viventes. Et tractando particulariter de singularibus partibus corporis, dicunt reperisse capud præd. servi Dei integrum sine capillis, neque in barba; sed C cutis capitis, barbæ, et colli omnia integra cum cute: oculi assumpti: nasus in quo deficit apex tener, ceterum integer cum sua cute: os cum suis dentibus, exceptis duobus qui ei deficiunt, sed illi remanent valde fixi, et firmi: barba, quæ dicitur mentum, integra: auris dextera fixa et firma: sinistra ei deficit, et videtur esse opus manu factum. Quod vero ad cavitates vitales et naturales; existunt integræ cum omnibus suis costis; et abdomen concavitatis naturalis, quod est venter, similiter integrum, incorruptum, nil in eo deficiente, et sine signo quod in eo adfuerit corruptio, neque signum illius, neque signum et locum, per quem potuerint extrahi intestina, quæ sunt causæ ordinariæ corruptionis. Crura continua et compacta corpori, femoribus, genibus et cruribus, et cum illarum cute et femorum integra, cum carne satis molli et tractabili. Deficiunt pedes. Brachia compacta continua corpori, cum duabus manibus, ceteræque aliæ articulationes naturales cum cute; et in brachio dextero caro mollis et tractabilis; et hoc deficit in brachio sinistro. Et ei deficit digitus pollex manus dexteræ: et est evidens conjectura, quod fuerit opus manu factum. Et ratio est, quia partes quæ erant faciliores ad corrumpendum se conservarunt; et sic præsumendum D est, quod hoc quod magis difficile est, conservatum fuisset, nisi manu factum foret.

EX ITAL. D' ARTA.

ut id judicent esse miraculosum,

8 Quæ omnia unanimes et conformes resolvunt, secundum eorum peritiam et rationes naturales esse miraculosum et supernaturale. Quod probatur: quia cum tot partes adsint intus cavitates naturales et vitales, aptæ et faciles pro corruptione, quia illæ sunt humidissimæ; neque sunt corruptæ, neque damnificatæ, neque corruptæ in aliquo partes illis contiguæ et proximæ. Neque hoc tribuendum est quod id fuerit in causa applicatio facta corpori præd. defuncti calcis vivæ in magna quantitate, statim ut is obiit, quæ ex sui natura facultatem habet absumendi humiditates, et absumptis illis absumere partem carnosam; et sic deficiente humiditate esset causa quod conservaretur cutis integra. Ad quod respondetur, verum esse, calcem vivam habere facultatem consumendi partes humidas et carnosas, quia de sua natura est caustica et comburit, nedum partes humidas carnosas et cutem, verum etiam solidas, ut sunt ossa et ligamenta, quæ sunt partes nervosæ; si calx est in magna quantitate. Et hac ratione cum cutis hodierno die remaneat integra, et E partes musculosæ abdominis et pars naturalis, credendum est quod calx, quæ posita fuit, d. corpori defuncto non fecerit operationem nec opus aliquod in præd. corpore: quia si id fecisset, prius remansisset combusta et consumpta cutis et caro, tamquam res magis proxima existens et adhærens calci, quam partes quæ magis intus cutem existebant: quia omne agens magis operatur in sibi proximum quam in sibi distans. Quapropter dd. relatores dicunt et resolvunt, secundum Deum et suas conscientias, virtute juramenti per eos præstiti, eis videre dictum corpus servi Dei Fr. Paschalis esse incorruptum, et eo modo quo supra dixerunt et retulerunt: et, cum conservetur modo quo conservatur, esse opus supernaturale et miraculosum: et sic illud dixerunt virtute juramenti. Et cum interfuisset, ut dictum est, Petrus Joannes Pellicer, medicinæ Doctor oppidi de Benicarlon, qui venerat ad testificandum in ista causa de ordine suæ Dominationis, cognovit corpus præd. Servi Dei, virtute juramenti, et facit eamdem relationem de verbo ad verbum, sicuti supra continuata existit. Et quia sic est verum, se suis propriis manibus subscripserunt.

quod rite subsignantes confirmant.

20 Ita retuli ego Joannes Franciscus Benet Medicinæ Doctor. Ita est: et ideo me subscribo. Ego F Joachimus Aguillar medicinæ Doctor eadem virtute juramenti affirmo. Ego Petrus Pellicerius medicinæ Doctor, ita est. Ego Didacus de Cabrera chirurgus, ita est. Ego Gaspar Sales chirurgus. Quibus omnibus et publicationi istius relationis interfuerunt prædicti Josephus Mascarellus Bajulus hujus oppidi Villæ-regalis, Hieronymus Vennet Justitia, Marcus Antonius Gil Juratus major, Jacobus Pitarch, Petrus Mata et Jacobus Gil Jurati in isto anno præd. oppidi. Josephus Renan Syndicus præd. oppidi, Damianus Bellot Scriba Juratorum, D. Michael Hieronymus Sart Presbyter Vicarius perpetuus Parochialis Villæ-regalis, et D. Josephus Mascarell Presbyter V. I. D. qui similiter viderunt supradicta esse vera, suis manibus et nominibus subscripserunt etc. De quibus omnibus Dominatio sua Reverendissima mandavit mihi Notario Scribæ infrascripto, et Fr. Joannes Ximenez Syndicus Provinciæ S. Joannis Baptistæ Valentiæ, Ordinis et Religionis Discalceatorum S. Francisci petiit et requisivit ei recipi actum publicum: quod per me præd. Notarium et Scribam fuit receptum in præd. ecclesia parochiali oppidi Villæ-regalis, die et hora suprascriptis, præsentibus pro testibus Bartholomæo Giner, Presbytero Doctore in

EX ITAL. D'ARTA.

A sacra Theologia, Rectore Parochialis ecclesiæ de Carcavente Valentinæ diœcesis, reperto in Villa-regali; et Joanne Jordan Presbytero, olim Notario, Beneficiato in præd. ecclesia Villæ-regalis, ad hunc effectum vocatis.

CAPUT II.

Principum populorumque erga sepulcrum et Reliquias Paschalis devotio.

CAP. VII.

Concurritur ad venerandum corpus Sancti.

Tanta et tam evidentia fuerunt miracula, quæ Divina majestas dignata est operari ad intercessionem servi sui Paschalis; et honor qui mortuo reddebatur tam clare affirmabat viventis sanctimoniam, ut ejus fama se continuo disperserit in varias mundi plagas, et simul cultum venerationemque promoverit. Celebris quoque factus est Conventus Rosarii in Villa-regali, per frequentiam undique accurrentium ad visitandum sepulcrum beati vir: tanta enim ea aliquando fuit, ut plenis omnibus oppidi totius diversoriis cogerentur sæpe cives ad id domos suas ex caritate commodare, hospitesque recipere ne B sub dio relinquerentur. Sed et Conventus ipsius quies turbabatur quotidie, nec requies dabatur Religiosis ab ingenti numero secularium, apud eos hospitari cupientium. Totius ergo Provinciæ decreto statutum est, ut fabricaretur domus, ecclesiæ contigua e regione sacelli, in quo jacet Sanctus, adeo ut totum possit per ferreas crates inspici, et sepulcrum venerandi commoditatem præbere orantibus, absque eo quod necesse sit eorum causa toties aperire ecclesiam. Quæ domus licet in justam extendatur amplitudinem, non tamen sufficit eorum numero, qui votorum suorum reddendorum causa, propter recepta beneficia, quotidie accedunt cum sua familia: nihil per tot annos imminuto concursu, sed incrementum semper capiente; ita ut impossibile sit rationem inire diversarum nationum eo advenientium, virorumque in ordine utroque Principum, qui huc peregrinabundi accedunt. Lubet tamen, quia id extra propositæ nobis historiæ scopum non est, præcipuos aliquos nominatim recensere, ad Dei gloriam et fidelis sui servi Paschalis.

Testimonia de Sanctitate Paschalis.

11 Primus qui circa articulum hunc testimonium dixit, sit nobis Illustris Dominus Don Sancius Ruyz de Liori, Borgia et Cardona, Marchio Guadalestæ, in InformationibusValentiæ acceptis ab illustrissimo C et venerabili Dei servo, Don Joanne Ribera, Patriarcha et Archiepiscopo, et ab Episcopo Urgellensi anno MDCX, dicens: esse famam publicam tam in civitate Valentina quam in toto regno, imo etiam extra in Statibus Flandriæ, ubi prædictus testis Regia Legatione functus est, quod Dominus Deus noster per Fr. Paschalem Baylon operatus sit et operetur multa miracula. Et scit, quia præsens adfuit, quod Majestas Catholica Philippi Regis III, cum Regina uxore sua et Serenissimis Archiducibus Alberto et Isabella et grandi Magnatum numero, processerit ad conventum Villa-regalensem, cum maximo devotionis affectu eum pro Sancto venerans. Similiter novit, idem aliquando fecisse Ducem de Lerma, cum Proceribus plus quam triginta et magno nobilium comitatu, qui omnes post visitatum sepulcrum supplicarunt Fratribus, ut particulam aliquam ex habitu Sancti largirentur. Et quod in Flandria Serenissimi Archiduces prædicti vivam ejusdem servi Dei memoriam conservabant, ac sæpius cum ipso teste loqui solebant de virtutibus et sanctitate illius.

Multorum erga eumdem devotio.

12 Fuit sane magnus devotionis affectus, quem erga B. Paschalem habebat Philippus III, quemadmodum satis cognoscitur ex instantia qua sollicitavit Beatificationem et Canonizationem illius, non D solum iteratis sæpius ad Apostolicam Sedem litteris, sed etiam ad ipsius Ordinis Superiores, ut appareat non per meram ceremoniam sive ad gratiam partis ea fieri, sed ex puro proprioque studio rei conficiendæ. Nec minora sunt officia quæ filius ejus Philippus IV ad eumdem finem interposuit; aut signa devotionis, quam monstravit, quando cum Serenissimo Principe Balthasare Carolo et numeroso Procerum comitatu etiam ipse Villam-regalem venit peregrinabundus. Nullus etiam Vice-Regum Valentinorum fuit, qui non ex simili causa adiverit B. Paschalis sepulcrum. Idem fecerunt Archiepiscopi et alii Magnates plurimi ex Arragonia atque Castella, in quibus fuerunt Duces Medinæcæli, de las Torres, de Alcala, de Arcos, de Montalto, Comes Oropesæ, et alii quorum non extat peculiaris memoria. Prætereundi autem hic minime sunt Eminentissimi Domini Cardinales, Fredericus Borromæus et Camillus de Maximis, ad Legationem Hispanicam venientes: qui in ipso Villa-regalensi conventu voluerunt hospitari, cum eorum alterum voluerit Deus hujus causæ initiatorem esse, alteri servarit honorem illius terminandæ.

E

13 Excellentissima familia de Cordona non minimam in hisce officiis partem habuit. Cum enim Ducissa illius nominis multum in partu periclitaretur, invocato sæpius Beato, votoque facto quod si masculum pareret positura ei esset nomen Paschalis, feliciter enixa est familiæ illius splendidissimum lumen, scilicet Eminentiss. Cardinalem Don Paschalem de Arragona: neque solum implevit quod voverat, sed etiam ad sepulcrum veniens obtulit conopœum maximi pretii. Aliis quoque occasionibus suam declaravit gratitudinem eodem rediens cum suis filiis, magnoque affectu complectens Fr. Didacum Babylon, ipsius Sancti nepotem. Hereditarunt eamdem devotionem Excellentissimi ejus filii Ludovicus, Petrus, atque Vincentius, variis vicibus idem sepulcrum venerati, magnique conati studiis obtinere Jus-patronatus in ejus capellam: quod tamen non potuerunt, opponente se ipsius oppidi Communitate ac Magistratu, quantumcumque in eorum favorem uiteretur Provincia nostra. Similiter Excellentissima Domus Gandiæ jam inde a morte B. Paschalis eidem devotissima extitit. Excellentissimus etiam D. Didacus Gomez de Sandoval, Lermæ Dux, maximo in pretio habens quidquid quomodocumque ad Sanctum pertinuerat, imaginem ejus F domi habebat, ante eam quotidie solitus orare prius quam inde egrederetur, et grandibus eleemosynis Madrito submissis sublevare Conventus Villa-regalensis paupertatem. Denique Excellentissimi Comites de Paredes, Regno huic cum titulo Vice-regum nunc præfecti, varia occasione protectionem Sancti experientes, non cessant ejus magnalia prædicare.

CAP. VIII.

Cultus ejus in variis regnis, etiam Indiis.

14 Non solum per universam Hispaniam diffudit se hujus Sancti fama, sed etiam in Italiam, Flandriam, Germaniam, ipsasque Indias penetravit. Ita testati sunt viri gravissimi ex omnibus istis regionibus ad Ordinis Generale Capitulum Toleti celebrandum anno MDCXLV congregati, affirmantes vix esse in provinciis suis ecclesiam Ordinis, ubi non sit altare ei dedicatum, extentque signa gratiarum ad ejusdem invocationem obtentarum: in quibus specialiter commemorandus est favor, quem Serenissimus Archidux Leopoldus retulit, in libris Secretarii ejus his verbis notatus. Gravibus et malignis febribus æstuabat Serenissimus Archidux Austriæ Leopoldus, cum totius Oenipontanæ civitatis mœrore, eorumque, qui suam Celsitudinem comitabantur, ac nominatim P. Fr. Henrici Gerfrer Ministri Provincialis Ordinis S. Francisci: qui apud Archiducem mentionem intulit B. Paschalis, simul-

Archidux Leopoldus Sanctum invocans, subito sanatur

que

A que obtulit particulam capucii apud se servati. Verum ille, sive quia morbo prægravabatur, sive quia Beati ipsius exiguam adhuc habebat notitiam, non magni facere ejusmodi suggestionem videbatur. Tenuit ergo prædicta infirmitas, nihil proficientibus contra eam medicinis, usque ad festum Corporis Christi anni MDCXXIII; quando Archidux novum morbi paroxismum sentiens, nomen B. Paschalis, quod antea nesciverat nominare, occasione puellæ cujusdam a letifero morbo per ejus interventum curatæ, memoriæ suæ tenacissime infixit. Cum ergo jussus esset advocari dictus Provincialis, et celebrata Missa, quam Celsitudo sua devotisssime audivit, iterum coram ipso ejusque Confessario et Nobilibus multis inductus sermo de vita et miraculis B. Paschalis: cujus allatas sibi Reliquias cupidissime accipiens Archidux, postquam horæ circiter dimidiæ spatio tenuit in manu venerabundus, rogavit Provincialem, ut se juvaret ad eas collo alligandas: quo facto surrexit de lecto sanus atque alacer, et eodem die ingressus ecclesiam Vesperis secundis interfuit, Deo Beatoque Paschali meritas referens gratiarum actiones. Perscriptum continuo ad Aulam Hispanicam
B miraculum est, cujus cum etiam ad nostræ Provinciæ Patres notitia pervenisset, miserunt Archiduci Serenissimo Processum de Vita et miraculis B. Paschalis, cum aliqua ejus Reliquia: cui is continuo vovit altare, in suo Archiducali templo fabricandum; mandavitque rei totius memoriam Authentice consignari in suis libris, suo chirographo et sigillo eam confirmans. Post casum autem tam mirabilem ingenti incremento aucta est veneratio Beati, in omnium civium Oenipontanorum animis, eorumque qui præsentes adfuerant nobilium: sed imprimis Archiducis ipsius, intercessionis dictæ efficaciam pluribus deinde occasionibus experti; præcipue vero ad obtinendum, quo carebat, heredem, natum sibi post preces pro eo factas, in ipso B. Paschalis anniversario festo.

et hæredem impetrat.

CAP. IX,

Reliquiæ a Regibus petuntur, et obtinentur.

15 Non multum temporis post mortem Beati transactum erat, quando ejus Provinciali Fr. Joanni Ximenez mandavit Rex Philippus II, ut catena, quam Dei servus circumdatam corpori gestare solebat, et capucium, in quo mortuus erat, servarentur diligenter usque dum ea requireret, collocaturus (ut præsumebatur) eadem in Escuriali, quo varias insignes Reliquias jam transtulerat. Verum Provincia, quæ dolenter ferebat tali thesauro se privari,
C non valde prompta fuit ad eum mittendum. Transactis autem aliquot annis Majestas sua, ejus quod pridem mandarat recordata, satis habuit digitum unum accipere, qui ei fuit oblatus Provinciæ nomine per Reverendiss. P. Fr. Joannem Merinerum, dignissimum Seraphici Ordinis nostri Generalem. Christianissima etiam Regina Franciæ, hodie regnans, devotissimam se erga nostrum Sanctum ostendit: et quia valde singularem gratiam, divinitus obtentam, ejus intercessioni acceptam refert, petiit per Fr. Antonium del Castillo, Commissarium Generalem Hierosolymitanum Madriti et filium Provinciæ nostræ, aliquam ejus Reliquiam, quam misit Provincia per suos vocem habituros in Capitulo generali, quod anno MDCLVIII celebrandum erat, cum adhuc Regina esset in Aranguez, ubi eam in regias ipsius manus tradiderunt: quæ vicissim, ad promovendum canonizationis negotium, remisit insignem eleemosynam per manus prædicti Commissarii. Universim autem magna est in familia Austriaca devotio erga B. Paschalem: cujus etiam Reliquiam inclytus noster Monarcha Carolus II per Excellentiss. D. Marchionissam de los Veles, nutricem suam. Excellentissimus quoque Dux Albæ, loquens cum P. Procuratore, qui causam Romæ agit, de rebus Servi Dei, vehementer institit, ut sibi vel daret, vel e Valentino regno petendum promitteret aliquid Reliquiarum ejus. Ille vero nolens deesse tam pio affectui, particulam quamdam dedit, devotissime eam acceptanti. Sunt et alii Principes viri multi, qui ejusmodi quidpiam postularunt: pro magno munere accipientes etiam minimum filum ex iis pannis, qui sanctum corpus attigerunt. Notæ sunt omnibus illustres dotes, quibus ornabatur persona Illustrissimi ac Reverendissimi Valentini Archiepiscopi et Patriarchæ Ribera. Hic vir tantus acceptam a morte familiaris sibi Sancti Reliquiam, et capiti venerabundus imposuit, et in more habuit eidem in Officio canonico quotidie facere Commemorationem de Confessore non Pontifice.

D

EX ITAL. D'ARTA.

Similiter per conventus distribuuntur.

16 Prolixior sim si eos omnes nominare velim, qui magna in veneratione habent quantumcumque exilem Reliquiarum ejusmodi particulam, vel in charta expressam imaginem, quales variis in locis et formis diversis reperiuntur impressæ et per totum orbem dispersæ, alicubi autem numero tanto, ut integris in oppidis vix inveniatur quispiam, qui non unam habeat penes se, cum experientia grandium prodigiorum earum usum venerationemque sequentium. Reliquiæ pedum, ut supra dictum est resectorum, inter conventus Provinciæ nostræ sunt divisæ; ubi autem haberi eæ non potuerunt, ibi ex rebus, illius usu sacratis, depositum est aliquid; ut puta Crux, quam circumferebat; annuli quidam ex ejus catena, partesve habitus aut capucii. Cum autem tanta esset inquies, quam adferebant Conventibus iisdem plurimi seculares, ipsas ad se mitti postulantes, in solatium et remedium suarum necessitatum: Discretorii sententia in pleno Capitulo definitum fuit, et sub obedientiæ præcepto vetitum Guardianis, ne subditis sibi Religiosis eas committerent deferendas extra conventus, nisi gravibus ac raris casibus. Sed quia difficile est ponere limitas caritati, a miseris imploratæ, necesse fuit tolerare istud quantumcumque incommodum, ne deessemus communi plurium et quotidiano voto.

E

Reliquiæ festo Sancti odorem spargunt,

17 Ad cetera mirabilia, quæ per Reliquias servi sui operatur Deus, accedit suavissimi odoris fragrantia maxima, quæ ab eisdem sese diffundit in die festo B. Paschalis atque per totam Octavam; quemadmodum testantur varii viri religiosi ac graves, qui speciali diligentia adhibita, curaverunt facti veritatem indagare. Sed nullum hujus gratiæ clarius potest haberi testimonium, quam quod Duces Gandiæ eorumque domestici id experiri se dicunt in uno digitorum, quem a multis annis religiose conservant in suo Reliquiarum conclavi, inclusum crystallino vasculo. Specialiter autem Excellentissima Domina Anna Ponce de Leon, hodiedum vivens, ejusque primogenitus attestantur, quod licet plurimum Sanctorum Reliquias ibi habeant, ejusmodi tamen odoris excessus solummodo percipiatur in Festo et per Octavam B. Paschalis. Nec minus admirabiles sunt radii lucis, a similibus Reliquiis absistentes; quos præ aliis experta est D. Anna Vicente, ex oppido Yeclæ in regno Murciensi. Hæc gravi gangrena corrodi pectus dolens absque ulla spe recuperandæ sanitatis, media licet nocte accersiri Religiosos nostros cum Reliquiis jussit: affirmavitque quod prius quam illi domum suam attingerent, eorum adventum clare cognoverit; quodque prius quam in cubiculum ipsas inferrent, viderit sensibilem quamdam lucem ipso sole clariorem, ea magnitudine ac forma, qua illæ erant. Tali autem visione confirmata ad fiduciam expectavit chirurgos, postero mane ferrum candens admoturos pectori cum magna animi serenitate; ipsi vero, cum pectus nudassent, notabiliter melius habere cognoverunt, judicaveruntque non

F

et radios.

A non esse opus tam aspero remedio. Nec vero erat: quia biduo post inventa est omnino sana matrona ista.

EX ITAL. D'ARTA.

18 Simile quid accidisse sibi confessus est, per obedientiam adjuratus, Fr. Alphonsus de Pinba, compertæ virtutis Religiosus, affirmans, quod ad sepulcrum Beati orans vespere quodam, ante se viderit claritatem, solari æqualem, tres palmos longam instar radii; cujus excessivum splendorem non valens oculis irretortis aspicere, in latus dexterum converterit faciem; sed eodem secutam etiam lucem istam, et constitisse diutius, quam per unum Credo, semper in ipsum versam cum magno spiritus sui jubilo. Idem punctum magis etiam confirmavit id, quod in articulo mortis Confessario suo revelavit P. Fr. Didacus de Agnon, B. Paschali perquam carus: scilicet ab hoc sæpius sibi apparente in forma scintillæ visitatum fuisse se, atque ultima quidem vice, cum accepturus Viaticum sacrum, biduo vel triduo antequam mortuus est, ad illud se per Confessionem Sacramentalem disponeret. Denique ad confirmandam opinionem de Paschalis sanctitate vulgatam, facit arbor limonum acrium, ab ipso Beato plantata B in Conventu Villa-regalensi: cujus copiosi præter solitum fructus, undique expetuntur ad morbos pellendos aliasque necessitates, non solum ab ipsius oppidi civibus sed etiam a vicinis: unde in consuetudinem transiit Guardianis, quovis anno jumentum iis onustum destinare Valentiam, inter amicos distribuendis. Nec reticendum est quod patria ipsius Beati velit omni anno ad se venire ex Conventu Villa-regalensi Fratres, ut lanam colligant pro vestiario: sin autem propter loci distantiam nequeant aliquando illuc usque procurrere, ipsimet indigenæ eamdem ostiatim colligunt, ultroque mittunt in memoriam et venerationem sui S. Paschalis.

Sanctitatem ejus arbor demonstrat.

CAPUT III.

Sacella plurima S. Paschali erecta, festa apparatissime celebrata.

CAP. X. Translatio corporis,

Postquam annis aliquot mansit corpus B. Paschalis in suo primo loculo sub imagine Conceptionis immaculatæ, translatum fuit ad locum altari majori contiguum ex latere Evangelii: et quamvis varii Proceres, præsertim ex familiis Ducum Cardonæ et Gandiæ, nec non Episcopus quidam Cajetanus, ex voto ad sepulcrum visitandum huc appulsus, voluerint ei fabricare sumptuosum sacellum, numquam tamen id voluit Provincia pati, nisi esset suæ paupertati consentaneum. Itaque Villæ-regalis Communitas ex devotione erga suum nunc Sanctum, capellam faciendam curavit, ecclesiæ proportionatam, quamvis non adeo spatiosam quam requireret numerus eorum qui Sanctuarium hoc frequentant. Hic locata ad parietem cernitur elegans tabula, Sancti effigiem referens, quæ demissa vel sublata obtegit vel retegit capacem loculum, cujus concavitati oppanditur una alterave magni pretii cortina, et post hanc cernitur ingens capsa, instar duplicis urnæ proportionaliter decrescentis, et laminis argenteis magno artificio elaboratis convestita, intra quam sacrum cadaver reconditur. Atque ita ad primum ingressum neque arca neque loculus concavus cernitur, sed solum altare cum suo sacrario, supra quod appensa tabula non reducitur nisi cum singularis alicujus devotionis occasio hoc requirit.

ejusque situs.

20 Utrumque dictæ capellæ latus operiunt tabulæ votivæ majores atque minores, item anathemata prope infinita linteorum mortualium, furcularum axillarium, cipporum, catenarum, ac figurarum cerearum, quæ intra ipsum ecclesiæ corpus producta D tanto numero visuntur, ut non sit facile rationem inire singulorum, nedum eorum quæ vel tempus consumpsit, vel non sunt a Provincia acceptata, propterea quod argentea essent aut alia pretii grandioris. Ibidem appensa est lampas argentea, majoris solito æstimata, in agnitionem miraculi, quod S. Paschalis operatus est erga D. Martinum Carolum de Mencos Generalem galearum regiarum. Aliam cum oleo ad unum annum arsuro ibidem obtulit Cyprianus Gonzalez civis Valentinus, gratus pro salute miraculo accepta, post grave vulnus capitis, tunc factum, cum ab equo delapsus raptaretur: quod medici quidem judicarant incurabile; intra duas autem horas coaluit cum stupore chirurgorum, potentiorem istic operam, quam sua sit, agnoscentium. Similiter aliæ viginti tres ibidem pendent, quarum sæpe aliquæ, festivis diebus omnes ardent, eorum impendio sustentandæ, qui se curatos grati agnoscuut.

Anathemata appensa.

21 Sepulcrum alabastrinum pretiosissimum Excellentiss. Dominus Dux Gandiæ Carolus Borgia obtulerat, trium in domo sua patratorum miraculorum debitor. Horum primum fuit fœcunditas concessa uxori suæ D. Artemisiæ Doria: secundum E ejusdem partus miraculose expeditus ab ultimo suo matrisque discrimine: tertium quod cum eodem filio animi causa ingressus in cymba fluvium S. Nicolai, qui planitiem Gandiensem irrigat, eumdem ab aquis receperit vivum, qui observante nemine prono capite in eas lapsus, a paulo post respectantibus visus est solis pedum summitatibus super aquas eminere: eductus autem inde retulit, salvatum se esse per quemdam Fratrem Discalceatum S. Francisci: nec fuit cur dubitaretur, quin is esset S. Fr. Paschalis, cujus precibus puer fuerat impetratus. Arcam vero argenteam faciendam curavit Don Ferdinandus Ferrer Eques Valentinus, pro quo ad extrema deducto famula quædam sua ad Paschalem recurrens petiit, ut vel cum jactura domesticorum omnium patrono suo vita servaretur. Mirum dictu; non remansit in domo ejus anima vivens, a rhedariis equis, qui erant in stabulo, usque ad pecora, quæ erant in campo, canes, feles, gallinas, columbas: quorum omnium jactura nihil motus Eques, votum famulæ adimplevit; etiam pallium altaris aliaque ecclesiæ instrumenta facturus ex argento si id paupertas nostra tolerare voluisset.

Sepulcrum ex alabastro struitur.

Arca argentea donatur.

CAP. XI.

22 Considerari, et, ad testandum populorum F erga B. Paschalem affectum, expendi meretur multitudo sacellorum ei erectorum, in hac præsertim Provincia, et nunc et prius quam divisa a Provincia S. Petri de Alcantara adhuc complectebatur regna Valentiæ, Murciæ atque Granatæ, partemque Manciæ et Montana Seguræ. Sunt autem ea Sacella omnia, æque ac Villa-regalense, convestita tabellis votivis et anathematis pretiosis, occasione miraculorum ubique ad illius invocationem patratorum. Vix inita erat Conventus Granatensi possessio, qui unus fuit ex postremis harum regionum, cum ibi celebrari cœpit B. Paschalis patrocinium. Sed cum ea civitas perquam populosa sit, haud parum sollicitudinis Superioribus attulit numerus ingens eorum qui petebant vel aliquid de reliquiis sibi dari, vel facultatem concedi ornandi suo sumptu sacelli, aut festum celebrandi, vel alio signo aliquo gratitudinem demonstrandi: plures enim erant, inter quos delectum facere absque offensa aliorum videbatur impossibile. Denique decretum est sapienterque provisum, ut festi ordinandi cura alicui civium præ ceteris idoneo æstimatoque demandaretur, qui eam posset ad congruam solennitatem reducere. Sed et huic valde laborandum fuit, eo quod multi volebant ostendere affectum excessivæ magnificentiæ, apparatu sumptuosiore et operiosore, quam quieti religiosorum

Granatensium studia in Sanctum.

A giosorum conveniebat, nedum paupertati. Verum non ita coarctari potuerunt, quin struxerint ignes vespertinos, musicam exquisitissimam, eximium inter omnes concionatorem, numerosam si unquam processionem curarint.

Festa a privatis acta pro acceptis beneficiis.

23 Eorum vero, qui eodem anno, diebus aliis particularibus volebant festum aliquod curari pro suo privatim obligato affectu, unus fuit Petrus del Rey perquam dives agricola. Huic, dum quadam vice prono pectore incumberet scamno cujusdam officinæ, nihil minus cogitanti supervenit inimicus, et pugionem stringens, quanta potuit, vi (nec enim ignorabat periculum sibi imminere præsens vitæ amittendæ, si Petrus eam non perderet) infixit sic inclinati cervici, ut ille per os egrediens hominem ipsi scamno affixerit. Tam graviter percussus Petrus, suam in domum, quæ erat in Campo triumphali, ductus est: advocati medici atque chirurgi, qui omnes eum adhuc vivere mirati, nullam salutis spem superesse dixerunt. Læsus nihilominus instanter petiit afferri sibi S. Paschalis Reliquiam: cujus attactu cito et plene sanatus, vovit quovis anno B festum ejus celebrandum curare et Religiosis præbere prandium. Prima autem qua id factum vice et cui præsens ipse adfui, dicturo ad populum Fr. Joanni Ferrer, tunc Guardiano, facultatem dedit publicandi miraculi non solum ejus, quod operatus erat Sanctus in sanando suo corpore; sed etiam quod modo operabatur in animo, auferens ab eo omnem vindictæ de percussore sumendæ cupiditatem, cui se totam injuriam condonare professus est, ipso in loco reconciliationis instrumentum subsignans.

Pudori hospitis ob defectum ciborum consulitur.

24 Quod autem de Granatensi civitate diximus, etiam in aliis ejusdem regni locis contigit, ubi Provincia nostra Conventum habet: par enim ubique celebrandi festi ardor elucet, nec dissimiles gratiarum fructus accedunt. In civitate Oscana, in oppidis Yestæ, Pueblæ, Ayoræ, Almansæ, locis pecore abundantibus, proprium hoc sibi vindicant pastores, quod in Confraternitates adunati, quotannis Paschalis sui festum splendidissime agant, militariterque ordinati assistant processionibus, insumentes in eam rem pulveris nitrati vim magnam, quique sub ductu Capitaneorum suorum (quos extra hunc actum appellant Domus-magistros, concorditer electos) a quibus etiam triduo toto magnifice tractantur. Contigit ergo anno MDCXLIX, ut Almanzæ sic electus C vir tenui satis fortuna, exhaustum se inveniret, maxime pro die tertio, copia panis ac vini. Recurrit ad B. Paschalis auxilium Anna Clemens, futuram mariti confusionem formidans, eique exposuit præsentem necessitatem. Fecit autem Sanctus quod rogabatur, tam abundanter vinum et panem ovaque multiplicans, ut post quadraginta sex personas copiose saturatas adhuc superfuerit. Vulgatus autem rei rumor per urbem excivit plurimos ad Capitanei domum, rogantes, ut vel panis frustum vel vini pauxillum accipere mererentur, in proprias necessitates reservandum. Eodem facit, nec minori favori B. Paschalis tribuitur, quod ad festum concurrentes dimittant pecudes incustoditas in agris, nec tamen ullum hactenus incommodum vel damnum exinde referant.

Confraternitates in Sancti honorem instituuntur.

25 Aliis in locis, tam Hispaniæ quam Italiæ, devotas eidem Sancto confraternitates erexerunt sutores, ac nominatim in Calatajudensi civitate: Venetiis quoque ejusmodi una est, plus quam centum capitibus constans: et hæ omnes annum festum solenniter agunt. Imprimis autem commemorandus est noster conventus S. Joannis della Ribera in territorio Valentino, ubi magno cum impendio suo idque multis abhinc annis idem festum celebrari curat Illustris Dominus Don Franciscus Escorza, D Eques Militiæ Montesanæ, suæ Majestatis Consiliarius et Auditor Regiæ Audientiæ; eodem ordinarie concurrentibus Vice-Regibus, Titularibus, Equitibus, Auditoribus, cum populo innumerabili, ibique Pœnitentiæ et Communionis Sacramenta suscipientibus, quamvis adeo procul dissitus a civitate sit locus et anni tempestas perquam calida. Per annum quoque peculiaria non rato festa curantur a devotis ipsius Sancti: et sic anno superiori MDCLXX sumptuosissimum unum fieri curavit Excellentiss. Domina Ducissa d'Avero, ex voto nuncupato eum in finem, ut suum sibi partum facilitaret Sanctus. Cum autem ipsa ei interesse personaliter nequiret, Dominis Vice-regibus scripsit, ut præsentiam pro se præstare dignarentur; sicuti et factum, dicente tunc ad populum Doctore Ballester, Archidiacono Molvedriensi, qui est ex primariis Metropolitanæ dignitatibus titulus unus, et assistente tota nobilitate civitatis.

EX ITAL. D'ARCA

CAP. XII.

Cultus Romæ,

26 Romæ habet idem Sanctus insignem capellam in ecclesia S. Mariæ de Ara-cœli, in qua festum ipsius agi cœptum, prius quam Beatus esset declaratus per Apostolicam Sedem, et usque in hodier- E num diem ibidem recolitur annis singulis, licet magna cum moderatione propter congruas rationes. Inter devotos autem, quos in alma civitate habuit Paschalis, numerandus est præ aliis Pius Papa V sanctæ ac gloriosæ memoriæ, qui eumdem Beatorum catalogo adscripsit, servans in cubiculo sui tabulam seu laminam æneam cum illius effigie: suam autem erga eumdem devotionem singularem demonstravit tum aliis occasionibus pluribus, tum maxime quando decrevit, ut suspenso tantisper cursu aliarum canonizationum ac beatificationum, una hæc urgeretur. Præterea concessit, ut Officium cum Missa per totam nostram Religionem extenderetur, qualenus festum celebrari posset in conventu S. Francisci de Ripa, qui ad nostram quoque reformationem pertinet. Et prima vice qua illud ibi actum est, Capellam istic sibi voluit ordinari Pontifex: qua ceremonia absoluta, cum interventu multorum Cardinalium, Sanctitas sua eodem vespere ecclesiam revisens, libentissime audivit Procuratorem causæ de ea loquentem. Eminentissimus Cardinalis ab Arragonia, quo tempore Romæ fuit, celebrare solebat B. Paschalis festum in conventu alio nostræ Reformationis, qui S. Petri Montorii dicitur: et quia ibi non est proprie ipsi dicatum sacellum, ingenti in tabula pingi F jussit ejus effigiem, ipsamque ad unam pilarum ecclesiam sustinentium appendi. Excellentissimi denique Dux et Ducissa Matthæi, ejusdem intercessioni acceptum referentes fructum benedictionis, natum, inquam, suæ familiæ heredem, gratitudinis ergo, inter alia etiam Paschalis nomen imponi voluerunt, sacellum ejus devote venerati.

etiam a Pio V delatus.

Aræ et sacella ipsi dedicata.

27 Valentiæ in Hispania præcipua religione colitur imago miraculosa sub titulo Dominæ desolatorum: huic cum in loco urbis frequentatissimo capellam erexissent cives, in eoque præter primariam Deiparæ aram duo alia altaria extruenda, peculiari quodam affectu stimulante; eorum alterum voluerunt B. Paschali dedicari. Eadem in urbe, in ecclesia Oratorii S. Philippi Nerii, erecta etiam ipsi capella speciali cultu ac studio ornatur: notatumque a multis est, quod ex eo tempore ibidem insigniter creverit concursus Sacramenta frequentantium, et devotionem erga Sanctissimam Eucharistiam profitentium, cum magna Dei nostri et B. Paschalis gloria, cujus etiam festum ibidem frequenti in cœtu celebratur. In Ybensi ejusdem Regni Valentini oppido, sedecim leucis ab urbe (ubi per intercessionem B. Paschalis devotus quidam agricola fontem fodit, (infra pluribus describendum) pii cives capellam ædificarunt

A di[illegible] in ecclesia parochiali, tam spendidam ac devotam, ut dici possit montium istorum miraculum : et ibi festum Sancti agitur, veluti unum ex præcipuis loci, maximo cum jubilo et animorum alacritate. In oppido Turris formosæ, ipsius patria, fabricata est ecclesia eremitica, in eaque picta effigies nobili in tabula erecta cernitur : ibi cum magno accolarum concursu tanto nunc celebrius festum Sancti est, quanto majori in veneratione habetur ejus Reliquia, multa prece petita a Magistratu loci, eique a Provincia nostra concessa.

EX ITAL. D'ARTA

Cultus annuus Villaregali qualis.

28 Finem Capiti huic faciant duo dies festivi, quos huic suo speciali Patrono Villa regalis instituit. Toto eo qui præcedit mense in circumsitis oppidis, ut sunt Castellion della Plana et Molviedro, singulari omnia implentur alacritate, propter appropinquantem solennitatem : et omne istud tempus impenditur præparandis choreis, ludis, ignibus, pro cujusque facultate. Primo autem die, prout ego ipe aliquando vidi, quem civitas ipsa festum agit, a primis Vesperis inchoatur Musica cum choreis, ad quas tunc concurrerunt centum duodecim viri, in septem turmas distributi. Adest Prætor cum Juratis eorumque B insignibus : sed propter conferti populi multitudinem ægre exaudiri potest exquisitissimi concentus harmonia. His finitis accenduntur ignes, et noctem illam in diem vertunt. Primo mane tubæ ac tympana sonant ante Juratos aliosque Ministros publicos, versus conventum nostrum procedentes et offerentes Guardiano panem, vinum, vitulinam, aliaque edulia ad illus diei augendam hilaritatem. Tum resumuntur choreæ, tanta duratione continuatæ ut vix momento cessantibus qui eas componunt, supra naturam videatur, quod tam laborioso diuturnoque exercitio vires usque in vesperam sufficiant. Missa solennis in Capella ipsius Sancti cantatur, et ad dicendum invitatur celebrior aliquis concionator. Post vesperas comœdiam suam exhibent Molvedrienses accolæ : qua finita multis cum facibus et numerosa chorea, optimo ordine progrediuntur a civitate ad ecclesiam, non sine grato instrumentorum musicorum concentu : et per unam ecclesiæ nostræ portam ingressi, egrediuntur per alteram. Postero die suburbii atque pomœrii incolæ idem faciunt, et insuper equestres ad bravium cursus instituunt; vesperi autem aliam comœdiam exhibent, continuantque nocturnos ignes, et taurilia tertio die instituunt. C Quamvis autem festum ipsum biduo dicatur circumscribi, revera tamen durat octiduum et amplius concursus eorum, qui cum familia sua istic remanent, seu votis suis facturi satis, seu gratias desideratas postulaturi. Notatum est etiam anno isto, quo ibi fui, quod in nostro conventu per biduum istic manducaverint personæ plures quam octingentæ : quodque non solum noster Villa-regalensis conventus magis quam alias tunc abundet necessariis, sed etiam Carmelitarum Discalceatorum conventus in eadem civitate, nosterque S. Francisci in Honda et Castellione per idem tempus lautius habeantur, propter eleemosynarum affluentiam, majorem quam institutum nostrum nos patitur in eo conventu admittere, cujus intuitu illæ donantur.

CAPUT IV.

Devotio erga B. Paschalem in Sardiniam promota.

CAP. XIII

Excellentissima Domus Ducum de Bexar et Mandas possidet loca aliqua in montanis regni Valentini, et alios plures utilioresque fundos in insula Sardiniæ. Cum ergo priorum locorum procuratorem sibi delegissent Equitem quemdam, Don Petrum Martinez de Salva-leone nuncupatum, jusse- D runt anno MDCLI, ut alia in Sardinia visitaret ordinaretque. Huic mandato Eques ille obediens cum appulisset Calarim, insulæ totius metropolim, gravi correptus infirmitate ad extremum discrimen adductus fuit. Quod intelligens ex medicorum judicio, seque in extera regione procul a suorum conspectu mori dolens, quando jam humanum deficiebat, divinum cœpit invocare auxilium per B. Paschalis merita, cui erat addictissimus; vovitque si convalesceret, erigendum ea in urbe illius sacellum apud nostros ad S. Maurum Discalceatos. Nec mora : tam notabiliter cœpit habere melius, et intra tam breve tempus integram obtinuit sanitatem, ut eam plane miraculosam esse judicarint medici; et tam ipsi quam alii præsentes, ut talem, tota urbe vulgarint. Ille vero de lecto surgens, nihil prius egit quam tractare cum Guardiano loci de complendo voto, coemendaque materia operi necessaria : quo perfecto collocavit in eo tabulam grandem inauratam cum effigie Beati, sub eaque in excavato ad id loculo marmoream statuam, quatuor vel quinque palmos altam, gratias E agens pro recuperata sanitate.

Quomodo in Sardinia coli cœptus sit,

30 Hujus tam miraculi quam novi sacelli fama per civitatem vulgata cœpit istic etiam notum facere, jam alibi notissimum, Paschalem nostrum; ejusque devotionem alte infixit civium animis, qui ad promptum cunctis afflictis patrocinium recurrentes, sacellum illud ornaverunt tabellis gratias relatas testantibus. Et quia Religiosi istic non habent aliam Reliquiam, quam ad ægros sanosve in suis necessitatibus opem postulantes deferant; cœperunt ex eisdem tabellis sumere aliquas intento fini aptiores, quarum multas dicunt se non recipere, volentibus eas illis, quorum solatio allatæ fuerant, retinere domi suæ : nec tamen eo minor est numerus, quibus dicti sacelli parietes vestiuntur. Plurima autem sunt et insignia miracula, quæ in honorem servi sui dignata est divina bonitas ea in urbe operari.

et auctus per tabellas pictas.

31 Anno MDCLIV Don Carolo Felici Manca et de Guiso, Marchioni de Alviz, Baroni de Urase et de Usena, mense Julio obvenit vulnus supra anteriorem tibiæ partem, quod neglectum gangrænam concepit. Itaque Calarim deferri se fecit, ubi ad consultandum collecti medici atque chirurgi concorditer judicarunt, tibiam rescindendam esse, si vitam salvam vellet; sed ille præmori se malle dixit, quam ejusmodi curationem admittere. Tum animatus fama miraculo- F rum B. Paschalis, suamque in illum fiduciam collocans, opem ejus invocavit, vovitque si vitam cum tibia retineret, tabulam cum argentea tibia in sacello illius offerendam; et dimissis ceteris unum solum medicum unumque chirurgum apud se manere voluit. Hi curationem aggressi, brevi tempore viderunt tibiam sanam atque integram, Marchione interim animum advertente ad duo perquam mirabilia, quæ tam veloci curationi conjuncta fuerunt, ipseque in sua attestatione juratus affirmavit. Primum, quod licet plagæ adeo periculosæ secundum artis præcepta curandæ applicata fuerint cauteria plura, pulveresque corrosivi, et remedia alia mordacia atque pungentia; nullum tamen unquam expertus sit dolorem, ac ne imaginatione quidem apprehenderit. Alterum, quod curationi tam difficili nullum aliud symptoma advenerit, neque postea memorativum superfuerit vestigium. Quare ut primum pedibus ingredi potuit, ad capellam B. Paschalis venit, et quæ voverat gratus obtulit.

Curatur tibia rescindenda;

32 Donna Maria de Doni et Natter, uxor Don Balthasaris de Doni, civis Calaritani, occasione cujusdam * aborsus desperata a medicis, magna cum fide B. Paschalem invocavit, vovens si a tanto periculo liberaretur, tabulam in ejus sacello offerendam.

* *Ital.* Sopraparto, an Superfœtatio?

A dam. Mox autem eam dereliquit febris, et paulatim recuperavit integram sanitatem : atque ut tam evidente beneficio gratam se præstaret, non solum tabulam obtulit quam voverat, sed etiam marito suo persuasit, ut sculptam Sancti effigiem Valentia afferendam curaret, ipsamque et alia altaris instrumenta donavit; et quanta cum pompa potest, curat ejus festum quotannis in prædicto S. Mauri conventu celebrari.

mulier a medicis deposita :

item alia

33 Casus perquam prodigiosus est, quem jurata affirmat Donna Vincentia Machin et Torrella, uxor Don Ambrosii Machin, civis item Calaritani, scilicet quod uno post puerperium mense, notabili in re offensa sit; exindeque tam gravem incurrerit morbum, ut ad primum febris assultum de vita ejus medici desperarint. Nihilominus illam curare aggressi, aperiendæ venæ advocarunt chirurgum famosum Georgium Saoni, paulo ante Valentia advectum : qui sanguine educto, infirmæ periculum grande cognoscens, dixit : Quid mihi dabis, Domina Vincentia, si ego tibi applicavero remedium per quod subito sana fias? Cui illa : Num Deus tu, qui talia promittis? Non sum, inquit, Deus : sed habeo fiduB ciam in quodam Sancto, qui in filio meo grande miraculum est operatus. Faciat Dominatio Tua, reponit ægra, quod voluerit : et ipse domum suam abiens attulit effigiem Sancti, chartæ impressam complicatamque. Hanc recipiens infirma, magna cum devotione dixit : Sancte mi, ego te non novi (ipsa illius verba transcribo) nec scio qualis Sanctus sis : tamen qualiscumque es, invoco te ex toto corde et ero tibi devota : quare si expedit ad Dei gloriam et animæ meæ salutem, oro ut pro mea sanitate digneris intercedere : et hac prece finita pulvinari suo imaginem supposuit. Ecce autem ea, cui ad cetera incommoda acciderat etiam somni privatio, altissime soporata, vidit Religiosum in habitu S. Francisci audivitque dicentem : Ne dubites, filia, confide Deiparæ Virgini et mihi, quod ex hac infirmitate non morieris, quamvis ad extremum vitæ articulum sis adducenda. Post hæc disparuit visio, et experrecta infirma fortiter exclamavit. Accurrerunt ad eam vocem mater ac domestici ceteri, quibus illa quæcumque acciderant narrans, replicabat identidem ingemiscens; Et ego Fratrem istum non novi!

ab ipso Paschale visitata.

34 Plangere ad hæc mater, credens quod vehementia febris delirare filiam faceret : hæc econtra affirmare, vera esse quæ dixerat omnia : et chartam C sub cervicali educens atque explicans, in eaque reperiens B. Paschalis imaginem; Sancte mi, inquit, tu es qui mihi apparuisti, optime te cognosco ex vultu et compositione manuum. Sed quanto magis jubilabat filia, tanto contentius plangebat mater, aliud longe quam quod erat persuasa. Interim illa omnibus se visentibus narrabat casum, magnaque cum certitudine asseverabat se non morituram : sed medici, qui eam curabant, parum fidei habebant ejus dictis, propterea quod viderent indies aggravari malum, cum evidentibus mortis propinquæ indiciis. Ergo suum ei denuntiabant discrimen, monebantque, ut se ad mortem pararet : quanto autem illi magis exaggerabant periculum, tanto ipsa constantius se morituram negabat; ne tamen pertinaciæ argueretur, condidit testamentum et extrema suscepit Sacramenta. Post hæc extremis angustiis pressam videns mater, et quia affirmabant medici non victuram in crastinum, licet jam sero esset, jussit vocari Confessarium, qui moribundæ adesset nocte illa. Venit hic : sed ut eum tali hora vidit infirma; Hei mihi! dixit, o Pater, cur hoc tibi incommodum sumis? Non erat sane necessarium. Quantumcumque enim illi existiment mihi esse male, non tamen hinc moriar : quia hoc mihi dixit S. Paschalis. Et vero ea ipsa nocte, qua credebatur moritura, subito cœpit ha- D bere melius, ac deinde e lecto sana surrexit, cum stupore incredibili medicorum : qui miraculum approbantes, remanserunt ipsi Sancto multum devoti.

EX ITAL. D ARFA.

CAP XIV.

35 Ipsa imprimis D. Vincentia Torella exinde aliud sibi refugium non quæsivit, in qualicumque necessitate, extra patrocinium B. Paschalis, præsens illud semper experta. Itaque proxime sequenti anno MDCLIII mense Julio, cum maritus ejus graviter infirmus extremis esset munitus Sacramentis, ipsa octavum tunc mensem gravida tantum animo dolorem concepit, ut post largam sanguinis effusionem coacta fuerit lecto decumbere. Verum, inquit illa, mariti salutem tanti faciens, ut obliviscerer meæ, ad ejus ministerium surrexi de lecto : dieque sequenti, propter ingens discrimen, in quo eum reperiebam, depositis calceis caligisque, nulla habita ratione proprii periculi aut decoris, abii discalceata ad conventum S. Mauri, longe remotum a domo mea : asperamque illam viam magno cum fervore emensa, in capella Sancti me prostravi, petiique ab aliquo religiosorum illic invento, ut Salve regina cum oratione B. Paschalis recitaret, rursumque si- E militer discalceata domum redii. Hic me requisitam et in eo statu revertentem videns mater, acriter cœpit objurgare dicens; judicium grave coram Deo subituram me, pro exposita salute tam corporis mei temporali, quam æterna fœtus jam forsan occisi. Cui magna cum fide respondi; Neque maritus meus, neque ego, neque fœtus periclitabimur, mater, intervenientibus meritis B. Paschalis. Ipso autem eodem die maritum meum febris dimisit, citoque convaluit; et ego per actum tam indiscretum haud passa damnum, justo tempore enixa sum filium, quem volui Paschalem nominari; atque cum tota familia ad gratias Sancto reddendas festinavi.

Ejusdem maritus similiter æger

36 Donna Paula Montanacho Silvia et Castelvi Calaritana, jurata deposuit, quod filius suus Josephus usque hodie vivens, suæ familiæ primogenitus, cum solum tres menses natus esset, anno MDCLV, dum fasciis involveretur, tam vehementi fuerit pressus symptomate, ut toto corpusculo terribiliter contorto velut mortuus jacuerit. Idem ei per aliquot dies circa vigesimam quartam horam accidit, semel etiam ad viginti septem horas nullum vitæ signum dedit, jamque de eo sepeliendo cogitabatur. Accurrit mox civitas universa ad consolandam matrem e nobilioribus urbis matronis unam, videntesque eam F æque ac nutricem miserabiliter lamentantem in conspectu cadaveris, utramque tantisper seduxerunt in aliud conclave, ut parvulus involvi linteis et capsulæ jam præparatæ posset imponi, remansitque cum corpusculo pallæ suæ obvoluto senior Marchionissa de Alviz. Interim supervenit Quirrensis Marchionissa, Paulamque consolans; Vis, inquit, filia, ut adferatur tibi, quam habeo, tabella B. Paschalis Baylon tam clari miraculis, ut ei filiolum tuum commendes? Et illa respondit id sibi fore gratissimum, allatamque sibi illuc deferens ubi Marchionissa de Alviz mortuum in sinu tenebat, se ad filii caput prostravit in genua, et dixit : Sancte mi Paschalis, si vitam impetres filio meo, voveo quod per octiduum induam eum tuæ Religionis veste, danda deinde alicui paupercul͏o : quodque ad usum capellæ tuæ ea fieri curabo, quæ Patres necessaria judicabunt : et ipsa, die vestro festo confessa ac sacra Communione refecta, pauperibus duodecim prandium dabo.

Puer pro mortuo sepeliendus,

facto a matre voto S. Paschali,

37 His magno cum fervore sic dictis, oculos flexit ad filiolum, jam ad sepulturam involutum : visaque in eo percipere aliquem labiorum motum, cœpit confidenter dicere : Dominæ meæ, videte, vivit

Ex Ital. D'Arta.

vit filius meus, quem volunt esse mortuum. Ad quod aliæ ac nominatim Donna Antonia Corra, cognata ejus germana, dixit : O mulierem fatuam! foras eam expellite, ne prorsus sana mente excidat. Tanto jam tempore mortuus est infans ; et illi in cerebrum venit quod os aperiat. Aliæ aiebant quod desiderii vehementia faciebat, id, quod non erat, videri ; et omnes id agebant, ut suis suasionibus hanc ei imaginationem eximerent. Denique Marchionissa de Alviz rubri serici panniculum accepit, ut sub mento revinctum ad caput (quod unicum in hoc officio restabat faciendum) os firmiter clauderet, atque ita eum capsulæ suæ imponeret. Ad hunc actum iterum in terram prostrata mater, votum suum replicavit, eodemque instanti omnes eumdem oris motum viderunt ; sed præ omnibus Paula attentissima ad singula, Videte, inquiebat, B. Paschalem miracula operantem : ecce enim filius meus vivit : simulque appropians, quantumvis obsisterent aliæ, digitosque ori ejus inserens etiam linguam moveri deprehendit. Tunc enimvero fidentius quam unquam exclamavit : Omnino vivus est filius meus : auferte panniculum istum, et veniat nutrix atque ubera præbeat. Erant nihilominus inter adstantes aliquæ, quæ ridebant hosce motus, vehementique phantasiæ matris imputabant. Sed hæc nihil eas morata, panniculum a mento abstulit, instabatque ut nutrix accerseretur. Ast hæc præ doloris impatientia totum jam sibi vultum laniarat unguibus, quare cum eam sic prodire non esset conveniens, advocata est alia, quæ cito adfuit, mamillamque admovit ori infantis. Mirum autem cunctis spectaculum is præbuit, papillam apprehendens avideque sugens : quippe quæ istud permiserant fieri potius ut obsequerentur lugenti matri, quam quod illum vere vivere crederent. Ex eo porro tempore perrexit sugere, et adolevit usque ad annum ætatis decimum, Christi MDCLXV, quando prædicta omnia affirmavit ejus mater, addens toto decennio isto nihil mali passum fuisse : votum autem suum liberaliter implevit, pauperibus non solum duodecim, sed quotquot eo die ad suas ædes veniebant, epulum præbens.

reviviscit.

38 Maria Azori, itidem Calaritana, deposuit, varias se gratias acceptas referre meritis B. Paschalis, puta prolem, qua carebat ; et sanitatem amitæ cuidam suæ, jam ad mortem Christiane obeundam inunctæ : præ ceteris tamen hanc laudavit, quod cum suus maritus concubinæ cujusdam amoribus teneretur implicitus, nec ab iis se sineret ulla admonitione divelli ; die quodam cum ipsa Maria rediret a visitatione cujusdam Marianæ imaginis, quæ sub titulo Boniventi honoratur, occurrit impiæ suæ rivali, eamque verbis amicis benevolisque munere cœpit, ut ab ista fœditate ad meliorem se statum converteret. Verum adeo parum ista potuerunt apud induratum sceleratæ illius animum, ut post verba multa obscœna atque nefanda concluserit dicens ; frustra eam esse, si amori suo aliquod impedimentum unquam se posituram speraret. Pupugit ea pervicacia tantopere Mariam, ut nullo publicæ, in qua erat, plateæ respectu, palam in genua se projiciens exclamarit, Sancte mi Paschalis, per Dei amorem obsecro te ut huic meæ necessitati succurras : voveo ego novenam in tua capella faciendam. Quod autem dixit, hoc et fecit : adeoque immutatus post novenam absolutam est animus viri, ut amore in horrorem converso maledictam illam nec semel alloqui postea voluerit, quascumque illa technas excogitaret, ut rursus eum illaquearet, prout ipsemet uxori suæ testis accedens juravit. Eadem mulier periculosum patiens in verendis morbum, curavit, ut alicunde haberet chartaceam ipsius Paschalis imaginem, coram qua die quodam, cum se gravius urgeri sentiret, prostrata dixit, Sancte mi, nisi ipsemet domum meam venias, et partes chirurgi agas, mihique sanitatem impetres, certo moriar ; hoc enim levius puto quam chirurgorum manus ad curationem subire. Subito autem orationis suæ effectum vidit salutarem, agnoscens se multum relevatam : ac brevi tempore ex integro sana retinuit vitam, quam in perditis numerabat, quia tam periculosum malum non manifestaverat a principio.

Quidam fœdis amoribus irretitus liberatur.

Verendorum morbus curatur.

39 Joannes Bernarda, Calaritana etiam ipsa, post defunctum in Conventu S. Mauri cognatum suum germanum, ibidem religiosum tenerrimeque dilectum sibi, noluerat illuc pedem inferre, ne mœror suus renovaretur ; donec vespere quodam, amicæ unius importunitate victa, illuc ire consensit. Frequentem autem populum inveniens per viam, interrogavit, quod eo die festum tantam illuc turbam attrahebat : intelligens vero agi festum B. Paschalis, animo conturbato dixit, eo se venturam non fuisse si hoc scivisset. Vix verba finierat, cum toto corpore aggravata doloribus, coacta est retro pedem referre domum : ubi ad mortem usque infirmata, et condito testamento extremis munita sacramentis, recogitare apud animum cœpit, fortassis eam esse pœnam verborum ista occasione a se dictorum ; quare ad B. Paschalem conversa, jam serio pœnitens, sanitatem petiit, et prece finita illico impetravit, depulsis doloribus et conjuncta iis febri. Surgens autem sana ivit ad capellam Beati, et suo liberatori devota ac grata cereum ibi magnum obtulit. Sunt et alia plurima ibidem Calari patrata miracula, descripta in Informatione quam ad meam instantiam R. P. Fr. Josephus Casula, Provincialis Observantiæ Franciscanæ, faciendam curavit anno MDCLXV. Cum enim tunc Romæ essem Procurator in causa, sicut et nunc sum, expediendæque essent novæ litteræ Remissoriales pro exhibitione miraculorum ; sciens quanta apud Sardos floreret devotio erga B. Paschalem, miseram illuc socium meum Fr. Didacum Ascentium, ad certiorem notitiam obtinendam. Conditus ergo est informativus processus, quo Romam allato, quidam in ejusmodi negotiis versati judicarunt convenire, ut etiam pro illis ad D. Archiepiscopum Calaritanum et duas alias personas in dignitate constitutas expedirentur Remissoriales : sed harum executio suspensa fuit, eo quod tam copiosus evasisset Processus circa hoc argumentum formatus Valentiæ, ut diligentia Calari ulterius facienda judicaretur superflua : mihi autem minime visum est istorum accessione augendum esse hoc volumen.

Quænam in Sanctum irreverens morbo corripitur;

pœnitensque liberatur.

CAPUT V.

De pulsibus in arca S. Paschalis audiri solitis, ad indicandum grande bonum aut malum, vel incredulos convincendum.

Cap. XV.

Fidem apud homines præsertim indoctos superare videntur prodigiosæ illæ percussiones, de quibus aggredimur scribere, toties iteratæ et tam certa crebraque experientia cognitæ, tam in Valentino regno, quam in aliis Hispaniæ partibus, eo quod etiam ad impressas imagines minimasque reliquias Sancti sese extenderint. Quanto enim crebriores notioresque sunt, tanto magis obnoxiæ videntur esse obloquiis earum veritatem calumniantium, atque dicentium, quod Deus citra necessitatem non operetur miracula Ab his ego libenter quæram, quæ necessitas sit, ut Salerni ex corpore S. Mathæi Apostoli, Barii ex ossibus S. Nicolai Episcopi faciat scaturire manna? ut S. Januarii sanguinem Neapoli ad conspectum capitis

A pitis jubeat liquefieri; quod idem etiam ibi dicitur in sanguine S. Joannis Baptistæ fieri quotannis in festo decollationis, et quoties ad ejus altare Missa de festo isto recitatur? ut pauculæ illæ sanguinis indurati guttæ quæ Romæ servantur in vase crystallino, et ex stigmatibus S. Francisci fluxisse creduntur, in festo impressionis eorum evadant fluidæ? denique, ut alia taceam hujus generis infinita, quid opus est Romæ item, in Conventu Carmelitarum Discalceatarum della Scala, ex pede sanctæ Matris Teresiæ liquorem stillare odoriferum, sicut et alibi ex ejusdem Reliquiis?

Perpetuorum miraculorum fructus.

41 Numquid ista satis nos convincunt, talia sæpe operari Deum, non ad solam aliquam apparentem necessitatem, sed ad Judæorum hæreticorumque aut alias impiorum confusionem, solatium fidelium, devotionis augmentum, peccatorum conversionem, et plurimos alios salutares effectus, irreverentiam omnem excludentes, quos videmus et audimus procedere in animis eorum, qui perpetuorum istiusmodi prodigiorum experimentum capiunt oculis vel auribus accipiunt fidem: sicuti hoc ipso anno MDCLXXI factum videmus in brachio S. Nicolai Tolentinatis, B nunc, ut alias sæpe, sanguinem copiosum stillantis. Fortassis autem ad talium incredulorum convictionem, anno MDCLXIX illo ipso tempore, quo de miraculis informatio fiebat Valentiæ, coram Prorege et Judicibus Apostolicis, tertio auditæ sunt plus quam quindecim percussiones in imaguncula chartacea, quam simul cum particula ossis sacri manu tenebat servulus Secretarii Viceregii; mox ut puer, sedecim solum annos natus, dixit: Laudetur sanctissimum Sacramentum altaris et purissima Conceptio Dominæ nostræ, sine macula peccati originalis conceptæ. Obstupescere ea res fecit tres Prælatos adstantes: et D. Archiepiscopus, oculos lacrymis suffusus præ teneritudine devotionis, inclinavit caput, raptamque de manibus pueri Reliquiam adoravit dicens: Mirabilis est Deus in Sanctis suis: idemque Episcopi Segobiensis et Maroneensis fecerunt: omnesque simul attestantur facto, in suis ad Pontificem sacramque Rituum Congregationem responsoriis, reddentes rationem Processus a se facti.

Pulsus audiuntur in imagine S. Paschalis.

CAP. XVI.

Initium horum pulsuum quando et unde factum.

42 Cœperunt dicti pulsus audiri ex capsa, cui inclusum erat corpus B. Paschalis anno MDCIX, quo datum fuit initium tractandæ causæ in Curia Romana; vehementique admiratione affecerunt primos suos auditores. Quod ubi ad notitiam Superiorum pervenit, priusquam publicaretur prodigium tam C insolitum nulli parcitum fuit industriæ, ut causa et veritas facti deprehenderetur. Et de veritate quidem cito patuit eam esse extra omnem falsi suspicionem, neque aliter quam divinitus fieri potuisse, ut ex capsa eo modo ut erat collocata, et tanta undique circumspectione adhibita, sonus iste prodiret. Statim enim ac nepos ejus, Dei servus, Fr. Didacus Baylon, sinceritatis ac puritatis raræ adolescens, habitum sumpsit, consuetudinem sibi sumpserat, ut, quoties aforis ad conventum redibat, post benedictionem superioris acceptam, eamdem a caro patruo suo petiturus intraret ecclesiam, et ante capsam prostratus, eidem, tamquam si vivus fuisset, omnem rei a se gestæ successum prosperum atque adversum enarraret, recenseretque amicos, qui sibi fecerant caritatem; atque alia plura, quæ de eo narrantur in Chronicis Provinciæ. Relatione autem finita nunc quidem audiebatur in capsa gravis strepitus, quasi convolventis sese; alias suavis dumtaxat pulsus; Frater vero Didacus, et alii qui ex abscondito eum observaverant, consolatione interna pleni remanebant.

43 Restabat, ut intelligeretur, quem in finem istud fieret: quamvis autem propterea indictæ per D Provinciam sint preces multæ, numquam tamen exorari se sivit majestas Divina, ut secretum istud revelaret. Solum Religiosus quidam, ex obedientia adjuratus, casum sequentem exposuit. Scilicet quod cum in Conventu Villa-regalensi habitaret, post prandium ad capellam accedens, propter quasdam necessitates infirmariæ, quæ fuerat ipsi commissa, et in transitu ante venerabile Sacramentum leviter flectens, motus sit interiori quodam impulsu, ut a B. Paschale peteret, quid mysterii subesset iis, quas dare audiebatur percussionibus. Et continuo sensit in anima sua extraordinarium lumen quoddam, quo ei vivaciter repræsentabantur ista Prophetæ Hieremiæ verba Capite primo; Quid tu vides, Hieremia? Statimque in mentem ejus venit subsequens responsum; Virgam vigilantem ego video; et consequenter etiam hæc; Bene tu vides, quia ego vigilabo super Israel. Hæc autem interna colloquia, boni istius Religiosi menti instantanee impressa, indicibili cum claritate ei ostenderunt, Virgam istam vigilantem esse B. Paschalem, quem Deus constituerit custodem et vigilem, numquam dormitantem, super populo suo, omnibus scilicet fidelibus, et supra Provinciam S. Joannis Baptistæ, ac singulos E ejus subditos. Quæ intelligentia, magnæ consolationi conjuncta, copiosissimas ex oculis jam dicti Religiosi lacrymas elicuit, fecitque, ut interiorem animi æstum reprimere nequiens, exclamaret: O vigilans! O vigilans! O vigilans. Sicut autem affirmat ipse, non habebat tunc temporis ullam sacræ Scripturæ notitiam, sed pauxillum dumtaxat ex Grammaticis præceptionibus hauserat.

EX ITAL. D'ARTA. Cur pulsus isti fiant.

44 Veritatem revelationis istius, aut quocumque eam nomine appellare volueris, comprobarunt successus effectusque mirabiles, notati ab illis qui deinceps, præsertim hisce temporibus, in experientiam venerunt mirabilium istorum pulsuum, qui divinitus creduntur destinari, tamquam præsagia mali alicujus vel boni obventuri; cum hac differentia, quod iidem pulsus alias majores, minores alias sint; aliquando præsentibus multis exaudiuntur a paucis, et his harmoniam quamdam suavem efficiunt. Subinde felices, infelices subinde eventus succedunt. Est cum audientem interius recreant; est cum eum videntur reprehendere, moventque ad devotionem ac pœnitentiam. Denique effectus istorum pulsuum tam varii sunt, quam inscrutabiles: universim tamen observatum jam est, grandiores ictus tragicorum successuum esse plerumque indicia, moderatiores vero contrariorum iisdem. Sic diebus iis, quibus F Fontarabiam obsidebant Franci, frequentes sed suavissimi pulsus auditi sunt intra capsam B. Paschalis, potissimum die VII Septembris in Vigilia Nativitatis Marianæ: qui cum populum vehementi expectatione attonuissent, duravit admiratio hujusmodi, usque dum advenit nuntius magnæ illius insperatæque victoriæ, quam eo die retulerunt arma Catholici Regis. E converso cum eodem anno iidem Franci Dertusam obsederant, præcedenti nocte numerati sunt pulsus centum et viginti sex magni; qui tremendi populo Religiosisque id significarent quod revera accidit. Maxime conterriti fuerunt Religiosi Villa-regalensis Conventus mense Octobri anni MDCXL, frequentibus grandibusque pulsibus per dies quatuordecim continuatis, et potissimum in festo S. Andreæ Apostoli intensis: singuli enim tantum tunc excitarunt fragorem quasi bombarda exploderetur. Jamque de re tota certiorem fecerant Provincialem, funesti quidpiam expectantes, cum nuntiatum est ipso vehementissimorum pulsuum die Lusitaniam totam rebellasse.

Variæ audientium animos afficiunt:

Graviores rei tristis, leviores lætæ omen esse notantur.

45 Cum ejusdem Conventus Guardianus P. Fr. Franciscus Emper, is qui postea Provincialis fuit, exemplaris

EX ITAL. D'ARTA.

A exemplaris vitæ Religiosus, notavisset ceræ plus consumi, quam præcise necessariam videbatur ad celebrationem Missarum; suspicareturque nonnullos esse, qui eam ad suos usus privatos derivarent; sub gravi obedientiæ præcepto vetuit, ne quid ejusmodi auderet quispiam, se cunctis necessaria provisurum. Unus nihilominus, cui data candela consumpta erat, id parvi faciens intravit ecclesiam: sed cum jam in eo esset, ut apprehensum cereum de candelabro tolleret, tam graviter capsam suam percussit Beatus, ut ille conterritus cœpto abstiterit: veniensque in refectorium, ubi congregata Communitas erat, clara voce confessus est culpam suam, postulataque venia enarravit casum qui sibi acciderat, sicuti prædictus Pater retulit. Idem etiam affirmavit, quod noctu hora intempestiva existens aliquando in choro, tam vehementes percussiones in capsa audierit, ut dubitaret utrum ab ea procederent; ideoque a Religioso quodam, ibidem tunc disciplinam faciente, quæsivit, quis iste fragor esset. Qui nihil cunctatus respondit, esse B. Paschalem, qui capsam feriat, ipsumque magna apprehensione implevit: proximo autem die Conventum intravit Visitator Provinciæ, grandium scandalorum atque
B turbarum auctor in eadem futurus.

46 In ejusdem Sancti capella cum vice quadam esset Sacerdos religiosus, nomine Joannes Pueyo, tam validum audivit pulsum, ut crederet extra ecclesiam percipi potuisse; et paulo post audivit bombardam explodi; ex utroque autem sono præsagiens aliquod infortunium, intellexit eadem explosione mulierem quamdam fuisse occisam. Alio tempore, quo res in Catalonia turbidæ multa cum sanguinis effusione procedebant, auditi fuerunt intra capsam Beati plus quam centum pulsus lenes atque suaves, cum multa consolatione adstantium: de quo cum Guardianus renuntiasset P. Fr. Ludovico de Benavente, qui Valentiæ aderat: hic vero læti aliquid inde speraret, eodem post breve tempus appulso Reverend. P. Fr Joanne de Neapoli, qui postea Ordinis Generalis fuit, casum narravit: vicissimque audivit, eodem quo pulsus auditus erat die, solvisse Neapoli aliqua multas naves, omnis generis munitione ac provisione instructas cum quatuor millibus armatorum, cum quibus etiam ipse Reverendissimus feliciter venerat in Cataloniam, cujus tota salus ab illo succursu pendebat, uti post patuit.

47 Albertus Perez, Presbyter et civis Villa-rega-
C lensis, in sua depositione affirmat, cum ad instantiam Philippi IV et de mandato Archiepiscopi Valentini institueretur processio generalis pro pace inter Hispaniam et Angliam, processione ecclesiam ingrediente et hæc verba cantante; Ut Regibus et Principibus Christianis pacem et veram concordiam donare digneris; auditum esse ex capsa B. Paschalis pulsum, quem omnis multitudo distincte perceperit, magno cum solatio et successus optimi fide indubitata. Idem argumentum cumulat testimonio suo Jacobus Blau, civis et ipse Villa-regalensis; dicitque, quod die quodam vicinus capsæ sacri corporis in ea strepitum audierit, quasi ipsum se convertisset; aitque adstantibus: Stemus attenti, Sanctus enim videtur velle pulsare. Omnibus ergo attente expectantibus quid fieret, octies pulsus iteratus est, replens omnes gaudio et devotione: qui diem notantes postea cognoverunt ipsum fuisse, quo Franci solverunt tam longam quam fastidiosam Tarraconensis civitatis obsidionem. Idem accidit quando solverunt obsidionem Ilerdensem: et affirmant plurimi ac nominatim Mag. Fr. Josephus Casa-nova, ictus fuisse plures quam octoginta: quamvis enim ipse solum audisset sex, id tamen se intellexisse ab illis, quibus numerum ineuntibus ipse postremus supervenit.

48 Ceterum, propter qualitatem et frequentiam D
raro alias auditi miraculi, non defuerunt qui dubitarent de ejus veritate, maxime sub initio, idque Deo sic disponente ad clariorem certificationem rei tam prodigiosæ, multiplici experientia et probatione eorum, in quibus dubitantis animi hæsitatio cum affectu piæ credulitatis certabat. In his fuerunt Societatis Jesu Religiosi duo, qui cum sacrum corpus visitatum ivissent et in ipsa capella circa argumentum prænotatum discurrerent, cœperunt, ut erant eruditi valde, difficultates multas magno nisu objicere. Aderat eo loci devota mulier Josepha Mas, civitatis istius incola: cui cum vehementer displiceret istiusmodi sermo tantaque incredulitas, dixit confidenter: Nunc tempus est, Sancte mi, ut grandem pulsum edas, ut Patres isti redeant de veritate hac instructi: quod si feceris, promitto quod ipsis causam dicam, quo magis convincantur. Necdum verba finierat, quando audita est tam gravis percussio, ut tota resonarit ecclesia, non sine reverenti confusione dictorum Patrum, maxime cum ejus causam a muliere audiverunt: quare cum devotis lacrymis prostati in terram, egerunt Sancto gratias, quod se quoque tam grandis miraculi participes testesque habere voluerit. E

CAP XVIII

Rei veritas incredulis manifestatur gravi pulsu;

49 Multum erga B. Paschalem afficiebatur Fr. Didacus Candel Carmelita Discalceatus, sed difficultatem haud parvam ei dabat hoc punctum, cum de eo forte deberet ad concionem loqui. Ingressus ergo capellam preces supplicationesque iteravit, et exaudiens eum B. Paschalis tres ictus dedit; neque his satis habenti, sed preces novas addenti, dedit iterum tres alios, ac rursum tertia vice; donec de rei veritate plane certum se esse devota cum gratitudine fateretur. Eamdem satisfactionem alteri cuidam dedit, ex Carcagente venienti in aliorum plurium comitatu: cum enim viæ sociis prodigium istud narrasset, et capsam discooperiri fecisset, eique manum imposuisset; audierunt omnes eam ter pulsari, cum non parvo suæ devotionis incremento. Cum in Villa-regalensi conventu Guardianum ageret P. Fr. Franciscus Emper, hospitio excepit quemdam Observantiæ nostræ Religiosum: qui ibi diebus aliquot mansit, dicens eo fine se venisse, ut pulsari capsam ipse audiens de facti mirandi veritate condi faceret publicum instrumentum, idque ad pium finem. Quamvis autem eodem tempore aliquoties pulsata fuerit, quia tamen id numquam fiebat præsente se, haud mediocriter anxiabatur. Itaque F
mœroris causam Guardiano indicavit: a quo deductus ad capellam, oratione facta quasi valedicere voluit, manumque superposuit arcæ: quam adeo vehementer pulsari sensit, ut attonitus totus nec verbum quidem proferre potuerit, sed oculis in cœlum sublatis discesserit. Causam vero silentii rogatus, respondit, stuporem illum suum ex eo processisse, quod non solum manum suam exterius pulsari senserit, sed etiam multoque magis interius animam, eamque violenter rapi illuc, ubi opus erat, ad multarum leucarum distantiam. Qua de re cum instrumentum scribi jussisset, abiit, Deum Sanctumque collaudans.

item alternis pulsibus tertio repetitis;

et aliis pluribus.

50 Concionatoris munere in eodem Conventu fungebatur F. Michael Villara Sa, cujus supra meminimus agentes de obedientia Sancti: qui cum in ipso ejus festo, quod in Pentecosten tunc cadebat, cuperet ejusmodi percussionem audire; desiderium istud suum indicavit nepoti ipsius Sancti Fr. Didaco: qui ei respondens; Crede mihi, inquit, non solet patruus meus diebus hisce tribus arcam suam percutere, quia non vult populum inquietare. Finitis ergo festis concursuque cessante, cum Fr. Michael esset in sua cella, longius distante ab ecclesia, vehementem

A vehementem ictum unum audivit, tam clare ac si in ipsa cella fieret; et continuo adfuit F. Didacus, dicens, quod patruus suus sic pulsasset; ex quo cognovit Concionator, ab illo quoque istum pulsum auditum esse. Una post hora idem factum est, tantumque turbatus est Michael, ut ab eo quod cœperat cogeretur desistere : redeunti autem Fr. Didaco, et idem quod supra asserenti, ille nihilominus dubitans propter magnam loci distantiam, dixit; Audi, Frater, nisi velis, ut ego retractem, quæ de hisce pulsibus ad populum dixi, impetra a patruo tuo, ut talem edat de quo nequeam dubitare. Ergo eodem die, cum ad ipsius Beati altare sacrificaret, ministrante sibi Fr. Didaco, ad secundum Memento audivit pulsum ab arca procedentem : qui quidem timorem ei primum incussit, sed huic mox fecit succedere gaudium singulare, et certam rei totius fidem; quam cumulavit Fr. Didacus finita Missa ei dicens, Nunc saltem extra dubium eris, quandoquidem patruus meus voluntati tuæ tam copiose fecerit satis.

51 Cum P. Fr. Hieronymus Planes gubernaret nostram hanc Provinciam, mandavit, ut noctu diuque intra capellam assisterent semper Religiosi duo, B donec tam mirabilis res certo explorata haberetur. Quadam ergo nocte cum Fr. Alfonso de Pinha vigilandi obtigissent vices, contigit ejus socium ipso nihil sentiente foras egredi et interea pulsum in arca tertio dari : quod cum ad Communitatem retulisset, exigua fides ei habita, utpote qui conteste careret. Postero igitur die simul cum aliis in oratione assistens, dixit intra se; Sancte mi, si auderem imperare tibi per sanctam obedientiam, ut nunc pulsares, faceres utique : sed ego existentem in Sacramento Christum oro, ut ipse tibi id imperet, ad omnibus his faciendam fidem depositionis meæ. Et continuo ter pulsata arca, circumstantes omnes confirmavit, devotaque consolatione implevit.

Sacerdotis impii ad aram S. Paschalis conversio mira.

52 Finem Capitulo huic faciat Sacerdos, non solum incredulus, sed etiam arrogans atque irreverens : qui cum quibusdam banditis, quos sectabatur, die aliquo festo post Missas finitas venit, dixitque, se velle sacrificare : et absque alia præparatione, depositis solum quibus erat accinctus sclopis, progressus ad altare S. Paschalis, exorsus est Missam : sed hac usque ad consecrationem perducta, ita conturbatus est, ut neque pronuntiare verba neque progredi ultra posset. Hinc graviter confusus, experiensque quanto magis conaretur, C tanto se proficere minus; cor suum sublevavit ad Deum, et B. Paschalem oravit, ut sibi a divina sua Majestate impetraret gratiam finiendi sacrificium, promittens se dimissurum consuetudinem omnem cum perditis illis, seriamque de peccatis acturum pœnitentiam. Exaudita fuit hæc ejus oratio, idque significavit pulsus in arca, qui æreum cor illud liquefecit in lacrymas. Sub ipsa vero sacræ Hostiæ elevatione iterum pulsatum est, iterumque sub elevatione Calicis. Facta autem Missa Sacerdos iste valedixit comitibus, quibuscum venerat, ejusmodi mutationem demirantibus; et ingressus Conventum interrogavit, an ibi esset aliquis Religiosus doctus, quicum posset maximi momenti negotium communicare; et dictum est ei, adesse Reverendiss. P. Fr. Joannem Muniesa, Commissarium generalem Ordinis, huc advectum causa faciendæ Novenæ ad corpus B. Paschalis : cui accersito totum animæ suæ statum aperuit, et facta generali peccatorum Confessione discessit, vitam deinceps pœnitentem acturus sicut promiserat. Retulit autem quidquid audierat Commissarius : sed ex scrupulo quodam, non satis fundato, noluit Romæ in Generali Capitulo eamdem declarare, quantumcumque instanter rogatus a me : qui tamen non dubitavi eam hic inserere, utpote in partibus istis notissimam.

D

EX ITAL. D'ARTA.

CAPUT VI.

De similibus pulsibus, ad solatium devotorum aut salubrem commonitionem, sæpius factis.

CAP. XVIII.

Cum Provinciam regeret P. Fr. de Benevento, visitans eam venit in Villam-regalem cum desiderio impetrandæ cujusdam gratiæ, quam existimabat necessariam esse animæ suæ profectui, et officii impositi administrationi felici. Prostratus ergo in oratione ante sepulcrum B. Paschalis, eadem finita audivit pulsum intra arcam sacri corporis datum, qui cor suum penetrans implevit illud ingenti fiducia impleti voti, claraque notitia mediorum ad intentum finem adhibendorum. Inde ad Missam in eodem altari celebrandam se contulit, atque auxilium S. Joannis Baptistæ ad eumdem finem implorans, cum in Secreta, Suscipe sancta Trinitas, pervenisset ad nomen gloriosi Præcursoris, alterum pulsum audivit : quo plene confirmatus consolatusque remansit, nec minus eum ipsum promissi sibi auxilii postea sensit effectum. Mœrore magno afficiebatur P. Fr. Franciscus Emper, eo quod vulgata erat fama, creandum esse Provincialem. Recurrit ergo ad intercessionem B. Paschalis, rogavitque ut istiusmodi electionem impediret. Dum autem ante altare ejus cor suum effunderet, audivit arcam percuti, seque interius securum reddi de exauditione suæ orationis : quod minime vanum fuisse apparuit, quando gravibus de causis est judicatum expedire, ut alius ab eo eligeretur.

Petentes quidpiam, audito pulsu, securi sunt de successu,

ita accidit petenti gratiam regendi,

E

deprecanti Provincialatum;

54 In eodem conventu morabatur Fr. Christophorus Garzia, ut habitum peteret : qui ne sibi negaretur formidans, contulit se ad sepulcrum Beati, instanterque rogavit, suum ut desiderium impletum vellet : qui suaviter pulsans eum est consolatus, tunc quidem spe bona, paulo autem post etiam ipsius adimpletione voti. Idem eodem in loco successit Fr. Francisco Martinez, occasione alterius cujusdam petitionis, cui B. Paschalis bis arcam pulsavit in signum exauditionis. Item Josepha Mas Villa regalensis, servum Dei rogans, ut in signum successuri bene negotii, quod ipsi commendabat, dignaretur ictum unum dare : quod illico factum est. Admodum desolata erat Magdalena Jorda item Villa-regalensis, propter gravitatem mali, quod maximas in angustias adduxerat patrem suum Cosmum. Cumque nudis pedibus veniens novenam fecisset B. Paschali pro patris valetudine recuperanda, eumdem ad majus suum solatium rogavit, semel saltem pulsaret arcam : subitoque exaudita domum rediit, et patrem suum invenit pristinæ sanitati momento redditum. Ecclesiasticum aliquod Beneficium filio suo prætendebat Doctor medicus, Ludovicus Piedra-bertrando : sed prius quam Patronos, jus denominationis habentes, conveniret, favorem B. Paschalis requirendum sibi censuit : quod dum ante arcam devotus facit, suaviter eam percuti audivit, dixitque : Jam habeo filium, desiderati Beneficii compotem : et reipsa habuit.

rogantí admissionem in Religionem;

successum negotii;

sanitatem patri;

F

Beneficium ecclesiasticum filio;

55 Francisca Cabrera Villa-regalensis, sexennio nupta, nullos suscipiebat liberos, eoque valde tristabatur. Die ergo quodam accessit ad viri Dei sepulcrum, orans ut, si expediret saluti suæ, prolem a Deo impetrare mereretur : et mox pulsari audiens arcam; An, inquit, ideo hic pulsus datur, ut exauditam me esse sciam? Rursusque pulsari audivit ac dixit : Sancte mi, si percussiones istæ vere significant me concepturam ac parituram, etiam tertiam addas rogo. Quod cum impetrasset, plene secura rediit, conceptamque ex voto filiam peperit : quæ, quia in pueritia multam de se spem faciebat, cœpit Filia Sancti

prolem post sexennii sterilitatem :

Ex Ital. d'Arta. frumentum familiæ suæ.

A Sancti vocari. Graviter etiam affligebatur animus Thomæ Agnone Villa-regalensis, quia exhaustum frumentum facultatem familiæ alendæ abstulerat : et in tribus, quos habebat, filiis terna B. Paschalis expertus miracula, nihil habuit promptius quam ad eumdem recurrere pro remedio. Ergo ad Capellam accedit, orationem fundit, arcam pulsari audit, sentit animum serenari : egressusque de ecclesia occurrit homini, qui tantum tritici eidem obtulit, quantum ad proximam messem satis futurum erat.

Dubius de hora pulsu edocetur.

56 Grandis defectus est, præsertim in locis exiguis, si media nocte non detur signum campanæ ad Matutinas : isque ut caveatur magna cura invigilant Guardiani. Cum ergo hebdomadarius pro officio isto quadam nocte esset in ecclesia, expectaturus sonum horologii, in somnum decidit, neque horologii pulsum audivit. Experrectus vero et Religiosos aliquot jam chorum ingressos videns, quæsivit an duodecima sonuisset : illis autem se nescire respondentibus, ad crates se applicuit; et genuflexus cum anxietate dixit : Sancte mi, quomodo sciam utrum sonuerit duodecima, ne in culpam incidam si forte nondum ea sonuerit? Et mox audita est capsa duodecies, sed lente pulsari, ita ut inire numerum tam B ipse quam ceteri commode possent : quare pulsata illico campana, signum surgendi dedit Communitati. Sunt et alii multi Religiosi, qui in illo conventu aliquando habitarunt; testanturque idem sibi accidisse in variis occasionibus, quibus ad B. Paschalem recurrentes, soluta sibi habuerunt dubia quibus anxiabantur, per ejusmodi pulsus.

Similiter securi fiunt postulantes remedium scabiei;

57 Franciscæ Ybanhez Villa-regalensi nata erat filia, scrofulis tumidum collum in lucem efferens, quibus notabiliter deformabatur. Affligebat matrem genus morbi, quod in parte tam delicata et ætate tantilla videbatur incurabile : sed cum ingressis domum suam religiosis duobus casum narrasset, dixit unus eorum; Ne affligaris, Domina, sed cras mane veni ad capellam B. Paschalis, postulatura remedium, et ego tibi Missam dicam, atque ita te exaudiendam confide. Venit mulier, et Missam, ut promiserat, cœpit Sacerdos : quam ubi usque ad primum Memento perduxit, audiit illa pulsari capsam, conceptaque fiducia domum rediit, seque revera exauditam experta est, deformi illo tumore paulatim subsidente.

curationem brachii;

In eodem oppido juvenis quidam periculose læsus erat in brachio : qui, contempto quod obvenire poterat damno, domo sua egressus ad capellam accessit, et C sanitatem a B. Paschale postulavit : oransque quam potuit attentissime, ictum unum audivit, et circumstantibus dixit; Domini mei, ecce sanum me; et simul a brachio fascias abstulit, seque verum dixisse reipsa comprobavit.

liberationem a gravi tentatione;

Religiosus quidam Carmelita in eadem urbe, Fr. Gaspar Gali nuncupatus, B. Paschali perquam devotus, declarat, quod aliquando gravi diuturnaque tentatione pulsatus suam in eo fiduciam locaverit. Dum autem vice quadam orationi instaret, remedium in capella Sancti postulans, tres ictus distincte datos audivit : et gaudio interiori plenus liberum sese ab ista molestia sensit, eatenus saltem, ut ei deinceps numquam succubuerit, et renascentem facili negotio semper repulerit. Idem adjungit, quod cum in altari Beati sacrificaret, rogans, ut se bonum Sacerdotem faceret Deus; inter pronuntiandam consecrationis formulam alium in capsa pulsum audiverit, fueritque in anima vehementer consolatus.

alias iterum.

58 Josepha de Mas, jam supra nominata, semel iterumque gravi etiam ipsa tentatione contra fidem pulsabatur : de qua ex mandato sui Confessarii agens cum Matre Helena Tertiaria, spiritus illuminati matrona, in ipsa B. Paschalis capella; dum eam ut pro se deprecetur orat, audivit utraque grandem pulsum in capsa, et Josepha animum quietum inde retulit. D

Simili pulsu juvenis ad confessionem impellitur :

Juvenis quidam dissolutæ vitæ Romam proficiscens, hospitium cepit in nostro Villa-regalensi conventu, unde discessurus voluit benedictionem Sancti petere : ad quam dum genua flectit in ejus capella, licet male dispositus, fortem audivit pulsum : quo cor animumque penetrante, recurrit in monasterium alta voce Confessionem inclamans; et accurrentibus ad clamorem religiosis, putantibusque infortunium aliquod ei supervenisse, factum exponit, peractaque generali Confessione iter suum lætus prosequi cœpit. Præsidebat eidem conventui P. Fr. Michael a S. Josepho, is qui postea Definitor fuit, sed propter continuam secularium præsentiam ægre sustinebat officium, optabatque ad alium conventum transferri, ubi ab omni strepitu remotior viveret, et parum aberat quin ab obedientia sibi id injungi postularet. Verum affectus erga B. Paschalem obstabat. Inter hæc, post sacrificium Missæ peractum, intrans in ecclesiam fortiter pulsari audivit; simulque interim reprehendi aversam suam ab eo, quod Superior statuerat, voluntatem, quam continuo etiam deposuit. E

item juvenes in templo fabulantes.

59 Murmuratorios sermones in ipsa Beati Capella miscebant duo quidam, justamque adversus eos indignationem, uno ac deinde altero pulsu monstrabat, nec illi tamen vel secundo moniti, desistebant cœptis. Tertio ergo iteratum pulsum audiverunt, simulque motum sacri corporis, quasi sese inquiete versantis, eo continuatum tempore, quo Symbolum Apostolicum bis posset recitari : unde perculsi justo horrore, culpamque agnoscentes suam, ejus veniam petierunt prostrati in terram, non sine aliorum qui aderant demiratione.

Approbantur dicta concionatoris.

Ibidem duabus vicibus contigit, ut P. Fr. Josepho Ferrer, qui post fuit Vicarius Provincialis, ad concionem dicente, primum quidem de extrema B. Paschalis paupertate; deinde de miraculis ejus stupendis, visus sit Sanctus geminatis pulsibus approbare dicta : nec potuit cœptum sermonem prosequi orator sacer, donec murmur populi conquievisset; omnes enim rem audierant.

Dedocetur quidam errorem suum.

Fr. Didaco Fernandez, ibidem Choristæ, in more erat Divæ Virginis Coronam recitare cum Officio ejus minore; eoque satisfacere se credebat constitutioni, ut pro quocumque Religioso intra Provinciam moriente, Sacerdotes quidem octies Missam, Choristæ octies Officium defunctorum, Laici vero Fratres octingenties Pater-noster legant. Tandem tamen subeunte F scrupulo, an ita faceret satis obligationi suæ erga defunctos, eum ut sibi dissolveret, nocte quadam B. Paschalem rogavit; hic vero arcam vehementius pulsans sic eum conterruit, ut intellexerit Deo gratam non esse hujusmodi arbitrii proprii dispositionem, in puncto per obedientiam contituto.

Notatur defectus lampadis.

60 Affirmant similiter Religiosi plures experientia accurata compertum sibi esse, quoties deficit oleum in lampadibus ante corpus sacrum ardentibus, aut eæ ex alio quovis casu restinguuntur, defectus illius signum dari a S. Paschale, ad cujus pulsum territi concurrentesque ad sepulcrum, quare id accidissit cognoverunt.

Probatur obsequium purgantis lampades,

* Prædictus Chorista expoliverat aliquando novemdecim ejusmodi lampades, quibus suo loco repositis, prius quam discederet a capella in oratione se prostravit; hanc autem dum protrahit ultra duas horas, cœpit suaves plane pulsus audire, et tot præcise numerans quot fuerant lampades a se repurgatæ, suumque officium Beato acceptum esse tali signo cognoscens, mirabiliter se consolatum sensit.

et recitatio integri Rosarii.

Ibidem vivebat Chorista alius, dictus Fr. Joannes Augustinus, et consuetudinem sibi fecerat, omni vespere integrum Rosarium recitare in capella Beati : quod cum aliquando faceret pietate consueta, et singulas decades suo quamque mysterio applicaret,

A ret, in ipso applicationis actu, unaquaque vice pulsum audivit; donec quindecim mysteriis decursis Rosarium absolvit cum magna sua consolatione. Idem postea factus Sacerdos, cum in altari Beati Missam diceris, venisset ad primum Memento, recessit alio qui ministrabat Clericus, neque ad tempus consecrationis rediit, pulsaturus campanulam. Hoc defectu agnito pius Sacerdos anxius, cœpta tamen mysteria prosecutus est: sed defectum supplevit ipse Beatus, sub elevationis actu tam fortiter pulsans intra capsam, ut nemo adesset, qui non crederet satis monitum se de Sacramento adorando.

Suppletur defectus pulsantis nolam sub Consecrationem

61 Eodem venerat Joannes Gras ex oppido Valentini regni Cucca, et in capella orans simul pulsum ex capsa, simul in animo novam devotionis dulcedinem sensit: cui gratus esse volens, promisit notabilem eleemosynam promovendo sacello Sancti, quod in conventu patriæ suæ ædificabatur: quod iterum ei compensatum est aliquoties iterato pulsu. Ibidem pro curato sibi per miraculum carcinomate grates agebat Jacobus Blau Villa regalensis, et similiter pulsum unum audiens, fatebatur auctum in se affectum fiduciæ, in tam benevola protectione locan- B dæ. Ad preces supplicationesque Joannis Argramon in oppido Cervera filiolum ejus resuscitarat Sanctus, submersum in quodam aquæ receptaculo: pro quo beneficio ad capellam ejus sicut promiserat puerum adducens, meruit de miraculi veritate, Sanctoque erga se suoque affectu certificari tribus pulsibus successive auditis; primo cum ecclesiam ingrederentur ambo, deinde coram Sanctissimo genu flectentes, ac denique intrantes in capellam, cum sua omniumque eos comitantium lætitia magna. Alius Eques ex oppido Yente, quod plus quam sexaginta leucis distat a Villa-regali, pro resuscitata sibi filiola votum complens, in ipso ecclesiæ ingressu percepit arcam pulsari septies, et consolatus recessit.

Plurium gratitudo probatur.

62 P. Georgius Regal duos memorabiles casus refert: Primus fuit, quod dum suus quidam pœnitens inter confitendum conturbatus reprimeret vocem, eumque ille ad porro sua peccata explicanda stimularet; illo pergere volente datus sit pulsus, ad quem amare plangens alter; Hei mihi, inquit, o Pater, pulsus hic ideo datus est, quia decreveram, omisso peccato quodam pudendo, aliorum confessionem prosequi. Deinde in eadem auditus est novus pulsus, qui pœnitenti excussit omnem verecundiam, ita ut, sublato quod dæmon ponebat impedimento, potuerit C integre confiteri, cum magno suo, nec minori Confessarii gaudio. Alius casus fuit, cum conventus nostri Confessarius induxit juvenem quemdam ipsius urbis, ad mutationem vitæ perquam dissolutæ et generalem peccatorum Confessionem faciendam. Venerat is, ut promiserat, et vocari Confessarium jusserat; dum autem se de genibus sublevat, et præter arcam sacri corporis custodem transeundo se inclinat, e sudariolo ejus decidit epistolium, et simul Beatus grandem pulsum edidit. Ad quæ perturbatum juvenem videns Confessarius; Quid hoc est? inquit. Ah Pater! respondit alter, epistola est quam nuperrime accepi, a tali, quam nominabat, muliere; et licet venirem ad confitendum, revera non eram bene dispositus.

Peccatum in confessione tegens pulsu corripitur.

Alius ad sincere confitendum adducitur.

63 Concludat hoc argumentum depositio Doctoris Dominici Sarrii, Presbyteri litteris et virtute clarissimi, cui tantum fuit animorum, ut, quamvis a fortuna ei non sit provisum plus quam scutis ducentis reditus annui, Segoviensem tamen et Origuelensem mithras, sibi a sua Majestate in meritorum maximorum compensationem oblatas, potuerit refutare. Hic in Processu Valentino anni MDCLXIX affirmavit, quod cum D. Joannes Crespi de Baldaura, notissimus Eques, utpote Frater Excellentissimorum Dominorum Don Ludovici Crespi Episcopi Placentini et D Legati olim ad Romanum Pontificem ordinarii, atque Don Chrystophori Crespi Vice-cancellarii Aragoniæ, vehementi suppressione urinæ laboraret, ipsum solatii causa ad se venire rogarit: qui ejus angustias videns dixerit, Domine Joannes, novit Dominatio tua quam miraculosus sit noster Beatus Paschalis Baylon; ei te commenda, vovens aliquam te eleemosynam pro juvanda Canonizatione ejus daturum, visurumque sepulcrum. Faciam libenter respondit ille, si promiseris, te comitaturum. Promittente autem Doctore, solutum est urinæ impedimentum: et subito liber a periculo Joannes cum Sarrio discessit versus Villam-regalem voti implendi gratia.

Dysuria voto Paschali facto sanatur.

64 Refert autem idem Doctor, quod cum in itinere atque illo triduo quo in Conventu manserunt sæpius sibi veniret in mentem cogitatio de pulsibus solitis a Sancto dari, interius dixerit; Domine Deus, si tibi in hoc non displiceo, noli permittere ut Sanctus vel semel pulset; et hoc iterabat crebro, etsi nesciret in quem finem hoc peteret. Ipso ergo quo redeundum inde erat die, sumpto mature cibo ad quietem E Joannes se receperat; Sarrius vero, interim dum Religiosi prandium sumebant ad ecclesiam se contulit, ibique prostratus ante sepulcrum in oratione aliquamdiu perseveravit, non sine formidine interiori pulsuum a Beato faciendorum: et videns adesse horam discessus sibi ab Equite præfixam, gratias agens intra se dixit: Exaudita est oratio mea. Verum enim vero vix hæc cogitaverat, quin terreretur strepitu sacri corporis intra capsam audito, quasi illud ab uno in latus aliud verteretur: et paulo post pulsum unum audivit, qui etiam mentis illius oculos aperuit. Ipse tamen admirans, et capsam undique ac curiose considerans, suspicansque eam esse aliquam imaginationis illusionem, liberatus a sua dubitatione fuit per alios duos pulsus, notato etiam accurate loco capsæ unde illi procedebant. Attonitus eo successu Doctor aliquamdiu sic stetit: venienti deinde ut se vocaret Equitis illius famulo dixit, ut ipse potius veniret in Capellam. Quo venienti una cum quibusdam Religiosis narravit quid actum esset, et manu accipiens furcillam e dextera Joannis, locum capsæ signavit, eum ipsum ad quem jacere caput Sancti F affirmaverunt Religiosi præsentes. Quos ea res effectus in animo audientis habuerit noluit unquam manifestare, quin etiam ad hæc, quæ diximus confitenda Ecclesiasticis censuris cogendus fuit. Interim ad veritatem dictorum pulsuum comprobandam sufficit personæ istiusmodi qualitas; uti etiam testimonia Excellentiss. D. Don Petri-Antonii de Arragonia, Ducis Segoviæ atque Cardonæ, et Excellentiss. D. Don Petri Martinez Rubio Archiepiscopi Panormitani ac Vice-Regis Siciliæ; quemadmodum probare possum quadam relatione, circa hanc materiam jussu Excellentiæ suæ scripta, et manu signato, solitoque ejus sigillo munita, quam penes me servo.

Testes celebres de pulsuum veritate.

CAPUT VII.

De crebro testatissimoque pulsu, ex Reliquiis et imaginibus Beati audito.

Nihilo minus admirabiles sunt pulsus, qui tam ab imaginibus impressis S. Paschalis quam a Reliquiis ejus processisse comprobantur, tot experimentis, ut causa vitandæ prolixitatis solum libeat aliquos casus referre, magis aptos proposito meo. D. Francisca de Ortega, uxor D. Matthæi de Villa-marin, Auditoris Granatensis et Regii postea super Indias Consiliarii, gemino miraculo compertam sibi Paschalis sanctitatem testatur. Primum sic se habuit. Jacebat,

Ex vit. d'Arca. *Cap. XXI.*

Mulier ob fœtum in utero mortuum deposita,

EX ITAL. D'ARTA.

A cebat, Granatæ deposita a medicis ipsa, loquelæque ac motus et omnis fere sensus expers, propter filiolam in utero mortuam : quæ in tantum adducta discrimen, quoad potuit varios Sanctos invocavit, nec ullum a quoquam solamen accepit. Interim domestici ejus B. Paschalis recordati, ad Guardianum Conventus S. Antonii miserunt rogatum, ut infirmam vellet commendare Deo, et Reliquiam Sancti ad ipsam mittere. Fecit Guardianus quod rogabatur, missis cum Reliquia duobus Religiosis : qui ingressi in cubiculum infirmæ, præcipuas civitatis Matronas ibidem invenerunt; quarum una ipsam Reliquiam manu tenens inclinataque ad lecti caput, dixit : Filia, eccum Reliquiam B. Paschalis, commenda te illi ex toto corde. Id a se intellectum, cum verbis non posset, signis ostendit : et circumstantes omnes ad conspectum sacræ Reliquiæ cœperunt pro infirma deprecari, et novenas aliæ, aliæ alia vota offerre. Denique cum ipsam super ventrem periclitantis quædam posuisset, illa, quæ multis horis absque motu jacuerat, moveri aliquantulum, partus dolores sentire, edere mortuam infantulam, cibum poscere, ac brevi tota convalescere, cum admiratione omnium,

attactu reliquiarum liberatur.

B præsertim unius ex medicis : qui sequenti die occurrens cuidam Dominæ istius famulo, qua hora obiisset requisivit; casumque inaudiens, obstupuit ad evidentiam miraculi tanti.

66 Exinde tam devota erga B. Paschalem fuit Domina ista, ut ad Curiam Madritensem transgressa, ordinarie Missam audiret in Regali conventu S. Ægidii, quo majori cum otio visitare posset illius ibi sacellum, et quantum poterat temporis expendere commendando se suo benefactori. Quodam ergo matutino tempore intenta jam dicto exercitio, strepitum audivit; atque in unam et alteram partem se convertens, judicavit pulsus notatos non aliunde procedere potuisse, quam ex imagine ipsius Sancti super tabulam depicta, quæ exposita stabat in altari; eodemque momento gravis ei supervenit mœstitia, cogitanti ne forte filiolus, quem habebat novem aut octo annos natum, periclitaretur in aliquo; et ut eum sibi custodiret, rogavit Sanctum. Quamvis autem ex tunc mitior aliquanto, tanta tamen anxietas eam tenebat, ut continuo reverti domum sit coacta : ubi famulos famulasque subtristes inveniens, et sinistri aliquid suspicata, ante omnia quæsivit, ubi filius suus esset. Tum vero intellexit quemdam suum fratrem, tali phrenesi laborantem, ut aliud fere intenderet nihil

Eadem in imagine Sancti picta pulsus notat,

C quam ut sorori et omnibus ad eam attinentibus noceret; cum forte a pueri, in aula quadam studentis, latere aliquantulum secessisset magister ejus Sacerdos; arrepto ex coquina cultro grandi, aggressum eo percutere ac laniare filium, tanta rabie sæviisse, ut ex ejus manibus ægre illum abstrahere potuerint Sacerdos et famuli supervenientes : qui eumdem, ut putabant, toto corpore concisum, attentius inspicientes, nullum in ejus membris aut capite vulnus repererunt, sed solas stricturas a cultro factas citra ullam læsionem, miraculo non caruisse judicabant. Ipsa vero cum admiratione audiens singula, et accurate conferens momenta temporis et rerum domi suæ et in ecclesia actarum, penes se conclusit eadem omnino, qua pulsari arcam audierat, horæ parte casum illum accidisse : quod ejus in colendo B. Paschale fervorem vehementius accendit ad constantiam.

periclitantis filii indicium.

c. XVII.

67 Notabile etiam fuit, quod sæpius retulit P. Fr. Ludovicus de Benevento, videlicet, quod cum Provincialis esset, loquereturque cum P. Fr. Didaco Mazon, hujus Provinciæ filio, de mirabilibus B. Paschalis et prodigiosis istis pulsibus; is narraverit sibi, quod die quodam Missam faciens privatim (quod ei permittebatur, quia inter sacra mysteria

Tabella Sancti et S. Hostia reciprocos pulsus edunt.

D lacrymis copiosissimis diffluens tres plerumque horas divinæ isti actioni impendere cogebatur) idque in altari cui imminebat imago Paschalis; finitis verbis consecrationis audire cœperit pulsus in tabula, et alios iis reciproce respondentes in sacra quam manibus tenebat Hostia, unde animus suus incredibili jubilo efferebatur : quod tam prolixi temporis spatium tenuit, ut omnino formidaret, ne non sine gravi aliquo demonstratione extraordinarii affectus sacrificium posset absolvere. Qui casus vehementer confirmat id quod multi sæpe se expertos asseruerunt, eodem videlicet puncto temporis quo ab intus pulsabatur arca, similiter ab intus pulsari sæpe sacrum Dominico Corpori asservando tabernaculum, cum reciproca hinc inde non parvæ morulæ consonantia.

68 Licentiatus Don Joannes Herrera Tereza, Advocatus Cancellariæ Regiæ Granatensis, rogatus ab eo qui festum B. Paschalis instruendum susceperat, eidem interfuit aliquando, et post prandium in Conventu sumptum, sese contulerat ad quietem, reposita super scriptoriam mensulam imagine chartacea Beati, qua fuerat donatus eo die. Sed lecto incum-

E bens nullum aliquamdiu somnum capere potuit, audivitque pulsum, quem cognovit effectu secuto, haud dubie processisse a prædicta imagine : unde incredibili exultans gaudio exivit de cella, quæsitoque P. Fr. Didaco Dannon, magni spiritus viro et B. Paschali devotissimo, de quo multa legi possunt in Chronicis nostris, exposuit casum universum. Fuit is exinde servo Dei tam propense affectus, ut loco pauperis cujusdam sed honestæ tabellæ, quam importunis precibus piaque violentia impetrarat, posuerit aliam, duobus aut quatuor millibus scutorum eam in rem expensis, eo quod loculum illius adornaverit manu Alfonsi Cano Portionarii, celeberrimique tota Hispania pictoris; reliquo vitæ suæ tempore eidem Beato addictissimus, uniceque in id intentus, ut ipsius Conventui faceret bene.

Ex pulsu affectus erga Sanctum nascitur ingens.

69 Prædictus autem Didacus Dannon in reliquiario habebat ossiculi ex corpore Sancto accepti partem, ad pectus appensam : quæ pulsabatur continue et eadem fere ratione, qua rotatilis horologii libella (expertus loquor) neque poterat Dei servus hoc celare, quantumvis strepitum cieret Rosario, quod ad eum finem manu volvebat assidue, sed facile audiebatur a cunctis cum eo agentibus, et præsertim peccata sua confitentibus : sed imprimis illo horæ

Reliquiæ lipsanotheca circumlatæ assidue pulsant,

F quadrante, quod post Matutinum officium orationi impenditur. Circa quam rem multis hic me possem dilatare, quia sexennium integrum cum eo habitavi Granatæ, nec ullus Fratrum erat in conventu illo cui id non esset compertissimum. Unum addam, quod paulo ante suum ex hac vita transitum, qui ei Definitoris munere fungenti contigit in conventu S. Joannis della Ribera di Valenza, dixit Confessario suo, quod B. Paschalis varios magnosque favores sæpe ipsi fecerit; et quod fructus ex illis pulsibus in anima sua producti solum in die judicii essent manifestandi.

cum singulari ferentis fructu.

70 Doctor Ludovicus Bertrandus Piedra, medicus Villa-regalensis, anno MDCXLIX regrediens Valentia, post datum ibi testimonium in Processu de miraculis Paschalis post ejus beatificationem formato, ex maligno tubere, quod manui ejus increverat, tam grandem pati cœpit dolorem, ut ultra oppidum Almenaræ, tribus solum leucis distans a Villa-regali, progredi nequaquam potuerit. Hoc nuntio in domum ejus delato, festinaverunt occurrere ei uxor ac filii idque ipsum Guardiano significarunt : qui sciens quam bene affectus erga Beatum et quam beneficus Conventui suo Doctor ille esset in illud forsan discrimen adductus occasione obsequii

Æger audito pulsu reliquiarum sanatur.

A quii utrique tunc præstiti, misit cum iis ad infirmi solatium Religiosum ex suis, simulque nonnihil Reliquiarum Beati. Venerunt ergo omnes ad locum, ubi jacebat ille animo viribusque defectus : cui cum admovissent jam dictam Reliquiam et devote contrectandam obtulissent, in mensula eamdem deposuerunt : ubi post modicum temporis intervallum cœpit illa pulsus quosdam iterare, qui ab omnibus exauditi et præsertim ab infirmo, illos quidem spiritualiter exhilararunt, hunc vero sic affecerunt, ut continuo liberum se a malo crediderit, ac bene sanus brevi domum redierit, ubique casum illum ut miraculosum publicans.

Alter ex earum pulsu mortem prænoscit.

71 P. Fr. Michael Yranzo, Provincialatum gerens, decumbebat infirmus. Ad hunc consolandum cum venisset decessor suus, Pater de Benevento, dixit ille : scio Frater, et certo scio me moriturum. Ad hæc idem Pater, cui viri illius nota erat circumspecta in omnibus prudentia, mirari atque urgere, ut ediceret causam, quæ eum faciebat id tam certo affirmare. Tunc Pater Yranzo pro intima cum illo necessitudine declaravit, quod dicturus ante paucos dies Missam, mandarit ut supra altare exponeretur
B Reliquia illa, quæ solet ad infirmos deferri : et quod illa sacrificii tempore pulsum sensibilem dederit, in corde autem certam prænotionem cito secuturæ mortis, quæ vigesimum post diem illi obtigit.

C. XXIII

72 Cum esset anno MDCLXIX nova Commissio expedita pro secundo Processu de miraculis fabricando, primo loco testimonium dixerunt Excellentissimi Domini Don Vespasianus Gonzaga et Donna Maria Agnes Manrique de Lara, Comites de Paredes et Vice-Reges Valentini, ex quibus Dominus Vespasianus de hoc argumento sic locutus est : Existimo certos et indubitabiles esse miraculosos illos pulsus, qui ex Reliquiis imaginibusque Beati audiuntur procedere ; opinionemque verosimiliorem esse, quod vehementiores ictus præveniant adversos casus, suaves autem indicent gaudium atque solatium. Idque tum in seipso expertum se dicit, tum sequentibus quos narravit casibus. Anno proxime præterito MDCLXVIII graves in illa civitate ac regno tumultuosæque lites exortæ sunt, quia Religiosus quidam ex mandato supremi Consilii Arragoniæ iverat visitaturus quemdam Conventum ; cujus inquilini cum sese ei temere opposuissent, et futuris incommodis majoribus remedium quæreretur ; decretum est ut ex rebellibus accerserentur aliqui, interque eos Confessarius quarumdam hujus civitatis monacha-
C rum. Hunc in finem cum mandatum Vice-Rex accepisset, et hic judici cuidam Audientiæ Regiæ executionem commisisset, itum cum satellitio est ipso die festo Ascensionis x Maji, ad prædictarum Religiosarum monasterium ; ubi illi invenientes quem requirebant Presbyterum, qui nihil tale suspicans sacram Communionem distribuebat; eidem manus injecerunt, non minus temere quam arroganter : eaque occasione commissæ sunt irreverentiæ scandalosæ, quæ civitati ac regno toti vehementer displicuerunt.

Graves turbæ et irreverentia

gravissimo pulsu significantur.

73 Eodem die, duabus ante solis ortum horis, Excellentia sua dormiebat in lecto cum uxore, et simul ambo excitati sunt ad fragorem in palatio tam grandem ac si tormentum bellicum fuisset explosum; unde conceptus pavor gravior etiam fuit, quia ictus ille processisse videbatur ex ipso in quo jacebant lecto. Clamarunt igitur, et accurrentes famulas interrogaverunt, numquid et ipsæ audivissent fragorem grandis ictus. Illis autem se audivisse affirmantibus, et ut jussæ erant per totum palatium frustra requirentibus causam, inde is fragor procedere potuerit; occurrit Vice-reginæ cogitare, eum a B. Paschale esse : sed quia tam terribilis erat, non ausa primum aperire marito cogitationem hanc suam, D
tandem eum videns magis magisque inquietari : Credo, inquit, hunc fragorem non aliunde processisse quam ab impressa B. Paschalis imagine, quam heri vesperi ad me tulit Religiosus aliquis ex Conventu S. Joannis de la Ribera. Et ubi, reponit Comes, eam posuisti? Cui illa : Ecce in hoc linteolo appensam. Consideravit illam Vice Rex attentius, et increscente solicitudine requiem deinde nullam cœpit : mane autem facto venit ad eum totius, quam dixi, rei nuntius; et continuo fassus est Vice-Rex, verum esse, quod uxor sua dixerat; eoque certius id credi posse, quod Beatus fuerit semper devotissimus erga sanctissimum Eucharistiæ Sacramentum, et actio illa tam contraria debitæ eidem reverentiæ, ut proinde prognosticon fuerit tanti scandali tantus tamque formidolosus fragor.

Ex Ital. D'Arta.

Imago pulsare notata a multis

74 Iidem Domini Vice-Reges referunt, quod anno MDCLXVI die III Aprilis, cum ipse jam se composuisset in lectum et illa sese exueret, filiarum suarum una in vicino conclavi dormitura dixerit; Quis hic habet Reliquiam B. Paschalis? nam ego pulsus ejus audio. Respondit autem ancillarum una ; Domina non est Reliquia, sed impressa imago, quam habeo ad pe- E
ctus. Cui altera ; Ergo etiam tu persuadere nobis vis, quod Sanctus te tangat? Etiam, inquit ancilla : verum enim id est, et appropians Dominæ suæ, ipsos ictus palpandos ei præbuit : quæ continuo exclamavit : Pater, mater, B. Paschalis pulsat imaginem unius ex ancillis. Hac ergo ad Vice-Reges intrare jussa, coram prædicta filia aliisque simul ingressis ancillis, distincte auditi pulsus ipsi sunt, procedentes ab imagine quam inter thoracem et pectus ancilla gestabat, adeo ut ex ipsius Vice Regis aliarumque præsentium testimonio numerati sint ictus ad viginti quinque veluti digitorum fortiter impactorum in chartam, quod ob icunculæ exilitatem mirabilius etiam visum est. Duravitque miraculum usque dum Vice-Regina, immissa in famulæ sinum manu, inde abstulit imaginem : quam explicatam cum omnes devote essent venerati, argenteæ capsulæ includi fecit, itaque ei ancillæ reddidit, cui favorem istum Sanctus fecerat, scrupulo sibi ducens eamdem privare tam caro pignore.

argento includitur

Pulsu imaginis turbæ compositæ indicantur :

75 Dicunt insuper iidem Vice-Reges, quod IX Augusti anno eodem, maximo sublevationis periculo expositum fuerit Regnum istud : quia cum Dux de Avero vellet inire possessionem Ducatus Elchensis, F
et Excellentia sua per quemdam Regiæ Audientiæ Judicem mandasset Marchioni de Casta, Gubernatori Alicantes, ut ipsi Judici cum sufficienti peditum atque equitum numero assisteret ; ad illum finem in armis jam erant plus quam duo millia hominum : et nihilominus Valentina civitas, armata etiam ipsa, contumaciter eis se oppositura videbatur, unde gravissima damna gravioresque sequelæ extituræ timebantur. Dum igitur super hujusmodi periculo et timore inter se Vice-Rex ejusque uxor in lecto conferrent, audierunt suaves quosdam pulsus procedentes ab imagine impressa, quam Vice Regina argento inclusam solebat penes se habere semper, et vestes exuens sub cervicali deponere : tantumque solatii exinde ambo perceperunt, ut dicerent; Bonum habemus successum ; securique indormiscerent. Proximo autem mane, priusquam surgerent, venit eis nuntius significans, possessionem quiete initam esse, positis armis quæ cives pararant. Quare Domini illi nihil dubitaverunt, quin successus iste adscribendus esset ejus meritis, qui eum tam certis indicaverat signis. Iisdem aliquando vesperi inter se colloquentibus, et dilabentibus ad quoddam argumentum minus Beato gratum, sensit Vice-Regina ossiculum ejus, quod auro inclusum gestabat ad pectus, pulsum

EX ITAL. D'ARTA.

A pulsum dare : et explorata certius veritate, institutum sermonem admirabundi abruperunt, seque cubitum contulerunt. Affirmant autem quod ex eo tempore, quo in sua familia cœperunt ejusmodi pulsus audiri, vehementer in eadem invaluerit frequentatio Sacramentorum et singularis devotio erga venerabilem Eucharistiam. Vice-Regina denique de se adjungit, quod, cum die quadam epistolam scriberet ad D. Joannam Franciscam de Corduba, Comitissam de Chinchon, ut ei suaderet devotionem erga B. Paschalem, mittens ei aliquot imagines impressas; illa quam ad pectus tenebat Reliquia, ipso quo de materia illa scribere cœpit, momento, cœperit etiam pulsus dare : quod sibi ipsa præ admiratione vix credens, ancillam vocatam interrogavit; numquid audiret. Qua affirmante quod audiret, et ad duodecim ictus numerante, prosecuta est Vice Regina scriptionem et Reliquia motum suum, usque dum ad finem perducta epistola fuit.

C. XXIV.

76 D. Joanna Ortiz uxor D. Alfonsi de Saavedra Secretarii Dominorum Vice Regum, retulit aliquando
B quomodo occasione conjurationis cujusdam et sublevationis, quam factiosi quidam Valentini meditabantur, quæque cruentos omnino fuerat habitura exitus, nisi prudenti Vice-Regis consilio factionis capita fuissent carceri mancipata, ipsa nocte qua erat executioni mandanda: retulit, inquam, quomodo cum eadem nocte maritus suus, occupatus circa demandatam sibi tunc curam, ambularet per civitatem, et neque tertia post mediam noctem hora rediret domum adhuc incœnatus; ipsa vehementer fuerit animo anxiata, sciens quanti periculi res ageretur. Sic igitur afflicta et per omnes domus suæ angulos inquieta discurrens, sæpeque in conclave rediens, ubi dormitura erat et servabatur impressa B. Paschalis imago; tamdem ante eam se prostravit in genua, successum negotio felicem optans, et pro viri sui salute deprecans. Videns autem quod illuscescret, et neque tunc vir suus rediret, rediit ad imaginem, ac majori rursum affectu orare cœpit. Hanc ergo solari volens Beatus, pulsavit imaginem, ita ut ipsa dubitare non posset, eo quod serenatam sibi continuo mentem senserit; et subito intravit maritus annuntians, Vice-Regem suæ voluntatis propositum assecutum esse. Cumque ea quæ sibi acciderant, ipsa marito narrasset, eademque ad notitiam Vice-Regum ac familiæ eorum pervenissent; dubitatum
C non fuit, quin etiam hic successus meritis Beati esset adscribendus.

et felix mariti cujusdam reditus.

77 Idem D. Antoninus Saavedra de se ipso testatus, quod propter prædictos et alios similes casus valde cupiens obtinere aliquam ipsius Beati Reliquiam; denique per eximiæ auctoritatis personam impetrarit particulam ossis, quantum est caput majoris aciculæ. Quam chartulæ involutam dum explicat, prius quam ipsam videret, dixit : Nulla equidem curiositate motus neque de pulsuum veritate dubius gratum tamen haberem si eos mihi quoque nunc experiri liceret. Et hoc dicens, duobus digitis, pollice scilicet atque indice, particulam apprehendit, et quod optabat sensit, simulque totum illud latus ab humero ad plantam pedis torpescere cœpit : cum autem non minus admirans quam formidans eamdem deposuisset, ad pristinum statum latus sopitum rediit. Sed admirationnem omnem superat quod dicturus nunc sum, quodque nisi tam publicum fuisset totique Valentinæ civitati compertissimum, Vice-Regibus præsertim, Archiepiscopis, Episcopis, atque Magnatibus, fabula credi potuisset. Id in prænominati D. Antonii familia contigit.

Cupidus pulsum audire audit.

78 Emerat is mancipium Mauricum sex vel septem annorum, quod statim ac possidere cœpit, B.
D Paschali commendavit, sane efficaciter, Post quinque enim menses baptismum petiit puer, tantaque cum celeritate doctrinam Christianam et quæcumque docebatur fidei nostræ mysteria comprehendit, ut cunctis esset stupori. Denique in S. Stephani parochiali civitatis istius ecclesia baptizatum, patronus suus ad conventum nostrum capellamque Beati adduxit : et magna cum devotione genibus flexus, eumdem quoque submissum in genua obtulit Sancto habendum ut proprium, rogans, ut suam ei protectionem continuaret. Quia autem persuasus erat, ejus unius commendatione Christianum esse factum, Antonium Paschalem voluerat appellari; capsulam quoque argenteam ejus collo appenderat, qua Sancti imago ossisque particula continebantur. Duobus post baptismum mensibus cœperunt ab iisdem imagine et particula tam frequentes sentiri pulsus, ut ludicrum quid esse videretur; eo enim deventum est, ut ad eos obtinendos solum opus esset ex puero quærere an tangeret eum Sanctus. Si annuebat, Elia ergo, inquiebant alii, prome reliquiarium tuum, et ipse statim id faciebat, dicebatque; Laudetur sanctissimum Sacramentum; incipiebantque audiri pul- E
sus : et ipse puer, veluti absorptus devotione, inflammabatur totus, nec proloqui verbum poterat.

Puero appensæ imago et particula Reliquiarum.

79 Atque in principio quidem cautela adhibebatur maxima, propter materiæ gravitatem, tam a Patronis pueri, quam a Vice-Regibus, in quorum Palatio res fiebat; donec post iteratas sæpius experientias exploratamque pueri integritatem atque virtutem, casus tam prodigiosi notitia communicata fuit publicis, doctis, piisque personis, ac denique in vulgus emanavit, adeo ut nulla alicujus dignitatis persona ad visitandum Proregem veniret, quæ non etiam curaret pulsantem in imagine sua Sanctum audire; tanto de veritate facti certiores, quanto ab omni fraudis suspicione longius aberat pueri innocentissimi ætas : quare nullo cum scrupulo advocabant eum Excellentiæ suæ coram quibusvis id postulantibus, jubebant suum proferre Reliquiarium solitumque Sanctissimi elogium recitare, et continuo fiebat cupientium desiderio satis. Accidit ergo quodam vespere, interim dum formabatur Processus, ut Illustriss. D. Don Ludovicus Alfonsus de Cameros Archiepiscopus Valentinus, cum duobus Judicibus Remissorialibus, ad palatium se conferret, Proregis visitandi gratia; ubi, illato de jam dictis sermone, cum hæsitantem Archiepiscopum vidisset Prorex : Dubitatne, inquit, Illustrissima Dominatio? F
Et jussit advocari puerum, cum eo successu quem in hujus argumenti initio exposuimus.

quoties volunt pulsum dant.

80 Scivit eam rem causæ Procurator ex ore Archiepiscopi; et quod hic, non jam ut judex, sed ut testis, vellet tam raro prodigio fidem addere; actisque eidem gratiis Vice-Regem adivit, improbavitque quod ejusmodi experientiam tentare coram Judice præsumpsisset. Sed responsum est cum aliqua indignatione, Fiscalem potius Sancti quam Procuratorem videri : eo scilicet jam processerat in Prorege affectus devotionis erga Beatum, ut vel minima dubitationis umbra in hoc genere ei displiceret. De puero autem illo adhuc notatu dignum est, quod non solum ejus jam dicta imago et Reliquia, sed aliæ, ejusdem Beati imagines quascumque manibus capiebat, eumdem habebant effectum. Adeoque divulgata res est, ut tam Procurator causæ quam Fratres ceteri, in conventu S. Joannis della Ribera morantes, haud parum formidarent, ne frequentia ipsa miraculum in contemptum adduceret, contemptus in contradictionem. Sed voluit hanc permittere Deus, ut veritas per eam, velut aurum per ignem, probaretur.

Item faciunt quævis Sancti imagines ab eodem puero tactæ.

81 Juvat concludere hoc argumentum per ea quæ deposuit

A deposuit Adm. R. P. Fr. Alfonsus a S. Thoma, Theologus et Concionator in conventu Trinitariorum Discalceatorum urbis Valentinæ. Hic cum sæpe dictos pulsus audivisset ex variis Reliquiis imaginibusque magno cum animi sui solatio, diligenter quæsivit ejusmodi unam, obtentamque pectori admovit suo, numquam eam a se deponens, frequentesque a Beato favores accipiens. Semel autem contigit, quod cum reliqua communitate sua intendens orationi mentali per horæ quadrantem faciendæ, plus quam sexaginta ictus numeraverit, tanto cum jubilo interiori, ut tota sibi ecclesia non satis larga videretur, nec verbis exprimere posset fervorem, sectandæque perfectionis majoris cupidinem, quibus velut in exstasim rapiebatur. Dixit insuper quod eodem die, quo citatus est ad testimonium dicendum, ad chorum se post prandium contulerit oraturus Deum, ut sibi in judicio lumen infunderet, quo prælucente idonee responderet; finita autem prece senserit a Reliquia sua solitos pulsus, quibus certior est redditus, placere Deo actum, cui se præparabat. Denique narrat, quod cuidam conventus sui benefactori moribundo assistens, post exhibitam petenti B Reliquiam, rogatus ab eo fuerit, ut si isto die mori contingeret (de quo vix dubitabat) Deo se commendaret in Missa. Et ille quidem mortuus est: sed Sacerdos promissi sui oblitus, sequentis diei sacrificium jam perduxerat usque ad Memento mortuorum; cum sentiens pulsari quam collo gestabat Reliquiam, hæsit, veritus ne quid contra ritus a se esset inter mysteria peccatum. Examinavit ergo obiter conscientiam, nullumque in ea reatum inveniens, absolvit Missam: sed eadem finita mox recordatus defuncti, pro ipso De profundis recitavit; eoque finito pulsum unum audiens, cognovit obsequium Deo gratum fuisse.

Alia imago 90 pulsus uno quadrante dat.

LIB. III. CAP. I.

CAPUT VIII.

Mortui suscitati ad invocationem B. Paschalis.

Mortui ad vitam revocantur,

Præcipuum meum in hoc opere propositum fuit, ita ipsum restringere, ut necessariæ substantiæ omitteretur nihil: sed ad miracula venienti majori etiam licentia opus erit, sic ut notabiliora dumtaxat referam, ceteris quæ infinita forent omissis. Initium faciat Petrus Gil, Borrioli una leuca ab oppido Villæ-regalis habitans: quem ex gravi infirmitate mor- C tuum cum involverint linteo sepulcrali, uxor ejus, jam tunc suæ futuræ viduitatis incommoda præsagiens, magno cum affectu flexit genua, dixitque: O B. Paschalis, si marito meo vitam a Deo impetraveris, promitto me visitaturam sacellum vestrum, ibi hoc linteum appensuram, et quidquid ceræ impenderetur in funus oblaturam. Eodemque instanti redivivus homo bis nomen Jesu inclamavit, atque ad majorem miraculi evidentiam perfecte sanus continuo surrexit. Eodem in loco Antonius Gregorius, manu baculum tenens jurgari, cum sua sorore cœpit: iraque excandescente non considerans quid illa haberet in ulnis, baculum in eam tam ferociter intorsit, ut infantulam quam tenebat eo ictu occiderit. Re vulgata, comprehensus est a ministris justitiæ: quod videns uxor ejus Isabella Ferrol, et considerans damna inde obventura familiæ; ab ipsa hora, qua casus tristis accidit, usque in mediam noctem jacuit prostrata in terram, rogabatque B. Paschalem, ut se consolaretur, mortuam infantem resuscitando. Erant aliqui tunc forte cum ea, videruntque puellam aperire oculos, atque altis vocibus exclamare cœperunt; Miraculum, Miraculum! vivit parvula! Vivebat enim, et multis postea annis vixit. Catharina Zuccarella de Benigani mortuum fœtum

Vir linteo sepulcrali involvendus,

Infans ictu baculi occisus,

Fœtus mortuus editus,

ediderat, vehementerque dolebat, tum quod baptismo D caruisset, tum etiam quod abfuerat maritus, qui forsitan culpam esset imputaturus uxori. Vitam igitur filiæ petiit a B. Paschali, et ad quinque septimanas obtinuit, adeo ut maritus domum redux eadem fruitus sit diebus aliquot.

EX ITAL. D'ARTA.

83 Beatrix Anna Guardiola de la Castellone-planitiei testatur, quod ægrotante filiola sua, nimio exhausta labore, dum ea adhuc spiraret secesserit in conclave vicinum, ibique oppido lassa dormierit ad quinque vel sex horas: cum autem experrecta rediret, a matre sua intellexit, ipso quo discesserat momento puellam expirasse, adeoque jam posse sindone sepulcrali involvi. Hoc nuntio consternata abiit in hortum, ibique se prosternens dixit: Benedicte Fr. Paschalis: non movebo me hinc donec mihi filiam suscitaveris: et hoc dicentem assecuta mater, gaudio plena dixit: Veni, quia filia tua vivit et plorat. Postquam autem adolevit puella, iterum ad mortem infirmata fuit, sed maternis ad Beatum precibus servata in vivis. Joanna Colon Valentina, filio suo anniculo accidisse affirmavit, ut cum quinque horis mortuus jacuisset opertus panno, ipsa Dei servum invocante et tamen mortuum in ordine ad sepulturam discooperiente, inventus sit oculis apertis hilaris; et uberibus admotus, quæ per dies aliquot non attigerat, ea valenter suxerit, sanusque permanserit; postmodum a matre, juxta votum pro eo factum, ad B. Paschalis sepulcrum ductus. E

Puella,

uti et puellus, 5 horas mortui;

84 Angela Vives, uxor Josephi Melgar Valentini deposuit, quod cum maritus suus in festo S. Matthæi adfuisset concioni, habitæ in conventu S. Joannis della Ribera, multasque laudes et miracula quædam B. Paschalis audivisset, domum rediit media die, et domesticos omnes ad eum devote colendum est adhortatus. Ipsa autem nocte oppressus gravi symptomate, mortuus brevi spatio est, totoque corpore et vultu lividus mansit; unde chirurgi medicique agnoverunt, et viciniæ toti indicaverunt, suo in sanguine suffocatum esse. Tunc mulier, eorum recordata, quæ virum pridie narrantem audierat, quodque tunc formabatur Processus in ordine ad Beatificationem servi Dei Paschalis, genua flexit et dixit: Sancte mi, voveo ituram me ad sepulcrum tuum, si marito meo vel tantillum vitæ impertiaris, quod suscipiendis Sacramentis et morti Christianæ obeundæ sit satis. Considera, o Sancte, quod jam formetur Processus: si ergo vis canonizari, omnino facere debes hoc miraculum. Vix ea dixerat, cum ei in mentem venit, quod haberet in capsa quadam F particulam lanæ ex habitu Beati sumptæ: eamque inter linteamina plurima quæsitura, aperuit capsam, atque palpando reperit supremo jacere loco, quamvis lumine destituta. Hoc successu in spem majorem erecta, dictam particulam imposuit vultui mariti, omnium judicio mortui; qui statim in sese reversus aperuit oculos, et cum omnium stupore dixit; Jesu! Jesu! Numquid mortuus eram? et quomodo nunc vivo? Videns autem tantam in conclavi turbam, quantam novitas miraculi attraxerat; narravit, quomodo totus hic casus sibi fuerat ob oculos positus hesterno vespere, quando de genibus recitaverat omnes suas devotiones, positisque vestibus se cubitum componebat. Quamvis autem omnino liberum se esse sentiret, et miraculose sanatum esse medici declararent, petiit tamen sibi dari Sacramenta, et, quæ dicuntur Pœnitentiæ atque Eucharistiæ, obtinuit; neque voluit de lecto surgere, etsi ad hoc virium satis haberet. Ergo ad majorem cautelam judicarunt medici venam ei secandam esse: quod cum bis factum fuisset, sequenti nocte iterum invaditur eodem malo, et extrema Unctione suscepta moritur; non sine magna afflictione uxoris, sibi persuadentis

Subito mortuus suscitatur,

ut extremis Sacramentis muniretur,

ac denuo obit.

A persuadentis, quod si viro petiisset absolute vitam, hanc ei a B. Paschale impetrasset.

EX ITAL. D'ARTA. Resuscitantur item

85 Augustina a Jesu, tertii Ordinis S. Francisci, Murciæ nata, domo sua mane egressa die Paschæ ad visitandas septem ecclesias, cum venisset ad Dominam nostram a S. Didaco cognominatam, ancilla quæ ipsam comitabatur, vertigine capitis correpta cecidit in angulum alicujus lapidis, sic ut rupto cranio brevi expirarit. Fama lamentabilis casus mox pervasit civitatem, accurrentesque chirurgi cœperunt juxta artis suæ regulas experiri, num adhuc aliqua vita superesset : nullo autem ejus indicio reperto post tres horas, judicarunt posse sepeliri. Audiebat hæc omnia Augustina, non tamen diffidebat vivere posse eam, quam B. Paschali commendarat, jussitque Reliquiam ejus afferri. Ad hæc chirurgorum unus, tædio supervacaneæ, ut ipsi videbatur, pietatis correptus, dixit; hoc aliud nihil fore quam Deum tentare, quando nullum apparebat sperandæ vitæ fundamentum. Sed quantum ille magis accumulabat rationes suas, tanto instantius Augustina poscebat adferri Reliquias Beati; confidens quod prius quam illæ referrentur domum, ancilla sua vitam reciperet. B Risum quidem importunitas ista movebat circumstantibus, tandem tamen vinci se passi attulerunt Reliquiam : quæ cum esset capiti applicata, oculos aperuit mulier, et loqui cœpit, Dominam suam requirens. Cumque in pedes erexisset sese, inspecto diligentius capite inventus est sanguis, qui copiose effluxerat, intra capillos concretus; et his rescissis domum secuta est Dominam, sicuti venerat : et publicatus ubique casus Beati gloriam valde auxit.

Ancilla casu impacta in Saxum;

CAP. II. Puer matris brachiis immortuus;

86 Rediens domum suam Joannes Fernandez Villa-regalensis, invenit inter uxoris brachia mortuum filium bimulum; et ad B. Paschalis auxilium recurrens, statim eum sic recepit, ut puer quasi nihil mali passus, ad plateam accurrerit, lusurus cum coætaneis. Petrus quoque Blascus, trium aut quatuor annorum puerulus, patri suo cognominis, in vas plenum musto incidit. Viderat eum pater suus circum vas ludentem, et aliquanto post non vidit amplius. Ergo metuens id quod erat, puerum quæsivit, nec reperit : in plateam cucurrit, nec ibi invenit : unde clamare incœpit, et ad clamorem accurrerunt multi, sed non qui requirebatur puer; auditoque patre nemo dubitabat, quin in istud vas musto plenum lapsus, plane suffocatus esset vel sola musti C violentia. Tum quæsitis allatisque scalis in vas illud descendit quidam, Hyacinthus Baset nuncupatus, puerum quæsiturus : sed vapore musteo pene extra se raptus, statim egressus est. Denique allatus est contus unco ferreo præmunitus, quo per fundum vasis circumducto extractum est pueri suffocati cadaver. Non potest exprimi verbis ejulatus, quem populus universus qui accurrerat sustulit ad conspectum corpusculi istius, atque imprimis parentes orbi, qui aliquamdiu velut attoniti adstiterunt. Sed pater tandem utcumque sibi redditus, accepto inter brachia filiolo, in plateam cucurrit : prostratusque in terram et vultu conversus ad conventum, dixit ejulans : Pater Paschalis, nunc tempus est quo mihi favere debes. Redde mihi viventem filium, et ego promitto quod ejus pondus compensaturus sim tritico, eumque tuæ Religionis habitu ad unum annum vestiturus. Eodem autem temporis articulo cœpit puer signa vitæ dare; et intra duas horas, coram tanta populi multitudine, tam sanus adstitit atque antea fuerat.

Alter in vase musti,

et puella aqua suffocati,

87 Eodem in loco Seraphina Garriz, domo sua egrediens, in ea reliquit filiolam, medium supra duos annos natam : quando autem rediit, in magna concha aquæ suffocatam reperit, capite deorsum merso, sic ut ipsos pedes transcenderet aqua plus D quam duos palmos. Eam ergo extrahens in plateam processit ejulans, submersamque lacrymabiliter cunctis ostentans. Adfuit inter plurimos qui accurrerunt medicus unus, et arteriam tentans nullumque in ea pulsum deprehendens, pronuntiavit mortuam esse puellam. Tum vero afflicta Seraphina cœpit invocare B. Paschalem, rogans, ut duarum vitas servaret in una; nisi enim filiam suscitaret, fore ut matrem quoque redux maritus occideret. Suggerebant alii, ut etiam alios Sanctos invocaret : sed negavit illa aliis invocatis sibi opus esse : Si enim, inquiebat, mihi non suscitet filiam eum pro Sancto non habebo. Erat tunc frigidissima hiems, ideoque in duritiem marmoris congelatum esse cadaver videbatur : judicatum est igitur experiendum quidpiam, si forte accenso luculento igne saltem tractabilia fierent membra. Sed frustra omnia : quin etiam brachii parte adusta in eodem statu cadaver permansit. Perseverabat nihilominus mater B Paschalem invocans, neque surdum reperit : restituta enim in vitam puella est, sed ab igne et frigore tam male habita, ut brachio quidem esset ustulata, ceteris autem partibus contracta et visu orba. Ego ad jam E expertum præsidium recurrens mater, iterum invocavit B. Paschalem; et filiam subito vidit undequaque sanam atque integram : viderunt eamdem etiam ceteri, et prodigii magnitudine attoniti Deo et Sancto ejus egerunt gratias.

quarum hæc gelu rigida instar glaciei induruerat;

88 In loco Nules dicto, qui leucis quatuor distat a Villa-regali, Francisca Coflent, annos nata duodecim, aquam hauriebat ex puteo, in eumque decidit: quod qui viderunt ejus parentibus nuntiarunt. Hi multa cum turba accesserunt ad locum, sed nemo aderat, qui in puteum tam profundum vellet descendere, maxime quia id jam frustra futurum credebatur, suffocata pridem puella. Unus nihilominus, Joannes Aras, compassione motus, dimisit sese, et usque ad aquæ superficiem veniens eam accurate consideravit, sed nihil extare vidit. Quia autem eo usque jam pervenerat, etiam in aquam sese dimisit : et in demersæ corpus impingens, atque illud qua potuit parte apprehensum versus putei latera attrahens, mortuam esse puellam cognovit : idque respondit desuper requirentibus. Hinc patrem et circumstantes omnes grandis mœror corripuit, dimissisque ad fundum putei funibus rogarunt hominem, ut eis cadaver illigaret : qui dum id facit, F animo in Deum sublato; Nunc, inquit, tempus est, o Sancte Paschalis, ut præsenti necessitati succurrens, huic puellæ, ad solatium parentum suorum, vitam restituas. Tanta cum fide hæc ille dixit, ut mortua iteratis suspiriis testata sit se reviviscere, eaque foras educta, dixerit homo ille : Ecce vivam filiam vestram : agnoscite gratiam vobis factam a B. Paschale, et visitate ejus sepulcrum ; etenim mortuam eam vidi. Tum quidquid acciderat admirantibus retulit, et creditum miraculum ab omnibus plausum tulit, videntibus puellam, ex tam profundo puteo sine ulla læsione eductam.

CAP. III. Alia item puella in puteo submersa;

89 Narravit Doctor medicus Melchior de Olcina, quod vidisset in oppido regni Murciensis dicto Totana, ubi Provincia nostra Conventum habet, loci illius inquilinum ; qui suum quinque vel sex annorum puerum, incertum qua ex causa, suspensum inveniens, inter brachia prehendit : et comitante matre magno cum ejulatu ad Conventum detulit, ubi ei vitam a B. Paschali lacrymabundi petierunt. Dicit autem in suo examine orationem fuisse auditam, et puerum cum magna omnium atque imprimis sua admiratione revixisse. Alio infelici casu mortuus erat semestris filiolus Joannis Rochela, civis Origuelensis; convocatisque ad matris lamenta vicinis

et puer suspensus?

Alius ad sepeliendum compositus puer,

A vicinis, eorum unus Joannes Satona, divino stimulatus impulsu, dixit: Si sanctus iste, qui est in conventu S. Gregorii Fratrum Discalceatorum S. Francisci, cujus nomen ignoro, quem dicunt facere tam multa miracula, hunc infantem resuscitaret, numquid grande id foret? Audiens hæc afflicta mater, magna cum fide exclamavit: Sancte, qui ad S. Gregorium coleris, suscita mihi istum puerum nunc, alias autem eum accipiat Deus, non autem modo, quando pater ejus abest. Interim sepulcrali linteo involverunt infantem, et in conclavi quodam posuerunt. Mater autem, post horas plusquam sex illuc ingrediens, vivum reperit, et accedens mamillam eidem præbuit, ac plena jubilo publicare miraculum cœpit. Accurrerunt ad clamorem vicini, et explicantes ex mortuali puerum linteo, vehementer obstupuerunt, videntes lanei panni particulam ad palmi magnitudinem inde procidere, neque scientes quis eam aut quomodo illuc attulisset: unde omnino judicaverunt miraculum illud adscribendum esse B. Paschali, et panniculum illum pro Reliquia servaverunt, deferendum ad infirmos qui eum postularent.

uti et puella, vitæ restituuntur.

B 90 D. Catharina de Ledesma, civis Oscana in regno Granatensi, deponit, quod in annis puellaribus constituta pustularum pestilentium morbo fuerit ad extremum vitæ discrimen adducta, seu potius (ut ex suis parentibus audivit) mortua, expositaque supra sandapilam, involutaque ut talis. Quod videns pater suus, qui eam tenere diligebat, convertit sese ad tabellam B. Paschalis, in aula illa existentem, cui devotissimus erat, et cui pendente morbo viginti quinque libras ceræ voverat, si puella servaretur in vivis; dixitque: Magna et multa, oportet, ut fuerint peccata mea, Sancte mi, quæ impediverunt, quo minus filiæ huic meæ sanitatem impetrares a Deo. Vix ea verba finierat pater, cum illa, quam deplorabat mortuam, profundum suspirans; Sinite, inquit, videam Sanctum meum, cum quo nunc fui. Ex eo autem tempore sanitati reddita, multisque interrogata, parentes suos certos reddidit, veram eam apparitionem fuisse; votumque complentes filiam habitu Ordinis induerunt, quæ deinceps ipsi Sancto devotissima vixit.

CAPUT IX.

Infirmitates variæ invocato B. Paschali miraculose curatæ.

CAP. IV.

Diversæ infirmitates subito tolluntur.

C Civis quidam Valentinus, cujus filio sanitatem miraculose Paschalis dederat, infirmus ad mortem, cognato suo Villa-regalensi civi, quicum magni momenti rationes componendas habebat, periculum suum significavit. Hic statim ad Sancti capellam se contulit, casulam Sacerdotalem ibidem oblaturum se vovens, si vir iste sanitatem recuperaret: deinde Valentiam abiit, et infirmo, quem valde aggravatum reperit, votum pro eo factum declaravit: quod cum hic ratum habuisset et B. Paschalem invocasset, intra triduum sanus fuit. Michael de Espelia tertianis laborans, et nullum iis remedium inveniens totis octo mensibus, Beato se commendavit, et subito convaluit. Idem experta est Chiterea Sanchex Jumellensis, in longa gravique infirmitate. Similiter, invocato vesperi Sancto, sanum sese mane reperit a gravi morbo Petrus Montes, in loco Nules nuncupato habitans: quem cum medicus mortuum se reperturum crederet et sanum videret; Grande, inquit, miraculum operatus est servus Dei Paschalis, et ut tale publicavit.

92 Helena Miravet Villa-regalensis deposuit, quod, cum graviter et ad mortem infirma B. Paschali recens mortuo se commendasset, in ipso agone D obdormierit, et visa sit sibi ad aurem audire; Jam sana es; atque ita surgens omnino sana verum esse cognoverit, quod se somniasse putabat. Addit quod cum filia sua Helena Palau, graviter lapsa, copiosum per os naresque sanguinem emitteret, neque jam alvum ac ceteros excrementorum meatus contineret; visitans eam medicus dixerit incurabile esse malum, eo quod tota crepuisset. Quod audiens illa B. Paschalem vocavit in auxilium, et eodem instanti dixit infirma: Bene mihi est, mater: itaque erat, nullo humano remedio adhibito. Eadem sex mensibus post ex grandi pavore paralysim contraxerat, cui curandæ nulla remedia proderant; cumque iterum ad servi Dei favorem recurrisset mater, prorsus libera fuit a dicta infirmitate. Vix duos menses natus erat filius Franciscæ Fabregada, quando utroque in inguine crepuit: rupturæ autem duo tumores accesserunt per quam periculosi; quæ mala cum biennio toto non solum non curata medicinis, sed etiam aucta essent, afflicta mater puerum glorioso Paschali commendavit, et evanescentibus subito E tumoribus curata est hernia; et pluribus quibus iste vixit annis simile nihil passus est. Jacobo Vives annos plures quam sexaginta nato, cici Villa-regalensi, dum quadam occasione violentius agit, intestina sic proruperunt, ut malo curando nihil per biennium medici chirurgique profecerint, nec aliud quiverint ei suadere quam robustum vinculum. Itaque videns ille nullam quoad viveret spem sanitatis sibi esse, ad capellam Sancti se contulit: indeque rediens et vinculum solvens, sanum sese invenit, ea parte dum vixit nullam expertus debilitatem.

EX ITAL. D'ARTA. In agone constituta redit ad se,

cujus filia iterato sanatur.

CAP. V Duorum hernia curatur.

Tres calculo liberantur.

93 Jacobus Franc ex Villa-regali deponit, quod sibi annum agenti decimum quartum ætatis increvit calculus, urinæ meatum prorsus obstruens, qui eum aliquando in præsens mortis discrimen adduxit, nihil emittere valentem per dies quatuor et dirissimos inde cruciatus tolerantem. Aperiendam ferro viam medici cum chirurgis judicarunt; sed parentes ejus, abominati curationem tam periculosam ac gravem, illis dimissis commiserunt filium B. Pascali, ipsaque nocte sanatum invenerunt postero mane revertentes. Eugenius Alfonsus Valentinus, terribili quadam infirmitate gravatus, etiam cœpit laborare calculo, qui intra meatum ipsum tribus horis hæsit. Cum autem B. Paschali se commendasset, eumdem ejecit, sed ita grandem, ut naturaliter id fieri nequivisse sit judicatum. Alteri Villa-F regalensi puerulo intra vesicam petra tam grandis creverat, ut citra sectionem liberari non posset. Hæc dum fit, illa inventa est sic disposita, ut vita pueri salva extrahi non posset. Consternati tam improviso accidente medici et chirurgi, atque imprimis parentes, ad B. Paschalem in tanto discrimine recursum habuerunt; et mox petra illa, quæ sursum subduxerat sese, leni motu sic descendit, ut eximi facile potuerit, exemptaque puerum sanum reliquerit.

Alius item ad sectionem damnatus,

94 Fr. Franciscus Martinez, hujus nostræ Provinciæ filius, qui obiit anno MDCLXX, deposuit, quod sibi jam Sacerdoti nata sit petra adeo grandis, ut pariter utrumque meatum præcluderet, tanto cum dolore, ut ad extrema deduci videretur. Tenere ei compatiebatur Fr. Michael a S. Josepho Guardianus in conventu Dominæ nostræ della Xara, soliciteque satagebat, ut aliquod ei remedium inveniret. Intelligens ergo quod in exercitu Regis Catolici, contra Cataloniam misso et illis in partibus tunc existente, invenirentur periti chirurgi, atque imprimis Religiosus ex Ordine S. Joannis de Deo; dedit operam ut eos faceret venire ad subsidium miseri sui Fratris. Venerunt autem cum Religioso isto omnino sex alii, qui

EX ITAL. D'ARTA.

A qui re explorata judicarunt opus esse sectione propter magnitudinem petræ illius. Sed Guardianus, sciens quam exhaustæ essent Francisco vires, et quam imbecillis ad ejusmodi curationem sustinendam animus; respondit, quod mallet eum mortuum videre, quam periculo tam evidenti expositum, chirurgosque dimisit. Post aliquot exinde dies contigit transire illac Religiosum ex nostris hospitem, qui infirmo compatiens ei dixit : Fr. Francisce, commenda te ex animo B. Paschali; et accepta hac assula, quæ est de capsa continente sanctum corpus ejus, affectas partes continge cum fiducia, ego interim ad ipsius altare Missam dicturus abeo. Dum abit ille, datam sibi ligni particulam infirmus admovens corpori, et inter utrumque meatum eadem se signans, sensit petram veluti comminui, seque ad secessum provocari : statimque, sine admixtione ullius excrementi alteriusve materiæ, ejecit tantam copiam arenarum calculorumque, quantam capere possent duæ manus junctæ. Affirmant autem homines fide dignissimi, qui adfuerunt, petram cum integra fuit ad duorum aureorum pomorum vel

prægrandem mirabiliter ejicit.

B majoris cottonei magnitudinem pervenisse, particulas autem aliquas adeo induruisse, ut malleis confringi difficulter possent. Chirurgi porro et alii artis periti judicant, in hoc casu non unicum dumtaxat sed complura miracula concurrisse. Primum quod ultro rupta petra sit; deinde quod per secessum egrediens neque fistulam neque aliud signum reliquerit aperturæ ejus per quam e vesica, ubi formata fuerat, ad rectum intestinum per quod egressa transitum habuit; ac denique quod tam dira ac mira passus, illico sanus adstiterit : neque per annos viginti et amplius quibus deinde vixit, accidenti istiusmodi unquam subjacuit.

CAP. VI *In foveam altissimam lapsus non læditur.*

95 In regno Murziæ oppidoque Totanæ habitabat Petrus Ramirez de Areliano, Commendam istam locatam habens; in cujus ædibus cum fieret puteus, nec inventa esset aqua, licet terram ad palmos octoginta cavassent, itaque dimissus esset; filiolus ejus annorum duorum male custoditus in eum decidit, nec dubitari posse videbatur, quin totus confractus esset. Verum pater, statim ut rem intellexit, convertit se ad B. Paschalem; eique filium suum commendans, descendere fecit qui extraherent illum. Cum autem eum attulissent sursum, nulla toto corpore

C pore apparuit læsio : quare tam evidentis miraculi memoriam gratus pater pingi in tabella fecit, appendique jussit in sacello, quod ibidem noster conventus habet illi dicatum. Jacobus Blau Villa-regalensis tam graviter ex equo collapsus est, ut suffocandus videretur, sanguine per nares et os erumpente, nullumque ei sistendo medium reperientibus medicis. Hujus uxor proximam suam viduitatem formidans, adiit Capellam Sancti et pro marito oravit : qui statim et integre sanatus fuit. Isabella Matta, Jumillæ habitans, filium peperit altero pede carere visum: sed considerantes eum attentius, invenerunt eum esse implicitum pulpæ tibiali. Triste erat mulieri, fascias quotidie religanti, videre infantem : quare eum nocte quadam B. Paschali commendavit, et postero mane invenit pedem sic explicatum, ut ætatem gressibus formandis aptam nactus ille, nullum debilitatis alicujus prægressæ indicium prætulerit.

Graviter saucius servatur.

Pes tibiæ implicitus explicatur.

Monstrosum pueri caput

96 Similem ferme priori casum deposuit Monserrada Calvet ex Almazora, scilicet quod filium enixa sit cujus capiti grande tuber adnatum erat pomo aureo æquale, sed ita ut biduum in parem ipsi capiti magnitudinem excreverit. Dolenter videbat filium eo in statu mater, doloremque augebat vicinia, deridiculo asserens monstrum ab ea editum fuisse. Ergo chirurgo commisit infantem : qui postquam carneæ illi moli bis immersisset lanceolam, indeque sangui

copiosus fluxisset; clausis cito plagis tam duram D invenit, ut non fuerit ausus eam ultra tangere. Increvit ad hæc matri dolor acrior, patientique parvulo multum compatiens, B. Paschali in auxilium vocato promisit, quod illi, si curaretur, factura esset habitum Ordinis uno anno gestandum. Interim appropians cunis, et infantem expergefaciens, manum capiti ejus applicuit, visumque est ei quod totus ille tumor evanuisset. Itaque maritum inclamat, dicens filium a B. Paschale esse curatum : ille lumen accendit, caput inspicit, et præter cicatricem plagarum a chirurgo factarum nihil invenit, sano per omnia infantulo : quæ res admirationi maximæ vulgo fuit.

subito mutatur.

97 Thomæ Urgiles Monfortensi malignus ad collum carbunculus venit, qui caput pectusque sic inflavit, ut mortis articulum ægre spirantem adduxerit : quare extrema Unctione muniri eum chirurgus voluit. Aderat loci Parochus, qui dum egreditur sacrum Oleum quæsiturus, egreditur etiam ab infirmi cubiculo lacrymabunda uxor, totoque pectore anhelans dixit : Sancte Paschalis, quandoquidem datum tibi est tot miracula facere, esto etiam intercessor apud Deum pro mariti mei vita. Plura non potuit E dicere, quia clamosa voce ab illo se vocari audivit, quem ægre spirantem paulo ante dimiserat. Ille vero erectus in cubitum; Non vides, inquit, quomodo hunc oculum (et dextrum monstrabat digito) commode aperiam? Agnovit mox mulier eum esse suæ precationis effectum. Ipso igitur successu animosior; Eia, inquit, Thoma, commenda te servo Dei Paschali, eumque Patronum habe: quod ego jam feci. Cumque id se facturum vir reciperet, statim tanto melius habere cœpit, ut procurrens in plateam mulier jusserit Parocho nuntiari ne veniret. Accurrit nihilominus ille cum nonnullis aliis, nuntium sic interpretatis, quasi mortuus esset Thomas: eoque viso obstupuerunt ad mutationem tam subitam; major autem admiratio fuit quando intra triduum sanatum esse cognoverunt. Pari in periculo judicabatur esse Antonius de Burgos, Suecæ habitans : qui angina tam gravi, ut ne aquæ quidem guttam trajici pateretur, correptus; ubi B. Paschalis opem imploraverat, rupto apostemate, liber ac sanus fuit. Similiter etiam Fr. Josephus Pons, Gandiæ in conventu S. Rocchi peste contactus et febri laborans B. Paschalem invocavit, et consolidatis repente plagis sanus extitit.

Oleo sacro jam muniendus,

illico convalescit.

F

CAP. VII. *Navigantes impetrato vento*

98 Don Joannes Munhoz della Matta, Thesaurarius Cathedralis Placentinæ, ex Hispania in Italiam navigabat, quando gravis tempestas suborta navim Barbariam versus egit. Quo cognito et quod inde sequebatur periculo, nautæ quacumque industria poterant recedere festinabant, laborabantque jam enim remisso vento malacia successerat nihilo minus formidanda, et conspiciebantur eminus barbari, ad colligendam prædam expedientes navigia sua. Ergo Don Joannes, servitutem æque ac ceteri metuens, Quando, inquit, amici et socii, media nos humana destituunt, confugiamus ad divina, et B. Paschalis intercessionem postulemus, qui apud Hispanos infinita miracula operatur, ut jam pene amissam libertatem nobis conservet; scio enim nos exaudiendos. Paruerunt omnes salutaria suadenti : qui post brevem orationem, cœpit magna cum fide nautis dicere: Eia, filii, vela pandite. Nec mora : explicata mox vela implevit ventus, et prospero cursu navim egit usque ad Italiæ littora: quod pro miraculo acceptum est ab omnibus, agnoscentibus quod B. Paschali suam deberent libertatem.

servituti tam imminenti eripiuntur.

99 Hospitabatur in Villa-regalensi conventu nepos Fr. Francisci Suesa, ejus qui causam Romæ curabat Procurator, et pediculari morbo vehementer exercebatur. Itaque ad capellam Beati se contulit, et a tam

Duo pediculari morbo eximuntur

A tam molesto malo petiit liberari. Fuit autem exauditio tam certa, ut juvenis inde digrediens et vestes excutiens suas, omnia ista tam infesta animalcula, mortua viderit sibi cadere ante pedes, et instar furfuris sicca : neque ejusmodi immunditiam passus est amplius, quamvis aliquando opus ei fuerit iter triremi facere, idque per quinquaginta et amplius dies absque ulla commoditate mutandi indusium. A simili plaga, annos quindecim tolerata, simili modo liberatum se quoque professus est Dominicus Sales, civis Villa-regalensis.

CAPUT X.

Miracula per reliquias B. Paschalis facta

CAP. IX.

Per reliquias S. Paschalis duæ mancæ integrum gressum obtinent;

Cum parvula adhuc esset D. Damiana Sarez, Xativensis ortu, contractis lateris unius nervis, remansit crure uno attracto manca : quare afflicti parentes curatam eam optabant, sed mediorum necessariorum nihil applicare audebat medicus, propter teneram puellæ ætatem. Illi ergo scientes quod in domo Jacobi de Valentia servaretur scipio, quo uti solebat Paschalis iter faciens, et magna habebatur in veneratione, B propter miracula quædam per eum facta; eumdem commodato acceperunt, et post signatum sæpius crus attractum huic ipsum alligarunt, successu tam bono, ut intra paucos dies laxatis nervis pristinæ sanitati restituta puella fuerit. Idem accidit Vincentiæ Arcis, filiæ Sperantiæ Ballester Almazoranæ : cui sedecim tantum menses natæ cum ex dislocatione coxendicis et costularum duarum attracti essent nervi, nihilque prodessent remedia per annos quatuor applicita; mater ejus filiam obtulit Sancto, promittens sepulcrum ejus se visitaturam ibique nudis pedibus novemdiale facturam. Facinus autem quod promiserat, ut filiæ suæ applicaretur catena atque capucium Paschalis, domumque cum fide ingenti reversa, filia in lectum composuit, exivitque domo nonnihil panis eidem quæsitura : cumque hoc revertens, filiam in pedes erectam reperit, quod numquam ei contigerat quoad vixit, et omni deinceps malo liberam.

periculose vulneratus

101 In oppido Elchensi, Joanni de la Fuente, annorum octo vel novem puero, contigit, ut olivas colligens in summitate arboris, rupto ejus ramo caderet in terram ; non tam graviter ipso lapsu offensus, quam acuta ligni assula, quæ ei inter utrumque C meatum naturalem intravit tam profunde, ut urinam reddere nisi cum maximo dolore non posset. Nulli sumptui pepercere parentes accersendis undequaque chirurgis, sed profectu nullo; imo extra spem omnem malum esse credebatur. Sub hæc in domum illam intravit quidam Religiosus ejus Conventus, quem habemus in jam nominato oppido : intellectoque casu exhibuit Reliquiam aliquam B. Paschalis, læsæ parti applicandam. Obedivit mater, sed neque sic melius habuit filius; quin potius adeo auctum est malum, ut clauso jam meatu urinario triduum totum puer manserit exonerandæ vesicæ facultate privatus. Tunc afflictus pater suggerit filio, ut ex toto corde invocet B. Paschalem : quo facto mox sopitus est puer, deinde experrectus clamavit sanum se esse : verumque dixisse probavit plaga perfecte consolidata, et urina per viam ordinariam citra ullius doloris sensum profluens.

integre curatur;

CAP. X.

inflammatio detumescit;

102 In oppido Yecla habitanti Catharinæ Hernandez inflammatione grandi intumuit caro ab humero ad pectus, quæ pestilenti livore tincta tantos ei pariebat dolores, tantumque ex medici judicio periculum, ut letale omnino malum id esse crederetur. Inops consilii inter hæc mulier solatium accepit a quodam nostri conventus Religioso : qui rem intelligens ad eam accessit, exhibuitque particulam ligni D ex feretro, cui corpus Paschalis fuerat impositum, *EX ITAL. VITA.* quando sepeliendum erat. Hanc ergo suscipiens illa quam potuit reverentissime, parti dolenti apposuit; et exinde nonnihil sublevata, dormire etiam cœpit. Experrecta autem absque inflammatione se reperit, imo absque signo illius ullo, nisi quod indusium madidum haberet humore quodam flavo, qui ab illa duritie copiosus proruperat, relinquens ipsam bene sanam, et in carne ejusdem colorem naturalem. Quo tam insperato successu læta mulier, exclamavit præ gaudio : et accurrens vicinia tam grande miraculum prosecuta est debita cum admiratione et actione gratiarum. Isabella Ceva, habitans in loco qui nuncupatur Agoste, similiter laborabat carbunculo supra pectus enato, tam pestilenti et tam prodigiosam inflammationem parturienti, ut morbi malignitatem nulla medicinæ vis posset temperare. Hæc receptis Sacramentis, subito sensuum usu privata est, jacuitque ut mortua nocte tota, apposito supra cervical Crucifixo. Sequenti mane solicitus Parochus requisivit an mortua esset, et audiens *alia item magis periculosa.* adhuc vivere ipsam accessit ; eodemque in statu in quo dimiserat ipsam reperiens, geminam B. Paschalis Reliquiam, ex habitu unam, alteram ex mi- E noribus pannis supra inflatum ægræ pectus locavit. Tum vero apertis subito plagis septem, puris et sanguinis copia magna prorupit; et infirma oculos aperiens, seque multo levius habere sentiens, absque alio ullo remedio, iisdem plagis intra paucos dies rursum clausis, tota convaluit : tantamque admirationem sui excitavit in populo, ut ad eam videndam certatim concurreretur, velut ad mulierem a mortuis suscitatam.

Varii variis malis liberantur.

103 Vincentius Pla Valentinus plurimum patiebatur a quibusdam tumoribus, qui etiam febrem malignam causarant; quibus cum admovisset Reliquiam Beati Religiosus quidam ex nostro conventu S. Joannis dela Ribera, derepente sanum se miratus est, et Villam-regalem venit ad sepulcrum visitandum. Similis Reliquia cum esset admota cuidam Ayoranæ mulieri, graviter infirmæ propter fœtum in utero extinctum ; statim ea peperit putrefactum jam cadaver, et cum admiratione totius oppidi sana esse perseveravit. * Tunica vero B. Paschalis, quæ Villenæ in nostro conventu servatur, ejusdem loci inquilinæ Isabellæ Ponte anginam dissolvit, quæ eam non patiebatur vel unicam aquæ guttam trajicere. Simili malo, sed adhuc magis desperato, premebatur Yeclæ Petrus Ximenez, inflatoque jam pectore moriturum eadem nocte pronuntiarant medici : quod ejus frater quidam videns et B Paschalis recordatus, quæsivit ab infirmo an aliquam ejus Reliquiam sibi vellet adferri. Hoc cum se percupere signis quibus poterat demonstrasset, itum est ad Conventum, allataque reliquia est pectorique imposita; atque apostemate rupto multa sanies per os effluxit; brevique in lecto consedit validus ac cibum petiit, sanum se esse affirmans, sicuti revera erat, liber a febri et intra paucos dies ab omni infirmitate. In Nules habitabat Franciscus de Mora, quando eum pleuritis ad portas mortis adduxit, omni sensu jam destitutum; repente autem convalescens, dum miratur unde sibi ea mutatio advenisset ex uxore sua et filia intellexit, quod attactu Reliquiæ, ex Villa-regali petitæ, pectorique admotæ, et supra cervical positæ, sanatus esset. Uxor vero ejus jam dicta, latere uno propter paralysim inutilis et gravi præterea febri aliisque mortalibus accidentibus pressa, post similem contactum subito valuit.

104 Syndicus nostri Villa-regalensis conventus, *CAP. XII* idemque præcipuus ejus benefactor, Joannes Jorda filiam habuit parvulam, Isabellam nomine, cui malignæ

A gnæ quædam pustulæ sic oculos obsidebant, ut, nulla medicorum arte quidquam proficiente, visu perquam obcuro uteretur : cui malo etiam accesserant scrofulæ ad collum incurabiles. Hinc mœstus pater decreverat filiam Christianissimo Regi tangendam adducere ; sed de sua illa afflictione sermocinantem reprehendit e nostris Religiosis aliquis, quod præ oculis habens tantam B. Paschalis promptitudinem ad miraculosas curationes concedendas petentibus, tam adhuc modicæ fidei esset, ut ad auxilium ejus recurrere quasi contemneret, licet tam obstrictum sibi illum haberet. Accessit his etiam Guardiani adhortatio, suas suorumque Religiosorum preces ad eumdem effectum addicentis. Tum ille concepta fiducia eamdemque communicans cum uxore, cœpit pariter cum ea Novenam in Capella Beati, quotidie Sacrum sub tali intentione dicendum illic curans, filiamque tactu Reliquiarum signandam : quibus id effectum, ut puella, ab anno quinto vel sexto ætatis patiens tam periculosa mala, fuerit ab utroque liberata ultimo novemdialis devotionis die, velut si neutrum ei accidisset.

EX ITAL. D'ARTA. *Puella pustulis et scrofulis obsessa fit sana.*

105 Francus quidam, dictus Joannes Bordeus, in B Castellione-planitie cum familia residens, attestatur, quod cum filius suus guainellas colligeret, una earum punctim in oculum lapsa sic eum ruperit, ut sola jam albugo restaret, cum maximo per longum tempus dolore. Hunc sic irremediabiliter afflictum ipse et uxor sua aliquando ad S. Paschalem duxerunt captata occasione, qua erat ejus arca aperienda. Cumque pia mulier obtinuisset ut rosarium suum sancto corpori admoveretur, ipsum deinde applicuit extincto dolentique oculo filii : qui continuo sensit levaminis aliquid, et domum reversus intra biduum habuit pupillam sibi ex integro restitutam. Almanzoræ porro Francisca Navarro utriusque oculi visum amiserat : quæ sese ad capellam Beati adduci faciens, multis cum lacrymis magnaque cum fiducia petiit unius saltem sibi usum restitui, quo posset familiæ suæ subvenire ; quod tacta Beati catena mox obtinuit : sicut et altera Francisca, cognomento Montanhes, cujus alibi facta plenior mentio, quæ etiam ipsa unum dumtaxat oculum restitui sibi poposcerat, et unum solum attactu Reliquiæ alicujus receperat.

Tribus oculi usus redditur.

CAP. XIII.

106 Doctor Benet, Villa-regalensis medicus, qui curationi Michaelis Vicente a maligna febri per contactum capucii, alibi distinctius enarratæ fuerat attestatus ; de seipso affirmavit, quod gravi diuturnaque febri eo adductus, ut nullam somni aut quie- C tis partem capere posset ; seque juxta artis suæ regulas et propter symptomata quædam alia omnino putaret vivere non posse ; magna cum fiducia petiit B. Paschalis Reliquias adferri sibi, et ad harum contactum subito convaluit ; agnoscens quidem supra naturam esse curationem suam, sed non multum admirans, propter crebram ejusmodi gratiarum ab aliis obtentarum experientiam. Doctor similiter medicus fuit Michael Sancho, Jumillæ residens, qui testatur filiam suam trimulam, nomine Claram, tertianis febribus eo esse adductam, ut omnino morituram putaret, cum opportuna remedia nulla possent ætati tam teneræ applicari. Sed Reliquia, quæ ibidem in nostro conventu honoratur, salutem puellæ attulit ; idque tam velociter, ut postridie in plateam excurrerit lusura cum coætaneis, ad majorem miraculi evidentiam.

Duorum febris depellitur.

107 Idem medicus asseverat, quod quidam chirurgus, Petrus Perez dictus, melancholico prægravatus humore, in vehementem incidit febrim, cui continuus stomachi dolor accessit, cum frequenti syncope : et hæc ei infirmitas septem annis duravit. Varia remedia ei dictus medicus applicarat, sed nec hilum proficere unquam potuerat. Quadam ergo vice, cum tam violentus eum dolor teneret, ut quasi D phreneticus per domum obambulans, Confessionem, Confessionem inclamaret ; uxor ejus afflictissima quæsivit particulam, ex habitu Beati pridem a se servatam ; monuitque maritum, ut ejus se intercessioni commendans, ipsum istic poneret, ubi præcipuum sentiebat cruciatum. Hoc autem cum fecisset, momento temporis liberatum se ac pristino robori restitutum est gratulatus. Refert quoque supradictus medicus, quod cum curaret septennem puellam, filiam Antonii Matthæi, malignis quibusdam pustulis ad extremum vitæ discrimen adductam, quam ipse non credebat posse supervivere ; eadem sanitatem recuperavit, posita supra caput Reliquia quadam B. Paschalis. In loco quodam, Chinches dicto, violenta febri pressus Petrus Catala, etiam incidit in letargum, jamque de vita ejus medicus desperabat ; cum illac noster quidam Religiosus transiit, habens penes se pileolum lineum, quo extremo in morbo usus fuerat Sanctus. Is intellecto viri istius devoti periculo, ad eum venit : et pileolum prædictum imponens capiti, simul et letargum excussit et febrim dispulit : quare de lecto sanus assurgens æger paucos post dies venit gratias acturus, seque sponte obligavit, ad nostræ discalceationis Religiosos omnes, qui per Chinches transirent, hospitio excipiendos.

E febri in phrenesin

et alter in letargum incidentes ambo curantur.

108 Erat chirurgus Valentiæ Salvator de Mata, B. Paschali per quam devotus, nostrorumque Religiosorum tam amans, ut quacumque hora vocaretur, gratis accurreret ad nostrum S. Joannis conventum : cujus caritatem multipliciter munerari voluit Deus mediantibus Beati istius Reliquiis, quod ille triplici casu est expertus. Nam cum filio ejus Ludovico quinquenni, tenerrime dilecto, letalis febris extremum vitæ attulisset discrimen, nihilque cibi quamvis contusi admitteret puer ; graviter afflictus pater, solatii causa ad nostrum venit conventum : et P. Fr. Antonio Sobrino mœroris sui causam exponens, monitis ab eo salutaribus est confirmatus, ut scilicet divinæ filium voluntati committens, etiam B. Paschalis interventui commendaret ; interim eumdem in finem suas quoque preces juncturos Religiosos. Cumque hæc diceret, misit ad Novitios mandatum, ut singuli Salve Regina recitarent ; et destinavit ad illius domum duos e suis cum ipsius Beati habitu. Rediit cum his jam lætior pater, et puero dixit : Ecce fili, Patres hi ferunt ad te vestem cujusdam sancti Fratris, commenda te ei, ab eoque po- F stula sanitatem. Ad hæc erexit se supra lectum puer, quantumvis debilis ; plenusque affectu ultra quam talis ætas ferebat, teneris cum lacrymis osculatus est oblatum sibi habitum, et plus quam hora una velut in extasim raptus sedit ; donec avus suus eum interrogans, quæsivit quid ageret. Cui ille, Quid agerem ? quando jam sanus sum B. Paschalis beneficio. Tum rogavit, ut permitteretur descendere de lecto ; permissus autem levavit sese, ambulavit per cubiculum, cibum petiit, et cito totus validus fuit. Post menses deinde aliquot eumdem puerum vehemens scabies occupavit : quam curaturus pater, disponere eum voluit purganti aliqua medicina : sed hujus tanta vis fuit, ut vires tenellas excedens, rursum in vitæ periculum adduxerit infirmum ; hac quoque vice sibi restituendum tactu Reliquiæ nostri Beati. Denique cum alium filium simili ex casu jam mortuum crederet idem Salvator, simili Reliquiæ ejusdem applicatione vivum servavit.

Quidam triplici in filiis curatione beatur.

109 D. Bartholomæo Giner, oppidi Carcagente Rectori, propter periculosam ac malignam febrim præbitum Viaticum erat et Oleum sacrum præparabatur ; cum ei allatum est linteum, in quo mortuus Beatus erat. Hoc ille brachiis arcte stringens, ita ad

Febricitantes duo levantur.

A ad horæ quadrantem permansit : unde nec profuisse ei sacrum istum contactum circumstantes judicarunt, ac plangere cœperunt. Quos ut vidit lacrymantes ; Nolite, inquit, nolite plorare : nec enim ex hac infirmitate moriar, cui B. Paschalis gratiam sanitatis obtinuit : sicuti mox ipsa veritas comprobavit. Simili febri continuaque phrenesi laborabat Cosmus Damianus, Valentinus civis ; cui cum uxor sua unum ex sandaliis Beati supra caput posuisset, statim in se rediit, conjugemque intuitus ; Quid miraris? inquit : an ex altero mundo adesse me credis? Tum illa ; Quid ni admirer grande miraculum, quod in tuum favorem B. Paschalis operatur? Commenda te illi, quia sanaberis. Hoc vero faciens, vovit uno anno gestare habitum Franciscanum et sepulcrum visere, atque ita convaluit intra breve tempus.

Fluxus sanguinis per nares sistitur.

110 Ad vitæ terminum ultimum venerat Franciscus Pisa, habitans in loco qui Grao de Valentia dicitur, propter febres et sanguinis fluxum ex ore et naribus : quod videntes domestici ejus ad nostrum S. Joannis conventum accurrerunt, commendaturi eum precibus P. Fr. Petri Lobo nominatissimæ religionis viro. Hic compatiens infirmo, accepit habitum, B eumque infirmo exhibens suasit, ut cum viva fide commendaret se B. Paschali. Mox autem atque eumdem instravit ipsius corpori, stetit sanguis, et ipse jam valentior cibum petiit, intraque paucos dies liber ab omni molestia de lecto surrexit. Cum vero etiam eodem tempore filius ipsius quidam tertiana laboraret, huic quoque sanitatem attulit explicata desuper sacra vestis. Alius etiam rusticus in loco Torrentis dicto, ubi etiam noster Ordo conventum habet, Antonius Catala nuncupatus, ad mortem tendebat ; quando domestici ejus nostrorum aliquem petierunt, qui animam agenti opem ferret. Ivit eo Guardianus ipse P. Fr. Joannes Baptista Duranus, eo quod notus sibi esset infirmus, et secum Reliquiam tulit B. Paschalis. Quamvis autem videret assistentes Sacerdotes alios, qui jam recitabant Commendationes animæ super eum ; ad lectum tamen confidenter accessit, et moribundo Reliquiam istam admovit : qui mox in se reversus quæsivit, ecqua res se contigisset. Respondentem deinde Guardianum, quod esset Reliquia B. Paschalis, rogavit ut eam capiti suo imponeret ; ubi eam aliquantulo tempore retinens, sopitus est : et post unius horæ quietem experrectus, cibum petiit, comeditque : atque intra tres horas omni mortis periculo absolutus subito perfecte sanum se agnovit, magna cum populi C totius gratulatione.

Animam agens morti vicinæ eripitur ;

idem puellæ accidit.

111 Joannes de Tezeda, Chirurgus Aspensis, filiam graviter infirmam ad nostrum Lauretanæ Virginis conventum adduxit, Novenæ faciendæ gratia. Verum post sextum dien adeo aggravatum ei malum est, ut afflictus pater non jam de remedio, sed de sepultura, in ipso conventu filiæ danda, consilium caperet. Tunc quidam Religiosorum ei dixit : Domine, confide in B. Paschali, et ejus Reliquiam applicabimus infirmæ. Dictum, factum. Ad Reliquiæ contactum imminuta est febris, arteria ordinatius pulsari cœpit, atque a morte ad vitam puella rediit : patre affirmante, tanquam artis experto, miraculosam omnino sanitatem fuisse, cum qua post biduum rediit domum suam. Fr. Antonius Ferrer quondam Provincialis servaverat sibi bacillum, quo utebatur Beatus, Religiosos ad Primam excitans et cellarum ostia pulsans. Hunc ergo, cum forte diuturna tertiana affligeretur, manu apprehendit, simul et sanitatem. Simili febre correpta Anna Xaques in oppido Yecla, subito liberata est, ut oblatam sibi a Religioso quodam Beati Reliquiam attigit, et tertio hæc verba pronuntiavit ; Sancte mi, quandoquidem tot miracula facias, etiam me sana. Idem Jumillæ usuvenit mulieribus duabus, Catharinæ Valente et Quiteriæ Sanchez : quæ applicata sibi assula ex ligno feretri, a diversis quas patiebantur, infirmitatibus momento convaluerunt.

Febres curantur.

D EX ITAL. D' ARTA

CAP. XIV

Dolor capitis duodecim annorum levatur,

112 Anna Orquiza, ex Elche oriunda, cum annum ætatis duodecimum attigisset, acutissimum capitis dolorem pati cœpit, qui eam alios duodecim annos exercuit, rheuma tam malignum procreans, ut corruptis gingivis inutiles omnino dentes impedimento tantum essent manducare volenti, ideoque non nisi cibos liquidos maceratosque suscipere valenti. Ibat illa quotidie ad Missam in nostro Conventu audiendam, quam cum aliquando dixisset P. Fr. Didacus Adan, ipsiusque manum oscularetur Anna (quæ est ceremonia toto regno Valentino usitassima) interrogavit bonus iste Religiosus, quomodo valeret. Illi autem respondenti, quod pejus indies suasit Pater, ut se commendaret Fr. Paschali, ante non multum temporis ad vitam meliorem transgresso et miraculis clarescenti; nihilque dubitaret, quin, qui domi ejus tantam fuerat caritatem expertus adhuc mortalis, jam immortalis ei facturus esset gratiam sanitatis : se quoque eodem vespere allaturum E ei aliquam ipsius Reliquiam, optatæ salutis instrumentum futuram. Gratissimum infirmæ ejusque patri, qui B. Paschalem maximi semper fecerant, is nuntius fuit : quare cum expectantibus allatum esset linteum in quo obiit, sublatis emplastris, quæ capiti applicato habebat puella, ipsum ei imposuerunt : et statim levius habere se sensit, sed brevi tantum tempore : quod eam vehementer afflixit. Animabant eam nihilominus ad fiduciam in B. Paschale firmandam pater suus et domestici ceteri : neque frustra : nam præ doloris vehementia, positis vestibus decumbere coacta, moxque cruciatuum oblita, dormivit usque mane, et sana surgens dentes sibi solidatos invenit

et dentes solidantur.

Post abortum infirma,

113 Isabellæ Avero aborsum passæ in urbe Valentina, acerbi quidam dolores relicti erant in ventre et coxis, quibus accedens ardentior febris valde ipsam affligebat, nihil proficientibus adversus hæc mala quæ adhibebantur medicinis : sed statim atque applicita ei est particula ex habitu B. Paschalis, pro urina magnam nigri cujusdam humoris copiam egessit, et simul febres doloresque cessarunt. Quod cum relatum fuisset medico, qui mulierem dereliquerat ut incurabilem, venit ultro ad videndum eam, et attestatus miraculo est. Sanctimonialis quædam in Conventu Sanctissimæ Trinitatis Almansæ, Soror F Anna Besaurri dicta, continua febri emaciata patiebatur vomitus tam molestos, ut nihil cibi posset retinere, adeoque extra humani remedii spem posita erat. Hæc se commendans B. Paschali, et vestem ejus, quæ ibi honorifice asservatur, postulans sibi adferri, eam instravit lecto suo, deinde cibum petiit Sentiens autem stomachum post buccellas paucas moveri ad vomitum, manicam ejusdem vestis collo suo circumposuit, stomachoque quiescente perrexit comedere perquam sapide ; et evanuit febris qua tenebatur.

et febri emaciata restituuntur sibi.

Fluxus sanguinis

114 In Villa-regali periculosus sanguinis fluxus per nares accidit filiolo Ludovici Bonai, qui ultra horas triginta durans nulla poterat arte restringi : donec puer postulavit, ut villus lanæ decerptæ ex habitu B. Paschalis, quam mater sua servabat, naribus suis insereretur. Hoc cum factum esset, repressus est sanguis : et modicus ille, qui remanserat in corpore, ita eum vegetavit, ut nullo indicio credi potuisset tantam ejus copiam amissam fuisse. Gravi lateris dolore opprimebatur Doctor Martinus Pastore, medicus Elchensis : qui usque eo invaluit, ut necessarium sibi putarit ex Conventu nostro Religiosum aliquem accersere causa faciendæ Confessionis

et dolor lateris desinunt.

EX ITAL. D'ARCA.

A nis. Venit ille, suoque officio functus rogavit, utrum adferri sibi cuperet B. Paschalis Reliquiam. Hoc autem cum factum esset, ægroto id pro magna gratia habente, vix lateri affecto applicita ea est, quin statim evanuerit dolor omnis, numquam postea visus redivisse. Ab eodem malo simili Reliquiæ applicatione sanata Jumillæ est Agatha Huellau, postquam illud annis plusquam decem continuis tolerasset. Ibidem condito testamento Sacramenta jam receperat Joannes de Palentia Notarius publicus propter urinæ suppressionem : quæ ei statim soluta est atque Reliquiam Beati contigit.

CAPUT XI.

Sanitates obtentæ voto visitandi sepulcri facto.

CAP. XV. Visitando sepulcrum Sancti quidam septenni malo liberatur.

Joannes Monton, rusticus in Nules, septimum annum affixus lecto, in eoque tam immobilis ut alienis manibus esset pascendus, tandem aliquantulum sublevatus sic est, ut duabus furcillis subnixus erigeret sese atque ad sedem usque protraheret, ubi totos deinde sedebat dies. Interim multa de miraculis B. B Paschalis inaudiit, erectusque in spem salutis obtinendæ, si ejus sepulcrum visitaret, iter istud cum suis furcillis ingredi decrevit; licet hoc impossibile videretur ac plane temerarium, cum integris duabus leucis absit locus a Villa-regali. In viam tamen plenus fide se dedit : et paulatim vires eundo acquirens totam confecit intra horas triginta, cum nonnullo sanitatis, ut judicabat, principio : atque ad capellam et sepulcrum corporis sacri accedens, post fusas cum lacrymis preces, subito convaluit ; adeo ut relictis ibidem furcillis, levem apprehendens cannam domum suam redire cœperit. Sed prægressa eum erat miraculi fama, quæ filium excivit, ut patri cum equo obviam iret; a quo medio in itinere repertus oblatum equum ascendere noluit, dicens peditem se ingredi debere, ut de miraculo evidentius constaret, et Deus magis glorificaretur : quod et factum est, maxime cum eum, qui nec pedem promovere per se potuerat, currere et saltare viderunt.

Variis membris luxata integritatem recipit :

116 Sperantia Larga Almazorensis, ex moro quadam ceciderat tam infeliciter, ut tribus aut quatuor partibus dislocata ossa curanda suscipere nullus præsumeret chirurgorum. Hinc acutissimos cruciatus patiens, alteriusque consilii expers, commisit se manibus Mauricæ cujusdam mulieris, in Bonol habitans cum fama felicis ad medendi artem expe- C rientiæ. Sed et hæc ad hujusmodi curationes non ausa se idoneam profiteri, miseram qualem reperit dimisit. Ergo humanis destituta auxiliis, magna cum fide petiit ad B. Paschalis corpus adduci, eoque facto sanitatem in momento recepit; atque in domum suam reversa, cunctis stuporem attulit. Idem accidit Angelæ Rives ex Castellone-planitiei, quæ ab infirmitate quadam ademptam sibi videns gradiendi facultatem, seque damnatam ad lectum per omnem vitam tenendum, facto voto visitandi sepulcrum ibique Missam procurandi, maritum rogavit ut illuc se perduceret : et sub ipso, quod fieri petierat, Sacrificio pedibus suis insistere cœpit, cum multa gratiarum actione.

Contractio nervorum laxatur.

117 Alia ejusdem oppidi mulier, Vincentia Moliner nuncupata, majus etiam ex morbo incommodum reservans cum acerbis cruciatibus (nec enim poterat corpus erigere) ad idem sepulcrum adduci se fecit comitante matre. Quæ mox ut Beati capellam intravit, vovit quod, si filia sua salutem obtineret, reditura ad visitandum eum esset vice altera pedibus nudis. Oblatione finita, infirmæ admota fuit Reliquia : et illa, quamvis hiberno gelu rigerent omnia, cœpit sudare tam copiose, ut expulsis humoribus istis lentis in suum statum redierint nervi, ipsæque pariter domum suam remearint læ- D tantes. Anni post hæc septem abierunt, quibus votum suum non implevit mater, ejus oblita, cum in primam contractionem recidit filia : quam esse negligentiæ suæ pœnam intelligens, obligationi suæ fecit satis, eodemque reduxit filiam : ubi rursum sic est curata, ut inciperet in ipsa capella tripudiare. Ergo gratam se volens exhibere, mandavit ancillæ, quæ fuerat comitata, ut domum recurrens, adferret quoddam poculum argenteum, Liberatori suo offerendum.

Claudus gressum recuperat.

118 P. Fr. Franciscus de Soto, concionator insignis, affirmavit, quod cum esset Villa-regalensis Guardianus, mane quodam viderit intrare in ecclesiam hominem in Puzzolo (qui locus Valentia leucis tribus distat) habitantem, adeo debilem, ut præter furcillas quibus fulciebatur, etiam viris duobus haberet opus ad ambulandum. Hic cum aliud nihil quam Confessionem peteret, audivit eum Guardianus : rogantique ut pro se apud B. Paschalem intercederet, quando sibi nihil possidenti necesse erat sudore proprio victum lucrari, facturum se promisit; et vesperi ad processionem Chordulæ egrediens, E pauperem suum, qui prius se movere non potuerat, obvium habuit, tenentem suas in manibus furcillas, clamantemque, P. Guardiane, S. Paschalis sanum me fecit : accipe ergo has furcillas (nec enim aliud habeo offerendum) easque ad sepulcrum appende.

Duorum affecta tibia,

In ipsa quoque Villa-regali, cum filio Catharinæ Serin sic inflata esset tibia, ut movere eam non posset, Novemdiale Beato fecit : et tertio ejus die obtinuit divina virtute, id quod per annos duos non potuerat cura medicorum. Sperantia Alis ex Castillione-planitiei, in duobus filiis suis Theophilo ac Ludovico geminum accepit beneficium. Theophilo inflammata maligno ardore tibia, malum usque ad coxam protrudebat : quod cum usque ad ventrem pervenisset, moriturum dicebat medicus. Statim autem ac vovit mater tibiam ceream, in capella Beati offerendam, residere incipiens ardor iste, cito sanum reliquit. Ludovicus, angina strangulandus, desperantibus curam ejus medicis, ideoque a matre ad B. Paschalis tumulum adductus, eodem instanti loqui cœpit dicens; Ego, mater, jam sanus sum. Et revera erat.

et alterius guttur curantur.

CAP. XVI. Variæ curationes fiunt.

119 Tumorem, ovo similem, nullique medelæ cedentem, gestabat ad collum filia Magdalenæ Jorda : F quam mater ad capellam Sancti adducens, oleoque lampadum illic ardentium ungens, disparente tumore sanam reduxit. Tertium ætatis annum agebat Gabriela Clara Almazorensis, quando in uno inguinum crepuit. Cui aliud remedium non invenientes sui genitores, eo quo corpus erat ostendendum die, ipsam ad capellam conduxerunt : ubi ad Beati contactum subito solidata est ruptura, ipsaque confirmata plenam habuit sanitatem. Idem malum ab annis quinque patiens Joanna Ortiz, similiter liberata est per Novenam, a matre ad sæpe dictum sepulcrum factam, prius quam hæc tota absolveretur. Præter istud incommodum, aliud perterrefactus incurrerat Vincentius Ortiz, Castellione-planitiei habitans, quo et respiratio et alii actus naturales multum ei impediebantur. Hunc mater sua Hieronyma Pastora vix ante sepulcrum Sancti constituit, quin puer ab omni molestia liber extitit. Eidem mulieri filium, quem pepererat mortuum, suscitaverat Sanctus : cumque ipsa, ex moro lapsa, gradiendi amisisset facultatem, non sine magna plebis commiseratione, scientis quantum ea res familiæ ipsius incommodaret; ad ejusdem Beati sepulcrum portari se fecit, et subito recepit suæ confidentiæ effectum, cum eorum stupore, qui eam tamdiu impeditam fuisse sciebant.

A 120 Antonio Alfari, oppidi Cabanes chirurgo, filia nata erat, utrimque sic rupta, ut omnis ars sua nihil prodesse posset. Qui ad sepulcrum Beati apportatam cum unxisset oleo, sumpto ex lampade ante ipsum ardente, ac domum rediisset; integram reperit, habuitque ab ejusmodi incommodo semper liberam. Joanni quoque Baptistæ Fernandez in lucem venit filius, commiseratione dignissimus; excrescens enim circa inguina caro usque ad genu pendebat, nec remedium quis poterat excogitare. Sed genitores ejus, ex voto sepulcrum adeuntes et Missæ Sacrificium ibidem curantes, perfectam puero sanitatem obtinuerunt. Hujusmodi aliæ affectiones plurimæ curatæ fuerunt, non solum visitato Beati sepulcro, sed ad primam emissionem voti de eo adeundo; quæ in Processibus deductæ leguntur, sed vitandæ prolixitatis causa omittuntur a nobis; sequentes tamen, quod multum admirabilitatis prodigiosæ contineant, silentio præteriri non debent.

CAP. XVII

Cæcus et surdus sensuum illorum fit potens.

121 Monserrado Gavalda et Joanni Vax, in Nules habitantibus, filius erat Michael: cui sex tantum menses nato, subiens in caput sanguis, auditu eum visuque privarat; sic ut extinctis pupillis sola oculorum albugo appareret; tanto majori cum dolore B parentum, quanto longius a spe curationis aberat malum, per annos septem toleratum. Interim transitum illac habebant Excellentissimi Duces Gandiæ, ex quorum comitatu unus aliquis, a pueri avunculo interrogatus quo iter esset, Villam-regalem respondit, ad B. Paschalis sepulcrum ex voto visitandum. Vix ea audierat, cum ad sororis suæ domum accurrens, eamque in lecto jacentem inveniens, amanter conquerendo sic affatus est: Fierine potest, soror, ut cum personæ tam conspicuæ ex partibus tam longinquis veniant, vel gratias acturæ vel favores petituræ, sciamusque miracula quotidie patrari per B. Paschalem; adeo negligens fueris ut eum habens tam vicinum, ei non commendes filium surdum et cæcum? Ad hæc in genua super lectum suum assurgens mulier; Benedicte, inquit, Fr. Paschalis, si filio meo sensus amissos reddideris, voveo me ituram ad tuum sepulcrum, pluraque deinceps obsequia facturam. Dixerat: et statim puer qui in angulo culinæ sedebat, matris ingressus cubiculum, magna cum alacritate dixit, jam se et videre et audire. Cum autem oculi, quorum sola albugo antea videbatur, clarissimi ac nitidissimi conspicerentur, dici non potest quantum miraculum istud, per ora vulgi celebratum, admirationem cunctis moverit.

C

Oculi viva calce exesi redduntur.

122 Anni unius ac dimidii filiolum habebat Francisca Miralet Villa-regalensis, qui capite deorsum lapsus in sportam vivæ calcis, diuque requisitus a matre, inventus est oculos plane exesos habere. Ad hoc spectaculum afflicta mater ejulare et plangere: sed avia pueri; Unicum nobis, inquit, remedium superest, ut ad benedictum Fr. Paschalem recurramus, sequenti ergo die primo mane ad portam conventus adest mulier cum filio, ingressaque capellam, Pater et Ave recitavit: quo facto oculos, omnis læsionis expertes, puer aperuit. Majoris aliquanto ætatis eadem in urbe erat filius Isabellæ Nosca, quando unius oculi palpebræ increvit pustula tam maligna, ut ea visa chirurgus judicaret actum de oculo toto esse: cœpit nihilominus eum curare, ipsa palpebra penitus resecta; sed nec hoc profuit, penetrans enim in ipsum oculum humor noxius eumdem exsiccavit. Tunc mater Novenam inchoavit, promisitque argenteum oculum in Beati capella offerendum, si perditum puer recuperaret. Dum autem sic orat, avicula de manibus fugit pueri, qui jacturam lacrymis testati cœpit: in quem convertens oculos mulier alia, ac videns per genam utrimque fluere lacrymas, dixit matri: Et quomodo, Domina, fieri potest ut puero isti, alterum oculum exsuccum habenti, ex utroque tamen procurrant lacrymæ? Tum mater fasciam auferens, invenit eumdem oculum non modo clarum, sed etiam palpebra pridem a chirurgo rescissa tectum.

Abscissa palpebra cum visu recuperatur.

D EX ITAL. D'ARTA.

Duo surdi audire incipiunt.

123 Martha Aznar, etiam Villa regalensis, adeo surda erat, ut nullam capere vocem posset, quantumcumque ejus auribus os admoveretur: quod eam vehementer affligebat, quia neque conciones audire nec confiteri commode poterat. Et illa quidem pro recuperando auditu non omisit Novemdiale facere B. Paschali, sed nihilo minus surda mansit. Non tamen ideo spem deposuit, sed infuso in aures oleo lampadum in capella ardentium, cum id tertio aut quarto die continuaret, perfectius quam antea unquam audire cœpit. Simili incommodo annis multis laborarat Augustinianus quidam Religiosus, Fr. Michael Martinez dictus, habitans in Conventu Dominæ nostræ a Virtutibus nuncupatæ, media leuca ab oppido Villena. Hic die quodam particulam fili, ex habitu B. Paschalis, revulsi, inseruit auribus, et magna cum fiducia dixit, S. Paschalis, redde mihi auditum: eodemque instanti corrupti humoris magnam quantitatem ex auribus emisit, ac plene sanus E curatori suo devotissimus mansit.

CAP. XVIII.

Puer ad extremum redactus subito convalescit.

124 Don Michael Fenollet, Toparcha in Ginoves et Fenollet, Xatibæ habitans, infirmum habebat quadrimum filium, cui spem vitæ nullam reliquam faciebant medici, imo dicebant ad primum febris paroxysmum omnino eum moriturum; quod creditum fuit, statim ut increscente febre in somnum cecidit, quem omnes ultimum ei augurabantur. Hunc adeo dejectum debilemque videns civium unus, qui visitare eum venerat, parentibus dixit, ut si salvum vellent filium B. Paschali commendarent. Paruerunt illi, seque beneficio quod petebant obtento, sepulcrum illius visitaturos spoponderunt. Sed languide nimis id factum judicans civis ille: Non hæc, inquit, per nudam ceremoniam fieri debent aut cum intentione voti commutandi, sed ex animo. Tum mater genua flectens, renovavit votum: et dum cogitat, quid potissimum oblatura sit, experrectus a letargo puer resedit in lecto, voceque elata tertio dixit; Sanus sum. Interrogatus a parentibus quis eum sanasset, Sanctus aliquis, respondit. Obstupuerunt adhæc adstantes omnes, veluti si mortuum loquentem audivissent; totaque urbe diffamata res cunctos in sui admirationem rapuit, quando puerum viderunt omni ex parte sanum. Duratque etiamnum facti memoria apud posteros Equitis istius, adeo ut F familiæ caput unus ex præcipuis benefactoribus sit, quos noster in ea urbe conventus habet.

Similiter alius.

125 Æque letali febre ad extremum agonem deductus erat Vincentius Amiguet, filius Sperantiæ Avinent, decennis. Cum jam involvendo huic paratum esset funestum linteum, conversa ad quamdam B. Paschalis tabellam mater, dixit: Sancte Paschalis, confido quod meum filium servaturus sis: quod si feceris, promitto hoc ipsum linteum in tua capella appendere, et Missam ibi dicendam curare. Nox erat, quando illa sic orabat: mane autem aperire oculos et comedere puer cœpit, ac sanus esse. Subito etiam liberam ac sanam se sensit Isabella Joanna, Valentina civis, ubi vovit sepulcrum B. Paschalis visitare, propter febres quas patiebatur et deliquia, quorum accessus singulos, ultimos sibi esse credebat. Jacobus Renau Xativensis, vota ejusdem sepulcri visitandi precesque multiplicans, adensque se appropinquando ad conventum unius leucæ viam nudis pedibus confecturum et Missas centum curaturum, Religiososque ibidem data eleemosyna adjuturum, paroxysmo tam gravi tactus fuit, ut ab omnibus mortuus crederetur. Discessit

Vir quidam pro mortuo habitus subito convalescit.

 ergo

EX ITAL. D' ARTA

A ergo medicus, et linteo sepulcrali cooperientes vultum corpori ejus imposuerunt crucifixum, qui ægrum curaverant. Sed paulo post in se reversus medicum revocavit : qui arteriæ pulsum explorans, hominem sine febri reperit, ac læto vultu ad eum dixit : Domine, recte vales. Cui ille : Rectissime. Fueram quidem jam nunc mortuus : sed B. Paschalis me prodigiose servavit. Similis casus Alcudiæ obvenerat Franciscæ Garzia, ut plus quam quinque horis haberetur pro mortua, et pro tali eam planxerat maritus suus : sed ad B. Paschalis opem pro uxore invocandam conversus, emisso voto adeundi sepulcri, exauditus in momento temporis est.

Itidem et puer.

126 Carthaginensis quidam Eques Don Antonius de Montoya affligebatur animo, quod, cum multos sibi Deus liberos largiretur, omnes tamen intra secundum a nativitate mensem morerentur. Promisit ergo, quod si rursum sibi nasceretur alius, Paschalis ei nomen imponeret. Ita factum est, superavitque terminum puer infra quem alii mortui fuerant : sed tamen dierum una ex subito quodam symptomate habitus est pro mortuo. Verum fide fervens mater, portatili sedi se cum filio imponi fecit : appulsaque ad illius civitatis conventum, supra altare Beato B consecratum, deposuit filium in ejus capella : oravitque cum lacrymis, ut ille eum sibi vel resuscitare vel servare vellet. Exauditæ autem preces sunt, et in momento puer convaluit. Neque solum salutaris infirmis, sed dæmonibus etiam terribilis ingressus in capellam ad sepulcrum viri Dei est, prout variis claruit experimentis, sed imprimis sequenti. Erat in Villa-regali mulier procul dubio energumena. Hanc consuetis Ecclesiæ exorcismis curaturus Mag. Guardiola, Presbyter beneficiatus ejusdem civitatis, voluit secum ferre catenam Beati, quam et obtinuit. Prius ergo quam ad patientem intraret, advenire eum sciens dæmon, apparatumque ejusmodi ridens, Mox, inquit, aderit Pasqualettus. Quamvis autem ad Reliquiæ jam dictæ contactum, mirabiliter se torqueret, egredi tamen recusavit ; usque dum in ipsam servi Dei capellam esse pertrahendam patientem suam Presbyter judicavit : ubi cum exorcismos renovasset, molimine non magno expulsus dæmon, mulierem dimisit liberatam.

Dæmon ab energumena ejicitur.

CAPUT XII.

Apparitiones B. Paschalis infirmis aliisque eum invocantibus factæ.

C

CAP. XIX.

Quidam secundum aurem trajectus

Cum Regis Catholici copiæ starent in procinctu ad ingrediendam Cataloniam anno MDCXLV, et earum aliquæ hospitarentur in loco dela Xana dicto in diœcesi Dertonensi, Michael Pelegri agricola, nostrorum Religiosorum devotissimus, quodam vespere descendens a conventu quem ibi habemus, vidit milites quosdam cum suo hospite litigantes : quibus pacis causa se interponens, pugione percussus fuit ad unam aurium, sicut per alterum fere tempus ferrum transiret. Continuo occisum ab iis fuisse Michaelem fama vulgavit : ipse vero delatus in domum Hyacinthi Belaguer, atque in curti positus supra stoream (nec enim plus commodi ei dare audebant, qui expiraturum citissime credebant) Confessionem fecit, ut potuit. Adfuit mox Thomas Ferrer, loci chirurgus : vidensque mortalem esse plagam, palam denuntiavit, quod eam curandam non susciperet, nisi adesset chirurgus alius, una abinde leuca ex oppido Cervera accersendus, quia formidabat ne moreretur inter suas manus. Innotuit mox etiam Isabellæ Saura ejus uxori infelix casus ; quæ invocans opem B. Paschalis, ad domum ubi maritus jacebat se contulit ; et audito chirurgo statim misit qui alterum Cervera accerseret. Interim tam ipsa D quam vir læsus non cessabant invocare B. Paschalem ; sed neque chirurgus ipse reverti identidem ad Michaelem, quamvis vice existimans quod reperturus esset mortuum. Venit denique expectatus Cervera Jacobus Betet, et simul cum altero ad infirmum se contulit : quem invenientes in lecto sedentem : volebant discooperire plagam : cui prior, post sanguinem vespere præcedenti ablutam vino, panniculos aliquos et fascias apposuerat. Sed dixit eis Michael : Domini, ad me curandum nimis sero venistis : apparuit enim mihi B. Paschalis, meque sanavit. Riserunt ad hæc chirurgi, arbitrati delirare hominem, qui loco tam vicino ad cerebrum percussus fuerat. Sed ligamina dissolventes, non aliud vulneris inflicti repererunt indicium, quam lanceola ad sanguinis minutionem immissa faceret : unde attoniti atque confusi, miraculum toto oppido prædicarunt.

ab aparente sibi Paschale curatur.

128 Nihilo minus prodigiosum fuit quod Doctor Ludovicus Piedra, Medicus Villa regalensis, testatus est de Claudia Sovias, annorum quindecim aut sedecim puella. Huic stupor quidam totum unum corporis latus reddiderat inutile linguamque retraxerat : et ad extrema properantem visens prædictus E medicus die quodam ; circa horam nonam sic dimisit, ut crederet usque ad meridiem non victuram. Sub hæc infirmæ mater Magdalena Grafulla, ex cubiculo ubi jacebat ad curtile domus, ibidem reperit Susannam Marti : et interroganti quomodo se haberet filia respondit verbis medici, non nisi ad paucas horas victuram. Dum sic inter se loquuntur illæ, audita est vox puellæ clamantis ; Mater, Mater : adesdum cito, Obstupefactæ mulieres (quia non potuerat a tribus hebdomadis vocem ægra formare propter linguæ retractionem) simulque ingressæ cubiculum, viderunt magnum splendorem, licet clausæ essent fenestræ, et insolitum perceperunt odorem, puellamque supra lectum viderunt genibus flexam : quæ in dexteram oculis conversa dixit ; Veni, mater, et osculare vestem B. Paschalis, ista in sella sedentis et manu facem tenentis. Respondit mater nihil tale se videre, sed odorem velut ceræ percipere. Dubitabant autem an non phrenesi ageretur puella, usque dum hæc ; Jam abiit, inquit, date mihi vestes, quia sana sum. Interrogata porro, qua ratione fuisset sanata ; respondit, quod post egressum medici commendarit se B. Paschali, qui statim sibi ap- F paruit manu facem tenens : se vero mirantem eo loci Religiosum unum solum, manu signum dedisse ut abscederet. Qui sibi dixerit, ne timeret, venisse enim ad ipsam sanandam : tum pulvinar manu tetigerit, et ipsa sanata fuerit : quodque cum intrarent illæ adhuc sedebat B. Paschalis in sella, sed mox disparuit. Casus tam mirabilis mox publicatus omnes cives, sed imprimis medicum, attraxit ad spectaculum : qui visa ea quam ante duas horas pro mortua dimiserat, exclamavit Jesu ! Jesu ! quod miraculum conspicio? Nemo certe de eo potuit dubitare, maxime cum visa est vestibus suis induta ambulare per domum, ac si numquam infirma fuisset. Ad majorem autem certitudinem contigit, annis post rem gestam triginta, ut propter æquivocationem aliquam, ab imprudenti Notario insertam relationi, iterum res fuerit examinanda anno MDCLXIX quando adhuc in vivis erant Claudia Sovias et Susanna Marti.

Idem apparens puellæ a medicis depositæ

integram sanitatem impertit.

129 Don Michael de Belvis, Toparcha Benizuelæ, in oppido Benigani jacebat depositus a tribus medicis. Sed cum ei impositum esset stragulum, quo usus fuerat servus Dei Paschalis, cum ibidem in nostro S. Antonii conventu morabatur ; et pater ejus carissimum sibi filium ejusdem protectioni commendasset

Item alteri

A commendasset, promittens tabellam argenteam deferendam ad sepulcrum; apparuit infirmo ipse Beatus, suo indutus habitu cum aspersorio; et aqua benedicta ei data disparuit. Adhæc fortiter exclamavit infirmus; accurrit pater, mirantur domestici: ille quid viderit narrat, et melius se habere sentit, atque intra triduum citra alterius ullius medicinæ usum convaluit. Verum cum ante impletionem voti, haud diu post miraculum factum, obiisset pater; novis iterum infirmitatibus pulsatus est Michael, quæ sexennio toto ægrotum habuerunt, usque dum Helena de Belvis, amita ejus, animadvertit causam redeuntium morborum non aliam esse, quam quod impletum non esset paternum votum pro filio sanando, quando B. Paschalis ei per miraculum succurrit. Quare Eques iste continuo ad sepulcrum ejus visitandum se contulit, et sigillum argenteum eo delatum in capella posuit, ac sanus rediit.

Simili apparitione quidam certus fit de sanitate recuperanda:

130 In Valentino conventu nostro Fr. Joanni Cirugeda, graviter infirmo, apparuit etiam B. Paschalis, cui is se ex animo commendaverat, postulata Reliquia ejus, dicens: animos caperet, quia intra octo dies, qui Nativitatem Deiparæ præcedebant, erat egressurus ad audiendam Missam; et B data benedictione recessit ab oculis decumbentis, cui plane accidit ut sibi dictum aiebat. Sperantia Raphael habitans in Grao-Valentiæ gravi quodam morbo ad ultimum vitæ discrimen adducta, invocato B. Paschale ejus Reliquiam sibi postulavit adferri. Venerunt ergo ex conventu S. Joannis de la Ribera Religiosi duo, illius vestem ferentes; quam cum supra infirmæ lectum expandissent, dixit illa, si vel filum unicum istius habitus possem glutiendo trajicere, credo me sanandam. Dederunt illi, deglutiit ipsa, et habere melius cœpit, noctu autem, cum ei advigilarent duæ sorores suæ, vidit Religiosum genibus flexum atque loquentem. Tum ægra ad sorores; Quid loquitur Frater iste. Dicunt illæ; Quis Frater? Nemo hic adest. Tum Sperantia omnino eis affirmavit, esse ibi Fratrem discalceatum junctis manibus, insertoque inter digitos quod recitabat Rosario, orantem versus imaginem Deiparæ lactantis, quæ ibi repræsentabatur in tabula; dicebat autem, se numquam Fratrem istum vidisse. Cui rursum Sorores: Non quidem Fratrem istum non videmus, non dubitamus tamen quin B. Paschalis sit, qui venit tibi salutem redditurus. Et vero intra dies paucos sana fuit, quæ ab ipso illo momento cœperat relevari.

graviter infirmata relevatur:

febri ad extrema redactus sanitati pristinæ restituitur.

C 131 Vehementibus febribus aliisque accidentibus exhaustus Valentiæ Franciscus Font, adeo debilis erat, ut suis ipse manibus capere cibum non posset, alienis autem ingestum stomachus non reciperet. Huic extrema Unctione munito mirabolanos aliquot (decretorium ad vitam aut mortem remedium) dari medicus jussit. Tunc Franciscus petiit aliquam B. Paschalis Reliquiam sibi dari: allataque est vestis, et super infirmi lectum noctu relicta. Qui licet multis ex causis antea dormire non potuisset, horis circiter tribus dormivit: et in somnis vidit Religiosos duos, quorum unus, qui laicus erat, lecto jacentis appropinquans interrogavit, quid morbi haberet: audito vero mali genere, placide ei dixit, bonum haberet animum, valiturum bene, tantum Crucis signo se ipse signaret in nomine Patris et Filii et Spiritus Sancti. Quamvis autem brachiis impeditus esset æger et debilis, uti dictum est, potuit tamen tunc signare sese; et evigilans cum admiratione, ac Religiosos duos apud se reperiens, in gratitudinis signum extendens brachium, voluit ejus, qui sibi solamen tulerat, vestem deosculari: sed ipsi disparuerunt. Eo ipso momento ingressus cubiculum est infirmi pater, qui audiebat aliquem strepitum:

EX ITAL. D'ARTA.

et interrogavit eum filius; quinam Fratres modo D apud se fuissent. Ex capitis imbecillitate ea dici existimans pater, suasit ut conaretur dormire, neminem enim cubiculum istud fuisse ingressum. Ergo videns Franciscus serio loqui patrem, enarravit illi prædicta omnia: qui videns filium movere brachia et corpus antea impeditum, fidem dedit miraculosæ apparitioni, maxime quando is etiam comedere cœpit. Deinde mane facto venit medicus, visurus an jam obiisset infirmus: et inveniens eum dimissa febri extra periculum esse, testis miraculo tam evidenti accessit.

Sancti attactu duæ sanantur.

132 Catharinæ Sperantiæ Beniganensi, maligna inflatio adveniens, salutem humanitus desperatam fecerat. Sed tactu Reliquiæ in conventu nostro Benigani servatæ consignata, habuit B. Paschalem sibi in somnis conspicuum, qui tumorem manu sua tetigit; tactus autem sic ille crepuit: et evigilans infirma, magnam effluxisse sanguinis ac puris copiam invenit, seque ita sanatam, ut ne quidem sentiret plagam, unde perquam copiosus humor exierat. Ergo vocatæ ad se matri narravit omnia, cum eaque gratias cœpit agere curatori suo. Alia mulier Valentina cubitum sana concesserat, noctu autem subitam sanguinis agitationem passa, mane reperit corpus E ac vultum tumoribus obsitum, quorum unus sub brachio mali cottonei magnitudinem habebat. Advocatus mox medicus nullum ante vesperam remedium ei applicandum censuit: sed mulier devota differre noluit medicinam animæ faciendam per Confessionem, Beatum quoque Paschalem oravit, ut se salvam vellet, quæ ei viventi toties eleemosynam fecerat. Eodem tempore lapsa in somnum, ipsum Dei famulum vidit, qui tumoribus illis manum imponens, omnes evanescere fecit. Tunc experrecta ægra, valde læta, ab nepte quadam sua istic præsente poposcit speculum: quod priusquam puella tradidit: Domina, inquit, amita, nullos amplius habes in vultu tumores. Quod illa verum esse videns, neque in toto corpore alterius ullius superesse vestigium, præterquam sub brachio; credidit hunc sibi Deo volente servatum, ut ad sepulcrum Beati adiens ibi ab eo liberaretur, quemadmodum etiam factum est.

CAP XX. Inter mortuos numerata repente sana fit.

133 Jam moribunda et sensus expers Sperantia Domingo Mascaregliensis, deportata est in Nules ad medicum, qui respondit serum id nunc esse, quando jam mortua dici poterat Sperantia. Cum autem non ita pridem obiisset Paschalis, qui ipsam F infirmam sæpius visitaverat domi suæ dum viveret, eique auxilium suum promiserat; ipse ei apparuit in illo extremo articulo. Quem agnoscens Sperantia; Quid hoc rei est, inquit, P. Paschalis, quomodo non recordaris mei, ut me Deo commendes sicut toties promisisti? Ast ille solum capite annuit, et disparuit. Sub hæc in se reversa mulier mirata est quod audiret horologii pulsum, quale in loco habitationis, nedum in domo sua nullum erat. Clamavit ergo, et attoniti accurrerunt ii, qui eam inter mortuas jam numerabant. Interroganti autem ubi locorum esset, cum id quod erat respondissent, et cur eam huc detulissent, narravit illa quidquid acciderat: et absque alia medicina domum suam rediit integre sana.

Quædam cum potu a Sancto tradito sanitatem haurit.

134 Eodem in loco Nules Vincentia Monleon ad finem vitæ accedebat deposita a medicis, quando voluit sibi adferri phialam aquæ, acceptæ ex puteo qui est in Villa-regalensi conventu: sed allatam non sunt ausi domestici bibendam ei dare, ne mortem accelerarent. Commendavit ergo se maxima cum devotione Beato, vovitque quod ejus sepulcrum pedibus nudis visitatura esset, et linteum funebre appensura, si viveret. Media autem nocte ipse

A ipse eam visit, cum eaque locutus, phialam porrexit: unde illa bibit quantum potuit, et insigni cum solatio suo sana fuit. Ejusdem mulieris maritus Franciscus Canalda, litigii aliquid habebat cum Jacobo Mora: qui educto cultro, magna cum violentia plagas aliquot Francisco inflixit, chirurgorum judicio valde altas. Casum ut scivit Agatha Stella, uxor aggressoris, et periculum considerans quod marito suo ex ea actione imminebat, si læsus moreretur; vovit discalceata sepulcrum adire, eoque facto vitam vulnerato obtinuit a B. Paschale. Intelligens autem Franciscus qua ratione salvatus esset, condonavit irrogatam sibi injuriam, amicus adversarii effectus.

Ex ital d'Arta

Conjuges ægroti duo visuntur a Sancto

135 In Nules etiam habitans Joannes de Mendoza, ob gravem morbum desperatus a medicis B. Paschali se commendavit, petiitque e conventu Religiosum, qui sibi assisteret. Venit P. Fr. Ludovicus Moreno, et eadem nocte postquam ceteri cubitum concessissent, cœpit infirmus fortiter exclamare; ingressoque ad clamorem Religioso prædicto, dixit: Non vides, Pater, B. Paschalem, qui ad me visitandum venit? Cum autem is responderet se neminem
B videre; narravit ei Joannes ipsum a se visum, seque ab eo pristinæ redditum sanitati: quod verum esse apparebat, et proximo mane confirmavit medicus, declarans miraculosam eam curationem fuisse. Uxor porro ejusdem hominis, dicta Vincentia Borraz, mirabiliori etiam modo experta est B. Paschalis adjutorium. Natus ei erat sub brachio tumor malignus, quem ferro aperiri nec probabant medicus chirurgusque, licet maxime cuperent, propter nimiam ejus duritiem; neque si probassent illi, permisisset ipsa, fiduciam omnem habens in Beato collocatam, a quo suaviori via se curandam sperabat. Vovit ergo sepulcrum ejus nudis pedibus visitare, ibique brachium ex cera offerre: et eodem die in domum ipsius venire visus est Villa regalensis Prædicator, Fr. Gaspar Romeu, secum ferens servi Dei catenam. Qui eamdem infirmæ applicans dixit; Confide, soror, in Fr. Paschale, quod tibi reddet sanitatem: etenim hora undecima nocturna aperietur tumor iste, eumque in finem hanc Reliquiam tibi fero, postea rediturus ut ipsam recipiam. Rediit autem post horas tres, et secum auferens catenam abiit. Ipsa vero hora undecima præcise crepuit maturum apostema, et post magnam purulenti humoris copiam emissam
C cessante febri bene valuit mulier, et sic valere judicarunt medicus atque chirurgus mane proximo regressi. Octavo post die venit ad eamdem domum Fr. Gaspar Romeu; cui cum gratias ageret Vincentia de accepto beneficio, eique narraret, quomodo ipsa qua prædixerat hora crepuerit apostema; stupore ipsum haud mediocri implevit, utpote qui se diceret neque de ejus infirmitate scivisse quidpiam, neque ejus curandæ causa venisse, multo minus attulisse catenam, quam sub obedientiæ præcepto vetuerat Provincialis efferri e conventu. Vicissim obstupuit mulier ista audiens, et obstupuerunt domestici omnes, qui cum omni certitudine affirmabant se ibi jam dictum Religiosum vidisse. Denique auditis utrimque omnibus, creditum est ipsummet Paschalem, sumpta ejus persona, etiam post mortem suam voluisse dissimulare gloriam tam insignis miraculi.

sub alterius Religiosi specie catenam suam ferente.

Apparens Sanctus jubet ægrum e lecto surgere,

136 D. Joanna Garzia Cartagenensis, filium, a medicis depositum, B. Paschali commendaverat. Hic cum nocte quadam magna voce clamare cœpisset, accurrit ipsa cum marito Cypriano Machiavello. Dixit autem eis filius, quod dormiens viderit Religiosum ex convenu S. Didaci, qui imperaverat ei, ut surgeret, quia jam sanus erat: quod tam promptum beneficium gratantes mirati parentes sunt. Catharina Ardid Suecana deposuit, quod cum mulier D
quædam vitam scandalosam duceret, ipsa coram B. Paschalis imagine quadam prostrata oraverit pro ejus conversione. Ex eadem autem tabula audivit vocem hujusmodi prodeuntem; Dic mulieri isti ut vitam mutet, alioquin gravem ei a Deo pœnam imminere. Catharina nihil dubitans, quin ea vox Beati esset, proximo mane accessit eam quam spectabat monitum: fuitque id eidem tam utile, ut deinceps optimæ ædificationi fuerit populo universo.

perditæ vitæ feminam ad frugem redire.

137 Anno MDCLV, Almansæ XVIII Januarii, una in domo simul ægrotabant conjuges duo, sed gravius mulier, Guiomara Joannis dicta, ex aborsu cum letalibus symptomatis conjuncto. Huic ad Christiane moriendum assistebat Frater noster Josephus Domenec, qui testatur, quod infirma horrendum in modum oculos aperiebat identidem et sanum sensum videbatur amisisse, sed repente sic incepit alloqui circumstantes; Fratres, magnam fidem habeamus in S. Paschale, et nos ei commendemus: quia jam nunc mihi adstitit, et mihi salutem reddens, etiam marito meo impetravit. Mirabantur præsentes mutationem tam subitam et talia ejus verba: interrogavit ergo eam prædictus Religiosus, quidnam ipsi acciderit. Respondit infirma, quod cum E
ei fidei professionem inculcabant, apparuerint sibi tres dæmones, monentes ne ejusmodi fallaciis et ineptiis crederet; jam enim animam ejus perditam esse: ipsa vero invocabat B. Paschalem, cui multum devota erat: hic vero in habitu religioso, sed splendidissimo apparuit, una cum beatissima Virgine, atque dixit: Ne timeas, filia. Inimici autem, retinere ipsam volentes, respiciente in eos Beato, evanuerunt. Et dixit ægra, plena solatio ac vigore animi, Sanitatem nobis impetra, si mihi ac meo marito expediat. Et Dei mater ad Paschalem sese inclinans, dixit: Jam ipsa tibi concessa est: et disparuit visio. Ambo ergo sanati exhibuerunt sese revisenti medico: qui testatus est tam subitam curationem naturæ vires procul dubio excedere.

Ægro sibi ac marito vitam impetrat a Sancto sibi apparente.

CAPUT XIII.

Aliorum miraculorum copia; duo ex secundo Processu decerpta.

Tam copiosus est numerus miraculorum, per B. Paschalem ejusque invocationem patratorum, ut F
nequeant omnia referri, neque justa libra ponderari secundum suas omnes circumstantias: itaque de plerisque solum facta est simplex memoria, aliis quæ ex Processibus constant prætermissis; ultra infinitam illam multitudinem, quam manifestant votivæ tabellæ circum ejus capellam appensæ, quarum si vel solas epigraphas annotare quis vellet, multa charta opus foret. Conjecturam vel ex hoc facias licet, quod (præter viginti lampades, quarum aliquæ pretiosissimæ sunt) in eadem capella cernantur affixa argentea anathemata mille, manus, tibias, capita, pedes, aut alias humani corporis partes referentia, licet pars eorum magna consumpta aut distracta fuerit: nam eo quod necessarium sit capellam semper habere apertam, inventæ sunt aliquando unica vice deesse argenti sic formati libræ quinque vel sex, numerum talium anathematum haud dubie maximum confecturæ. Adde istis sepulcralia lintea, subaxillaria fulcra, cippos, catenas, sclopos, cerea sigilla, pictas in tabella votiva imagines, nullo numero comprehendendas, quamvis harum quoque pars magna perierit, dum capella struebatur. Si solum ad præcipua miracula notanda fuisset adhibita diligentia mediocris, dubium nullum est, quin multa bene spissa volumina implenda fuerint:

Anathemata Sancto oblata.

A rint : sed negligentiam maximam hic commissam fuisse debemus fateri.

Miraculorum frequentia,

139 Cum primum proposita hæc causa fuit anno uno post mortem B. Paschalis, centum septuaginta quinque notæ principalioris miracula fuerunt adnotata : terminata vero ipsa causa est, obtento Beatificationis decreto, anno MDCXVIII. De toto autem illo viginti quinque annorum intervallo nullam habemus litteris consignatam memoriam, licet miracula etiam tunc plurima contigisse testentur innumera istius temporis vota : quibus cogimur credere, non solum ex ipsa civitate Villæ-regalis vicinisque ei oppidis, sed etiam ex longinquis regionibus advenisse quam plurimos, ad gratias vel reddendas B. Paschali vel ab eo postulandas. Adde quod, cum in utraque Provincia nostra, et in aliis nostræ Reformationis provinciis, nec non in variis totius Ordinis Franciscani, aut omnes aut plures ecclesiæ capellam, altare, vel imaginem B. Paschalis habeant, ubique appensæ videantur similium beneficiorum memoriæ : quarum tamen nuspiam inveniatur scriptis signata notitia, nisi forte in una alterave Provincia. Sed hunc defectum supplevit abunde Sanctus sua continuando prodigia. Quare ne hactenus a me B relata ex processibus antiquioribus miracula possint cuiquam esse suspecta, tamquam minus certo cognita aut indulgentius examinata ; lubet etiam seligere nonnulla, facta ab anno MDCLXV, quando expeditæ sunt litteræ Remissoriales pro secundo Processu, usque ad annum MDCLXX, quando Processus hic fuit conclusus. Equidem testari possum, tamquam illius causæ Procurator, quod si adnotanda fuissent miracula omnia, quæ delata sunt ab eo tempore, quo per Valentinum Regnum publicatum fuit novum de illis Processum formari in ordine ad Canonizationem, magis copiosum hunc futurum fuisse, quam fuerat is qui ad Beatificationem petendam confectus erat. Sed ab intelligentibus stylum, in Romana Curia hoc tempore in hujusmodi argumento usitatum, et considerantibus causam totam esse terminatam per Decretum anni MDCXXII ; sed dumtaxat delecta fuerunt, ut ceteris certiora evidentioraque, quibus huc relatis argumentum concludam.

scriptorum neglectu ignota

CAP. XXI.

E summa pinu 46 pedes alta lapsus capite pronus in terram,

140 Primo loco approbatum verificatumque denuo est miraculum, in persona Claudiæ Sovias patratum, quod supra num. 128 retulimus. Secundo loco exceptum est aliud, quod contigit spectabilibus duobus in Villa-regali viris, Josepho Renau et Victoriano Escabez. Convenerat his vespere quodam, ut simul in pomœrium progrederentur : ad locum C autem pinis multis consitum cum venissent, lubido fuit Victoriano, ut in earum unam, quæ sui cujusdam avunculi erat, conscenderet, nuces pineas lecturus, dissuadente multum socio, multumque timente infortunium aliquod a tanta corporis obesitate, quanta gravabatur Victorianus. Sed hic monitore contempto, signo Crucis se muniit, Beatoque Paschali commendavit, pineas aliquantas collegit, et descendit. Nimium paucas illas esse deinde aiens, ascendit alteram, simili signo invocationeque præmissis ; ad cujus cacumen cum pervenisset, et ad carpendum fructum ultra quam vires ferebant pedibus connitens, fracto sub se ramo cadens, in alium siccum ramum capite impegit, amissoque hic sensu in terram corruit, prono etiam capite. Accurrit ad lapsum socius, et pro mortuo habuit, videns effluere per oculos, aures atque os sanguinem. Cumque post horam ac dimidiam nec minimum quidem vitæ signum daret lapsus, decrevit in urbem regredi Josephus, casumque annuntiare, quamvis non sine formidine pro se ipso aliqua. Jamque ascendebat in equum, quando vidit surgere Victorianum, et iteratis vocibus clamantem audivit ; Vivat gloriosus

pro mortuo jacet, moxque surgens domum se confert ;

Paschalis. Quibus dictis venit ad socium, adhuc D tremens et sanguinem ore emittens. In hunc ergo cum rursus inspiceret Josephus, dixit ei Victorianus ; Nihil hoc est, amice, quia liberavit me S. Paschalis. Post hæc, collectis quos decerpserat fructibus, ambo conscenderunt equos, redieruntque in civitatem.

EX ITAL. D'ARTA.

ubi gravius quam ante periclitans,

141 Jamque ad domum Victoriani venerant, cum hic descendere ex equo volens, omnibus membris impeditum sese comperit, rursumque sanguinem cœpit ore fundere. Exceptum ergo brachiis domestici sui detulerunt in lectum, vocaveruntque medicos : hi vero totum crepuisse dicentes, vix ullam spem vitæ reliquam faciebant, tam ipsi quam uxori, S. Paschalem continuo invocantibus. Tum aperta ei vena fuit ; tentatumque an posset ova duo sorbilia sumere in cœnam : sed frustra ; eoque in statu biduum mansit, nec movere quidem se valens in lecto. Hoc ille videns, familiæque sua causa afflictæ compatiens ; Sancte, inquit, Paschalis, quandoquidem servasti me, ne ipso in lapsu totus confringerer ; serva nunc etiam mihi vitam, et redde sanitatem. Sic precatus dormivit usque mane, quando ingredienti ad se uxori, et, qui valeret, interroganti, respondit : Bene : quia B. Paschalis me sanavit. Da mihi vestes : volo enim surgere, et in ejus capella Missam audire. Nec potuit prohibere uxor, bis E terve dehortata, ne faceret. Egressus autem domo sua est ipso eo tempore, quo conveniebat Magistratus loci ad subrogandum pro eo Capitaneum, qui militum cohortem duceret versus Dertusam a Francis obsessam. Stantes ergo Domini isti in podio palatii publici, indeque prospicientes Victorianum progredi Conventum versus, eum ad se vocaverunt, et cur convenissent indicaverunt : qui respondit ; Cum bona vestra venia, Domini, munus mihi commissum exequar : sicut et fecit post biduum stupentibus omnibus ; ipse vero ad agendas suo Liberatori gratias se contulit. Addit porro, quod cum sociis aliquot ex curiositate abierit ad locum ubi ceciderat, repererintque terram, in quam capite prono lapsus erat, pro ejus mensura cavam ; pinum autem quadraginta sex pedes Valentinos, qui pares Romanis sunt, esse altam : quod etiam duo ejus socii hodie superstites contestantur.

subito sanatur per S. Paschalem.

Puer precibus a Sancto impetratus

142 Cum Petrus Olivet et Catharina Altabella, habitantes in Quartegli vallis Sego inter Valentiam et Villam regalem, conductumque haberent F molendinum quod Fontis dicitur, a dicto Quartegli loco medio leuca distans ; ivit Catharina ad visitandum sepulcrum B. Paschalis ; et quia de miraculis ejus multa inaudierat, dum audiendæ Missæ intendit cum eo devote colloquens sic effata est : Benedicta sit mater, quæ talem filium peperit : si ego etiam imprægnarer et filium parerem, Paschalem nominarem. Jam pridem illa sterilem experta se erat, et prolem porro concipiendam desperare faciebat ætas quinquagenariæ proxima : nihilominus intra decem menses filium peperit, appellatumque ex voto Paschalem, mox atque gradi cœpit, habitu induit Franciscano : quem ipsi reliquit usque in annum sextum ætatis, et exuit quodam sabbato anni MDCLXI. Tunc accidit, ut illa sedente et nescio quid operis faciente, circa portulam unde erat despectus in canales, per quos aqua ad rotam fertur, assideret super fimbrias ejus puer Paschalinus : viditque inter duos canales, ab ea parte qua aqua infunditur, venire annorum circiter tredecim puerum, nomine Matthiam Guimet, botros aliquot uvarum ferentem, petiitque ut sibi unum daret. Annuit ille, et surrexit a sinu matris parvulus, seque supra labrum canalis inclinans, manumque ad Matthiam, qui botrum alteri labro assistens porigebat, extendens, ab eodemque

EX ITAL. D'ARTA

vi aquæ sub molendinum raptus

A eodemque manum jociculariter retrahente deceptus, fallente inter conatum apprehendendi vestigio, decidit pronus in eumdem canalem, et versus rotam aquæ decurrentis impetu volvebatur. Mox Matthias ad matrem exclamans: Domina, inquit, Paschalinus subter rotam fertur. Quibus auditis illa, tunc forte vultum habens conversum ad eos qui fruges suas immittebant molæ, surrexit, ac versus canalem cucurrit, identidem ingeminans, S. Paschalis, nunc ut me juves tempus poscit. Stabant ad molam tunc forte agricolæ duo, iisque commolito eorum tritico successurus Baptista Ferrer, oppidi Almanerensis organista; quorum unus, nomine Michael Migarro, manum immisit in aquam canalis, duxitque versus orificium ejus, si forte inter angustias suffocatus puer adhuc hæreret: sed eo non invento, regressus in domum est. Interim alius, Michael Guallart nuncupatus, egressus per alterum ostium fuerat, versus eam partem qua rota circumvoluta aquam ejicit, ut comminutum saltem corpusculum exciperet: quem qui domi remanserant viderunt redeuntem cum puero, quem manu ducebat, nil læsionis passo. Occurrens mater excepit eum ulnis, et dixit:

illæsus excipitur:

B Fili, quomodo tantum evasisti periculum? Respondit puer; Numquid non ibi adstabat quidam Frater? Idemque responderat interroganti Michaeli Guallart, qui exiens ut eum requireret, invenit eum ad labrum ipsius aquæ; nec aliud scivit addere, quam Religiosum istum similem fuisse Fratribus, qui ex Villaregali solebant domum suam venire.

143 Minus fortasse eum feriet hic casus, qui non viderit istiusmodi molarum Hispanicarum formam, cujus propterea delineatio expressa cernitur in processu, sed non est æque facile ipsum etiam hic exhibere: itaque hoc solum addam, quod coram Dominis Episcopis, Judicibus remissorialibus, Suppromotore fidei, Notario, Apparitoribus, aliisque, dixerunt viri tres, deputati ad locum molamque inspiciendam, et ex ejusmodi oculari notitia pronuntiandum, quid sibi videatur de casu isto. Hi ergo post præstitum juramentum et alia in similibus consueta, asseruerunt, liberationem istius pueri triplex miraculum comprehendere. Primum, quod non sit suffocatus inter angustias canalis, per quas aqua versus rotam descendit spatio palmorum undecim; sic ut ille superne quidem non plus quam duos et medium palmos pateat, inferne vero vix quatuor digitos, ut tanto majorem impetum cadens imprimat rotæ. Alterum, quod si aquæ forsitan tantus impetus fuerit,

in quo triplex miraculum deprehenditur.

C ut puerum ultra istas angustias extra canalem effuderit (quod ipsum tamen impossibile est, impedientibus id transversis lignis, quæ cratis instar a labro ad labrum ductæ latera continent ne divellantur) tunc nihilominus cadere supra rotam debuisset ille, penitusque confringi. Tertium, quod in subtus currentem fossam, quæ ut minimum habet aquam palmos quatuor et medium profundam, a rota devolutus puer (si devolutus eo usque est) non modo non fuerit suffocatus, sed neque guttam deglutierit, neque conterritus sit. Atque in hunc modum Judicibus probata est veritas miraculi; maxime dum puer ipse, jam quatuordecim annos natus, et interrogatus quid fecerit Frater, qui apud ipsum erat, et quomodo vestitus fuerit, responderet, quod ceperit ipsum per manum, subduxerit periculo, ad illud fossæ labrum deposuerit, ubi eum invenit Michael Guallart præfatus, ibique benedictionem ei dederit, ac discesserit in habitu Fratrum S. Francisci. Accedit quod testes isti notent, rem factam in instanti: cum puer egressus sit plus quam ad quadraginta quatuor palmos longitudinis de sub domo, ad locum ubi repertus est; quodque sex illæ personæ, quæ tunc in molendino erant, omnes adhuc fuerint in vivis, et iis

D quæ viderant attestati sunt; nec non ipse puer, qui lapsui causam dederat, post annos octo deponens quæ sciebat.

144 In oppido Yli dicto vivit agricola, per quam honestus ac probus, sedecim leucis ab urbe Valentina, dictus Dominicus Perez: qui gravissimo stomachi dolore laborans, eo diu tolerato, commendavit se B. Paschali, venit ad visitandum sepulcrum, sanus domum rediit, Sanctoque deinceps tam devotus extitit, ut ad ejus imaginem domi suæ magna in tabula pictam, foveret lampadem continue ardentem, aliaque plura grati affectus signa exhiberet. Hic campum possidet tribus ab oppido suo leucis inter proxima montana versus meridiem, in quibus montanis per spatium sex leucarum in longitudine, nulla unquam visa est aqua currere, extra illam quæ certis in puteis ex pluvia colligitur, ad pedem montium per distantiam milliaris unius effossis in rupe: quos si contingeret exiccari, necesse erat aquam illuc jumentorum tergis ex oppido subvehere. Talis cum loci natura sit, accidit ut anno MDCLXI, qui aquarum egentissimus fuit, supra hominum seculi hujus totius memoriam, in regno quidem Valentino universo, sed maxime in montanis istis, ubi triennio toto non pluerat; accidit, inquam, ut non solum isti putei prorsus aridi essent, sed etiam umbrosæ circa pedem valles, in quibus facilius aqua servatur. Interim in fluxu erat mensis Augustus, et fruges suas, quamvis raras ac paucas colligebat Dominicus, multum solicitus, tam pro hominibus quam jumentis, quorum opera utebatur, magna siti pressis. Ergo sumpto in humeros ligone abiit aquam quæsiturus in nomine B. Paschalis, quem meminerat, dum adhuc pastor esset, elicuisse fontem aquæ.

In aridis montanis

E

145 Vidit hoc ejusdem pagi rusticus Thomas Guillen, qui juvabat illum, et flagello granum excutiebat in area; Dominicumque sic euntem interrogavit, quo iret. Respondit Dominicus; Pater Paschalis nobis de aqua prospiciat. Cui Thomas arridens: De aqua? nulla abhinc usque ad mare invenitur. Quæ insania! Dominicus nihilominus; Habete, inquit, fiduciam in B. Paschale, quod nobis et nostris jumentis aquam sit daturus. Et hæc dicens ad montis superiora conscendit atque intra se ait: Pater Paschalis, respice præsentem necessitatem: tu nobis sucurrere debes. Cumque processisset ad passus circiter quingentos a tugurio, ad sementem faciendam erecto; substitit in loco eadem cum fiducia: oculisque in omnem partem circumactis, et cuncta æque

fons erumpit:

F sicca inveniens, neque discernens in quam partem potius ligonem immitteret; eumdem sustulit, dicens, In nomine Dei et Patris Paschalis, permisitque cadere ut fors tulit: atque eodem instanti admirabundus vidit scaturire aquam, cui excipiendæ fossam fecit, plenus jubilo ad mapale rediturus. Non poterat gaudium simulare vultus: quare sic lætum videns Thomas; Quid boni, inquit, refers Patrone? Annuntio, reponit Dominicus, gaudium magnum, quia jam nobis aquam dedit B. Paschalis. Nugæ, inquit alter. Immo ipsa veritas, ait Dominicus. Tunc simul subeuntes ad locum, invenerunt fossam aqua plenam, et ultra labrum exundantes latices ad inferiora defluere. Mansit ad hæc attonitus Thomas, nec minus admiratione repleti sunt cuncti accolæ: quorum beneficio fons ille usque hodie fluit, devotionemque erga Sanctum auget, usque eo ut ibi nunc ædificata sit sumptuosa capella.

146 Miraculum hoc magis conspicuum reddunt circumstantiæ plures, quales aliquas hic notandas censeo. Anni plusquam octo præterierant, quod istud Dominico Peres accidit, quando deveniendum ad probationem fuit. Postquam igitur Illustrissimi Judices Apostolici examinassent ex fide dignioribus istius

A istius loci testes sex (quomodo etiam potuissent singulos illius et circumjectorum locorum incolas examinare) constituerunt ut totum suæ Audientiæ ministerium ad fontem miraculosum acccederet, ad ejus situm qualitatemque delineandam, electis ad hoc peritis mathematicis duobus, quorum unus fuit P. Josephus Zaragoza Societatis Jesu, quem non verebor primis Hispaniæ nostræ ingeniis adnumerare; alter Doctor Ludovicus Cambres, Magister ceremoniarum in ecclesia Metropolitana Valentina, publicus in ea universitate Mathematicarum disciplinarum Lector. Hi ergo una cum Subpromotore, Notario, et Apparitoribus, mecum ut causæ Procuratore aliisque nonnullis, discesserunt Valentia octo diebus ante Natalem Domini, non sine magna sua admiratione, quia calor erat qualis mense Augusto: et nihilominus quando Valentiam redire cœpimus, in vigilia ejusdem Dominici Natalis, invenimus per montana ista nivem duos palmos altam. Quod sane animadversione dignum nobis est visum: si enim prius ibi ninxisset aut pluisset, impossibile fuisset formare judicium quod optabatur.

situs loci a Mathematicis examinari jubetur:

147 Cum autem ad oppidum Ybiense appulimus B primum, eram ego solicitus admodum ubinam decenter facerem hospitari tot meæ Commissionis socios: sed laborandum nequaquam fuit. Tanta enim fuit omnium in nostro adventu lætitia, ut incolarum præcipui quique certarent, quis potissimum aliquos ad domum suam deduceret. Proxima autem die digredientes ad fontem videndum, multitudo plurima sit comitata. Ibi condita sunt instrumenta ad judicium necessaria, ibi suas Mathematici dimensiones delineationesque fecerunt. Ad certiorem autem miraculi cognitionem mandatum est, ut quatuor in partibus, infra supraque fontem prædictum et ex utroque effossa humus exploraretur, an scaturigines ibi aliquæ essent. Accessit testimonium maxime senum et expertorum, sancte affirmantium, quod neque ibi neque in toto isto colle vidissent, non dico scaturientem aquam, sed nec vestigium quidem alicujus qui istic aliquando fluxerit torrentis: fontem vero illum a suo principio neque auctum aliquando neque minutum fuisse, quantacumque esset pluviarum copia raritasve, contra quam in puteis solet accidere. Addebant, in ea aqua neque herbam nec animal ullum fontibus familiare crescere: apparebatque tellus sicca minimeque argillosa, quæ a superficie usque ad fundum, ad humani corporis staturam excavata, præstantem continebat aquam, B. Paschalis nuncupatam: C quam quia miraculosam esse communis erat fama, devotione maxima undique petebant infirmi. Addo ego, quod dum miraculi magnitudinem expenderent aliqui, dixerit Thomas Guillen: Domini, nolite mirari: quia Dominicus Perez tanta cum fiducia discessit e mapali, ut si lapidem quemvis percussisset, eliciturus fuerit aquam. Quæ verba, ex ore rustici profecta, haud parvam admirationem merentur.

fontis aqua nec crescit nec decrescit.

CAPUT XIV.

Alia quatuor miracula, ex secundo processu desumpta.

Valentiæ in domo Josephi Marti, ex prædicto Ybiensi oppido, erat nobilis quidam........ Cortes dictus, maritus Isabellæ. Horum filius sesquiannum natus, lapsus ab altitudine duodecim palmorum, a genibus ad talos pedum paralyticus mansit, tibiis penitus arefactis, ut quibus præter pellem et ossa nihil esset, et solis utens manibus, miserum corpus trahebat per terram. Susceperat eum quidem curandum medicus Universitatis, sed post quindecim menses frustra insumptos dimisit qualem invenerat, D atque parentibus dixit, non nisi per miraculum posse curari. Nihilominus illi, ne quid sua ex parte intentatum dimitterent, adhibuerunt alium medicum, Doctorem Josephum Ybanhez, qui etiam ipse laboravit in vanum anno uno ac mensibus novem. Afflicti tam infelici successu parentes, post annum plus quam dimidium iterum cogitaverunt de remedio, sed quod esset humano potentius: et filium initio Maji anni MDCLXIX commendaverunt B. Paschali, cui promiserunt ipsum habitu sui Ordinis induere et Novenam ei facere in capella, intra ecclesiam Oratorii S. Philippi Nerii erecta. Hoc cum fecissent, rursum XVII Maji; die festo ipsius Beati, in eadem capella communicarunt: acceptaque imagine impressa, quales devotus Sacerdos ibidem distribuebat, domum redierunt. Ubi invento Dionysio suo (id scilicet nominis puero erat) corpus per aulam trahente, pater, imaginem ei porrigens, dixit: Dionysi, iste est S. Paschalis, ora eum ut det tibi tibias. Qui mox balbutiente lingua, idiomate Valentino dixit, San donaume camer. Obstupuit pater ad has filii voces, dixitque intra se; O benedicte Paschalis! Quid si E per tuam intercessionsm sanetur hic puer? Ipsumque manu elevans et pedibus insistere videns (id quod triennio toto nequiverat) dimisit eum trementem, et dixit: Eia, fili mi Dionysi, ambula et veni ad me. Qui eodem momento ambulare cœpit, et prægredientem patrem sequi: brevi autem sanatus est integre, succrescente ad tibias carne, cum singulari omnium etiam medicorum qui ipsum curaverant admiratione, uti ex eorum depositionibus constat: quare etiam videre puerum Judices voluerunt, videruntque habitu Franciscano vestitum.

Tibiæ paralyticæ, plus biennio frustra curatæ,

EX ITAL. D' ARTA.

subito gressum moliuntur.

149. Nihilo minori miraculo servatus est ibidem Valentiæ triennis filiolus Julii Capuz sculptoris, eodem ipso anno mense Aprili. Erat hic in platea, quæ Tarazenalis dicitur, ad ingressum areæ ante conventum Prædicatorum, quando illac transiit currus rotarum quatuor; mulisque recalcitrantibus, sub eorum pedibus prostratus est; multis quidem præsentibus et accurrentibus (erat enim hora post meridiem quinta) nemine tamen impedire valente, quo minus obtritum calcibus corpus etiam rotarum una transiret medium: unde de ejus morte dubitabat nemo. Hæc videns, qui etiam præsens aderat, Joannes quidam Ramirez, sumptum inter brachia puerum detulit ad matrem; interim dum pater, qui in conclavi ad plateam operis aliquid designabat, audito F vulgi strepitu atque clamore dicentium, quod filius Julii Capuz a carro esset oppressus, nihilque aliud inde conjiciens, quam quod plane confractus esset, oculos sustulit ad impressam B. Paschalis imaginem, cui specialiter devotus erat, et dixit; Sancte mi, miserere mei et filii mei. Eodemque instanti audivit pulsum unum ex prædicta imagine; unde pectori suo tantæ confidentiæ increvit affectus, ut nihil solicitus descenderit in atrium, ubi uxor sua coram populo multo puerum tenebat brachiis. Attenteque inspiciens eum, quem credebant mortuum, ostendit vivere, et quidem nulla parte læsum; licet clavorum rotæ infixorum vestigia adhuc in carne tenella cernerentur. Denique stupentibus omnibus explicuit sese de manibus inspicientium puer, rursumque in plateam ad lusum se contulit.

Equi calcibus et rota obtritus puer ac pro mortuo habitus

mox sine læsione lusum repetit

150 Die XIII Novembris anni MDCLXVIII. Licentiato Francisco de Vargas, Parocho loci Corralrubio dicti, in territorio civitatis Chinchillæ in regno Murciæ, accidit, ut hora post meridiem prima securiculam accipiens, ad formandam clavam juncis marinis molliendis servituram, tertio ictu sic feriret manum suam sinistram, ut grandem sibi plagam infligeret; quæ a junctura medii digiti usque pollicem ducta

EX ITAL. D. ARTS. Digitus fere amputatus

(A) ducta indicem fere totum præciderat, ex pellicula tenui utcumque pendentem, quia usque ad palmam penetraverat ferrum. Ad exclamantis Parochi vocem accurrit agricola, Martinus Simarro dictus: viditque quod una manu alteram læsam tenens diceret: Adjuva me, Sancte Paschalis, qui pauper Presbyter sum, et si digitis caruero vivere non potero. Ad agricolam vero conversus aiebat; Domine Martine, ego meipsum mutilavi. Militaverat Martinus in Ducatu Mediolanensi atque in Belgio per annos duodecim, affirmavit tamen quod omni vita sua non viderit plagam, ex qua sanguis tam copiosus proflueret, adeo ut præ horrore tam cruenti spectaculi pene ipsemet exanimaretur. Hunc ergo tam consternatum videns Parochus; Animum, inquit, resume, Martine: quamvis enim inciderim mihi digitos, tamen in Deo et B. Paschale confido, quod nullam inde noxam retinebo: dum enim Sanctum invocavi, et sepulcrum ejus vovi adire pedes, eleemosynas in pauperes distribuendas mendicans, cessavit mihi dolor omnis. Tanta Parochi confidentia animos revocavit agricolæ: qui nihil inveniens quo sanguinem sisteret, contrivit pistillo carbonis aliquid, et cum panniculis quibusdam applicuit plagæ. Quamvis au-(B)tem nihil doleret læsus, jussit tamen exutum vestibus in lectum poni; atque ex Chinchilla accersiri chirurgum, licet ipse factum id nollet.

151 Advenit chirurgus, Josephus Picazo nuncupatus, sub mediam noctem, cum jam dormiret Parochus, tam bene cœnatus eo vespere ac si nihil mali passus esset; et coram ipso Martino discooperuit plagam, multum admirans, quod cum ea tum grandis esset et in parte tam periculosa, ubi necesse erat incisos fuisse nervos, arterias, venas atque tendones; non tamen ab eo proflueret gutta sanguinis; quamvis non nisi violenter abstrahi potuerint fasciæ, concreto sanguine quasi agglutinatæ manui ipsi. Jussit deinde ut moveret digitos: quod cum faceret, non satis seipsum capiebat chirurgus, certo cognoscens quod plaga usque ad palmam penetrarit; dixitque: Domine Paroche, nihil hoc erit. Tum ille cum ferventi exclamatione respondit: Ergo digitos, quos ipse mihi incisos vidi, sanavit S. Paschalis. Benedictus sit Deus. Idem dixit etiam Martinus: chirurgus autem primam curationem vulneri adhibuit ipso in loco, jussitque, ut quoniam nullo alio symptomate prohibebatur Parochus læsus, Chinchillam se transferret, meliori cum commoditate curandum. Paruit Parochus: sed deinde con-(C)siderans solidata esse ossa, et nihil molestiæ se pati a vulnere, quantumvis ipsum videbatur grande; decrevit, omissa ulteriori curatione, ei ipsam committere qui cœperat. Neque spes sua eumdem fefellit: quia tertio inde die potuit Missam celebrare, et intra quindenam plane sanatus fuit, absque eo quod vulnus interea temporis aut puris aliquid formarit, aut medicamento ullo clausum fuerit. Ad quæ omnia, præter chirurgum, alii quatuor testes jurati accesserunt.

nulla curatione adhibita coagmentatur manus.

152 Anno MDCLXIV cum ab itinere quodam domum reverteretur Don Joannes Tremon Presbyter, Deniensis civitatis inquilinus, una cum suo sororio Josepho Botin, exilit e dumetis quidam, et ab intervallo exiguo sclopum explosit in D. Joannem; qui invocato B. Paschale in auxilium de equo corruit, quinque glandibus percussis in pectore, et mortuus ex judicio sui sororii. Hic vero eum elevans, vestesque dissolvens, nullum in corpore vulnus reperit; thoracem vero inspiciens excutiensque, juxta imaginem B. Paschalis ei adsutam, invenit glandes quas dixi quinque contusas planasque, veluti si malleis subactæ forent. Admiratus successum etiam ipse Joannes, sororio suo suasit ut esset Paschali devotus, et ei exemplo suo per annos multos (D) usitato quotidie recitaret quinies Pater et Ave, atque imaginem curaret secum semper gestare. Deinde regressus in civitatem alteri fratri, similiter Sacerdoti, casum totum narravit; et die postero ad nostrum conventum veniens, post sacrum in capella B. Paschalis celebratum, omnia accurate exposuit Vicario Foraneo Doctori Hieronymo Vives aliisque amicis, ostendens eis plumbeas glandes, easque pro reliquiis apud se semper habens in bursula usque ad mortem, quam etiam hodie simili cum reverentia gestat ejus frater. Propositum miraculum hoc etiam fuit Judicibus Apostolicis, sed propter absentiam Josephi Botin, qui tamquam testis de visu expectandus putabatur, non statim insertus Processui, quo, prius quam iste reverteretur, excepta sunt tamen trium testium fide dignissimorum dicta.

Quinque glandibus e sclopo ictus non læditur, ipsis quasi malleo planatis.

153 Finem narrandis miraculis imponens, unum addo, quod mense Martio anni MDCLXV contigit apud Castellionem planitiei, in filia Leonardi Robira et Miræ Poades, latere sinistro paralytica, sic ut trunci instar jaceret in lecto, nihil proficientibus medicinis. Huic Don Petrus Ascentius, Vicarius loci qui Codos dicitur, suasit ut cum suis parentibus ad auxilium B. Paschalis recurreret, cum voto (E) visitandi sepulcri. Factum id erat feria quinta die III Martii: et sequenti die experrecta puella integre sana, magno cum gaudio desilivit de lecto, cœpitque per totam domum discurrere, quæ totis quatuor mensibus per se moveri non potuerat. Statim vero votum factum impleverunt parentes, Villam-regalem venientes per occasionem, quod P. Fr. Antonius Panes concionator eodem ibat ad eumdem finem, qui refert, quod ipsis sacrum dixerit, et puellam oculis suis viderit.

Paralytica sanatur.

CAPUT XV.

De Beatificatione Paschalis et actis in causa Canonizationis usque ad an. 1672.

CAP. XXII. Studium multorum in promovendo Paschalis honore.

Ad extollendas B. Paschalis prærogativas haud parum facit, quod causa Beatificationis atque Canonizationis ejus processerit tam celeriter, ut intra annos tredecim conclusa sit; honori Paschalis mirum in modum favente Paulo Papa V cum multis Eminentissimis Cardinalibus, et Rege Catholico Philippo III instante, cum primo Ministro suo Duce (F) de Lerma, aliisque Prælatis atque Capitulis variorum Regnorum et Civitatum, suæ Sanctitati ad eumdem effectum supplicantibus. Quam autem serio id egerint omnes, ne singulis referendis prolixior evadam, vel solius Regis epistolæ ad Pontificem satis declarabunt. Prima ad S. Laurentium expedita, die I Novembris MDCVIII hunc continebat sensum. Sanctissime Pater. Scribo Marchoni de Aytona, Legato meo, ut meo nomine supplicet Sanctitati vestræ, in eum quem ipse explicabit finem, circa Beatificationem et Canonizationem Fr. Paschalis Baylon Discalceati ex Ordine S. Francisci, motus miraculis, quæ Deus quotidie operatur per ejus merita. Rogo Sanctitatem tuam, ut placeat eum audire, eique fidem dare, condescendatque petitioni tam justæ, quæ magnum Dei obsequium continet: ob quam etiam causam, et quia ipse singulari devotione me ferri profiteor erga istum Dei servum, accipiam istud pro singularissima gratia et beneficio Sanctitatis vestræ; cujus personam Dominus noster conservet, ad felix et prosperum regimen universalis Ecclesiæ.

Litteræ Philippi tertii de eadem re binæ ad Pontificem.

155 Altera hujusmodi fuit, indidem data V Junii anno MDCXIII. Sanctissime Pater. Quamvis alias scripserim Sanctitati vestræ in ordine ad Beatificationem

A nem et Canonizationem sancti Fratris Paschalis, Provinciæ S. Joannis Baptistæ in regno Valentiæ; adeo tamen desidero digno honore affectam videre vitam ejus exemplarem, tot miraculis ornatam, quæ Dominus noster operatus est ad ejus intercessionem jam mortui, unde indies crescit devotio, quæ in his regnis erga ipsum habetur; ut voluerim de novo Sanctitati vestræ pro eadem causa supplicare, affirmando quod recepturus sim singularissimum favorem et gratiam: quemadmodum prolixius testabitur Sanctitati vestræ Comes de Castro, ad quem me refero. Dominus noster conservet Sanctitatem vestram; ad bonum et prosperum regimen suæ universalis Ecclesiæ. Anno rursum sequenti MDCXIV,

Item tertiæ.

XXII Maji ex Aranguez scribens, ita loquitur Rex. Sanctissime Pater. Scribo Comiti de Castro, Oratori meo, ut nomine meo supplicet Sanctitati vestræ pro acceleranda expeditione causæ Beatificationis et Canonizationis Fr. Paschalis Baylon, laici Discalceati Provinciæ Valentinæ, quæ ab annis aliquot tractatur in Aula ista, propter multas et justissimas rationes ad hoc concurrentes, et potissimum propter grande obsequium quod fiet Deo, quemadmodum
B minutius explicabit Legatus meus Rogo Sanctitatem vestram humiliter, ut placeat eum audire, eique fidem dare et condescendere supplicationi meæ: quod propter præsignatos respectus suscipiam pro favore et gratia singulari vestræ Sanctitatis, cujus sanctam personam Dominus noster conservet, ad prosperum et felix regimen suæ universalis Ecclesiæ.

156 Neque his contenta Majestas sua, curabat etiam instabatque ut media, ad finem istum cito consequendum necessaria, maximeque proportionata et efficacia expedirentur: quemadmodum intelligi poterit ex epistola, quam eadem Majestas dignata est scribere Reverendissimo Patri Generali, qui tunc toti Ordini præsidebat, his verbis. REX. Reverende et devote Pater Generalis Ordinis S. Francisci. Intellexi in quam bono statu inveniatur Beatificatio Sancti Fratris Paschalis, amoremque et benevolentiam quibus Sanctitas sua amplexatur hoc negotium. Scio equidem multiplices causas ac rationes, quæ eodem concurrunt, quodque non solum opus piissimum sit, sed vestra etiam maxime referat: tamen propter particularem devotionem, quam profiteor erga istum servum Domini nostri, et propter magnam consolationem quæ ex Canonizatione tali proveniet omnibus, volui efficaciter tibi injungere, quod et facio, ut ex vestra parte studeas negotium sic

Quartæ ejusdem ad P. Generalem.

C dirigere, suggerendo ipsum meo nomine Sanctitati suæ, quando judicaveris expedire, ut causa illa continuo suum cursum habeat, et ex omni parte perficiatur quod concupisco; et repræsentando singularem gratiam, quam eo facto recepturus sum Comiti de Castro Oratori meo. Cardinalibus Borghesio, Zapata ac Borgia jam ante scripsi, hoc eis particulariter commendando: ex quibus cognoscere poteris quo loco res sit; eorumque auxilio uti, quia in hoc magnum recipiam obsequium. Ex Prado, die XXIX Novembris MDCXIV.

EGO REX. Antonius de Horostigui.

157 Tam solicitæ Regis circa hoc negotium voluntati, testimonium grande accedit ab epistola Excellentiss. D. Ducis de Lerma ad eumdem Reverendissimum Patrem his verbis. EX PARTE REGIS. Reverendo et devoto Patri Generali Ordinis S. Francisci. Sua Majestas tantopere desiderat terminatam videre Beatificationem sancti Fratris Paschalis; quod licet bene sciat in quam bono statu res sit, et quam benevola se erga ipsam ostendat Sanctitas sua; quodque, quia talis est opera, ipsam sic tractabit Reverendissima vestra Paternitas, sicut ejus qualitas exigit: nihilominus voluit vestræ Reveren-

Litteræ Ducis de Lerma ad

diss. Paternitati scribere epistolam quam videbis D
his adjunctam; Et quia mandavit, ut ego etiam idem faciam, et propter multas causas, quæ obligant ad desiderandam rem, tantopere conducturam ad Dei obsequium atque solatium omnium; supplico Reverendiss. vestræ Paternitati, ut satagat efficere id quod sua Majestas tanta cum efficacia injungit, per media quævis maxime conducibilia ad finem intentum, ut denique ad Canonizationem deveniatur. Deus conservet Reverend. vestram Paternitatem, quemadmodum desidero. Madriti v Decembris MDCXIV. Dux et Marchio Deniæ. Tam potenti cordataque solicitudine primo causa progressa est quemadmodum diximus. Cum enim proposita esset principio Januarii anni MDCIX, subsequentis Junii die XXII expeditæ sunt Remissoriales ad formandos Processus in genere, et ad formandos alios in specie aliæ die XXVI Februarii anni MDCXI. Quibus formatis, transmissis, examinatis, et discussis a sacra Congregatione Rituum, facta insuper Relatione coram Sanctitate sua, placuit huic sequens breve expedire.

EX ITAL. D'ARTA.

PAULUS PAPA QUINTUS

Ad perpetuam rei memoriam. E

In Sede Principis Apostolorum, nullis licet nostris suffragantibus meritis, a Domino constituti, piis fidelium votis, quibus fidelium Dominus in Servis suis honorificatur, libenter annuimus, eoque favoribus prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum Ministri Generalis, et aliorum Superiorum, nec non Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci de Observantia Discalceatorum nuncupatorum: nobis nuper expositum fuit, quod bon. mem. Paschalis Baylon, ejusdem Ordinis dum vixit professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum, ac miraculorum donis a Domino illustratus fuit; quapropter non solum universus Ordo prædictus, sed etiam carissimus in Christo filius noster Philippus Hispaniarum Rex Catholicus, ac dilecti filii nostri Franciscus S. R. E. Cardinalis Lermæ nuncupatus, nec non totius Regni Valentiæ Proceres, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec Canonizationis honorem, quem dicto Paschali Baylon ob ejus excellentia merita, aliquando divina adspirante gratia, habitum iri sperant, ab Apostolica Sede impetrent; idem Paschalis Baylon Beatus vocari, ac de eodem Officium et Missa, ut infra, recitari possit. Quare nos, re prius per Venerabiles F
Fratres Nostros S. R. E. Cardinales Sacris Ritibus Præpositos, quibus eam examinandam mandavimus, mature discussa; de eorumdem Cardinalium consilio hujusmodi supplicationibus inclinati; ut ipse, bon. mem. Paschalis Baylon in posterum Beatus nuncupari, atque de eo singulis annis die XVII Maji, quo obdormivit in Domino, a Fratribus ejusdem Ordinis in regno Valentiæ commorantibus, tamquam de Confessore non Pontifice, juxta Rubricas Breviarii et Missalis Romani, Officium recitari, et Missa celebrari, nec non in Ecclesia Fratrum ejusdem Ordinis oppidi Villæ-Regalis, in eodem Regno Valentiæ existentis, ubi ejus corpus requiescere asseritur, ab omnibus Presbyteris, tam secularibus quam regularibus, Missa, ut supra, similiter celebrari libere, et licite possit et valeat, Apostolica auctoritate tenore præsentium concedimus et indulgemus. Non obstantibus etc. Datum Romæ apud S. Mariam Majorem sub annulo Piscatoris, die XXIX Octobris MDCXVIII. Pontificatus nostri anni XIV.

Bulla Pauli V Pontificis de Beatificatione et cultu Paschalis.

159 His in Hispaniam atque in alias provincias perlatis, festum B. Paschalis celebrari cœpit ubique c XXIII.
maximo cum plausu et apparatu, maxime in regno

Valentino

EX ITAL. D'ARTA.

A Valentino, quem si quis describere vellet, integrum volumen facile impleret. Non potuit tamen vel ita satiari ardens desiderium eorum, qui B. Paschali se profitebantur obligatos, quin suas apud faventem Pontificem proveherent preces, ad magis latiusque extendendum cultum Beati : quibus obtentum est sequens Breve, expeditum die x Februarii MDCXX, Pontificatus XV, quod incipit : Alias pro parte dilectorum : et continuatur iisdem quibus supra verbis (quorum nihilominus tenor, præter contrariorum derogationem hic omissam, jubetur in præsentibus pro expressis haberi) deinde sequitur. Cum autem, sicut dictus Philippus Rex, ac dilecti filii Minister Generalis, nec non alii Superiores et Fratres ejusdem Ordinis S. Francisci de Observantia, Nobis nuper exponi fecerunt, ipsi pro eo, quem erga ipsum Beatum Paschalem gerunt, devotionis affectu, plurimum cupiant, concessionem et indultum, ac desuper confectas litteras hujusmodi ad universum Ordinem Fratrum Minorum S. Francisci de Observantia hujusmodi, ac etiam ad prædictum Villæ-Regalis, ubi ejusmodi B. Paschalis corpus requiescere, nec non Turris Formosæ Segontinæ diœcesis, unde idem B. Paschalis oriundus esse as- B seritur, respective oppido, per Nos, ut infra, extendi ; Nobis idcirco humiliter supplicari fecerunt, ut eorum votis in præmissis annuere de benignitate Apostolica dignaremur. Nos igitur de eorumdem Cardinalium consilio posterioribus hujusmodi supplicationibus inclinati : Concessum et indultum, ac desuper confectas litteras hujusmodi, ad omnes utriusque sexus Religiosos dicti Ordinis Minorum Regularis observantiæ, in Regnis Castellæ et Arragoniæ commorantes, auctoritate Apostolica tenore præsentium extendimus et ampliamus. Nec non ut in Villæ-Regalis, ubi ejusdem B. Paschalis corpus requiescere, ac Turris Formosæ, ubi idem Beatus Paschalis, ut præfertur, natus et educatus esse asseritur, Oppidis prædictis, ab omnibus utriusque sexus Regularibus, ac etiam Presbyteris et Clericis secularibus, de eodem Beato Paschale, juxta Rubricas Breviarii et Missalis Romani, hujusmodi de communi Confessoris non Pontificis Officium recitari et Missa celebrari respective valeat, auctoritate et tenore prædictis concedimus pariter et indulgemus.

Alia ejusdem Bulla de amplificatione cultus.

160 Obiit porro sanctæ memoriæ Paulus Papa Vanno MDCXXI die XXVIII Januarii, et successit ei C Gregorius Papa XV die IX Februarii : qui sufficienti notitia prærogativarum hujus causæ instructus, post Officii recitandi privilegium universaliter ad totum Ordinem extensum, progressus in ea est; visisque secunda ac tertia vice in sacra Rituum Congregatione atque per tres congressus approbatis miraculis quatuordecim, tanto cum successu, ut unus præcipuorum Cardinalium exclamans dixerit; A seculo non est auditum tale; expeditum est denique etiam hoc decretum die V Martii MDCXXII. Cum sacra Rituum Congregatio causam Canonizationis B. Paschalis Baylon, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ Discalceatorum provinciæ S. Joannis Baptistæ in Hispaniarum regnis, a felic. record. Paulo Papa V tribus Rotæ Auditoribus commissam, et ab eisdem mature discussam ad effectum ejusdem Canonizationis, referente Illustriss. Cardinali Bellarmino, approbasset; ac de Processu tam remissorialium et compulsorialium actorum, quam testium examinatorum validitate, deque ipsius Beati virtutibus, sanctitatis fama, Reliquiarum ac sepulcri veneratione, multis denique ac præclaris post ipsius obitum miraculis sufficientissime constare pronuntiasset; placuit eidem summo Pontifici, simul cum Beatificationis indulto, facultatem quoque recitandi de ipso, tamquam de Confessore non Pontifice, Officium Fratribus ejusdem Ordinis in regno tantum D Valentiæ commorantibus concedere. Cumque postea hanc recitandi Officii concessionem Sanctiss. Dominus noster Gregorius XV ad universum præfatum Ordinem extendisset, atque ad supplices ejusdem Ordinis instantias iterum huic sacræ Congregationi Causam dicti Beati ad effectum pariter Canonizationis demandasset; eadem Congregatio, referente Illustriss. Cardinali Boncompagno, omnibus iis, quæ ante Beatificationem ipsius examinata fuerant, iterum ac diligenter discussis censuit, posse Sanctiss. Dominum nostrum eumdem Beatum, quem Philippi III Catholici Hispaniarum Regis, et omnium fere Hispaniæ Procerum atque Antistitum preces Sanctum atque in cœlis regnantem declarari postularunt, solemni Canonizatione quandocumque voluerit universæ Catholicæ Ecclesiæ proponere venerandum.

Decretum S. Cong. Rituum pro Canonizatione Paschalis:

Franciscus Maria Cardinalis a Monte.

Joannes B. Rinuccinus Secretarius.

161 Ad hunc usque gradum perducta erat causa, quando eam veluti in securo positam videtur ipse E Sanctus, pro sua etiam in cœlis humilitate, suspensam voluisse, et prærogativam cedere S. Petro de Alcantara, quem nostræ Provinciæ magistrum ac fundatorem venerabatur. Cum enim die XVIII Aprilis ejusdem anni, emanasset Breve Beatificationis B. Petri, suspensa est causa B. Paschalis plusquam ad viginti annos (quamvis ad hujus Canonizationem Urbanus VIII decrevisset procedere) rejectis supplicationibus eum in finem porrectis anno MDCXXIV et XXVI. Tandem anno MDCXLV misit Provincia Procuratores suos ad prosecutionem causæ; qui licet ea jam esset definitive conclusa, et etiam a Decretis Urbani VIII exempta, petierunt litteras Apostolicas Remissoriales ad probandum ea, quæ post Beatificationem successerunt, directas ad Archiepiscopum Valentinum et Episcopos duos. Formatus ergo secundus Processus est ab Illustrissimis Dominis Didaco Serrano Episcopo Segobiensi, et Hyacintho Minuarte Episcopo Manorcensi : qui licet maxime desiderarint quam optime demandatum sibi negotium dirigere, et Notarius causæ Vincentius Ayerve esset addictus Beato et in suo officio valde expertus; permisit tamen Deus intervenire errorem, humano judicio vix possibilem : prout constat ex Decreto sacræ Congregationis Rituum anni MDCLVIII.

Causa dilationis ejusdem:

162 Denique cum ego essem in hac Romana Curia propter alia Provinciæ meæ negotia, et jam jam F regressurus in Hispaniam, absque eo quod totis quinque annis operam aliquam ista in re posuissem ; anno MDCLXV consilia quædam circa eamdem iniens, inter alia accepi, ut curarem expediri novas Remissoriales ad nova miracula probanda et antiqua confirmanda. Et obtentum quidem decretum est statim, sed litteræ non prius expeditæ quam ego jam in Hispaniam revertissem. Dici porro non potest quot sese objecerint difficultates accelerandæ executioni ; donec tandem absoluta fuit S. Petri prædicti Canonizatio, ejusque festivitas terminata Valentiæ die IX Octobris anni MDCLXIX. Mox enim Remissoriales illæ litteræ præsentatæ sunt, processumque est tam feliciter, ut sine scrupulo dici possit, multa supra naturæ ordinem intervenisse, secundum judicium expertorum. Finitus denique processus est, Romamque allatus, et sacræ Rituum Congregationi oblatus, ac brevi quinque Decreta expedita. Horum ultimum fuit signatum II Januarii anno MDCLXXII, indicans, quod Sanctissimus Dominus noster Clemens Papa Decimus, ad preces P. Fr. Christophori de Arta, Procuratoris specialis in causa Canonizationis B. Paschalis Baylon, benigne annuit atque mandavit, ut in secunda

A secunda Congregatione sacrorum Rituum, habenda coram Sanctitate sua pro causa Beatificationis et Canonizationis, omnino proponatur dubium super miraculis de his, quæ supervenerunt post illius Beatificationem.

163 *Hactenus ille. Successit Christophoro in ejusdem negotii procuratione Fr. Hieronymus Taus. Hic rogatus eorum quæ consequenter acta erant historicam texere narrationem, nihil ultra promotum esse respondit, nisi quod impetratum sit finale pro Canonizatione facienda decretum hujusmodi :* Constituto in Congregatione sacrorum Rituum de cultu Beato Paschali Baylon, Ordinis Minorum Regularis Observantiæ Discalceatorum Sancti Francisci, auctoritate Apostolica exhibito ex Indulto fel. recor. Pauli V, deque validitate Processuum, super iis quæ post indultam Beatificationem supervenerunt rite confectorum; nec non de ejusdem Beati famæ sanctitatis et venerationis percrebrescentia; tandem in Congregatione habita coram Sanctissimo Domino Nostro Clemente Divina providentia Papa X, discussis plerisque miraculis, quæ Deus (qui facit mirabilia magna solus) intercessione Servi sui dignatus est operari, quædam ac sane celebriora, ad relationem Eminentissimi D. B Cardinalis de Maximis, ex unanimi Consultorum sententia et Eminentissimorum Dominorum Cardinalium sacris iisdem Ritibus Præpositorum suffragio, uti omnibus probationis calculis absoluta, comprobata fuerunt. Primum nempe Francisci de Bargas, cui index sinistræ manus securis ictu sibi præcisus, ut vix cutis particulæ cohæreret, statim consolidatis ossibus, et nervis, et cute, omnino validus restitutus est. Et quartum Dominici Perez Agricolæ, qui ope Beati implorata ad primum ligonis ictum, ex aridiori et prorsus infœcundo terræ situ, perennis et numquam vel excrescentis vel deficientis aquæ fontem exilire obtinuit, quo publica loci et armentorum calamitas fuit reparata. Quare peractis omnibus, quæ novissima fel. rec. Urbani VIII decreta exigunt, Sanctitas Sua, accitis iterum Consultoribus, eorum unanimem sententiam nec non Cardinalium suffragia probavit, tuto posse quandocumque deveniri ad solemnem Beati Paschalis Canonizationem, juxta ritum Sanctæ Romanæ Ecclesiæ et sacrorum Canonum dispositionem; eumque cum Deo regnantem in gloria Sanctorum, eorumdem Catalogo adjungere universali cultu colendum. Die xxv Septembris MDCLXXIV. D E

EX ITAL. D'ARTA.

F. M. Episc. Portuen. Card. Brancatius.
Bernardinus Casalius Sacr. Rit. Congr. Secr.

S. FABIUS MARTYR,

D. P.

AN ALIQUIS FÆSULIS IN ETRURIA.

Hujus reliquias Fæsulis esse et coli ait Ferrarius,

Fæsulæ, *celebris quondam Etruriæ urbs, titulum etiamnum Episcopatus retinet, et pristinæ fortunæ vestigia, amœno in colle templa ac cœnobia, villasque non ignobiles Florentinorum, quorum ei vicinitas exitialis fuit. Hic* in abbatia S. Martini colitur XVII Maji, S. Fabius Martyr, cujus isthic corpus asservatur, *uti auctor est Philippus Ferrarius in Catalogo SS. Italiæ, allegatis* illius Abbatiæ tabulis : sed quo tempore, *inquit*, sub quibus, quove in loco martyrium inierit, ignoratur. Acta etenim ejus desiderantur. *Subdit deinde, se, cum Fæsulis esset*, hujus sancti Martyris monumenta, si quæ aderant, pervestigasse; sed nihil præterea reperire potuisse. *Ejus meminit idem Ferrarius ex Catalogo* C *Sanctorum qui in Romano Martyrologio desiderantur, annis duodecim post priorem Catalogum edito.* Ex tabulis Ecclesiæ Fæsulanæ; *quasi jam prorsus oblitus Abbatiæ Martinianæ : asserens quod de eo in libro Sanctorum Ecclesiæ Fæsulanæ,* auctore Francisco Cattaneo Episcopo Fæsulano, fit mentio. *Eum nos librum non vidimus. Suspicamur autem, hunc eumdem fortassis* S. Fabium *esse, qui cum S. Anthimo Presbytero, aut post eum paulo, in Sabinis circa Forum-novum martyrio est coronatus, de quo* XI *Maji egimus. Sed nullum suppetit, quo conjecturam istam firmemus, argumentum.*

sed eum ibi esse notum negant Florentini et Fæsulani,

2 *Hæc olim scripserat Bollandus noster, gratificaturus Illustrissimo Fabio Chisio, Neritonensi Episcopo et Apostolicæ Sedis ad conventum Monasteriensem pro universali Europæ pace Legato Plenipotentiario, postea Alexandro VII Pontifici Maximo : qui vicissim operam suam Bollando volens rependere, notum sibi Florentiæ quemdam ex ordine Servorum Religiosum rogavit, ut quam diligentissime in prædicta inquireret. Paruit hic, et in hæc verba Italice respondit :* Quantum ad corpus S. Fabii attinet, certo laboramus in æquivoco. Egi hac de re cum omnibus fere urbis Florentiæ antiquariis et cum Cancellario Episcopatus Fæsulani; neque eorum aliquis invenit responsum idoneum ad Ferrarii assertionem firmandam. Imo Abbatia S. Martini, in tota Fæsulana diœcesi nulla est. Nostra S. Martini Parochia nullam ejusmodi Reliquiam habet; et alia S. Martini in Mensola, in qua coluntur XXII Augusti Reliquiæ S. Andreæ Scoti, est alterius Episcopatus. Vereor ergo ne Ferrarius, in nomine falsus sit, volueritque significare Abbatiam S. Bartholomæi Canonicorum Lateranensium, in qua sunt plura Sanctorum corpora; ac singulariter quinque, quorum (sicuti ex Abbate intellexi) ignorantur nomina : sed nec horum quisquam colitur XVII Maji.

3 *Talia, ut acceperat, ad Bollandum mittere mox curavit Legatus, addita epistola hac :* Communico nunc ea, quæ a Patre Ordinis Servorum Florentiæ, F antiquitatis studioso, ad me Missa sunt de S. Fabio Martyre : cujus Reliquias dum quæro Fæsulis, nusquam esse indolui. Utatur his Paternitas Vestra, si ad rem suam facere videantur : et quando scriptoribus fidere nequaquam et ubique possumus, videat an similia non præstet diligentius investigare, et mea utatur opera, qualem offero quacumque in re addictissimam. Valeat cum plenitudine Sanctorum, ac Nestoreæ fruatur vita, ut omnes ad piorum venerationem atque erudimentum in lucem proferat. Datum Monasterii Westphalorum, die XIX Januarii, MDCXLIX. *Dolenter sane ferimus, quod de religiosissimo Scriptore Ferrario, optima (ut omnino credimus) fide circa Sanctos versato, quem toties habeamus, in multis male informatum, aut conjectura non satis fundata usum, aberravisse a vero; eoque nos cogi ut ad ejus asserta singula hæsitemus, donec inveniatur certior auctor qui illa confirmet. Non tamen propter prædictum responsum Servitæ istius Florentini prætereundum* S. Fabium *judicassemus : majoris enim apud nos ponderis fuisset auctoritas Francisci Catanei Diacetii, a Ferrario (ut diximus) allegati, si revera constitisset nobis, quod tale quid ab eo sit scriptum : quippe qui, post patruum suum Angelum, Fæsulanam Cathedram Episcopus obtinuit ab anno* MDLXX *usque ad* MDXCV; *adeoque annis*

de illo tamen fidem faceret allegatus Franciscus Catanei

A *annis totis* XXX *prius obiit quam Ferrarius secundum Catalogum ederet : intra qnod tempus multa circa ædes et res sacras mutari potuerunt.*

si vere is Fabii meminisset.

4 *Cur ergo suo loco non posuimus Fabium? Causam dicam. Agit de Episcopo isto ejusque gestis satis prolixe Ughellus, materiam operis sui colligere exorsus Florentiæ, ubi natus diu vixit, et præcipua ejus circumjectarumque urbium monumenta accuratissima diligentia est perscrutatus; isto autem loco, id est tomo* 3 *Italiæ sacræ col.* 341, *de scriptis Francisci sic tantum habet,* scripsit de Augustissimo sanctæ Eucharistiæ sacramento homilias undecim, Hexameron libros sex : Hetrusce et eleganter edidit nonnullas suorum prædecessorum Vitas, insuper de auctoritate Papæ et Concilii, de superstitione artis magicæ : aliquot S. Ambrosii Episcopi opuscula vertit. *Ex quibus verbis aliud non possumus intelligere, quam inter cetera ejus opera editum anno* MDLXXVIII *libellum Italicum, sub hoc titulo,* Vita gloriosi Martyris S. Romuli, primi Episcopi Fæsulani, et aliorum plurium sanctorum Episcoporum successorum ejus, *scilicet* S. Alexandri, *de quo agemus* VI *Junii;* S. Donati ex Scotia, *pro* XXII *Octobris; et tunc solum* Beati, *nunc etiam* Sancti Andreæ Corsini, *cujus Acta illustravimus* XXX *Januarii.*

B *Atqui neque in jam dictis Vitis, neque in Dedicatoria prævia ad Franciscum de Medicis Magnum Ducem signata* IX *Maji, neque in subjuncta exhortatione ipso editionis anno* XIV *ejusdem Maji, facta ad Clerum in Synodo Diœcesana congregatum, uspiam mentio fit alicujus* S. Fabii.

5 *Restat igitur ut judicemus, Ferrarium, et in allegando Francisci libro* de Sanctis illius Ecclesiæ, *et in nominando ad hunc diem* S. Fabio Martyre, *erravisse, vero sed miro modo, eoque mirabiliori quod nec occasio quidem exerrandi ulla se prodat, ansam forsitan nobis præbitura ad occultam aliquam circa jam dicta veritatem eruendam e tenebris. Interim visum est operæ pretium hoc saltem loco exhibere lectori specimen nostræ circa res etiam minimas ac dubias diligentiæ, sane perquam laboriosæ; ut intelligat, classem illam Prætermissorum, singulorum dierum Actis præfixam post certos cujusque diei Sanctos, etsi paucissimis sæpe verbis prætermissionem excuset, majori plerumque opera confici, quam integros quandoque de certo aliquo Sancto commentarios; pervolutandis scilicet auctoribus, tam allegatis quam non allegatis; sed qui videbantur eodem forsitan aliquid collaturi; et scribendis ultro citroque litteris, cum fastidio utrimque minime levi, dum suo effectu studium conatusque frustrantur, et hoc solum post omnia scitur, sciri de re tota nihil.*

6 Ecclesia S. Martini de Mensola, *etsi alterius quam Fæsulanæ diœcesis nunc esse dicatur, id tamen quomodo verum sit est captu difficile ; invenimus enim* D *inter collectanea nostra ad Vitam S. Andreæ Scoti, pro* XXII *Augusti, exemplar epistolæ, anno* MDCXLVI *die* VI *Novembris ad prælaudatum Fabium Chisium, fortassis ab eodem Florentino Servita scriptæ, in qua dicitur, quod* ad pedes collium Fæsulanorum decurrit fluvius Mensula dictus, supra quod est ecclesia sub titulo S. Martini, quæ est Prioratus monachorum Casinensium, olim autem fuit Monacharum. *Eadem quoad situm habet Franciscus Diacetius in Vita S. Donati, cujus Andreas iste discipulus fuit, et in ea ex pervetusto codice ejusdem monasterii a Constantino Cajetano transcripta, clare dicitur :* Erat prope eamdem Fæsulanam civitatem, juxta fluvium Mensulam, quædam ecclesia, quæ in honorem S. Martini fuerat constructa, et a paganis combusta ; *et in alia, per Philippum Villanum Hetrusco sermone antiquo descripta, atque a D. Placido Puccinelli, scriptis librisque editis claro, nobis Latine reddita :* Erat ad radices collis ubi Fæsulæ vetustissimæ sitæ erant, juxta torrentem Mensulæ, basilica quædam etc. *Adde quod* Abbatiæ Fæsulanæ (*quæ circa medium seculi* XV *sub* E *S. Antonino Archiepiscopo Florentino translata est ad Canonicos Regulares, quæque tempore Villani circa annum* MCCCIX *adhuc erat* nigrorum Monachorum) *subjiciebatur iste* Prioratus S. Martini. *Monachis ergo illis jam fere extinctis, qui super erant, credi possunt, auctoritate ejusdem sancti Archiepiscopi, ad Florentinam sui Ordinis Abbatiam translati, cum ceteris suis possessionibus atque adeo cum jam dicto Prioratu : qui propterea nunc censeatur esse diœcesis Florentinæ, aut revera etiam sit per legitimam conventionem inter Episcopum et Archiepiscopum.*

Quæsitum in situm monasterii S. Martini.

7 *Non esset igitur hic multum culpandus Ferrarius, qui prius scripsit* apud Fæsulas in Abbatia S. Martini ; *postea autem dixit* Fæsulis in Hetruria S. Fabium coli: *si in dicta olim Abbatia, nunc Prioratu, talis Martyris aliqua inveniretur notitia ; pro qua denuo requirenda adivimus per litteras ad paratissimum nobis in ejusmodi casibus auxilium Illustrissimi eruditissimique viri D. Antonii Magliabechii; quærentes insuper de loco et situ illius Prioratus. Licet enim Fæsulæ ipsæ ad Boream sint respectu Florentiæ, diœcesis tamen eis subjacens ultra Arnum atque Florentiam versus Meridiem protenditur, sicuti apparet ex dictis* I *Maji ad memoriam S. Euphrosyni in loco Panzani : inter Florentiam et Senas diversa prorsus positura sito, ad Pesæ fluminis ripam dextram. De alio* S. Fabio Martyre, *cujus corpus allatum Romæ, Viennam Austriæ, agemus* XXI *Maji; simulque de aliis similiter illuc allatis variorum Sanctorum Reliquiis.*

Quomodo id nunc sit diœc. Florentinæ.

DECIMA

DIES DECIMA OCTAVA MAJI.

SANCTI QUI XV KALENDAS JUNII COLUNTUR.

Sanctus Venantius, Martyr Camerini in Italia.
S. Patamon Presb.
S. Hortasius Presb.

S. Serapion Presb., S. Pantheras, S. Dioscorus, S. Primus, S. Petecondus Diac., S. Cenronus, S. Dativus, S. Lucius, S. Maxima, S. Hermon Lect., Et iv alii, — Martyres Alexandriæ.

S. Euchus sive Effuchus,
S. Dioscorus Lector, Mart. in Ægypto.

S. Bustasius Presbyter, S. Patamon, S. Pantherus, S. Petegionus, S. Dierantus Lector, S. Dativus, S. Marcianus, S. Luciosus, S. Luciana, — Martyres Byzantii, nunc Constantinopoli.

S. Ægina, S. Cassius, S. Victor, S. Julianus, — Martyres.

S. Lucegia Virgo.
S. Euphrasia Mart. Nicææ in Bithynia.
S. Juliana Martyr.
S. Theodorus Episc., Martyr Romæ passus.
S. Potamion Episcopus in Ægypto Martyr.
S. Felix Episcopus Martyr Spellatensis.
S. Theodorus, Martyr Ancyræ.

S. Tecusa, S. Alexandra, S. Claudia, S. Phaina, S. Euphrasia, S. Matrona, S. Julitta, — Virgines Martyres ibidem in Galatia.

S. Sosander, Martyr Ancyræ.

S. Urbanus, S. Theodorus, S. Menedemus, Sancti lxxvii, — Constantinopolitani Presbyteri, Clerici, Laici, Martyres.

S. Sira, Virgo et Martyr in Perside.
S. Convallus Archidiaconus Glascuensis in Scotia.
S. Anastaso Leucadiæ in mari Ionio.
S. Quinibertus Salescii in Hannonia.
S. Merolilanus Martyr Remis in Gallia.
S. Algisa sive Elgiva Regina Angliæ.
S. Ericus, Rex Succiæ.
B. Guilielmus de Tolosa, Ordinis Eremitarum S. Augustini, Tolosæ in Aquitania.
B. Felix a Cantalicio, Capuccinus Romæ.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

Sanctus Ebertramus, Abbas S. Quintini, *refertur in MS. Kalendario Benedictino. Acta ejus dedimus* xxiv Januarii.

SS. Giordus et Peregrinus, in civitate Placentia, *indicatur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Acta* S. Peregrini *dedimus* x Februarii.

At qui sit Giordus *non liquet ; forte est* Gelasius, *cujus corpus una cum corpore* S. Peregrini *fuit reconditum: et de eo egimus* iv Februarii.

Mo-Domnocus de Fiprad-Fathna *indicatur in MS. Hibernico Tamlactensi. Colganus ait hunc eumdem esse* S. Modomnocum *seu* Dominicum Osorium, *quem et nos retulimus* xiii Februarii.

SS. Montanus, Lucius et Flavianus, et alii quinque Martyres, *proponuntur in MS. Florario. Sunt* Martyres Afri *a nobis relati* xxiv Februarii.

SS. Kineburga et Kineswitha, Virgines et Sorores, *indicantur in adjunctis a Curthusia Bruxellensi ad Grevenum. Acta illarum dedimus* vi Martii.

Epaphroditus, ex Septuaginta Christi discipulis, *refertur in MS. Synaxario et aliis MSS. Menæis, in aliquibus die præcedenti, ubi diximus nos de eo egisse ad Acta* S. Epaphroditi, *Episcopi Tarraconensis, die* xxii Martii.

Maiddocus de Fedh-duin in Ossoria, *in Calendario Cassellensi et aliis :* Momoedocus *in Tumlactensi : a nonnullis dicitur* Episcopus, *sed verius est* Abbas: *de quo agit Colganus, et nos cum illo, sed inter Prætermissos, ad diem* xxiii Martii.

Agapius, Timolaus, Romulus, Plæsius, Alexandri 2, Dionysii 2 — Martyres *relati a Galesinio, et quidem ut ait in Notis,* e tabulis Græcis ; *in his autem non hoc die, sed* xv *Martii referuntur : et loco* Plæsii, *est* Publius. *De iis cum reliquis Latinis egimus* xxiv Martii.

Hugo, monachus Walcellensis Ordinis Cisterciensis, *cum titulo* Venerabilis *indicatur in Martyrologio Menardi. De eo egimus inter Prætermissos die* xxix Mart.

Amphianus et Ædesius fratres et Martyres, *referuntur in Græcorum Menæis excusis. Sunt hi passi, non sub Marciano Imperante (uti ibidem legitur) sed sub Maximino: et* Amphianus, *potius* Apphianus, *colitur* ii Aprilis.

Ædesius *ejus frater* viii Aprilis.

S. Tetricus, Ep. Autissiodorensis, *memoratur a Ferrario. Acta ejus dedimus* xii Aprilis.

Fastredus, primus Abbas Camberonensis, dein Claravallensis

ravallensis, ac postea Cisterciensis, *cum encomiis late refertur a Bucelino, ac* Beatus *appellatur, atque etiam memoratur sequenti die; de cujus cultu nihil intelleximus, ac proinde remittimus ad diem, quo inter Prætermissos de eo egimus* xxi Aprilis.

S. Marcus, Episcopus et Martyr, *refertur in Auctario Greveni, at* Papa *dicitur apud Rabanum et auctorem Bedæ supposititii, item in MSS. Aquisgranensi et Coloniensi S. Mariæ ad Gradus.* Evangelista *dicitur in MSS. Augustano et Labbæano et Tamlactensi, et hujus omnino peculiaris aliquis cultus videtur hoc die fuisse in Anglia : nam Kalendarium Metricum tomo 10 Spicilegii Acheriani, quatuor solum festa in Majo notans, sic finit mensem :*

Ter quinis Marcus meruit pulsare Kalendis.

Consule quæ infra indicantur in Commentario de Martyribus Alexandrinis. De S. Marco Evangelista *egimus* xxv Aprilis.

SS. Maximus, Antonius et Hermes, in Luca civitate, *indicantur in adscriptis ad Grevenum in Carthusia Bruxellensi. Colitur* Lucæ S. Maximus, *et habetur* socius SS. Valeriani et Tiburtii, *uti dictum* xiv Apr. *At* S. Antonius Eremita xxvii Aprilis. *Verum quis* Hermes? *forsan is qui colitur* xxviii Aug.

Tato, Episcopus Ratisponæ, *indicatur in aliquo MS. Calendario Ordinis Benedictini. De eo inter Prætermissos egimus* xiv Maji.

S. Petrus, S. Dionysius, S. Christina Virgo, S. Andreas, S. Paulus, S. Benedimus, S. Paulinus, S. Heraclius, Martyres, *relati in Menæis Græcis et Novo Anthologio. Sunt hi in duas turmas dividendi: et loco* Dionysii et Christinæ, *legendum* Dionysiæ Virginis valde Christianæ. *At secundam turmam spectant tres ultimi, Athenis passi. Alii vero sunt Lampsaci coronati, uti diximus* xv Maji.

S. Euphrasius, Episcopus et Martyr Gienæ in Hispania Patronus, *refertur in Ferrarii Catalogo. Verum in Ordine recitandi divinum Officium, Madriti anno 1646 excuso, colitur cum aliis Episcopis, a SS. Petro et Paulo missis in Hispaniam,* xv Maji.

S. Eupuria, Virgo et Martyr Cajetæ, *indicatur a Ferrario in Catalogo Sanctorum Italiæ, qui dein in Catalogo generali refert eam* xvi Maji.

SS. Eraclius, Paulus, Aquilinus, et alii duo Martyres *indicantur in MS. Casinensi, in aliis omnibus* xvii Maji.

S. Stephanus, Patriarcha Constantinopolitanus, *celebratur in MS. Synaxario, et in Menæis MSS. Divionensibus, uti diximus ad ejus Acta* xvii Maji.

S. Andronicus, ex lxx Discipulis, *refertur a Galesinio, Canisio, Ferrario. De eo egimus* xvii Maji.

Aphrodini (*forsitan* Aphrodisii) Discipuli memoria *notatur in MS. Martyrologio Arabo-Ægyptio, quod in Maronitico Collegio Romæ habetur, Latinumque nobis fecit Gratia Simonius Maronita, nunc Archiepiscopus Tripolitanus in Syria. Discipulorum* lxx *Christi Catalogum varii texunt : qui autem iis* Aphrodisium *inseruerit, hactenus a nobis inventus non est.*

S. Orestes, Episcopus Hierosolymitanus, *Martyr hoc die occubuisse scribitur a Theodorico Pauli fol. 48. Omnia de eo jam dicta sunt in tractatu præliminari ante tomum tertium Maji in Catalogo Patriarcharum Hierosolymitanorum.*

B. Anastasius, Treviris Episcopus et Confessor, in Camerio, *indicatur in Notis ad Grevenum, adscriptis in Carthusia Bruxellensi. Habetur* xi *Episcopus, et dicitur sedisse ab anno 210 usque ad an. 227. Ita Browerus lib. 3 Annal. Trevirensium, absque mentione alicujus cultus.*

Eulogius Abbas, *absque ulteriori verbo indicatur in Auctario Greveni ad Usuardum.*

S. Branus seu Branius, filius Digelli, ex Cumenia sorore S. Columbæ Abbatis Hiensis, colitur in Ecclesia de Cleenanadh in Hi foelain regione Lageniæ die xviii Maji, juxta S. Engussium et alia sæpius citata Martyrologia. *Ita Colganus in Appendice 4 ad Vitam dicti S. Columbæ cap. 2 num. 12. In MS. Tamlactensi dicitur* Branus Beg, seu Parvus, de Claonadh.

Ferdachricus, filius Subnei, filii Ronani, Abbas Ardmachanus, mortuus anno dcclxxi, *cum titulo* Sancti *indicatur in 7 Appendice ad Acta S. Patricii par. 3, et dicitur coli hoc* xviii *et* xxxi *Maji. Utroque die refertur in MS. Tamlactensi.*

Saran, Confessor in Hibernia, *refertur a Greveno, Canisio, Fitz Simone, Ferrario : et nudum nomen* Sarai *in MS. Florario. Colganus* xvii *Februarii agens de Sanctis Athrumiæ quiescentibus, numerat* Saranos *Sanctos varios, et eos undecim diversis diebus asserit coli, nulla hujus diei facta mentione,*

Midgassius, filius Erci de Rill-tailten. Bressalius de Durthach, Colmanus Episcopus, *indicantur in dicto MS. Tamlactensi : de quibus alibi nihil legimus, et* Colmani *plurimi sunt.*

Maria, Urbana, Zefanus et Michael, *inter alios Martyres mixti reperiuntur in MS. Tamlactensi.*

Eugenia Virgo, *memoratur in Martyrologio Bruxellensi S. Gudilæ, neque ex nudo nomine cognoscitur : cum plures hujus nominis reperiantur.*

Remigius, Episcopus Argentoratensis, *primo loco refertur a Bucelino in Menologio Benedictino, et dicitur* decessisse anno dccciii, ob egregiam sanctitatem inter Divos Argentinæ tutelares cooptatus. *Agit de* Remigio *Jacobus Wymphelingus in Catalogo Episcoporum anno* mdviii *excuso. Franciscus Guillimannus in suo Catalogo, quem anno* vii *hujus seculi edidit vocat* Remedium : *item Claudius Robertus et Sammarthani in Gallia Christiana : et omnes scribunt* xiii Kalendas Aprilis, *sive* xx *Martii, obiisse : neque ullum indicium alicujus venerationis tradunt, uti neque Bruschius in dictæ Ecclesiæ Episcopis, neque antiqua Breviaria ejusdem Ecclesiæ quæ habemus, neque in ullis Fastis aut Martyrologiis ejus memoria celebratur. Quare de illius patrocinio, tam audacter asserto, optaremus melius instrui.*

Salvius, monachus Casinensis, ab obitu miraculis clarus, *ut* Sanctus *refertur a Wione et Menardo in Appendice, quod dies natalis esset ignotus. Eumdem huic diei adscripsit, sed proprio suo motu, Bucelinus: ejus mentio fit lib.* i *Chronici Casinensis capite altis 47, aliis 45, ubi nihil annotatur de ejus veneratione ab Angelo de Nuce, qui fuit bis Abbas Casinensis, dein Archiepiscopus Rossanensis in Calabria.*

Sewallus, Archiepiscopus Eboracensis, anno mcclviii mortuus, *ut* Sanctus *inscriptus est Martyrologio Anglicano Wilsoni, ejusque exemplo in Catalogo Ferrarii, sed adjicientis,* potius inter Beatos quam inter Sanctos reponendum esse. *Neutrum facit Thomas Stubbeus Dominicanus in Actibus Pontificum Eboracensium, qui scribit* vi Idus Maji obiisse, *et omittit ejus controversiam cum Summo Pontifice, a quo sententia excommunicationis irretitum scribit Matthæus Parisiensis. Ideo forsan Godwinus, homo heterodoxus,* inter Divos numeratum *censuit : is enim auctor solus ad marginem martyrologii annotatur.*

Christianus Patriarcha Antiochenus, Ordinis Prædicatorum, post captam a Soldano urbem, ad aram, indutus sacris vestibus, a barbaris trucidatus cum quatuor fratribus, *refertur a Leandro Alberto lib. 2 de viris illustribus Ordinis Prædicatorum fol. 18 inter Beatos Martyres post Martyrologium Dominicanum; ab Odorico Raynaldo in Annalibus ad annum 1228; et aliis. Aliqua ejus memoria*

ria celebratur hoc XVIII *Maji in Anno Sancto Ordinis Prædicatorum. Sed capta Antiochia* 29 *Maji a Sanuto dicitur. A Bzovio ad dictum annum* Beatus *appellatur : ut dubitari possit, sitne hic cujus memoria sub nomine Christophori habetur in Martyrologio Arabo Ægyptio ad* 22 *Maji, si verosimile esset tam recentes eidem inscriptos esse. In Menologio Virginum Lahcrii referuntur* plures Virgines Ordinis S. Dominici martyrio coronatæ : *et aliqua* Maria Antiochiæ *adscribitur.*

B. Philippus de Aqueriis, *Ordinis Minorum, obiit Neapoli anno* 1369 Die Veneris : *ita Tossinianus in Historia Seraphica, notans diem mortis* 18 Maji, *qui revera isto anno fuit dies Veneris : deinde (nescio quo errore) scribit* 18 Junii. *Hunc errorem secutus est in Neapoli sacra Cæsar Engenii Caraccioli. Multa de ejus sanctitate narrantur; sed cultus ejus publicus, hoc vel alio die, nullus probatur. Cæsar sepultum ait apud monachas S. Claræ, in earum cœmeterio,* nesciri *tamen* quo loco. *Restat ut certius probetur ejus cultus.*

Sorores Clarissæ, | Ptolemaide a Saracenis occisi,
Fratres Minores, |
Joannes a Barfordio in Dacia,
Nicolaus Dionysius Rothomagi an. 1509
Dominicus Gaullartus Valentiæ an. 1595
Violenta a Corduba Murciæ an. 1576
| *Ordinis Minorum ac* Beati *referuntur in Martyrologio Franciscano Arturi, et* Violenta *etiam in ejus Gynecæo.*

Hippolyta et Maria Virgines beatæ ejusdem Ordinis *indicantur in Menologio Laherii.*

S. Anolinus Commentariensis *seu* Carcerarius, a S. Urbano in carcere baptizatus et Chrismate consignatus, XV Kalendas Junii ob fidem decollatus *traditur in Actis S. Urbani, num.* 5 *et* 6, *nos cum eodem aliisque Martyribus eumdem veneramur* XXV Maji.

S. Lucianus Diaconus, socius S. Urbani Papæ et Martyris : qui cum hoc captus, dum fustibus diutissime cæderetur, erectis ad cœlum oculis emisit spiritum; dein in crypta in cœmeterio Prætextati sepultus, *traditur in aliquibus Actis S. Urbani hoc* XV Kalendas Junii, *sed postea cum reliquis fuit reconditus; ideoque simul cum S. Urbano et aliis sociis de ipso agimus* XXV Maji.

S. Joannes, Papa Martyr, *memoratur in MS. Florario, et Martyrologio Coloniæ et Lubecæ anno* 1490 *excuso, Auctario Greveni et aliis. De eo agimus infra* XXVII Maji.

S. Theodosius, Episcopus Syracusanus, *ab Octavio Cajetano dicitur hodie Syracusis coli, nullam ejus notitiam habentibus, nisi ex quadam panegyrica de* S. Marciano *Oratione; cujus Orationis cum nobis necdum satis certo explorata sit fides, vereamurque ne præter eum, qui anno* 678, *sub Agathone Papa, subscripsit Actioni* 4 *Synodi CP. nullus revera fuerit Syracusis Episcopus istius nominis; et cum de hujus sanctitate nil constet; malumus ipsum et similes alios, non nisi ex Actis suspectis notos, deinceps prætermittere in hoc opere, citra præjudicium tamen; ideoque lectorem differemus pro isto* S. Theodosio *ad* XIV Junii.

S. Agrippinæ, Virginis et Martyris Romanæ, translatio in Siciliam, *memoratur a Cajetano, ejusque Translationis historia, sed in pluribus suspecta, ab eodem datur tomo* I *de Vitis Sanctorum Siculorum; quæ erunt accuratius discutienda ad ejus diem natalem, etiam Martyrologio Romano inscriptum,* XXIII Junii.

SS. Naboris et Felicis Martyrum translatio, anno CCCX facta, festo duplici majore solita celebrari *indicatur in Vita S. Savinæ viduæ* XXX *Januarii num.* 9 *de illa ad eorum Acta agendum* XII Julii.

S. Mildredæ Virginis corpus anno 1030 hoc die translatum esse *scribit Willelmus Thorn, ejusque Translationis solennitas indicatur in antiquo MS. Martyrologio nostro seculi* XI. *Natalis est* XIII Julii.

S. Leonis et aliorum in Montem-Feltrii translatio, *hoc die facta indicatur in illius Vita* I Augusti.

S. Arsacii corpus, *hoc die* anno DCCXLVI, illatum in monasterium Ilminense in Bavaria, *legitur in Fragmento de hujus monasterii constructione apud Henricum Canisium tomo* 4 *antiquarum Lectionum, et ex eo in Actis Sanctorum Ordinis S. Benedicti parte* I *seculi* 3 *pag.* 663 *Ejusdem* Arsacii *mentio fit postea pag.* 665 *in Poemate Metelli, et in hoc dicitur Corpus* Roma translatum, *ast in dicto Fragmento,* Mediolano advectum. *Quia vero Ilminense monasterium eversum est ab Hunnis, dein restitutum cessit Canonicis, illorumque collegium anno* MCCCCXCIV *Monachium in ædem Deiparæ Virginis translatum est; quid de dicto sacro corpore factum sit non proditur. Alto silentio nomen ejus premitur a Radero in Bavaria sancta. Forte dies ejus natalis ex Fastis eruetur aliquando. Interim noto aliquem hujus nominis Confessorem sub Licinio celebrari apud Sozomenum, de eoque agendum a nobis* XVI Augusti.

Ascelina Virgo in Gallia, S. P. Bernardi secundum sanguinem neptis, secundum spiritum discipula, *cum titulo* Beatæ *memoratur ab Henriquez in Appendice Menologii Cisterciensis. Dicitur Vita a Gosvino scripta : sed neque Henriquez, neque Manrique potuerunt eam habere. Compendium illud quod edidit Henriquez,* nugis conspersum *esse scribit cum Camusato Manrique ad an.* 1195 *cap.* 3 *ubi et plura ab Henriquez* ex levi notitia tradita *asserit, eumque perstringit. Chalemotus* Ascelinam *omittit. Si quid certi de ejus vita et veneratione submittatur, poterimus cum Saussayo, qui titulo Sanctæ honorat, de illa agere* XXII Aug.

S. Antonini Martyris translatio corporis Palentiæ *celebratur ritu duplici, et refertur a Tamayo Salazar in Martyrologio Hispanico, et Ferrario. Dies ejus natalis est* II Septembris.

Teclæ Virginis et Martyris et discipulæ S. Pauli translatio brachii, celebratur in ecclesia Metropolitana Taraconensi, *apud Domeneccum in Historia de Sanctis Cataloniæ. Dies natalis est* XXIII Septembris.

S. Mommolinus, Episcopus Noviomensis et Tornacensis, *proponitur in Kalendario Benedictino : ab aliis* XVI Octobris.

S. Florentini Confessoris Translatio, *Bonesii in Tullensi diœcesi, in ejusdem diœcesis Breviario annuam hoc die Commemorationem habet, festum vero præcipuum agitur* XXIV Octobris.

Petrus Monoculus Abbas Claræval lis *cum titulo* Beati *memoratur ab Henriquez et Bucelino. Verum Manriquez ad an.* 1186 *cap.* 6 *num.* 10 *et Sammarthani tradunt obiisse die* XXIX Octobris.

S. Malachiæ translatio ad Avinionem *inscripta est Kalendario Cisterciensi Divione excuso. Natalis est* III Nov.

Sophonias Propheta *memoratur a Greveno in Auctario Usuardi, Maurolyco, Witfordo, Felicio, Canisio, cum Petro de Natalibus lib.* 5 *Catalogi cap.* 10. *At Græci cum Martyrologio Romano* III Decembris.

Margareta puella XI annorum, in monasterio Rameia Ordinis Cisterciensis pie mortua, *cum titulo* Beatæ *memoratur ab Henriquez, Chalemoto, Bucelino et Arturo, idque ob revelationem B. Idæ de Nivella factam, ad cujus Vitam poterit de ea agi* XI Decemb.

S. Carentius, Episcopus et Confessor, *memoratus in MS. pergameno Usuardi ex Alsatia accepto. Quis hic Episcopus sit, nos latet. Est* S. Corentinus *Episcopus Corisopitensis in Britannia Armorica, a multis*

tis relatus ad Kalendas Maji, uti ibidem notavimus, cujus natalis est xii Decembris.

S. Agnelli translatio in civitate Lucina *profertur in scriptis additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Est hic* Agnellus Abbas, *cum aliis urbis Neapolitanæ protector, cujus corpus contendunt Lucenses se habere. At Neapolitani sibi arrogant. De qua controversia agendum erit ad ejus Vitam* xiv Decembris.

D SS. Silvinus, Papulus, Hilarius, Honoratus, Episcopi apud Tolosam, *referuntur in notationibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Ex his coluntur*

S. Silvinus xvii Februarii.
S. Hilarius i Junii.
S. Papulus iii Novembris.
S. Honoratus xxii Decembris.

NOT. 12[ae] APP. TOM. VII MAJI

DE S. VENANTIO MARTYRE

CAMERINI IN ITALIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Cultus Sancti antiquus. Translatio et relatio Corporis. Acta apocrypha.

XVIII MAJI

B Camerinum, *antiquissima civitas inter Umbriæ Picenique confinia, in montis Apennini jugis sita, condita et nomen nacta creditur ab antiquis* Camertibus, *dum hi ex Etruria, ubi ad Clanem fluvium et Clusium urbem habitarant, a Pelasgis pulsi has sedes elegissent. Quanta ea olim fuerit inde colligi potest, quod trecentis ante Christum natum annis sub Consulatu Q. Fabii Maximi ac M. Rutilii, Romanis tunc quam maxime florentibus, tanto in pretio fuit, ut Camertinorum fœdus firmioris auxilii gratia ambitiose propemodum expetierint, quod summa dein religione coluerunt, etiam cum Imperatores postea regnarent: imo posteri tum se sub propriis Regibus vixisse gloriati sunt, uti infra videbimus. De horum antiquitate legi possunt Cluverius lib.* 2 *Italiæ antiquæ cap.* 3 *et* 6, *et Ughellus tomo* i *Italiæ sacræ in Episcopis Camerinensibus: ubi in Præfatione adfert inscriptionem, Tiburtino lapidi incisam, etiamnum ibidem extantem, in qua cum* L. Septimio Severo, *qui ab anno* clxxxxiii *usque ad* ccxi *imperavit, in* æternam securitatem atque gloriam jure æquo fœdus confirmarunt Camertes. *Hujus urbis Divus tutelaris est* S. Venantius Martyr, *et in Ecclesia Collegiata suburbana, suo nomini dicata, summa cum veneratione colitur hoc* xviii *Maji. Si quidem corpus ejus anno* mcclxix *eo relatum, unde decimo anno ante ablatum fuerat, sicut infra dicetur; depositum ibi fuit in arcula argentea, tribus sigil*-C*lis obfirmata: et sic denuo inventum illud die* xxiii *Martii anno* mdlviii, *mirifice exornavit Marianus Perbenedictus Cardinalis, corpore cum ampulla sanguinis in mausoleo marmoreo deposito. Mortuus est autem hic Cardinalis anno* mdcxi. *Magis deinde illius Sancti cultum extulit Æmilius Alterius, qui anno* mdclxx *ex Camerinensi Episcopo, post Sedis istius annos* xlii, *factus Romanus Pontifex Clemens X, jussit eum per totam Ecclesiam coli sub ritu Semiduplicis.*

Camerini urbe antiqua Patronus S. Venantius

cujus ibi corpus,

2 *Est porro Camerino nobis submissa charta variarum Ecclesiarum, oratoriorum, et aliorum* S. Venantio *dicatorum locorum, in quibus aut aliquæ ejus Reliquiæ adservantur, aut indicia cultus ejus proferuntur. Prima nominatur* Ecclesia S. Venantii apud Fabrianum, *cui, teste Ughello,* Guillelmus Episcopus Camerinensis an. mcclvii indulsit, ut baptismalis fons, qui extra septa ecclesiæ erat, ad majorem divini cultus decentiam, intra ipsam Ecclesiam posset transferri. *Sunt præterea* Ecclesiæ S. Venantii in Meletica oppido, *quod agro Camerinensi ad Septemtrionem adjacet;* in agro Cingulano, *ibidem in Piceno;* in Spoletana diœcesi, *castellum dictum* Ecclesia parochialis S. Venantii; in territorio Senensi *tribus ab urbe milliaribus,* Ecclesia Collegiata S. Venantii, ubi magna cum devotione colitur; Romæ, Ecclesia nova pro natione Camerinensi, ubi ante Ecclesia S. Joannis in Marcantello; in Urbevetana ditione, *castellum et* Ecclesia S. Venantii, *ubi festum ejus cum foro celebratur* xviii *Maji,* Ragusæ *etiam est* E *Ecclesia collegiata, et dicitur* templum S. Venantii et pacis. *In Apulia, septem a Sulmone milliaribus, est* Oratorium SS. Venantii et Porphyrii *ubi est altare et vestigium pedum in petra, et colitur S. Venantius* xviii *Maji.* Florentiæ *in Ecclesia S. Marci est capella, cum opere musivo, satis antiqua,* in honorem S. Venantii. Lucæ *est etiam ejus capella, in Foresta uti loquuntur, ubi cum multa devotione colitur.* Bononiæ *est eidem a Gozadino Cardinale erecta capella et illata aliqua ejus Reliquia. In* Monte S. Martini *diœcesis Firmanæ est* altare sub invocatione S. Venantii Martyris. *Indicantur præterea* castella S. Venantii *in confiniis Bononiæ et Ferrariæ, in Comacliensi diœcesi, in Ducatu Sorano et in diœcesi etiam Firmana in Valle Morana Marcæ Anconitanæ, imo et in* Camerino *cujus castelli* Rector fuit cum potestate seculari ipsum S. Venantii Capitulum, *donec ea potestas ablata est. Ex voto etiam populi ejus cultus constitutus fuit in Monte Feretrano Ducatus Urbinatis, et apud Recinetenses. Memoria ejusdem solennis recolitur in Ecclesia Cathedrali Aversana ubi etiam Legenda ejus habetur. Demum ex sacris ejus Reliquiis asservatur* Costa in Ecclesia Collegii Asculani Societatis Jesu; *de qua agens Jacobillus in addendis ad hunc diem, videtur dicere, ipsam esse S. Venantio dedicatam. Alia* costa Romæ in Ecclesia Vaticana S. Petri, *quam tempore Gregorii XIII* F *illuc delatam scribit Jacobillus: et ideo festum sub ritu simplici ibidem celebrandum præscribitur; ejusque meminit Pancirolius in Thesauro Urbis reg.* 7 *eccl.* 17 *et in Indice Reliquiarum. Romæ etiam ex simili causa coli dicitur* S. Venantius *in ecclesiis SS Eustachii, Cæciliæ atque Marci; et in hac quidem capella est, sub ejus nomine a D. Barnaba Benigni fundata, cum Indulgentia quotannis plenaria. In Barriensi autem territorio, S. Salvatoris castellum, in quo octennio toto requievit sanctum corpus, adhuc servat tumulum ejus honori extructum.*

alibi autem variæ Ecclesiæ

altaria,

castella.

Reliquiæ Asculi et Romæ.

3 *Et hæc quidem antiqui cultus monumenta, indubitata ac certa sunt omnia: utinam æque certa foret Passionis historia. Cum enim ex ea, tamquam ex fonte, unice profluxerit quidquid de hoc Sancto Martyre prosa vel rythmo, Latine vel Italice, vetustiori vel recentiori ævo, scriptum unquam fuit; aut in Ecclesia primum quidem Camerina, nunc etiam universali recitabatur olim, vel recitatur hodiedum inter divina Officia, optandum quam maxime est, ut ea fuerit quam gravissime fidelissimeque conscripta. Sed quam frustra id optamus, tam parum fidei possumus tribuere quibuscumque compendiis inde acceptis. Quare Passione illa tantisper omissa*

Dilata tantisper legenda apocrypha

præmittitur historia ablati relatique corporis:

A *omissa et ad finem rejecta, abducti relatique corporis historiam, a coævo Poeta versibus descriptam, exhibemus, qualiter eam nobis offert Ughellus, tom. 1 Italiæ sacræ col. 601 a Camillo Lilio nobili Camertino communicatam: petita tamen prius acceptaque licentia conferendi editionem Ughelli cum originali; non quidem autographo ipsius Poetæ, sed apographo Camilli, idque ex fide R. P. Ferrantis Ferreccioli Camertis e Congregatione S. Caroli, communicato nobis per R. P. Nicolaum Bartolini Presbyterum Congregationis Matris Dei. Velim etiam mihi dari licentiam lacunas quasdam supplendi per conjecturam, et alia pauca perperam transscripta ad commodum aliquem sensum adducendi, quod a nobis factum indicabit signum* *

HISTORIA

ABLATI ET RELATI CORPORIS

Ex editione Ferdinandi Ughelli collata cum apographo Camilli Lilii.

Gentibus ut pateat, Venanti Sancte, futuris,
B Quando tuum corpus manus abstulit hostica templo
De proprio patriaque simul; vel quando reductum
Extitit ad patriam, succincto carmine pandam.
Quod mihi, Christe pater, digneris rite referre,
Os puerile facis qui sæpius esse disertum.
Anno 1259 sub Alexandro 4
Annis completis Domini jam mille ducentis
Et sexagenis minus uno, passa ruinam
Exitit hæc patria, Papæ sub tempore Quarti
Grandis Alexandri: sub cujus tempore quidam
a
Nomine Manfredus, *a* Siculus Rex atque tyrannus,
Obstabat Latio, belli discrimine magno.
* ingentia
Agmina qui vario quondam * rigentia cultu
Improbus ad proprias Camerini transtulit oras.
Dux equitum cujus, vir quidam nomine dictus
b
Percivallus *b* erat, Januensis compatriota:
Percivallus pro R. Manfredo Camerinum occupans,
Doria quem genuit, quem fecit prospera magnum
Sors in conspectu Regis, si Rex habeatur.
Hic equitum veniens fultus tutissimus ala,
Intravit patriam Camerini, quam retinebant
* vario
* potentis
Tunc homines * varii, Domini sub velle, * potentes.
2 Tempore sub tali fuit unus proditor acer,
Nomine Raynerius Ugolini: qui Camerini
Pessimus existens tunc temporis ipse Potestas,
Proditione sua curavit pellere cives
Et patriam vastare simul: qui clade coacti
Inviti patriam liquerunt *c* sorte timoris.
C Tunc Percivallus ex arca * protulit illud
c
corpus Sancti aufert,
* clam
Egregium corpus, jam * clarum Martyris almi:
Quod tulit ad Siculos magno super *d* harmate partes.
Lucida capsa fuit argentea facta sub ipso
d
* sanctum
Tempore, quo mansit corpus venerabile * sartum.
Lumina magna satis, fulgentia nocte dieque,
Coram prædicto constabant corpore sancto.
Attulit hoc hostis Manfredo jam memorato,
* primo
quod ille castello S. Salvatoris donat:
Munere * pro magno, quod fecit denique castro
In quodam, Ponto fumato nempe, recludi,
Ornatum pariter magnis ornatibus, atque
* altisonis
Cantibus * altisonæ præstantibus undique laudis.
Nomen castelli Sanctus Salvator habetur,
Undique quod Pontus circumdat rupibus altis.
3 O veneranda Dei pietas et maxima virtus:
* ipsos
Quæ peccatores effrænes corrigis, * ipsi
Ut convertantur ad te, sed non moriantur;
Sæpius et pateris Sanctorum corpora tolli,
Hostibus infidis primo modo crimine cæco,
Atque peregrina terra persæpe morari:
e
Ut noscant homines misceri *e* cuncta potenter,
Et nihil absque tuo fieri moderamine posse.
Et quamquam patiare tuos, Sanctissime, Sanctos
Taliter auferri: non vis tamen ipse perire

Lumina virtutum, quibus * omni in gente coluntur. D
* omnes gente, vel gentes.
Hoc corpus mansit Apulorum *f* in partibus, annis
Octo perfectis. Post hæc Deus ipse benignus
f
* latrali
* nimio
Genti tristanti * lateralem ferre paravit
Auxiliator opem, quam longe callidus hostis
Vexarat * nimium furioso pondere, paucis.
Pontificis Summi *h* Comitum quoque velle suorum
h
Hoc fuit, ut paucis obstarent hostibus illis,
Perdere qui proprio vellent de jure fideles.
4 Tunc fidei quidam veræ surrexit amator
Carolus illustris, probus, et discretus in armis,
Regni Rex Siculi, pugil optimus, et leo fortis,
Alter *i* Rolandus in viribus et probitate,
In sensu Salomon, David in tutamine juris.
Francus gente fuit, et Francus corde potenti:
Qui virtute Dei fortes deterruit hostes.
Hunc, et Francorum Regem, genuere parentes
Iidem, magnificæ laudis virtute vigentes.
Ad Latii partes, magno fulcimine fultus
* Francorumque
Magnificæ gentis, * Francorum fultus et armis.
victis per Carolum R. Manfredo
Ad responsandum Manfredo denique venit:
In Beneventano *k* quem stravit denique campo,
k
Vicit, * destruxit, et cunctos perdidit hostes.
Hic postquam lætos habuit sub pace triumphos, E
* Unit et vel Dissit
Et fuit in * Siculo Rex felix agmine magno,
* titulo
Quod Domini Papæ regnum sub velle regebat:
Hunc contra quidam venit contrarius hostis,
l
et Corradino
Nomine *l* Corradus, Corradi nomine Regis
Filius, ex magni regali stirpe creati
Jam Frederici magno sub nomine, regnum
Imperii gentis Romanæ forte regentis:
* artibus
Cujus fautores, structis * aciebus ad arma,
m
In *m* Palentino, quo figi jusserat arvo
Castra, per ignota loca sunt discrimine fusi.
Ipsemet in pugna cecidit sub sorte sinistra;
n
Cui fuit ablatum caput exundantis *n* amœno
Littore Neapolis, velut omnibus extat apertum.
5 Sedatis igitur populantibus undique pugnis,
Et domino Rege [placida] sub pace morante,
Scriptor Apostolicæ, Corradus nomine, Sedis,
Vir quidam prudens et templi Martyris almi
o
Qui prior *o* astabat, voluit prætendere gressus
p
jussu Clementis 4 redditum,
Ad Dominum Papam *p* Clementem: cui prece blanda
Flexa cervice lacrymas fundebat amaras:
Ante pedes cujus præfatus sæpius ibat:
* solicitus
Non piger, imo velox; timidus non, sed bene tutus,
* ut
* Solicita semper Papam cum voce rogabat,
* marmore
Qualiter * id corpus faceret sibi denique reddi.
Qui Summus Præsul precibus sub * murmure flexus,
Mandavit Rex præfato, corpus ademptum
F
Redderet ut dicto Corrado, multa ferenti
Corpore tormenta per gressus sæpe viarum.
Qui licet in primis obstaret reddere corpus;
Attamen in fine [illud] reddidit. Ordine comptum
Hoc fuit ad patriam Camerini quippe reductum
q
Martyris eximii corpus, sub tempore *q* messis
* comptum
suo in templo miraculis claret.
Eximiis, altis, et magno munere * comptis
Capsis argenti conclusum rite duabus.
Laudibus eximiis ad templum ducitur illud,
Ejus quod fuerat: in quo Deus ipse patenter
Maxima dat semper miracula Conditor orbis;
O pie Venanti, populum defendere cura,
* cura
Tu propriæ patriæ; cui sis tu lucida * cera:
Et mihi tu parce, vitium tu pectoris arce:
Ut mea lætari valeat mens, atque locari
In summis cœlis, regnas quibus ipse fidelis.

ANNOTATA.

a Manfredus, *Frederici II Imperatoris filius notus, patrem suffocasse creditus, Conradi fratris nomine Siciliæ administrationem suscepit an.* 1251; *variisque successibus confirmata paulatim tyrannide, tandem an.* 1258

A 1258 a Siculis Regem salutari se fecit, Saracenorum nixus subsidio; Pontifici infestus quam qui maxime et Pontificiis ditionibus.

b Percivallum quoque appellat Gregorius Diaconus Bajocassinus in Vita Urbani IV, narrans quomodo is, cum magno exercitu infidelium ex Africa veniens, ad opprimendum Pontificem anno 1264; in exiguæ cujusdam aquæ transitu subsidens cum equo, videri desiit, pœnas luens suarum blasphemiarum contra Deum; quidni et violati corporis sancti? Idem appellatur Princivalles, in quadam Camerinensi inscriptione apud Ughellum, quam vel hinc cognoscas recentioris fabricæ esse.

c Eadem inscriptio, uti erravit Princivallem faciendo Ducem exercitus Frederici II, ante tot annos extincti: ita fidem non merebatur præ nostro Poeta, asserens quod clades illa acciderit kal. Augusti an. MCCXVIII: mirumque est quod Ughellus, maluerit ipsam sequi, in designando eversæ urbis anno. Est autem inscriptio illa insculpta marmori, muroque ecclesiæ Cathedralis affixa, in memoriam Gentilis Varrani: qui patria sua pulsus a civibus, hos deinde bonis omnibus exutos, vagos ac dispersos, in Appennini jugis collegit, reductisque civitatem et Cathedralem ipsam restauravit, Percivallo expulso;
B eoque beneficio meruit, ut primum perpetuus Potestas, deinde etiam Princeps acclamaretur, confirmante titulum Romano Pontifice, qui in ejus posteris usque ad Paulum III prorogatus fuit, teste Ughello.

d Ἅρμα Græcis Currum significat, itaque correxi, quod utrobique absque sensu sic legebatur.

Et tulit ad Siculos magno aromate parce!

Siciliæ autem nomine hic venit totum etiam Neapolitanum Regnum. e Versum hunc sic correxi, cum esset;

Ut non aut honores misere cuncta potestate.

In apographo autem originali sic

Ut noscant homines miscere cuncta potentem,

f Utrobique, apud hos.

g Notata prima littera V, vacuum spatium Ughellus reliquit: apographum originale habet, vexerat.

h Urbanus IV, anno 1261 suffectus Alexandro IV, Manfredum Ecclesiæ hostem Francorum auxiliis frangere aggressus est an. 1264, invitato in spem Regni Siculi Carolo Comite Andegavensi S. Ludovici Regis Franciæ fratre; quod deinde negotium Urbano mortuo excipiens Clemens IV, eumdem cum uxore Regem unxit anno 1266.

i Rolandus, in Turpinianis de Carolo Magno fabulis nominatissimus Dux.

k Prælium hoc, quo ipse Manfredus occubuit et
C captum Beneventum est, factum fuit, inquit Bernardus Guido, IV kal. Martii feria VI, in campo ante Beneventanam civitatem anno Domini.... MCCLXVI. Plura vide apud Odoricum Rainaldum in Annalibus.

l Vulgatiori diminutivæ formæ nomine Corradinus, cui regnum jure successionis alioqui debebatur.

m Palena, oppidum citerioris Aprutii ad Aventinum fluvium (huc usque enim occupata Roma victor penetraverat Corradinus) pugnam spectavit, in qua fusus fugatusque primo impetu Carolus, victor evasit, reversus in hostem spoliis legendis occupatum, et infelicem juvenem vivum cœpit: quem deinde Neapoli publice fecit decapitari, cum non exigua nominis sui labe. Extant autem de victoria ipsa litteræ Caroli ad Pontificem ex agro Palentino, ipsa pugnæ die, id est 23 Augusti datæ.

o Ita tunc passim Priores Collegiatarum dicebantur, qui nunc fere Decani.

p Obiit Clemens hoc eodem an. 1268, 29 Novembris.

q Ergo non nisi anno sequenti 1269 revectum est sacrum corpus Camerinum: quod si non fuit redditum vivente adhuc Clemente, singulari Dei favori adscribendum fuerit, impetrari illud potuisse a Carolo vacante Sede (nec enim ante Septembrem anni 1271 electus successor est) cum facile esset, mandatum demortui D frustrare effectu.

Atque hæc certior omnis notitia est, quam dare possumus, de cultu et corpore S. Venantii; cujus quia nec nomen invenitur apud ullos antiquos Martyrologos, datur intelligi, nulla ejus Acta primis octo vel decem seculis nota fuisse Italis, apud quos satis diligenter colligebantur Passiones Martyrum ac Vitæ Sanctorum. Qualia autem postea sint composita et cujus fidei, ut per te possis æstimare; ipsa licet alioqui hoc opere indigna, hic tota dabimus; hoc insuper observantes, ut quæ inde translata sunt in Officium ac Missam propriam, ad concinnandas Antiphonas, Responsoria, et Versiculos, diverso a ceteris charactere imprimantur; itaque appareat nec antiquius Actis Officium illud esse, nec fidei majoris.

ACTA APOCRYPHA

Ex veteri MS. Abbatiæ S. Euticii Nurciensis.

Temporibus Antiochi Regis magni, erat vir in civitate Camerina nomine Venantius, timens Dominum. Hic omnia sua reliquit parentibus, sed tamen aurum et argentum et vestes dedit pauperibus. In jejuniis et orationibus die ac nocte serviebat Domino Multas virtutes in ea civitate ostendit per illum Dominus. * Nuntiatum fuit Regi Antiocho, qui regnabat in illis temporibus, ab accusatoribus dicentibus: Est puer unus in civitate Camerina, nomine Venantius, timens Christum, et Dominum Jovem blasphemans. * Audiens autem Rex Antiochus iratus est nimis: et cum furore magno veniens in civitatem præcepit militibus, ut citius inquirerent Venantium. * Erat autem una cavernicula juxta portam civitatis, quæ est contra Orientem, sub morabatur ipse indutus cilicio, nocteque ac die serviebat Domino jejuniis et orationibus. * Cumque audivisset quod inquisitus fuisset a Rege, veniebat ad portam et prædicabat verbum Christi. * Confortabat servum Christi Porphyrius, dicens, Ne timeas a facie Imperatoris, Dominus enim dixit: Cum veneritis ante Reges et Præsides, nolite cogitare quomodo aut quid loquamini: dabo enim vobis os et sapientiam, cui non poterunt resistere omnes adversarii vestri: post laborem et certamen mercedem recipiemus, ita ut ille dixit, Venite ad me omnes qui laboratis et onerati estis, et ego reficiam vos.

Fidei causa accusatus apud Antiochium E

Venantius, egregie præmunitus,

2 Ista talia dicens venit ante faciem Imperatoris. Dixit B. Venantius: Rex pagane, quid quæris discipulos Christi? Iratus nimis Rex, dixit: Unde es tu? Respondit Venantius: In hac civitate natus fui, nutritus in monasterio. Rex dixit; Quis est pater tuus? Venantius respondit: Pater meus Suprinus Christianus, de genere nobili natus, dedit me in monasterium, et ibi nutritus in fide Christi sum. Rex dixit: Venanti, video florentem juventutem tuam et decorum aspectum, volo ut sis in palatio meo pincerna: * armillam et annulum et purpureum vestimentum do tibi. Venantius respondit: Aurum et argentum, quod promittis da pauperibus: quia sicut aqua extinguit ignem, sic eleemosyna extinguit peccatum. Rex dixit: Video te puerum; et tuum meritum nescio: te, Venanti me audire oportet: accede ergo, et sacrifica Deo Jovi invictissimo. Do tibi potestatem alligandi et solvendi, et detrimentum Christianorum faciendi: et si nolueris, diversis pœnis faciam te interire. Respondit Venantius, Argentum tuum et metallum et plumbum non adoro; et ideo tormenta tua non timeo. Rex dixit: Sacrifica Diis, ne incidas in pœnas; et ut nullus dicat quod insania tua deducat te ad mortem, et illudam generi tuo. Venantius respondit: Etsi me interficis turpissima morte, Judex meus et Dominus meus in cœlis est, quem expectamus ad judicandum seculum

ipsam coram eo generose confitetur, F

A *minisque contemptis.*

culum, * *quando dicturus erit: Venite benedicti Patris mei, percipite regnum*, quod vobis paratum est ab origine mundi; et quia ille novit corda hominum. Tu, qui in seculo isto habitas, videris esse filius diaboli, ideo per malitiam tuam in multis argumentis Christo Deo meo me facis esse solicitum. Rex dixit: Volo ut dicas mihi, unde tibi sapientia ista advenit. Venantius respondit: Christus Dominus meus mecum est: et tu dicis, Unde tibi ista sapientia advenit?

Præsidi traditus,

3 Tunc jussit eum Rex fortiter cædi. Venantius dixit; Non dolorem sed refrigerium mihi facis. Tunc Rex tradidit eum ministris et Præsidi, dicens, Nisi Venantius sacrificaverit, diversis pœnis interficite eum. Tunc Præses iratus dixit militibus suis, O Jupiter! o Mercuri! ut quid Venantius quindecim annorum dixit? Non sentio quod milites tui me cruciant. Et iratus nimis, dixit: Tollite eum, et ligate illi manus et pedes, ac projicite in carcerem, et nullus ad eum accedat: et per quatuor dies non aquam, non panem, vel aliquid sibi detis quod manducari possit, usque dum deficiat. Tunc B. Venantius jacebat in carcere ligatis manibus et pedibus, et orabat dicens: *O Domine Jesu Christe, Pastor bone, ne*

B *et ab Angelo confortatus in carcere,*

*me derelinquas, quia te, patrem habeo in cœlis: tu audi et exaudi me, sana vulnera mea: * glorifico te, laudo te, et benedico te, ne projicias me a facie tua*, quia puer sum: ego nescio recte loqui, sed da spiritum loquendi, tacendi, et respondendi: ut ego os aperiam, et tu adimpleas: et si dolor meus est mihi, non irascaris, sed conforta me Rex Sanctorum. *Oratione facta soporatus est somno: et ecce Angelus Domini dissolvit eum, et caro ejus restituta est, sicut prius fuerat. * Tum carcerarius ibat ad carcerem, ut videret si jam esset mortuus*, et invenit eum orantem. Miratus est, et renuntiavit Præfecto, dicens: Vidi mirabilia magna de Venantio: psallebat et orabat Deo suo, solutis manibus et pedibus, et caro ejus restituta est.

lampadibus aduritur,

4 *Tunc jussit eum in præsentia sua Præfectus duci dixitque ei: Venanti, sacrifica diis. ne diversas pœnas patiaris. * Respondit Venantius; Nec deos tuos adoro, nec Imperatorem tuum timeo, nec tibi servio.* Iratus Præses dixit; *Despoliate eum, et in aerem suspendite cum lampadibus ardentibus, et comburite corpus tenerum.* Ita fecerunt, ipse autem orabat dicens: Ure, Domine, renes meos et cor meum: transivi per ignem, deduc me in refrigerium sempiternum. Cessaverunt carnifices comburere eum. Dixit Præses, Assenti mihi, et sacrifica diis. Venantius respondit:

C *et in caput suspensus fumo supposito torquetur,*

Non consentio, nec adoro deos surdos et mutos. *Tunc impiissimus Præses ait ministris: Tollite eum, et in equuleo suspendite, et fumum acerrimum sub capite ejus ponite.* et dicite, Iste est blasphemator deorum. *Fecerunt ministri sicut præcepit Præses, et semper cædebant eum quatuor quaterniones.* Tunc Præses jussit, ut nullus ad eum accederet, donec deficeret. Anastasius autem Cornicularius, post quatuor dies ibat ubi pendebat, ut videret si adhuc viveret: et invenit eum super fumum deambulantem, in veste candida psallentem: Non moriar sed vivam et narrabo opera Domini.

unde salvum videns Anastasius scriba convertitur,

5 Nuntiavit Anastasius Cornicularius Præsidi dicens: Magnum miraculum vidi. Tunc Præses dixit, Quid faciemus de eo? Anastasius Cornicularius dixit: Ego credo, quia magnus est Deus Christianorum, et non est alius præter illum. *Præses dixit* ad illum: *Et tu, ut video, seductus es. * Tunc Anastasius dixit: Libentissime volo subire sententiam, ne sanctum atque justum videam cruciari.* Audiens hæc Venantius, quod sic locutus esset Anastasius, manus suas expandit et oculos levavit ad cœlum, et oravit Dominum dicens: *Gratias tibi ago, Domine Salvator unigenite, Deus de Deo, lux vera de lumine vero; Verbum quod*

D *EX MS. CAMER*

est ante omne principium, qui regnas cum Patre et Spiritu sancto in secula seculorum. Amen. *Anastasius dixit ad B. Venantium: Homo Dei demonstra mihi lumen vitæ æternæ*, ut possim videre lumen verum. Venantius dixit: Vade in partem civitatis, inquire hominem Dei Porphyrium, et baptizabit te et totam domum tuam in fide Christi. Nuntiatum est Antiocho Imperatori, quod Anastasius crederet in Christum: et iratus nimis fecit eum venire ad se, et dixit: Anastasi, tu credis in Deum [Christianorum]? Anastasius dixit: Ego credo et tota domus mea. Rex ut audivit, præcepit Præsidi, ut duceret eum extra portam civitatis, et decollaret eum et totam domum suam. Et ita fecerunt, et deduxerunt eum ad Viam-latam, quæ ducit ad civitatem contra Orientem, et decollati sunt. Nocte venerunt viri Christiani et sepelierunt corpora eorum.

et baptizatus *cum familia sua decollatur.*

Rursum varie tortus Venantius,

6 Rex autem jussit Venantium venire ad se, et dixit ei: Venanti, cur subvertis civitatem? Venantius dixit: Non subverto, sed confirmo. Tunc iratus Rex præcepit ut tonderent comam capitis sui, et aspergerent prunas: et ita fecerunt. Deinde præcepit ministris ut macerarent dorsum ejus, et recluderent eum in carcere: et ita fecerunt. Attalus autem Præconarius dixit ad Præsidem: Quid tibi solicitudinis est? Ego vadam et faciam eum sacrificare. Tunc Præses dixit: Per virtutem magnam

E *et ab Attalo apostata frustra solicitatus*

Jovis, et per virtutem Dominorum nostrorum invictissimorum Principum; quia si suaseris, faciam te quod ego sum. Attalus autem ibat ad carcerem, ubi erat Venantius: et dixit ei: Crede, Venanti, et recede a stultitia tua, et sacrifica diis: ut quid in tormentis moreris, et perdis florem juventutis tuæ? Ego autem sicut tu Christianus fui, et modo sum minister [Jovis]. Crede et sacrifica diis. Venantius dixit: Vides me puerum, infra ætatem sum, non sicut tu insanus et filius diaboli: qui dicis, Adora idola surda et muta, quæ sunt ab hominibus fabricata: qui Dominum nescis, qui natus est de Virgine. Magis pater tuus diabolus est, et voluntatem ejus facis, qui dicis Dominum Jovem, cujus es [minister]. Attalus dixit: Venanti, sacrifica diis: licet mihi omnia dicere, quia teneo te. Et dum hæc diceret, misit Præses, et jussit Venantium de carcere exhiberi: et dum adduceretur, missa est vox Prætoris: Venantius Deos blasphemans nequissimis tormentis crucietur.

contusis Præsidis maxillis F

7 Venit itaque Venantius ante Præsidem, et dixit ad eum: Noli tentare Christum Dominum meum, ne dum vis tentare tenteris a patre tuo diabolo. Præses dixit: Contundite dentes et maxillas ejus. Ita factum fuit: et projecerunt eum in plateam civitatis, et collocaverunt in sterquilinio. Ipse vero orans dixit: Respice in me et miserere mei, quia unicus servus tuus sum: exaudi precem meam, ne derelinquas me. Omnes putaverunt eum esse mortuum: ille vero orabat, et Angelus confortabat eum dicens: Ne timeas a facie eorum, quia ego tecum sum, et offero orationem tuam, et custos tuus sum ego semper. Venantius dixit: Domine pater, quia in plaga mea ingemisco, ne irascaris mihi: scis quia animam meam tibi tradidi, ne sensus meus commisceatur cum ipsis. Hæc dicens sanus factus est, et cœpit prædicare nomen Domini et baptizare. Audiens autem Præses miratus est nimis, et fecit eum venire ante se, et dixit: In cujus virtute hæc facis? Venantius dixit: Qui me sanavit a meo languore, in ipsius potestate hæc facio, et qui potest subvertere tribunal tuum. Et cum hæc dixisset famulus Dei, cecidit Præses de tribunali suo. Tunc collegerunt eum ministri sui, et in lecto posuerunt eum: et dixit militibus: Currite, adeo: subvenite mihi: nihil enim sunt dii nostri, quos sine causa colimus: sed Deus Venantii

sanatur divinitus. et Præses moritur.

A Venantii magnus est et æternus, qui fecit mirabilia in puerum suum Venantium: et hæc præcipio ut deos nostros destruatis, et Deum Venantii adoretis: et cum hoc dixisset, expiravit.

Ex MS. Camer.

8 Videntes autem hoc ministri ejus quod factum est, nuntiaverunt Imperatori. Tunc jussit Imperator S. Venantium leonibus objici. Et statim ministri ejus duxerunt eum ad locum ubi erant leones quinque, et intromiserunt eum, et clausus est locus, ut ibi a leonibus interficeretur. Quem *cum ingressus fuisset sanctus* et justus, *surgentes leones cum omni mansuetudine straverunt se ad pedes ejus.* Videntes autem populi admirati sunt dicentes, Vere non est alius Deus, nisi quem Venantius servus Dei confitetur. Et cum hæc populi dixissent, dixit eis B. Venantius: Audite, populi, credite in Patrem et Filium et Spiritum sanctum, feminæ conjugatæ et puellæ et omnes habitantes in civitate, ut salventur animæ vestræ: quia hæc omnia transitoria sunt de mundo: beati eritis, si credideritis. Cum autem audisset Rex quod populus laudasset Deum Christianorum, præcepit Venantium mittere in carcerem. Ibi orabat: Domine, ne derelinquas me, ne despicias me, quoniam servus tuus sum ego. Multiplicati sunt inimici B mei, qui circumdant me: sed tu, Domine, susceptor meus, exaltans caput meum; exaudi me de monte sancto tuo, non timebo millia populi.

Idem leonibus frustra objectus

populo fidem Christi suadet

9 Tunc Rex Antiochus, florens in magnitudine virtutis suæ, requiescens in palatio in stratu suo, vidit præcones per somnium per civitatem currentes et dicentes: Mundate, mundate plateas civitatis, et muros dealbate. Posthæc aspexit in cœlum, et vidit Venantium in aerem volantem in veste alba, et cum illo duos socios, aspergentes aquas, et rivulos facientes et dividentes per totam civitatem. Deinde veniebant viri et mulieres, et lavabant capita sua, et corpora dealbabantur. Deinde ruentes quatuor venti ex quatuor partibus mundi super palatium suum, destruebant illud. Vidit quoque super se nubem obscuram venientem, et nullum sidera lumen dabant, sed ex tota parte tenebrosa erant. Evigilavit Rex a somno, et cogitare cœpit et cognovit quod malum esset apud eum. Cœpit Rex flere et dicere: O Deus meus, Jovis invictissime, unus puer te superavit, et potestas tua ad nihilum devenit. Mane autem facto omnes ad palatium venerunt: Rex ut vidit populum, somnium narrare cœpit.

Antiochus somnio territus,

10 Erat ibi homo Christianus Porphyrius, qui C ait: O Imperator, quam laudabile est somnium quod vidisti! Præcones per civitatem currentes, et clamantes, et dicentes, Mundate plateas civitatis, et muros dealbate, sancta prædicatio B. Venantii est. Mundate, Mundate, duo Testamenta significat, novum et vetus: sub duobus Testamentis legem habemus, ut nullus idola colat neque adoret. Mundate, id est, Projicite Deum Jovem et Regem Muros dealbate, et confractus erit Jupiter et Rex ejectus, et omnes credent in Christum. Quatuor venti ex quatuor partibus mundi, quatuor Evangeliorum testamenta sunt. Destruebant domum tuam, id est, quod cuncta idola manufacta et cuncta opera tua et regnum tuum non erit amplius; sed regnum Christianorum, qui serviunt Deo et faciunt fructum bonum. Aqua, quam Venantius in aere spargebat, et rivos faciebat, et per totam civitatem currebat, est sancta prædicatio et sanctum baptisma. Et quod capita et corpora lavabant et dealbabant, id est quod mundatur populus ab idolis et ab omnibus inquinamentis per aquam baptismatis.

explicantem illud Porphyrium

11 Rex ut audivit, iratus est nimis, et præcepit ministris, ut Porphyrium ducerent ad locum damnatorum, qui est ad portam civitatis, et amputarent caput ejus. Cum autem venisset B. Porphyrius ad locum damnatorum, genua fixit in terra, et orabat D dicens: Domine Deus, quia non est similis tui in diis, et non est secundum opera tua: tu enim fecisti cœlum et terram et quidquid cœli ambitu continetur. Universorum tu es Dominus, cui Angeli et Archangeli serviunt, et non cessant clamare dicentes, Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus Sabaoth, pleni sunt cœli et terra gloria tua. Tibi commendo animam, ut non tradas eam in manus impiorum spirituum quærentium eam. Audite itaque viri et mulieres, ponite Christum ante oculos vestros, et adorate eum qui fecit cœlum et terram: quia ipsius est potestas mortificandi et vivificandi, ducendi ad inferos et reducendi: ipsius est potestas tremenda, ipse est Dominus in secula seculorum. Amen. Ut *B. Porphyrius complevit orationem, spiculatores amputaverunt caput ejus, et projecerunt ante portam civitatis:* [et venientes Christiani tulerunt corpus ejus] et sepelierunt eum honorifice.

capite plecti jubet.

12 B. Venantius erat inclusus in carcere, et veniebant ad eum infirmi, cæci, claudi, paralytici, surdi, muti; et deprecabantur eum ut baptizaret eos et sanarentur, quod et fecit. Cum autem nuntiatum fuisset in præsentia Imperatoris de miraculis B. Venantii, tristis nimis factus est; et jussit eum venire ad se. E Cum ergo venisset in præsentiam Imperatoris, dixit ad eum: Audi me, Venanti, sacrifica diis nostris, et vives: do tibi coronam de auro vel gemmis, et habebis pacem mecum, quia metuo te propterea quod nobili genere es ortus. Respondit ei B. Venantius et dixit: Audi me Rex, diverte a malo et fac bonum, inquire pacem et sequere eam, et fac pacem cum Christo; et si servieris ei, erit tibi exultatio et corona sempiterna. Nam postquam exierint animæ vestræ de corporibus, pecunias relinquitis in hoc seculo, et rapiunt eas extranei et devastant eas: vos autem ituri estis in tormentum æternum, ubi numquam erit refrigerium, sed luctus et clamor, et non est qui audiat. Si vultis recipere coronam, date omnia pauperibus, orphanis, viduis, esurientibus, nuditatem patientibus, vel quamcumque necessitatem sustinentibus: et undam baptismatis sacri fontis percipite, credentes in Deum, qui centuplum reddet vobis in vitam æternam, ubi nullus finis erit, sed perpetua semper felicitate gaudebitis.

Venantius iterum sollicitatus,

cum ipsimet Antiocho fidem suaderet,

13 Ut audivit Rex præcepit ministris ut mitterent funes in pedes ejus, et in eculeo suspenderent, inde per agrestia loca traherent. Vespere autem jam facto cœpit B. Venantius dicere, Domine, suscipe spiritum meum, et ne perdas me. F Ministri dimiserunt illum quasi mortuum. Venit quædam mulier vidua et tulit eum occulte in domus suam. Mane autem facto venit ad civitatem prædicans verbum Dei. *Populus autem ut vidit B. Venantium prædicantem, admirans dixit: Quia magnus est Deus Christianorum, qui facit mirabilia et signa magna in servo suo Venantio: et percutiebant pectora sua, et convertebantur, et baptizabantur in fide Christi.* Videns autem Rex Antiochus quod superare eum non posset, infra se cogitare cœpit, et vocare eum honorifice in palatio, et præcepit ministris ut ligarent ei manus et pedes, et extra murum urbis præcipitem darent. Tunc fecerunt ministri sicut præceperat eis Rex: putabant autem quod mortuus esset. Ac præcepit suis Rex, ut traherent eum in convallibus, ut comederent eum aves cœli et bestiæ terræ. Cumque issent ministri, ut facerent quod Rex præceperat, invenerunt eum dissolutis manibus et pedibus, orantem et dicentem: Custodi me, Domine, ut pupillam oculi, sub umbra alarum tuarum protege me, a facie impiorum qui me afflixerunt: tu autem, Domine, susceptor meus es, gloria mea et exaltans caput meum: ne derelinquas

dire raptatur:

deinde ex muro urbis præcipitatur:

A *pro mortuo derelictus,* quas me, Domine Deus salutis meæ : eripe me de inimicis meis Deus meus, et ab insurgentibus in me libera me. Videntes autem ministri quod nihil proficerent, cœperunt tamdiu eum cædere, quamdiu putarent eum mortuum esse. Sed cum viderunt eum vivum, misso fune in collo, in pedibus suis traxerunt eum prope milliario uno, relinquentes eum quasi mortuum, dicentes unusquisque ad proximum suum, Sitim patior.

sitientibus tortoribus suis aquam miraculo impetrat, 14 Audiens hæc B. Venantius, languens surrexit, et genua in terra fixit, et oculos ad cœlum levavit, et oravit dicens : *Domine Deus omnipotens, qui de petra aquam Moysi famulo tuo dedisti* coram filiis Israel, propter duritiam cordis eorum qui erant rebelles et increduli; tu ostende signa et fac mirabilia, ut videant tyranni isti, et educ de petra ista aquam, ut videant tyranni isti; *et educ de petra ista aquam, ut satientur* et sentiant, *et cognoscant quia tu es Deus solus* laudabilis et gloriosus in secula seculorum, Amen. Et *fecit signum Crucis in petra, et divisit* in utraque parte, *et manavit aqua clarissima. Videntes autem Ministri Regis obstupuerunt : et mittentes se ad pedes B. Venantii ei dixerunt : Sanctifica nos Pater : ora pro nobis ne pereamus, misertus nostri.* B Nos vidimus et scimus, *quo conversi illi,* quia non est alius Deus nisi quem tu affirmas. Pater sancte, ostende nobis Dominum viventem in secula, ut laudemus nomen ipsius et glorificemus, et serviamus illi soli, qui est benedictus. *Sicut tu, Pater sancte, volumus pro nomine ejus subire sententiam, et non timebimus a facie Imperatoris.* Prædica et ostende nobis Christum, cujus filius est. Ut audivit B. Venantius clara voce dixit : Gloria in excelsis Deo et in terra pax hominibus bonæ voluntatis : ipse dedisti eis sapientiam et scientiam qui de Christo interrogare incipiunt. Et narravit eis de nativitate vel de passione, de resurrectione et ascensione ejus, de inflammatione Spiritus sancti et de divisione linguarum, et aliquid de gestis Apostolorum vel Martyrum.

fidemque confessi, 15 Unus ex his, quando recepit verbum Christi, renuntiavit Imperatori dicens : O Rex, triginta et duos viros Romanos transmisisti ad Venantium, ut martyrium ei facerent : ipsi vero conversi sunt ad fidem Christi. Rex ut audivit de Romanis, maxime iratus flevit ipse et omnes qui coram stabant, pro eo quod erant illustres Romani ex genere Regali, et potestatem Romæ tenebant, et eruditi in omni arte litterarum. Rex fecit eos venire ad se, et dixit eis : O filii mei, dereliquistis patres et matres et parentes C vestros divites et nobiliores, et vultis credere uni insano capiti, et adorare Christum quem Judæi crucifixerunt et illuserunt. Recedite ab insania ista, et colite Dominum immortalem Jovem, et dabo vobis aurum et argentum ac vestem mirabilem, ut sitis primi in regno meo. Audientes dicta Regis, responderunt et dixerunt : Nos credimus in Christum crucifixum, quia ipse est salvator, faciens signa et mirabilia in cœlo et in terra, quæ facit quotidie in servum suum Venantium. O Rex cur non erubescis in Deo tuo? nihil enim sunt dii tui, quos colis. Rex dixit, Unde vos scitis? Illi autem dixerunt : Nos semper vidimus Dominum Deum tuum, tamen nec signa nec mirabilia cognovimus de illo, sed est tribulatio et detrimentum animarum hominum.

Leontio pro omnibus loquente, 16 Rex dixit, Vos qui talia dicitis, [unde scitis] quis est Deus Christianorum? Leontius dixit : Nos scimus quod Deus cœli fecit cœlum et terram, et cuncta animantia quæ sub cœlo sunt : fecit hominem ad imaginem et similitudinem suam, formavit eum de terra, et dedit ei Evam similem sibi in adjutorium. Deinde venit diabolus, et suasit eis interdictum fructum comedere. Post hujus trangressionem Deus ejecit eos de Paradisi gloria, maledixitque eos et dixit, In sudore vultus tui vesceris pane tuo, pro eo D quod obedisti voci uxoris tuæ plusquam meæ. Et *EX MS. CAMER* clausus est Paradisus, et posuit Deus Cherubim et flammeum gladium atque versatilem ad custodiendam viam ligni vitæ. Ex hoc accepit diabolus principatum in homines, et deduxit in interitum et in errorem, usque dum misit Deus Verbum suum in terris, natum de Virgine, factum sub Lege, ut eos qui sub lege erant redimeret : ad templum offertus fuit, et circumcisus fuit : a Joanne baptizatus in Jordane duodecim discipulos habuit : unus ex his periit, accepit pecuniam, et tradidit Dominum et magistrum. Crucifixus fuit, lanceatus : sanguis et aqua inde manavit : spiritum emisit, in sepulcro jacuit, *et mysteria Christiana explicante,* infernum expoliavit et omnia vasa ejus confregit : tertia die surrexit, et manuum et lateris vulnera discipulis suis ostendit : et dedit potestatem discipulis suis dicens, Ite in omnem terram et prædicate dicentes, Qui crediderit et baptizatus fuerit, salvus erit; qui vere non crediderit, condemnabitur : signa eos qui in me credunt hæc sequentur, in nomine meo dæmonia ejicient, super ægros manus imponent et bene habebunt. Post hæc dedit eis potestatem ligandi et solvendi in cœlo et in terra : deinde ascendit in cœlum, et sedet a dexteris Dei. E Peractis a sua in cœlos, ascensione decem diebus, venit ad discipulos suos ut daret eis gratiam Spiritus sancti : et invenit eos congregatos in unum, et factus est repente de cœlo sonus tamquam advenientis spiritus vehementis, et replevit totam domum ubi erant sedentes, et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tamquam ignis, seditque super singulos eorum Spiritus sanctus : et erant ibi Judæi viri religiosi ex omni natione quæ sub cœlo est. Spiritus sanctus illo die, videlicet Pentecostes, super Apostolos descendens, dedit illis omnia genera linguarum, et divisit eos in omnem terram, ut prædicarent et baptizarent in fide sanctæ Trinitatis. Illi autem profecti prædicaverunt ubique, Domino cooperante et sermonem confirmante sequentibus signis. Nos autem, qui renati sumus ex aqua et Spiritu sancto, prædicamus et testamur, quia ipse est Judex virorum et mortuorum.

17 Rex autem ut audivit, iratus est nimis, et dixit : O Venanti, cur perpetrasti talia in me? qui regnum meum abstulisti a me. *vincti mittuntur Romam ad suos.* Quare nobiliores et potentiores et pugnatores abstulisti a me? Hæc ideo dicebat Rex, quia non erat ausus eos interficere : sed præcepit afferri collares aureos et catenulas argenteas, et misit in colla eorum, remisitque F eos Romam ubi erant parentes eorum. Parentes autem ipsorum videntes eos cum collaribus et catenulis, irati valde dixerunt : Perficiamus fœdus inter nos, ut Rex Antiochus amplius non imperet Romæ. Et ejecerunt omnes Primates Regis, et Quæstionarios, et Judices, et Optimates omnes foras miserunt. Tunc *Venantio capite plexo* præcepit militibus ut decollarent eum, et decem viros Romanos cum ipso. Cum ita educti essent, et B. Venantius ad locum damnatorum pervenisset, oravit et dixit : Domine Jesu Christe, Pater bone, suscipe spiritum meum : ne nos permittas perire, quia tuæ creaturæ sumus : erue nos de manu draconis qui nos persequitur : sed leo de tribu Juda, radix David, qui conteris bella, suscipe spiritum nostrum. Et hæc dicens consignavit se : et alii decem, qui cum illo decollandi erant, consignaverunt se : et dixerunt, suscipe, Deus, spiritum nostrum. Et statim decollati sunt.

et sepulto, 18 In ipsa hora tanta fuerunt tonitrua et coruscationes in civitate, ut omnes putarent se esse mortuos : et clamabant cum tremore, Adjuva nos, Beate Venanti. Rex vero, ut talia vidit, in fugam versus est nocte illa contra partem Romæ. Venerunt autem

A tem Christiani et collegerunt corpora Sanctorum, et sepelierunt extra civitatem prope milliarium unum in sarcophago nocte xv Kal. Junii : quo ibidem de regione Paganorum totidem baptizati sunt in fide Christi. Nuntius venit Imperatori ex partibus Romæ, quod Optimates et Judices et Præcones expulsi essent Romæ : perrexit in Albana, et ibi moratus est per aliquot dies. Audierunt autem viri Romani, et ejecerunt eum : et dum ejectus esset, perrexit in silvis, ibique ab æstu et fame mortuus est Antiochus Rex.

EX MS CAMER.

Antiochus male perit.

19 Cum audissent Leontius et Euprepius cum sociis suis de Rege quod factum fuit, magis crediderunt : sed cogitaverunt, de B. Venantio quid essent facturi. Tunc miserunt exquisitores ut inquirerent, quid de eo vel de sociis ejus agerent. Tunc venerunt in partem Camerinæ urbis, et audientes signa et mirabilia gavisi sunt, et venerunt ad tumulos beatorum Sanctorum, ac deprecati sunt eos : et ibidem erant plus quam mille animæ hominum. Tunc viderunt eos viri civitatis et interrogaverunt eos et dixerunt, Unde vos estis? Exquisitores dixerunt, Ex partibus Romæ, Cives dixerunt, Et quid quæritis? Illi autem dixerunt, Venantium. Tunc viri civitatis narraverunt omnia quæ de his gesta fuerant : et interrogaverunt eos de Antiocho quid esset factum. Romani dixerunt, Turpissima morte extinctus est. Viri civitatis dixerunt, Cujus exquisitores vos estis? Qui dixerunt Leontii et Euprepii et sociorum suorum. Dixerunt populi, Forsitan ipsorum, quibus Rex posuit collares aureos et catenulas argenteas? Responderunt, Ipsorum nuntii nos sumus, Cives dixerunt : Renuntiate Dominis vestris ut accipiant Pontificatum ex virtutibus Romanis, et veniant in hanc civitatem, et tollant aurum et argentum ac vestes mirabiles et gemmas pretiosas, et judicent quid faciendum sit de Deo Jove : nos autem timemus infringere ipsius faciem Imperatoris causa. Audientes hæc Romani, gavisi sunt valde : et viri civitatis dederunt eis pecuniam, et remisserunt eos Romam. Tunc nuntiaverunt Dominis suis signa et mirabilia, quæ Dominus dedit per servum suum Venantium : illi autem audientes de signis gavisi sunt, laudaverunt Dominum et benedixerunt.

Leontinus et socii Camerinum mittunt exploratores suos :

B

quibus visa et audita Romæ referentibus,

20 Eadem hora perrexerunt ad Beatum Joannem Papam, et narraverunt omnia quæ a Sanctis gesta fuerant. Ille autem, ut audivit, genua fixit in terra, et oculos ad cœlum levavit, gratias agens Deo, quod tam magna audivit de servis suis. Tunc Beatus Papa Joannes consecravit Leontium Archiepiscopum, et Archidiaconum Euprepium, et omnes alios in ordinem Clericorum : et accepta benedictione reversi sunt gaudentes in domum suam. Et tulerunt nocte aurum et argentum, et venerunt in civitatem Camerinæ urbis. Tunc populi susceperunt eos honorifice, et venerunt ad tumulos Sanctorum : ubi videntes signa et mirabilia, quæ ostendit Deus per servos suos, gaudentes et lætantes benedicebant Dominum. Postea venerunt ad domum Jovis, atque confregerunt illum : et condiderunt altare in honore beatæ Virginis Mariæ ex auro et argento et gemmis pretiosis : sed supra corpora beatorum Sanctorum duodecim altaria condiderunt, et domum ædificaverunt ampliorem et mirabiliorem. Sed ex thesauris Antiochi Imperatoris, de auro et argento et gemmis pretiosis, deornaverunt tumulos Sanctorum

Joannes Papa Camerini Episcopum et Clerum ordinat,

C

ædificatur ecclesia,

21 Leontius, Euprepius, Anthimus et Sixtus, Paternianus, Pastor, Geminianus, Leo, Constantinus nepos Constantini, Hieronymus, Enesseus, Miniatus, Clarius, Elearanus, Ossi, Mero, Tiberius, Donatillus, Agarius, Metropon, instituti Clerici fuerunt, et vitam Sanctorum duxerunt. Per illos ostendit Dominus signa in vita ipsorum. Sed et illi qui ab Antiocho interfecti fuerunt, Anastasius cornicularius et Theopista uxor sua, et quatuor filii et duæ filiæ, hæc sunt nomina eorum : Ebodis, Aradius, Calistus, Felix ; filiarum, Euphemia, Primitiva. Socius autem fuit B. Venantii Porphyrius Sacerdos, sed antea vitam finivit diebus quindecim. Nomina autem eorum, qui cum B. Venantio vitam præsentem amiserunt, hæc sunt : Ammemona, Euphus, Julianus et Marius, Silanus et Orion, Dioscorus, Vientius, et Julianus, Triphon, et alii quorum nescimus nomina, mille quingenti viginti quinque, quos infra civitatem Camerinam [Antiochus occidi fecit. Nam] quia ipsa civitas Camerina Camera Regis erat, et Rex ibi morabatur, propterea plures Sancti ibi pro nomine Christi interfecti fuerunt. Per intercessionem eorum et cunctorum Sanctorum perducat nos D. N. Jesus Christus ad regna cœlorum : qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus per immortalia secula seculorum. Amen.

D

Martyres honorantur.

ANNOTATIO CRITICA.

Hæc *Acta, suadente Henrico Lindano, Societatis nostræ Sacerdote atque in Lauretana æde Pœnitentiario, anno* MDCXLIX, *ex veteri membraneo codice Abbatiæ S. Eutitii, Camerino distantis* XX *p. m. Nurcia* VI, *describi nobis publica ac notariali fide jussit Perillustris et Reverendiss. D. Jacobus Crescentius, Nobilis Romanus et prædictæ Abbatiæ Commendatarius perpetuus. Ipse Codex, vel Camerino allatus, vel ex Camerinensi alio antiquiori descriptus, continet originariam omnem notitiam, quæ de Sancto Venantio Camerini habebatur, tunc cum ordinata fuerunt Missa et Officium hujus Sancti; quæ habemus ex Missali ac Breviario vetusto Ecclesiæ S. Venantii Camerinensis, tamquam in ea ab antiquo usurpata, donec sacra Rituum Congregatio intercessit, jussitque omnia fieri de communi. Congregationem movit haud dubio evidens fabulositas, quam continebat chimericum plane commentum de Antiocho Rege et Imperatore, Romano quidem, sed palatium Camerini habente; deque nes io cujus Beati Joannis Papæ Pontificatu, cum eo nomine ante seculum* VI *nullus Ecclesiæ Romanæ præfuerit. Non aderant quidem in prædicto Breviario, seu potius Antiphonario, cum cantu notisque descripto, Lectiones ipsæ, utpote quas moris erat ex Passionali seu Legendario, adhoc specialiter absque cantu et notis descripto, recitari : sed pro Lectionibus fuisse ea quæ jam dedimus Acta, certum faciunt Antiphonæ, Versiculi et Responsoria, omnia et singula ex iisdem verbotenus excepta, prout ea speciali charactere imprimi fecimus.*

Ab his Actis, ex veteri MS. acceptis,

E

et inter divina legi solitis,

2 *Ad hujus porro asserti confirmationem alteriorem facit* Antiphona ad Benedictus, *eodem prorsus quo Acta exhibent ordine, complectens tormenta Sancto ab illis adscripta, sub hujusmodi synopsi :* Ligatus et missus in carcerem, dispoliatus et suspensus in aerem, adustus lampadibus, positus in equuleo supra fumum, mactatus dorso, cæsus virgis, tonsus coma, fustigatus, prunis aspersus fuit Martyr Christi, contusis maxillis et dentibus, leonibus datus, in sterquilinio jactatus, præcipitatus extra murum, raptus per convalles et agrestia loca, demum decollatus ab Antiocho B. Venantius. Alleluia. *Ex iisdem Actis desumpta etiam fuit materia quatuor Hymnorum ad utrasque Vesperas, Matutinum et Laudes; et aliorum, forsan pro Octava compositorum, similiter quatuor, non invenusti pro eo seculo, quos tamen quia nihil novi docere nos possunt prætermitto. Prætermittere tamen nequeo istud principium Sequentiæ (ut vocant) ante Evangelium cantandæ :*

F

acceptæ reliqua partes Officii proprii.

Venantius egregia est genitus prosapia,
In civitate regia, olim dicta Valeria,
Nunc Camerinum appellatur,
Regisque Camera vocatur.

Viden'

A *Viden' etiam ultimam Actorum clausulam, in hujus sequentiæ principio expressam? Nihil ergo dubita quin Acta illa, sic ut dedimus, ipsa sint quibus ut suis usa est Camerinensis Ecclesia; simulque intellige, omnia esse temporis illius barbarissimi, quo, abolita legitimarum antiquitatum memoria, Italicæ urbes variæ ex suis nominibus, sæpe perquam ridicule interpretatis, comminiscebantur fabulosas suarum appellationum causas, ut* Mediolanum, *ab ove medio dumtaxat corpore lanam habente et istic nata;* Arianum, *velut ab Ara-Jani refossa, aliaque similia.*

Ea non sua antiquitate mendosa,

3 *Cardinalis Baronius, in suis super Romanum Martyrologium Annotationibus* XVIII *Maji, ad nomen* S. Venantii, *sic scribit* : Vidimus tabulas Ecclesiæ Camerinensis (*puta Missam atque Officium proprium*) nec non ejus Acta et Sociorum Martyrum, quæ tamen ob nimiam temporis vetustatem superinducta mendis, censura egent et castigatione non modica. *Solet sane antiquitas magna temporis, dum alia ex aliis identidem transcribuntur exempla, per manus vel imperitas vel incuriosas librariorum, etiam optimis quibusque monumentis obscuritatem quamdam inducere, truncando vel alterando voces aliquas, et nominum propriorum vel numeralium notarum formas, sic ut non nisi* B *fastidioso labore pluriumque inter se MSS. collatione valeant plene expurgari : sed his amotis, quanto antiquiora sunt Acta Sanctorum, tanto fere sunt credenda sincera magis ac fide digniora. Quod autem quædam toto fere contextu appareant fabulosa, id plerumque non facit excessus, sed defectus congruæ vetustatis. Quid enim de rebus antiquissimis potest certo credi, si non ab antiquissimis auctoribus fuerit scripto mandatum? Cum vero post plurium seculorum decursum, ætate media ac plane barbara, præsumpserunt aliqui defectum vel jacturam monumentorum antiquorum supplere narrationibus, poetice potius quam rhetorice adornatis, per homines in id unum intentos, ut admirationem cierent legentium (qualis omnino is fuisse videtur, qui* Venantii *Passionem consarcinavit) quid nisi insulsas et toti antiquitati contrarias darent, partim ex male digestis vulgi traditionibus, partim ex adinventionibus propriis, dum notitiam veri vel nullam vel exiguam nituntur in amplam Legendam extendere?*

sed novitate dici possunt fabulosa.

Decii nomen pro Antiocho supposuit Equilinus,

4 *Petrus de Natalibus Episcopus Equilinus, in suo Sanctorum Catalogo lib.* 5, *scripto sub ann.* MCCCCLXXXII, *breve ex Actis compendium texuit; et* Antiocho Rege et Imperatore *prorsus expuncto, sic exordiri maluit* : Venantium Martyr in civitate Camerina passus est, tempore Decii Cæsaris : qui a Præside tentus, cum C Christum Dominum confiteretur, primum quidem fustibus cæsus deinde in carcere missus, sed ab Angelo confortatus est. *Hoc licet alio nullo antiquo auctore nixus Equilinus fecerit, neque Decianæ persecutionis vestigium præferant Camerinensium monumenta; placuit tamen Cæsari Baronio, tamquam unice expediens ad reducendum in ordinem* Antiochum, *ablegandumque ad classem Præsidum urbanorum. Secuti sunt passim scriptores ceteri, videlicet Auctor Italicæ Vitæ, ad instantiam Perbenedicti Marini anno* MDCXI *impressæ Camerini, in qua* Antiochus *appellatur* Camerinæ urbis sub Decio Præfectus; *Andreas Perbenedictus Camers, Episcopus Venusinus, in Repræsentatione sacra Vitæ et Martyrii S. Venantii, justo libro in scenam Italice deducta, Senatuique et Populo Camerinensi dicata atque impressa anno* MDCXVII; *Joannes Andreas Gilius in suis Annalibus, vulgari etiam lingua editis lib.* 2 *agens de Persecutionibus Ecclesiæ, brevique epitome totam Martyrii Venantiani seriem complexus; Auctor denique novarum sub Æmilio Alterio Episcopo Lectionum, quas Roma recepimus anno* MDCXL, *et nunc ab anno* MDCLXX *Romano Breviario ad communem totius Cleri usum insertas recitamus.*

cui Præsidem Antiochum alii junxerunt;

5 *Denique, ante hos circiter sex vel octo annos,* Romanis typis, volumine exiguo in 12, (*uti nobis scribit* D *Nicolaus Bartolini ex Congregatione Presbyterorum Matris Dei*) prodiit sancti Martyris Venantii Vita, auctore Joanne Philippo Bandini, Italico sermone, tribus libris descripta; sed stylo tam turgido, ut non Sancti historiam veritate probabilem piorum auribus, sed otiosæ plebeculæ romanciam composuisse videatur, pene destruens quam ad Lectorem præstruxerat fidem egregie navatæ a se operæ in conquirendis sacri Pugilis notitiis, per loca sæpius a barbaris populata et incensa, cujus principium hac synopsi stringitur. S. Venantius patria Camers, Fabiano Papa, Maximino Imperatore anno CCXXXVIII progenitus, Soprino ac Benedicta parentibus, a Porphyrio Presbytero baptizatus pieque enutritus, a teneris annis antra incoluit : eoque duce sub Decio ad Amiterni vallem in Samnitibus secedens, non procul ab oppido cui nomen vulgo Raiano, claruit fama sanctitatis vel in parvulo adultæ, ac prodigio marmoris ipsius vestigia plusquam cerea facilitate induentis. Evocatus Corfinium, urbem nunc excisam, pacavit seditionem civilem. Reversus ad Porphyrium, ut ambo ad confitendum Christi nomen in apertum prosilirent, precibus evicit : unde postea apud Antiochum Præfectum delatus. *Hactenus in epistola ad* E *nos data anno* 1675 *Nicolaus Bartolinus, animadvertere jubens, nihil eorum quæ hic tam asseveranter dicuntur, sic dici in Legenda originaria : quæque ideo solum adducere volui, ut appareat qua ratione amplificentur fabulæ; dum in silentio antiquiorum aliquis præsumit, licitum imo expediens esse, ut rudis indigestaque traditio vestiatur omnibus circumstantiis, ad plenam historiam requisitis, quamvis eas oporteat comminisci.*

EX MS. CAMER. novasque circumstantias plures,

6 *Manet interim verum quod dixi, primum esse Petrum de Natalibus, qui* Decium *in historiam adduxit; neque aliunde quidquam haberi, quo probetur vel sub eo passus esse Venantius, vel Camerini vixisse* Antiochus *aliquis. Hunc vero apparet non posse, ex supremæ potestatis Regiæ culmine, ad unius urbis Præfecturam detrudi, nisi subversis funditus Actis iis, ex quibus tamen solis innotuit; sicut ex iis solis innotuerunt tormentorum S. Venantio inflictorum genera, ipsiusque pusilla ætas quindecim dumtaxat annis definita; et gemina Martyrum Camerinensium turma, altera cum Anastasio Corniculario ad diem* XI *Maji, altera cum integro civium millenario ad* XXIX *inscripta hodierno Romano Martyrologio. Primam ad dictum diem dedimus, non sine scrupulo; secundam dare non putamus necessarium. Quia tamen dubitari vix potest, quin persecutionum tempore Camerinum, æque ac ceteræ civitates Italicæ, multos Martyres cœlo transmiserit; et quorumdam nomina conservasse potuit memoria posterorum, confusa licet atque obscura; putamus etiam fieri potuisse, ut scriptor Actorum S. Venantii, veros aliquos et veris nominibus notos Martyres Camerinenses, in suam historiam traxerit; licet forsitan diu antea aut postea passos : sicut in eam traxit* S. Porphyrium Presbyterum, *quem minime confictum esse probat adhuc superstes corpus in antiquissima marmorea arca.*

non nisi ex conjectura incerta.

Socii Martyres æque incerti sunt, F

7 *Hoc sane modo illuc attractus fuit Leontius, si talis aliquis revera fuit a Joanne quodam Papa Camerinensis Episcopus ordinatus : sed is nequaquam fuerit primus : siquidem anno* CCCCLXV Gerontius Camerinus *inter* XLVIII *Episcopos nominatur, qui Romana in Synodo convenerunt sub Hilaro Papa. Gerontio potuit successisse* Bonifacius Camerinensis, *in Synodo Romana* III *sub Symmacho nominatus anno* DI. *Hinc usque ad* Projectum, *qui integro sesqui seculo post floruit, nullius Episcopi Camerinensis nomen innotuit : et rursus usque ad* S. Ansovinum, *anno* DCCCXXII (*uti ad Vitam ejus docuimus*), *ordinatum, duo solum nominantur Episcopi : unde apparet, illius urbis monumenta omnia deperdita fuisse, cum iisque etiam verum tempus prædicti*

uti et Leontii Episcopi ætas,

EX MS. CAMER.

A prædicti Leontii. *Sub hoc, ad* VII *vel* VIII *seculum forsan referendo, potuit repertum esse* S. Venantii *corpus, eatenus apud Camerinenses ignoti, sub indicio appositi in Laterculo nominis : quem puerum quindecennem credi fecerit exilitas ossium, Martyrem vero dissectum vel divisum cranium : cujus* pars superior a naribus usque ad verticem, formam scutellæ referens, *teste Joanne Andrea Gilio,* cum aliis pluribus Reliquiis inventa fuit anno MDLVIII die XXII Martii. *Ex quo novum accedit argumentum contra fidem Actorum, quæ* decollatum fuisse Sanctum *asserunt. Idem Gillius ait :* Camerinos S. Venantio, de muris suæ civitatis dejecto, acceptum referre : quod licet non raro contingat aliquos ex iisdem decidere, sine noxa tamen graviori sit casus. *Quid autem si suspicari velit quispiam, Sanctum juvenem in aliqua, non tam persecutione, quam grassatione barbarica, sub Longobardis aliisve gentilibus, dejectum e muris, dissipatoque per lapsum cranio Martyrem obiisse, extra omnem judicii formam, cujus deinde passionem fabulator aliquis, sic vidimus, adornarit? Nolim ego id affirmare. Proponere tamen lectori volui, ut secum ipse statuat, quid et quatenus credere Actis velit compendiisque inde sumptis.*

et tempus ac genus mortis S. Venantio illatæ.

B *Nos primum in hoc die locum* S. Venantio *damus : quia si hic ei non convenit, tamquam ante alios passo ; convenit saltem, ut colendo præ aliis ex Apostolicæ Sedis mandato.*

8 *Georgius Cardosus, in Hagiologio Lusitano hoc* D *die, meminit alterius* S. Venantii Martyris, *ex cœmeterio Priscillæ Roma Olisiponem allati ad conventum Patrum Theatinorum, a Divina providentia cognominatorum ; cum hac authentica.* Nos Antonius Barberinus, Episcopus Tusculanus, Cardinalis Antonius nuncupatus, S. R. E. Cardinalis et magnus Regni Franciæ Eleemosynarius, introscriptam majorem partem reliquiarum Corporis S. Venantii Martyris, nobis donatam, cum iisdem facultatibus donamus et concedimus Illustriss. et Excellentiss. Domino Equiti, D. Francisco de Sousa et Coutinho, Regis Lusitaniæ Oratori, adeo ut de illis seu parte illarum vigore dictarum facultatum, disponere possit omni meliori modo etc. Datum in Palatio nostræ solitæ residentiæ, x Januarii MDCLIX. *Adsunt in eadem capsa cannæ duæ* S. Hyacinthi Mart. et S. Vincentii Mart. *Quæ omnia ut licite ad publicam venerationem exponi possint, rite recognita fuerunt ab Episcopo Targensi, D. Francisco de Solomajor, tamquam Provisore Capituli Sede vacante,* XIV *Junii* MDCLX. *Recte autem animadvertit Cardosus, hunc diem ejus cultui esse electum ; non quia nunc passus credatur (Natalis enim istius et omnium similium ignoratur) sed quia nunc* E *aliquis ejus nominis in Romano Martyrologio occurrat. Quod cur minus probemus, jam sæpe diximus.*

Alius Venantius M. Romanus Olisiponæ.

NOT. ULT POST INDICEM MORALEM

DE SANCTIS MARTYRIBUS ALEXANDRINIS

G II.

PATAMONE, HORTASIO, SERAPIONE PRESBYTERIS, PANTHERO, DIOSCORO, PALMO, PETECONDO DIAC. CENRONO, DATIVO, LUCIO, MAXIMA, HERMONE LECTORE, ET ALIIS QUATUOR

Ex Martyrologio S. Hieronymi.

XVIII MAII

Antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa ab his sanctis Martyribus auspicantur diem, et vetustissimum quidem Epternacense sic : XV Kalendas Junii Alexandria Patamonis Presbyteri, Ortasi, Serapionis Presbyteri, Pantheri, Dioscori, Palmi, Petegondi Diaconi, Cenroni, Da- C tivi, Luci et Maximæ, Hermonis Lectoris, et aliorum IV. *In numero Martyrum consentiunt alia ejusdem Martyrologii apographa, cum aliqua tamen differentia : nam* Patamon, *dicitur Lucensi* Pantamon, *et loco* Ortasi *in aliis est* Hortasii *et* Hortasi, *idque* Presbyteri *in Lucensi et Blumiano; et loco* Petegondi *scribitur* Petecon *et* Pentecon : *et pro* Cenroni *etiam* Cerron *in dictis duobus habetur. Præclarum MS. Reginæ Sueciæ, ab Holstenio æstimatum, eumdem numerum, sed paucis nominatis, indicat his verbis :* In Alexandria natalis SS. Pantamion, Ostasii et Serapionis Presbyterorum cum aliis tredecim. *Eadem sine illis* tredecim *habet Notkerus. At Rabanus, interposito Marco Papa, ista scribit,* XV Kalendas Hortasii et Sercipionis Presbyteri, et Marci Papæ, et Potamionis. *Quæ plane eadem translata sunt in Martyrologium sub nomine Bedæ vulgatum : quo citato agitur in hodierno Martyrologio Romano de* Potamione Episcopo Heracleæ in Ægypto, *sub Constantio martyrii palmam adepto : de quo et nos infra agemus. At quis iste* Marcus *Papa? Num Romanus, qui* VII *Octobris colitur, an vero, qui in* F *Auctario Greveni ad Usuardum* Episcopus et Martyr *cognominatur, et* Evangelista *in MSS. Augustano Labbæano, et Tamlachtensi dicitur? Si ita : intelligendus est* S. Marcus Evangelista, Episcopus Alexandrinus et Martyr, *a quo alii fuerint ad fidem conversi. De hoc egimus* XXV *Aprilis. Meminerunt eorumdem Martyrum Alexandrinorum, saltem variorum MSS. Aquisgranense, Richenoviense, Rhinoviense, Barberinianum, Vaticanum S. Petri, Atrebatense, Tornacense, Trevirense S. Maximini, Augustanum et Labbæanum, Tamlachtense cum Auctario Greveni ad Usuardum, et in nonnullis nominatur* Maximus, *qui supra est* Maxima : *et* Hortasius *etiam* Presbyter *in variis dicitur.*

An Marcus jungendus?

DE S. DIOSCORO LECTORE

G. H.

MARTYRE IN ÆGYPTO.

EX MARTYROLOGIO S. HIERONYMI.

VIII MAJI

Secundo loco indicatur hic Martyr in antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis, et in vetustissimo Epternacensi ista habentur: In Ægypto Dioscori Lectoris. *In aliis tribus apographis additur;* qui multa passus est. *Petrus de Natalibus lib. 5 Catalogi cap. 11, citato Hieronymo in Martyrologio suo, ista habet:* Dioscorus Lector et Martyr apud Ægyptum passus est: in quem detentum Præses multa et varia tormenta exercuit, ita ut unguibus carnes ejus effoderet, et lampadibus ejus latera inflammaret. Sed cœlestis luminis fulgore perterriti ceciderunt ministri. Novissime laminis ardentibus adustus, martyrium consummavit xv Kalendas Junii. *Hæc Petrus de Natalibus, quæ eadem leguntur apud Usuardum, Adonem, Notkerum, et recentiores cum hodierno Martyrologio Romano, ut videatur aliquis multo antiquior talia olim scripsisse, sive is S. Hieronymus (ut putavit Petrus) sive alius fuerit. Baronius in Notis multa addit de laminis ardentibus, pro cruciamento applicari solitis, quæ ibi videri possunt, et passim in Actis Martyrum occurrunt. Wandelbertus hoc eum versu exornat.*

Quintam cum decima Martyr Dioscorus implet.

Saussayus in Martyrologio Gallicano ista scribit: Leodii commemoratio natalis S. Dioscori Lectoris, hodie martyrio laureati in Ægypto, ex antiqua observatione, ob pignora ejus pridem recepta. *Mirum unde hoc Saussayus acceperit: nam in antiquis et recentioribus Breviariis Ecclesiæ Leodiensis, quæ varia habemus, nulla hujus sancti fit mentio: sed neque apud Leodiensi rerum scriptorem. Si saltem ecclesiam nominasset Saussayus, ad quam delatæ Reliquiæ sint; liceret accuratius quærere in veritatem: id cum non fecerit, restat ut Leodiensium aliquis ultro nobis suggerat, numquid forte in ea urbe reperiatur, quo possit Saussayi assertum confirmari.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

EUCHO, SIVE EFFUHO, SERAPIONE, BUSTASIO PRESB. PATAMONE, PANTHERO, PETEGLONO, DIERANTO LEC. DATIVO, MARCIANO, LUCIOSO, LUCIANA, ÆGINA,

G. H.

BYZANTII, NUNC CONSTANTINOPOLI.

EX MARTYROLOGIO S. HIERONYMI.

XVIII MAJI

Progredimur cum apographis Martyrologii Hieronymiani, et in horum antiquissimo Epternacensi ista legimus: Constantinopoli Euchi, Serapionis, Bustasi, Presbyteri, Patamonis, Pantheri, Petegloni, Dieranti Lectoris, Dativi, Marciani, Luciosæ, Locani, Egenæ. *Iidem omnes habentur in aliis ejusdem Martyrologii codicibus; sed loco* Euchi, *legitur* Effluchi, Effuci *et* Eseichi: *atque pro* Petegloni, *est* Peteclandi *et* Petedondi; *uti et pro* Dieranti, *habetur* Eran *et* Æram. *Eodem modo loco* Luciosæ *et* Locani *in aliis tribus est* Luciosi *et* Lucianæ. *Demum* Egena *scribitur* Egina *et* Ægina. *Ex his aliqui in aliis Martyrologiis reperiuntur. In MS. Romano Cardinalis Barberini, Trevirensi S. Maximini, et Leodiensi S. Lamberti ista leguntur:* In Constantinopoli, Dativi, Luciosi, Marciani. *Iidem, non indicata palæstra, memorantur in MS. Pragensi. Ita etiam in MS. Augustano S. Udalrici fit mentio* Dativi, Ortasii, Luciosi; *sed in MS. Parisiensi Labbæi scribuntur* Dativus, Hortasius, Luciosa. *In MS. Hibernico Tamlachtensi indicantur nomina* Bostasii, Potamonis, Pontini, Pedecladi, Dativi, Marciani, Luciosi, Lucianæ, et Agnæ *pro* Æginæ. *De quampluribus Martyribus Byzantii coronatis, et dein communi phrasi Constantinopoli adscriptis, actum est die* VIII *hujus mensis Maji. Notkerus ista habet.* Constantinopoli Hesichii et Eustachii. *Videntur positi loco* Euchi *sive* Effuchi *et* Bustasii: *et quidem (si solam rationem spectes) multo rectius; cum nomina ista vere Græca sint, expressa autem in Martyrologiis pleraque corrupta videantur; non tamen in nominibus propriis referendis libenter discedimus a consensu vetustiorum MSS.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS

NOT. 13** APP. TOM. VII MAJI G.H.

CASSIO, VICTORE, JULIANO, ET LUCEGIA VIRGINE.

EX MARTYROLOGIIS MSS.

XVIII MAJI

Duo priores Martyres referuntur in apographis Martyrologii Hieronymiani, item in MSS. Barberiniano, Pragensi Augustano S. Udalrici, Trevirensi S. Maximini, Leodiensi S. Laurentii, Parisiensi Labbæi, et Tamlaciensi. Prior Cassius, *etiam* Cassus *et* Casius *scribitur; in MS. autem Corbeiensi Parisiis excuso additur* Julianus. *In MS. Adone Leodiensi monasterii S. Laurentii, post relatos Constantinopolitanos, legitur :* Et alibi Cassii et Victoris, item Lucegiæ Virginis. *Quæ sic quoque scribuntur in MS. Florario :* Item SS. Cassii et Victoris, Sanctæ quoque Lucegiæ Virginis. *An hæc etiam Martyr et cum aliis passa sic, non liquet.*

DE SANCTA EUPHRASIA

B

MARTYRE NICÆÆ IN BITHYNIA.

E

G.H.

EX GRÆCORUM SYNAXARIIS MSS.

XVIII MAJI

In illustri codice MS. Græco Mediolanensi bibliothecæ Ambrosianæ, signato littera T et num. 364, *hoc elogium ad* XVIII *Maji extat.* Αὕτη ἦν ἐκ πόλεως Νικαίας τῆς κατὰ Βιθυνίαν, κατὰ τοὺς χρόνους Διοκλητιανοῦ καὶ Μαξιμιανοῦ καὶ Πρισκιλλιανοῦ Ἄρχοντος, πρὸς ὃν ἀχθεῖσα, διὰ τὴν εἰς Χριστὸν πίστιν, τύπτεται μάστιξιν κατὰ τῶν μαστῶν, καὶ τότε μὲν τίθεται ἐν φρουρᾷ. Αὖθις δὲ ἀχθεῖσα ἀρτᾶται τῷ ξύλῳ, καὶ τὰς πλευρὰς καταξέεται, καὶ ἐπὶ πῦρ ἀκτωθείσης ἐσχάρας τίθεται, καὶ διελαύνεται σούβλαις πεπυρωμέναις τὰς πλευρὰς καὶ τὰς χεῖρας, ἐξ ὧν εὐωδία ὥσπερ ἐκ στύρακος ἀναπέμπεται. Διελαθεῖσα δὲ ὁμοίως καὶ τοὺς ἀστραγάλους ὀβελίσκοις ἐκκαυθεῖσιν, ἀπήχθη πάλιν ἐν τῇ φρουρᾷ. Καὶ ἐν δυσὶ χρόνοις ἐν αὐτῇ ταλαιπωρεῖν αἰθήσασα, αὖθις ἐξάγεται, καὶ ἐν θαλάσσῃ ῥιφεῖσα τὸν διὰ τοῦ μαρτυρίου κομίζεται στέφανον. *Quæ sic Latine reddes :* Hæc ex urbe Nicæa provinciæ Bithyniæ fuit, temporibus Diocletiani et Maximiani et Priscilliani Præsidis : ad quem adducta propter fidem in Christum, in mamillis flagellatur, ac dein sub custodia collocatur. Rursus vero adducta, in lignum attollitur, et costas ungulis dilaceratur : tum supra focum ad prunas redactum extensa, subulis candentibus latera digitosque configitur, unde suavis odor quasi suffitus exibat. Similiter etiam talos confixa ignitis acubus, reductaque in carcerem, toto ibi biennio macerata plurimas ærumnas sustinuit; donec rursus educta et in mare projecta, martyrii coronam promeruit. *In MS. Menæis, quæ Divione in collegio Societatis adservantur, celebratur etiam hoc* XVIII *Maji,* memoria sanctæ Martyris Euphrasiæ, quæ in profundo maris submersa, vitam finivit. *Additur distichon cum allusione ad nomen* εὐφρασίας, *quod* honestum gaudium *significat, cujus ex parte corrosi sensus fuit, quod sponsam suam exhilarasse dicebatur Salvator, e profundo maris eam ad thronum suum deducens. Quin etiam hexametron, in Ephemeride metrica desideratum, hic notabatur, tamquam cujus hoc die fuerit præcipuus in Ecclesia cultus; estque hujusmodi :*

In MS. Synaxario, quo explicantur tormenta ejus varia,

C

Ὀγδοάτῃ δεκάτῃ βάλον Εὐφρασίαν ἐνὶ πόντῳ.
Euphrasiam octava decimaque in gurgite mergunt.

F

DE S. JULIANO MARTYRE.

G.H.

EX GRÆCORUM SYNAXARIIS MSS.

XVIII MAJI

Jam citatum MS. Divionense etiam celebrat hunc sanctum Martyrem die XVIII *Maji; his paucis verbis :* S. Julianus, in spinis rubi raptatus, martyrio vitam finivit, *et additur hoc distichon.*

Ἰουλιανὸς ἆθλον εὗρε τὴν βάτον,
Τιμῶν Θεοῦ σαρκωσιν, οὗ ὁ τύπος βάτος.
Julianus præmium ex rubo tulit,
Incorporati qui typus Verbi fuit.

Eumdem S. Julianum Martyrem, *sed absque elogio, memorant hoc* XVIII *Menæa Taurinensia Ducis Sabaudiæ cum Synaxario MS. Græco. Mediolanensia similiter Ambrosianæ Bibliothecæ eumdem nominant, sed die præcedenti.*

DE S. THEODORO EPISCOPO

MARTYRE, ROMÆ PASSO.

G. H.

Ex Synaxariis Græcorum MSS.

XVIII MAJI

Nomen Papæ Episcopis olim tributum.

Cardinalis *Baronius, in Annotationibus ad diem* X *Martyrologii Romani littera* C, *occasione S. Agathonis Papæ, observat, citato Walfrido Strabone de Rebus Ecclesiasticis cap.* 7, nomen Papæ, id est Patris, transiisse in dignitatis nomen, ut Clerici venerandi eodem nomine appellarentur: postea tamen illud nomen cœpisse esse peculiare Episcoporum, ut iidem Papæ dicerentur. Esse de his innumera exempla apud Cyprianum, Hieronymum, Augustinum, Rufinum, Prudentium, Sulpitium Severum, Sidonium Apollinarem, Venantium Fortunatum, et novissime apud S. Eulogium Cordubensem, qui floruit anno DCCCL. Usque enim ad illud tempus id nomen commune fuit omnibus
B Episcopis, licet frequentius ac peculiarius tribui consuevisset Romanis Pontificibus. *Hæc Baronius: quibus positis progredimur ad cultum* S. Theodori, Romæ passi, et Papæ *appellati. Fuisse plurimos Episcopos variarum Ecclesiarum Romæ martyrio coronatos, sæpe in hoc opere ostendimus: talesque mense Aprili dedimus* SS. Victorem, Quirinum, Eleutherium, *et hunc quidem* Ecanæ *seu* Troiæ Episcopum. *Synaxarium MS. quod Divione reperisse nos diximus, sic de eo habet:* Ὁ ἅγιος Θεόδωρος Πάπας Ῥώμης, ξεόμενος τελειοῦται. S Theodorus, Papas Romæ, ungulis laniatus vitam finit. *Et hi adduntur versus.*

S. Theodorus alibi Episcopus, Romæ passus.

Ἀνθρωποτρῶκται, δημίους λέγω λύκους,
Θεοδώρου τρώγουσι τὰς σάρκας ξέσει.
Membra Theodori turba carnificum rodit,
Hominum voraces, jure quos dicam, lupos.

Ejusdem S. Theodori Papæ Romæ certamen *refertur hoc die in duplicibus Menæis Taurinensibus Ducis Sabaudiæ, et die* XVII *Maji in vetustis MSS. Menæis* E
Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ. At quo loco hic Sanctus fuerit Episcopus, *nos latet. Si aliquod ab aliis lumen adferatur, gratanter excipiemus.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ANCYRANIS

THEODOTO, TECUSA, ALEXANDRA, CLAUDIA, PHAINA, EUPHRASIA, MATRONA, JULITTA, ITEM SOSANDRO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

D. P.

Acta Græce a Nilo teste oculato scripta, Elogia ex Synaxariis, tempus Passionis.

ANNO CCCIV.

Acta Græca ex Cod. Vatic.

1 Leo *Allatius, e Chio insula oriundus, ac Romæ, cum nos ibidem essemus, ob singularem doctrinam, in locum Lucæ Holstenii anno* MDCLXI *vita functi, Custos primarius Bibliothecæ Vaticanæ constitutus, inter alias præclaras lucubrationes*
C *edidit Diatribam de Simeonum scriptis, in eaque Vitas Sanctorum Græce scriptas distribuit trifariam, ita ut prima contineat illas, quæ a certis auctoribus antiquis sunt compositæ; secunda, alias quorum auctores ignorantur; tertia, quas arbitratur a Simeone Metaphraste vulgatas. In prima autem classe pagina* 86 *collocatur* Martyrium S. Theodoti Ancyrani, scriptum a Nilo in martyrio comite, *allegatis primis Actorum verbis, qualia eodem Leone adjuvante, reperimus in Bibliothecæ Vaticanæ codice* 655 *hic, uti alia deinceps suis locis, Græco-latina damus Ibidem reperimus in codice* 6188 *eadem Acta Latine translata a Guilielmo Sirleto Cardinali Bibliothecario, jam pridem scilicet assueto ejusmodi lucubrationibus, quando solum Protonotarius Apostolicus complures Sanctorum Vitas ex Codicibus MSS. Cryptæ-ferratæ Latinas fecit, rogante Aloysio Lipomano, ut apparet tom.* 7 *parte* 2. *Novam nihilominus versionem adornavimus ipsi; quia, ut alias sæpe, sic etiam hic deprehendimus, virum, alias eruditum, leviori tamen manu interpretatum esse multa, nec omnino ad mentem auctoris Græci: quæ sane meretur penitus accurateque cognosci, cum vix aliud paris auctoritatis monumentum extet inter Passiones Martyrum persecutionis ultimæ, ad quam hos spectare mox dicemus.*

a Nilo teste oculato scripta.

2 *Allatius, ut probet hæc Acta* a Nilo, in martyrio comite, *exarata vere esse, tria allegat loca. In primo sub initium ista leguntur:* Nos ea dicamus, quæ, ab initio una cum Martyre versantes, ipsi cognovimus et oculis nostris vidimus, quantam fortitudinem ac tolerantiam servaverit: quippe qui cum præsentes essemus, digni habiti sumus, qui admonitionis no- F
stræ causa ejus sermones audiremus. *Dein num.* 16 *ista profert:* Tunc cognovimus Polychronium fuisse proditorem. *Sed clarissime sub finem ista indicat his verbis:* Hæc omnia ego Nilus humilis et abjectus homo diligenter exposui, qui et in carcere una cum illo versatus, singula hæc cognovi, et in commentarium retuli, ubique veritatem secutus, ut et vos hæc audientes, sine aliqua dubitatione, certa et vera esse cognosceretis. *Id ipsum quoque confirmat stylus, luculentus quidem, sed gravis, nihilque habens de licentia, admirationi magis quam fidei conciliandæ idonea, quæ in variis Martyrum Passionibus notatur, scriptis diu post rem gestam, sæpe cum exigua, non solum veritatis, sed etiam verosimilitudinis cura.*

Memoria in Typico S. Sabæ,

3 *In Typico Ecclesiastici Ordinis, in Laura S. Sabæ prope Hierosolymam observati, celebratur ad* XVIII *Maji memoria* Sancti Martyris Theodoti Ancyrani et sanctarum septem Virginum. *Quæ eadem in Horologio Græcorum leguntur, et Latine translata apud Genebrandum in Kalendario Græcorum, et apud Molanum in Auctario Usuardi. Laudatus supra Sirletus in suo Menologio longum ex Actis formavit elogium, sed*

AUCTORE G. H.

A *sed huic incuria amanuensium irrepsit nomen* Theodori.

Martyr. Rom. *Hoc Menologio citato Baronius, in Martyrologio Romano sic scribit:* Ancyræ in Galatia S. Theodoti Martyris, et Sanctarum Tecusæ ejus amitæ, Alexandræ, Claudiæ, Fainæ, Euphrasiæ, Matronæ et Julittæ Virginum, quæ a Præside primum prostitutæ, sed Dei virtute servatæ, lapidibus ad colla ligatis in paludem mersæ sunt: quarum Reliquias collectas cum Theodotus honorifice sepelisset, comprehensus a Præside, sævissime dilaniatus est; ac demum ense percussus, martyrii coronam accepit.

Menologio Basilii Imp. *In Menologio Basilii Imperatoris hoc elogium datur:* Theodotus Christi Martyr cum octo sanctis Virginibus, Tecusa, Alexandra, Claudia, Phaina, Euphrasia, Matrona, Julia et Theodote, fuit ex urbe Galatiæ Ancyra. Jubente autem Præside ex iis quæ idolis immolabantur, paratos pro Christianis cibos inspergi, ut ita inquinarentur qui eos degustassent; ipse Theodotus negotiationis specie triticum emens, ac panes efficiens, eos captivis Christianis distribuebat: ipsosque carceres ingrediens, fideles in Christi religione obfirmabat: inter quos erant etiam sanctæ octo Virgines, quarum aliqua, Tecusa nomine, erat ipsius Theodoti amita. Hæ autem omnes magnis B lapidibus alligatæ, in proximum urbi stagnum demersæ fuerunt, ac cum Theodotus eorum corpora assumpsisset; ea sepeliit. Detectus proinde tamquam Christianus, comprehensus est: ac crudeliter primum excruciatur, demum capite truncatus fuit. *Hæc*

aliisque. *ibi post primum tomum Maji Græce legenda: quibus similia habentur in MS. Synaxario Claromontano: sed melius dicuntur* septem Virgines, *cum interim octava annumeretur* Theodote: *quod etiam in Menæis fit, sed omisso* S. Theodoto; *cujus nomen perperam verti in* Theodoten *dubitari non sinunt Acta, cum quibus concordat Synaxarium Divionense: in quo tamen, uti et alibi fere,* Julia *scribitur, quæ in Actis est* Julita. *Martyrologium Arabo-Ægyptium, cujus in Collegio Maronitico Romæ servati sæpe posthac faciemus mentionem.* Certamen *habet* sanctarum Martyrum Thecusæ et Sociarum atque Theoduli: *quod ex aliquo Græco libro sic acceptum credo.*

4 *Addimus prædictis omnibus Martyribus* Sosandrum, *insignem (ut etiam ex his Actis apparet) et notum Ancyranis Martyrem, fortassis diu antea passum, sed deperditis in persecutione novissima Actis propriis, si qua scripta fuerunt, hactenus ignoratum.* Septem porro Virgines *passas credimus hac die* XVIII *Maji:* XXI *captum et questioni primæ subjectum* Theodotum, C *sextoque post die, id est* XXVII *Maji, capite minutum.*

S. Theodotus seorsim colitur 7 Junii *Nisi malimus opinari, sedecim omnino dies intercessisse inter utramque quæstionem; atque adeo decollatum fuisse Sanctum die* VII *Junii, quo Græci solenni totius diei Officio et Odis a S. Josepho Hymnographo compositis eum colunt: qui etiam dies in Menologio Basilii appellatur* Certamen et receptio Reliquiarum S. Theodoti: *et hoc additur elogium:* Theodotus Christi Martyr erat ex provincia Galatiæ et ditione Mali. Quod autem sepeliret sanctorum Martyrum Reliquias, delatus est Præsidi Ancyræ, et comprehensus et carceri inclusus. Dein in quæstionem ductus, generose respondit Præsidi, Gentilium deos irrisit, eorumque cultores, amentes et miseros appellavit. Tunc crudeliter cæsus, in ligno est suspensus, et latera lampadibus combusta, et caro exusta. Postea accepta gladii sententia, preces fudit, et sic capite plexus fuit. Presbyter vero aliquis, Phronto nomine, eum vidisset corpus ejus a militibus custodiri, accessit ad illos, et benevole oblato vino excepit. Quibus somno oppressis, Reliquias acceptas asino suo imposuit, et abiens sepelivit in ditione sua, ubi usque in hodiernum diem sanitates conferuntur. *Hæc ibi, et alibi etiam contractius, nec sine mendis, maxime in Menæis excusis, ubi* Theotecnus *Præses perperam* D Theodotus *nuncupatur: sed neque Martyr ipse recte dicitur ex* ditione Mali *fuisse, cum Acta eum faciant civem Ancyranum. Qui vero ad illam ditionem mortui corpus devexit* Fronto *Presbyter, in Hymno S. Josephi appellatur* Phorton *Ode* VII, *ubi hæc stropha recitatur: Συντηρήσας σοὺς τοὺς λόγους, φόρτος ἅγιοις τῷ θεοφόρῳ Φόρτωνι ἀποδίδοσαι, εἰς ναοῦ ἀνέγερσιν σεπτοῦ.* Implens verbum tuum, Theophoro Phortoni onus vere sanctum traderis, ad ædificationem venerabilis templi, *quod oportet haud diu post ejus mortem, et antequam Acta conscriberentur, extructum fuisse, utique persecutione jam cessante.*

5 *Sed quæ hæc persecutio?* Imperatores *pluraliter identidem scribuntur in Actis, sed nulli nominantur: quantum tamen colligere ex eis licet,* Diocletianus et Maximianus *intelligendi nobis sunt. Meminerunt enim* Acta ecclesiarum, *ut tunc satis frequentium et publicarum, quod optime convenit cum illorum edictis, subverti omnes jubentibus: meminerunt etiam fugatorum undique* Sacerdotum, *hi enim præcipue peti jubebantur; et omnino sævissimam persecutionem describunt, qualem apud Eusebium legere est fuisse hanc ultimam, præsertim anno* CCCIII *et* IV, *quando tyranni speraverunt stirpitus eradicandam memoriam nominis Christiani, nedum religionem. Verum adeo parum eis successit* E *extremus iste furor, ut ipsi econtra voluntario se abdicaverint anno* CCCV *Kalendis Maji. Temporis istius Chronologiam nuper plurimum illustravit Stephanus Baluzius lib. 2 Miscellaneorum, edito, qui latuerat hactenus,* Lactantii libro ad Donatum Confessorem de mortibus Persecutorum. *Pertingit historia hæc usque ad annum* CCCXIII, *quo pax Ecclesiæ data, victo fugatoque per Licinium Maximino.* Omnia *enim* secundum fidem scientium *locutum se professus Lactantius,* ita ut gesta sunt, *inquit,* mandanda litteris credidi; ne aut memoria rerum tantarum interiret, aut si quis historiam scribere voluisset corrumperet veritatem, vel eorum peccata adversus Deum, vel judicium Dei adversus illos reticendo. *Hinc porro didicimus, extremum istum turbinem moveri cœpisse* ad VII Kalendas Martias, agentibus Consulatum senibus ambobus octavum et septimum, *id est anno Christi* CCCIII, *quando Nicomediæ subversa est ecclesia Christianorum,* quæ in alto constituta ex Palatio videbatur: postridie *vero* propositum esse edictum quo cavebatur ut Religionis illius homines carerent omni honore ad dignitate, tormentis subjecti essent ex quocumque ordine ac gradu venirent, adversus eos omnis actio caleret, ipsi non de injuria non de adulterio, non de rebus ablatis agere possent; liber- F tatem denique ac vocem non haberent. Quod edictum quidam, etsi non recte, magno tamen animo diripuit et conscidit...... statimque productus, non modo extortus, sed etiam coctus, cum admirabili patientia postremo exustus est.

passus sub Diocl. et Maximiano,

persecutione ultima, cœpta 22 Feb. an. 303,

6 *Leguntur hæc cap. 13 libri prædicti, ad quem in suis eruditissimis Annotatis Baluzius, primum quidem nobiscum sentit, istum edictorum laceratorem perperam referri in Martyrologiis ad diem* VII *Septembris, sub nomine* Joannis: *deinde non probat, quod eum honorem dederimus* S. Georgio, *qui* XXIII *Aprilis colitur. Putat enim ex silentio Lactantii, qui tum Nicomediæ erat, satis colligi,* ignotum hominem et de plebe fuisse; non vero sublimem aliquem et secularium honorum prærogativa illustrem, qualem Eusebius describit. *Equidem agnosco cum Baluzio, Acta S. Georgii qualiacumque fabulam potius quam historiam videri; nullum tamen efficax argumentum video, quo subvertatur verosimilitudo, secundum quam processimus; hanc petentes, non ex Actis illis, sed ex antiquissimo et celeberrimo cultu illius, tamquam Martyrum Coryphæi. Demus enim mentitam de primo illo Martyre famam,*

juxta Lactantii librum a Baluzio erutum,

quæ

A *quæ Eusebio in Palæstina degenti persuasit, virum nobilem et honoratum fuisse: cur non ex ipsa ignobilitate et rustricano etiam genere potuit esse factum* Georgii *nomen ab iis, qui proprium ignorantes, corpus in Palæstinam devexerunt? Ita certe adhuc maneret, quod a nobis præcipue asserebatur. Nec magna difficultas est ex parte diei, quo lacerata edicta sunt. Si enim non videtur congrue ad verosimilitudinem dici posse, quod exeunte Februario comprehensus, protraxerit Martyrium usque ad* XXIII *Aprilis; dici poterit ipsum non eo die quo perfectum est commemorari; sed quo dedicata olim Ecclesia, et honorificentius conditæ Reliquiæ, ut sæpe alias, maxime cum proprius Martyrii dies non erat memoriæ commendatus, et Acta diu post scribebantur, uti scripta sunt Acta* S. Georgii. *Sed hoc modo, qui adduntur martyrii socii æque incerti nobis fiunt,* D *ac tormentorum series et diuturnitas temporis vis impensa. Adde quod ex eodem Lactantii libro etiam constet, Diocletiano, cum ista agerentur,* Priscam *conjugem filiamque Valeriam fuisse, et utramque vixisse usque ad annum* CCCXIII. *Quid ergo* Alexandræ, *in Passione S. Georgii? quid* Serenæ, *in Actis S. Susannæ nominatis Diocletiani uxoribus fiet? An dicemus concubinas ejus fuisse? an omnino confictas fatebimur, adeoque eliminandas ex Sanctorum fastis? Licebit majori cum otio id examinare ad* XI *Augusti, interim placuit hæc indicare, ut appareat nos non ita mordicus adhærere semel constitutis, quin nova aliunde oblata luce parati simus illa retractare.*

qui suadet circa S. Georgium mutare aliqua.

AUCTORE D. P.

ΜΑΡΤΥΡΙΟΝ

ΤΟΥ ΑΓΙΟΥ ΘΕΟΔΟΤΟΥ ΑΓΚΥΡΑΣ

B ΚΑΙ ΤΩΝ ΣΥΝ ΑΥΤΩι ΕΠΤΑ ΠΑΡΘΕΝΩΝ.

Ex Bibliothecæ Vaticanæ Codice 655. E

MARTYRIUM

S. THEODOTI ANCYRANI ET SEPTEM CUM EO VIRGINUM.

Auctore Nilo teste oculato, Interprete D. P.

PRÆFATIO.

De causa scriptionis et prima Vita Sancti.

Ἔδει μὲν ἡμᾶς, τοὺς πεῖραν πολλῶν εὐεργεσιῶν εἰληφότας παρὰ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Θεοδότου, μὴ μόνον λόγοις ἐπαινεῖν τὴν τούτου ἄθλησιν, ἀλλὰ καὶ ἔργοις ἀμείβεσθαι· ἐπειδὴ δὲ οὐχ ἱκανοί ἐσμεν ἔργοις τιμῆσαι τὸν Μάρτυρα, οὔτε λόγοις ἐκφᾶναι καθὸν δεῖ τρόπον, ὅμως καθὸ δυνατὸν καὶ καθὼς εὐποροῦμεν, τὰς ἐκείνου εἰς ἡμᾶς γενομένας χάριτας, διὰ τὸ εἶναι ἡμᾶς βραδεῖς πρὸς τὴν νόησιν, τὴν χήραν ἐκείνην μιμούμενοι, τὰ δύο
C λεπτὰ καταβάλλομεν. Ἀναγκαῖον οὖν ἡγούμεθα εἰς γνῶσιν ἀγαγεῖν τοῖς θεοφιλέσι τὸν βίον καὶ τὴν ἄθλησιν τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Θεοδότου, καὶ πῶς ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας καί τινι τρόπῳ τὸ τῆς καπηλίας μετήρχετο πρᾶγμα, καὶ ὡς ἐκ βρέφους ὁ βίος μέχρι τοῦ μαρτυρίου γεγένηται. Δεδοίκαμεν δὲ τὴν ἐγχείρησιν, μή πως ἡ βραδύτης τοῦ λόγου, καὶ τὸ νωθρὸν τῆς γνώσεως, καὶ τὸ τῆς παιδείας ἀμαθὲς, ὑβρίσειεν τοὺς ἀγῶνας καὶ τὰς ἐνστάσεις τοῦ Μάρτυρος· μή τι εἰπὼν παρ' ὃ δεῖ, τὸ μέγεθος τῆς ὑποθέσεως παραβλάψω, τῷ βραχεῖ τῆς διανοίας ἡμῶν ἐπιχειροῦντι, ταῖς μείζοσιν ὑποθέσεσι. Μεγάλας γὰρ εἴωθεν τοῖς πράγμασι τὰς βλάβας προστρίβεσθαι ὁ νοῦς ἡμῶν ἄτονος ὑπάρχων, εἰ τοιαῦτα νομίσειεν οἱ ἀκούοντες αὐτὰ γεγονέναι, οἷα ὁ λόγος ἡμῶν δείξειεν. Τινὲς μὲν τὸν Μάρτυρά φασιν ὡς πρότερον τὸν κοινὸν καὶ ἀδιάφορον ἐπανῃρητο βίον, καὶ τὴν ἀπόλαυσιν τῶν ἡδονῶν μετεδίωκεν, καὶ ὅτι γυναικὶ συνεβίου, γάμου ζευχθεὶς νομίμου, καὶ τῆς καπηλείας δὲ τὴν μέθοδον ἐνεπορεύετο, συλλογῆς ἕνεκεν χρημάτων· ἀλλ' ὁ τελευταῖος ἀγὼν τοῦ μαρτυρίου, καὶ τὸν ἔμπροσθεν βίον ἐπίσημον παρεσκεύασεν γενέσθαι, κοσμήσας τοῖς τελευταίοις τὰ πρῶτα. Λεγέτω οὖν τις ὅπερ βούλεται, ἡμεῖς δὲ λέγωμεν ὡς ἐξ ἀρχῆς συνόντες τῷ Μάρτυρι, ἅπερ καὶ ἔγνωμεν καί, ὄψεσιν αὐταῖς θεασάμεθα, τὴν καρτερίαν τοῦ ἀνδρὸς, ὡς

Multam erga me sancti Martyris Theodoti expertus beneficentiam, non solum verbis certamen ejus laudare debeo, sed etiam operibus compensare caritatem: quamvis neque operibus possim satis honorare Martyrem, neque verbis quibus par esset eloqui. Prout tamen possum ac valeo, factas mihi ab ipso gratias, secundum tenuem captum meum, exponere me convenit, minuta duo cum Evangelica vidua in medium proferendo. Omnino enim necessarium esse sentio, ad piorum cognitionem deducere F ejus vitam atque certamen, et quomodo a prima juventute cauponariam aggressus, inde ad martyrium usque pervenit. Fateor tamen formidare me, ne sermone incultus, scientia tenuis, eruditione exiguus, Martyris agones atque in agonibus constantiam lædam, argumentum suscipiens viribus majus. Res enim eximiæ a pusillo ingenio magnum patientur detrimentum, si tales quis eas existimaverit, quales oratio mea poterit demonstrare. Ad hæc objicient aliqui, communem vivendi modum amplexum esse Martyrem, nec ab usu voluptatum remotum; qui et mulieri legitimis nuptiis sibi junctæ convixit; et cauponariam exercuit quæstus gratia. Sed extremum certamen martyrii priorem quoque vitam fecit insignem, prima novissimis ornans. Dicat igitur quod volet quisque: ego qui Martyri ab initio convixi, dicam quæ novi et oculis ipsis usurpavi; constantiam scilicet ejus, cujus consortio et colloquio dignatus fui ad propriam instructionem.

Auctor suæ tenuitatis sibi conscius

visa tamen notaque scribere proponit,

2 Prius autem quam ad postremum martyrii agonem descenderet, variis multisque occasionibus virtutem probavit suam, sicut athleta contra adversarium

A NILO EX MS GR. præfatus quam honestam egerit juventutem Sanctus,

A rium dimicaturus; et primum sibi bellum adversus concupiscentias gerendum esse statuit; tantumque ad virtutem profecit, ut omnium potuerit esse magister. Non enim se voluptatis mancipavit aut alicui impuro affectui : sed a prima juventute exercitationis pulchræ fructus illustres protulit, quod et postrema ejus vita probavit. Imprimis vero temperantiam, tamquam aliorum omnium bonorum initium sibi pro scuto ad pugnandum accepit, afflictionem corporis delicias esse homini Christiano congruas ratus, cujus opes et gloria sint generose tolerare inopiam. Equidem sæpe magnanimum vidi a cupiditate, non divitiarum dumtaxat, sed etiam gloriæ superari, a formidine vinci sapientiam, et mansuetum ac placidum deliciis enervari : soli autem justo, tamquam domino, cunctæ serviunt passiones. Ergo adversus voluptates, famulantem sibi habuit jejunii consuetudinem, temperantiam, adversus commoditates corporis; et contra divitiarum abundantiam, usum sua distribuendi pauperibus. Hæc vero omnia sigillatim deinceps demonstrabimus, palamque faciemus, quod gloriam obtinuerit ignominia, opulentiam et affluentiam paupertate eximia, perque tentationes B et plagas cœlum sibi comparaverit.

qui domitas habens passiones,

multisque ad virtutem dux factus,

3 Multos ille abduxit a pravitate, eos veluti a pestifero morbo curans instructione opportuna : multos, qui corpore videbantur sani, animo autem turpibus cogitationibus presso laborabant, oratione sanavit : quin etiam doctrina et exhortatione admirabili, Paganorum atque Judæorum numerum magnum adduxit ad Ecclesiam. Etenim cauponaria, præter morem, erat ei in vili habitu pro munere Episcopali; cum injuriam passis pro virili succurreret, infirmis collaboraret, afflictis compateretur, particeps ipse passionum alienarum et caritate plenus. Quod autem imprimis admireris, etiam manus imponens quantumcumque incurabili infirmitate detentis, liberabat morbo, suas eis preces pro medicina adhibens. Libidinosis quoque hominibus suadebat continentiam, et nimio vino deditos ab ebrietate reducebat : quosdam autem qui morbo avaritiæ irremediabiliter videbantur teneri, commonendo adducebat, ut paupertatem crederent appetendam et sua pauperibus erogarent. Tali vero ex disciplina non pauci numerantur, qui pro Christo haud solum spreverunt flagra, sed etiam mortem qualemcumque. Ab hujusmodi certaminibus egregius hic pietatis pugil ad omnium supremum certamen comparatus multa atque admiranda mihi narranda sug-C gerit, quæ sigillatim prosequi cupio, ipso suis me precibus adjuvante et rerum ordinem demonstrante. Nunc ergo initium suscepti argumenti faciamus.

denique pervenit ad palmam martyrii.

καὶ συμπαρόντες αὐτῷ, καὶ ἀξιωθέντες παρ' αὐτοῦ ἁγίων D λόγων νουθεσίας χάριν.

2 Ἀλλὰ καὶ πρὶν εἰς τὸν ἀγῶνα τὸν τελευταῖον τοῦ μαρτυρίου καθεῖναι, πολλαχοῦ τὴν ἀρετὴν καὶ διὰ πολλῶν ἐδείκνυτο, ὥσπερ ἀθλητὴς πρὸς ἀντίπαλον, καὶ πρὸς τὰς σαρκικὰς ἐπιθυμίας πόλεμον πρῶτον ἀνείλατο. Καὶ δὴ εἰς αὔξησιν τῆς ἀρετῆς ἑαυτὸν ἀνεδείκνυεν πάντων διδάσκαλον, καὶ οὔ τε ἡδοναῖς ἐδούλωσεν ἑαυτὸν ἢ ἑτέρῳ λογισμῷ ῥυπαρῷ, μὴ γένοιτο, ἀλλὰ λαμπροὶ οἱ καρποὶ τῆς ἀσκήσεως ἐκ πρώτης ἡλικίας ἐδείχθησαν λάμποντες, ὡς ὁ τελευταῖος αὐτοῦ βίος ἐδήλωσεν, ὡς καὶ τῶν ἄλλων κατορθωμάτων ἁπάντων πρώτην ἀρχὴν τὴν ἐγκράτειαν ἐποιήσατο, πανταχοῦ πρὸς τοὺς ἀγῶνας αὐτὴν προβαλλόμενος ἀντὶ θυρεοῦ, καὶ τρυφὴν μὲν νομίσας Χριστιανοῖς εἶναι προσήκουσαν τὴν διηνεκῆ τοῦ σώματος κακουχίαν, πλοῦτον δὲ καὶ δόξαν τὸ ἀνδρίως ἐγκαρτερεῖν τῇ πενίᾳ. Πολλάκις εἶδον τὸν μὲν ἀνδρεῖον οὐχ ὑπὸ χρημάτων μόνον καὶ δόξης ἡττόμενον, καὶ τὸν σώφρονα ὑπὸ δειλίας κρατούμενον, καὶ τὸν ἡσύχιον καὶ πρᾶον ὑπὸ ἀκολασίας διεφθαρμένον· μόνῳ δὲ τῷ δικαίῳ πάντα δεδούλωται ὥσπερ δεσπότῃ τὰ πάθη. Καὶ γὰρ πρὸς τρυφὴν νηστείαν εἶχε θεράπαινα, καὶ πρὸς εὐεξίαν σωματικὴν τὴν ἐγκράτειαν, καὶ πρὸς ἐμπορίαν χρημάτων τὸ καὶ τὰ ὄντα τοῖς δεσμένοις παρέχειν. Ἀλλὰ τούτων μὲν ἕκαστον μετὰ ἀκριβείας ἐν τοῖς ἔμπροσθεν δηλώσωμεν· δόξαν γὰρ τὴν τοσαύτην δι' ἀτιμίας ἐκτήσανο, πλοῦτον δὲ καὶ περιουσίαν E δι' ὑπερβαλλούσης πενίας, καὶ διὰ μαστίγων καὶ πειρασμῶν τὸν οὐρανὸν ἀντηλλάξατο·

3 Πολλοὺς γοῦν ἀπὸ κακίας ἀπήλλαττεν, ὡς ἀπὸ λοιμώδους νόσου τῇ νουθεσίᾳ τούτους πραΰνων· πολλοὺς δὲ, ὑγιαίνειν δοκοῦντας σώματα, ὑπὸ λογισμῶν δὲ ὀχλουμένους ῥυπαρῶν, τῇ προσευχῇ ἠσφαλίζετο. Τοιγαροῦν ὑπὸ τῆς διδαχῆς αὐτοῦ, καὶ θαυμαστῆς παραινέσεως πολὺ πλῆθος Ἑλλήνων τε καὶ ἰουδαίων τῇ Ἐκκλησίᾳ προσήγαγεν· ἡ γὰρ καπηλεία, τὴν μέθοδον ἐναλλάξασα, ἐπισκοπῆς ἔργον ἐπλήρου ἐν εὐτελεῖ προσχήματι. Καὶ γὰρ ἀδικουμένοις εἰς δύναμιν συνεμάχει, καὶ ἀσθενοῦσι συνέκαμνε, καὶ θλιβομένοις συνεθλίβετο, καὶ τοῖς πάσχουσι συνεμερίζετο τὰ πάθη, πάνυ ὑπάρχων φιλάνθρωπος· καὶ τὸ δὴ πάντων θαυμάσιον, ἀῤῥωστοῦσι πολλοῖς καὶ δυσιάτοις περιπεσοῦσι νοσήμασι τὰς χεῖρας ἐπιτιθεὶς, τούτους τῶν νοσημάτων ἀπήλλαττε, διὰ προσευχῆς αὐτοὺς ἰώμενος· πολλοὺς δὲ ἀκολάστους ἔπεισε σωφρονεῖν, καὶ ἄλλους δὲ οἴνῳ πολλῷ προσέχοντας ἀπέστρεφε τῆς μέθης, τινὰς δὲ καὶ δυσαποσπάστως ἔχοντας πρὸς τὸ τῆς φιλαργυρίας νόσημα, ἐποίησεν νουθετῶν ἀκτημοσύνην ποθῆσαι, καὶ ἅπερ εἶχον ταῦτα πτωχοῖς μεταδιδόασιν. Ἐκ δὲ τῆς ἐκείνου διδασκαλίας οὐκ ὀλίγοι ἀπεγράψαντο, διὰ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν οὐχὶ μαστίγων μόνον, ἀλλὰ καὶ παντοίων καταφρονήσαντες θανάτων. Διὰ τοιούτων τοίνυν ἄθλων ὁ καλλίνικος τῆς εὐσεβείας ἀγωνιστὴς καλῶς πάνυ F τὴν ἕξιν γυμνασάμενος, ἐπὶ τὸν ἀγῶνα τὸν πάμμαχον παρεγένετο, πολλὰ ἔχων τὰ παράδοξα καὶ θαυμαστὰ πρὸς ἀφήγησιν, ὧν κατὰ μέρος διεξελθεῖν προθυμήσομαι, ταῖς προσευχαῖς συναντιλαμβανομένου μοι τοῦ Μάρτυρος, καὶ τῶν πραγμάτων ὑποδεικνῦντος τὴν εὕρεσιν· νῦν οὖν ἐπὶ τὴν ἀρχὴν ἔλθω τῆς ὑποθέσεως.

CAPUT I.

Persecutio gravis sub Theotecno Præside : quam utilis in ea Theodotus aliis juvandis et animandis : quid de se prædixerit Frontoni Presbytero.

Quidam, Theotecnus nomine, patriæ nostræ regimen consecutus est; homo incompositus, turbidus, violentus, ad sævitiam proclivis, malignus omnino, cæde ac sanguine gaudens, desertor pietatis, omnimodis execrabilis; et cujus nequitiam nullis verbis melius possim explicare, quam dicendo, quod ejus solius merito tam magnæ civitatis administrationem acceperit. Etenim Imperatori, adversus Ecclesiam belligeranti, promiserat, quod si hujus regionis gubernatio sibi crederetur, omnes quotquot hic sunt Christianos,

Θεότεκνός τις οὕτω καλούμενος τὴν ἀρχὴν ἐπετράπη τῆς ἡμετέρας πατρίδος, ἀσελγὴς ὢν καὶ ταραχώδης, καὶ βίαιος, καὶ ἕτοιμος πρὸς ὠμότητα, πονηρὸς πάνυ, χαίρων τε φόνοις καὶ αἵμασιν, ἀποστάτης τῆς εὐσεβείας, παμμίαρος τῷ τρόπῳ, οὐδαμῶς δυνάμενος τὰ κατ' αὐτὸν ἐξηγήσασθαι ἀξίως, πλὴν ὅτι τῆς πονηρίας τοῦ τρόπου ἀπηνέγκατο μισθὸν πόλεως ἄρχαι τοιαύτης. Βασιλεῖ γὰρ πολεμοῦντι τὴν Ἐκκλησίαν, ἀπέσχετο τοὺς ἐνταῦθα Χριστιανοὺς ἐντὸς ὀλίγου χρόνου μεταγαγεῖν πρὸς ἀσέβειαν, ἤγετο ἄρχειν μόνον ἐπιτραπείη τῆς χώρας. Οὗτος ὁ Θεότεκνος πρὶν καὶ τὸν ὅρον φθάσει τῆς πατρίδος, οὕτως

ταῖς

A ταῖς φήμαις τοὺς εὐσεβεῖς προκατέπληξεν, ὡς κενωθῆναι μὲν ἅπαν τῆς Ἐκκλησίας τὸ πλῆθος, τῶν δὲ φευγόντων τὰς ἐρημίας ἀναπληρωθῆναι καὶ τὰ ὄρη, τοσοῦτος δὲ τοὺς εὐσεβεῖς κατεῖχε φόβος καὶ ἔκπληξις, ὥσπερ ὀργῆς μελλούσης ἐξ οὐρανῶν καταφέρεσθαι. Προεξέπεμψε γὰρ ἄλλους ἐπ᾽ ἄλλοις ἀγγέλους φανερῶς φέροντας αὐτοῦ τῆς πονηρίας τὰ σύμβολα· καὶ τῶν πρώτων μὴ δέ πω ἀποτιναξάντων τὴς κόνιν, ἄλλοι τούτων ὄπισθεν παρεγίνοντο, απαγγέλλοντες καὶ αὐτοὶ τὸ ἀνήμερον τῆς τούτου ὠμότητος καὶ ἀπανθρωπίας· ἕτεροι διατάγματα ἐκόμιζον, περιέχοντα τῆς ἐξουσίας τὸ μέγεθος· κεκέλευστο δὲ πανταχοῦ τὰς ἐκκλησίας σὺν τοῖς θυσιαστηρίοις εἰς ἔδαφος καταφέρεσθαι· τοὺς ἱερέας δὲ προσάγεσθαι τοῖς βωμοῖς, καὶ ἀναγκάζεσθαι θύειν καὶ ἀρνεῖσθαι τὴν εὐσέβειαν· τοὺς δὲ ἀντιλέγοντας τοῖς προστάγμασι, τούτων τὰς οὐσίας ἀναλαμβάνειν εἰς τὸν δημόσιον, αὐτοὺς δὲ καὶ τοὺς παῖδας τούτων δεσμωτηρίοις ἐναποτίθεσθαι πρὸς τιμωρίαν φυλαττομένους ἐκείνῳ, ὡς ἂν πρότερον δεσμοῖς ἀγρίοις καὶ μάστιξι πεισθέντες χαυνότεροι γένωνται τὸν λογισμὸν προς τὴν ἔνστασιν.

5 Δέδραμε δὲ ἡ φήμη πρὸς ἅπαντας περιαγγέλουσα τὴν κακίαν. Καὶ τὰ μὲν τῆς Ἐκκλησίας ὡς ἐν σάλῳ B καὶ κλύδωνι χειμαζομένου πλοίου, ἴδες ἂν πάντα στρεφόμενα, ὁμοῦπερ πάσης ἐκδεχομένης ὥσπερ κύματα τῷ διωγμῷ καλυφθήσεσθαι· τὸ δὲ ἀσεβείας ἅπαν συνέδριον, ἐν εὐωχίαις τε ἦν καὶ παροινίαις καὶ κώμοις, ὑπερνηχόμενον αὐτοῦ τῆς ἀπωλείας τῷ βάθει, φέρειν δὲ τῆς εὐημερίας αὐτῶν τὸ μέγεθος οὐ δυνάμενοι· καὶ τῇ ὑπερβολῇ μεθύοντες ὥσπερ ἀκράτῳ τῇ κακίᾳ, πάντα καὶ ἔπασχον καὶ ἔπραττον, ὁποῖα ποιεῖν εἴωθεν τοὺς μαινομένους καὶ πάσχοντας. Ἐπει σεργόμενοι γὰρ εἰς τὰς οἰκίας, ἥρπαζον τὰ εὑρισκόμενα μηδεμιᾶς οὔσης προφάσεως· οὐδεὶς δὲ τῶν ἀδικουμένων ἠδύνατο ἀντειπεῖν· εἰ δέ τις ἐτόλμα κἂν μέχρι λόγου ἀντειπεῖν πρός τινα αὐτῶν τι, ἀταξίας ἦν καὶ στάσεως κατηγορία. Ἡνίκα δὲ τὰ ἀσεβῆ προετίθεσαν διαδάγματα, καὶ τῶν ἀδελφῶν [πρῶτοι] τῷ δεσμωτηρίῳ πρὸς παραφυλακὴν ἀπετέθησαν περικληθέντες σιδήρῳ, οὐκέτι τις τῶν εὐσεβῶν ἐφαίνετο δημοσίᾳ· ὁ γὰρ ὀφθεὶς, εὐθέως ἐγίνετο τῶν ἀσεβῶν θήραμα· οἶκοί τε εἰς τὸ φανερὸν διηρπάζοντο, καὶ παρεδίδοντο φίλοι, καὶ ἐσυκοφαντεῖτο ἡ εὐσέβεια, καὶ γυναῖκες εὐγενίδες σὺν παρθένοις ὑπὸ ἀκολάστων ἀσέμνως ἐσύροντο· εἰ δέ τις τῶν τότε τὰ περὶ τὴν Ἐκκλησίαν ἴδε γινόμενα, οὐκ ἂν εὐπορήσειεν ἐξηγήσασθαι τὰ πραττόμενα. Τοῖς γὰρ φεύγουσι τόπος οὐκ ἦν εἰς τὸ σώζεσθαι, τῶν τε θυσιαστηρίων οἱ ἱερεῖς ἀνεχώρησαν, καταλειπόντες τῆς ἐκκλησίας τὰ πρόθυρα, καὶ αἱ ὑπάρξεις αὐτῶν πρὸς ἁρπαγὴν τοῖς ἀνόμοις C ἐξέκειντο, καὶ τοῖς φεύγουσιν ἐδόκει πάσης κολάσεως βαρυτέρα εἶναι ἡ ἀσιτία· πανταχόσε γὰρ τῆς ἐρημίας πλανώμενοι, ἔν τε φάραγξι ταὶ σπηλαίοις, καὶ ὅπου τις εὗρε κατάδυσιν, οὐκ ἔφερον τῆς ἀσιτίας τὸ βάρος, καὶ πολλοὶ νομίσαντες ἐλέος τυχεῖν συνελήφθησαν· ἦν μὲν οὖν πᾶσι πικρὸν τῆς φυγῆς τοῖς φεύγουσι τὸ πάθος, καὶ μάλιστα τοῖς ἐλευθέροις, καὶ ἐν πλείονι δορυφορίᾳ τραφεῖσιν, οἵ ποτε ἐν ἀνεκτότητι ὄντες, ῥίζας ἤσθιον καὶ βοτάνας.

6 Μόνος δὲ ὁ καλλίνικος μάρτυς Θεόδοτος ἐμαχήσατο ὑπὲρ τῶν θείων νομίμων, πολλοὺς κινδύνους περάσας· οὔτε γὰρ τὴν καπηλίαν, ὥς τινες ἐφάσαν, κέρδους ἕνεκα μετήρχετο ἢ συλλογῆς χρημάτων· ἀλλὰ τέχνῃ χρησάμενος, ἐπενόησεν ὥστε τῶν διωκομένων τὸ καπηλεῖον λιμὴν σωτηρίας γενέσθαι, πρὸς κοινὴν πάντων ἀσφάλειαν ηὐτρεπισμένος· Πολὺν μέντοι ἀγῶνα καὶ κάματον ἔσχε περὶ τῶν ἐν τοῖς δεσμωτηρίοις ἠσφαλισμένων τῶν εὐσεβούντων, καὶ τοὺς ἐν τῇ φυγῇ πλανωμένους a διέσωζεν, καὶ τοὺς ὑπὸ τῶν ἀνόμων ἐνεργουμένους περιέστελλεν. Οἱ γὰρ τελειούμενοι διὰ ποικίλων κολάσεων, τούτων τὰ σώματα κυσὶν ἐῤῥίπτετο πρὸς ἀνάλωσιν· καὶ εἴ ποτέ τις εὑρίσκετο τούτους θάπτων, τὴν ἴσην τούτοις ἔπασχεν κόλασιν· θάνατος γὰρ ὥριστο κατὰ τῶν θαπτόντων αὐτοὺς

brevi tempore traduceret ad impietatem. Hic ergo D prius quam fines nostros ingrederetur, sola sui adventus fama pios omnes sic exterruit, ut desolata fuerit plenitudo Ecclesiæ, et fugitivis impletæ solitudines montiumque cacumina : tantusque omnes terror invasit, ac si demissa cœlitus plaga impenderet capitibus universorum. Præmittebat enim nuntios unos post alios, palam declarantes animi sui consilia pessima. Vix autem priores excusserant e pedibus pulverem, quin novi supervenirent crudelitatis atque inhumanitatis ejus implacabilem declarantes rigorem. Rursumque tertii adferebant edicta, potestatis commissæ amplitudinem testantia, quibus præcipiebatur ut omnes ubique ecclesiæ cum suis altaribus æquarentur solo, Sacerdotes traherentur ad aras idolorum, et sacrificare compulsi cogerentur ejurare pietatem, omnium autem eorum qui præceptis contradicerent facultates addicerentur fisco, ipsique ac liberi eorum includerentur carceribus, Præsidi ad supplicium reservandi, quatenus vinculis prius et verberibus domiti, animos ad futuram quæstionem emollitos adferrent.

A. NILO EX MS. GR. Christianos terret prævia sui fama:

5 Hujusmodi fama cum spargeretur, ubique calamitatem imminentem denuntians, erat Ecclesia instar navis turbinibus procellisque agitatæ, in qua E videres sus deque ferri omnia, dum tota ipsa tamquam fluctibus sic persecutione metuit absorberi. Concilium autem malignantium, ipsi suæ perditionis barathro innatans, versabatur in comessationibus et compotationibus : et suæ prosperitatis excessum portare non valentes impii, ac nimia malitia velut mero ebrii, omnia quæ insani furentesque solent agebant et patiebantur. Etenim irrumpentes in domos nulla apparente ex causa, obvia quæque diripiebant, neque injuriam ferentium aliquis audebat ipsis se opponere : nam si vel verbo obloqueretur quispiam, reus agebatur insolentiæ ac seditionis. Cum ergo sic proposita essent impia edicta, et primi quique ex Fratribus ad custodiam ferro vincti tenerentur in carcere, Christianorum nemo apparebat in publico, palam autem expilabantur eorum ædes, prodebantur amici, calumniam patiebatur religio, mulieres ingenuæ virginesque a lascivis hominibus inverecunde raptabantur : nec omnino poterat qui vidisset narrare quomodo tunc cum Ecclesia ageretur. Deerat enim fugitivis salutis locus, et ab aris recesserant Sacerdotes, derelinquentes vestibula ecclesiarum : dumque eorum facultates impiis essent expositæ ad rapinam, omni supplicio gravior digressis instabat fames. Per totam quippe vagantes solitudinem, et in spelæis F atque cavernis ut quisque latebram invenerat se continentes, non poterant diu tolerare esuriem, quin multi se comprehendendos præberent, misericordiam se consecuturos rati. Grave ergo fugitivis ipsius fugæ malum, ingenuis præsertim atque in multa rerum affluentia enutritis, qui olim nullius indigi, nunc radicibus vescebantur et herbis.

et Paganis animos facit ad eos vexandos.

Illis vero fuga dispersis aut latentibus vel captis,

6 Solus interim Theodotus, Martyr gloriosus, decertabat pro divinis institutis, multa pericula adiens : non enim cauponariam, ut quidam aiunt, lucri causa exercebat ad congregandas pecunias ; sed industria utens cogitabat quomodo caupona sua fieret portus salutis persecutionem patientibus, communi omnium securitati præparatus. Ingens vero labor ei erat cum piis cui detinebantur in custodia, dum post fugam oberrantes salvare, et interfectos ab impiis conabatur contegere. Eorum enim corpora, qui variis tormentis fuerant necata, projiciebantur canibus in escam : et si quis inveniebatur eorum curare sepulturam idem sustinebat supplicium : quia mors acerbissima constituta erat sepelientibus

præsidio erat Theodotus,

A. NILO EX MS. GR. latens sub professione cauponis,

A lientibus illa. Quis autem cogitaret in caupona tantam occultari pietatem? Erat ergo domus Justi caupona simul et portus tranquillus religionis illuc confugientibus, ibidemque abditis ad orationem locus munitus. Assumpto enim cauponarii quæstus prætextu in occasionem exercendæ pietatis, aliquamdiu mansit inobservatus: et juxta monitum B. Pauli persecutionem patientibus omnibus solus ipse fiebat omnia, medicus egentibus, obsonator corpore infirmis, victus penuria laborantibus pistor ac pincerna, magister honestam vitam pietatis studio exornantibus. Ad tormenta perferenda animabat eos qui ducebantur captivi, atque ante aras constitutos hortabatur pro Christo suscipere mortem, sic ut merito eum quis dixerit præceptorem fuisse omnium, qui tempore isto martyrio consummabantur. Necdum tamen in notitiam adduxi præcipuum quoddam Martyris facinus, oblivione ferme præteritum, quod tamen omnino effugere scribentem non poterat.

et ad sacrificia vinum et panem purum ab idolothytis præbens.

7 Jusserat minister diaboli Theotecnus omnem humani victus speciem idolothytis inquinari, panem scilicet ac vinum, ut nec Deo quidem omnium Domino posset oblatio munda exhiberi: et publici- B tus constituerat Sacerdotes erroris, qui id curarent: oportebat autem, ut norunt omnes, offerre Deo immaculata munera. Molestissimo huic commento, celeriter remedium adinvenit Martyr, vehementer industrius in cultu virtutis: quidquid enim prius emerat a Christianis, iisdem revendebat ad necessitatem faciendæ oblationis. Fuit ergo caupona ejus fidelibus, quod olim arca Noe erat salvatis per eam tempore diluvii. Nam sicut tunc cum per universum orbem grassaretur exterminium, nullus erat modus inveniendæ salutis siquis vel tantillum recederet ab arca, eo quod omnis terra esset inundata; sic in nostra civitate nullus poterat salvari Christianus extra domicilium Martyris. Conversa ergo erat taberna in ædem orationis, in hospitium peregrinorum, in altare Sacerdotum ad offerenda sacra dona, cum illuc omnes confugerent sicut naufragium patientes ad scapham. Hæc erant Justo cauponariæ professionis lucra, hi negotiationis suæ proventus Martyri, notumque habebant pietatis cultores, cauponam istam esse periclitantibus portum commodissimum. Atque de his nunc satis, ut alia etiam facinora ejus in sermonem adducam.

Hic Victorem captivum animat ad constantiam,

8 In diebus illis contigit Victorem quemdam, C amicum Martyris, raptum ab impiis comprehendi ex hujusmodi causa. Nonnulli ex Sacerdotibus Dianæ accusantes dixerunt, dixisse eum; quod Apollo sororem suam Dianam ante aram in Delo violaverit, quodque Græcos pudere deberet hujusmodi lasciviæ, talem habentes Deum, qui fecit scelus quod nec homines quidem auderent committere. De his cum accusaretur Victor, accedebant ad eum Pagani, blandientes atque dicentes: Obedias Præsidi, et multo honore afficieris, erisque amicus Imperatorum, ab eisque divitias obtinebis, et in eorum palatio versaberis. Si vero non parueris Præsidi, scito quod acerba tormenta te maneant, et toti familiæ tuæ immineat exterminium: facultates tuæ addicentur fisco, genusque tuum universum delebitur: et corpus tuum post cruciamenta canibus devorandum objicietur. Hæc et alia plura Victori dicebant impii; pietatis vero confessor Theodotus, noctu carcerem ingressus, confortabat eum dicens: Nihil aliud curare debent Christiani quam puritatem vitæ, conversationem rectam, et mentem in vera religione firmam, quarum possessio rara et paratu difficilis ad paucos pervenit.

9 Iterum vero ad ipsum dicebat Beatus: Ne quæso audias noxios illos profanosque sermones, quibus

πικρότατος. Τίς γὰρ ἂν καὶ ὑπονοήσειεν ἐν καπήλῳ D τοιαύτην κρύπτεσθαι θεοσέβειαν; Ἦν οὖν ὁ οἶκος τοῦ δικαίου καπηλεῖον τε ὁμοῦ, καὶ εὐσεβείας λιμὴν ἀχείμαστος τοῖς καταφεύγουσιν, εὐκτήριον ὀχύρωμα τῶν κρυπτομένων. Ταύτης τῆς καπηλείας τὴν πρόφασιν ἐφευράμενος, ἀνυπόπτοτος τέως διέμενε· καὶ κατὰ τὴν τοῦ μακαρίου Παύλου παραίνεσιν, τοῖς ὑπὸ τοῦ διωγμοῦ ὀχλουμένοις μόνος τὰ πάντα ἐγένετο, ἰατρὸς μὲν τοῖς ἰατρείας δεομένοις, ὀψοποιὸς δὲ τοῖς ἀῤῥωστοῦσι τὰ σώματα, σιτοποιὸς δὲ καὶ οἰνοχόος τοῖς ὑπ' ἐνδείας κακοχουμένοις, διδάσκαλος δὲ πρὸς ἀρετὴν τοῖς πολιτείαν σεμνότητος μετ' εὐσεβείας ἀσκουμένοις. Καὶ τοὺς μὲν ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἄγεσθαι μέλλοντας, καὶ ἐπὶ τὰς βασάνους παρεθάῤῥυνε, τοὺς δὲ ἐπὶ τοῦ βήματος ἑστῶτας νουθετῶν ἔπειθεν ὑπὲρ Χριστοῦ ἀποτέμνεσθαι· καὶ πᾶς τις εὐλόγως εἴποι τῶν τότε μαρτυρησάντων τὸν δίκαιον εἶναι διδάσκαλον. Ὅπου δὲ τὸ θαυμαστὸν τοῦ μάρτυρος εἰς γνῶσιν εἰσάγομεν, ὑπὸ τῆς λήθης μικροῦ δεῖν ἡττηθέντες, ἀλλ' ὅμως οὐκ ἔλαθεν.

7 Ἐκέλευσε τότε ὁ ὑπουργὸς τοῦ διαβόλου Θεότεκνος εἰδωλοθύτοις μιαίνεσθαι τὰ τῆς βιωτικῆς ζωῆς εἴδη, ἄρτον φημὶ καὶ οἶνον, ὅπως μήτε ἡ ἀνωφορὰ τῷ πάντων δεσπότῃ Θεῷ καθαρὰ προσφέροιτο· κατέστησε δὲ καὶ δημοσίως ἱερέας τῆς πλάνης, ὅπως τοῦτο ἐπιτελέσωσιν· ἐχρῆν δὲ, ὡς πᾶσιν ἔγνωσται, προσφέρειν τῷ Θεῷ τὰ δῶρα ἀμό- E λυντα. Οὔσης οὖν χαλεπωτάτης τῆς ἐποινίας, ὁ μάρτυς ταχεῖαν εὗρε τὴν διώρθωσιν, ὁ τὰ μεγάλα πρὸς ἀρετὴν ἐπιτηδεύων· συνωνούμενος γὰρ παρὰ τῶν Χριστιανῶν, ὁπόσα καὶ συνωνήσατο, ταῦτα εἴς τε τὴν προσκομιδὴν καὶ τοῖς δεομένοις παρεῖχε· καὶ ἦν τὸ καπηλεῖον αὐτοῦ, ὅπερ ἐπὶ τοῦ κατακλεισμοῦ ἡ κιβωτὸς Νῶε, τοῖς ἐν αὐτῇ διασωθεῖσιν ἐγένετο. Ὥσπερ γὰρ τότε καθ' ὅλης τῆς γῆς τοῦ ἀφανισμοῦ ἐπελθόντος, οὐκ ἦν μέθοδος σωθῆναί τινα ὀλίγον τι παρελθόντα τῆς κιβωτοῦ, διὰ τὸ πᾶσαν ὁμοῦ τὴν ξηρὰν θαλαττεύεσθαι· τὸν αὐτὸν τρόπον ἐν τῇ ἡμετέρᾳ πόλει οὐκ ἦν τινα περισωθῆναι Χριστιανὸν ἐκτὸς τοῦ b δωματίου τοῦ Μάρτυρος· ἦν γὰρ παντὸς καπηλεῖον καὶ οἶκος εὐκτήριος, καὶ τοῖς ξένοις ἦν καταγώγιον, καὶ θυσιαστήριον τοῖς ἱερεῦσιν εἰς τὸ προσφέρειν τὰ δῶρα· οὕτω γὰρ πάντες ἐκεῖ κατέφευγον, ὡς ναυτικοὶ σκάφην κατάγοιεν χειμαζομένην. Ταῦτα τῆς καπηλείας τοῦ δικαίου τὰ κέρδη, ταῦτα τὰ πλεονεκτήματα τῆς ἐμπορίας τοῦ Μάρτυρος, καὶ τὸ θαυμαστὸν τῆς εὐσεβείας καπηλεῖον εὐορμότατος τῶν ναυαγούντων λιμὴν ἐγνωρίζετο. Ἀλλὰ περὶ μὲν τούτων ἀρκέσειεν, ὅπως καὶ ἐπ' ἄλλων καλῶν πραγμάτων τοῦ Μάρτυρος τὸν λόγον μετετέγκωμεν.

8 Ἐν ταῖς ἡμέραις ἐκείναις συνέβη Βίκτορά τινα, F φίλον τοῦ Μάρτυρος, ὑπὸ τῶν ἀσεβῶν ἁρπαγέντα κατέχεσθαι· ἦν δὲ αὕτη τῶν ἐγκλημάτων ἡ πρόφασις. Τινὲς τῶν ἱερέων τῆς Ἀρτέμιδος κατηγόρουν αὐτοῦ, ὡς ὅτι ἔφησε Βίκτωρ, ὅτιπερ Ἀπόλλων τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν Ἄρτεμιν ἐν Δήλῳ παρὰ τῷ βωμῷ ἐβιάσατο, καὶ ὅτι ὤφειλον οἱ Ἕλληνες αἰσχύνεσθαι ἐπὶ ταύτῃ τῇ ἀσελγείᾳ, τῶν θεῶν αὐτῷ σεμνυνόμενοι· οὐκ ἐχρῆν δὲ ταῦτα οὐ δὲ ἄνθρωπον πράττειν, ἔγκλημα ὂν τὸ τοιοῦτον τόλμημα. Ταῦτα μὲν οὖν τοῦ Βίκτορος κατηγόρουν, προσήρχοντο δὲ αὐτῷ πλεῖστοι τῶν ἑλλήνων κολακεύοντες καὶ λέγοντες, Πείσθητι τῷ ἡγεμόνι, καὶ ἕξεις τιμὰς πολλὰς, καὶ φίλος ἔσῃ τῶν Βασιλέων, καὶ χρήματα παρ' αὐτῶν λήψῃ, καὶ ἐν ταῖς αὐλαῖς αὐτῶν διαπρέψεις· εἰ δὲ μὴ πεισθῇς τῷ ἡγεμόνι, γνώσῃ ὅτι πικραὶ κολάσεις μένουσί σοι, καὶ ἀφανισμὸς τοῦ οἴκου σου ἔσται, καὶ τὰ χρήματά σου τῷ ταμιείῳ προσκυρωθήσεται, καὶ τὸ γένος σου ἅπαν ἀφανισθήσεται, καὶ μετὰ τὸ κολασθῆναί σε, τὸ σῶμά σου κυσὶ ῥιφήσεται πρὸς ἀνάλωσιν. Ταῦτα καὶ τὰ τοιαῦτα πολλὰ οἱ ἀσεβεῖς τῷ Βίκτορι διελέγοντο· ὁ δὲ μάρτυς τῆς εὐσεβείας Θεόδοτος εἰσελθὼν νυκτὸς εἰς τὸ δεσμωτήριον, ἤλειφεν αὐτὸν τοῖς λόγοις τοῦ Θεοῦ γυμνάζων· ἔφασκεν οὖν· Οἱ Χριστιανοὶ οὐκ ἄλλων τινῶν ὀφείλουσιν ἀντέχεσθαι, ἢ βίου σεμνότητος, καὶ πολιτείας ὀρθῆς, καὶ γνώμης ἀμεταθέτου περὶ τὴν ὄντως εὐσέβειαν· ἡ γὰρ τοιούτων κτῆσις σπάνιος

A υιος καὶ δυσθήρατος, οὐκ εἰς πολλοὺς ἐρχομένη, ἀλλ' ἑαυτὴν εἰς τοὺς ὀλίγους συστέλλουσα.

9 Ἔλεγε δὲ πάλιν πρὸς αὐτὸν ὁ ὅσιος, Ὦ Βίκτωρ, μὴ δ' ὅλως ἀκούσῃς τῶν ἀπατηλῶν καὶ βεβήλων λόγων, ὧν οἱ μιαροὶ ἔλεγόν σοι, μὴ δ' ὅλως ἀνάσχῃ τῆς νουθεσίας αὐτῶν, μὴ δὲ ἐγκαταλειπὼν τὰ ἡμέτερα, ἀκολουθήσῃς ἐκείνοις, καὶ ἀντὶ σωφροσύνης ἀκολασίαν ἑλόμενος, καὶ ἀντὶ δικαιοσύνης ἀδικίαν, ἀντὶ δὲ εὐσεβείας τῆς πρὸς τὸ θεῖον, ἀσέβειάν τε καὶ ὕβριν· μηδαμῶς, ὦ Βίκτορ, μηδαμῶς· ἀλλ' ὅσον δοκοῦσιν αἱ παρὰ τῶν πονηρῶν ὑποσχέσεις, τοσοῦτον εἰς βόθρον κατάγουσιν τοὺς πειθομένους αὐτοῖς. Ἆρ' οὐ δοκεῖ σοι ὅτι καὶ Ἰουδαῖοι τοιαύταις ὑποσχέσεσιν Ἰούδαν τὸν προδότην ἠπάτησαν; οὐ τοσοῦτον ὄφελος ἡ τῶν τριάκοντα ἀργυρίων δόσις ἐγένετο, ὥστε ἐκείνων μὲν ἡ χρῆσις εἰς ταφὴν τοῖς ξένοις ἐγένετο, Ἰούδα δὲ διασαπέντος καὶ ὀγκωθέντος, οὐδὲν τοῦτον ὠφέλησε τὰ χρήματα, ἢ τὸν δι' ἀγχόνης μισθὸν ἐκομίσατο. Μὴ οὖν παρὰ πονηρῶν Χριστόν τι ἔλπιζε· αἱ γὰρ τῶν τοιούτων ὑποσχέσεις πρὸς αἰώνιον ὁδηγοῦσι θάνατον. Τούτοις τοῖς λόγοις ὁ δίκαιος ὑποστηρίζων τὸν Βίκτορα, τέως ἔμενεν ἀμετάθετος, ὅθεν τὰ μὲν πρότερα γενναίως ἐνεκαρτέρησε ταῖς βασάνοις, καὶ πρὸς θεατὰς τοσοῦτον ἐπαινέθη, ὅσον τῶν ὑποφωνήσεων τοῦ διδασκάλου σπουB δαίως ἐμέμνητο· ὡς δὲ ἤμελλον πρὸς τοῖς τελευταίοις φθάνειν τοῦ δρόμου, ὅτε καὶ τὸν στέφανον λαμπρὸν παρὰ τοῦ σωτῆρος ἐπὶ τῇ νίκῃ κομίζεσθαι, ᾔτησε καιρὸν βραχὺ παρὰ τοῦ τυράννου δοθῆναι αὐτῷ πρὸς ἐπίσκεψιν καὶ μετάμελον. Εἰπόντος δὲ τοῦτο τοῦ Βίκτορος, εὐθέως οἱ βασανίζοντες αὐτὸν τοῦ μαστίζειν ἐπαύσαντο, νομίζοντες αὐτὸν ἤδη ἀρνησάμενον τὴν εὐσέβειαν. Ὁ μὲν οὖν Βίκτωρ ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ ἀπέθανε ταῖς μάστιξιν, ἀμφίβολον καταστήσας τοῦ μαρτυρίου τὴν ἔκβασιν, ὅθεν καὶ τὰ τῆς μνήμης αὐτοῦ ἀμφίβολα μέχρι δεῦρο γεγένηται.

10 Καὶ ἕτερον δὲ τοῦ Μάρτυρος ὑμῖν ἀγώνισμα διηγήσομαι. Μαλός ἐστιν χωρίον, τῆς πόλεως ἀπῳκισμένον σημείων μικροῦ πρὸς τεσσαράκοντα· εἰς τοῦτο τὸ χωρίον παρεγένετο ὁ μάρτυς κατὰ συγκυρίαν τινὰ κατὰ τὸν καιρὸν τοῦ διωγμοῦ, ὅτε τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδόξου Μάρτυρος Οὐάλεντος, τοῦ ἐν Μηδικῶσιν διὰ πολλῶν ἐλθόντος μαστίγων, καὶ τὸ τελευταῖον διὰ πυρὸς, εἰς συστροφὰς ὑδάτων Ἅλυος καταβληθῆναι τὰ λείψανα, καὶ ταῦτα ἀνείλατο ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Θεόδοτος. Παρεγένετο οὖν οὐκ εἰς αὐτὸ τὸ χωρίον, ἀλλ' ὀλίγον τι κατωτέρω ἐπισκοπιάν τινα πρὸς τὸ ἀνατολικὸν μέρος ἀποβλέπων, ἀφ' οὗ τὸ ῥεῦμα τοῦ Ἅλυος καταπτύεται· τὸ δὲ μεταξὺ διάστημα τοῦτε χωρίου καὶ τοῦ τόπου, ἴσως εἰσὶ δύο που στάδιοι. Κατὰ δὲ θείαν πρόνοιαν συνέβη ἀδελφοὺς αὐτόθι τινὰς αὐτῷ περιτυγχάνοντας, ἀσπάσασθαι καὶ πολλαῖς αὐτὸν εὐχαριστείαις ἠμείβοντο, ὡσά τε κοινὸν αὐτὸν εὐεργέτην
C ὑπάρχοντα τῶν θλιβομένων, ὑπεμίμνησκόν τε αὐτὸν τῆς εἰς αὐτοὺς εὐποιίας· ἦσαν γὰρ οὐ πρὸ πολλοῦ χρόνου ὑπὸ συγγενῶν ἰδίων κατενεχθέντες ἐν τῇ πόλει, καὶ κατεσπουδάζοντο πρὸς τιμωρίαν παραδοθῆναι τοῖς ἄρχουσιν, διὰ τὸ καταστρέψαι βωμὸν τῆς Ἀρτέμιδος, τούτους ὁ δίκαιος περιδρομαῖς παντοίαις καὶ χρημάτων δόσεσι μόλις ἦν ἐκ τῶν δεσμῶν ῥυσάμενος, ὧν δὴ καὶ τοτε τὴν συντυχίαν πολὺ κέρδος νομίσας, ἠξίου σὺν αὐτῷ εὐωχηθέντας, οὕτως ἔχεσθαι τῆς πορείας.

11 Κατακλιθέντων δὲ αὐτῶν ἐπὶ τὴν χλόην· ἦν γὰρ περὶ τὸν τόπον χόρτος πολὺς, καὶ δένδρα ἑστῶτα ἀρκεύθινα c καὶ βοράτινα, εἶχε δὲ καὶ παντοίαν εὐωδίαν ἀπὸ τῶν ἀνθέων ὁ τόπος, τεττίγων τε καὶ ἀηδόνων ᾄσματα περὶ τὸν ὄρθρον ἐγίνοντο σύμφωνα, καὶ πάντων ὀρνέων ᾠδαί, καὶ ἁπλῶς πάντων ἦν πλήρης τὸ ὄρος οἷς ἡ φύσις τερπνοῖς τὴν ἐρημίαν ἐκόσμησεν. Ἐνταῦθα δὴ κατακλιθέντες ἐπὶ τῷ χλοερῷ, ἔπεμψεν εἰς τὴν κώμην τῶν ἑταίρων τινὰς ὁ Μάρτυς, ἐπὶ τῷ Πρεσβύτερον αὐτῷ καλέσαι, ὃς παραγενόμενος μεταλάβοι ἅμα αὐτῷ, καὶ ἀπιούσαις εὐχαῖς τούτους προπέμψοι· οὐ γὰρ μετελάμβανεν ὁ ὅσιος τροφῆς, εἰ μὴ ηὐλόγει Πρεσβύτερος. Ἐλθόντες οὖν οἱ πεμφθέντες εἰς τὸ χωρίον, περιτυγχάνουσι τῷ Πρεσβυτέρῳ τῆς ἐκκλησίας ἐξερχομένῳ μετὰ τὴν προσευχὴν τῆς ἕκτης ὥρας, ὃς αὐτοῖς ὑπὸ κυνῶν ὀχλουμένους ἐπιδραμών, καὶ

impuri illi aggrediuntur te; neque omnino suscipias D suasiones eorum, ut nos deserens eos sequaris, continentiæ lasciviam præferens, injustitiam justitiæ, pietati impietatem. Nequaquam, Victor, nequaquam: quantum enim blandiuntur promissa impiorum, tam certam inducunt perniciem. Numquid non hujusmodi promissis Judæi deceperunt proditorem Judam? Non illi quidquam profuit triginta argenteos accepisse: horum enim pretium in sepulturam cessit peregrinorum, ipse vero suspensus crepuit, nihil præter laqueum pecuniis suis lucratus. Noli aliquid boni sperare a malis: promissa enim non nisi ad perpetuam mortem ducunt. His atque hujusmodi verbis cum Victorem confirmasset Justus, mansit ille quidem constans et principia tormentorum generose pertulit, eoque nomine laudabatur a spectatoribus, quamdiu memoria tenuit exhortationes magistri; sed cum jam pene ad terminum sui stadii pervenisset, coronam victoriæ recepturus a Salvatore: petiit ad tyranno breves ad deliberandum inducias. Quo audito lictores statim desierunt eum verberare, arbitrati ipsum defecisse a fide: ipse vero ex plagis mortuus est in carcere, dubium relinquens confessionis suæ exitum, unde usque in hodiernum diem memoria ejus in ambiguo manet. F

A. Nilo ex MS. Gr. et contra blanditias munit:

qui tamen in fine deficit.

10 Nunc vero aliud Martyris certamen describamus. Vicus est distans ad quadragesimum circiter ab urbe lapidem, Malus nomine. Huc, disponente Deo, venit persecutionis tempore martyr Theodotus, cum sancti et gloriosi Martyris Valentis reliquiæ (ejus nempe qui apud Medicones primum per multas plagas ac denique per ignem transierat) conjectæ essent in vorticosas aquas fluminis Halyos, quas ille sustulit: venerat autem non in ipsum vicum; sed aliquanto inferius ad speluncam quamdam versus Orientem prospicientem, unde fluentum Halyos erumpit, cujus loci a vico distantia duorum circiter stadiorum est. Istic autem divina quadam ordinatione accidit, ut fratribus quibusdam occurreret, qui salutato ei multas accumulabant actiones gratiarum, tamquam communi omnium afflictorum benefactori; et sigillatim meminerant suæ erga eum obligationis, quod cum non ita pridem essent a propriis suis consanguineis detenti, qui eos festinabant tradere Præfectis quia Dianæ aram subverterant, eos, Sanctus, magno molimine nec exiguo sumptu usus, ægre demum exemerat vinculis. Horum ergo occursum lucrum insigne ratus, rogavit ut secum cibum sumerent, atque ita suum prosequerentur iter.

Idem sublatis ex fluvio reliquiis Valentis M.

fugitivos aliquos excipit,

11 Illis autem super herba recumbentibus (erat E enim multum ibi gramen et arbores circumstantes tam fructiferæ quam silvestres, cum omnigena florum suaveolentia, et cicadarum atque lusciniarum dulci sub auroram concentu, variarumque avium modulatione, et ea denique omnia quibus natura potest solitarium aliquem locum ornare) illis, inquam super herba recumbentibus, quosdam e sociis Sanctus misit ad vicum, qui sibi advocarent Presbyterum, qui simul pranderet et profecturos consuetis ad iter muniret precationibus: nec enim cibum sumere consueverat Sanctus nisi benedicente Presbytero. Cum ergo in vicum venissent qui missi erant, occurrerunt Presbytero egredienti ab ecclesia post horam orationis sextam: qui videns eos infestari a canibus, continuo accurrit; et canes submovens, salutavit rogavitque, ut siquidem essent Christiani, ingrederentur ad se, quo mutua in Christo caritate perfrui possent. Cui illi, Christiani sumus et Christianorum gaudemus congressu. Tunc subridens Presbyter intra se ait, O Fronto (hoc enim ei nomen erat) quam manifeste tibi semper per somnum offeruntur visiones! quod autem hac nocte vidi stupendum plane fuit. Vidi enim viros

accersitoque illic Presbytero,

 ros

A. Nilo ex MS. Gr. qui de eo erat per somnium præmonitus,

A ros duos, vobis similes, dicentes mihi quod thesaurum huic regioni adferrent. Cum igitur vos intueor eos ipsos quos vidi per somnium, agite thesaurum istum mihi tradite.

12 Responderunt viri, Vere habemus nobiscum thesauro quovis potiorem Martyrem Theodotum, quem, si volueris, videre poteris, hominem religione præstantem : sed vici hujus Presbyterum nobis ostende Pater. Qui ait : Euge, ipse ego sum quem requiritis : sed præstat ut illum huc domum inducamus, nec enim convenit ubi Christiani sunt quemquam in silva manere. Accedens igitur et Sanctum cum Fratribus osculatus, rogavit ut simul omnes venirent in domum suam. Ille vero excusabat se, eo quod festinaret ad metropolim regredi : Magnum enim ibi, inquit, stadium ad salutem Christianis aperitur; oportet autem Fratribus in necessitate constitutis opitulari. Postquam ergo cibum sumpsissent, Athleta Christi ad Presbyterum subridens, Quam aptum, inquit, video locum ad sacrarum Reliquiarum susceptionem? quid cunctaris? Respondit Presbyter : Tu satage ut habeam in quibus laborem, et tunc me argue tarditatis, de sanctarum Reliquiarum allatione loquens : Oportet enim, inquit B obtinere illas, ac tum de ædificio inchoando cogitare. Tunc Martyr : Nostrum, inquit est solicitius agere; seu potius Dei, Reliquias tibi subministrare, tuum vero præparare diligenter ædem sacram : quapropter obsecro, Pater, ne cuncteris in opere, sed cura ut quam primum illud perducas ad finem, cito enim advenient Reliquiæ. Atque hæc dicens detraxit digito annulum deditque Presbytero, et ait : Dominus testis sit inter me et te, quia brevi tibi providebitur de Reliquiis; indicans scilicet vel alium se missurum, vel ipsummet venturum : festinabat enim certaminis sui cursum absolvere. Talia autem cum commendasset decessit ex partibus illis, venitque in urbem, ubi reperit velut a terræmotu eversa omnia.

post cibum in herba sumptum,

jubet locum aptari condendis Reliquiis,

eas se missurum pollicens.

ANNOTATA.

a *MS.* διαζώσεσθαι.

b *Idem* δημaτίου.

c Ἀρκεύθινος *ab* ἀρκεύθῳ junipero, cedro. βοράτινος *nusquam alibi legitur quod sciam, videtur tamen derivari posse a* βορὰ edulium, pabulum, *unde et* βοράζω edo, vescor, *ideoque verti* arbores silvestres et fructiferas.

C d Σκύλαι hospitari, *vel quid simile, Galatarum idiotismo dici videtur.*

D τοὺς κύνας ἀποσοβήσας, χαίρειν προσεῖπε, καὶ εἰ Χριστιανοί ἐστέ φησιν, ἔλθετε πρός με, ἵνα τῆς ἐν Χριστῷ ἀγάπης μεταδῶμεν ἀλλήλοις. Οἱ δὲ εἶπον, Χριστιανοί ἐσμέν, καὶ Χριστιανῶν ἐμπορευόμεθα συντυχίαις· ἐπὶ τούτοις ὁ Πρεσβύτερος μειδιάσας, πρὸς ἑαυτὸν ἔφη· Ὦ Φρόντων, τοῦτο γὰρ ἦν τῷ Πρεσβυτέρῳ τὸ ὄνομα, πῶς ἀεὶ φανερῶς φαίνονταί μοί φησιν αἱ τῶν ὀνείρων ὀπτασίαι; τὸ δὲ φανέν μοι τῇ νυκτὶ ταύτῃ ἐνύπνιον ἐκπλήττει με· ἐθεώρουν γὰρ δύο ἄνδρας ὥσπερ ὑμᾶς, λέγοντάς μοι, θησαυρὸν, τῇ πατρίδι ἐνηνοχέναι. Ἐπεὶ οὖν τοὺς ὀφθέντας μοι ἄνδρας κατ᾽ ὄναρ ὑμᾶς αὐτοὺς τεθέαμαι, φέρε λοιπὸν καὶ τὸν θησαυρόν μοι ἀπόδοτε.

12 Οἱ δὲ ἄνδρες ἔφησαν, ἀληθῶς τιμιώτερον θησαυροῦ παντὸς ἔχειν μεθ᾽ ἑαυτοὺς τὸν μάρτυρα Θεόδοτον, ὃν εἰ βουληθείης θεάσασθαι ἄνδρα ἐν εὐσεβείᾳ μεγάλῃ· ἀλλὰ δεῖξον ἡμῖν πάτερ τὸν τῆς κώμης Πρεσβύτερον. Καὶ ὁ Πρεσβύτερος ἔφη· Ἄγωμεν· ἐγὼ γάρ εἰμι, ὃν ζητεῖτε· ἀλλὰ βέλτιον αὐτὸν οἴκαδε d σκύλαι, ἀπρεπὲς γάρ ἐστιν d ὄντων ἐνταῦθα Χριστιανῶν ἐν νάπαις αὐλίζεσθαι. Παραγενόμενος δὲ, καὶ τὸν ἅγιον σὺν τοῖς ἀδελφοῖς ἀσπασάμενος, εἰς τὸν οἶκον παρεκάλει ἅμα τῶν συνόντων ἀδελφῶν παραγενέσθαι αὐτόν. Ὁ δὲ οὐκ ἠνέσχετο διὰ τὸ σπεύδειν αὐτὸν καταλαβεῖν τὴν μητρόπολιν λέγων· Νῦν E Χριστιανοῖς μέγας ἥπλωται σωτηρίας δρόμος, ἀλλ᾽ ὥστε δὲ καὶ τοῖς ἀδελφοῖς ἐν ταῖς ἀνάγκαις δέον ἐπικουρεῖν. Μετὰ δὲ τὸ μεταλαβεῖν αὐτοὺς τῆς τροφῆς, ὁ ἀθλητὴς τοῦ Χριστοῦ πρὸς τὸν πρεσβύτερον μειδιάσας λέγει· Ὁποῖον ὁρῶ τὸν τόπον ἐπιτήδειον πρὸς ὑποδοχὴν ἁγίων λειψάνων; καὶ ἵνα τι ῥαθυμεῖς; Καὶ ὁ Πρεσβύτερος εἶπε· Σὺ κάμε μοι ἐν οἷς ἐπιδέομαι, καὶ τότε μέμφου τῇ ῥαθυμίᾳ μου, ἔλεγε δὲ περὶ κομήσεως ἁγίων λειψάνων· χρὴ γάρ φησι πρῶτον εὐτρεπῆσαι τὰ λείψανα, καὶ τότε τοῦ κτίσματος ἄρχεσθαι. Καὶ ὁ Μάρτυς εἶπεν, Ἡμέτερον οὖν ἐστι σπουδάσαι, μᾶλλον δὲ τοῦ Θεοῦ παρασχεῖν σοι τὰ λείψανα, σὸν δὲ σπουδάσαι τὸν οἶκον οἰκοδομῆσαι· ἀλλὰ παρακέκλησο Παπᾶ, μὴ ἀμελήσῃς τοῦ ἔργου, ἀλλ᾽ ὅση δύναμίς σοί ἐστι, σπούδασον τὸ ἔργον τελειῶσαι, τάχειον γὰρ ἐλεύσεται τὰ λείψανα. Εἰπόντος δὲ αὐτοῦ ταῦτα, περιείλατο τὸν δακτύλιον αὐτοῦ, καὶ τῷ Πρεσβυτέρῳ ἐπέδωκεν εἰπών· ὁ Κύριος ἔσται ἀνὰ μέσον ὑμῶν μάρτυς, ὅτι ἐν τάχει αὐτὸς φροντήσει τὰ λείψανα, λέγων ἢ ἄλλον πέμπειν, ἢ αὐτὸν ἔρχεσθαι· ἔσπευδε γὰρ τάχιον τὸν δρόμον τῆς ἀθλήσεως τελέσαι. Ταῦτα συνθέμενος, ἐκ τῆς Μαλοῦ ἀνεχώρησε, καὶ κατέλαβε τὴν πόλιν, ὡς ὑπὸ σεισμοῦ τὰ πάντα συστρεφόμενα.

E

CAPUT II.

Martyrium septem Virginum : Theodoti pro vivis ac mortuis solicitudo : sepultura curata.

Septem grandævæ Virgines

ad stuprum traditæ,

Virgines septem erant, a prima ætate exercitatæ ad virtutem, doctæque præ cunctis æstimare continentiam, et Dei timorem ante oculos habere Has cum tyrannus comprehendisset, multisque illatis tormentis non potuisset ad impietatem traducere ; lascivis adolescentibus denique tradi violandas jussit, ira exæstuans et religioni facere injuriam volens. Cum ergo missæ essent ad juvenes quosdam, turpem injuriam ut dicebatur passuræ ; ingemiscentes profunde, manusque cum oculis tollentes in cœlum, Domine, inquiebant, Jesu Christe, quamdiu in nostra fuit potestate custodire virginitatem illibatam, nosti quam diligenter id fecerimus, usque in diem hodiernum : nunc vero impudici adolescentes potestatem in corpora nostra acceperunt. Hæc et his similia cum supplicantes dicerent et lacrymarentur,

Ἦσαν δέ τινες παρθένοι τὸν ἀριθμὸν ἑπτὰ ἐκ νεαρᾶς ἡλικίας ἀσκούμεναι, αἵ τινες τὴν σωφροσύνην πρὸ πάντων τιμήσασαι, καὶ τὸν φόβον τοῦ Θεοῦ πρὸ ὀφθαλμῶν ἔχουσαι. Αὗται συνελήφθησαν ὑπὸ τοῦ ἀσεβεστάτου τυράννου, ὃς πολλὰς βασάνους αὐταῖς ἐπενεγκὼν, καὶ μὴ πείσας αὐτὰς ἀσεβῆσαι, τέλος ὑπερζέσας τῷ θυμῷ, ἐκέλευσεν ἀκολάστοις νέοις παραδοθῆναι ταύτας εἰς φθορὰν, ὑβρίζων ὁ ἀσεβὴς τὴν εὐσέβειαν. Παρεπέμφησαν οὖν νέοις τῇ ἀσωτίᾳ πρὸς ὕβριν ὡς ἔφην· στενάξασαι δὲ πικρῶς, καὶ μετὰ δακρύων τὰς χεῖρας εἰς τὸν οὐρανὸν ἐκτείνασαι εἶπον, Δέσποτα Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ἕως μὲν ἡμέτερον ἦν φυλάττειν τὴν παρθενίαν ἡμῶν ἄσπιλον, οἶδας Δέσποτα πῶς μετὰ πάσης σπουδῆς καὶ προθυμίας ταύτην μέχρι τῆς σήμερον ἐφυλάξαμεν ἀκαταγνώστως· νυνὶ δὲ ἀκόλαστοι τὰ σώματα ἡμῶν ἔλαβον πρὸς ἐξουσίαν. Καὶ ἕτερα δὲ πλείονα μετὰ δακρύων αὐτῶν προσευξαμένων,

τὴν

A τὴν πρεσβυτέραν αὐτῶν, Τέκουσαν τὸ ὄνομα καλουμένην, παρέλαβεν εἷς τῶν νεωτέρων κατ᾽ ἰδίαν, ὁ δοκῶν ἀκολαστότατος αὐτῶν. Ἡ δὲ λαβομένη τῶν ποδῶν αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ μετὰ δακρύων· Ὦ τέκνον, ποῖον ὑμῖν ἐξ ἡμῶν ἔσται τὸ ὄφελος, ἢ ποίας τέρψεως ἢ ἡδονῆς τῆς ἐξ ἡμῶν, εἰ σώμασι συγγένησθε ἀπὸ κακουχίας, καὶ γήρους καὶ νηστείας, καὶ νόσου, καὶ βασάνων, ὡς ὁρᾶτε, πολλῶν δεδαπανημένοις· πλείω γὰρ τῶν ἑβδομήκοντα ἐτῶν ὁ τῆς ζωῆς χρόνος παρέδραμε, καὶ αἱ λοιπαὶ δὲ τῶν αὐτῶν ὑπάρχουσι χρόνων· ἀτερπές οὖν ὑμῖν ἐστιν ἐρασθῆναι σωμάτων ὡς εἰπεῖν νεκρῶν, ἃ μετὰ μικρὸν ὄψεσθε ὑπὸ κυνῶν καὶ ὀρνέων ἀναλισκόμενα· τοῦτο γὰρ ὁ ἡγεμὼν ἔφησε, μὴ δὲ ταφῆς μετὰ θάνατον ἀξιωθῆναι ἡμᾶς, Ἔχετε οὖν τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, χάριτας ἀποδιδοῦντα ὑμῖν μεγάλας ὑπὲρ ἡμῶν. Ταῦτα ἡ πρεσβυτέρα φθεγξαμένη πρὸς τὸν νέον μετὰ δακρύων, καὶ τὸ περίδημα βραχὺ ἀνασύρασα, τὰς πολιὰς τῆς κεφαλῆς ἐδείκνυε λέγουσα αὐτῷ· Ὦ τέκνον, αἰδέσθητι ταῦτα, ἴσως καὶ σὺ πολιὰν μητέρα ἔχεις, ἥνπερ ἀντὶ ἡμῶν εἰς δυσώπησιν ἄγωμεν, εἴτε περίεστιν, εἴτε καὶ τέθνηκεν· ἡμῶν τῶν ἀθλίων νόμισον εἶναι τὰ δάκρυα, τὴν δὲ ἀμοιβὴν τῆς χάριτος ἔλπιζε ἀπολαβεῖν παρὰ B τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, οὐ γάρ ἐστιν ἡμῖν διάκενος ἡ εἰς αὐτὸν ἐλπίς. Ταῦτα τῆς ἁγίας Τεκούσης εἰπούσης, εὐθέως οἱ νεανίσκοι τῆς μὲν ἐρωτικῆς ἀπέστησαν μανίας· πλεῖστα δὲ δακρύσαντες ἐπὶ τῇ τῶν παρθένων συμπαθείᾳ, ἀνεχώρουν.

14 Ταῦτα ἀκούσας ὁ Θεότεκνος, καὶ γνοὺς ὅτι οὐκ ἐφθάρησαν αἱ παρθένοι, ἐνοχληθῆναι μὲν αὐτὰς αἰσχρᾶς ἕνεκεν ἡδονῆς οὐκ ἐπέτρεψεν· ἐκέλευσε δὲ αὐτὰς τῆς Ἀρτέμιδος καὶ τῆς Ἀθήνας ἱερείας γενέσθαι, οἵσης δὲ συνηθείας αὐτοῖς ἐν τῇ πλησίον λίμνῃ κατὰ ἔτος λούειν τὰ ξόανα· ἦν δὲ κατ᾽ αὐτὴν τὴν ἡμέραν αὐτοῖς τῆς ἀπολούσεως ὁ καιρὸς καὶ τῶν εἰδώλων· Ἐχρῆν οὖν ἕκαστον αὐτῶν ὑπ᾽ ὀχήματα ἐπιτίθεσθαι· ἐκέλευσε γοῦν καὶ τὰς παρθένους ἐπὶ τὴν λίμνην ἀπάγεσθαι, ὀφειλούσας καὶ αὐτὰς λούσασθαι μετὰ τῶν ξοάνων κατὰ τὸ ἴσον σχῆμα. Ἦγον οὖν αὐτὰς διὰ μέσου τῆς πόλεως γεγυμνωμένας τοῖς σώμασιν, ὀρθὰς ἑστώσας ἐπὶ τοῖς ὀχήμασι πρὸς ἀσχημοσύνην καὶ χλεύην· ἤγοντο δὲ καὶ τὰ ξόανα ὄπισθεν ὀλίγον τῶν παρθένων προηγουμένων· συνεξῆλθε δὲ καὶ τὸ πλῆθος τῆς πόλεως πάσης ἐπὶ τῇ θεωρίᾳ τῆς γενομένων· Αὐλῶν γὰρ καὶ κυμβάλων ἦχος ἐθεωρεῖτο, καὶ γυναικῶν ὀρχισμοὶ λελυμένων ἐχουσῶν τοὺς πλοκάμους ὥσπερ Μενάδες, καὶ κτύπος ἀπὸ τῶν ποδῶν ἐγίνετο πολὺς κατακρουόντων τὸ ἔδαφος, καί πολλὰ δὲ μουσικὰ μεθ᾽ ἑαυτῶν εἶχον, καὶ οὕτως ἀπεῖγον τὰ ξόανα. Καὶ διὰ C ταῦτα μὲν πολὺ πλῆθος τῆς πόλεως συνέδραμε, πολλῷ δὲ πλέον διὰ τὸ πάθος τῶν παρθένων, τῆς μὲν οἰκτειρόντων αὐτῶν τὸ γῆρας, τινῶν δὲ ἐκπληττομένων τὴν καρτερίαν, οἱ δὲ ἀνευφήμουν τὸ κόσμιον, καὶ ἁπλῶς πάντες οἱ θεωροῦντες αὐτὰς ὑπὸ τῶν μαστίγων καταπεπονημένας ἐδάκρυον. Συνεξῆλθε δὲ τούτοις καὶ τὸ γέννημα τοῦ δράκοντος Θεότεκνος ὁ ἡγεμών.

15 Ὁ δὲ τίμιος Μάρτυς τοῦ Θεοῦ Θεόδοτος ἐν πολλῇ ἦν ἀθυμίᾳ, δεδιὼς ὑπὲρ ἑκάστης τῶν παρθένων, μὴ ὅπερ ἀπὸ γυναικὸς ἦν ὑποπτεῦσαι, ὑποσυρεῖ τις αὐτῶν πρὸς τοὺς κινδύνους ὀκλάσασα. Πολλὰς οὖν δεήσεις ὑπὲρ αὐτῶν πρὸς τὸν Θεὸν ἀνέπεμψε, συνεργῆσαι αὐταῖς πρὸς τὴν ἄθλησιν τοῦ καλοῦ. Ἦν δὲ ἑαυτὸν ἐν δωματίῳ κατακρύψας μικρῷ πλησίον τοῦ μαρτυρίου τῶν Πατριαρχῶν, πενιχροῦ τινος Θεοχαρίδους καλουμένου, συνόντος αὐτῷ καὶ Πολυχρονίου ἀνεψιοῦ Τεκούσης τῆς Μάρτυρος τυγχάνοντος, καὶ ἄλλου Θεοδότου μικροῦ ἀνεψιᾶς τοῦ Μάρτυρος υἱοῦ, συνῆσαν δὲ αὐτῷ καὶ ἄλλοι Χριστιανοί ἐν τῷ κελλίῳ. Πεσὼν οὖν εἰς προσευχὴν ἐπὶ πρόσωπον σὺν τοῖς συνοῦσιν αὐτῷ, πρωὶ ἕως ὥρας ἕκτης, διεκαρτέρει ἐν τῇ δεήσει· περὶ δὲ ὥραν ἕκτην εἰσελθὼν τὸ γύναιον τοῦ Θεοχαρίδους, ἀπήγγειλε τῶν παρθένων ἐν τῷ βυθῷ καταπεποντῶσθαι τὰ σώματα. Τότε δὴ οὖν ὁ δίκαιος ἀκούσας, ἑαυτὸν ὀλίγον ἐπάρας ἀπὸ τοῦ ἐδάφους ὡς ἦν ἐπὶ τῶν γονάτων, εἰς τὸν οὐρανὸν τὰς χεῖρας ἀνέτεινε, καὶ τῇ ῥύσει τῶν δακρύων προσέχων εἶπεν· Εὐχαριστῶ σοι,

seniorem ipsarum, Tecusam nomine, in partem traxit eorum unus, qui ceteris videbantur impudentior. D *A. NILO EX MS. GR.* Ipsa vero flens et pedes ejus tenens, Quodnam, inquit, o fili, ex me tibi lucrum, aut quæ voluptas esse poterit commisceri corporibus, senio, jejunio, morbo cruciatuque, ut vides consumptis? jam enim septuagesimum supergrediebatur annum, et reliquæ haud minoris ferme ætatis erant. Indecens omnino vobis est amare carnem, ut sic dixerim, mortuam, quam mox videbitis a feris avibusque discerpi : jam enim Præses statuit, nec sepulcro quidem nos dignari. Quin potius accipite pro nobis Dominum Jesum Christum, magnas vobis gratias redditurum? *nec tamen violatæ.* Sic illa cum lacrymis affata juvenem, et velum raptim discerpens, ostentabat ei capitis suis caniciem : et Has, inquit, reverere, fili, nam et tu forsitan matrem jam canam habes : ea pro nobis deprecatrix veniat, sive adhuc superest sive jam obiit : et nobis quidem miseris relinque lacrymas, tibi vero spem habe retribuendæ a Salvatore nostro Jesu Christo gratiæ; nec enim vana est spes in ipso collocata. Talia cum diceret Tecusa, statim adolescentes, posito libidinis æstu, soluti etiam ipsi in lacrymas, virginibusque compatientes, abierunt.

14 Audiens autem Theotecnus quod constupratæ E non essent, noluit amplius inhonestæ voluptatis causa eis esse molestus; sed jussit eas fieri Dianæ atque Minervæ sacerdotes, ut quotannis juxta morem lavarent earum simulacra in vicino lacu : recurrebat vero tunc ipsa lavandorum idolorum anniversaria dies. *cum idolis solenniter lavandis* Cum ergo oporteret eorum singula vehiculis imponi, jussit etiam ipsas ad paludem duci eodem quo idola modo lavandas. Vehebant ergo illas; nudatis corporibus rectas stantes in curribus, ad verecundiam irrisionemque : post ipsas vero vehebantur et idola : simul etiam egrediebatur multitudo universæ civitatis, ad spectaculum futurum. *nudæ educuntur ad lacum :* Inter hæc audire erat et videre tibiarum ac cymbalorum sonum, choreasque mulierum solutis crinibus mœnadum instar bacchantium. Multus autem excitabatur strepitus pedum terram plaudentium, et musicorum instrumentum concrepatio, itaque vehebantur simulacra. Et propterea quidem magna populi turba concurrebat, major tamen propter Virginum passionem, quarum alii senium miserabantur, quidam admirabantur constantiam, nonnulli laudabant modestiam; omnes vero conspiciendo illas confectas plagis lacrymabantur. Egressus etiam cum illis ibat viperinum germens Præses Theotecnus.

15 Interim Dei Martyr Theodotus in magna ver- F sabatur solicitudine pro unaquaque sanctarum Virginum, metuens ne qua earum, sicut de feminis formidari poterat, deficeret in certamine. Multis igitur precibus exorabat Deum, ut illas in agone juvaret : ad hoc vero se concluserat in parva domuncula *pro eis solicitus Theodotus orat,* prope confessionem *a* Patriarcharum, quæ pauperis cujusdam erat, Theocharidis nomine; *a* una cum Polychronio, qui erat nepos Tecusæ Martyris; et Theodoto juniore, ex ipsius cognata progenito, aliisque nonnullis Christianis, intra eamdem cellulam congregatis. Jacuerant autem simul omnes in oratione a primo mane usque ad horam sextam, quando Theocharidis uxor nuntiavit virginum corpora in lacu submersa esse. Ad hanc denuntiationem non- *submersasque intelligens gratias agit.* nihil a pavimento se attollens justus, et adhuc genibus flexus, in cœlum manus extendit, et copioso lacrymarum perfusus imbre. Gratias, inquit, tibi ago Domine, quod fletum meum hunc nolueris esse inutilem. Tum quæsivit ex muliere quomodo in profundum actæ Virgines essent et qua parte laci : in medione an juxta crepidinem. Illa vero, quæ simul cum aliis mulieribus egressa præsens in loco fuerat, sic ait : Multa suadens, multa etiam promittens Theotecnus

A. NILO EX MS. GR.

A Theotecnus frustra fuit, Tecusa ipsum injuriosis verbis repellente : Sacerdotes quoque Dianæ et Minervæ, coronam vestemque albam illis offerentes, ut quæ secum dæmonibus ministrare deberent, rejectæ similiter cum improperiis sunt. Jussit ergo Præses lapides earum illigari collis, navigioque parvo impositas eo devehi, ubi profundior lacus erat itaque injectæ in aquas sunt ad spatium duorum jugerum a ripa.

Militari custodia apposita territus

16 His auditis ibidem usque ad vesperam se continuit Martyr, una cum Polychronio atque Theocharide, consultans qua ratione possent corpora educi e lacu. Sub occasum vero solis adfuit consultantibus adolescens ut significaret, quod Theotecnus jusserit ad lacum permanere milites, custodes corporum futuros. Tum vero magno mœrore correptus fuit Sanctus, apparebat enim perquam difficulter recipienda esse sacra corpora, tum propter custodientes ea milites, tam propter lapidum gravitatem quorum singulos ægre plaustrum movisset. Vespere porro facto qui cum Theodoto erant ibi manserunt, ipse vero progressus ad Patriarcharum confessionem, cum obstructam illam ab impiis reperisset, ne quis Christianorum illuc posset ingredi, foris juxta concham B se projecit in orationem aliquandiu sic perseverans : inde vero progressus abiit ad confessionem *b* Patrum et hanc quoque obstructam inveniens, ibidem in oratione procubuit : deinque magnum post se strepitum audiens et credens aliquos sibi imminere, divertit ad Theocharidis habitaculum. Ibi cum aliquantulum obdormisset, apparuit ei B. Tecusa dicens, Dormis, fili Theodote, et nulla te nostri cura tangit? neque meministi adhortationum, quibus te juniorem instruxi, ac præter opinionem parentum ad virtutem manu duxi? Et tu quidem viventem numquam negligebas, sed colebas ut matrem : nunc vero, postquam obii, oblitus es quod usque in finem mihi ministrare debebas. Ne obsecro sinas nostra corpora sub aquis laci fieri escam piscium : nam et post duos dies magnum te expectat certamen. Surgens igitur accede ad paludem : verum cave tibi a proditore. Atque hæc dicens recessit.

b

a S. Tecusa ad corpora extrahenda animatur :

ad quod alteram noctem præstolatus,

17 Tunc exurgens a somno, oblatam sibi visionem exposuit Fratribus : qui omnes ei compatiebantur, et cum lacrymis orabant Deum, ut ipsi vellet ad invenienda corpora esse adjutor. Cumque illuxisset juvenem illum qui primo annuntiaverat, milites paludi appositos manere ad custodiam corporum C (erat enim Christianus et ipse) eumdem cum Theocharide miserunt accuratius exploraturum, quid esset de militibus, recessisse illos suspicati propter festivitatem Dianæ, quam eo die celebrabant impii. Euntes ergo Theocharides et Glycerius (hoc enim juveni nomen erat) renuntiaverunt adhuc eos perstare in custodia. Continuerunt ergo sese etiam die ista : vespere autem facto egressi sunt versus paludem jejuni, acutas secum falces deferentes, cum quibus ingressi in aquam præscinderent funes, demersarum collo innexos. Tenebræ autem profundæ erant, eo quod neque luna neque stellæ conspicerentur. Cum vero pervenissent ad locum in quo solent rei cruciari, locum horribilem et quem nemo post solis occasum audebat intrare (quia istic præcisa capita aut contis infixa stabant, aut dispersa jacebant igne combusta) horrore non modico correpti etiam ipsi sunt : sed vocem audiverunt dicentem : Fidenter accede, Theodote. Rursum ergo perterrefacti, Crucis signum suæ quisque impressit fronti ; et mox apparuit eis Crux illustris, quæ videbatur ex parte Orientali radium ignitum emittere : ad quam apparitionem mixtus gaudio timor fuit, et genibus flexis adoraverunt versus locum unde Crux apparebat.

et egressus per densas tenebras ac pluvias,

D Δέσποτα, ὅτι τὴν τούτων μου τῆς δακρύων οὐκ ἐματαίωσας ἔκχυσιν. Ταῦτα εἰπὼν ἐπυνθάνατε παρὰ τῆς γυναικός, πῶς καί τινα τρόπον τῶν παρθένων καταβεβυθίσθαι τὰ σώματα, καὶ ἐν ποίῳ τοπῳ τῆς λίμνης, παρὰ το τεῖχος, ἢ εἰς αὐτὸ τὸ μέσον· ἡ δὲ ἔφησε τὸν τόπον· ἦν γὰρ καὶ αὐτὴ ἅμα ἑτέρων γυναικῶν συνεξελθοῦσα ἐπὶ τὴν λίμνην· ἔλεγεν οὖν ὡς ὁ Θεότεκνος πολλὰ παρακαλέσας δι' ἑαυτοῦ, καὶ ὑπισχνούμενος πολλὰ ἀπεισθεῖ ἐν αὐτῷ, ἡ ἁγία Τέκουσα ὑβρίσασα αὐτὸν ἀπέπεμψεν· αἱ δὲ ἱερεῖαι τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τῆς Ἀρτέμιδος στεφάνους προσέφερον αὐταῖς, καὶ λευκὴν αἰσθῆτα ὀφειλούσας καὶ αὐτὰς ἱερατεῦσαι τοῖς δαίμοσι, καὶ ταύτας δὲ ὑβρίσασαι ἀπέπεμψαν. Τότε ἐκέλευσεν ὁ ἡγεμὼν λίθους κρεμασθῆναι ἐν τοῖς τραχήλοις αὐτῶν, καὶ πλοιαρίῳ μικρῷ ἐμβιβάσαντες, ἐνέβαλον εἰς τὸ τῆς λίμνης βάθος ὡς ἀπὸ δύο πλέθρων εἰσάγοντες ἐνδοτέρω.

16 Ταῦτα ἀκούσας ὁ Μάρτυς, ἔμεινε μέχρις ἑσπέρας αὐτόθι, σκεπτόμενος ἅμα τῷ Πολυχρονίῳ καὶ τῷ Θεοχαρίδι, εἰ δυνηθεῖεν ἀπὸ τῆς λίμνης ἀνακομίσαι τὰ σώματα. Σκεπτομένων δὲ αὐτῶν, περὶ δυσμὰς ἡλίου νεανίσκός τις λέγει αὐτοῖς, ὅτι στρατιώτας ὁ Θεότεκνος ἐκέλευσε παραμένειν τῇ λίμνῃ φυλάττοντας τὰ σώματα. Ταῦτα ἀκούσας ὁ Μάρτυς, εἰς ἀθυμίαν κατήνεχθη· οὐ γὰρ εὐχερὲς ἦν τοῦ ἀνακομῖσαι τὰ σώματα, διὰ τοὺς τῇ λίμνῃ παραμένοντας σρατιώτας, καὶ διὰ τὸ τοὺς λίθους εἶναι βαρεῖς, ὧν ἕκαστον αὐτῶν οὐκ ἂν κινήσειεν ἅμαξα. Ἑσπέρας δὲ καταλαβούσης, οἱ μὲν συνόντες τῷ ὁσίῳ ἔμενον ἔνδον, αὐτὸς δὲ προελθὼν ἔρχεται εἰς τὸ τῶν πατριαρχῶν μαρτύριον, ὅπερ οἱ ἀσεβεῖς ἀνέφραξαν, ὅπως μηδεὶς τῶν Χριστιανῶν εἰσέλθῃ, ἔξωθεν οὖν παρὰ τὴν κόγχην πεσὼν ἐπὶ πολὺ τῇ προσευχῇ προσεκαρτέρει· ἀναστὰς δὲ ἐκεῖθεν, E ἄρχεται εἰς τὸ τῶν πατέρων μαρτύριον, ὅπερ καὶ αὐτοὶ οἱ ἀσεβεῖς ἀνέφραξαν, ὁμοίως δὲ κἀκεῖ πεσὼν προσηύξατο· ἐσθόμενος δὲ πολλοῦ θορύβου, καὶ νομίσας ἐπιτρέχειν τινὰς αὐτῷ, ἀναχωρήσας ὑπέστρεφεν εἰς τὸ τοῦ Θεοχαρίδους καταγώγιον. Ὑπνώσαντος δὲ αὐτοῦ ὀλίγον, φαίνεται αὐτῷ ἡ ἁγία Τέκουσα καθ' ὕπνον λέγουσα· Κοιμᾶσαι Τέκνον Θεόδοτε, καὶ περὶ ἡμῶν οὐδείς σοι λόγος γεγένηται; καὶ οὔτε τῶν παραινέσεων μέμνησαι, ὧνπερ νέῳ ὄντι παρήνεσα, καὶ παρὰ γνώμην τὸν γονέων πρὸς ἄσκησιν ἐχειραγώγησά σε; Καὶ ζώσης μέν μου οὐκ ἠμέλεις, ἀλλ' ὡς μητέρα ἐθεράπευες, νυνὶ δὲ τελειωθείσης ἐπελάθου, ὅτε ἐχρῆν τελείως θεραπεῦσαί με; Μὴ οὖν περιόψῃ τὰ σώματα ἡμῶν ἐν τῷ ὕδατι βορρὰν ἰχθύων γενέσθαι, καί σε δὲ αὐτὸν μετὰ δύο ἡμέρας μέγας ἀγὼν ἀπεκδέχεται· ἀναστὰς οὖν ἐπὶ τὴν λίμνην ἐλθὲ, φύλαξον δὲ σεαυτὸν ἀπὸ τοῦ προδότου· καὶ ταῦτα εἰποῦσα, ἀνεχώρησεν.

17 Ἀναστὰς οὖν ἀπὸ τοῦ ὕπνου, διηγήσατο τοῖς ἀδελ- F φοῖς τὴν φανεῖσαν αὐτῷ ὀπτασίαν· πάντες δὲ συνεπάθησαν, καὶ μετὰ δακρύων προσηύξαντο αἰτούμενοι τὸν Θεὸν τῆς τῶν σωμάτων ἀνευρέσεως βοηθόν. Ἡμέρας οὖν γενομένης, τὸν νεανίαν τὸν ἀναγγείλαντα αὐτοῖς ὅτι στρατιῶται παραμένουσι τῇ λίμνῃ φυλάσσοντες τὰ σώματα τῶν ἁγίων, ἦν γὰρ καὶ αὐτὸς Χριστιανὸς, σὺν τῷ Θεοχάριδι ἀποστέλλουσιν ἐπὶ τὸ μαθεῖν περὶ τῶν στρατιωτῶν ἀκριβέστερον, ὑπελάμβανον γὰρ αὐτοὺς ἀνακεχωρηκέναι διὰ τὴν ἑορτὴν ἥνπερ ἐπετέλουν οἱ ἀσεβεῖς τῇ Ἀρτέμιδι. Ἐλθόντες δὲ οἱ περὶ τὸν Θεοχάριδα καὶ Γλυκέριον, τοῦτο γὰρ ἦν τοῦ νεανίσκου τὸ ὄνομα, ἀπήγγειλαν παραμένειν αὐτούς. Ἑσπέρας δὲ καταλαβούσης, ἐξώρμησαν ἐπὶ τὴν λίμνην ἄσιτοι· δρεπάνας δὲ μεθ' ἑαυτῶν ἔλαβον ἠκονημένας, ὅπως τοὺς σχοίνους ἀπὸ τῶν τραχήλων ἀποτέμωσι τῶν παρθένων ἐν τῷ βυθῷ καταβάντες. Μή τε δὲ σελήνης, μήτε ἀστέρων ἐπιφαινόντων, συνέβη σκοτίαν οὐ τὴν τυχοῦσαν γενέσθαι. Γενομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῷ τόπῳ, ἔνθα οἱ κακοῦργοι ἐκολάζοντο, ἐν ᾧ οὐδεὶς ἐτόλμα μετὰ δύσιν ἡλίου παραγενέσθαι διὰ τὸ φοβερὸν εἶναι αὐτόν· ἐκεῖ γὰρ ἀπετέμνοντο τὰς κεφαλὰς, καὶ ἀνεσκολοπίζοντο, καὶ πυρὶ ἐκαίοντο. Γενόμενοι οὖν ἐνταῦθα καὶ φόβῳ συσχεθέντες, φωνὴν ἤκουσαν λέγουσαν, Θαῤῥῶν ἐλθὲ Θεόδοτε. Ἐμφόβων δὲ γενομένων αὐτῶν, καὶ τοῦ σταυροῦ τοῦ Χριστοῦ τὸ σημεῖον ἑκάστου κατὰ τοῦ μετώπου χαράξαντος, ἐπεφάνη

A φάνη αὐτοῖς ὁ σταυρὸς φανερῶς, καὶ ἔδοξαν ὁρᾷν ὡς ἐκ τοῦ ἀνατολικοῦ μέρους πυρὸς ἀστραπὴν ἐνεχθῆναι. Ἐκπλαγέντες δὲ καὶ περιχαρεῖς γενόμενοι τῇ τοῦ σταυροῦ ἐπιφανείᾳ, ἔκλιναν γόνυ αὐτόθι προσεύξασθαι κατὰ τοῦ τόπου, ἔνθα ὁ σταυρὸς αὐτοῖς ἐπεφάνη.

18 Ἀναστάντες οὖν ἀπὸ τῆς προσευχῆς, πάλιν ἐπὶ τὴν ὁδὸν ὥρμησαν· διὰ δὲ τὸ πολλὴν γενέσθαι σκοτίαν οὐκέτι ἀλλήλους ἔβλεπον· ὑετοῦ δὲ ἐπιγενομένου μεγίστου, συνέβη καὶ πηλὸν γενέσθαι πολὺν, ὅς τις ὄλισθον παρεῖχεν αὐτοῖς, ὥστε μόλις τὸν πόδα ἐρεῖσαι πρὸς τὴν πρόσω πορείαν, πολὺν δὲ αὐτοῖς κάματον καὶ φόβον παρεῖχε τὸ ἐπιγενόμενον σκότος. Ἔστησαν δὲ πάλιν εἰς προσευχὴν, τὸν Θεὸν εἰς βοήθειαν αἰτοῦντες τῆς ἀνάγκης· ἐξαίφνης δὲ ἐφάνη αὐτοῖς λαμπὰς πυρὸς δεικνύουσα τὴν ὁδόν· ἐφάνησαν δὲ αὐτοῖς καὶ δύο ἄνδρες λαμπρὰς ἠμφιεσμένοι στολὰς, πολιοὶ τὴν κεφαλὴν καὶ τὸν πώγωνα, λέγοντες, Θάρσει Θεόδοτε, ὁ γὰρ Κύριος Ἰησοῦς ἔγραψε τὸ ὄνομά σου μετὰ τῶν Μαρτύρων· ἤκουσε γὰρ τῆς ἐν δάκρυσι προσευχῆς σου ἣν ἐξέχεας ἕνεκα τῆς τῶν σωμάτων ἀνευρέσεως· ἀπεστάλημεν δὲ παρὰ τοῦ δεσπότου Χριστοῦ συναντιλαβέσθαι σοι· ἐσμὲν δὲ ἡμεῖς οἱ λεγόμενοι Πατέρες. Γενόμενος δὲ ἐπὶ τῆς λίμνης θεάσει τὸν ἅγιον Σώσανδρον ἔνοπλον, πολὺν παρέχοντα φόβον τοῖς φυλάσσουσιν· οὐκ ὤφειλες δὲ μετὰ σου ἀπάγεσθαι τὸν προδότην.

B 19 Ἀκολουθοῦντες οὖν τῷ φανέντι αὐτοῖς φωτὶ, παρεγένοντο ἐν τῇ λίμνῃ· παρέμεινε δὲ αὐτοῖς τὸ φῶς μέχρι οὗ ἀνεκόμισαν τὰ ἅγια λείψανα. Ἀστραπῶν δὲ ἐπιγενομένων πολλῶν, καὶ βροντῶν, καὶ ὑετῶν, καὶ ἀνέμων καταρραγέντων σφοδρῶν καὶ προσπεσόντων, ὥστε τοὺς στρατιώτας φυγῇ χρήσασθαι τοὺς φυλάσσοντας τὰ σώματα· οὐ γὰρ μόνον διὰ τὸν χειμῶνα τοῦ ὑετοῦ καὶ τῆς χαλάζης ἔφυγον, ἀλλὰ καὶ ὀπτασίαν εἶδον, ἄνδρα ὑπὲρ μέγεθος ὁπλισμένον, ἔχοντα ἀσπίδα καὶ θώρακα καὶ περικεφαλέαν καὶ δόρυ, ἅ τινα ἔλαμπον ὥσπερ πῦρ· οὗτος δὲ ἦν ὁ ἅγιος καὶ πανένδοξος μάρτυς Σώσανδρος. Τοῦτον ἰδόντες οἱ φυλάσσοντες, ἔφυγον εἰς τὰς ἐγγὺς καλύβας· τὸ δὲ ὕδωρ ὑπὸ τοῦ σφοδροτάτου ἀνέμου ἔφυγεν εἰς τὸν αἰγιαλὸν τὸν ἀντίπερα, ὥστε τὸ ἔδαφος τῆς λίμνης ξηρὸν φανῆναι, καὶ τὰ τῶν παρθένων λείψανα θεωρηθῆναι. Ἀπέκοψαν δὲ τὰ σχοινία ταῖς δρεπάναις, καὶ οὕτως ἀνελόμενοι τὰ λείψανα, ἐπέθηκαν ὑποζυγίοις. Κομίσαντες οὖν αὐτὰ, ἔθαψαν ἐν μνημείῳ πλησίον τῶν Πατριαρχῶν· τὰ δὲ ὀνόματα τῶν παρθένων ἐστὶ ταῦτα, Τέκουσα, Ἀλεξανδρεία, Φαεινὴ (ταύτας οἱ Ἀποτακτῆται λέγουσιν ἰδίας εἶναι· κατὰ ἀλήθειαν δὲ εἰσί) Κλαυδία, Εὐφρασία, Ματρῶνα καὶ Ἰουλίττα.

18 Completa oratione surgentes denuo ingressi sunt viam, sed propter ingentem noctis obscuritatem alter alterum non videbant : huic autem incommodo accedebat vehemens imber, unde multum ubique existebat lutum, quod lubricos eis gressus faciebat ægreque sinebat proferre vestigium ad viam prosequendam : adeo ut inter tenebras haud minor labor esset quam timor. Substiterunt igitur rursus ad orandum, auxilium in hac necessitate postulantes a Deo : subito autem apparuit eis ignita lampas viam præmonstrans, apparuerunt etiam viri duo splendidas induti vestes, capillo ac barba cani, atque dicentes, Confide, Theodote, Dominus enim Jesus Christus nomen tuum inter Martyres descripsit, audiens orationem tuam, quam effudisti cum lacrymis pro inventione sanctorum corporum. Missi autem sumus ab illo, ut suscipiamus te : et sumus ii qui dicuntur Patres. Veniens porro ad paludem videbis S. Sosandrum armatum, qui custodibus formidinem incutit : sed non debebas tecum adducere proditorem. D

A. NILO. EX MS. GR. in summa perplexitate

confortatur apparitione Sanctorum :

19 Sequentes ergo lumen quod apparebat sibi, venerunt ad paludem, eoque usi sunt usque dum sacra lipsana abstulerunt, quod hoc modo peractum. Facta sunt fulmina multa, tonitrua et imbres, ventus autem tam vehemens irruit ut corporum custodes fugam elegerint : fugerunt autem non solum propter tempestatem, sed etiam propter visionem qua terrebantur, cernentes virum procerum armatumque clypeo, thorace, galea et hasta, ex quibus undique absistebat ignis. Hic vero erat sanctus et gloriosus Martyr Sosander, cujus aspectu conterriti ad vicina confugerunt tuguriola. Aqua vero, ventorum impetu in alterum propulsa littus, usque eo recesserat, ut fundus appareret siccus, et Virginum corpora conspicerentur : quibus innexos funes præciderunt falcibus, efferentesque imposuerunt jumentis, atque vexerunt ad ædem Patriarcharum, sepelientes ea in vicino monumento. Virginum autem nomina hæc sunt : Tecusa, Alexandra Phaine (et has tres e Apotactitæ dicunt esse suas, sicuti revera sunt) Claudia, Euphrasia, Matrona, et Julitta.

et custodibus a Sosandro M apparente dissipatis, E

rapta ab aquis corpora sepelit.

ANNOTATA.

a *Ita hic et alibi in genitivo* Θεοχαρίδους, *quasi sit nominativus* Θεοχαρίδης : *infra vero in dativo casu* τῷ Θεοχαρίϊδι, *quasi* Θεοχαρΐς *nominativus foret : sed denique et* τῷ Θεοχάριδι, *et* τὸν Θεοχάριδα *scribitur, sicque esset nominativus* ὁ Θεόχαρις, *feminæ quam viro aptius nomen.*

C b Patres *hi infra dicuntur bini apparuisse, cano capillo et barba, in veste splendida seu alba : estque verosimile Martyres in Galatia, et forte Ancyræ celebres fuisse.* F

c *Jam diximus Virgines passas videri* 18 *Maji, unde reliqua Chronologia ordinanda erit usque ad* 27 *Maji vel* 7 *Junii :* Patriarchas *autem, quorum supra nominatur oratorium, crediderim fuisse*, SS. Abraham Isaac et Jacob, *qui sub una festivitate coluntur apud Græcos* 13 *Decembris.*

d *Dolendum quod hujus* S Sosandri *Martyris, nulla alibi extet notitia.*

e Apotactitæ, *id est* Renuntiantes, *videntur eo tempore dicti, qui juxta Evangelium possessionibus suis* renuntiantes, *Apostolicam profitebantur paupertatem : qui denique, sicut et* Encratitæ, *id est* Abstinentes, *degenerarunt in hæresim, id quod consilii erat volentes ex præcepto servari, et alia quædam acatholica adjicientes : itaque utrique coercentur Theodosii Magni lege* 6 *de Hæreticis, cum Eunomianis, Arianis, etc. prohibenturque sua habere conventicula.*

CAPUT III.

Theodotus ultro se sistit Præsidi, fidem profitetur, prima tormenta generose tolerat.

Ἡμέρας δὲ γενομένης, πᾶσα ἡ πόλις ἐφλέγετο ἐπὶ τῇ κλοπῇ τῶν σωμάτων, οὕτω γὰρ ἡ φήμη ταχέως πᾶσιν ἀπήγγειλεν· εὐθέως οὖν εἴπου ἐφαίνετο Χριστιανὸς, συνηρπάζετο. Πλειόνων δὲ συλληφθέντων, καὶ ὡς ὑπὸ θηρίων ἀγρίων ἀναλισκομένων, ἀπαγγέλλει τῷ ὁσίῳ τὸ πρᾶγμα· ὁ δὲ βουλόμενος ἑαυτὸν παραδοῦναι, ἐκωλύθη ὑπὸ τῶν ἀδελφῶν. Ὁ δὲ Πολυχρόνιος ἀλλάξας τὸ σχῆμα, καὶ εἰς

Facta die civitas universa æstuare cœpit, propter raptum sacrorum corporum ; cunctis enim eum subito manifestavit fama ; itaque mox ac Christianus aliquis conspiciebatur, trahebatur in quæstionem. Multis autem sic comprehensis, et tamquam per ferarum agrestium dentes discerpendis, res innotuit Sancto, qui seipsum tradere volens, prohibitus est a Fratribus.

Præsidi a socio proditus Sanctus,

A. NILO EX MS. GR.

A Fratribus. Polychronius autem, mutato habitu se transformans in rusticum, in forum abiit ad veritatem totam certius explorandam; sed mox comprehensus ab aliquibus, adductusque ad Præsidem. Qui cum plagis mulctato mortem insuper minaretur, strictum intentando gladium, terrori cessit, fassus de reliquiis Virginum, quodque eas de lacu tulisset Theodotus, et locum ubi eas abdiderat indicavit. Accipientes ergo sancta corpora ex sepulcris combusserunt illa. Tunc cognovimus proditorem esse Polychronium: deque eo locutos qui apparuerant, cum dicerent, Cave proditorem.

post fusas ad Deum preces,

21 Tunc gloriosus Christi Martyr Theodotus valedicens Fratribus, jubensque ne ab oratione cessarent, sed Deum orarent ut corona ipsi obtingeret, præparavit se ad verbera sustinenda. Simul igitur perstiterunt in oratione cum Martyre, qui prolixe precatus tandem ait: Domine Jesu Christe, spes desperatorum, da mihi certaminis cursum perficere, et sanguinis effusionem pro sacrificio et libatione offerre omnium eorum causa qui propter te affliguntur: alleva onus eorum, et compesce tempestatem, ut requie et profunda tranquillitate potiantur B omnes qui in te credunt. Hæc illo cum lacrymis perorante, exortus est planctus magnus inter Fratres, amplectentes eum atque dicentes, Vale o suavissimum lumen Ecclesiæ Theodote. Te quidem postquam ab his ærumnis emigraveris cœlestia excipient luminaria, Angelorumque et Archangelorum gloria diversimoda, et Spiritus sancti incommutabilis claritas, ac Dominus noster Jesus Christus residens ad Patris sui dexteram: horum enim bonorum causa tibi erit gloriosum ac magnum quod instat certamen: nobis vero in ambiguo remanentibus tuus ex vita discessus aliud non parit quam luctum, planctum, gemitumque. Sic lamentantibus illis, singulos amplexus est Sanctus, monuitque ut quando veniret Papa B. Fronto, ex Malo ferens secum annulum, darent ei reliquias suas, siquidem eas potuerint suffurari. Atque hæc dicens, totumque corpus suum signo Crucis muniens, in stadium processit animo imperterrito.

solatus ceteros,

fugam detrectat;

22 Eunti autem illi occurrerunt duo ex civibus, jubentes quantocius retro abire et dicentes, Salva temetipsum: erant enim noti et amici Martyris, putabantque gratiam ei præstare: Quia, inquiebant, Sacerdotes Minervæ et Dianæ cum turba populari C accusant te apud Præsidem, quod omnibus Christianis dissuadeas ne saxa inanima adorent; et alia multa adversum te loquuntur, et Polychronius reum te agit subductorum furtim corporum. Dum igitur adhuc tempus est, Salva teipsum Theodote, stultitia enim foret ultra te tradere ad tormenta. Quibus Martyr, Si putatis vos amicos meos esse et gratiam vultis facere, nolite mihi molestiam facessere et studium meum accusare, sed potius ite ad Magistratus et dicite: Theodotus, quem Sacerdotes cum tota civitate accusant, ante fores adstat. Et hæc dicens, antecessit, eos, seque accusatoribus suis stitit. Ingressus vero ad tribunal stabat intrepidus, vultuque subridenti præparata intuebatur tormenta, erat enim ibi accensus focus, et lebetes ferventes, rotæque et alia plura cruciatuum instrumenta exposita: ad quorum omnium conspectum adeo nihil exhorrescebat Martyr, ut animi constantiam etiam vultus hilaritas demonstraret.

ultroque se ad tribunal sistit.

23 Sic adstantem conspiciens Theotecnus, Nihil propositorum suppliciorum, inquit, experieris, si persuaderi tibi sinas ut sapere velis atque sacrifices, erisque liber ab omnibus criminibus quæ civitas universa et sacerdotes de te nobis annuntiarunt: quin etiam nostra præ aliis frueris amicitia, et victoriosissimis Imperatoribus carus evades, dignusque ha-

Præsidi impunitatem

ἄγροικον ἑαυτὸν ποιήσας, ἀπῆλθεν εἰς τὴν ἀγορὰν ὡς D ὀφείλων πᾶσαν μαθεῖν τὴν ἀλήθειαν. Ἀπελθόντος δὲ αὐτοῦ, συνελήφθη ὑπό τινων, καὶ προσήχθη τῷ Ἄρχοντι· ὡς δὲ ἐπήνεγκαν αὐτῷ πληγὰς καὶ ἔδειξαν αὐτῷ τὸ ξίφος γυμνὸν, ἀπειλοῦντες τὸν θάνατον, φοβηθεὶς ὡμολόγησε τὰ λείψανα τῶν παρθένων, καὶ τὸν ἐκ τῆς λίμνης ἀνακομίσαντα αὐτὰ Θεόδοτον, καὶ τὸν τόπον δὲ κατεμήνυσεν αὐτοῖς, ἐν ᾧ ἔκρυψαν αὐτά. Λαβόντες οὖν ἐκ τῶν θηκῶν τὰ ἅγια λείψανα, κατέκαυσαν αὐτά. Τότε ἔγνωμεν τὸν προδότην εἶναι τὸν Πολυχρόνιον, περὶ οὗ εἶπον οἱ φανέντες τῷ ἁγίῳ, Φυλάσσου τὸν προδότην. Ἀπήγγειλαν δέ τινες τῷ Μάρτυρι τὰ κατὰ τὸν Πολυχρόνιον, καὶ ὅτι τὰ λείψανα τῶν παρθένων ἐκάησαν.

21 Ὁ δὲ καλλίνικος τοῦ Χριστοῦ Μάρτυς Θεόδοτος τοῖς ἀδελφοῖς συνταξάμενος, ἐντειλάμενος μὴ ἀμελεῖν τοῦ προσεύχεσθαι, ἀλλὰ τὸν Θεὸν αἰτεῖσθαι ὑπὲρ αὐτοῦ τυχεῖν αὐτὸν τοῦ στεφάνου, καὶ ἑαυτὸν ἕτοιμον ἐποίει πρὸς τὰς μάστιγας. Ἔστησαν οὖν εἰς προσευχὴν ἅμα τῷ μάρτυρι· ἐπὶ πολὺ δὲ εὐχόμενος ἔλεγε, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ ἡ ἐλπὶς τῶν ἀπελπισμένων, δός μοι τελείως τὸν τῆς ἀθλήσεως δραμεῖν δρόμον, καὶ τὴν τοῦ αἵματος ἔκχυσιν ἀντὶ σπονδῆς καὶ θυσίας προσδέξασθαι, ὑπὲρ πάντων τῶν διά σε θλιβομένων· τὸ βάρος αὐτοῖς ἐπικούφισον, καὶ παῦσον τὸν χειμῶνα τούτων, ὅπως ἀνέσεως τύχωσι, καὶ γαλήνης E βαθείας πάντες οἱ ἐπί σοι πεποιθότες. Ταῦτα μετὰ δακρύων προσευξαμένου τοῦ Μάρτυρος, τῶν ἀδελφῶν πολὺς ἐγένετο θρῆνος, μετὰ δακρύων ἀσπαζομένων αὐτὸν καὶ λεγόντων, Σῶζου ὁ γλυκὺς τῆς Ἐκκλησίας φωστὴρ Θεόδοτε. Ἀλλά σε μὲν μετὰ τὴν τῶν ἐντεῦθεν κακῶν ἀπαλλαγὴν, οὐράνιοι φωστῆρες ἐκδέξονται, Ἀγγέλων τε καὶ Ἀρχαγγέλων δόξαι διάφοροι, καὶ Πνεύματος ἁγίου δόξα ἀμύθητος, καὶ ὁ Κύριος ἡμῶν Ἰησοῦς Χριστὸς ἐκ δεξιῶν τοῦ Πατρὸς καθήμενος· τούτων γάρ σοι τῶν ἀγαθῶν ὁ καλλίνικος καὶ μέγας τοῦ μαρτυρίου πρόξενος ἔσται ἀγών. Ἡμῖν δὲ τοῖς ἐν τῇ πλάνῃ οὐδὲν ἔσται ἕτερον ἢ θρῆνος καὶ κλαυθμὸς, καὶ ὀδυρμὸς ἡ σὴ ἐκ τοῦ βίου μετάθεσις. Τοιαῦτα τῶν ἀδελφῶν ὀδυρομένων, ὁ ὅσιος ἕκαστον αὐτῶν ἀσπασάμενος, ἐκέλευσεν ἐπὶ μνήμης ἔχειν εἴπερ παραγένηται ὁ Παπᾶς Φρόντων, ἀπὸ Μαλοῦ ἐπικομιζόμενος μεθ' ἑαυτοῦ τὸν δακτύλιον, ἐκείνῳ δοθῆναι τὰ λείψανα εἴπερ δυνηθεῖεν αὐτὰ ὑποκλέψαι. Ταῦτα εἰπὼν, καὶ τὸ σημεῖον τοῦ σταυροῦ ποιήσας καθόλου τοῦ σώματος, ὥρμησεν ἀμεταστρεπτὶ ἐπὶ τὸν δρόμον.

22 Ἀπιόντι δὲ αὐτῷ δύο τινὲς συναντήσαντες τῶν πολιτῶν, ἐκέλευον ὑποστρέφειν συντόμως, Τάχυνον, λέγοντες, σῶσον σεαυτόν· ἦσαν δὲ οὗτοι τῷ μάρτυρι γνώριμοι καὶ φίλοι πάνυ, νομίζοντες αὐτῷ χάριν παρέχειν· Οἵ τε γὰρ ἱερεῖς φησι τῆς Ἀθηνᾶς καὶ τῆς Ἀρτέμιδος σὺν τοῖς F ὄχλοις κατηγοροῦσί σου ἐπὶ τοῦ ἄρχοντος, ὅτι πάντας Χριστιανοὺς ἀναπείθεις λίθοις ἀψύχοις μὴ προσέχειν, καὶ ἄλλα δὲ πολλὰ κατά σου λέγουσι, καὶ τῆς κλοπῆς δὲ τῶν σωμάτων σε αἴτιον εἶναι ὁ Πολυχρόνιος λέγει· ὡς οὖν ἐστι καιρὸς, σῶζε σεαυτὸν ὦ Θεόδοτε· ἀναισθησίας γάρ ἐστιν ἔργον τὸ ἑαυτὸν παραδοῦναι τιμωρίαις. Καὶ ὁ Μάρτυς ἔφη· Εἰ δοκεῖτε φίλοι εἶναι, καὶ ἐμοὶ χάριν παρέχειν, ἄφετε μὴ ἀποκαμεῖν καὶ κατηγορῆσαι τοῦ πόθου, ἀλλὰ μᾶλλον εἰσελθόντες εἴπατε τοῖς ἄρχουσι, Θεόδοτον, ὃν κατηγοροῦσιν οἱ ἱερεῖς καὶ πᾶσα ἡ πόλις, πρὸ τῶν θυρῶν τοῦ πραιτορίου ἕστηκε. Καὶ ταῦτα εἰπὼν, ἔμπροσθεν αὐτῶν ἐπορεύετο· καὶ μελλόντων αὐτῶν κατηγορεῖν, παρέστη· ἐκέλευσαν δὲ οἱ ἄρχοντες παραστῆναι αὐτόν. Εἰσελθόντος δὲ αὐτοῦ ἐπὶ τοῦ βήματος, παρέστη τεθαρρηκὼς, καὶ μειδιῶν τι τῷ προσώπῳ, μηδενὶ τῶν κολαστηρίων καταπλαγείς· ἦν γὰρ καὶ πῦρ ἀναπτόμενον, καὶ λέβητες ὑποκαιόμενοι, καὶ τροχοὶ, καὶ ἕτερα εἴδη κολαστηρίων πολλὰ ηὐτρεπισμένα. Ταῦτα εἰδὼν ὁ Μάρτυς ἐμειδίασεν, ἀκατάπληκτον ἔχων τὸν λογισμόν.

23 Θεασάμενος οὖν ὁ Θεότεκνος τὸ παράστημα τοῦ Μάρτυρος, λέγει· Οὐδενὸς τῶν προκειμένων κολαστηρίων πειραθείσῃ, εἴπερ πεισθεὶς εὐγνώμων φανεὶς καὶ θύσεις, ἐλεύθερός τε ἔσῃ πάντων τῶν ἐγκλημάτων, ὧν ἡ πόλις τε ὅλη καὶ οἱ ἱερεῖς ἐπὶ ἡμῶν κατά σου εἶπον, καὶ τῆς ἡμετέρας δὲ πρὸ πάντων ἀπολαύσεις φιλίας, καὶ τῶν καλλινίκων

A νίκων δὲ Βασιλέων ἔσῃ φίλος, ὅπως καὶ γραμμάτων ἀξιωθήσῃ παρ' αὐτῶν καὶ τιμηθήσῃ [δόξης] μεγίστης, ἕνεκεν καὶ γράφεις αὐτοῖς ὅτε χρεία καλέσει, εἴγε Ἰησοῦν ἀρνήσῃ, ὃν ἐπὶ τῆς Ἰουδαίας ὁ πρὸ ἡμῶν ἐσταύρωσε Πιλάτος. Σωφρονῆσαι οὖν θέλησον ὦ Θεόδοτε ἀπὸ πάσης μανίας· ἔοικας γὰρ ἀνδρὶ πᾶσαν ἐγνωκότι ἀκολουθίαν· ἴδιον γὰρ ἀνδρὸς φρονίμου τὸ ἕκαστα μετὰ ἀκριβείας καὶ σκέψεως ποιεῖν. Ἀπαλλάγηθι οὖν ὦ Θεόδοτε πάσης φλυαρίας, καὶ τοὺς ἄλλους μᾶλλον Χριστιανοὺς τῆς αὐτῆς ἀπάλλαξον μανίας· ἄρξεις δὲ τῆς πόλεως, κατασταθεὶς ἀρχιερεὺς τοῦ Ἀπόλλωνος, τοῦ μεγίστην ἔχοντος ἐν τοῖς θεοῖς ἐξουσίαν, καὶ τὰς μεγάλας παρ' αὐτοῦ εὐεργείας ἡμῖν ἐπιδεικνῦντος, εἴς τε τὸ προλέγειν διὰ μαντείας τὰ μέλλοντα, καὶ τῶν νοσημάτων τὰ πάθη διὰ τῆς ἰατρείας ἰᾶσθαι· καὶ διὰ σου μὲν ἱερέων ἔσονται χειροτονίαι, διὰ σου δὲ ἀξιωμάτων προαγωγαί, διὰ σου δὲ προστασίας πρὸς τοὺς Ἄρχοντας ὑπὲρ τῆς πατρίδος, καὶ πρεσβεῖα πρὸς Βασιλέας ὑπὲρ τῶν ὅλων πραγμάτων, καὶ μετὰ ἀρετῆς πλοῦτος, καὶ προστασίαι τοῦ γένους, καὶ μεγάλαι τιμαί, καὶ δόξης λαμπρότης· εἰ δὲ καὶ χρημάτων παραυτίκα χρῄζεις, καὶ σοι φίλον αὐτῶν μεταλαμβάνειν ἀφθόνως, ἕτοιμος ἡμῶν ἡ χεὶρ πρὸς μετάδοσιν. Ταῦτα λέγοντος τοῦ Θεοτέκνου, ἔπαινοι μυρίοι παρὰ τοῦ πλήθους B ἐγίνοντο, καὶ τὸν Θεόδοτον ἐμακάριζον, παρῄνουν τε αὐτῷ τὰς διδομένας δωρεὰς δέχεσθαι.

24 Λεχθέντων δὲ τούτων, ὁ Μάρτυς εἶπε· Πρώτην ταύτην αἰτῶ χάριν παρὰ τοῦ δεσπότου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ, ὃν ἀρτίως ὡς ἄνθρωπον εἶπας ψιλόν, ὅπως καὶ τὰ τῆς πλάνης τῶν θεῶν διελέγξω, καὶ τὰ περὶ τῶν θαυμάτων τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ, καὶ τῆς αὐτοῦ ἐνανθρωπήσεως, βραχέα τινὰ διέλθωμεν. Ἀναγκαῖον οὖν ἐστιν, ὦ Θεότεκνε, καὶ ἔργῳ καὶ λόγῳ τὴν εἰς αὐτὸν πληρῶσαι ὁμολογίαν ἐπὶ πολλῶν μαρτύρων· τὰ μὲν γὰρ ὑπὸ τῶν θεῶν σου πραχθέντα, καὶ λέγειν αἰσχρὸν ὑπάρχει, ὅμως πρὸς αἰσχύνην ὑμῶν εἴπω. Ὃν λέγετε Δία πάντων τῶν θεῶν ὑμῶν εἶναι μείζονα, εἴς τε μοιχείας καὶ παιδοφθορίας ὕβριται, καὶ ὅτι ἐκεῖνος ἀρχὴ πάντων τῶν κακῶν καὶ πέρας ἐστίν. Ὀρφεὺς γὰρ ὁ ὑμέτερος ποιητὴς λέγει, ὅτι Ζεὺς τὸν Κρόνον τὸν ἴδιον πατέρα ἐφόνευσε, καὶ ἔσχε τὴν ἰδίαν μητέρα τὴν Ῥέαν, καὶ ἐξ αὐτῶν γεννᾶται ἡ Πρεσεφόνη, ἣν καὶ αὐτὴν ἐμίανεν· ἔσχε δὲ καὶ τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν Ἥραν γυναῖκα. Καὶ Ἀπόλλων δὲ τὴν ἰδίαν ἀδελφὴν ἔσχεν Ἄρτεμιν, ἣν καὶ ἐμίανεν ἐν Δήλῳ παρὰ τῷ βωμῷ. Καὶ ὁ Ἄρης δὲ τὴν Ἀφροδίτην. Καὶ ὁ Ἥφαιστος τὴν Ἀθηνᾶν· οἱ ἀδελφοὶ τὰς ἀδελφάς. Βλέπεις, Ὑπατικέ, πόσος παρὰ τοῖς θεοῖς ὑμῶν μιασμός; οὐχὶ εἴτις ἀνθρώπων τὰ ἐκείνων ποιήσειεν ἔργα, τοῦτον οἱ νόμοι κολάζουσιν; Εἰ δὲ ὑμεῖς ἐπὶ τοιαύτῃ ἀσωτίᾳ τῶν θεῶν ὑμῶν C καυχᾶσθε, καὶ οὐκ αἰδεῖσθε παιδομανεῖς καὶ μοιχοὺς καὶ φαρμάκους προσκυνοῦντες· ταῦτα γὰρ ὡς καυχώμενοι οἱ ποιηταὶ εἰρήκασι.

25 Περὶ δὲ τῆς τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ δυνάμεως, καὶ τῶν θαυμάτων αὐτοῦ, καὶ τῆς οἰκονομίας, καὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως, πολλὰ μὲν οἱ προφῆται προειρήκασι καὶ πνευματοφόροι ἄνδρες, φανερῶς καὶ καθαρῶς προκατήγγειλαν, μαρτυροῦντες ὡς ἐπ' ἐσχάτων τῶν χρόνων εἰς ἀνθρώπους ἐξ οὐρανῶν παραγινομένου, θαυματουργίαις παραδόξοις καὶ ἀποῤῥήτοις δυνάμεσι, θεραπεύοντος τῶν ἀῤῥωστούντων τὰς νόσους, καὶ τοῖς ἀνθρώποις τῆς τῶν οὐρανῶν ἀξιοῦντος βασιλείας· καὶ ἀκριβῶς οἱ προφῆται ἔγραψαν περὶ τῆς ἐνανθρωπήσεως αὐτοῦ, καὶ τοῦ θανάτου, καὶ τοῦ πάθους αὐτοῦ, καὶ τῆς ἐκ νεκρῶν ἀναστάσεως, καὶ τούτων μάρτυρες χαλδαῖοι καὶ μάγοι, καὶ οἱ Περσῶν λογιώτατοι, ἐκ τῆς κινήσεως τῶν ἄστρων ὁδηγηθέντες, καὶ τὸν χρόνον τῆς κατὰ σάρκα γεννήσεως αὐτοῦ ἔγνωσαν, καὶ πρῶτοι Θεὸν αὐτὸν ἐπιγνῶντες, ὡς Θεῷ δῶρα προσήφερον. Πολλὰ δὲ καὶ παράδοξα ἐποίησε θαύματα· πρῶτον μὲν γὰρ ὕδωρ εἰς οἶνον μετέβαλε, καὶ ἐκ πέντε ἄρτων καὶ δύο ἰχθύων πεντακισχιλίους ἐπ' ἐρημίας ἐκόρεσε, καὶ λόγῳ τοὺς ἀῤῥώστους ἰάσατο, καὶ τὴν θάλασσαν δὲ ὡς ξηρὰν ἐπέζευσε· τούτου τὴν δεσποτείαν καὶ φύσις ἐπέγνω πυρός, καὶ κελεύσματι αὐτοῦ οἱ ἀποθανέντες ἠγείροντο· τυφλοῖς γὰρ ἐκ γεννητῆς παρέσχε λόγῳ τὸ φῶς,

beberis quem et suis ipsi dignentur litteris, quique ipsis cum res ita tulerit scribas : tantum ejura Jesum, quem qui ante nos fuit Pilatus, in Judæa crucifixit. Ergo statue apud te sapienter agere, videris enim præferre speciem hominis experti : sapientis autem est omnia agere considerate ac provide. Recede igitur Theodote ab omni stultitia, et alios Christianos abduc a dementia sua; ita faciens toti urbi dominaberis factus Sacerdos Apollinis, omnium deorum maximi, propter magna quæ confert in homines beneficia, prædicendo futura suis oraculis, et medicinæ arte curando morborum infirmitates : per te enim ordinabuntur sacerdotes, per te fient promotiones dignitatum, per te supplicabitur magistratibus pro patria, et legationes pro communibus causis ad Imperatores deferentur; affluentque tibi cum virtute divitiæ, clientelæ generis et honores magni, cum gloriæ claritate : quod si possessiones cupias tibique gratum sit eas habere, ecce paratum me ad eas tradendas. Hæc dicente Præside gratulationes multæ audiebantur a vulgo, beatificante Theodotum, suadente ut oblata munera acceptaret.

D

A. NILO EX MS GR.

et Apollinis sacerdotium offerenti

24 Interim Theotecno Martyr hunc in modum respondit : Primum hanc gratiam peto a Domino meo Jesu Christo, quem modo contemptim appellasti ut hominem vulgarem, ut errorem circa deos confutare possim, et Domini mei Jesu Christi miracula incarnationisque mysteria paucis complecti. Necesse est ergo, Theotecne, ut meam in ipsum fidem opere et verbo comprobem per multos testes : nam quod ad deorum tuorum facta attinet, turpe est eloqui, dicam tamen ad vestram confusionem. Is quem Jovem appellatis et Deorum omnium maximum creditis esse, in mulierem puerorumque contumeliam eo processit ut malorum omnium ipse principium et finis sit. Orpheus enim Poeta vester ait, quod Jupiter Saturnum proprium suum patrem occidit, uxoremque habuit propriam matrem Rheam, unde genita est Persephone, quam etiam adamavit; habuit deinde etiam sororem suam Junonem; sicuti et Apollo, qui sororem suam Dianam constupravit in Delo ante aram : similiter Mars insanivit in Venerem Vulcanus in Minervam, germani utique in germanas. Viden' Proconsul, quanta sit in diis vestris turpitudo? numquid non leges punirent eum qui talia patrasset? Interim vos in hujusmodi vestrorum Deorum lascivia gloriamini, neque erubescitis adorando puerorum corruptores, adulteros, veneficos : hæc enim Poetæ dixerunt velut jactabundi.

E

Deorum suorum turpitudinem exprobrat :

25 Econtra de virtute Domini nostri Jesu Christi ejusque miraculis, deque mysterio incarnationis ejus, multa quidem tam Prophetæ quam viri spirituales prædixerunt; sed quæ palam fateri nemo erubescat, casta omnia; testificantes quomodo novissimis temporibus de cœlis inter homines apparuit, cum admirandis prodigiis et miraculis ineffabilibus, infirmantium sanans morbos, et homines regno cœlorum dignos efficiens. De incarnatione vero ipsius accurate scripserunt Prophetæ, deque morte et passione ipsius ac resurrectione a mortuis : quorum testes Chaldæi ac Magi Persarumque sapientissimi, astrorum motu ducti, et tempus nativitatis ejus secundum carnem agnoverunt, et primi agnito a se Deo ut Deo munera obtulerunt. Multa autem atque stupenda miracula fecit. Primum enim aquam commutavit in vinum, et quinque panibus ac duobus piscibus quinque millia hominum satiavit in deserto, et infirmos verbo sanavit, et supra mare velut super aridam ambulavit. Ejus quoque dominatum agnovit natura ignis, et mandato ejus resuscitati sunt mortui, et a nativitate cæcis lumen solo verbo affulsit : claudos celerrime fecit ambulare, et a diebus quatuor tumulatos revocavit ad vitam. Quis autem possit exequi

F

econtra Christi divinitatem

et miracula prædicat

verbis

A. NILO. EX MS. GR.

A verbis omnia quæ fecit signa et prodigia, quibusque probatus est Deus esse, non autem aliquis homo vulgaris?

Tumultuante ad hæc populo,

26 Talia cum diceret Martyr, commota est universa multitudo idololatrarum, instar maris a vento vehementi concussi; Sacerdotibus vestes lacerantibus, comas spargentibus, coronas discerpentibus; populo autem vociferante, ipsumque Proconsulem Theotecnum accusante, quod non ageret ex jure cum homine, verberum et mortis reo, clementiam Deorum palam blasphemante, et rhetoricam artem adeo impudenter ostentante, quem oportebat statim in eculeum tolli et diis debitas pœnas dare. Hinc ergo magis exacerbatus Theotecnus iraque exæstuans, mandavit satellitibus, ut statim Sanctum attollerent in lignum: imo ipsemet desilivit ex throno præ furore, volens per semetipsum torquere Sanctum. Cumque multitudo populi tumultuaretur, et carnifices ungulas expedirent, vociferantibusque præconibus confusa existeret vociferatio, solus Athleta adstabat tranquilla mente, quasi non contra ipsum, sed B contra alium quemvis, ejusmodi æstus commotus foret.

suspensus in eculeo,

27 Exinde nullum feralium instrumentorum genus permissum est otiosum, non ignis, non ferrum, non ungulæ: sed alii aliunde irruentes, vestimentaque detrahentes, in equuleum levaverunt hominem; divisique in partes latera ejus lacerabant ungulis, quantum unusquisque valebat labori non parcens. Martyr vero læto ac subridenti vultu intuebatur percutientes, et sine conturbatione ulla suscipiebat sensum tormentorum, neque vultum contorquens, neque sævitiam tyranni declinans: habebat enim adjuvantem se Dominum nostrum Jesum Christum, usque dum verberantes lassarentur. Et his quidem deficientibus succedebant alii; pugil autem invictus corpus suum, tamquam alienum tradiderat carnificibus, mentem habens fixam in dominum universorum. Tunc jussit Theotecnus fortissimum acetum infundi lateribus ejus, et lampades flammantes admoveri: cumque aceto compunctus Sanctus atque ab adustis laterum carnibus nidorem sentiens, nonnihil avertisset nares, de throno confestim suo desiliens Theotecnus: Ubi nunc, inquit, Theodote, verborum tuorum generositas: video enim tantum non victum te tormentis cedere: profecto si deos non blasphemasses, et potestatis eorum robur adorares, non contigissent te tormenta ista. Suaserim ego tibi, ut, caupo cum sis et conditione vilis, ejusmodi amplius non C loquaris contra Imperatores, quibus jus in sanguinem tuum est. Cui Martyr: Nihil te commoveat, Proconsul, quod videris me sentiendo nidorem laterum meorum contorsisse nares: sed jube potius ut satellites tui exequantur mandata, conspicio enim remissius eos agere: tu vero tormenta excogita et novarum adinventiones machinarum, ut fortitudinem meam experiaris: quin potius agnosce Dominum Jesum adjuvantem me, per quem te velut mancipium contemno, et impios tuos Imperatores despicio: tantos animos dat mihi Christus Dominus. Quod si nocentem me comprehendisses, haberet in me locum timor: nunc vero non formido minas tuas, pro Christi fide quidlibet pati paratus. Hæc loquentis maxillas jussit Theotecnus saxis pulsari et dentes excuti: econtra vero Martyr, Etiamsi linguam mihi excideris, Theotecne, et omnia vocis organa, Deus tamen etiam tacentes Christianos exaudit.

ungulis laniatur;

et aceto perfusus lampadibus ustulatur,

denique excussis dentibus

depositus atque in carcerem ductus,

28 Tandem fessis laniando corpus lictoribus mandavit Præses, ex ligno depositum claudi carcere, in aliam quæstionem reservatum. Ipse vero cum per medium duceretur forum, toto concisus corpore ipsisque vulneribus victoriam ostentans, concurrentes undique ad spectaculum cives invitabat, ad cogno-

καὶ χωλοὺς ταχυτάτους ἀπειργάζετο, καὶ ἑτέρους δὲ τεθαμμένους ἀπὸ τεσσάρων ἡμερῶν ἀνέστησε λόγῳ· καί τις δυνήσεται ἐξειπεῖν ὅσα παράδοξα ἐποίησε σημεῖα, ἅ τινα Θεὸν καὶ οὐ ψιλὸν ἄνθρωπον αὐτὸν ἐπιδεικνύουσιν; D

26 Εἰπόντος δὲ ταῦτα τοῦ Μάρτυρος, ἅπαν τὸ πλῆθος τῶν εἰδωλομανῶν ἐκυμαίνετο, ὥσπερ θάλασσα ὑπὸ σφοδροτάτου ἀνέμου ταρασσομένη· τῶν τε ἱερέων διαῤῥηγνύντων τὰ ἱμάτια, καὶ τὰς κόμας διασπαρασσόντων, καὶ τοὺς στεφάνους διασπώντων, τοῦ πλήθους ἀναβοῶντος μεγάλα, καὶ τὸν ἡγεμόνα Θεότεκνον αἰτουμένου, ὡς οὐ δικαίως πεποιηκότα ἀνθρώπῳ ὑποκειμένῳ μάστιγας καὶ θάνατον, κατὰ τῆς τῶν θεῶν εὐμενείας τοσαῦτα βλασφημήσαντι, καὶ ἐπίδειξιν πεποιηκότι ῥητορικῆς μετὰ τοσαύτης ἀδείας, ὃν ἐχρῆν ἐκ πρώτης τῷ ξύλῳ κρεμασθέντα τοῖς θεοῖς αὐτὸν διδόναι δίκην. Ἔτι οὖν καὶ μᾶλλον παροξυνθεὶς ὁ Θεότεκνος, ὑπερζέσας τῷ θυμῷ, ἐκέλευσε τοὺς δορυφόρους μετὰ σπουδῆς τὸν ὅσιον τῷ ξύλῳ προσαγαγεῖν. Συνεχέστερον οὖν ὁ Θεότεκνος ἀπὸ τῆς μανίας ἀνεπήδα τοῦ θρόνου, βουλόμενος δι' ἑαυτοῦ τοῦτον κολάζειν· Θορυβουμένου δὲ καὶ τοῦ πλήθους, καὶ τῶν ὄχλων ἑτοιμαζόντων τοὺς ὄνυχας, καὶ τῶν κηρύκων ἐπιβοώντων, καὶ μιᾶς ἐκ πάντων γενομένης συγχύσεως· ὁ γενναῖος ἀθλητὴς μόνος ἦν ἠρεμαίᾳ τῇ γνώμῃ, ὥσπερ ἐπ' ἄλλον τινὰ καὶ οὐκ ἐπ' αὐτὸν, τηλικαύτης κεκινημένης πλημμύρας. E

27 Οὐδὲν οὖν τῶν τιμωρητικῶν ὀργάνων λοιπὸν ἡσύχαζεν, οὐ πῦρ, οὐ σίδηρος, οὐκ ὄνυχες· ἀλλὰ ἄλλος ἀλλαχόθεν περιστάντες, καὶ τὴν ἐσθῆτα περιρήξαντες, τῷ ξύλῳ ἀνήρτησαν, καὶ ἀποδιαστάντες τὰς πλευρὰς αὐτοῦ τοῖς ὄνυξιν διεσπάραττον, ἕκαστος ὅσον εἶχε δυνάμεως οὐκ ἐνεγκόντες τὸν κάματον. Ὁ δὲ μάρτυς προσεμειδία τοὺς τύπτοντας τερπόμενος, καὶ δίχα θορύβου τὴν πεῖραν ἑκάστου τῶν κολαστηρίων ἐδέχετο, μήτε τὴν μορφὴν τοῦ προσώπου διαστρέφων, μήτε ὑποστελλόμενος τὴν τοῦ τυράννου ὠμότητα· εἶχε γὰρ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν βοηθὸν, ἕως οὗ ἐπίλημον οἱ τύπτοντες. Ἀτονησάντων οὖν ἐκείνων, ἕτεροι προσελθόντες διεδέχοντο τοὺς προτέρους· ὁ δὲ καλλίνικος ἀγωνιστὴς τοῖς μὲν δημίοις ὥσπερ ἀλλότριον τὸ σῶμα πρὸ a σπαραγμὸν παρεδίδου, καὶ τὸν λογισμὸν ἄτρεπτον εἶχε πρὸς τὸν ἁπάντων δεσπότην. Ἐκέλευσε δὲ Θεότεκνος ὄξους δριμυτάτου ῥένεσθαι b τὰς πλευρὰς αὐτοῦ, καὶ λαμπάδας πυρὸς αὐτῷ προσφέρεσθαι· c δριμυχθεὶς δὲ ὁ ὅσιος ἀπὸ τοῦ ὄξους, ἅμα δὲ καὶ τῶν πλευρῶν αὐτοῦ καιομένων, κνίσα τις ἐγένετο· ὅθεν αἰσθόμενος τῆς κνίσης τῶν σαρκῶν αὐτοῦ ὀπτομένων, δυσχεράνας διέστρεφε τοὺς μυκτῆρας αὐτοῦ. Ἰδὼν δὲ ὁ Θεότεκνος, καὶ μετὰ σπουδῆς ἀναπηδήσας τοῦ θρόνου εἶπε· Ποῦ τὸ τῶν λόγων σου γενναῖον ὦ Θεόδοτε; ὁρῶ γάρ σε πρὸς τὰς βασάνους συντόμως ἡττώμενον· εἰ μὴ γὰρ τοὺς θεοὺς ἐβλασφήμησας, ἀλλὰ προσεκύνησας τῆς δεσποτείας αὐτῶν τὸ βέβαιον, οὐκ ἂν ἥψαντό σου αἱ βάσανοι· πείσω δέ σε, οἰνοπώλην ὄντα καὶ ἄνθρωπον εὐτελῆ, τοιαῦτα κατὰ ἀρχόντων μὴ λέγειν, ἐχόντων ἐξουσίαν τοῦ αἵματός σου. Ὁ δὲ Μάρτυς εἶπε· Μὴ θαυμάσῃς ὑπατικὲ, ὅτι αἰσθόμενος τῆς κνίσης τῶν πλευρῶν μου διέστρεψα τὰς ῥῖνάς μου· ἐπίτασσε δὲ μᾶλλον τοῖς δορυφόροις πάσῃ προστάξει σου καθυπουργεῖν, αἰσθάνομαι γὰρ ἀτονήσαντας αὐτούς· σὺ δὲ ἐπινόει κολαστήρια, καὶ πάσης μηχανῆς ἐξεύρεσιν, ὅπως μάθῃς καρτερίαν ἀθλητοῦ· γνώσῃ οὖν τὸν Κύριον μου Ἰησοῦν βοηθοῦντά μοι, ὅθεν ὡς ἀνδραπόδῳ σοι διαλέγομαι, καὶ τῶν Βασιλέων σου ἀσεβούντων καταφρονῶ· τοσαύτην μοι δίδωσιν ὁ δεσπότης Χριστὸς τὴν φροντίδα. Εἰ μὲν ἀσεβοῦντά με λαβὼν ἐκόλαζες, εἶχεν ἄν σου καὶ παῤῥησίαν ὁ φόβος· Νυνὶ δὲ οὐ δέδοικά σου τὰς ἀπειλὰς, ὑπὲρ τῆς εἰς Χριστόν μου πίστεως πάσχειν [illegible]ων. Ταῦτα εἰπόντος τοῦ Μάρτυρος, ὁ Θεότεκνος ἐκέλευσε τοῖς δορυφόροις λίθοις αὐτοῦ τὰς σιαγόνας τύπτειν, καὶ τοὺς ὀδόντας ἐκφέρειν. Ὁ δὲ τίμιος Μάρτυς εἶπεν, Εἰ καὶ τὴν γλῶσσαν ἐκκόψειάς μου Θεότεκνε, καὶ τὰ τῆς φωνῆς πάντα ἀφέλοις ὄργανα, καὶ σιωπώντων ἀκούει. F

28 Ἀποκαμόντων δὲ τῶν δημίων πρὸς τὸ διασπᾶν καὶ σπαράττειν τὸ σῶμα, ἐκέλευσεν αὐτὸν κατενεχθέντα ἀπὸ τοῦ ξύλου, εἰς τὸ δεσμωτήριον ἀποτεθῆναι, φυλαχθησόμενον

A μενον εἰς ἑτέραν ἐξαίτασιν· Ὡς δὲ ἦγον αὐτὸν διὰ μέσης τᾶς ἀγορᾶς, συγκεκομμένον τὸ σῶμα, καὶ ἐκ τῶν τραυμάτων αὐτῶν τὴν νίκην ἐπιδεικνύοντα, πλῆθος δὲ πολιτῶν περὶ αὐτὸν πολὺ ὡς ἐπὶ θέαν συνδεδραμηκότων, πᾶσιν αὐτοῖς μετὰ παῤῥησίας τὴν δύναμιν τοῦ Χριστοῦ ἐπεδείκνυεν ἐκ τῶν ἰδίων παθημάτων λέγων· Ὁρᾶτε πάντες τῆς δυνάμεως τοῦ Χριστοῦ μου τὸ παράδοξον, ὅπως τοῖς ὑπὲρ αὐτοῦ καταδεξαμένοις πάσχειν τὴν ἀπάθειαν αὐτοῖς παραυτίκα χαρίζεται, καὶ τὴν τοῦ σώματος ἀσθένειαν εὐτονωτέραν πυρὸς ἀπεργάζεται, καὶ παρασκευάζει τοὺς εὐτελεῖς καταφρονεῖν ἀρχοντικῶν ἀπειλῶν, καὶ βασιλικῶν προσταγμάτων νομοθετούντων ἀσέβειαν· καὶ ἁπλῶς πᾶσιν ὁ τῶν ὅλων δεσπότης Θεὸς τοῦτο παρέχει, δυσγενέσι, δούλοις, ἐλευθέροις, βαρβάροις. Τοιαῦτα οὖν παραινῶν καὶ τοὺς τύπους ἐπιδεικνὺς αὐτοῖς τῶν τραυμάτων, ἔλεγε· Χρὴ τοῖς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πεπιστευκόσι τοιαύτας προσφέρειν θυσίας, οἵας καὶ ἡμεῖς προσφέρωμεν· πρῶτος γὰρ αὐτὸς ὑπὲρ ἑκάστου ἡμῶν τοιαῦτα ἠνέσχετο παθεῖν.

scendam ex iis quæ passus erat Christi potentiam: D Videte, inquiens, universi quam admirabilis Christi sit virtus; et quomodo iis qui ejus causa se tormentis exponunt largiatur impassibilitatem, atque corpoream infirmitatem efficit igne valentiorem, facitque generis infimi homines minas Principum flocci pendere, et edicta Imperatorum contra pietatem lata. Et quidem citra personarum exceptionem Dominus universorum universis præstat ejusmodi gratiam, ignobilibus, servis, liberis, barbaris. Sic perorans et inflictarum sibi plagarum ostentans vestigia; Convenit, inquit credentibus in Christum hujusmodi sacrificia ei offerre, qualia ego obtuli, quandoquidem prior ipse pro unoquoque nostrum sic passus sit.

A. NILO EX MS GR.

Christi potentiam prædicat.

ANNOTATA.

a *Ecgraphum nostrum*, πρὸ ἑλληνισμὸν καὶ σπαραγμὸν, *ubi nescio quæ alia vox substitui debeat loco*, ἑλληνισμῷ, *nihil hic significante.*

b c *Neque* Ῥένω, perfundo, *neque* δριμύσσω acriter pungo, *hactenus reperi alibi dicta.*

B

CAPUT IV.

E

S. Theodotus post iteratam quæstionem capite plexus: corpus a Frontone Presbytero tumulatum.

Ἡμερῶν δὲ a πέντε διελθουσῶν, ἐκέλευσεν ὁ Θεότεκνος ἀνὰ μέσον τῆς πόλεως ἀκροτήριον γενέσθαι ἐν ἐπισήμῳ τόπῳ, ἄγειν τε τοῖς δορυφόροις προσέταξε τὸν Μάρτυρα, καὶ μετὰ σπουδῆς ἤχθη. Ἐλθόντως δὲ αὐτοῦ, ὁ Θεότεκνος ἔφη· Πλησίον ἡμῶν ἐλθὲ Θεόδοτε· μανθάνω γὰρ βελτίονά σε γενέσθαι σωφρονισθέντα τοῖς πρώτοις, καὶ τῆς προτέρας ἀπονοίας πεπαῦσθαι· ἀλόγως γὰρ εἱλκυσας κατὰ σαυτοῦ τοσαύτας βασάνους, καίπερ ἡμῶν μὴ βουλομένων. Ἀλλὰ νῦν ἄφες σου τὸ ὠμὸν καὶ φιλόνεικον, καὶ ἐπίγνωθι τὴν δεσποτείαν τῶν παντοδυνάμων θεῶν, ὅπως καὶ τῶν ἡμετέρων δωρεῶν ἀπολαύσῃς ἃς πρώην μὲν ὑπεσχόμην, νῦν δὲ ἑτοίμως ἔχω παρασχεῖν θύσαντί σοι τοῖς θεοῖς· Σκέψον οὖν τὸ συμφέρον σοι, καὶ γὰρ κία πῦρ κεὐτρεπισμένον ὡς ὁρᾷς, καὶ σίδηρος ἠκονισμένος, καὶ θηρίων στόματα πρὸς σπαραγμὸν ἠνεωγμένα, ὥστε σε τούτων πεῖραν λαβόντα, τὰ πρῶτα σκιὰ φανήσεται. Ταῦτα ἀκούσας ὁ τοῦ Χριστοῦ μάρτυς Θεόδοτος, μηδὲν δειλιάσας εἶπε· Καὶ τί, ὦ Θεότεκνε, ἐπινοήσεις καθ' ἡμῶν μεῖζον, ὅπερ δυνήσεται καταγωνίσασθαι τὴν τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ δύναμιν; Πλὴν ὅμως εἰ καὶ τὸ σῶμά μου ὅλον διαλέλυται ἀπὸ τῶν πρώτων μαστίγων ὡς ὁρᾷς, πάλιν λάμβανε πεῖραν τῆς ἰσχύος καινήν, καὶ πρόσφερε τῷ σώματί μου διαφόρους βασάνους, ἵνα ἴδῃς ὁπόσην ἔχει πρὸς ὑπομονὴν εὐτονίαν τοῦτό μου τὸ σῶμα, ὅπερ ἀρτίως ἠφάνισθαι.

C 30 Ταῦτα εἰπόντος τοῦ ἁγίου, ἐκέλευσεν ὁ Θεότεκνος τῷ ξύλῳ πάλιν αὐτὸν προσάγειν· οἱ δὲ δήμιοι ὥσπερ θῆρες περιστάντες ταῖς πλευραῖς αὐτοῦ ἐξ ἑκατέρου μέρους, ἔξεον ἐπὶ τὰς πρώτας πληγὰς τῶν τραυμάτων εἰς βάθος μετὰ τῶν ὀνύχων ἐνράσσοντες, καὶ ἔτε μᾶλλον μεγάλῃ τῇ φωνῇ ὁ καλλίνικος Μάρτυς ὡμολόγει τὴν εὐσέβειαν. Ὡς δὲ εἶδεν ὁ Θεότεκνος ἑαυτὸν ματαιοπονοῦντα, καὶ τοὺς βασανίζοντας διαλελυμένους τῷ καμάτῳ, ἐκέλευσεν ἀπὸ τοῦ ξύλου κατενεχθέντα αὐτὸν ἐπιτεθῆναι πεπυρωμένοις ὀστράκοις, ἅπερ μέχρι τῶν ἐγκάτων αὐτοῦ διῆλθον. Αἰσθόμενος δὲ δεινοτάτου πόνου, προσηύχετο λέγων· Κύριε Ἰησοῦ Χριστέ, ἡ τῆς ἀπελπισμένων ἐλπίς, ἡ τῶν ἀβοηθήτων βοήθεια, τὸ φῶς τῶν ἐν σκότει, ἡ ἀνάστασις τῶν τεθανατωμένων, εἰσάκουσον τῆς προσευχῆς μου, καὶ κούφισον τὸν πόνον τοῦτον, ὅτε διὰ τὸ ὄνομά σου τὸ ἅγιον ταῦτα πάσχω. Ὡς δὲ εἶδεν ὁ Θεότεκνος καὶ τὴν τῶν ὀστράκων ἄπρακτον οὖσαν πεῖραν πρὸς τὴν ἑαυτοῦ βουλήν, ἐκέλευσεν αὐτὸν πάλιν τῷ ξύλῳ προσάγεσθαι, καὶ τοῖς ὄνυξιν ἀναξέειν τὰ τραύματα. Οὐδεμίαν δὲ αἴ-

Exinde transierunt dies quinque, quando Theotecnus urbe media et spectabili loco jussit auditorium sibi extrui, et satellibus mandavit eo adducere Martyrem, quod mox factum est quam diligentissime: ad venientem autem sic est affatus: Accede ad nos propius, Theodote: intelligo enim te, eruditum iis quæ arte facta sunt, meliorem nunc esse, et priorem superbiam dimisisse. Profecto contra rationem omnem tantos in te cruciatus attraxisti, etiam invitis nobis. Nunc ergo, abjecta feritate et pervicacia, agnosce dominatum omnipotentium deorum, ut nostris perfruaris muneribus, quæ antehac promisi tibi, et etiam nunc paratus sum exhibere sacrificanti diis. Dispice quid expediat tibi: alias enim vides paratum tibi ignem, exacutum ferrum, ferarum rictus ad lanienam hiantes; quæ si volueris experiri, priora tormenta non nisi umbræ ad hæc posteriora videbuntur. Ad quæ Martyr nihil formidans, Ecquid, inquit, o Theotecne, adeo grande contra me excogitabis, quod possit resistere potestati Domini mei Jesu Christi? Quamvis autem corpus meum totum sit prioribus plagis dissolutum, ut vides; novam tamen roboris mei experientiam sume, diversaque tormenta membris meis admove; ut videas quam valida sint ad tolerantiam, quæ modo dissipata videbantur. F

30 Tunc iterum jussit Theotecnus Sanctum applicari ad lignum: et utrimque adstantes lictores, tamquam feræ, cœperunt piorum vulnerum loca scrutari, et ungulas quam profundissime lateribus infigere, interim dum gloriosus Martyr, voce magna fidem confitebatur. Videns ergo Præses se frustra laborare, et fatigatos tortores deficere, depositum de ligno jussit supra ignitas testulas collocari; quibus etiam interiora corporis penetrantibus, gravissimum dolorem sentiens Theodotus, oravit dicens: Domine Jesu Christe, spes desperatorum exaudi orationem meum, et cruciatum hunc mitiga; quia propter nomen sanctum tuum ista patior. Sensit ergo Theotecnus etiam testularum experimentum ad suam voluntatem nihil prodesse: rursumque mandavit in equuleo appendi sublatum ac denuo priores plagas sulcari. Sed nullum corporis sui sensum ostendebat Martyr, videbanturque lictoris ei

Præses iterum ad defectionem solicitatum frustra,

iterumque in equuleo laniatum,

ac tertio,

A. NILO EX MS. GR.

A joco potius quam serio agere: sola autem lingua ejus permanebat illæsa, glorificans Deum, quam ei servare ad negandum volebant impii, nescientes quod hanc ei potius ad confirmandam veritatem relinquerent.

denique capite plecti jubet:

31 Tandem cernens Theotecnus, neque sufficere ad novos cruciatus excogitandos, neque tortores jam prorsus exhaustos quidquam amplius posse; Martyrem vero in proposito firmiorem, tulit in eum sententiam dicens: Theodotum protectorem Galilæorum, deorum vero hostem, invictorum Imperatorum mandatis non parentem, meque etiam contemnentem, potestas nostra jubet gladii subire pœnam, et decollati corpus igne comburi, ne illud nacti Christiani sepeliant. Lata sententia exiit cum Martyre multitudo universa virorum atque mulierum, finem videre cupiens: cumque ad locum pervenissent, orare cœpit Martyr in hæc verba: Domine Jesu Christe, cœli terræque conditor, qui non derelinquis sperantes in te, gratias tibi ago, quia fecisti me dignum cœlestis tuæ urbis civem tuique regni consortem: gratias tibi ago quia donasti mihi draconem vincere et caput ejus conterere. Da requiem servis tuis atque in me siste violentiam inimicorum; da Ecclesiæ tuæ pacem, eruens eam a tyrannide diaboli. Cumque orationem finiens adjun-

quo facto,

B xisset, Amen, conversus vidit Fratres flentes, et dixit: Nolite lugere, Fratres, sed glorificate Dominum nostrum Jesum Christum, qui fecit ut perficerem cursum meum et inimicum superarem: deinceps enim in cœlis cum fiducia pro vobis Deum deprecabor. Et hoc dicto gaudens excepit gladium.

corpus ab igne intactum

32 Tum vero pyra ingenti constructa, cadaver sancti Martyris in ipsam conjecere lictores, multam materiam circum ponentes: sed quadam Dei hominibus consulentis providentia subito apparuit supra pyram lumen circumquaque refulgens, ita ut nemo eorum qui ignem succensuri erant accedere auderet: atque ita sacrum corpus intra pyram illæsum mansit. Nuntiantibus id Theotecno famulis suis, jussit eos istic manere in loco ubi positum erat caput, et cadaver custodire. Manserunt igitur ibi milites, sicuti sibi mandatum fuerat, ad custodiam:

servantes milites, invenit Fronto;

advenit autem eodem, juxta condictum ex vico Malo Presbyter Fronto, ferens annulum sancti Martyris, quem dederat ei Reliquiarum causa, habens etiam secum jumentum vino veteri onustum: agriculturam enim exercet egregius iste vir. Accedens ergo ad urbem circa vesperam, ex Dei providentis voluntate, procubuit asina supra locum ubi jacebat corpus sancti Martyris; quod videntes custodes, accurrerunt

C dixeruntque Presbytero: Quo pergis, hospes, profunda jam vespera? quin tu potius venis et manes nobiscum, ubi asina tua large pascetur: ecce enim copiosum adest gramen, et si in sata eam velis immittere nemo est qui prohibeat: tibi vero tolerabilius est nobiscum manere, quam cauponaria inurbanitate vexari.

et vinum quod in urbem ferebat propinans,

33 Ergo asinam a via deflectens Presbyter in tugurium ingressus est, quod illi pro se struxerant die præcedenti, erectos salicum ramos extrorsum vincientes contortis calamis: jacebat autem juxta tugurium cadaver Martyris, ramis superinjectis fœnoque opertum: erat autem etiam ignis prope accensus et cœna parata. Tum eorum primi, reversi a lavacro ad tugurium, cœperunt bibere incumbentes tapetiis super humum fœnumque explicatis: invitabant autem etiam Presbyterum ad bibendum secum. Ille vero postulans poculum exoneravit asinam: illudque proprio suo vino implens, inquit: Gustate et experimini quale hoc vinum sit, fortassis enim non malum vobis videbitur. Ita locutus modesteque subridens, plenum vino poculum eis tradidit: cujus

σθησιν ὁ μάρτυς τοῦ Χριστοῦ εἶχε τοῦ σώματος, καὶ παί- D
ζειν αὐτοὺς μᾶλλον εἴπερ σπουδάζειν ἐδόκει· μόνη δὲ ἡ γλῶσσα αὐτοῦ ἦν ὑγιὴς, ὑμνοῦσα τὸν Κύριον, ἥνπερ τότε οἱ ἀσεβεῖς σῶαν πρὸς ἄρνησιν ἐφύλαξαν, ἔλαθον δὲ αὐτοὺς ὅτι πρὸς βεβαίωσιν μᾶλλον ὁμολογίας ταύτην φυλάττουσιν.

31 Ὡς δὲ εἶδεν ὁ Θεότεκνος ἀποροῦντα ἑαυτὸν πρὸς τὰς τῶν βασάνων ἐπινοίας, καὶ τοὺς κολάζοντας δημίους ἀτονήσαντας τὸ καθόλου, καὶ μηδὲν δυναμένους, τὸν δὲ μάρτυρα τῇ προθέσει ἀκμαιότερον ὑπάρχοντα, ἔδωκε τὴν ἀπόφασιν εἰπών· Θεόδοτον τὸν προστάτην τῶν Γαληλαίων τῶν δὲ θεῶν ἐχθρὸν, ἀντιπίπτοντα τοῖς προστάγμασι τῶν ἀηττήτων Βασιλέων, καταφρονήσαντος δὲ κἀμοῦ, κελεύει ἡ ἐμὴ ἐξουσία τὴν διὰ τοῦ ξίφους ὑποστῆναι τιμωρίαν, καὶ μετὰ τὸ ἀποτμηθῆναι τὸ σῶμα αὐτοῦ πυρὶ καυθῆναι, ὅπως μὴ οἱ Χριστιανοὶ λαβόντες αὐτὸ θάψωσι. Λαβόντος δὲ αὐτοῦ τὴν ἀπόφασιν, πᾶσα ἡ πόλις ἀνδρῶν τε καὶ γυναικῶν συνεξῆλθον αὐτῷ ἰδεῖν τὸ τέλος. Γενομένων δὲ αὐτῶν ἐν τῷ τόπῳ, προσηύξατο ὁ μάρτυς λέγων· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, ὁ ποιητὴς οὐρανοῦ καὶ γῆς, ὁ μὴ ἐγκαταλιμπάνων τοὺς ἐπί σοι πεποιθότας, εὐχαριστῶ σοι ὅτι ἐποίησάς με ἄξιον πολίτην τῆς ἐπουρανίου σου πόλεως, καὶ συμμέτοχον τῆς σῆς βασιλείας· εὐχαριστῶ σοι ὅτι ἠξίωσάς με νικῆσαι τὸν δράκοντα, καὶ συντρίψαι αὐτοῦ
τὴν κεφαλήν· δός ἄνεσιν τοῖς δούλοις σου, μέχρις ἐμοῦ E
στήσας τῶν ἐχθρῶν τὴν ἐπανάστασιν· δός εἰρηνεύειν τὴν Ἐκκλησίαν σου, ῥυσάμενος αὐτὴν ἐκ τῆς τοῦ διαβόλου τυραννίδος. Καὶ τελέσαντος αὐτοῦ τὸ Ἀμὴν, στραφεὶς καὶ ἰδὼν τοὺς ἀδελφοὺς κλαίοντος, εἶπεν αὐτοῖς· Μὴ κλαίετε ἀδελφοὶ, ἀλλὰ δοξάσατε τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν, τὸν ποιήσαντα τελείως τὸν δρόμον δραμεῖν, καὶ νικῆσαι τὸν ἐχθρόν· ἔσομαι γὰρ ἐν παῤῥησίᾳ ἐν τοῖς οὐρανοῖς ὑπὲρ ὑμῶν ἀδιαλείπτως ἐντυγχάνων τῷ Θεῷ. Ταῦτα δὲ αὐτοῦ εἰπόντος, ἐδέξατο τὸ ξίφος χαίρων.

31 Ἅψαντες οὖν πυρὰν μεγίστην οἱ δήμιοι, ἔβαλον τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου Μάρτυρος, περιθέντες ξύλα πολλά. Κατ' οἰκονομίαν δὲ τῆς τοῦ Θεοῦ φιλανθρωπίας αἰφνίδιον φαίνεται αὐτοῖς ὑπὲρ τὴν πυρὰν φῶς κυκλῶθεν περιαστράπτων, ὥστε μὴ τολμᾷν τοὺς ὑποκαίοντας προσεγγίσαι· ἔσωθεν οὖν ἔμεινε τὸ τίμιον τοῦ Μάρτυρος λείψανον ἀβλαβές. Ἀπήγγειλαν δὲ τὰ γινόμενα οἱ ὑπηρέται τῷ Θεοτέκνῳ· ὁ δὲ ἐκέλευσε παραμένειν αὐτοὺς καὶ φυλάσσειν τὸ λείψανον, ἐπὶ τῷ τόπῳ ἔνθα τὴν κεφαλὴν ἀπέθετο. Παρέμενον οὖν κατὰ τὸ κελευσθὲν αὐτοῖς οἱ στρατιῶται, φυλάσσοντες τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου· παρεγένετο δὲ κατὰ τὰς συνθήκας ὁ Πρεσβύτερος Φρόντων ἀπὸ τοῦ κτήματος Μαλοῦ, ἐπικομίζων τὸν δακτύλιον τοῦ ἁγίου Μάρτυρος, ὅνπερ αὐτῷ δέδωκε τῶν λειψάνων ἕνεκα, ἔχων μεθ' ἑαυτοῦ καὶ ὑποζύγιον, ὅπερ οἴνου ἐφόρτωσε παλαιοῦ, γεωργεῖ
γὰρ ὁ τὸ πανυδόκιμος b. Φθάσας οὖν τὴν πόλιν ὀψίας οὔ- F b
σης, κατὰ βούλησιν τῆς τοῦ Θεοῦ προνοίας, ἡ ὄνος ἐπὶ τὸν τόπον ἐξέκλινεν, ἔνθα ἔκειτο τὸ λείψανον τοῦ ἁγίου Μάρτυρος· ὡς οὖν εἶδον οἱ τηροῦντες τὴν ὄνον, ἐπέδραμον, καὶ πρὸς τὸν Πρεσβύτερον εἶπον· Ποῦ πορεύῃ ξένε, ὀψίας οὔσης βαθείας; ἐλθὲ μᾶλλον, μεῖνον μεθ' ἡμῶν, καὶ ἡ ὄνος σου δαψιλῶς τραφήσεται· καὶ γὰρ καὶ χόρτος πολὺς ὡς ὁρᾷς, εἰ δὲ καὶ εἰς τὰς σπορίμους χώρας βουληθεὶς, οὐδείς ἐστιν ὁ κωλύσων· καὶ σὺ γὰρ αὐτῷ ἀνεκτότερον ἔσται τὸ μεθ' ἡμῶν μεῖναι, ἢ διοχληθῆναι πανδοχικῇ ἀγνωμοσύνῃ.

33 Καὶ ὁ Πρεσβύτερος ἀποκλίνας τῆς ὁδοῦ τὴν ὄνον ἀφυῶς, ἐπὶ τὴν καλύβην ὥρμησεν, ἣν ἦσαν αὐτοὶ δι' ἑαυτῶν ἐποιήσαντες ἐν τῇ πρὸ ταύτης ἡμέρᾳ, κλῶνας ἐγείροντες καὶ ἰτεῶν περιστήσαντες, καὶ δεσμὰς ἔξωθεν περισυνθέντες καλάμων· πλησίον δὲ τῆς καλύβης ἔκειτο τὸ λείψανον τοῦ Μάρτυρος, κλάδων ἐπικειμένων καὶ χόρτου· ἦν δὲ καὶ πῦρ ἀναπτόμενον πλησίον τῆς καλύβης, καὶ δεῖπνον ηὐτρεπισμένον· καὶ οἱ πρῶτοι αὐτῶν ἀπὸ λουτροῦ ἐλθόντες πρὸς τὴν καλύβην, ἔπινον ἀναπεσόντες εἰς τὸ ἔδαφος, ταπίτων αὐτοῖς ἡπλωμένων καὶ χόρτου· ὡς οὖν ἐκεῖνοι τὸν πρεσβύτερον πιεῖν σὺν αὐτοῖς προετρέποντο, αἰτήσας σκεῦος ἐκεῖνος, τὴν ὄνον ἐπεφόρτωσε, καὶ τοῦ οἴνου πλήσας τοῦ ἰδίου, εἶπε· γεύσασθε καὶ μάθετε τῆς

τοῦ

A τοῦ οἴνου τούτου πιόντος· ἴσως γὰρ οὐ φαῦλος ὑμῖν φανήσεται. Ταῦτα εἰπὼν ὁ πρεσβύτερος, καὶ ἠρέμα πρὸς ἑαυτὸν μειδιάσας, μεστὸν αὐτοῖς τὸ σκεῦος τοῦ οἴνου ἐπεδίδου· οἱ δὲ θαυμάσαντες τήν τε εὐωδίαν, καὶ τὴν γεῦσιν ἐπυνθάνοντο πόσων ἂν εἴεν ἐτῶν ὁ οἶνος· ὁ δὲ πέντε εἶπεν ὑπάρχειν ἐτῶν αὐτόν· καὶ φησιν, Συντόμως ἄφες πίομεν, πάνυ γὰρ ἀπὸ τοῦ καμάτου καταπεπονήμεθα ὑπὸ τῆς δίψης. Εἰπόντος δὲ τοῦ πρεσβυτέρου, Χαριέντως ἀπολαύσατε ὅσον δύνασθε ποιεῖν, ἀποκρίνεται Μητρόδωρός τις τῶν νεανίσκων εἰς γελάσας, οὐκ ἂν λαθεῖν δύναμαι ἐν ὅλῳ τῷ χρόνῳ, οὐδ' ἂν πίω ἐκεῖνο τὸ πόμα, ὅπερ λέγουσιν εἶναι τῆς λήθης· οὐ δὲ γὰρ πάντες ὁμοῦ οἱ Χριστιανοὶ ἔλαβον τοιαύτας πληγὰς, οἵας ἐγὼ πρώην κατέπιον διὰ τὰς γυναῖκας τὰς ἐκ τῆς λίμνης κλαπείσας, ἀλλὰ νῦν δαψιλὲς παράσχες, ὦ ξένε, καταχέας ἐκ τοῦ μαρωνίου ἀκράτου, ὅπως μοι λήθην τῶν ἀλγηδόνων ἐκείνων πορίσωμαι. Καὶ ὁ Φρόντων, ἀγνοῶ γὰρ ἅσπερ λέγεις γυναῖκας, νεανίσκε, τοῦ δὲ Μάρωνος ἡ κρήνη αὕτη ὑπάρχει πλησίον· ὑπολαβὼν δὲ τὸν νεανίσκον τις ἕτερος ὀνόματι Ἀπολλώνιος, πρὸς τὸν Μητρόδωρον λέγει· Ὅρα μή σοι τοῦ Μάρωνος ὃ λέγεις πόμα οὐχὶ ἀνεπιτήδειον ἔσται, πρὸς ἀσφάλειαν τὸν χαλκοῦν τοῦτο φυλάσσοντι, τὸν καὶ τὰς γυναῖκας, ἃς λέγεις, ἀπὸ τῆς λίμνης κλέψαντα.

34 Καὶ ὁ Πρεσβύτερος εἶπεν· Ἥμαρτον ὡς ἔοικε μὴ
B καὶ ἑρμηνέα ὧδε μεθ' ἑαυτοῦ κομισάμενος, ὃς τῶν ὑφ' ὑμῶν λεγομένων ἑρμήνευσέ μοι ἅπαντα· οὐδὲν γὰρ ἀρτίως τῶν ὑφ' ὑμῶν λαλουμένων ἐπίσταμαι. Τίνες μὲν αἱ γυναῖκες, ἃς ἀπὸ τῆς λίμνης ἔκλεψαν, τίς δὲ ὁ χαλκοῦς ὑμῖν ὃν λέγετε φυλάσσειν; ἆ τάχα ἀνδριάντα φυλάττετε πόθεν ἀρτίως κομισθέντα, ἢ ὄντως παραβολὰς φθέγγεσθε καταγελῶντες τῆς ἀγροικίας μου; Μέλλοντος δὲ τοῦ Μητροδώρου φθέγξασθαι, προλαβὼν ἄλλος τῶν νεωτέρων, ὃς ἐκαλεῖτο Γλαυκέντιος, εἶπεν· Ὦ ξένε, μηδὲν παρὰ τῶν ἑταίρων μου ἀκούων παράδοξον ἡγοῦ· χαλκοῦν γὰρ ὀνομάζοντες ἄνδρα, οὐδὲν ξένον περὶ αὐτοῦ λέγουσιν, ἤν τε χαλκοῦν αὐτὸν καλοῦσι, κἄν τε σιδηροῦν, καὶ γὰρ καὶ χαλκοῦ καὶ σιδήρου καὶ πάσης φύσεως οἴδαμεν ἡμεῖς κρείττονα καὶ στεῤῥότερον τοῦτον· χαλκὸς γὰρ καὶ σίδηρος πυρὶ εἶξε καὶ τέχνῃ κατεπονήθη, καὶ αὐτὸν ὃν λέγουσιν ἀδάμαντα καὶ τέχνῃ καὶ ἐπινοίαις ἡττήθη· τούτῳ δὲ καὶ πῦρ καὶ σίδηρος καὶ ἑλκυσμοὶ προσαχθέντες, πάντα ἔμειναν ἀργά· καὶ ὁ Πρεσβύτερος εἶπεν· ἀληθῶς περὶ ἀνθρώπου λέγετε; ἢ περὶ ἄλλου τινός; οὐ γὰρ μανθάνω σαφῶς. Καὶ ὁ Γλαυκέντιος εἶπεν· Ἀπορῶ ὦ ξένε τὴν ἐκείνου φύσιν ἐξηγήσασθαι· ἐάν τε γὰρ ἄνθρωπον αὐτὸν ὀνομάσω, οὐκ ἄνθρωπος τοιαῦτα ἠγωνίσατό ποτε· ὅτι μὲν γὰρ ἦν πολίτης ἡμέτερος, καὶ ἔστιν αὐτοῦ, ὁ οἶκος ἐνταῦθα, καὶ γένος καὶ κτήματα, τοῦτο πάντες ἐπίστανται. ὅτι δὲ ἀνθρώπου φύσιν οὐκ εἶχεν, τοῦτο φανερῶς διὰ τῶν ἔργων ἀπέδειξε· καὶ γὰρ μαστιζόμενος καὶ τεμνόμενος, καὶ
F τὰ μέλη πάντα ὑπὸ πυρὸς καταπτώμενος, ὑπ' οὐδενὸς τῶν ἐνοχλούντων τὸν λογισμὸν μετετέθη, ἀλλ' ἔμεινεν ὑπὸ τῆς πρώτης κρίσεως ἠσφαλισμένος τὴν γνώμην, ὡς πέτρα ὑπὸ κυμάτων ὀχλουμένη καὶ παντελῶς μένει ἀτίνακτος.

35 Θεόδοτος μὲν τὸ ὄνομα αὐτοῦ ἦν, Χριστιανὸς δὲ τὴν θρησκείαν, τοῦ λογισμοῦ δὲ τὴν κρίσιν ὑπὸ παντὸς πράγματος ἀμετάθετος, παρθένους δὲ ἐν τῇ πλησίον λίμνῃ καταβυθισθείσας τινὰς ἑπτὰ τὸν ἀριθμὸν, καὶ κελευσθείσας ἐναπομένειν τῷ ὕδατι, λάθρα αὐτὸς ἀνελόμενος, παρέδωκε ταφῇ· καὶ ἐπειδὴ πάλιν πολλοὺς Χριστιανοὺς συναρπασθέντας ἔμαθε, καὶ τοῖς ἄρχουσι πρὸς τιμωρίαν δοθέντας, φοβηθεὶς μὴ τὴν ἑαυτῶν θρησκείαν ἀρνήσωνται ἑαυτὸν τοῖς ἄρχουσι κατεμήνυσε, καὶ τὸ ἑαυτοῦ ἔργον ὡμολόγησεν, ὥστε μὴ ἄλλους ἀντ' ἐκείνου κολάζεσθαι. Τοῦ δὲ Ἄρχοντος ὑπισχνουμένου αὐτῷ μυρία χρημάτων πλήθη, καὶ ἀξιώματα καὶ τιμὰς καὶ τῆς θεῶν ἀρχιερέα, εἰ αὐτοῖς θυσιάσας τῶν Χριστιανῶν ἀρνήσοιτο τὴν θρησκείαν· αὐτὸς δὲ διαχλευάσας τοὺς ἄρχοντας καὶ σκώψας, καὶ τοὺς Θεοὺς λοιδορήσας, καὶ τῶν νόμων τῶν Βασιλέων καταπαίξας, οὐ δὲ ἠξίωσε τῷ Ἄρχοντι δοῦναι ἀπόκρισιν. Ἐπειδὴ οὖν μαστιχθεὶς, καὶ παντοίαις ἐγκαρτερήσας κολάσεσιν, οὐδὲν ἐκ τῶν μαστίγων ἐδόκει πάσχειν τοιοῦτον, ὁποῖα ἡμᾶς διέθηκε διὰ τῶν λόγων· καὶ γὰρ καὶ

illi odorem saporemque admirati, interrogant senem D
quot annorum sit. Asserente autem Presbytero, annorum esse quinque, Sine, inquiunt, bibamus cito, magna enim siti laboramus. Presbyter autem ait: Hilariter sumite, quantum bibere potestis. Cui adolescentium unus, nomine Metrodorus, arridens respondit, Numquam potero in omni vita mea oblivisci, nequidem si potum illum sumpsero quem Lethes dicunt: quia Christiani simul omnes non tales plagas acceperunt, quales ego nuper gustavi propter mulieres ex palude subductas: nunc autem largiter præbe, hospes, ex mero illo Maronio fundens, ut dolorum istorum bibam oblivionem. Tum Fronto. Nescio quas mulieres dicas, adolescens. Maronis autem fontem prope esse scio. Tu vero Metrodore, inquit alius cui nomen Apollonius, vide ne istud Maronis, quod ais, poculum, magnum tibi malum pariat, jusso custodire æreum illum hominem, qui modo memoratas a te mulieres ex palude furatus est.

Intelligit de Virginibus et Theodoto:

34 Adhæc Presbyter, Peccavi sane quod interpretem non adduxerim, qui mihi sermonem vestrum explicet; nihil enim eorum hactenus quæ dicitis intelligo. Quænam mulieres illæ furto subductæ ex
lacu, aut quis iste æreus quem vos dicitis custodire? E
an forte statuam huc usque adductam servatis? vel ænigmata loquimini, ut rusticitatem meam habeatis ludibrio? Volebat respondere Metrodorus, sed prævertit eum alius Glaucentius appellatus, atque ait: O hospes, Nihil eorum quæ dicuntur a sociis meis tibi mirum videatur; virum enim æreum nominantes, nihil a vero alienum dicunt: sive enim æreum sive ferreum dixerint, scimus eum et ære et ferro et alia quavis natura meliorem ac firmiorem fuisse. Siquidem æs et ferrum cædit igni et arte laboratur; ipse etiam, quem vocant adamantem, industria et ingenio superatur; illi autem admotus ignis, ferrumque et ungulæ nihil profecerunt. Necdum, inquit Presbyter, clare assequor quid velis, utrum scilicet de homine loquamini, an de re alia quapiam. Cui Glaucentius, Ægre, inquit, o hospes, naturam ejus tibi explicavero: si enim hominem appellavero, nullus unquam homo ita certavit. Sciunt quidem omnes quod civis noster sit, cujus hic et domus, et genus, et possessiones sunt: quod autem humanam non habuerit naturam, ipsis operibus manifeste monstravit. Etenim verberatus, et sectus, atque per omnia membra ustulatus igne, nullum se affligentibus verbum reponebat, sed firmus in sententia persistebat in
priori proposito, sicut rupes a fluctibus concussa C
manet undequaque immobilis.

quem illi æneum hominem appellantes

35 Nomen viro Theodotus erat, qui religione Christianus a propositi sententia nullo potuit molimine dimoveri. Virgines septem, in hac palude suffocatas jussasque sub aquis permanere, clam sustulit ac sepulturæ tradidit. Postquam autem didicit ideo Christianos multos esse correptos, et Magistratibus ad supplicium traditos; veritus ne suam religionem abnegarent, ultro se Magistratibus manifestavit, suumque opus fassus est, ne pro eo alii torquerentur. Quamvis autem Præses ei polliceretur infinitas opes dignitatesque et honores, adeo ut etiam summum Pontificatum ei deferret, si diis sacrificans Christianorum fidem ejuraret; ille tamen Magistratus irridens, deosque afficiens contumelia, et Imperatorum leges contemnens, nec responso quidem dignabatur Præsidem. Postquam autem verberatus fuit, et omnis generis tormenta sustinuit, nihil ex plagi, pati videbatur; sicut et ipse nobis verbis affirmabat: illudebat enim percutientibus cum risu, velut inertia dissolulis; Præsidemque ut vile mancipium alloquebatur: cumque lassarentur qui eum cruciabant, ipse velut plagis factus robustior canebat hymnos; donec denique

passionem ejus admirabundi narrant,

sibique commissam custodiam corporis:

A que capite minutus, jussus est igne comburi. Nos vero infelices iterum ejus causa cruciari metuimus: etenim pyra incensa, circum ignem facta sunt miracula nullis verbis explicanda, vidimusque lumen in circuitu magnum, neque flamma Theodotum attigit. Jussi ergo sumus custodire eum propter Christianos: et hæc dicens adolescens, monstrabat Presbytero locum in quo jacebat cadaver.

quod illis inebriatis,

36 Intelligens ergo Fronto ipsum esse S. Theodotum gratias agebat Deo, ipsiusque bonitatem sibi adesse petebat ad tollendum corpus. Gaudens autem, amplius et amplius eis offerebat de vino, atque ad liberalius sumendum invitabat; usque dum illi inebriati et somno gravi correpti sunt. Tum consurgens Presbyter et venerandum corpus tollens, imposuit asinæ suæ, et dixit: Euge, Martyr, adimple quas mihi fecisti promissiones; simulque annulum inseruit ipsius digito. Deinde ramos fœnumque, uti jacuerant supra Sanctum, sic iterum composuit, ut custodes non suspicarentur aliquid esse ablatum. Illucescente autem die surgens Presbyter quærebat asinam velut amissam, multumque excitabat strepitum complodens manus, ploransque et dicens, Amisi asinam meam. Serio ergo credebant eum loqui custodes, nescientes quod actum erat: quia putabant sub fœno jacere adhuc corpus sanctum. Asina autem deducta ab Angelo, per devia loca abiit in Malum: et cum suo onere procubuit eo loco, ubi nunc est confessio sancti et gloriosi Martyris Theodoti. Advenientes autem quidam ex vico nuntiaverunt Presbytero, quod asina sola per se attulerit sacra lipsana, maneatque in loco. Malum ergo reversus est Presbyter, qui asinam amissam querebatur: custodes autem permanserunt in loco arbitrati corpus adhuc esse sub fœno. Atque in hunc modum gloriosi Martyris Reliquiæ translatæ fuerunt Malum, Deo admirabiliter id procurante, et agonem Martyris glorificante.

olam sublatum imponit asinæ

B

Malum vecturæ

Epilogus oculati testis.

37 Hæc omnia ego humilis Nilus magna cum diligentia vobis, dilectis Deo Fratribus, tradidi: qui et in custodia cum illo fui, et singula novi quæ in notitiam vestram adduxi, ubique studens veritati; ut et vos ea audientes cum omni fide et certitudine, partem habeatis cum sancto et glorioso Martyre Theodoto, omnibusque Sanctis, qui pro pietate decertaverunt in Jesu Christo Domino nostro, cui est gloria et potestas, simul cum Patre et Spiritu sancto in secula Amen.

D

A. NILO EX MS. GR.

τοῖς τύπτουσιν αὐτὸν ἔσκωπτε μετὰ γέλωτος, ὡς ὑπὸ ἀτονίας ἐκλυθέντας, καὶ τῷ Ἄρχοντι δὲ ὡς ἀτίμῳ ἀνδραπόδῳ διελέγετο, καὶ τῶν τυπτόντων ἀποκαμνόντων, αὐτὸς ὕμνοις ἐμελῴδει, ὡς ὑπὸ τῶν μαστίγων μᾶλλον ῥωννύμενος· τὸ τελευταῖον ἀποκεφαλισθεὶς, ἐκελεύσθη κατακαῖναι πυρί. Ἡμεῖς οὖν εὑρέθημεν οἱ τρισάθλιοι, καὶ οἱ περὶ τούτου τὰς τιμωρίας πάλιν ἀναδεχόμενοι, τῆς γὰρ πυρᾶς ἀναφθείσης, κρείττονα λόγου θαύματα περὶ τῆς φλόγα ἐγένετο· ἴδομεν κύκλῳ ὑπερμεγέθη φῶς, καὶ οὐχ ἥψατο τὸ πῦρ τοῦ Θεοδότου· ἐκελεύσθημεν οὖν τηρεῖν αὐτὸν διὰ τοὺς Χριστιανοὺς, καὶ ἔδειξε τῷ Πρεσβυτέρῳ τὸν τόπον ὅπου ἔκειτο τὸ λείψανον.

36 Γνοὺς οὖν ὁ Πρεσβύτερος αὐτὸν εἶνα τὸν ἅγιον Θεόδοτον, εὐχαρίστησε τῷ Θεῷ, καὶ τῇ αὐτοῦ ἀγαθότητι παρεκάλει συνεργῆσαι αὐτῷ τῆς τῶν λείψανων ἀναιρέσεως. Χαρεὶς οὖν ὁ Πρεσβύτερος, ἔτι μᾶλλον καὶ μᾶλλον τοῦ οἴνου μετεδίδου αὐτοῖς δαψιλέστερον ἐμφορηθῆναι· πιόντων οὖν αὐτῶν ἐπὶ πολὺ, καὶ εἰς μέθην τραπέντων, ὕπνῳ βαρεῖ κατεσχέθησαν. Ἀναστὰς οὖν ὁ Πρεσβύτερος, καὶ ἀράμενος τὸ τίμιον λείψανον, ἐπέθηκε τῇ ὄνῳ, εἰπών· Ὕπαγε ὦ μάκαρ, πλήρωσον τὰς συνθήκας, ἃς συνέθου μοι, προσθεὶς καὶ τὸν δακτύλιον τοῦ Μάρτυρος τοῖς λειψάνοις· τοὺς κλῶνας δὲ καὶ τὸν χόρτον τὸν ἐπικείμενον τῷ λειψάνῳ, συνέθηκε καθὰ ἦν, ὥστε μὴ ὑπονοῆσαι τοὺς φυλάσσοντας ὅτι ἀπώλεσαν τὸ λείψανον. Φωτὸς δὲ ἐπιγενομένους, καὶ τῆς ἡμέρας διαυγασθείσης, ἀναστὰς ὁ Πρεσβύτερος, ἐζήτει τὴν ὄνον ὡς ἤδη ἀπολωλυῖαν, καὶ πολὺν ἐποίει θόρυβον τὰς χεῖρας συγκρούων, κλαίων καὶ λέγων, Ἀπόλεσα τὴν ὄνον μου· Ἐνόμισαν οὖν οἱ φυλάσσοντες ἀσφαλῶς λέγειν αὐτὸν, μὴ ἐγνωκότες τὰ γεγονότα· ἐνόμισαν γὰρ ὑπὸ τὸν χόρτον κεῖσθαι καὶ τὰ λείψανα. Ἡ δὲ ὄνος ὁδηγηθεῖσα ὑπὸ ἁγίου Ἀγγέλου δι' ἀνυπόπτων τόπων, ἀπῆλθεν εἰς τὴν Μαλῶ, καὶ ἐκοιμήθη ἐν τῷ τόπῳ μετὰ τοῦ φόρτου αὐτῆς, ἔνθα ἀρτίως ἐστὶ τὸ μαρτύριον τοῦ ἁγίου καὶ ἐνδοξου Μάρτυρος Θεοδότου. Παραγενόμενοι δέ τινες τῆς κώμης, ἀπήγγειλαν τῷ Πρεσβυτέρῳ ὅτι ἡ ὄνος μόνη καθ' ἑαυτὴν ἀπεκόμισε τὰ ἅγια λείψανα, καὶ μένει σέ ἐν τῷ τόπῳ. Ὁ μὲν οὖν Πρεσβύτερος οὕτως ἐπὶ τὴν Μαλὸν ἀνεχώρησεν, νομισθεὶς ἀπολωλέναι τὴν ὄνον· οἱ δὲ φυλάσσοντες τὸ σῶμα τοῦ Μάρτυρος, ἔτι τῷ τόπῳ παρέμενον, ὑπολαμβάνοντες ὑπὸ τὸν χόρτον κεῖσθαι τὸ ἅγιον λείψανον. Τοῦτον τὸν τρόπον τὸ λείψανον τοῦ ἐνδόξου Μάρτυρος Θεοδότου ἐπὶ τὴν Μαλὸν μετετέθη, θαυμαστὴν οἰκονομίαν ποιήσαντος τοῦ ἀγαθοῦ Θεοῦ, καὶ τὸν ἀγῶνα τετιμηκότα τοῦ Μάρτυρος.

E

37 Ταῦτα πάντα ἐγὼ Νεῖλος ταπεινὸς ἐξέδωκα ὑμῖν μετὰ πάσης ἀκριβείας τοῖς θεοφιλέσιν ἀδελφοῖς· ὃς καὶ ἐν τῇ φυλακῇ συνὼν αὐτῷ, καὶ ἕκαστα γνοὸς ἃ εἰς γνῶσιν ἤγαγον, πανταχοῦ τῆς ἀληθείας φροντίσας, ὅπως καὶ ὑμεῖς μετὰ πάσης πίστεως, καὶ πληροφορίας ἀκούοντες, σχοίητε μέρος μετὰ τοῦ Ἁγίου καὶ ἐνδόξου Μάρτυρος Θεοδότου, καὶ πάντων τῶν Ἁγίων τῶν ὑπὲρ εὐσεβείας ἀγωνισαμένων, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ Κυρίῳ ἡμῶν, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος ἅμα τῷ Πατρί, καὶ τῷ Ἁγίου Πνεύματι εἰς τοὺς αἰῶνας. Ἀμήν.

F

ANNOTATA.

C

a *Nimis angustum est tempus dierum quinque, quare existimo ut minimum legendum* πεντεκαίδεκα quindecim.

b *MS.* δόκιμον, *ideo Sirletus vertit*, vinum enim valde generosum locus ille profert, *quasi pro*, ὁ τὸ πάνυ δοκιμος, *legeretur*, ὁ τόπος πάνυ δοκιμος *sed ipsum verbum* γεωργεῖ, agrum colit, *explicationem ejusmodi non admittit.*

A

DE S. POTAMONE MART.

EPISCOPO HERACLEÆ IN ÆGYPTO.

D. P.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Vitæ et Martyrii Acta ex SS. Epiphanio et Athanasio : cultus recens.

CIRCA AN. CCCXLI.

Superiorem Ægyptum, Thebaïde transita, perfluens Nilus, priusquam ad Inferiorem descendat, septem ostiis evolvendus in mare, ampiam diviso utrimque sinu complectitur insulam, quæ per se Nomum Heracleoten constituit, sic appellatum ab Heraclea, *nobili ad Nilum civitate. Huic Episcopus præfuit* S. Potamon *anno* CCCXXV, *quando Nicææ in Bithynia habita est prima Synodus generalis*, CCCXVIII *Episcoporum, undique ex toto Romano Imperio convocatorum; ipse vero inter ceteros egregiæ Confessionis insignibus eminuit, unus ex iis, quos, ut lib* 11 *cap.* 4 *ait Rufinus*, dextris oculis effossis et sinistro poplite succisso per metalla damnaverat Maximinus.

Interfuit Concilio Nicæno ut confessor,

B

2 *Idem deinde anno* CCCXXXV, *cum aliis quadraginta octo Episcopis ex Ægypto secutus est S. Athanasium, Tyri de objectis criminibus judicandum : prout cum summa ipsius laude narrat Epiphanius hæresi* 68. *Epiphanii verba, ex meliori Petavii nostri versione, hæc sunt.* Tyri in Phœnice convocari Synodum, *Imperator Constantinus*, jubet, eique judicio præesse cum aliis nonnullis Cæsareensem Eusebium, qui omnes in Arianorum inanissimum dogma propensiores erant. Cum his e Catholica Ægypti Ecclesia et Athanasio subjecta Episcopi quidam advocati sunt, primarii omnino ac præstantes viri, atque egregia vitæ sanctitate et religione præditi; inter quos felicis memoriæ magnus ille Potamon fuit, Heracleæ Episcopus et Confessor. Aderant et Meletiani, præsertim acccusatores Athanasii. At B. Potamon veritatis ac rectæ fidei ardore æstuans, vir summa loquendi libertate, qui nullius unquam personæ rationem habuerat, et pro veritatis confessione alterum in persecutione oculum amiserat; Eusebium sedentem et judicantem, stantem vero Athanasium conspicatus, dolore confectus et illacrymans, prout sinceris mentibus evenire solet, magna voce adversus Eusebium invectus est :

deinde Tyrio an. 335

ubi Eusebium Cæsareensem,

C

3 Et, Tene, inquit, Eusebi, sedere et innocentem Athanasium a te judicari? Quis ista sustinere possit? Dic, sodes, nonne mecum persecutionis tempore in custodia fuisti? Atque ego quidem oculum pro veritate perdidi : tu nulla corporis parte mutilatus es, neque martyrium subiisti, sed vivus integerque consistis. Quanam ratione e custodia evolasti, nisi quod persecutoribus nostris nefarium facinus admissurum te promisisti, vel etiam admisisti? Hæc Eusebius audiens, magnopere doluit; et repente consurgens, Concilium dimisit, itaque locutus est : Si huc accedentes tantopere nobis contradicere audetis, verum est profecto quod vestri accusatores objiciunt : nam cum hoc in loco tyrannidem quamdam exerceatis, multo id magis in patria vestra facitis.

egregia libertate coarguit pro S. Athanasio.

4 *Hæc Epiphanius : quem si Græce loquentem intelligere potuisset Baronius, non scripsisset in suis ad Romanum Martyrologium notis, quod hic* S. Potamon aliquando Meletio in schismate adhæserit, unde tandem pedem referens pro Catholica fide adversus Arianos egregie decertarit. *Videtur Baronium decepisse Basileensis antiquæ versionis auctor Cornarius, obscure interpunctus, hoc modo:* Et vocati sunt Episcopi Ægypti.. Inter quos erat B. Potamon, magnus ille Heracleæ Episcopus et Confessor, sed et ex Meletianorum partibus, hi qui Athanasium accusabant. *Verum sub meliori interpunctione sensum clarum etiam Cornarii verba habebunt, si sic legantur.* Et vocati sunt Episcopi Ægypti... (inter quos erat B. Potamon....) sed et ex Meletianorum partibus, hi qui Athanasium accusabant, *scilicet, vocati sunt. Certe Nicæni Concilii tempore nequaquam inter eos numerabatur* Potamon, *qui Meletio adhærebant. Imo Meletius ibidem ea conditione receptus cum suis ad Catholicam communionem, ne quos amplius Episcopos ordinaret; eorum autem nomina traderet, quos sibi habebat adhærentes; sic inquam receptus Meletius, non modo partiariis suis non annumeravit* Sanctum Potamonem, *sed expresse posuit* Petrum τῆς Ἡρακλοῦς, *id est*, Heracleæ *seu* Heracleopoleos, *utique ibi contra* Potamonem *pro sua factione ordinatum, sicuti alibi alios pro eadem factione ordinarat, contra Episcopos Catholicæ partis; idque docet* Breviarium *ipsum* Meletii Papæ, datum Alexandro Episcopo, *quod exhibet in Syllogo Athanasius, sive, ut cum vulgo loquar, in secunda Apologia.*

Male vocatur in communionem schismatis Meletiani,

E

5 *Idem Athanasius, in Epistola ad Solitarios, præclarum* Potamonis *finem, et primæ Confessioni ac reliquæ vitæ consentaneum sic narrat :* Serapammonem Episcopum et Confessorem in exilium egerunt (*Philagrius Præfectus et Gregorius Pseudo episcopus*) Potammonem vero, qui Confessor etiam ipse oculum in persecutione perdiderat, concidentes plagis cervici impactis, non prius quieverunt quam mortuum hominem esse crederent. Tunc nempe abjectus ab eis, et ægre post horas aliquot curatus refocillotusque, resumpsit spiritum; Deo illi vitam concedente, sed admodum brevem. Post modicum enim tempus, ex verberum dolore, mortuus est, habens in Christo gloriam secundi martyrii.

et ab Arianis contusus colaphis

Martyr obit,

F

6 *Hæc ita narrantur in hac epistola ab Athanasio, quasi anno* CCCXLI, *statim ab adventu Philagrii et Gregorii in Ægyptum gesta. Sed interponi saltem debet tota illa invasæ ecclesiæ tragœdia, unde ipsum Athanasium ægre fuga subtraxit, quam in Commentario de ejus Vita exhibuimus capite* 13 *ex ejus epistola ad Orthodoxos. Acta autem est illa, tempore Paschæ, quod in diem* IX *Aprilis cadebat : neque tunc Alexandriæ Episcopi aderant, in sua quique diœcesi propter festum occupatissimi. Sed nec Alexandriæ rem gestam esse constat, eoque evocatos Episcopos : potuit enim circumferri persecutio per Ægyptum, obeunte eam Philagrio Præfecto et Balacio Duce ad ecclesias Arianis tradendas : potuit et subsequenti anno res esse gesta, ideoque duorum tam illustrium Confessorum vexatio prætermissa fuisse, in ea quam dixi ad Orthodoxos epistola.*

post Pascha anni 341,

incerto mense,

7 *Multo minus possumus certi aliquid definire de die quo obiit* S. Potamon *In hodierno quidem Romano Martyrologio ad hunc* XVIII *Maji, sic legitur :* In Ægypto S. Potamonis Episcopi, qui primo sub Maximino Confessor, deinde sub Constantio Imperatore et Philagrio Præside Ariano, martyrio coronatus est : *sed nullius vetustioris Martyrologii exemplo ita legere docemur. Citatur in notis Beda, supposititius*

die ignoto.

scilicet

Nomen in hodierno Romano: sed unde?

A *scilicet: hic autem, ut supra vidimus, aliud non habet, quam ex vetustiorum Martyrum Alexandrinorum classe temere acceptum* Potamionem, *post duos socios indidem sumptos, qui licet plurium MSS. consensu melius vocetur* Potamon, *et sic etiam ubique vocetur apud Athanasium et Epiphanium hic noster, Episcopus et* D *Martyr, nulla tamen verosimilitudine præsumetur, hunc esse de quo agunt vetustissima Hieronymiani Martyrologii exemplaria; quibus qui inseruntur Martyres, credi possunt omnes sub ethnicis Imperatoribus passi.*

G.H.

DE SANCTO FELICE

EPISCOPO SPELLATENSI MARTYRE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Controversia de loco Sedis et Martyrii discussa, cultus explicatus, refutati Hispani,

SUB MAXIMIANO.

Felices *plane sunt Sancti, qui post hanc miseram inter mortales peractam vitam, æternam assequantur in cœlis felicitatem: pro qua obtinenda plurimi pro Christo sanguinem et vitam profuderunt. Horum varii etiam proprio suo nomine* Felices B *fuerunt appellati, et a nobis hisce quinque prioribus mensibus ferme centum prolati, aliqui Presbyteri, varii Episcopi, ac tres Summi Pontifices: nec mirandum foret, si quæ uni sunt Acta propria, variis accommodentur. Occurrit ad hunc* XVIII *Maji* S. Felix Episcopus Martyr, *de cujus Sede Episcopali ac loco martyrii, non est idem omnium sensus. Antiquissima ejus memoria, quantum scimus, celebratur in Martyrologio Usuardi his verbis:* Ipso die, XV Kalendas Junii, Sancti Felicis Episcopi, qui apud Spellatensem urbem sub Maximiano Imperatore palmam martyrii adeptus est. *Ita habent Usuardi exemplaria manuscripta quatuordecim penes nos existentia, præcipua quæ putamus inveniri posse. Sunt enim in iis duo Parisiis in monasterio S. Germani de Pratis, ubi scripsit vixitque Usuardus, descripta, et a Jacobo Sirmondo cum originalibus membranis collata: alia habemus fere in pergameno descripta in Gallia, Anglia, Belgio, Italia, ut de Constanti lectione dubitari non possit: quam confirmant Martyrologia Usuardi excusa Coloniæ et Lubecæ anno* 1490, *item a Greveno cum Auctario Coloniæ anno* 1515 *et* 1521 *impressa et postea Parisiis* 1536, *ac denique tertio a Molano recusa. Consentit præterea MS. Martyrologium Adonis, Leodii in monasterio S. Laurentii adservatum: quali Adonis Martyrologio allegato, Petrus de Natalibus lib.* 5 *Catalogi cap.* 13 *ista scribit:* C Felix Episcopus apud Spaletensem urbem sub Maximiano Imperatore passus est: qui cum Christum Dominum prædicaret, a Judice comprehensus, post plurima supplicia gladio cædente martyrii palmam adeptus est Kalendas Junii. *Hæc ibi. Petrus Canisius in Martyrologio Germanico anno* 1573 *excuso suum elogium ex Petro de Natalibus efformavit, ac passim scribit* in urbe Spellata: *quod etiam modo arbitramur apud Petrum de Natalibus legendum, errore Amanuensium aut typothetarum facili, duabus primis vocalibus transpositis.*

Varii Sancti appellati Felices.

Spellatensis Episc. Mart. apud Usuardum,

Petrum de Natalibus.

Canisium:

est ea urbs non Spoletum,

2 *Verum quia* Spellata urbs *non satis nota fuit, loco ejus* Spoletum, *urbs Umbriæ notissima, assumpta est in Bellini Martyrologio anno* 1498 *Venetiis, et anno* 1521 *Parisiis excuso. Secuti Maurolycus, Felicius, Galesinius, qui tamen in Notationibus ista advertit:* Spoleti, alias in urbe Spellatensi; quæ urbs non longe abest a Spoleto. *Eodem modo in Martyrologio Romano dicitur* Spoleti *passus: ubi Baronius* pro Spoletino, Spalatensem *arbitratur dicendum. Philippus Ferrarius in Nova Topographia Martyrologii Romani, anno* 1609 *excusa Venetiis, fol.* 62, Hispellum, *inquit,* Spello, civitas Umbriæ antiqua, olim Episcopalis, Fulginio ad II M. passuum proxima, euntibus Assisium occurrens, in colle constructa, ubi aliquot antiquitatis, præsertim Amphitheatri, vestigia manent: Episcopatus illius in Episcopatum Spoletinum transiit. XVIII Maji, Felix Episcopus Hispellensis, non Spoletinus, qui tempore Marcellini Papæ et Concilio Sinuessano interfuit. *Est in eo nomen* Felicis, *sed non addita Sede Episcopali. Ipsum Concilium, quale habetur, merum quidem ac putum figmentum est, ut in Chronologia Romanorum Pontificum docetur; antiquum tamen, quod satis huic loco est. Idem Ferrarius in Catalogo Sanctorum Italiæ anno* 1613 *edito, hoc de eo concinavit elogium:* Felix Episcopus Hispelli, Diocletiano et Maximiano Imperatoribus, dum munus Episcopale in ea civitate exequeretur, multosque prædicatione ad Christum perduceret; jussu Præfecti comprehensus, ut Christo renuntiaret, multis cruciatibus afficitur: quos omnes cum admirabili tolerantia superasset, nec Christum prædicare desisteret; demum cervicibus fortiter datis coronatus est,.. *Dein in Annotatione,* Hispelli, *ait,* in ecclesia majore, sub illius imagine in pariete depicta, subscriptio sic habet. S. FELIX EPISCOPUS HISPELLAS. Spoletii quoque, in Ecclesia Cathedrali, antiqua illius imago cum hujuscemodi inscriptione, S. FELIX EPISCOPUS DE HISPELLO, visitur.

sed Hispellum

E in elogio Ferrarii.

3 *Thadæus Donnola de Ispello I. V. D. et in Romana Curia pro reis sanctæ Inquisitionis Officii causarum Patronus, edidit Venetiis anno* 1620 *tractatum.* De loco martyrii S. Felicis Episcopi Spellatensis, *ac pag.* 23 *et sequentibus lectionem Martyrologii Usuardi probat, ex aliis manu exaratis et prælo cusis, scilicet,* apud Spellatensem urbem *passum: pro quibus addit, in antiquis MSS. Missalibus et Antiphonariis Ecclesiæ Hispellensis haberi ista verba,* XV Kalendas Junii, S. Felicis, Hispelli Episcopi et Martyris. *Dein illud* haud exigui ponderis esse *addit:* quod ipsi concives Spellatenses eumdem præclarissimum Martyrem, ut proprium Episcopum ac Protectorem et apud Deum intercessorem optimum, ipso die XVIII Maji magna semper lætissima celebritate coluere. Eumdemque diem festum S. Felicis, ejusque Ecclesiam vetustissimam, prope et extra Hispelli mœnia, ubi sacrum ejus corpus coruscans miraculis diu jacuit, olim magnificentius constructam, ut vestigia undique demonstrant; dein furentium militum incursionibus eversam, mox brevius angustiusque restitutam, etiam ex antiquo patriæ instituto ac civitatis præscripto, singulari populi frequentia quotannis maxime venerantur. Eoque die nullatenus jus reddi licere cautum est prisco Hispelli statutorum codice, anno Domini MCCC restituto, lib. 4 rubrica 43. *Dein pag.* 27, *auctoritate Laurentii Castrucii Episcopi Spoletini, probat,* Hispelli in Collegiata S. Laurentii ecclesia erectam fuisse Societatem doctrinæ Christianæ, sub invocatione et titulo S. Felicis Episcopi Hispellatensis et Martyris.

Ipse Felix

F Hispelli ut Patronus colitur:

ibi ecclesia

Societatis doctrinæ Christianæ.

A *ad castrum Jani corpus, ecclesia, monasterium,*

4 *Postea pag.* 32 *ait* : Ob frequentes direptiones, corpus S. Felicis ad castrum Jani, haud longe a Spoleto dissitum, delatum; prope illud primo parvum sacellum deinde ei templum superædificatum fuit, in quo adhuc quiescit : unde S. Felix Jani dictus est. Adjacent vero eidem templo S. Felicis constructæ ædes, quæ a S. Felice nomen accepere : olim Ordinis S. Benedicti monasterium, in Commendam a Sede Apostolica traditum, atque in libris Cameræ, ut vidi, taxatum. Nunc quidem auctum atque ornatum a RR. Fratribus Augustinianis ex Nicolai Papæ V decreto et concessione colitur, ut in Apostolicis litteris Fabriani anno Incarnationis Dominicæ MCCCCL. IV Kalendas Septembris, Pontificatus ejus anno quarto datis; per quas Berardus Episcopus Spoletinus, amoto ab ejusdem monasterii administratione Luca de Ballionibus tunc Commendatario, illud una cum templo dictis Fratribus Augustinianis adscripsit et adjudicavit. Quæ litteræ Apostolicæ, simul cum litteris Berardi Episcopi, in cœnobio S. Nicolai ejusdem Ordinis Fulginii asservantur. *Meminit hujus fundationis Thomas de Herrera par.* 1 *Alphabeti Augustiniani pag.* 263.

jam Augustinianum:

5 Ceterum, *inquit Donnola*, primum S. Felicis sepulcrum, sub altari ejus ecclesiæ extra Hispelli mœnia existens, etsi sacro corpore expers, Dei tamen gratia virtute supereffluens, per hæc quoque tempora ab omnibus circum vicinis urbium oppidorumque incolis, in infantium præsertim ægrotationibus, indies visitur, haud impari miraculorum gloria, quibus ejusdem S. Felicis prope Janum tumulus, sacrum corpus contegens, effulgeat. *Hæc ibi, Ludovicus Jacobillus in Catalogo Reliquiarum Umbriæ pag.* 48 *asserit*, Hispelli in ecclesia S. Laurentii, adservari os aliquod S. Felicis, Episcopi et Protectoris Hispellensis cujus corpus requiescit in suo monasterio prope Janum. *Et de eo agit Jacobillus ad diem* XXX *Octobris, arbitratus eumdem et Martanæ in agro Tudertino et Hispelli Episcopum fuisse. At Ferrarius alium ab hoc* Felice *illum statuit in Catalogo Sanctorum Italiæ, et alio generali Sanctorum qui non sunt in Martyrologio Romano. Verum Donnola opponit*, Martanam civitatem imaginariam potius quam veram deprehendi, omnibus antiquis scriptoribus incognitam : *quod poterit ad dictum* XXX *Octobris accuratius examinari.*

B *invocatur in morbis infantium.*

an etiam Martanæ Episcopus?

6 *At pro hoc* Felice *præterea certant alii : ac primo Joannes Tomous Marnavitius, eum vindicat Spalatensi Dalmatiæ metropoli, libello Romæ anno* 1643 *in typographia Reverendæ Cameræ Apostolicæ excuso. Verum anno* MDCLXI *invitati ad Palatium de Propaganda Fide, a Reverendissimo Secretario dictæ Congregationis moniti fuimus, ut fidem non adhiberemus dicto Marnavitio, ab illo Romanos deceptos, permisisse edi libros ejus in dicta typographia. Nos de Sanctis Martyribus Dalmatis, Domnio Episcopo et Sociis egimus* XI *Aprilis, ubi dicitur in Vita antiqua, quod urbe Salona a Gothis eversa corpus S. Domnii fuerit Spalatum translatum, de cujus ecclesia ac vario cultu plurima sat fuse egimus ex libris sex Joannis Lucii de regno Dalmatiæ et Croatiæ Amstelodami anno* 1668 *impressis, absque ulla hujus* S. Felicis *Episcopi Spalatensis mentione. Asserit autem Lucius lib.* 1 *cap.* 9 Spalatum, non civitatem, sed palatium quondam Diocletiani fuisse; *et lib.* 2 *cap.* 14, post Salonam a Slavis destructam, civibus se Spalatum reducentibus Joannem Ravennatem primum Archiepiscopum *datum, plurimis scilicet post Diocletiani tempora elapsis seculis, cum Laurentius Archiepiscopus floruerit anno* MLXXVI, *qui secundus censetur, etsi forsan aliquot interpositorum nomina non reperiantur.*

Non fuit saltem Spalatensis in Dalmatia

C

7 *Alter qui litem Hispellensibus infert, est Joannes Tamayus Salazar in Martyrologio Hispanico, ad hunc* XVIII *Junii, qui* Spali *in* Vasconibus S. Felicem Episcopum Accitanum animam in cruciatibus Christo viriliter obtulisse, *probat ex Luitprandi Adversariis, nuper scilicet excogitatis. Præfuit Concilio Eliberitano* Æra Hispanica CCCLXII, *apud Garziam Loaisam, sed corrigendam* Æra CCCXLII *sive anno Christi* CCCIV. Felix Episcopus Accitanus, alias *inquit Loaisa*, Auxitanus vel Aquitanus, sed legendum Accitanus. *Verum quod iste occubuerit* Martyr, *idque hoc* XVIII Maji ; *quodque idem sit, quem Usuardus aliique Martyrologii proferunt, non est satis haberi ex Adversariis istis, apud viros eruditos passim reprobatis : neque apparet ulla verosimilis occasio martyrii, tali tempore in Hispania tolerati. Edidimus ad diem* II *Maji* S. Felicem Diaconum, Martyrem Hispali in Hispania. *Quidni et lateant ejusdem nominis alii plures Episcopi et Martyres, tam in Hispania quam in Dalmatia? Non continuo tamen debent ii, quorum veneratio alteri loco magis certo est adjudicata, in Hispaniam Dalmatiamve transferri. Hæc omnia forsan clarius elucidantur in Apologia memorati Donnolæ, quam non vidimus, licet feratur Fulginii anno* 1643 *vulgata.*

D *AUCTORE G. H. neque Accitanus in Hispania Episcopus Spali occisus*

8 *Jacobus Gualla in Sanctuario Papiensi anno* 1587 *excuso lib.* 5 *cap.* 11, OttoTeutonicus, *inquit*, Imperator secundus, Salvatori nostro perpulcrum condidit oratorium, hac nostra tempestate Sanctum Felicem vocatum. Quam quidem ædem sanctissimæ Virgines Divi Benedicti Ordinis mira religione colunt, ab Imperatore ipso multis aliis privilegiis amplissimis dotatæ. In ea autem hæc veneranda Sanctorum corpora decumbunt : *e quibus primus nominatur* Felix, *cujus aliqua Vita profertur cap.* 14, *in qua dicitur* ejus sanctissimum corpus in arca media confessionis templi, ipsius nomine vocati, in præsentia jacere. *Citatur a Donnola pag.* 46 codex legendarum nonnullorum Sanctorum Papiæ anno 1523 typis Bernardini de Garaldis editus : cujus finis his verbis terminatur. Explicit Compendium seu Legendarium Sanctorum diversorum, præcipue illorum, quorum corpora in ecclesia monasterii S. Felicis requiescunt.... et adest Legenda S. Felicis *fol.* 37 *ac sequenti in Lectiones distributa : quam* de S. Felice Spalatensi *sive* Hispellensi *sumendam esse docet Donnola, cujus etiam compendium apud præfatam Guallam habetur. Eadem Vita et latius deducta seorsim anno* 1603 *excusa est Perusiæ, et Italice a Joanne Baptista Possevino in libro de Sanctis Tudertinis ibidem edito anno* 1597, *relata ad* XXX *Octobris, quo colitur* S. Felix Martanus ; *et in hisce* Martana *legitur, ubi in Papiensi* civitas Spelllate *habetur. Hæc subjungimus ut in re dubia lector dijudicet, quid sit sentiendum. Allocutiones Angelicæ in carcere et cantus in morte, adeo frequentes in sequioris notæ martyriis, ex traditione magis quam certa scientia scriptis, hic non desunt ; quod ipsum ostendit admodum serocomposita hæc Acta esse, ad imitationem aliorum similium.*

Alius S. Felix colitur Papiæ,

E

et Acta ibidem excusa videntur esse de S. Felice Hispellensi

F

ACTA MARTYRII

Juxta MS. Papiense excusa anno MDXXIII.

Temporibus Diocletiani et Maximiani Imperatorum, dum dura persecutionis ira antiqui hostis instigatione exorta est contra Christianos, ita ut, ubicumque inventi essent sanctæ religionis cultores, diversis pœnis, et cruciatibus punirentur : directus est itaque impiissimus et omni ferocitate immanior, Tarquinius nomine, a Maximiano Imperatore qui omnes Christianos ad sacrificandum compelleret : contemnentes autem jussionis suæ pœnalibus affectos injuriis sauciaret. Qua promulgatione suscepta, Tarquinius venit in civitatem quæ nuncupatur Spellate : ubi erat prudentissimus et eloquentissimus, sanctitate conspicuus Felix Episcopus, diebus, ac noctibus

Ex MS. *Episcopus Spellate,* A noctibus Christo Domino serviens. Cujus sanctitatis famam audiens Tarquinius, inquisivit ab habitatoribus loci illius, quis esset hic vir, cujus tantæ bonitatis rumor percurrit, aut cujus esset fortunæ, vel consanguinitatis. Cui respondentes, dixerunt : Iste homo incunctanter servus est Christi, cujus lingua diebus ac noctibus non cessat laudare Deum, et unitatem Trinitatis suavi eloquio populo prædicare. *comprehensus,* Hoc audito Tarquinius, nimio furore repletus, suis conspectibus aptari jussit. Quo accersito interrogans ait : Dic mihi, Felix, quis tibi hanc potestatem dedit, ut publice seducas populum a deorum nostrorum cultura, ut in prava recidant servitute, et colant Deum, quem nec Senatus constituit nec Imperatores adorant? S. Felix respondit : Major Imperator non est, quam ille qui fecit cœlum et terram et omnem animam viventem : cui serviunt Angeli, et omnes cœlorum Potestates.

2 Tarquinius dixit ; Et tu qualem Deum adoras ? Sanctus Felix respondit ; Ego et labiis et corde *fidem Christi profitetur,* Christum, adoro, Filium Dei vivi, de Maria Virgine per Spiritum sanctum natum ; qui ut nos ab idolorum culturis eriperet, carnem nostræ mortali- B tatis est dignatus accipere. Tarquinius dixit : Quam vanam superstitionem dixisti ? Hominem, quem dicis Deum, Judæi illum crucifixerunt : et qua ratione eum inter Deos adnumeras, ignoramus. Sed veni, et audi consilium meum : Sacrificia diis magnis, quibus Imperatores cervicem suam flectunt, et eris magnus, et potens in hac civitate. S. Felix respondit : Displicet consilium tuum omni habenti scientiam Dei : non enim justum est, ut derelinquam Deum seculorum omnium conditorem, et sacrificem idolis surdis, cæcis, et mutis, ex lignis, et lapidibus, et singulis metallis constructis : servus enim Christi sum : omnia supplicia tua in virtute ejus, ut quisquilias domus, despicio.

3 Tunc iratus Tarquinius, jussit eum magnis ferri *in carcere* ponderibus oneratum carceris vinculis mancipari. Eadem vero hora vox cælitus emissa est, S. Felici Episcopo dicens : Forti animo esto, Athleta, nam tecum sum ego : ne timeas ; si perseveraveris usque *cœlitus confortatur :* in finem, dabo tibi coronam immortalitatis, et gloriam inter Sanctos meos. Sanctus vero Felix Episcopus cum lacrymis clamavit ad Dominum dicens ; Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, Rex regum et Dominus dominantium, qui ades digne credentibus in te, et mihi peccatori in sancta tua confessio- C ne. Tibi nota sunt omnia, qui cordium es scrutator et renum, quoniam totis visceribus te diligo ; et propter nomen sanctum tuum terribile mori desidero. Esto adjutor meus ; ne fragilitatis timor te confitentis mentem concutiat, qui de adversitatibus solus es triumphator et rector.

4 Altera die jussit Tarquinius S. Felicem Episco- *irridet Deos,* pum exhiberi, cui et dixit : Video te bonum et prudentem, nolo ut interficiaris. Veni, et adora deos magnos, Appollinem et Herculem : et eris summus Pontifex omnium deorum nostrorum. S. Felix respondit : Quam miseri sunt dii tui, et miserrimi omnes qui eorum cultores sunt. Insensate et impie, aspice Deos, quos colis : quia oculos habent et non vident, aures habent et non audiunt, manus habent et non palpant, pedes habent et non ambulant: manibus sunt et arte singulorum constructi, qui stat, stat semper : qui sedet, numquam ad surgendum habet virtutem ; quomodo eos Deos nominas, qui sibimet ipsis nullum præbere possunt auxilium ? Tu ergo magis convertere, et crede omnipotentem Deum esse omnium creaturarum factorem, et Jesum Christum filium ejus pro redemptione hominum suscepisse D carnem ex Virgine ; quam pro peccatis nostris morti tradidit, ut omne seculum vivificaret Deus, impassibilis manens et immortalis : ipsum adoro, ipsum credo, et confiteri desidero, ut post istam vitam æternæ vitæ gloriam valeam adipisci.

5 Tarquinius vero hæc audiens convocat omnes Majores civitatis Spellate, dixitque ad eos : Quid vobis videtur de homine isto, qui sermonibus suis destruere vult virtutem deorum nostrorum ? Illi autem pariter respondentes, dixerunt : Dignus est li- *rursum in carcere* gari et mori, quia magus est. Melius est autem, ut iste solus moriatur ; quam pereant dii dominorum nostrorum. Tunc jussit eum Tarquinius iterum ferro vinctum in carcerem recludi, usque dum cogitaret qualiter eum tormentis affligeret. Audientes vero Christiani, quod sanctum virum Tarquinius interficere vellet ; cucurrerunt ad carcerem, et lacrymabiliter clamabant, dicentes : Pater sancte, oramus te, ut deprecetis Dominum nostrum, ne separeris a nobis: quoniam impiissimus Tarquinius interficere te festinat. Eadem hora astitit ei Angelus Domini in *ab Angelo roboratur ;* veste splendida, confortans eum, et dixit : Felix, noli timere, præparata tibi tormenta propter nomen Christi, quia ego missus sum, ut ab omnibus te adversis custodiam. E Tunc S. Felix cecidit in terram, et dixit : Gratias tibi ago, Domine Jesu Christe, quia dignatus es confortare me peccatorem servum tuum per Angelum tuum. Ego confiteor tibi in toto corde meo, quia tu es Deus fortissimus Protector credentium in te.

6 Eadem die jussit Tarquinius præparari craticulam ferream, et ignem subtus poni, ibique S. Felicem Episcopum a militibus extendi jussit, et assari. *in craticula ardente illæsus :* Quem cum posuissent ministri, S. Felix exclamavit voce magna, et dixit ; Miserere mihi, Domine, sicut misertus es servis tuis in camino ignis ardentis. Et continuo coruscatio magna facta est, ita ut multi Paganorum percussi fulmine morerentur ; et extincta craticula, vir Domini Felix Episcopus ab Angelo Dei incolumis est liberatus. Quod videns Tarquinius, timore concussus, dixit ministris suis, Modo certe cognovi hoc, ut locuti estis, quia magus est : per virtutem deorum meorum capitalem ei sententiam hodie dabo. Tunc congregatus est omnis populus in foro civitatis, et coram omnibus impiissimus Tarquinius sanctum virum decollari præcepit.

7 Dum vero duceretur beatissimus Felix ad palmam, multitudo Christianorum flens sequebatur eum. Ille autem exhortabatur eos blandis exhortationibus, et alloquebatur de via dicens : Non F vos, carissimi filii, hujus labilis vitæ perturbet adversitas, ut discedatis a fide Domini nostri Jesu Christi, quam meis exhortationibus creditis ; sed state viriliter et confortamini, ut ad illam gloriam, ad quam ego omni alacritate festino, pervenire possitis. Hæc audientes venerunt ad locum, ubi decollatus est beatissimus Felix a spiculatore, nomine Sevibo, in medio foro. Ubi duo chori Angelorum quasi uno ore psallebant, dicentes : Veni fili dilectissime, *decollatur.* dispensator bone, accipe coronam, quam promisit tibi Dominus noster Jesus Christus, quia recta facta via tua, et præparata est habitatio sedis tuæ. Quo audito Pagani expavescentes fugerunt ; Christiani vero occulte, cum magnis laudibus et inenarrabili gaudio, abstulerunt corpus sanctum, et sepelierunt cum honore maximo, ad laudem Domini nostri Jesu Christi, qui vivit et regnat in secula seculorum, Amen.

DE SANCTIS MARTYRIBUS CONSTANTINOPOLITANIS

URBANO, THEODORO, MENEDEMO,

ET LXXVII PRESBYTERIS, CLERICIS, LAICIS.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Cultus apud Græcos, Acta ex Socrate, tempus martyrii.

ANNO CCCLXX.

Cultus sacer.

Pervetustum *MS. Synaxarium Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod spectat ad Collegium Claromontanum Societatis Jesu Parisiis, hos nobis sanctos Martyres ad* XVIII *Maji sic profert:* Καὶ ἄθλησις τῶν ἁγίων Μαρτύρων Κληρικῶν καὶ λαϊκῶν· οὓς Οὐάλης ὁ ἀσεβὴς ἐν πλοίῳ ἐμβαλὼν τῷ πυρὶ κατέκαυσε πλησίον Δακυβίζης. Et certamen sanctorum Martyrum, Clericorum et laicorum, quos Valens impius navi impositos, igne combussit, prope Dacybizen.

B

Ob Arianorum sævitiam;

missi Nicomediam ad Valentem Imperatorem,

2 *Rem gestam late describit Socrates lib.* 4 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 13 *his verbis :* Imperator Valens, Antiochiam ire maturans, Constantinopoli decedit : qui cum venisset Nicomediam Bithyniæ, ibi ad tempus commoratur.... Tunc Constantinopoli Ariani majores spiritus sumere, et eos qui de Ecclesia erant verberando, contumeliis afficiendo, in carcerem conjiciendo, pecunia multando, omnia denique incommodorum genera, quæ erant plane intolerabilia, illis imponendo, gravissime divexare cœperunt. Illi cum hæc ferre non possent, Imperatorem deprecaturi adeunt, ut si non omnino, aliqua tamen ex parte Arianorum violentia liberarentur. Verum illud animo agitantes, longe opinione aberrarunt; præsertim cum ab eo jus suum obtinere sperarent, qui injuriarum illis allatarum auctor fuisset. Nam cum viri ordinis Ecclesiastici, octoginta numero, ad eam rem delecti (inter quos principem locum obtinebant Urbanus, Theodorus, et Menedemus) Nicomediam adventarent, Imperatorem supplices orarent, vim sibi illatam docerent, et incommoda quæ ab Arianis accepissent ei proponerent ; ille, quamquam iracundia erat supra modum in eos inflammatus, eatenus tamen eam occultavit, quoad Modesto Præfecto clam

C

dedisset mandatum, ut illos comprehensos morte multaret. Mortis genus, quoniam novum et peregrinum fuit, operæ pretium arbitror litteris ad posterorum memoriam commendare. Præfectus admodum extimescens, ne si illos palam et in oculis omnium trucidaret, multitudo impetu temerario incitata, ipsum seditiose adoriretur, simulat se in exilium illos missurum. Illi rem excelso et erecto animo ferunt.

navi impositi dein accensæ,

Præfectus itaque jubet eos in navigium imponi, perinde ac si in exilium recta abducerentur : nautis tamen in mandatis dat, ut cum ad medium pelagus perventum foret, navigium succenderent, ut hoc modo e vita migrantes, non haberent qui eos sepulturæ mandarent. Sic igitur factum est. Nam nautæ ad medium pelagus Astacenum pervecti, imperata faciunt : ipsique succenso navigio, scapham quæ sequebatur conscendentes revertuntur. Forte fortuna ventus subsolanus graviter spirat, navigiumque jam succensum tam vehementer pellit, ut celerrimo cursu per mare prolaberetur, et usque eo duraret, quoad in navale, quod Dacidizes vocatur, appelleret : ubi, pariter cum ipsis piis viris, tandem penitus absumptum est. Crebro sermone apud multos usurpatur, hoc crudele et impium facinus minime inultum fuisse. Nam statim post fames acerbissima per universam Phrygiam pervasit, ita ut complures incolæ istius regionis, exiguo temporis spatio necessitate adacti, tam Constantinopolim, quam ad alias provincias confugerent.

delati prope Dacibizen, submerguntur.

E

3 *Hæc Socrates, quæ contractius descripsit Nicephorus lib.* II *cap.* 16. *Eadem etiam refert Sozomenus lib.* 6 *Historiæ Ecclesiasticæ cap.* 14, *ubi similiter* octoginta viri Ecclesiastici *dicuntur* missi, qui libellum, in quo sua scripserant postulata, Valenti Imperatori tradiderunt. *Dein inquit,* navis secundo vento acta ad Dacibizen, qui est locus partis illius Bithyniæ quæ mari adjacet, ad portum appellitur ; quæ simul ut terram attigit, una cum ipsis viris flammis absumpta periit. *Theodoretus eamdem historiam non satis distincte narrat lib.* 4 *cap.* 21, *dum ita scribit :* Constantinopoli, Ariani, navem piis Presbyteris refertam, sine saburra in altum impulere : tum ex suis aliquot alteri navigio impositis jussere, ut Presbyterorum navem incenderent. Quo facto cum igne marique conflictantes, tandem in profundum demersi, martyrii coronam adepti sunt. *Ad hos Martyres alludit S. Gregorius Nazianzenus in Oratione ad Arianos, dum eos alloquens inter alia sic perorat ;* Quosnam Presbyteros ignis et aqua, elementa inter se contraria, diviserunt, novo et inaudito more navigantibus prælucentes, simulque cum ea navi in qua solverant conflagrantes ?

a Theodoreto Presbyteri et Martyres habiti,

laudati a S. Gregor. Nazianz.

F

4 *Contigit præfatum iter Valentis Imperatoris anno* CCCLXX, *Valentiniano et Valente* III *Augustis Consulibus, et mense Majo fuisse illum Nicomediæ colligimus, quod ex hac urbe profectus Cyzicum, ibidem legem* XVII, Quorum appellationes, *ad supra memoratum Modestum, tunc factum Præfectum Prætorii, dederit* IV *Idus Junii. Fuerunt ergo ex jam relatis Martyribus alii* Presbyteri, *uti eos appellant Nazianzenus et Theodoretus, alii* Clerici, *sive* Ecclesiastici, *et nonnulli* Laici, *uti additur in MS. Synaxario, et si forsan aliorum honestiorum famuli : submersi autem prope* Dacibizen, *Socrati* Dacidizen *portum Bithyniæ.*

Coronati anno 371.

DE SANCTA SIRA VIRGINE,

MARTYRE IN PERSIDE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

Acta ab auctore coævo Græce scripta. Dies et annus Passionis quæsitus.

ANNO DLVIII.

Acta Græca ab auctore coævo,

qui in titulo vocat Siram,

Inter thesauros Sacros, quos describendis Sanctorum Actis in Italia collegimus, primo loco censemus eos, quos in urbe Romana plurimos obtinuimus, ac dein quos Florentiæ nobis suppeditavit illustris in MSS. codicibus Bibliotheca Medicæa : in qua cum benevola Magni Ducis approbatione tres feres menses consumpsimus, atque inter alios reperimus codicem Plutei IX numero XIV signatum. In hujus folio primo continebantur Acta Martyrii S. Siræ Virginis in Perside passæ, hactenus inedita cum hoc titulo : "Ἄθλησις τῆς ἁγίας Μάρτυρος Σιρῆς, μαρτυρησάσης ἐν Περσίδι, συγγενίδος τυγχανούσης τῆς ὁσίας Γολινδοὺχ, καὶ αὐτῆς μαρτυρησάσης, ἐπὶ Πάππου Χοσρόου τοῦ νῦν βασιλεύοντος Περσίδος. Certamen sanctæ Martyris Siræ, Martyrium passæ in Perside, cognatæ S. Golinduchæ (quæ et ipsa martyrio coronata fuit) sub Chosroe avo Chosroes, qui hoc tempore regnat in Perside.

cognatam S. Golinduchæ.

2 En titulus, ex quo scimus auctorem Vitæ fuisse S. Siræ coævum, utpote qui sub Chosroe Juniore scripserit, sub cujus avo seniore Chosroe passa est ipsa S. Sira. Interim num. 18 Acta ad longum conscripta allegantur, quæ utinam aliquando inveniantur ! et num. 16 tacet Auctor, per quos et quomodo baptizata fuerit, propter præsentem rerum statum; indicans etiam tunc Christianos haud satis libere egisse, fortassis post victorias Persarum contra Christianos, quibus an. DCXIV, capta Hierosolyma et sancta Cruce abducta in Persidem, insolescebant nimium barbari. Ex hoc titulo prætera addiscimus S. Siram fuisse cognatam S. Golinduchæ illustris matronæ, quæ alias Maria dicta cohabitavit Archimago, at cœlesti viso ad Christum conversa, sub eodem seniore Chosroe, tempore Mauritii Imperatoris dira passa, ac tandem liberata, cum multa multis beneficia præstitisset, ad Christum migravit. Cui S. Golinduchæ celebrem constitutum fuisse cultum Constantinopoli in ecclesia S. Tryphonis Martyris, scimus ex Menæis Græcis Basilii Imperatoris, et præclarissimo MS. Synaxario Græco Ecclesiæ Constantinopolitanæ, quod habuimus nobis concessum a nostris Parisinis collegii Ludoviciani, in quo ad diem XII Julii longissimum ejus encomium profertur.

Ea a quibus Latine reddita?

3 Acta hæc Græca Latinitate donavit noster Conradus Janningus, qui in auxilium tantisper concessus dum primi tres tomi Maji absolverentur a prælo, interrupto litterarum humaniorum docendarum curriculo, in hac S. Sira cœpit feliciter stylum exercere. Eadem antea interpretatus fuerat, in longiorem spem nobis additus socius, P. Daniel Cardonus piæ memoriæ : sed quia titulo carebat, eo mortuo inter alias chartas inobservatus latuit ejus labor, nunc primum cum hæc prælo danda sunt in conspectum oculosque deductus; quod hic tamen indicandum putavimus ad memoriam diligentissimi viri.

Additur dies 18 Maji,

4 Referimus autem ipsam Sanctam ad diem hunc XVIII Maji quia hic præponebatur in MS. codice Græco, in quo sequebantur alia plura Acta, ad sequentes dies Maji elucidanda. Putamus enim quod hic dies sic notetur, quia ejus venerationi Ecclesiasticæ sit assignatus ob aliquam corporis translationem, aut Ecclesiæ illi constructæ dedicationem, aut aliam nobis incognitam causam, quam et nos diem servamus. Infra in Actis martyrii dicitur passa die vigesima octava μηνὸς Περιτίου qui correspondet nostro mensi Februario, ut Ἀρτεμίσιος nostro Majo : et in fine dicitur quod eidem Sanctæ, in loco Betharmais dicto strangulatæ, a fideli quodam Beato, ex Lasumis Begarmæorum vico, cui suas Reliquias vivens tradi jusserat, extructum sit oratorium : quo convenientes undique fideles, annuam ejus memoriam instaurant, ipso quo passa est die.

diversus a die Passionis,

quæ accidit an. 558

5 Passa est autem S. Sira, ut initio dicitur, anno XXVIII Chosroæ Senioris : qui annus deinde num. 26 componitur cum anno Græcorum DCCCLXX. Illa autem Græcorum Æra, qua etiam libri Machabæorum utuntur, et cujus toto Imperio Persico apud Syro Macedones usus erat in contractibus firmandis, unde etiam Æra Contractuum dicitur, Æræ vulgaris initium præcedit annis CCCXII; epocham suam habens, non in morte Alexandri, quamvis ab hoc nomen ferat; sed in anno post eam mortem duodecimo, quando Seleucus, unus ex Ducibus Alexandri, victo Antigono, Babylonem, Mediam, Susianam, aliasque Provincias Orientis in suam redigens potestatem, fundavit Imperium Syro-Macedonum, ut Chronographi notant, et ex iis Labbæus Introduct. Chronolog. parte 2 cap. 45. Hos porro CCCXII annos si detrahas ex numero annorum DCCCLXX, manebit annus DLVIII, componendus cum anno XXVIII Chosroæ, saltem inchoato : consequeturque, regnare hunc cœpisse ante Februarium (nam in Februario mortua S. Sira est) anni DXXXI, quem ejus primum annum etiam Calvisius numerat. Interim Theophanes toto quiquennio citius exordium ejus notat, sub annum Alexandrinæ Æræ DXVIII, qui est nostræ vulgaris Æræ annus DXXVI. Quod prima fronte ita se mihi objecit, acsi, quemadmodum verum Christi natalem annis quinque citius statuendum Henschenius docuit, sic etiam Epocha annorum Syro-Macedonicorum promoveri ad annos totidem posset ac deberet : nec errorem cognovi, nisi post diem hunc XVIII jam totum excusum. Recudenda ergo hæc pagina fuit, ne error perennaret, et recedendum a Theophane; eo forsitan lapso quod alicubi legerit Chosroæ a Cabade patre suo heredem et successorem designatum fuisse anno isto DXXVI, et crediderit annos ejusdem Chosrois XLVIII ab isto principio numerandos; fortassis nec sciverit Cabadem postea adhuc vixisse annis quinque, nec nisi his exactis vacuum morte sua Thronum reliquisse filio. Labbæus et alii quidam initium Chosrois ad annum DXXXII differunt, allegato Procopio : sed rem ille narrare contentus, nullos exprimit temporis quo acta sit Characteres, quare huic tam antiquæ Vitæ et ducto inde calculo securius stabitur.

anno Chosroæ 28.

Theophanes correctus.

6 Theophanem porro sic ut supra dictum errantem secutus ego, circa totam Regiam ejus temporis chronologiam, in Annot. a ad proximum cap. 1 (ne paginam 175 similiter debeam recudendam tradere) necesse habeo eamdem primam Annotationem in hunc modum reformandam antecedenter præscribere :

a Regnare cœpit Chosroes Senior anno apud Syro-Macedonas 531, inchoato a kalendis Octobris Januarium nostrum prægressi, ante anni prædicti Februarium : et regnans annis 48 pervenit usque ad 579, quando

A *quando successit ei filius* Hormisdas; *atque huic, post* **10** *annos regni per seditionem ducum exauctorato, substitutus est filius* Chosroes II *anno* 590, *sublatus e vivis anno regni sui* 39, *Christi* 628 *secundum nos, secundum Alexandrinos vero* 620 : *quem terminum, jam nimis manifeste notum prævertere non audens Theophanes, ad supplendum quinquennium quod in* Chosroe I *amiserat,* Hormisdæ *decennio annos totidem addidit; regnare eum faciens annis* 15 *et sic ad legitimum* Chosroes II *initium fere pervenit. Quid autem circa ipsum annum, quo victus est ab Heraclio II hic Chosroes et a filio Siroe necatus, idem Theophanes peccet, et cur annos* 627 *et* 628 *in unum conflaverit, diximus in Exegesi prælim.* 1 *ad* 3 *tom. Martii.* D

ΑΘΛΗΣΙΣ ΤΗΣ ΑΓ. ΜΑΡΤ. ΣΙΡΗΣ

Ex MS. Bibliothecæ S. Laurentii Florentiæ Pluteo IX *Cod.* XIV.

PASSIO S. MART. SIRÆ.

Auctore coævo, Interprete Conrado Janningo. S. J.

CAPUT I.

B *Ortus Sanctæ et educatio : visiones variæ.* E

Multa salutis monumenta, humano generi proposita, divinisque historiis ad instructionem nostram utiliter relicta sunt : nam partim verbis, quæ in illis divina quadam virtute loqui videntur, docemur virtutem, partim factis, quæ ibidem perspicue exhibentur, ad honestatem dirigimur. Sed, qui ad eximiam beneficentiam nos incitare humaniter ac variis modis nititur Deus, optime nobis consuluit ex præsentia, cum non modo scripta historia, verum ipsa quoque exemplorum inspectione oculari nostram excitavit alacritatem; sic ut prisca monumenta confirmaverit recentioribus, recentiora vero antiquis exornaverit. Quippe quæ olim a majoribus nostris ostensa sunt, stabiliuntur operibus; et quæ nunc ad imitationem illorum fiunt, illorum quoque exemplis ornantur. Hinc quidam, qui studiose vitam suam assidua virtutum consideratione dirigunt, et honestatis numquam non intuentur exemplar, desiderarunt litteris mandari illa, quæ tam fortiter coram oculis nostris gesta, quæque ad communem utilitatem omnibus profutura sunt, tum ad propriam cognitionem, tum ad memoriam posteritatis. Neque C vero virorum certamina proponimus, eorumve qui a teneris divini verbi esca enutriti sunt præclare gesta : proponimus autem, quam recte muliebris naturæ sexus vitam ordinaverit, quamque viriliter teneræ ætatis virgo, quæ impietatem Gentilium una cum lacte hauserat, dimicaverit, ne uno quidem prælio ab irruentibus adversariis superata : imo neque infirmitas naturæ ipsam debilitare, neque ardor juvenilis mentem ejus inflammare et succendere potuerunt.

Recenti adhuc memoria

utiliter scribetur S. Siræ martyrium.

2 Anno quippe vigesimo octavo Regis Persarum *a* Chosroæ apparuit, veluti purissima quædam margarita ex mediis maris fluctibus, B. Sira, pulchritudine fidei Christianæ resplendens, et magnitudine certaminis, quod Christi causa suscepit, excellens. Oriunda erat civitate, quæ *b* Chirchaseleucus dicitur; genere et stirpe, quæ uberes perpetuo fructus diabolo proferebat. Patrem habuit scientia magica insignem; qui multo tempore imperium exercuit judiciale, Magorum supremo Magistratui, quem Mauiptam ipsi appellant proximus, utpote qui doctrinam *c* Zoroastris accurate didicerat. Hic dogmata Christianorum tanto prosequebatur odio, filiamque propriam ab eorum congressu arcere tanto studio satagebat, ut neque cum Gentilibus istius regionis

a *Nata hæc patre Gentili et mago,*

b

c *prohibetur Christianorum congressu :*

Πολλαὶ τῆς σωτηρίας ἀφορμαὶ τῷ γένει τῶν ἀνθρώπων προκατεβλήθησαν, καὶ ταῖς θείαις συγγραφαῖς, πρὸς τὴν ἡμετέραν παιδαγωγίαν, χρησίμως ἐναπετέθησαν· καὶ διὰ λόγων γὰρ τῶν θειωδῶς ὑπ᾽ αὐτῶν κηρυττομένων τὴν ἀρετὴν διδασκόμεθα, καὶ δι᾽ ἔργων πάλιν τῶν ἐμφανῶς ἐγκειμένων αὐταῖς, πρὸς τὸ καλὸν ὁδηγούμεθα. Ἀλλὰ πρὸς τελείαν ἐνεργεσίαν φιλανθρώπως καὶ πολυτρόπως ἡμᾶς ὁ Θεὸς προτρεπόμενος, εὐδόκησεν ἐν τῷ παρόντι καιρῷ, μὴ μόνον ἐκ τῆς τῶν γεγραμμένων ἱστορίας, ἀλλὰ καὶ ἐξ αὐτῆς τῶν πεπραγμένων αὐτοψίας τὴν ἡμετέραν προθυμίαν ἀνακαλέσασθαι, ἵνα τὰ μὲν ἀρχαῖα διὰ τῶν νέων πιστῶνται κατορθώματα, καὶ τὰ νέα διὰ τῶν παλαιῶν κοσμῆνται πλεονεκτήματα. Καὶ γὰρ καὶ τὰ πρότερον βεβαιοῦνται διὰ τῶν ἔργων ὑποδεικνύμενα, καὶ τὰ παρόντα κοσμοῦνται τοῖς προτέροις ἀφομοιούμενα. Ὅθεν σπουδαῖοί τινες, τῇ συνεχεῖ μελέτῃ τῶν καλῶν τὸν ἑαυτὸν βίον ἰθύνοντες, καὶ πρὸς τύπον ἀεὶ τῆς ἀρετῆς ἀποβλέποντες, ἐπόθησαν ἐγγραφῆναι τὰ οὕτως ἐπ᾽ ὄψεσιν ἡμῶν διαθληθέντα, καὶ κοινῶς πρὸς ὠφέλειαν τοῖς πᾶσι λυσιτελοῦντα, πρός τε τὴν ἰδίαν ὑπόμνησιν καὶ τὴν τῶν εἰς ὕστερον εἴδησιν. Οὐ δὲ γὰρ ἀνδρὸς ἀγωνίσματα προτιθέμεθα, ἤ τινος τῶν ἐντραφέντων τοῖς θείοις διδάγμασιν ἀριστεύματα· F ἀλλὰ γυναικείας φύσεως κατορθώματα, καὶ ἐκ νέας ἡλικίας Ἑλληνικῇ δυσσεβείᾳ συντραφείσης ἀνδραγαθήματα, μὴ δὲ μιᾶς τῶν προσβαλόντων ἀθλήσεως ἐλαττούμενα· καὶ οὔτε ἀσθένεια φύσεως ταύτην ἐξέλυσεν, οὔτε νεότης τὴν διάνοιαν αὐτῆς ἀνερρίπισέν τε καὶ ὑπεχαύνωσεν.

2 Τῷ γὰρ εἰκοστῷ καὶ ὀγδόῳ ἔτει Χοσρόου τοῦ Περσῶν Βασιλέως, ἀνεφάνη καθάπερ τις καθαρὸς μαργαρίτης ἡ μακαρία Σιρὴ, ἐκ μέσου ζάλης κυμάτων τῷ κάλλει τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως διαλάμπουσα, καὶ τῷ μεγέθει τῆς δι᾽ αὐτὸν ἀθλήσεως ὑπερέχουσα. Ἐκ πόλεως μὲν γὰρ ὡρμᾶτο Χιρχασελεύκου λεγομένης, ἐκ ῥίζης δὲ καὶ γένους κατήγετο τοῦ καρποὺς ἀεὶ τῷ διαβόλῳ παρέχοντος. Πατέρα ἔσχεν τῇ διδαχῇ τῆς μαγίας ἐπίσημον, καὶ τὴν ἐπ᾽ αὐτοῖς δικανικὴν ἀρχὴν ἱκανὸν διανύσαντα χρόνον, καὶ τῇ τῶν μάγων ἡγεμονείᾳ τῇ λεγομένῃ Μαυίπτουθὰ πλησιάσαντα, ὡς τοῦ Ζωροάστρου διδασκαλίαν ἐντελῶς ἀκριβώσαντα. Τοσοῦτον δὲ τὸ τῶν Χριστιανῶν ἐμυσάττετο δόγμα, καὶ τὴν ἰδίαν θυγατέρα τῆς πρὸς αὐτοὺς ὁμιλίας διακωλύειν ἐπεμελήσατο, ὡς μὴ δὲ παρὰ τῶν τῆς χώρας ἑλληνίδων γυναικῶν συγχωρεῖν αὐτὴν ἀναστρέφεσθαι, διὰ τὸ πολλάκις αὐτὰς Χριστιανικὴν κεκτῆσθαι

συνήθειαν

A COEVO

A συνήθειαν· ἀλλὰ γυναῖκά τινα μετεστείλατο ἐκ τῆς Πάρς, οὕτως λεγομένης χώρας, καθ' ἣν πᾶσα τῆς μαγίας ἐνίδρυται πλάνη. Ὑπὸ ταύτης μὲν οὖν τῆς γυναικὸς ἀνατρέφεται, καὶ τοιαυτῇ διαγωγῇ συνεθίζεται. Μετὰ δὲ τὴν τοιαύτην ἀνατροφὴν παραχρῆμα πάλιν κὲ παιδὸς τοῖς Μάγοις παραδίδοται, καὶ τὴν βδελυρωτάτην αὐτῶν λῃρῳδίαν παιδεύεται, ὡς καὶ τὴν μυστικὴν λατρείαν ἐκτελέσαι τῆς Ἰάσθ' λεγομένην, καθ' ἣν ὡς ἐπὶ σεμνοῖς καθορθώσασιν ἐναβρύνονται. Ταῦτα δὲ περὶ αὐτῆς διεξήλθομεν, οὐ τὴν δήγησιν μηκύναι σπουδάζοντες, ἀλλὰ παραινῆσαι βουλόμενοι, ποίῳ σκότῳ καὶ τρόπῳ συνείληπτό τε καὶ συνείθιστο, καὶ πῶς τῷ φωτὶ τῆς ἀληθείας αὐθαιρέτως προσήγγισεν, καὶ τὰς τοῦ διαβόλου μεθοδείας ἐξέφυγεν.

3 Τελειωθεῖσα γὰρ ἤδη τοῖς τῆς μαγίας μαθήματι, καὶ τελειωθεῖσα τοῖς ταύτης βδελύγμασι, γέγονεν ἐν ἀκμῇ τῆς νεότητος· ὀκτωκαιδέκατον ἔτος τὴν ἡλικίαν ἄγουσα, καθ' ἣν λοιπὸν τὸ ἀγαθὸν καὶ πονηρὸν διακρίνειν πεφύκαμεν. Ἀλλ' οὐκ ἠθέτησεν τὴν ἐκ τοῦ δημιουργοῦ φυσικῶς τοῖς ἀνθρώποις ἐσπαρμένην διάκρισιν, οὐ δὲ ταῖς τρυφαῖς ἐνασχολουμένη τοῦ σώματος ἠμαύρωσεν τὴν τῆς ἀληθείας ἐπίγνωσιν· ἀλλά, κατὰ τὴν τοῦ Ἀποστόλου παράδοσιν, πάντα δοκιμάζειν ται τὸ καλὸν κατέχειν διαγορεύουσαν, παρίδεν μὲν εὐθὺς τὴν τῶν ἐμφανῶν γυναικῶν συνουσίαν, ἀπέλιπε δὲ καὶ τὴν πρὸς νέους καὶ πλουτοκομῶντας ὁμιλίαν· τὴν δὲ πρὸς τὰς εὐτελεῖς μὲν τῷ βίῳ, κοσμίους δὲ τοῖς τρόποις ἠγάπησεν ἔνταξιν, καὶ συνήθεις καὶ φίλας ἔχειν ἐσπούδαζεν. Ἀλλὰ ἐπεὶ δὴ ταύτας ηὕρισκεν τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως ἀντεχομένας, πρὸς ἐκείνας μὲν φιλοπόνως ἐποιεῖτο τὴν περὶ τοῦ δόγματος ζήτησιν, καθεαυτὴν δὲ φιλαλήθως ἐπεσκόπει τὴν τῶν Χριστιανῶν πρὸς τὰ τῶν ἑλλήνων παράθεσιν, ὡς καὶ διὰ τοῦτο πολλάκις εἰς ἐκκλησίαν ἀφανῶς εἰσιοῦσαν τῶν θείων γραφῶν ἀκροάσασθαι, καὶ τὰ ἐν αὐταῖς τελούμενα πάλιν περιεργάσασθαι. Ὁρῶσα δὲ τὸν Χριστιανισμὸν κατὰ πολὺ διαφέροντα τῇ τε τῶν δογμάτων ὀρθότητι, καὶ τῇ τοῦ βίου καθαρότητι, ἔκρινεν τοῦτο μᾶλλον προτίθεσθαι, καὶ τῆς Ἑλληνικῆς τερατολογίας ἀφίστασθαι, καὶ λοιπὸν ἐπραγματεύετο μὴ ἐκδοθῆναι ἀνδρί, καὶ ταῖς βιοτικαῖς ἐκ τούτου περισπασθῆναι μεριμναῖς. Ὡς ἐντεῦθεν ἐκκλίνειν μὲν τὴν τῶν ἀνθρώπων θέαν, ἀμαυρῶσαι δὲ καὶ τὴν τοῦ σώματος ὡραιότητα, νηστείαις ἑαυτὴν καὶ ἑτέραις κακοπαθείαις ἐκτήκουσα, καὶ κόνιν ἐσθ' ὅτε ταῖς ὄψεσιν ἐπιβάλλουσα, ἀλλὰ ἐν τούτοις χρόνῳ πολλῷ διατρίβουσα, καὶ ἑαυτὴν σωφρόνως διαφυλάττουσα.

C 4 Ὅμως διὰ φόβον τῶν Μάγων ἐμφανίζειν ἑαυτὴν ὑπεστέλλετο, ἀρκεῖν νομίζουσα πρὸς εὐσέβειαν ἐῤῥωμένην ἔχειν διάνοιαν, κἂν μή τις παῤῥησιάσηται τὴν ἀλήθειαν· οὔπω γὰρ ἐγίνωσκεν ἀναγκαῖον εἶναι πρὸς σωτηρίαν τὴν εἰς Θεὸν μετὰ παῤῥησίας ὁμολογίαν. Καρδίᾳ γάρ φησιν ἡ γραφή, πιστεύεται εἰς δικαιοσύνην, στόματι δὲ ὁμολογεῖται εἰς σωτηρίαν. Διὰ τοῦτο δὲ καὶ ὁ Κύριος ἔλεγεν· Ὅσπερ ἀρνήσηταί με ἔμπροσθεν τῶν ἀνθρώπων, ἀρνήσομαι αὐτὸν κἀγὼ ἔμπροσθεν τοῦ Πατρός μου, τοῦ ἐν οὐρανοῖς. Ἔνθεν χαλεπῇ συνέχεται νόσῳ, δι' ἧς τὴν ἑαυτῆς ἐφανέρωσεν πίστιν. Καταβαλοῦσα γὰρ τοῦ μηδαμῶς αὐτὴν ἰσχύειν ἰάσασθαι μήτε τὸ πῦρ, μήτε τὸ ὕδωρ, ἢ τὰ ἄλλα τῶν Μάγων σεβάσματα, πρὸς Θεὸν τὴν ἑαυτῆς καρδίαν ἐξέτεινεν, καὶ τῆς προσελθούσης τῷ Χριστῷ Χαναναίας ἀναδέχεται γνώμην, καὶ δι' ὧν ἐκείνην θαυμάζομεν αἰτήσασαν καὶ τὰ τοὺς κύνας ἐκ τῶν ἐκπιπτόντων ψιχίων τῆς τραπέζης τῶν κυρίων αὐτῶν τρέφεσθαι, μειζόνως αὐτὴν ἐγκωμιάζεσθαι δίκαιον, ὡς δι' αὐτῶν τῶν ἔργων ὑπὲρ τὴν τοιαύτην ὑποδείξασαν πίστιν. Αὐτὸν γὰρ τὸν χοῦν τῆς ἐκκλησίας ἱκανὸν εἶναι θαῤῥοῦσα πρὸς ἴασιν, ἐκ τούτου καθάπερ τι τῶν εἰρημένων ψιχίων παρέχειν αὐτῇ τοὺς Ἱερεῖς τῆς ἐκκλησίας ἐξήτησεν. Ἀλλ' εἷς τῶν πρεσβυτέρων, Ἰωάννης λεγόμενος, καθάπερ ὁ Χριστὸς τὴν Χαναναίαν, οὕτω καὶ τὴν ταύτης αἴτησιν ἀπώσατο, μὴ

D mulieribus ipsam versari pateretur, propterea quod illæ cum Christianis sæpe agerent familiariter : verum mulierem quamdam transmisit ex *d* Pars, ita regio appellatur, in qua errores magiæ omnes reperire licet. Ab hac igitur muliere educatur, ejusque assuescit conversationi : sic autem educata, etiamnum puella, mox committitur Magis, eorumque execrandis deliriis imbuitur, ut arcana quoque deorum sacrificia, Iasth dicta, quibus illi non aliter, quam castis quibusdam ritibus gloriantur, faceret. Hæc autem de ipsa retulimus, non amplificandæ rei studio, sed desiderio docendi, quibus tenebris involuta, quibus moribus assueta fuerit; et quomodo ad lucem veritatis accesserit sponte sua, insidiasque diaboli effugerit.

d

3 Jamque perfectam magicæ artis nefandorumque sacrorum cognitionem nacta, in flore versabatur juventæ, decimum agens et octavum annum, qua ætate ita natura comparati sumus, ut quid æquum, quid iniquum sit, possimus discernere. Hanc ipsa insitam hominibus ab artifice natura discretionem non expulit, neque deliciis corporis cognitionem veritatis extinxit : sed secundum traditionem Apostoli, E qua jubet omnia probari et quod bonum est teneri, continuo illustrium feminarum despexit cœtum, juvenumque ætate licet opibusque florentium congressione abstinuit : in earum vero mulierum, quæ vulgares genere sed vitæ integritate conspicuæ erant, consuetudinem se insinuare desiderabat, et ut tales familiares sibi atque amicas redderet dabat operam. Sed ubi comperit, has mulieres fidei adhærere Christi, diligenter apud illas de dogmatibus ejus inquisivit; apud se autem ipsa cognoscendæ veritatis studio instituebat comparationem Christianorum inter et Gentilium ritus : ita ut eadem quoque de causa ecclesiam sæpe clam ingressa sacras Scripturas audiret, et quæ in iis perfectiora erant exquereretur. Mente vero perpendens professionem Christianam admodum differre, et dogmatum rectitudine, et integritate vitæ a sua : judicavit illam potius anteponendam esse, et a portentosa Gentilium nugacitate abeundum : ac deinceps in illud unum incubuit, ut ne cui traderetur viro, neve curis ad seculum spectantibus distraheretur. Utque imposterum oculis hominum se subduceret, et corporis venustatem depravaret; inedia, aliisque asperitatibus se confecit, quandoque et caput pulvere aspersit, imo vero in hisce rebus longo tempore se exercuit, et summa cum prudentia conservavit.

inquirit in ritus Christianorum,

inedia se macerat.

F 4 Nihilominus Magorum metu reformidabat se ipsam manifestare, rata sufficere, si quis addictum constanter pietati animum gerat, tametsi fidenter et libere veritatem proloqui non audeat : nondum enim cognoverat, necessarium esse ad salutem, intrepide ac palam profiteri Deum. Corde enim, ait Scriptura, creditur ad justitiam, ore autem fit confessio ad salutem. Propterea Dominus quoque dixit, Qui negaverit me coram hominibus, negabo et ego ipsum coram Patre meo, qui in cœlis est. Hinc gravi corripitur morbo, quo fidem suam palam facere coacta est. Præsumens enim nullam sibi medelam adferre, aut ignem, aut aquam aut alios Magorum ritus posse, corde se ad Deum convertit, mulierisque Chananææ ad Christum accedentis animum sumit : quam si miramur petentem ut vel cum canibus nutriri possit micis, decidentibus ex mensa dominorum suorum; majoribus encomiis ipsam celebrari par est propterea quod ejusmodi fidem superare se operibus demonstravit. Nam templi pulverem ad recuperandam sanitatem sufficere confidens, aliquid ex illo, veluti ex dictis micis, sibi ut præberetur ab ecclesiæ Sacerdotibus petiit. Unus autem Presbyterorum, Joannes nomine, quemadmodum Christus Chananæam

Rom. 10, 10.
Matth. 10, 33.

Morbo correpta

pulverem templi pro medicina petit :

A næam, ita hanc quoque petentem repulit; fieri non posse inquiens, ut communio sit mensæ Christi cum mensa dæmoniorum : quoniam quæ sacrificant Gentiles, dæmoniis sacrificant, non Deo.

et repulsam patienter ferens

5 Quid igitur ad hæc B. Sira? Numquid in contumeliam sui accipit hunc contemptum? numquid ejusmodi aversione irritata exardescit ira, splendorem generis sui considerans? Minime : hujusmodi enim nobilitatem, non ornatum sibi, sed vilitatem adferre existimabat. Hinc, uti neglecta nulliusque numeri ancilla, increpationem ejus non modo non moleste fert; verum etiam ad imitationem istius Hæmorrhoissæ recedit, excellentiori etiam quam illa studio : quippe illa ad Dominum confugit, quem viderat esse fontem medicabilibus aquis largiter scaturientem; ista vero ad servum accessit, cum nihil ejusmodi ab ipso factum sciret. Verumtamen uti fimbriam illa vestimenti, quo Christus indutus erat, clam tangendo sanitatem consecuta est : ita hæc amictum ejus cum festinatione capiendo, valetudinem recuperavit. Talis initio flos fidei in ipsa pullulavit; tale sanitatis beneficium congruenter naturæ suæ accepit. Sed hoc quoque ut ad virtutem deduceretur, accidit : nam miraculo illo attonita nihil antiquius habuit, quam ut ad perfectam Christi familiaritatem sese applicaret : Si enim talis sanatio a servis ejus proficiscitur, inquit : quanta auxiliandi potentia in ipso Domino insit necesse est? Cogitabat igitur quomodo per sanctum baptisma digna fieret, quæ ipsi adhæreret post hac, nec a mysteriis fidei amplius abstraheretur.

tacto Sacerdotis amictu sanatur.

B

6 Verum enim vero diabolus, qui jam inde a mundi exordio homicida fuit, humanoque generi invidentissimus; neque jam cessavit domesticis illam insidiis aggredi, ac decipere, et a cognitione, quam de Deo hauserat, abducere. Nocte enim ipsi apparens increpabat, quod vestimenta Presbyteri contigisset, patriamque contempsisset traditionem. Beata vero Sira, ubi cognovit, diabolicam illam increpationem esse, divinis sese oraculis munivit. Dum ergo inciperet recitare Psalmum nonagesimum; Qui habitat in adjutorio Altissimi, in protectione Dei cœli commorabitur; audax facinus aggressus est diabolus, asseverando, se illum ipsum esse Altissimum, in cujus protectione commorantur omnes, quemque ipsa iterato invocaverat. Verum beata Virgo tertium genibus positis rogavit Dominum, ut veram sibi cognitionem largiri, omnemque contrarium errorem avertere dignaretur. Rursum autem diabolus impudenter instans respondit, Sacerdotes mentem ipsius suis fascinis irretitam tenere, utque tentationibus suis ipsam circumveniant intentos esse. Hæc vero permisit Deus, ita fieri, ut exploraret cor ejus, et malitiam fraudemque diaboli ob oculos ipsi poneret, tutioremque ab insidiis ejus redderet : ne post hac fallacibus ejusdem sermonibus in errorem adduceretur.

A diabolo Deum mentiente illusam se dolens,

C

7 Etenim ejus anima talibus diaboli dictis delusa in veterem quidem morbum recidit; sed uti errorem suum cognovit, convertens se ad Deum, propriam infirmitatem confessa est, veniamque expetiit. Misericors vero, et amator hominum Deus pœnitentiam illius respexit : præviderat quippe et gravissimam diaboli fraudem, et secuturam inde omnimodam ancillæ suæ utilitatem. Namque uno die ab hac diaboli tentatione elapso, videt per somnium, perfectam sibi cum Deo familiaritatem obtigisse : seque dehinc per gratiam ejus inter Christianos excellere. Conspexit quippe seipsam calicem fœderis tenentem, et præbentem turbis; stantemque in altissimo gradu super ipsos Sacerdotes eminere, præterea conspexit Diaconos duos, qui honoris causa tenebant funalia. Calix quippe fœderis, quem tenebat ipsa, san-

Martyrio se exaltandam alia visione intelligit.

δυνατὸν εἰπὼν, κοινωνίαν εἶναι τραπέζης Χριστοῦ μετὰ D τραπέζης δαιμονίων· ἐπεὶ δὲ ἃ θύουσιν Ἕλληνες, δαιμονίοις θύουσιν, οὐ Θεῷ.

A. COÆTO.

5 Τί οὖν ἡ μακαρία Σιρή; ἆρα πρὸς ὕβριν δέχεται τὴν ἐξουδένωσιν; ἢ πρὸς ὀργὴν διὰ τὴν τοιαύτην ἀποστροφὴν ἐρεθίζεται, λογιζομένη τὴν τοῦ γένους περιφάνειαν; οὐδαμῶς. Εὐτέλειαν γὰρ, οὐκ εὐκοσμίαν, ἡγεῖτο τὴν τοιαύτην εὐγένειαν· Ὅθεν ὡς οἷά τις παρημελημένη καὶ ἄσημος, οὕτως οὐ δυσχεραίνει τὴν ὑπ' ἐκείνου γενομένην ἐπίπληξιν· ἀλλὰ καὶ πρὸς μίμησιν τῆς αἱμοῤῥοούσης ἐκείνης ἀνάγεται, μᾶλλον δὲ καὶ μείζονα ταύτης σπουδὴν ἀναδέχεται. Ἐκείνη μὲν γὰρ πρὸς Δεσπότην κατέφυγεν, καὶ πηγὴν ἀφθόνως ἰάματα βλύζουσαν ἔβλεπεν· αὐτὴ δὲ δούλῳ προσέδραμεν, κἂν εἰ μηδὲν παρ' αὐτοῦ τοιοῦτον γενόμενον εἶδεν. Πλὴν, καθάπερ τῷ κρασπέδῳ Χριστοῦ κεκρυμμένως ἁψαμένη τῆς ἰάσεως ἔτυχεν, οὕτως αὕτη τῶν ἐκείνου περιβλημάτων ἠπειγμένως λαβομένη τῆς θεραπείας ἀπέλαυσεν. Τοιοῦτον ἐξ ἀρχῆς ἐν αὐτῇ τῆς πίστεως ἀνεβλάστησεν ἄνθος, καὶ τῆς τοιαύτης εἰς φύσεως πρόσφορον τῆς ὑγείας ἐκομίσατο χάριν. Ἀλλὰ καὶ τοῦτο πρὸς ὁδηγίαν αὐτῇ τοῦ κρείττονος γίνεται· διὰ γὰρ τὴν τοῦ θαύματος ἔκπληξιν ποθεῖ τὴν πρὸς τὸν Χριστὸν τελείαν οἰκείωσιν. Εἰ γὰρ ὑπὸ τῶν αὐτοῦ δούλων, φησὶ, E τοιαύτη σωτηρία προσέρχεται, ποία τις τῷ Δεσπότῃ βοηθείας ἰσχὺς ἐναπόκειται; Λογίζεται οὖν λοιπὸν διὰ τοῦ ἁγίου βαπτίσματος πρὸς αὐτὸν ἀξιωθῆναι συνάπτεσθαι, καὶ μηκέτι μυστηρίων διίστασθαι.

6 Ἀλλ' ὁ ἐξ ἀρχῆς ἀνθρωποκτόνος διάβολος, καὶ τῷ τῶν ἀνθρώπων διαφθονούμενος γένει, οὐδὲ νῦν ἀπώκνησεν πειράσαι ταύτην ταῖς οἰκείαις μεθοδείαις καὶ ἀποπλανῆσαι, καὶ τῆς πρὸς Θεὸν ἐπιγνώσεως ἀποστῆσαι. Νυκτὸς γὰρ αὐτῇ φανεὶς ἐπέπληττεν, ὡς ἁψαμένη τῶν ἱματίων τοῦ Πρεσβυτέρου, καὶ πατρῴων ὑπεριδούσῃ παραδόσεων. Ἡ δὲ μακαρία Σιρὴ ἐπιγνοῦσα διαβολικὴν εὐέργειαν εἶναι, τοῖς θείοις ἑαυτὴν λογίοις ὠχύρωσεν. Ἀρξαμένης δὲ λέγειν τὸν ἐνενηκοστὸν ψαλμὸν, Ὁ κατοικῶν ἐν βοηθείᾳ τοῦ ὑψίστου, ἐν σκέπῃ τοῦ Θεοῦ τοῦ οὐρανοῦ αὐλισθήσεται, πρὸς πολλὴν τολμηρίαν ἐχώρησεν ὁ διάβολος, ἑαυτὸν λέγων εἶναι τὸν ὕψιστον, οὗτινος ἐν τῇ σκέπῃ πάντες αὐλίζονται, καὶ ὃν αὐτὴ πάλιν ἐπεκαλέσατο. Ἡ δὲ μακαρία Σιρὴ τρίτον γονατίσασα παρεκάλει τὸν Κύριον, γνῶσιν ἀληθινὴν αὐτῇ δωρηθῆναι καὶ πᾶσαν τὴν ἐναντίαν πλάνην ἐκτρέπεσθαι. Ὁ δὲ διάβολος πάλιν ἀναιδῶς ἐνιστάμενος ἀπεκρίνατο, τοὺς Ἱερεῖς, λέγων, τὴν αὐτῆς αἰχμαλωτίζειν διάνοιαν, τοῖς πειρασμοῖς αὐτὴν περιελαθῆναι παρασκευάζοντας. Ταῦτα δέ γε ἐάσαι Θεὸς συνεχώρησεν, τὴν καρδίαν αὐτῆς δοκιμάσαι βουλόμενος, καὶ τὴν ἐκείνου πονηρίαν τε καὶ πανουργίαν αὐτῇ παραστῆσαι, καὶ ἀσφαλεστέραν αὐτὴν πρὸς τὰς αὐτοῦ μεθοδείας ἐργάσασθαι, ὡς μηκέτι τοῖς ἀπατηλοῖς αὐτοῦ λόγοις ὑπάγεσθαι. F

7 Καὶ γὰρ ἐκ τῶν οὕτως ὑπὸ τοῦ διαβόλου λεχθέντων τὴν ψυχὴν δελεάζεται, καὶ τῇ αὐτῇ πάλιν συλλαμβάνεται νόσῳ· ἀλλὰ τὸ πλημμελὲς αὐτῆς ἐπιγνοῦσα, καὶ πρὸς Θεὸν ἐπιστρέψασα, τὴν οἰκείαν ἀσθένειαν ὡμολόγησεν, καὶ συγχώρησιν ᾔτησεν. Ὁ δὲ οἰκτίρμων Θεὸς καὶ φιλάνθρωπος τὴν μετάνοιαν αὐτῆς προσεδέξατο· προῄδει γὰρ καὶ τὴν τοῦ διαβόλου χαλεπὴν δολιότητα, καὶ τὴν τῆς αὐτοῦ δούλης τελείαν ἐπιτηδειότητα. Καὶ γὰρ μετὰ μίαν ἡμέραν τοῦ αὐτὴν ὑπὸ τοῦ διαβόλου σαλευθῆναι, βλέπει κατ' ὄναρ τὴν γινομένην αὐτῇ πρὸς Θεὸν τελείαν οἰκείωσιν, καὶ τὴν ἐντεῦθεν αὐτῇ παρὰ Χριστιανοῖς ἐπιχορηγουμένην ὑπὸ τῆς χάριτος ὕψωσιν. Ἐθεάσατο γὰρ ἑαυτὴν ποτήριον σπονδῆς κατέχουσαν καὶ τοῖς ὄχλοις παρέχουσαν, ἱσταμένην ἐπί τινος ὑψηλοῦ βαθμοῦ καὶ αὐτῶν τῶν Ἱερέων ὑπερέχουσαν, καὶ δύο Διακόνους πρὸς τιμὴν ἑαυτῆς λαμπάδας κατέχοντας· τὸ μὲν γὰρ κατέχειν αὐτὴν

A. COÆVO.

A τὴν ποτήριον σπονδῆς, τὸ ὑπὲρ Χριστοῦ σπενδόμενον αὐτῆς ὑπεδείκνυεν αἷμα, καὶ τούτῳ τῷ αἵματι τῆς ἀθλήσεως αὐτῆς εὐλογηθῆναι λαοὶ κατηπείγοντα· δι' ἣν ὑψοῦται, καὶ αὐτῶν τῶν Ἱερέων προτιμᾶται τῶν ἐν ἀνέσει τὴν οἰκείαν ζωὴν διεκτελεσάντων, ὡς ἑαυτὴν διὰ τῆς τοιαύτης ἀθλήσεως θυσίαν τῷ Θεῷ προσάγουσα, καὶ διὰ τοῦτο καὶ διὰ τῶν λειτουργῶν τοῦ Δεσπότου αὐτῆς μετὰ λαμπτήρων δορυφορεῖται, ὡς ὑπὲρ τὴν ἰδίαν ζωὴν αὐτὸν ἀγαπήσασα.

8 Τοῦτο δὲ τὸ ἐνύπνιον πολλὴν αὐτῇ πληροφορίαν ἐποίησεν, καὶ ἐνιαυτὸν ὁλόκληρον ἔμεινεν ἐῤῥωμένην ἔχουσα πίστιν. Ἀλλὰ ἐγνωκότες οἱ συγγενεῖς αὐτῆς τὴν μὲν πατρικὴν ἀποστρεφομένην θρησκείαν, τὴν δὲ Χριστιανικὴν ἀσπαζαμένην λατρείαν, παρῄνουν αὐτῇ μαγεύειν, καὶ οὕτως τῆς τρυφῆς μεταλαμβάνειν· προσκαλοῦνται δὲ καὶ τὴν μητρυιὰν αὐτῆς, ὡς πλέον αὐτὴν πείθειν ἰσχύουσαν. Ἥτις εὐπροσώπως δῆθεν αὐτῇ συνεβούλευεν, τοὺς μὲν ἰδίους ἀδελφοὺς θεραπεύειν, καὶ τῷ Θεῷ κρυπτῶς λατρεύειν, τοιαύτης εἶναι γνώμης καὶ ἑαυτὴν ὑποφαίνουσα, καὶ αὐτὴ γὰρ πολλάκις ἠπατᾶτο, σώζεσθαι, κἂν μὴ τὴν παῤῥησίαν τῆς πίστεως ἐπιδείξηται. Τούτοις δὲ καὶ τοῖς ὁμοίοις λόγοις ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας αὐτὴν δελεάζουσα, καὶ
B τὰς ἐπαχθησομένας, αὐτῇ βασάνους καὶ θλίψεις ὑποδεικνύουσα, τὴν αὐτῆς προθυμίαν ἐσχαύνωσεν, κατὰ τὸ τῷ Ἀποστόλῳ ῥηθὲν, Φθείρουσιν ἤθη χρηστὰ ὁμιλίαι κακαί.

9 Ἀλλ' οὐ δὲ οὕτως παρεῖδεν αὐτὴν Θεὸς, ἐξ ἀσθενείας λογισμῶν τοῖς τοιούτοις συμπεριφερομένην ῥήμασιν, καὶ διὰ τοῦτο διαφόροις αὐτὴν ἀποκαλύψεσιν ανεῤῥώννυεν· χρόνου γὰρ μετὰ ταῦτα τεσσάρων μηνῶν διελθόντος καὶ μελλούσης τῆς μεγάλης νηστείας προσεγγίζειν, βουλευομένη κρύφα ταύτην διεκτελέσαι, θεωρεῖ κατ' ὄναρ τοὺς μὲν αὐτῆς ἀδελφοὺς ἐν κοπρίᾳ βεβλημένους, τὸν δὲ πατέρα πάλιν ἐπὶ κλίνης οἰκτρᾶς κατακείμενον, καὶ κλίνην ἑτέραν μεγάλην λαμπρῶς κεκοσμένην, καὶ λαὸν προτρεπόμενον αὐτὴν ἐπὶ τῆς εἰρημένης ανελθεῖν κλίνης. Πρωΐας δὲ μετὰ σπουδῆς ἐγερθεῖσα, παραγίνεται εἰς τὴν ἐκκλησίαν πρὸς Ἰωάννην, τὸν τῆς πόλεως Ἐπίσκοπον, καὶ κατὰ μέρος διεξῆλθεν τήν τε συμβᾶσαν αὐτῇ νόσον, καὶ τὴν δωρηθεῖσαν αὐτῇ διὰ πίστεως ἴασιν, ἀφηγεῖτο δὲ τὴν δι' ἐνυπνίων γενομένην πρὸς αὐτὴν ἀποκάλυψιν, καὶ παρεκάλει τοῦ ἁγίου ἀξιωθῆναι βαπτίσματος. Ταῦτα δὲ μαθὼν, ὁ Ἐπίσκοπος, καὶ πάντα λεπτομερῶς κατεξαιτάσας, καὶ τὴν αὐτῆς τε καὶ τοῦ γένους σκοπήσας κατάστασιν, ἀπεκρίνατο, λέγων μὴ δύνασθαι τοῦτο πρᾶξαι, μήπως διὰ τὸ τοῦ γένους ἐπίσημον καὶ τὸ τῆς μαγείας
C ἐπικρατὲς, ζάλην κατὰ Χριστιανῶν διαγείρει καὶ θόρυβον· εἶτα δὲ μήτε θαῤῥεῖν πρὸ τῆς δοκιμασίας ἔλεγεν, εἰ τὰς ἐκ τοῦ πολλάκις ἐπιφερομένας αὐτῇ θλίψεις ὑπομεῖναι, καὶ μὴ διὰ φόβον τὴν οἰκείαν προδώσει πίστιν χωροῦσα πρὸς ἄρνησιν. Ὅθεν διαλεχθεὶς αὐτῇ περὶ τῆς εἰς Χριστὸν πίστεως, τὰ εἰκότα παρῄνεσεν, μετὰ παῤῥησίας αὐτὴν ἐπὶ τῶν ἰδίων συγγενῶν ὁμολογῆσαι τὴν τῶν Χριστιανῶν πρότερον πίστιν, καὶ οὕτως τὴν ἐκείνων ἀντίστασιν βλέπουσαν καὶ ἑαυτὴν δοκιμάζουσαν, ἀσφαλῶς τότε προσέρχεσθαι τῷ ἁγίῳ βαπτίσματι. Τούτως οὕτως παρὰ τοῦ Ἐπισκόπου λεχθέντων ἀνεχώρησεν.

guinem ejus designabat, qui pro Christo offerebatur; et populus festinans accurrebat, ut ejusdem sanguinis generoso certamine profusi virtute benedici mererentur : propterea scilicet extollebatur, ipsisque Sacerdotibus in quiete vitam agentibus anteponitur; quia per ejusmodi certamen seipsam sacrificium Deo offerebat ; ac propterea sacris quoque Domini sui ministris funalia manu tenentibus stipabatur, quæ plus quam vitam suam ipsum amabat. D

8 Nocturna hæc visio tantam ei certitudinem attulit, ut perstiterit annum integrum stabilis in fide. Verum ubi propinqui intellexerunt, illam et a patria superstitione defecisse, et Christianam religionem amplexam esse; auctores fuere, ut magorum se redderet religioni, ac voluptatibus frueretur. Accersunt quoque novercam ipsius, upote ad persuadendum potentiorem. Hæc hilari vultu, quasi optime consulens, suadebat, ut fratribus suis obsecundaret; et Deo suo clam ancillaretur, in eadem seipsam quoque sententia esse simulans; multum decepta quod existimaret salutem se posse consequi, quamvis loquendi libertate fidem non proderet. His, similibusque sermonibus per multos dies virginem decipiens; et pœnas cruciatusque, quos ægre latura esset, objiciens, promptitudinem ejus alacritatemque retardavit; juxta Apostoli effatum, Corrumpunt mores bonos colloquia mala.

Novercæ suasionibus ferme victa

E

1 Cor. 15, 33.

9 Sed neque sic despexit illam Deus, quia ejusmodi verbis ob infirmitatem intellectus circumacta erat; quin potius ipsam novis revelationibus multifariam corroboravit. Nam quatuor mensium spatio ab inde elapso, magni quod adventabat jejunii tempus clam agere constituerat : cum ecce per quietem intuetur fratres suos in sterquilinium projectos; patrem vero in miserando lecto ex adverso decumbentèm : alterum quoque lectum intuetur permagnum, splendide ornatum, populumque ipsam, ut eum conscenderet, invitantem. Mane vero alacriter excitata in ecclesiam se confert ad urbis *e* Episcopum Joannem, narravitque per partes, quomodo et morbo correpta, et virtute fidei eodem levata fuerat : exposita deinde, quæ facta erat per quietem apparitione, rogabat ut sese sacro baptismate dignaretur. Episcopus vero, hisce perceptis, omnibusque sigillatim recognitis, tum statu et ipsius et familiæ expenso, respondit : Fas sibi non esse, id facere, ne forte tum propter eximium generis splendorem, tum propter summam Magorum potentiam, turbas et tempestatem concitaret in Christianos. Sed neque id audere se aiebat, priusquam experimento probasset, utrum afflictiones crebro inferendas posset sufferre, et propter metum non proderet fidem suam, ad abnegationem procedens. Hinc cum illa de fide Christiana disserens, ut conveniebat, suasit, ut coram propinquis suis libere profiteretur prius Christianam se esse : cumque et illorum oppositionem et seipsam esset experta, tum demum ad baptismum secure accederet : quibus in hunc modum ab Episcopo prolatis, recessit.

corroboratur novis visionibus.

e

Baptismum petens differtur donec se ipsa probarit.

F

ANNOTATA.

a Chosroes *secundum Theophanem imperare cœpit anno* 526, *proinde regni annus* 28 *convenit in annum Christi* 553 : *eique an.* 574 *mortuo successit Hormisdas filius : atque huic an.* 588 *per seditionem exauctorato Chosroes junior; qui impie cæso patre invisus Persis, confugit ad Mauritium Imperatorem : per quem sequenti mox anno* 589, *victo rebellium Duce Baram, restitutus in regnum, ipsum annis* 39 *tenuit; donec justo Dei judicio etiam ipse parricidali scelere filii sui Siroes occubuit, ab Heraclio Imperatore victus.* b *Hæc est* Seleucia, *Mesopotamiæ urbs ad Tygrim fluvium, notissima antiquis civitas,* Chirca-Seleucus, *ut ab aliis ejusdem nominis urbibus distinguatur, hic appellata, itinere unius diei ab ruinis antiquæ Babyloniæ.* c *Petrus Bisarrus lib.* 12 *Historiæ rerum Persicarum asserit,* Persas usos legibus desumptis ex Zoroastri Orismasdei disciplinis *tempore Justiniani Imperatoris. Ipse autem* Zoroaster, *antiquus valde, hasce Magicas disciplinas tradidit Persis.* Mauiptas *vero in Passione S. Pherbutæ* 22 *Apr. num.* 2, *dicitur, qui antea ibidem appellabatur* Regius vates

A vates *et* Magorum Pontifex. d Pars, *aliis* Fars *aut* Farsi, *prima regio Persidis ab aliquibus censetur,* D *ab aliis secunda post* Hyrack, *in qua* Spahan *metropolis et urbs regia. Est autem* Farsi *in medio regno, aliquot dierum itinere a Seleucia.* e *Fuerat Mesopotamia provincia Christianorum sub Antiocheno Patriarcha, sed eorum civitates, ut hæc Seleucia a Persis capta, habebant adhuc suos Episcopos.*

CAPUT II.

Christianam se professa Sira varie torquetur.

Castigata ab Angelo

Expensis igitur prudenti ratiocinatione, hinc voluptatibus et deliciis, quibus innutrita fuerat; inde vero periculis suppliciisque, quæ capiti suo imminebant, si publice magiam repudiaret, et Christianam amplecteretur fidem; terrore correpta conspexit per visionem Angelum Dei, virga ferrea se percutientem, dicentemque: Ubi illa tua, quam nuper fecisti, promissio? resiste fortiter, et Deo servi. Et hoc ipso tempore excitata, precationes suas offerebat Deo, supplicans, ne quid unquam contrarium fidei invadere mentem suam pateretur.

B

palam se Christianam profitetur,

11 Hinc bene mane accersita est a noverca, solito ut more exerceret magiam adhortante. Tum vero fidem suam profitendi cupida, acceptis lignis, quibus juxta diabolicam Zoroastris traditionem ad magias utebatur, splendido se circumdatam lumine conspexit; confirmataque, confregit ligna, sacrificium disturbavit, ignem conspuit et extinxit, tandemque surrexit dicens: Ego ad ecclesiam Christianorum me confero, nec quidquam prohibet, quo minus Christianismum profitear. His intellectis, fratres et alii propinqui tenuerunt ipsam ne egrederetur, et obfirmarunt ostia. Illa vero sic quoque jussit advocari patrem, volens coram ipso palam explicare mentem suam, licet eam ad judices adducturus: affirmabat enim, se non amplius latebras petituram; et pœnam, si quæ propterea sibi immineret, fortiter subituram. Interea propinquorum alii lacrymis indulgebant; alii suadebant, nunc minis, nunc blanditiis interpositis, ne in ista sententia persisteret, genusque suum dedecore afficeret; ne quid hujuscemodi intelligens pater, iracundia commotus, paternum ex animo expelleret affectum, ipsamque quæstioni traderet. Illa vero eorum sermonibus non præbuit aures, quin etiam conversationem sustinebat ægerrime, et tamquam perniciosam aversabatur, secundum illud evidens pronuntiatum, Qui tetigerit picem, inquinabitur: et qui communicaverit iniquo, ingredietur vias ejus. Cum autem venit pater, intellexitque quæ contra ignem et ligna magica a filia patrata essent; multas, gravesque minas proposuit spe incutiendi timorem, eamque a tali proposito absterrendi. Ipsa autem patris sui sermones aspernata, ita retorsit: Noli putare, inquiens, talibus animum meum verbis emolliri, aut a sententia Christianorum absterreri. Jussit igitur illam vinciri: cumque omnibus machinis admotis, nihil quidquam proficeret; vinctam per dies multos et quæstionibus et cruciatibus exercuit acerbe, eodemque cum Magis conclusam loco, nec cibi nec potionis quidquam accipere passus est.

spretis suorum suasionibus et minis:

Eccli. 13, 1

C

super veniens pater varie eam affligit,

atque adducta ad Mauiptam

12 Verum ubi videbat illam, ut cœperat, perseverare: coactus fuit certiorem reddere Magorum principem, qui Mauiptarum dux erat. Iste congregatis provinciæ totius Magis omnibus, in ædem Ignis accersivit S. Siram, diligenterque quæsivit, cur a majorum traditione descivisset. Ipsa vero respondens, dixit: Unusquisque intelligentiam nactus est, ut quid expediat possit discernere; neque, uti animalia, quæ ratione destituta parentum suorum vestigiis inconsiderate inhærent, ita ipse necessitate

Ἀναλογισαμένη οὖν τὴν ἄνεσιν καὶ τὴν τρυφὴν ἐν ᾗ πολυτελῶς ἀνετράφη, καὶ τοὺς κυνδίνους καὶ τὰς τιμωρίας, αἷς μέλλει περιπεσεῖν φανερῶς ἐξαρνουμένη τὴν μαγείαν, καὶ τῇ πίστει τῶν Χριστιανῶν προσερχομένη· καὶ ἔμφοβος γενομένη, εἶδεν κατ᾽ ὄναρ Ἄγγελον τοῦ Θεοῦ σιδηρᾷ αὐτὴν πλήξαντα ῥάβδῳ καὶ λέγοντα· Ποῦ ἐστιν ἡ παρά σου γενομένη πρώην ὑπόσχεσις; ἀνάστηθι καὶ λάτρευσον τῷ Θεῷ· Καὶ κατ᾽ αὐτὴν τὴν ὥραν ἐγερθεῖσα, δεήσεις τῷ Θεῷ προσέφερεν, ἱκελεύουσα μηδεμίαν αὐτὴν ἔχειν ἐν τῇ πίστει διχόνοιαν.

11 Ὅθεν τῆς μητρυιᾶς αὐτὴν ἕωθεν μεταστειλαμένης αὐτὴν, καὶ προτρεπούσης μαγεύειν κατὰ συνήθειαν, τότε τὴν ἑαυτῆς φανερῶσαι σπουδάσουσα πίστιν, λαβοῦσα τὰ ξύλα, δι᾽ ὧν ἐμάγευεν κατὰ τὴν τοῦ Ζωροάστρου δαιμονιώδη παράδοσιν, φῶς περιλάμπον αὐτὴν ἐθεάσατο, καὶ ῥωσθεῖσα τὰ ξύλα συνέθλασεν, καὶ τὴν θυσίαν ἐσκέδασεν, καὶ τῷ πυρὶ ἐπέπτυσέν τε καὶ ἔσβεσεν, καὶ ἀνέστη λέγουσα· Ἐγὼ εἰς τὴν ἐκκλησίαν τῶν Χριστιανῶν ἀπέρχομαι, καὶ φανερῶς ὁμολογεῖν τὸν Χριστιανισμὸν οὐ κωλύομαι. Ταῦτα δὲ μαθόντες οἱ ἀδελφοὶ καὶ οἱ ἄλλοι αὐτῆς συγγενεῖς, κατέσχον αὐτὴν ἐξελθεῖν ναοῦ οἴκου, καὶ τὰς θύρας ἠσφαλίσαντο. Αὐτὴ δὲ καὶ οὕτως αὐτοῖς ἐπετίθετο τὸν μεταστείλασθαι πατέρα, βουλομένη φανερῶς ἐπὶ αὐτοῦ τὴν ἰδίαν παραστῆσαι γνώμην, ἢ πρὸς τοὺς δικαστὰς αὐτὴν ἀπαγάγοι· διεβεβαιώσατο γὰρ μηκέτι ἑαυτὴν ἐπικρύπτειν, καὶ τὴν ἐντεῦθεν ζημίαν ὑπομένειν. Τῶν δὲ συγγενῶν οἱ μὲν ἔκλαιον, οἱ δὲ συνεβούλευον, ποτὲ μὲν ἀπειλοῦντες, ποτὲ δὲ κολακεύοντες, μὴ ἐπιμεῖναι τῷ τοιούτῳ φρονήματι, καὶ ποιῆσαι τὸ γένος αὐτῶν ἐπονείδιστον, μὴ δὲ μαθεῖν τι τοιοῦτον τὸν ἑαυτῆς πατέρα, καὶ πρὸς ὀργὴν ἐκ τούτου κινηθῆναι, καὶ τὴν πατρικὴν ἀποῤῥίψαι στοργὴν, καὶ βασάνοις αὐτὴν παραδοῦναι· Αὐτὴ δὲ τοῖς ἐκείνων ῥήμασιν οὐ προσέσχεν, ἀλλὰ καὶ τὴν σὺν αὐτοῖς ἀναστροφὴν ἐδυσχείραινεν, καὶ ὡς βλαβερὰν ἀπεστρέφετο, κατὰ τὸ σαφῶς εἰρημένον, ὁ ἁπτόμενος πίσσης μολυνθήσεται, καὶ ὁ κοινωνῶν ἀνόμῳ ἐνδύεται τὰς ὁδοὺς αὐτοῦ. F Ἐλθὼν δὲ ὁ πατὴρ αὐτῆς, καὶ μαθὼν τὰ παρ᾽ αὐτῆς κατὰ τοῦ πυρὸς καὶ τῶν ξύλων τῆς μαγείας γενόμενα, πολλὰς αὐτῇ καὶ δεινὰς ἐδήλωσεν ἀπειλὰς, ἐλπίζων αὐτὴν φοβῆσαι καὶ τῆς τοιαύτης προθέσεως ἀποστῆσαι. Αὐτὴ δὲ τῶν οὕτω παρ᾽ αὐτοῦ λεχθέντων περιεφρόνησεν, καὶ τοὺς αὐτοῦ λόγους διέπαιξεν, Μὴ νομίσῃς, λέγουσα, τοῖς τοιούτοις ῥήμασιν ὑποχαυνοῦσθαί με καὶ τῆς τῶν Χριστιανῶν δόξης ἀφίστασθαι. Καὶ κελεύσας αὐτὴν ἐνεχθῆναι, καὶ πᾶσαν μηχανὴν αὐτῇ προσαγαγὼν καὶ μὴ πείσας, τότε δήσας αὐτὴν, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας πικρῶς ἐβασάνισεν, καὶ Μάγοις αὐτὴν συναπέκλεισεν, μήτε τροφῆς συγχωρῶν αὐτῇ μεταλαβεῖν μήτε πόματος.

E

12 Βλέπων δὲ τοῖς αὐτοῖς αὐτὴν ἐπιμένουσαν, ἠναγκάσθη διδάξαι περὶ αὐτῆς τὸν Ἄρχοντα τῶν μάγων τὴν Μαυϊπτῶν μετερχόμενον ἡγεμονείαν· Ὅστις συναθροίσας πάντας τοὺς μάγους τῆς ἐπαρχίας, ἐν τῷ Πυρείῳ μετεστείλατο τὴν ἁγίαν Σιρὴν, καὶ περιειργάσετο τὴν αἰτίαν, δι᾽ ἣν τῆς πατρικῆς ἀπέστη παραδοσεως. Αὐτὴ δὲ ἀπεκρίνατο λέγουσα· Ἕκαστο εἴδησιν ἔχει διακρῖναι τὸ συμφέρον· καὶ οὐ, καθάπερ τὰ ἄλογα τοῖς γονεῦσιν ἀνεξετάστως ἀκολουθεῖ, οὕτως ἀνάγκη τοὺς ἀνθρώπους παρέπεσθαι. Κἀγὼ οὖν ἔκρινα τὴν τῶν Χριστιανῶν δόξαν ὠφέλιμον

A. COÆVO. λιμον εἶναι, καὶ οὐχ' ἣν οἱ γονεῖς μου κατέχουσιν. Ὁ δὲ Μαυΐπτᾶς ἀγανακτήσας εἶπεν αὐτῇ· Πολλαί σε βάσανος μὴ πειθομένην παραλαμβάνουσιν. Ἡ δὲ τῷ ἰδίῳ τραχήλῳ τὴν ἑαυτῆς ἐπιθεῖσα χεῖρα, μετὰ παῤῥησίας ἀπεκρίνατο· Τοῦτον ἐξουσίαν ἔχεις ἀποτεμεῖν· ἰδού σοι τοῦτον ἐκδέδωκα. Καὶ λοιπὸν ἐπερωτῶντος αὐτῇ τοῦ Μαυΐπτᾶ τὰ πολλὰ, ψαλμοὺς ἔλεγεν. Ἀκούσας δὲ ψαλλούσης αὐτῆς, ἐπερώτα· Τί ἐστιν ὃ λέγει. Καὶ εἰπόντων τινῶν, Χριστιανικὴν εἶναι διδασκαλίαν τὰ λεγόμενα παρ' αὐτῆς, μετεστείλατο τὸν Ἐπίσκοπον, βουλόμενος μαθεῖν παρ' αὐτοῦ κατ' ἀλήθειαν, εἰ Χριστιανῶν εἰσι ταῦτα τὰ ῥήματα. Παραγενόμενος δὲ ὁ Ἐπίσκοπος, ὑπεστέλλετο τοὺς μάγους· θεασαμένη δὲ αὐτὸν ἡ ἁγία Σιρὴ δειλίᾳ κρατούμενον, εἶπεν· Μὴ φοβηθῇς ὦ Πάτερ, ἀλλὰ μνημόνευε τῆς γραφῆς λεγούσης· Καὶ ἐλάλουν ἐν τοῖς μαρτυρίοις σου ἐναντίον Βασιλέων, καὶ οὐκ ᾐσχυνόμεν. Καὶ πάλιν· Μὴ φοβηθῆτε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι. Τότε οὖν ὁ Ἐπίσκοπος, κατ' ἀλήθειαν Χριστιανῶν εἶναι τὰ παρ' αὐτῆς λεχθέντα, διεβεβαιώσατο.

13 Καὶ λοιπὸν ἐκ τούτου θυμωθεὶς ὁ Μαυΐπτᾶς, ἐκέλευσεν κατὰ τοῦ στόματος αὐτὴν τυπτῆναι. Πολλὰς δὲ
B κολακείας καὶ ἀπειλὰς αὐτῇ προσαγαγὼν ὁ Μαυΐπτᾶς, καὶ μὴ δυνηθεὶς αὐτὴν μεταπεῖσαι, ἐκέλευσεν αὐτὴν φυλαχθῆναι τέως ἐν τῷ γονικῷ αὐτῆς οἴκῳ· ἐφοβεῖτο γὰρ, τὸ συναθροισθὲν δι' αὐτὴν πλῆθος Χριστιανῶν θεασάμενος. Αὐτὴ δὲ μετ' εὐφροσύνης εἰς τὸν γονικὸν αὐτῆς οἶκον ὑπέστρεψεν, δοξάζουσα τὸν Θεὸν ἐφ' οἷς ἠξιώθη ὑπὲρ τοῦ ὀνόματος τοῦ Χριστοῦ ἐπὶ τῶν Ἀρχόντων ἀπολογήσασθαι. Τότε δὴ καὶ ὁ Κύριος αὐτὴν δι' ἀποκαλύψεων ἀνεῤῥώννυεν· Καὶ γὰρ πολλάκις καὶ δι' Ἀγγέλων ἐδιδάσκετο, πῶς δεῖ πρὸς τὴν κατάστασιν τῆς ἁπλότητος αὐτῆς ἀποκρίνασθαι. Ἐφάνησαν δὲ διαφόρως αὐτῇ Μωσῆς καὶ Ἡλίας, καὶ Πέτρος ὁ Ἀπόστολος, καὶ ἕτεροι τῶν Ἁγίων, καθάπερ τοῖς κατὰ πλάτος περὶ αὐτῆς γεγραμμένοις ἐμφέρεται. Ὁ δὲ Μαυΐπτᾶς, μὴ βουλόμενος τὸ γένος αὐτῆς ἐπὶ τοῦ Βασιλέως ὑβρίζεσθαι, ὑποτίθεται τῷ πατρὶ αὐτῆς κολακείαις καὶ νουθεσίαις αὐτὴν προτρέπεσθαι μᾶλλον εἴπερ ἀπειλαῖς καὶ ὕβρεσιν. Ἐλθὼν δὲ πρὸς αὐτὴν ὁ πατὴρ αὐτῆς, καὶ πολλὰ παρακαλέσας αὐτὴν, καὶ μὴ πείσας, ἀνήγγειλεν τὴν αὐτῆς ἔνστασιν τῷ Μαυΐπτᾷ. Καὶ ἐπεὶ δὴ ὁ Δὰρ (ὄνομα δὲ τοῦτο μεγάλης ἀρχῆς παρὰ Πέρσαις) εὑρέθη διατρίβων ἐν ἐκείνοις τοῖς μέρεσιν, εἶπεν αὐτῷ τὰ κατὰ τὴν ἁγίαν Σιρὴν, καταβοῶν ἅμα καὶ τῶν Χριστιανῶν, ὡς συναθροισθέντων κατ' αὐτοῦ καὶ βουλομένων αὐτὸν λιθάσαι. Ὁ δὲ Δὰρ τοὐναντίον ἐμέμψατο μὲν τὸν Μαυΐπτᾶν, ὡς μὴ διδάξαντα πρότερον αὐτὸν, καὶ οὕτως τι τοιοῦτον ποιεῖν ἐπιχειρήσαντα. Ἔπεμψεν δὲ
C πρὸς αὐτὴν τινας τῶν ἐπισήμων ἐπερωτᾷν αὐτὴν, διατί μὲν τὴν μαγείαν κατέλειψεν, τὴν δὲ τῶν Χριστιανῶν πίστιν ἠγάπησεν· εἰπεῖν δὲ πάλιν αὐτῇ, Εἰ μὲν τῆς τοιαύτης δόξης ἀντέχεται, ταῖς ἐσχάταις ὑποβάλλεται τιμωρίαις· εἰ δὲ τὴν προτέραν αὐτῶν Μάγων θρησκείαν ἀσπάζεται, βασιλικαῖς κοσμεῖται φιλοτιμίαις.

14 Παραγενομένων δὲ πρὸς αὐτὴν τῶν ταῦτα κατὰ μέρος ἀπαγγελλόντων, εἶπεν αὐτοῖς ἡ ἁγία Σιρή· Ἐγὼ μὲν ἐπεθύμουν ἐπὶ αὐτοῦ τοῦ Δὰρ ἐλθεῖν, καὶ περὶ τῆς ἀληθινῆς τῶν Χριστιανῶν δόξης ἀπολογήσασθαι, πλὴν καὶ οὕτως λέγω, τὰ δι' ἡμῶν αὐτῷ γνωσθῆναι περὶ τῶν ὑπ' αὐτοῦ δηλωθέντων ὀφείλοντα· Ἐμὲ ἡ τῆς διανοίας διάκρισις προστεθῆναι τοῖς Χριστιανοῖς παρεσκεύασεν· τὴν γὰρ τούτων δόξαν ὀρθὴν εἶναι κατέλαβον, τὸ πρεσβεύειν ἕνα Θεὸν τῶν πάντων δημιουργὸν ἰσχυρὸν, ἀνενδεῆ καὶ ἀθάνατον· τὴν δὲ μαγείαν ἀποστρέφομαι, ὡς πολλοὺς Θεοὺς παρεισάγουσαν ἀδυνάτους καὶ ἐνδεεῖς καὶ φθαρτούς· καὶ διὰ τοῦ τὰς ἐπιφερομένας ὑπὸ σοῦ τιμωρίας καταδέχομαι, ἵνα δι' αὐτῶν τῶν αἰωνίων ἀγαθῶν ἐπιτυχῶ. Ἀλλὰ μὴ ἀπατήσης σαυτὸν, ὡς διὰ λόγων ἢ ἔργων πείθεις με τῆς τοιαύτης πίστεως ἀποστῆναι. Μαθὼν δὲ ταῦτα παρὰ τῶν στελλόντων ὁ Δὰρ, θυμωθεὶς ἐκέλευσεν αὐτὴν ἐν δεσμωτηρίῳ βληθῆναι, καὶ χεῖρας καὶ

quadam adigitur alios homines sequendi. Igitur et ego statui, Christianorum sententiam commodiorem esse illa, quam parentes mei tenent. Ad hæc Mauiptas indignatus dixit : Multi cruciatus, nisi assentiaris mihi, te manent. Ipsa vero, manu suo collo imposita, summa cum libertate respondit : Hoc abscindendi facultatem habes : ecce hoc tibi jam addixi. Deinde cum multa interrogaret Mauiptas, ipsa recitabat Psalmos. Cumque eam audiret canentem, rogavit; Quid hoc est, quod dicit? Asserentibus vero nonnullis, doctrinam iis contineri Christianam; advocavit Episcopum, cupidus ab ipso doceri, utrum revera illa verba Christianorum essent. Et hic quidem adveniens metuebat Magos : sed metu perculsum intuita S. Sira, dixit : Noli timere, mi Pater, sed memor esto Scripturæ dicentis : Loquebar de testimoniis tuis in conspectu Regum, et non confundebar. Atque iterum : Nolite timere eos qui occidunt corpus, animam vero non possunt occidere. Tunc igitur Episcopus asseveravit, vere Christianorum esse quæ illa dicebantur.

D *rationem reddit mutatæ religionis;*

coram eo fidenter psallit.

Psal. 118, 46. Matth. 10, 28.

13 Propterea iratus Mauiptas, jussit os illius contundi : blanditias vero plurimas nec non minas admovens, cum a sententia dimovere ipsam nequiret, jussit tantisper in domo paterna custodiri : verebatur enim, quam illius causa confluxisse videbat, Christianorum multitudinem. Illa autem hilariter reversa est in domum paternam, laudatura Deum, quod digna fuisset habita, quæ in conspectu Principum pro nomine Christi causam diceret. Tum quoque Dominus revelationibus suis ipsam corroborabat. Etenim sæpe instruebatur ab Angelis, quomodo ad defensionem innocentiæ suæ respondendum esset. Apparuerunt quoque multifariam et Moyses, et Elias, et Petrus Apostolus, et alii Sanctorum, sicut in iis quæ ad longum de illa sunt conscripta continetur. Mauiptas autem nolens familiam illius coram Rege afficere contumelias suasit patri, ut ipse blanditiis potius monitisque, quam minis et contumeliis natam aggrediatur. Pater ergo ipsam conveniens, cum multis hortatus nihil persuaderet, renuntiavit Mauiptæ pertinaciam illius. Cumque tunc forte Dar *a* (quod nomen magnæ dignitatis est apud Persas) commoraretur in partibus illis, dixit illi, quæ gesta erant cum Sira : simul etiam vociferabatur contra Christianos, quod in perniciem ipsius convenissent, ipsumque lapidibus vellent obruere. Contra vero expostulavit Dar cum Mauipta, quod non prius significasset sibi, quam tale quid facere aggressus fuisset. Misit vero ad ipsam nonnullos e nobilium numero interrogaturos; Cur nam deseruisset magiam; fidem vero Christianam amplexa esset? ac denuo dicturos illi. Si quidem in sententia sua persistat, ultimo subjiciendam supplicio; si vero ad pristinam Magorum religionem revertatur, regali afficiendam munificientia.

In domum patris remissa E

novis revelationibus roboratur.

a

F *De ea monitus a Mauipta Dar*

14 Ubi vero accesserunt ad eam, qui hæc singillatim annuntiabant, dixit illis S. Sira : Ego quidem cupiebam venire ad ipsum Dar, et pro veritate Christiana causam dicere : verumtamen aio, quod et cognoscere debuit ex iis, qui nos apud ipsum manifestarunt; Vis discernendi menti meæ indita fecit ut Christianis adjungerer : quippe horum opinionem rectam esse deprehendi, qua constituunt unum Deum, artificem omnium, potentem, nullius indigum, et immortalem : Magiam vero exosa sum, quod multorum deorum auctor est, qui et imbecilles, et omnium egeni, et corruptibiles sunt : atque ideo, quæ mihi supplicia ingeris, libenter sustineo, ut per illa bonorum compos æternorum fiam. Sed vide sis, ne te ipse fallas, cum verbis aut operibus persuadere conaris, huic ut nuntium remittam fidei. Ubi hæc percepit Dar ex certis hominibus, ira excandescens

mittit frustra qui suadent redire ad patrios ritus.

Triduano carcere macerata

A descens jussit ipsam custodiæ mancipari, manibus pedibusque vinctam, ubi nec luminis usura frui, nec cibum, potumve gustare liceret. Tribus igitur diebus totidemque noctibus ita permansit, nequiens tum propter loci angustiam, tum propter catenarum duritiem quoquam sese vertere. Verum neque sic frangebatur sancta virgo, nec impiis illorum dogmatibus acquiescebat. Hinc illi quoque vehementius quam ante intenderunt vincula : puteo quippe egesta terra effosso, colloque virginis ad pedes usque incurvato, aliud ferri pondus ipsi imposuerunt, arctius vincula constrinxerunt, vinctamque immiserunt in puteum. Ut vero monstraret Deus, se non ex virium defectu permittere ut se timentes tentationibus pulsentur, sed desiderio explorandi quanto se amore prosequantur; nequiverunt clavos, quibus constringere vincula conabantur, apte inserere, quamvis multum laborarent, et fabrorum multitudinem convocarent; donec S. Sira clavos ipsos, signo Crucis signatos, foraminibus coaptavit.

et in foveam compingenda ipsa sibi vincula miraculo aptat.

15 Sed neque sic veritatis hostes, spectata ante oculos Crucis virtute, coerciti fuerunt. Verum aliam quoque foveam moliti sunt, non modo angustiorem B priore, sed etiam multo humore natantem, et vapores vitiatos exhalantem. Immissa vero in lacum hunc, cum putaretur ejectis inde vaporibus extincta, divinam visitationem nacta est, non absimilem illi, qua pueri Babylonii in camino ignis recreati sunt. Continuo enim calor, qui ibidem erat, refrigeratione mutatus est, lumen cœleste universam foveam illustravit, vincula de manibus et pedibus sponte sua delapsa sunt. Etenim periculum, quod in eo lacu subibat, tantum fuit, ut Christiani eo intellecto, vehementer pavefacti sint, non existimantes incolumem inde emersuram. Quamobrem Episcopus civitatis, cum Clericis omnique populo, tota nocte preces et supplicationes obtulerunt Deo, ut ope sua ipsi adesset, ferretque suppetias, quibus adjuta certamen inculpate consummaret. Diluculo autem quidam ecclesiasticorum ubi ad lacum pervenerunt, pro pestilenti halitu perfusam suavi rore auram inde erumpentem invenerunt, ipsam vero omnibus omnino vinculis liberam. Tunc sublata priori anxietate plenam animi tranquillitatem nuntio suo attulerunt Ecclesiæ; et dolore absterso hilaritate et gaudio repleverunt universos.

Ibidem divinitus recreata,

præter spem incolumis postridie reperitur,

16 Posteaquam vero S. Sira extiterat dies quindecim in lacu, agnoscentes Gentiles nihil suis se C conatibus posse proficere, præterea murmurationes quoque populi sustinere, idque maxime propter siccitatem, quæ per id tempus facta erat; eduxerunt illam e fovea ; admirantes quidem tolerantiam Virginis, virtutem vero Dei non agnoscentes. Etenim eodem ipso die, quo e foveo educta est, ingens pluvia decidit, terramque sitibundam saturavit; et omnes, qui secundum spiritum non cæcutiebant, sat clare cognoverunt, quantopere Deus honorasset famulam suam. Multa quoque alia signa exhibuit Deus illis, qui ad ipsam accedebant, vestimentisque ejus cum fide appropinquabant, sic ut etiam dæmones ejusdem orationibus abigerentur. Utque illa, quæ dicta sunt, stabiliantur ; unum multis notum, et fidelium testimonio probatum, exempli causa propono. Cum ita custodiretur in carcere, advenit dies, qua semel in anno agebatur festum Martyrum in quodam oratorio extra urbem : desiderabatque S. Sira noctu egredi, spectatura clanculum sacra pervigilia ; quidam autem fidelium, pecunia custodibus oblata, facultatem ipsi e carcere egrediendi obtinuerunt. Igitur mutato habitu ut in oratorium devenit, constitit occulte in loco quodam divinas psalmodias auditura : verum mulier quædam a dæmone insessa cœpit clamare, prædicare

inde post 15 dies educta pluviam terræ reddit,

et miraculis clarescit,

ejusque sanctitas a dæmoniaca manifestatur.

πόδας δεθῆναι καὶ μήτε φῶς θεάσασθαι, καὶ μήτε τροφῆς D καὶ πόματος γεύσασθαι. Τρεῖς οὖν ἡμέρας καὶ τρεῖς νύκτας ἔμεινεν οὕτως, μὴ δυναμένη παντελῶς περιστρέφεσθαι διὰ τὴν στενότητα τοῦ τόπου καὶ τὴν σκληρότητα τῶν δεσμῶν. Ἀλλὰ οὐδὲ οὕτως ἡ ἁγία Σιρὴ ὑπεκαυνοῦτο, καὶ τῇ ἐκείνων δυσσεβείᾳ συγκατετίθετο· ὅθεν καὶ προσθήκην τῆς προλαβούσης τῶν δεσμῶν ἐπιτάσεως ἐπέθεσαν. Λάκκον γὰρ ἐν τῇ γῇ κατορύξαντες, καὶ πρὸς τοὺς πόδας τὸν τράχηλον ἐπικάμψαντες, βάρος αὐτῇ σιδήρων ἑτέρων ἐπέθηκαν, καὶ τὰ δεσμὰ περιέσφιγξαν, καὶ οὕτως αὐτὴν τῷ λάκκῳ ἐνέβαλον. Ἵνα δὲ ὁ Θεὸς παραστήσῃ μὴ δι' ἀσθένειαν συγχωρῶν τοὺς φοβουμένους αὐτὸν πειρασθῆναι, ἀλλὰ τὴν πρὸς αὐτὸν ἀγάπην θέλων δοκιμασθῆναι, τοὺς ἥλους, δι' ὧν τὰ δεσμὰ περισφίγγειν ἐσπούδαζον, οὐ καλλῶς ἐμβολεῖν ἠδυνήθησαν, καίτοι πολλὰ μογήσαντες, καὶ πλῆθος τεχνιτῶν συναθροίσαντες, ἄχρις ἂν ἡ ἁγία Σιρὴ τῷ τύπῳ τοῦ σταυροῦ τοὺς αὐτοὺς ἥλους ἐσφράγισεν, καὶ οὕτως ταῖς ὀπαῖς ἐνηρμόσθησαν.

A. conto.

15 Ἀλλ' οὐδὲ οὕτως οἱ ἐχθροὶ τῆς ἀληθείας συνεστάλθησαν τὴν τοῦ σαυροῦ δύναμιν θεασάμενοι, ἀλλὰ καὶ ἕτερον λάκκον ἐμηχανήσαντο, οὐ μόνον τοῦ πρότου στενότερον, ἀλλὰ καὶ πολλῇ νενοτισμένον ὑγρότητι, καὶ σηπεδονώδεις ἀτμοὺς ἀναπέμποντα. Ἐμβληθεῖσα δὲ τῷ E τοιούτῳ λάκκῳ, καὶ νομισθεῖσα τοῖς ἀναδιδομένοις ἐκεῖθεν ἀτμοῖς διαφθείρεσθαι, θείας ἐπισκέψεως ἔτυχεν, κατὰ τὴν ἐν καμίνῳ τῶν Βαβυλωνίων παίδων ὁμοίωσιν. Παραχρῆμα γὰρ ἡ ἐν αὐτῷ θερμασία πρὸς κατάψυξιν μετεβλήθη, καὶ ὅλον τὸν λάκκον φῶς οὐράνιον περιέλαμψεν, καὶ οἱ δεσμοὶ τῶν χειρῶν αὐτῆς καὶ τῶν ποδῶν αὐτομάτως ἀπέπεσαν. Καὶ γὰρ τοσοῦτος ἦν τοῦ λάκκου χαλεπώτατος κίνδυνος, ὅτι καὶ Χριστιανοὶ τὴν τοιαύτην ἀνάγκην ἀκούσαντες, ἐναγώνιοι γεγόνασιν, μὴ νομίσωντες ἐκεῖθεν αὐτὴν περισώζεσθαι, Ὅθεν ὁ τῆς πόλεως Ἐπίσκοπος, μετὰ τῶν αὐτοῦ κληρικῶν καὶ παντὸς τοῦ λαοῦ διὰ πάσης τῆς νυκτὸς προσευχὰς τῷ Θεῷ καὶ δεήσεις προσέφερεν, συμπαρεῖναι τῇ δούλῃ αὐτοῦ καὶ συνεπισχύειν ὡς ἀμέμπτως διεντελέσαι τὴν ἄθλησιν· Ἕωθεν δέ τινες τῶν ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἐπὶ τὸν λάκκον παραγενόμενοι, [εὗρον]... ἀντὶ λοιμώδους ἀτμοῦ, δροσίζουσαν αὔραν ἐκεῖθεν ἀναδιδομένην, πάλιν δὲ καὶ τὴν τῶν δεσμῶν τελείαν ἀπαλλαγήν. Τότε τῇ ἐκκλησίᾳ ἀντὶ τῆς προτέρας ἀδημονίας εὐθυμίαν ἀνήγγειλαν, καὶ ἀντὶ λύπης φαιδρότητος τοὺς πάντας καὶ χαρᾶς ἐνέπλησαν.

16 Ἡμέρας δὲ δεκάπεντε ποιησαμένης τῆς ἁγίας Σιρῆς ἐν τῷ λάκκῳ, ἐγνωκότες οἱ ἕλληνες, μηδὲν τῶν ἐσ- F πουδασμένων ἀνῦσαι δυνάμενοι, ἀλλὰ καὶ γογγισμὸν ὑπομένοντες, καὶ μάλιστα διὰ τὴν συμβᾶσαν ἀβροχίαν κατ' ἐκεῖνον γενέσθαι τὸν χρόνον, ἀνήγαγον αὐτὴν ἐκ τοῦ λάκκου, τὴν μὲν αὐτῆς καρτερίαν θαυμάζοντες, τὴν δὲ τοῦ Θεοῦ δύναμιν ἐπιδεῖν οὐκ ἰσχύοντες. Καὶ γὰρ ἀνενεχθείσης ἐξ ἐκείνου τοῦ λάκκου, κατ' αὐτὴν τὴν ἡμέραν βροχὴ πολλὴ κατηνέχθη, καὶ τὴν γῆν διψῶσαν ἐχόρτασεν· καὶ πάντες οἱ τῇ ψυχῇ μὴ τυφλώττοντες ἐπέγνωσαν, πόσον ὁ Θεὸς τὴν αὐτοῦ δούλην ἐτίμησεν. Πολλὰ δὲ καὶ ἕτερα σημεῖα αὐτοῖς ἐπετέλει Θεὸς, τοῖς πρὸς αὐτὴν ἐρχομένοις, καὶ τοῖς αὐτῆς ἱματίοις μετὰ πίστεως προσεγγίζουσιν, ὡς καὶ δαίμονας διὰ τῶν αὐτῆς προσευχῶν ἀπελαύνεσθαι. Καὶ πρὸς τὴν τῶν εἰρημένων βεβαίωσιν, ἓν εἰς παράδειγμα τίθημι τὸ, πολλοῖς γινωσκόμενον καὶ παρὰ τῶν πιστῶν μαρτυρούμενον. Οὕτω γὰρ αὐτῆς ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ φυλαττομένης, ἔφθασεν ἡμέρα, καθ' ἣν ἅπαξ τοῦ ἔτους ἐπιτελεῖται σύναξις Μαρτύρων, ἔν τινι τῶν εὐκτηρίων οἴκων ἔξωθεν τῆς πολεως· Ἐπεθύμει δὲ ἡ ἁγία Σιρὴ νυκτὸς ἐξελθεῖν, καὶ ἀφανῶς τὴν παννυχίδα θεάσασθαι· καί τινες τῶν πιστῶν δόσιν τοῖς φυλάττουσιν αὐτὴν παρασχόμενοι, τῆς φυλακῆς αὐτὴν ἐξελθεῖν παρεσκεύασαν, καὶ τὸ σχῆμα ἑαυτῆς ἀλλάξασα, καὶ καταλαβοῦσα τὸν εὐκτήριον οἶκον, ἔστη κεκρυμμένως ἐν τόπῳ τινὶ τῆς θείας ψαλμῳδίας ἀκροάσασθαι· Καὶ γυνή τις ὑπὸ δαίμονος ἐνεργουμένη ἤρξατο κράζειν, καὶ τὴν ἁγίαν Σιρὴν δημοσιεύειν,

καὶ

A. COÆVO.

A καὶ τὴν ἐν αὐτῇ θείαν ἐπικαλέσασθαι δύναμιν. Καὶ ζητήσεως ἐν τῷ λαῷ περὶ αὐτῆς γενομένης τῆς μάρτυρος, εὐθέως τοῦ εὐκτηρίου ἐξελθοῦσα κατέλαβεν τὸ τὸ δεσμωτήριον. Τούτῳ οὖν τῷ τρόπῳ πᾶσιν ἐφανερώθη ἡ δωρηθεῖσα αὐτῇ παρὰ Θεοῦ χάρις. Πῶς δὲ ἐβαπτίσθη, καὶ διὰ τινων ἐπ' αὐτῇ τὸ τοιοῦτον ᾠκονομήθη μυστήριον, χρησίμως παρέρχομαι διὰ τὴν ἐνεστῶσαν κατάστασιν· τοῦτο δὲ μόνον ἐνταῦθα σημειοῦμαι τοῖς ἐντυγχάνουσιν, ὅτι κατὰ τὴν τοῦ Ἐπισκόπου γεγραμμένην ἐπαγγελίαν, ἐν τῷ καιρῷ τῶν δεσμῶν αὐτῆς ἀξιοῦται τοῦ ἁγίου βαπτίσματος, ἐν τῇ ἁγιωτάτῃ ἐκκλησίᾳ τῆς πόλεως.

17 Ἀλλ' ἐπανέλθωμεν πρὸς τὴν προκειμένην διήγησιν. Χρόνον οὐκ ὀλίγον ἐν τῷ δεσμωτηρίῳ τῆς ἁγίας Σιρῆς διατριψάσης, καὶ μέλλοντος τοῦ Πρεσβυτέρου τῶν Ῥωμαίων ἐπὶ τὴν ἰδίαν ἐπαναλῦσαι χώραν· δεδειότες οἱ μάγοι μήπως βασιλικὴν ἀνοίσῃ κέλευσιν ἀπολῦσαι αὐτὴν, ἐβουλεύσαντο πέμψαι αὐτὴν πρὸς τὸν Βασιλέα πρὸ τῆς τοῦ Πρεσβυτέρου παρουσίας, καὶ συναθροισθέντες παρῄνουν αὐτὴν τῆς τοιαύτης γνώμης ἀποστῆναι, ἵνα μὴ πέμψωσιν αὐτὴν πρὸς τοὺς ἐξουσιάζοντας οὐ μόνον βασανίσαι ἀλλὰ καὶ θανατῶσαι αὐτήν. Ἡ δὲ ἁγία Σιρὴ καὶ τὰς αὐτῶν κολακείας διέπτυσεν καὶ τὰς ἀπειλὰς αὐτῶν περιεφρόνησεν· τὸν γὰρ ὑπὲρ Χριστοῦ θάνατον ποθητὸν ἔλεγεν εἶναι, δι' ὃν αὐτὴν ἤλπιζον ἐκφοβεῖν· διὰ
B γὰρ τοῦ θανάτου τούτου τῆς αἰωνίου ζωῆς ἀπολαύειν παρέστησεν. Βλέποντες δὲ τὴν αὐτῆς παῤῥησίαν οἱ μάγοι, καὶ τὴν ἐπίμονον αὐτῆς καὶ ἀκατάπληκτον ἔνστασιν, ἔπεμψαν αὐτὴν πρὸς τὸν Βασιλέα· σφραγίσαντες τὸν τράχηλον αὐτῆς κατὰ τὴν παρ' αὐτοῖς κρατοῦσαν συνήθειαν, ἵνα μήτε ἄλλην αντ' ἄλλης οἱ παραλαμβάνοντες αὐτὴν ἀπαγάγωσιν, μήτε ἀποθανεῖν αὐτὴν προφασίσωνται· καὶ γὰρ τὴν τοιαύτην σφραγίδα χωρὶς τοῦ τμηθῆναι την κεφαλὴν ἐξενεγκεῖν οὐκ ἰσχύουσιν.

18 Ἐλθόντων δὲ μελλόντων αὐτὴν παραλαβεῖν καὶ δεδειότων, μή τινες τῶν πιστῶν αὐτὴν κατὰ τὴν ὁδὸν ἀποσπάσωσιν, καὶ κινδύνῳ δι' αὐτὴν περιπέσωσιν, παρεκάλει αὐτοῖς ἡ ἁγία Σιρὴ μηδ μίαν ἔχειν τοιαύτην διχόνοιαν· Οὐδὲ γὰρ ἀβουλήτως, φησὶ, τὰ τοιαῦτα δεσμὰ περιβέβλημαι, ἀλλὰ μετ' εὐφροσύνης αὐτὰ καταδέδειγμαι, διὰ τὴν ἐκ τούτων ἐμοὶ προγινομένην ἀπόλαυσιν· ἀλλὰ καὶ εἴ τινές με παρ' ὑμῶν ἁρπάζειν ἐπιχειρήσωσιν, ἐγὼ τούτους φεύγω καὶ πρὸς ὑμᾶς παραγίνομαι, ἵνα μὴ στερηθῶ τῶν μελλόντων ἀγαθῶν δι' ὧν τοσαύτην μέχρι τοῦ παρόντος ὑπέμεινα θλίψιν. Διὰ τῶν οὖν καὶ τῶν τοιούτων ῥημάτων ἔπεισεν παραλαβεῖν αὐτὴν ἀφόβως τοὺς στρατιώτας καὶ ἀπαγαγεῖν πρὸς τὸν Βασιλέα. Ὅθεν τινὰς τῶν πιστῶν βουλομένους διὰ χρημάτων αὐτὴν ἐμποδίσαι πρὸς Βασιλέα πεμφθῆναι, πολλοῖς κατέκρινεν ὅρκοις, μὴ διακωλύειν αὐτὴν προθυμουμένην ὑπὲρ τῆς
C τῶν Χριστιανῶν ἀγωνίσασθαι πίστεως. Νυκτὸς δὲ τῆς ἰδίας πόλεως ἐξελθοῦσα, ἵνα μὴ θόρυβος γένηται, καθ' ἕκαστον δὲ τόπον ὑπὸ τῶν πιστῶν ἐτιμᾶτο, κατὰ διαδοχὰς ὑποδεχομένων αὐτὴν καὶ προπεμπτόντων, ἄχρις οὗ τὸ Ἀλουακῶν κατέλαβεν· ἔνθα ὁ Βασιλεὺς τότε διέτριβεν· οἱ δὲ ἀπαγαγόντες αὐτὴν παρέδωκεν τῷ Δὰρ, ἐκείνης τῆς ἐπαρχίας Ἄρχοντι· ὁ δὲ καὶ δι' ἑαυτοῦ καὶ διὰ τῆς ἑαυτοῦ γυναικὸς ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας κατὰ διαφόρους ἐπεσχείρησε τρόπους, ἐλπίζων πείθειν αὐτὴν πρὸς τὴν τῶν μάγων θυσίαν ἐπανελθεῖν, καὶ διὰ τούτου δόξαν παρὰ τῷ Βασιλεῖ καὶ τοῖς Ἄρχουσι κτήσασθαι, ὡς κατορθώσας δῆθεν, ἅπερ οἱ ἄλλοι παντελῶς ἀνούειν οὐκ ἴσχυσαι.

19 Εὑρὼν δὲ τοῖς αὐτοῖς ἐπιμένουσαν, ὡς μήτε κολακείαις αὐτὴν δελεάζεσθαι, μήτε μὲν ἀπειλαῖς καταπλήττεσθαι, ἀλλὰ καὶ ταῖς τῶν μάγων παραδόσεσιν ἀντιλέγουσαν, κελεύει πρῶτον μὲν τὴν στολὴν αὐτὴν ἀποδύεσθαι καὶ ἑτέραν ῥυπαρὰν καὶ εὐτελῆ φορησίαν ἐνδύσασθαι, καὶ οὕτως εἰς παραφυλακὴν τοῖς Ἰουδαίοις ἐκδίδοσθαι. Οἱ δὲ ἀπάνθρωποι Ἰουδαῖοι, τὴν ἁγίαν Σιρὴν παραλαβόντες, καὶ εἰς ἐνδότερον οἶκον εἰσαγαγόντες, τὰς θύρας ἅμα καὶ τὰς θυρίδας ἀπέφραξαν, ὡς μηδεμίαν ἐν αὐτῷ ἔχειν αὐγὴν φωτὸς ἢ ἀέρος διάπνοιαν· παρέσχοντες αὐτῇ κρίθινον ἄρτον, τοσοῦτον τῆς συμμετρίας ἐλάττονα, ὅσον αὐτὴν μὴ λιμῷ διαφθείρεσθαι. Πρὸς τούτοις δὲ καὶ διε-

D palam sanctitatem Siræ, divinam in illa invocare virtutem: cumque inter populum quæreretur, illico relicto oratorio repetiit carcerem. Hoc igitur modo palam factum est omnibus, quanta a Deo gratia præventa esset. Quomodo autem, et quibus hoc mysterium administrantibus, baptizata sit, expedit ob præsentem rerum statum silentio præterire: id solum nunc postulantibus significo, quod secundam suprascriptam Episcopi promissionem sacrum baptisma consecuta sit, ipso vinculorum suorum tempore, in sanctissima urbis ecclesia.

17 Sed redeamus ad propositam narrationem. Cum non exiguum temporis spatium S. Sira transegisset in carcere, et *b* Legatus Romanorum reditum in suam pararet regionem; timentes Magi, ne forte regium referret mandatum, quo vinculis solveretur; consilium inierunt mittendi ipsam ad Regem antequam eo Legatus accederet: coactique in unum adhortabantur ipsam, sententiæ suæ ut renuntiaret, ut ne mitteretur ad illos, quibus potestas est non modo torquendi, verum etiam perimendi. At S. Sira eorum et execrata est adulationes, et minitationes contempsit: mortem quippe, cujus metu terrefacere ipsam sperabant, pro Christo subeundam, dixit
E perbrevem esse; illaque vitæ æternæ obtineri fruitionem docuit. Magi autem, conspecta verborum ejus libertate, perseveranteque et imperturbata constantia miserunt ipsam ad Regem: collo juxta receptam illis consuetudinem signato, ut neque aliam pro alia illi, quorum curæ tradita erat, abducerent; neque prætexere possent ipsam obiisse: neque enim possunt hujus modi sigilla auferre nisi capite amputato.

b Magi metuentes ne morti eripiatur,

Regi eam transmittunt obsignatam:

18 Venientes porro, qui eam accepturi erant, timentesque ne qui fidelium in via sibi illam extorquerent, ipsique periculum incurrerent; adhortata est S. Sira, ne quam diffidentiam haberent: Neque enim invita, inquit, hisce vinculis circumdata sum, sed ultro hilari animo sum amplexata, insolitæ voluptatis causa inde proventuræ: quin imo si qui conarentur manibus me vestris eripere, ipsa illos fugerem, ad vosque accederem, ut ne futuris illis privarer bonis, quorum causa usque in præsens tempus tantas sustinui afflictiones. Hisce igitur, similibusque verbis persuasit militibus, ut posito metu se arreptam abducerent ad Regem. Cumque fidelium nonnulli impedire pecunia vellent, ne ad Regem mitteretur, gravibus illos verbis obtestata est, ne impedimento sibi forent, unice expetenti pro Christiana
F fide decertare. Nocte vero, ne quæ turbæ comitarentur, egressa urbe sua, per singula loca obvios habuit fideles, a quibus vicissim afficiebatur honore, deducebaturque donec perveniret in *c* Aluacam urbem, ubi Rex tum temporis agebat. Qui vero deduxerant, tradiderunt illam Dar; qui ditionis istius Princeps est, is autem tum per se, tum per uxorem suam idque per multos dies diversis modis aggressus ipsam est, sperans se persuasurum, ut ad magorum sacrificia reverteretur, ideoque in honore apud Regem et Principes futurum, quia ipsam reduxisset in viam, quod alii omnino facere nequiverant.

illa se volentem ire profitetur,

c Aluacam perducta frustraque solicitata,

19 Comperto autem iisdem illam principiis insistere, ut neque blandimentis inescari, nec terriculamentis percelli posset, verum etiam obloqueretur Magorum traditionibus; jussit primo quidem exui matronalem habitum, ejusque loco aliud squalidum et vile indui vestimentum, sicque Judæis custodiendam committi. Inhumani isti S. Siram potestatis suæ factam mox in penetrale domus adduxerunt, ostiis simul fenestrisque obstructis, ut nullum inibi aut luminis splendorem aut aeris perflatum sentiret: præbebaturque hordeaceus panis, tanto minor convenienti mensura, ut esurie solum non conficeretur

Judæis datur custodienda et vexanda,

A retur. Ad hæc illudebant etiam dicentes : Ubinam isti, qui falso divulgant, manibus tuis vincula excidisse, quique multos fallaciis suis induxerunt, ut crederent? Hinc S. Sira quodam die, ejusmodi exprobrationibus indignata, oculos in cœlum sustulit; et continuo eodem quo ante modo delapsa manibus vincula sunt, ad stuporem omnium qui intuebantur.

coram quibus ejus vincula miraculose solvuntur.

20 Sic igitur illa undecim dierum spatio relicta, animadvertens Dar, nihil quidquam molitiones suas prodesse; certiorem reddidit Archimagum, commemoratis et loco, et genere, unde oriunda esset, et in sententia quam immutabilis perstaret. His intellectis, jussam adduci ad se prolixa satis oratione allocutus est Archimagus : Quid causæ est, inquiens, cur posthabita nostra religione, quæ et Regibus et Principibus in honore pretioque est, quæ late omnia gubernat, quæ sectatores suos divitiis cumulat; abjectis probrosisque Christianis te adjunxisti? Ipsa autem promptissime respondit, inquiens : Ubi nunc Regum, qui præcesserunt, coronæ? ubi Principum gloria? Ecce ista omnia cum possessoribus suis evanuerunt; ipsique instar fœni, modico florentes tempore, cito exaruerunt, ac morti improvisæ traditi B sunt, quoniam verum universi opificem non cognoverunt, et vitæ mortisque Dominum non adoraverunt; sed creaturas venerati sunt, ignemque, et aquam, et solem, et lunam cum astris reliquis coluerunt. Christiani vero pro ærumnis, quibus in præsenti sæculo affligentur, in futuro emolumentum vitæ faciunt æternæ; et pro terrena gloria qua ipsos privatis, cœlestem consequuntur vitam.

Die 12 ad Archimagum ducta

eum sapienter refutat.

21 Archimagus autem audito sermone ejus, quamque libere defensionem, pro Magis ab ipso susceptam, refutasset; et institutam contra Christianos accusationem solvisset modeste; vehementi ira succensus est, nequiens dictis ejus quidquam opponere. Existimans autem tormentorum inexpertem tam libere loqui, interrogavit; Ubinam in id usque tempus egisset. Ubi vero audiit vinculorum cruciatum, et locorum quibus inclusa fuerat angustias, Judæorum quoque quorum fuerat curæ tradita inhumanitatem; ad Judæos denuo auferri ipsam jussit, ut ab omni cum Christianis conversatione prohiberetur. Persæ vero gladium super caput ejus stringentes jurarunt, vitam ipsi eodem adimendam, utpote quæ dictis Archimagi nollet obtemperare. Igitur tres iterum dies eosdem apud Judæos, eisdem quibus ante molestiis afflictata, transegit. Cum autem Rex pararet abitum C ex urbe Aluaca, accepit illam ex regiorum carcerum præfectis quidam, multasque ei exhibuit ærumnas, non quidem Religionis causa, sed lucrum inde captans a Christianis. Ostendit autem eodem tempore Deus in ipsa miraculum inusitatum. Christianorum nonnulli occasionem nacti subjecerant ei exiguum stragulum cum tantis vinculis in nuda humo decumbenti : quo cognito, custos carceris repente ejecit illam de stragulo, vehementique dolore ipsam affecit ferreorum vinculorum pondus. Hæc autem continuo sponte sua soluta sunt : multisque admirantibus, dixerunt quidam veritatis inimici, rem tam inopinatam incantationis esse opus.

Iterum apud Judæos per triduum afflictata,

deinde includitur carceri

et vincula rursum sponte excidunt.

χλεύαζον φάσκοντες, Ποῦ ἐστιν οἱ τὰ δεσμὰ τῶν χειρῶν D σου ψευδῶς ἐκπεπτωκέναι διαφημίζοντες, καὶ πολλοὺς ὡς ἐνόμισαν ἀπατήσαντες. Ὅθεν ἡ ἁγία Σιρὴ ἐν μιᾷ τῶν ἡμερῶν, πρὸς τὸν τοιοῦτον αὐτῶν ὀνειδισμὸν δυσχεραίνουσα, τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν ἀνέτεινεν· καὶ παραχρῆμα τὰ δεσμὰ τῶν χειρῶν αὐτῆς καθάπερ τὸ πρωτον ἀπέπεσαν, ὡς πάντας τοὺς θεασαμένους αὐτὴν καταπλήττεσθαι.

A. COMBO.

20 Οὕτως οὖν ὁ Δὰρ ἐπὶ ἕνδεκα ἡμέρας ἐάσας αὐτὴν, καὶ μηδὲν τῶν ἐσπουδασμένων ἀνύσας, ἐδίδαξεν περὶ αὐτῆς τὸν Ἀρχίμαγον, ἀφηγησάμενος αὐτῷ καὶ τὴν χώραν αὐτῆς, καὶ τὸ γένος τὸ πόθεν κατάγεται, καὶ ποίαν ἀμετάθετον κέκτηται γνώμην. Ταῦτα δὲ μαθὼν ὁ Ἀρχίμαγος καὶ κελεύσας αὐτὴν ἐνεχθῆναι, πολλοὺς πρὸς αὐτὴν λόγους κατέτεινεν· Διατί, λέγων, τὴν ἡμετέραν θρησκείαν, τὴν ὑπὸ Βασιλέων καὶ Ἀρχόντων τιμωμένην καταλείψασα, τὴν πάντα διοικοῦσαν καὶ τοὺς αὐτὴν ἀγαπῶντας πλουτίζουσαν τοῖς εὐτελέσι καὶ ἐφυβριστοῖς Χριστιανοῖς προσεχώρησας; Αὐτὴ δὲ πρὸς αὐτὸν ἑτοίμως ἀπεκρίνατο, Ποῦ, λέγουσα, τῶν προτέρων Βασιλέων ὁ στέφανος, καὶ τῶν Ἀρχόντων ἡ δόξα; Ἰδοὺ πάντα ταῦτα σὺν αὐτοῖς τοῖς κεκτημένοις ἐσβέσθησαν, καὶ ὡς χόρτος πρὸς ὀλίγον ἀνθήσαντες μετὰ μικρὸν ἐξηράνθησαν, καὶ ἀνελπίστῳ θανάτῳ παρεδόθησαν, ὡς τὸν ἀληθινὸν δημιουργὸν ἀγνοήσαντες, καὶ τὸν τῆς ζωῆς καὶ θανάτου δεσπότην μὴ προσκυνήσαντες, ἀλλὰ κτίσματα σεβασθέντες, καὶ πῦρ, καὶ ὕδωρ, καὶ σελήνην, καὶ ἥλιον, μετὰ τῶν λοιπῶν ἄστρων E τιμήσαντες. Οἱ δὲ Χριστιανοί, ἀνθ' ὧν ἐν τῷ παρόντι κόσμῳ ταλαιπωρήσουσιν τῆς μελλούσης αἰωνίου ζωῆς ἀπολαύουσιν· καὶ ἀνθ' ὧν τῆς ἐπιγείου δόξης αὐτοὺς ἀποστερεῖτε, τὴν οὐράνιον αὐτοῖς ζωὴν προξενεῖται.

21 Ἀκούσας δὲ τῶν ῥημάτων αὐτῆς ὁ Ἀρχίμαγος, πῶς ἅμα καὶ τὴν ὑπὲρ τῶν μάγων γενομένην ὑπ' αὐτοῦ συνηγορίαν ἀνυποστόλως ἀπεσκευάσατο, καὶ τὴν κατὰ Χριστιανῶν προσενεχθεῖσαν κατηγορίαν εὐτάκτως ἐπελύσατο, πολλῆς ὀργῆς ἐνεπλήσθη, τοῖς λόγοις αὐτῆς ἀντειπεῖν μὴ δυνάμενος· καὶ νομίζων αὐτὴν ὡς ἄπειρον θλίψεως οὕτω παῤῥησιάσασθαι, ἐπερώτησεν ποῦ μέχρι τοῦ παρόντος διῆγεν· καὶ μαθὼν τὴν ἀνάγκην τῶν δεσμῶν, καὶ τὴν στένωσιν τῶν τόπων ἐν οἷς ἐβλήθη, καὶ τὴν τῶν Ἰουδαίων ἀπανθρωπίαν οἷς παρεδόθη, ἐκέλευσεν πρὸς τοὺς Ἰουδαίους ἀπενεχθῆναι, ὡς μηδεμίαν ὁμιλίαν πρὸς Χριστιανοὺς ἔχειν. Γυμνώσαντες δὲ ξίφος ἐπὶ αὐτῆς, ὤμοσαν δι' αὐτοῦ τὴν ψυχὴν αὐτῆς ἀφαιρεθῆναι, μὴ πειθομένης τοῖς παρὰ τοῦ Ἀρχιμάγου λεγομένοις· τρεῖς οὖν πάλιν ἡμέρας πρὸς τοὺς αὐτοὺς Ἰουδαίους ἐν τῇ προτέρᾳ θλίψει διέτριψεν Μέλλοντος δὲ τοῦ Βασιλέως ἀναχωρεῖν ἐκ τοῦ Ἀλουακῶν, παρέλαβεν αὐτὴν βασιλικός τις δεσμοφύλαξ, καὶ πολλὴν F αὐτῇ κάκωσιν ἐνεδείξατο, οὐ θρησκείας λόγον ποιούμενος, ἀλλὰ κέρδος ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν ἐκ τούτου πραγματευόμενος. Ἔδειξεν δὲ καὶ τότε ὁ Θεὸς εἰς αὐτὴν σημεῖον παράδοξον. Τινὲς γὰρ τῶν Χριστιανῶν γώραν εὑρόντες ὑπέβαλεν αὐτῇ στρῶμα μικρὸν, ὡς ἐπὶ γῆς μετὰ δεσμῶν τοσοῦτον κατακειμένῃ· καὶ τοῦτο γνοὺς ὁ δεσμοφύλαξ, ῥίπτει αὐτὴν ἀθρόως ἐκ τοῦ στρώματος, καὶ μεγάλην ὀδύνην αὐτῇ τὸ βάρος τοῦ σιδήρου τῶν δεσμῶν ἐνεποίησεν· πλὴν παραχρῆμα τὰ δεσμὰ τῶν μελῶν αὐτῆς αὐτομάτως ἐλύθησαν, καὶ πολλῶν τοῦτο θαυμασάντων, τινὲς τῶν ἐχθρῶν τῆς ἀληθείας, γοητείας ἔργον ἔλεγον εἶναι τὸ οὕτως παράδοξον γενόμενον.

ANNOTATA.

a Dar, *ut num.* 18 *et* 23 *indicatur, erat totius alicujus Provinciæ Præfectus supremus : quid autem secundum etymologiam significet, Persicæ linguæ periti docebunt. Illustre aliquid voce ea notari suadet* Darii *nomen, pluribus olim Regibus proprium.* b *Ita verto, licet Græce scribatur* Πρεσβύτερος *non* Πρεσβεὺς *vel* Πρεσβευτής*; omnino enim Legatum fuisse Justiniani Imp. mihi persuadeo : et Persicorum Legatorum vicissim Constantinopolim missorum habemus indicium apud Theophanem an.* 536. c *Græce* Ἄχρις οὗ τὸ Ἀλουακῶν κατέλαβεν. *Est apud Ptolemæum lib.* 6 *Geographiæ cap.* 2 *urbs Mediæ* Ἀλούακα Aluaca, *et sic scribendum videtur, ad quam ex urbe Seleucia iter fuit per Assyriam, quam plenam fuisse Christianis, sed tum etiam a Persis occupatam, clare patet ex martyrio S. Anastasii Persæ, a nobis illustrato die* 22 *Januarii.*

CAPUT

A

A. COMVO.

D

CAPUT III.

Alii cruciatus. Mors. Cultus.

Τοῦ δὲ Βασιλέως ἐκ τοῦ Ἀλουακῶν ἀναχωρήσαντος εἰς τόπον λεγόμενον Ῥέσανκουσάδων, ἠκολούθει καὶ αὐτὴ δεδεμένη· ᾠδὰς πνευματικὰς καὶ εὐχὰς τῷ Θεῷ καθ' ὅλην τὴν ὁδὸν μετ' εὐχαριστίας προσάγουσα. Οἱ δὲ φύλακες πολλάκις ἐπέπληξαν αὐτῇ σιωπᾷν, καὶ οὐκ ἠνέσχετο· ὅθεν καὶ διὰ ταύτην τὴν πρόφασιν τοῖς δεσμοῖς ἐπεβάρησαν· μεταστάντος δὲ κἀκεῖθεν τοῦ Βασιλέως εἰς τὸ Καρστὰ τὸ μέγα, μαθὼν ὁ Ἀρχίμαγος τὴν ἁγίαν Σιρὴν παραγενέσθαι, καὶ τὴν προτέραν γνώμην ἀμετάθετον ἐκέλευσεν αὐτὴν ἐνεχθῆναι, καὶ λέγει αὐτῇ· Ἱκανόν σοι χρόνον πρὸς διάσκεψιν ἐνδεδώκαμεν· εἰπὲ ἡμῖν, τί πλέον περὶ τῶν ῥηθέντων σοι παρ' ἡμῶν ἐβουλεύσω; Ἀπεκρίθη αὐτῷ ἡ ἁγία Σιρή· Τί πλέον εἶχον βουλεύσασθαι περὶ τῶν ἤδη καλῶς μοι δεδοξομένων; Ὁ δὲ λέγει αὐτῇ· Ἀποστήθισον τὴν μαγίαν, ἣν πρότερον ἔμαθες. Ἡ δὲ φωνῇ μεγάλῃ ψάλμους τοῦ Δαβὶδ καὶ ἑτέρας ῥήσεις γραφικὰς
B ἀπεστήθιζε.

23 Ὁ δὲ Ἀρχίμαγος ὀργισθεὶς, ἐκέλευσεν αὐτὴν ἀποδυθῆναι, καὶ τὴν κεφαλὴν αὐτῆς ἀποκαλυφθῆναι· καὶ εἶπεν αὐτῇ, Οὐδὲ νῦν αἰσχύνῃ; Λέγει αὐτῷ ἡ ἁγία Σιρή· Διατί ἔχω αἰσχυνθῆναι, οὔτε ἔκλεψα, οὔτε ἐπόρνευσα, οὔτε τι κακὸν ἕτερον ἔπραξα. Κἂν γὰρ ὑμεῖς ὡς ἄφρονες ἐξεδύσατέ με τὰ ἔξωθεν περιβλήματα, ἀλλ' οὖν ἔχω παρὰ τοῦ ἐμοῦ δεσπότου κρείττονα τούτων ἐνδύματα· δι' αὐτὸν γὰρ καὶ ἐκδέδυμαι καὶ παῤῥησιάζομαι· αὐτὸς γὰρ εἶπεν, Μὴ φοβεῖσθε ἀπὸ τῶν ἀποκτεινόντων τὸ σῶμα, τὴν δὲ ψυχὴν μὴ δυναμένων ἀποκτεῖναι. Τούτων παρ' αὐτῆς λεγομένων, ὁ μὲν Ἀρχίμαγος τοῖς ῥήμασιν αὐτῆς ἐκπεπληγμένος ἡσύχασεν· ὁ δὲ Δὰρ, Ἄρχων τῆς τῶν Χουζαϊνῶν ἐπαρχίας καθήμενος εἶπεν αὐτῇ· Δαιμόνιον ἔχεις. Λέγει αὐτῷ ἡ ἁγία Σιρή· Ἐγὼ δαιμόνιον οὐκ ἔχω, ἀλλὰ κατὰ ἀλήθειάν σοι ἀκολουθεῖ δαιμόνιον, καὶ εἰ βούλει, ποιῶ τύπον τοῦ σταυροῦ ἐν τῷ μετώπῳ σου, καὶ ἐξέρχεται ἀπό σου, καὶ ἀνοίγονται οἱ ὀφθαλμοί σου εἰδέναι τὴν ἀλήθειαν. Καὶ ταῦτα ἀκούσαντες, παραχρῆμα πάντες ἐβόησαν, Ὑπόδικός ἐστι τῷ θανάτῳ· τοὺς γὰρ Θεοὺς βλασφημεῖ, καὶ τὴν Βασιλείαν περιφρονεῖ, καὶ τοὺς Ἄρχοντας ὑβρίζει. Καὶ κατὰ μέρος ἑκάστου τῶν μάγων εἰπόντος τὴν οἰκείαν γνώμην, κατὰ τὴν αὐτῶν συνήθειαν ψῆφον θανάτου κατ' αὐτῆς ἐξεφώνησαν, καὶ τὸν τράχηλον αὐτῆς πάλιν ἐσφράγισαν, μήπως τινὲς ἑτέραν ἀντ' αὐτῆς ὑπο-
C βάλωσιν. Κελευσάντων δὲ κατ' ἐκείνην τὴν ἡμέραν αὐτὴν φονευθῆναι, τινὲς τῶν εὑρεθέντων εἰς ἕτερον καιρὸν τοῦτο ταμιεύσασθαι συνεβούλευσαν, δεδειότες τὴν ὑπὸ τῶν Χριστιανῶν ἐπανάστασιν, ἑτοίμων γενομένων ἑαυτοὺς ἐκδοῦναι εἰς θάνατον, ἢ τὸν ἐκείνης φόνον θεάσασθαι.

24 Διὰ τοῦτο οὖν ἀρχιπέζῳ τινὶ παραδίδοται, φυλάττοντι καὶ Χριστιανοὺς ἑτέρους ἐκ διαφόρων ἐπαρχιῶν διὰ τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ δεδομένους. Ἐλθοῦσα δὲ πρὸς αὐτοὺς ἡ ἁγία Σιρὴ, πολλὴν αὐτοῖς παραψυχὴν ἐνεποίησεν, θεασαμένοις τὸ τῆς ψυχῆς αὐτῆς ἀκατάπληκτον, ὅτι μετ' εὐφροσύνης τὸν ὑπὲρ Χριστοῦ κατεδέξατο θάνατον. Προσεγγίσαντος δὲ τοῦ καιροῦ καθ' ὃν ὁ Βασιλεὺς εἰς τὰς πόλεις τοῦ Βηθαρμαῆς παραχειμάζει κατὰ συνήθειαν· ἀπηνέχθη σὺν ἄλλοις δεσμίοις καὶ αὐτὴ ἡ ἁγία Σιρὴ εἰς τὸ δεσμωτήριον τούτων τῶν πόλεων. Καὶ συμβάσης αὐτῇ χαλεπῆς ἀῤῥωστίας, ἐδυσφόρει μήπως διὰ τῆς νόσου τὸν βίον ἐπεξελθῇ, καὶ τοῦ μαρτυρίου ἀνάξιος γένηται· καὶ διὰ πολλῶν καὶ συνεχῶν δακρύων ἐδέετο φυλαχθῆναι τὴν ψυχὴν αὐτῆς, ἵνα δι' αἵματος ἐκτελέσθῃ τὴν ἄθλησιν, δι' ἣν τὰς τοσαύτας βασάνους ὑπέμεινεν. Καὶ ἤκουσεν ὁ Θεὸς τῆς ἱκεσίας αὐτῆς, καὶ τελείαν αὐτῇ τὴν ὑγείαν ἀνεχαρίσατο· καὶ μετὰ τὴν ὑγείαν αὐτῆς ἐβουλεύσαντο λοιπὸν αὐτὴν ἀποκτεῖναι, καὶ πληγαῖς διαφόροις τὸ σῶμα αὐτῆς πολλάκις ᾐκίσαντο.

25 Ἑνὶ δὲ τῶν φυλαττόντων αὐτὴν ὑπέβαλεν ὁ διά-

Porro abeuntem Aluaca Regem in locum appellatum Rhesancusadon, secuta est ipsa quoque ligata, cantus spirituales et orationes Deo per totam viam cum gratiarum actione offerens. Custodes autem increpabant ipsam sæpius, nec ideo destitit ab instituto : quare hanc etiam ob causam vinculis gravata est. Inde quoque se recipiente Rege in magnum Karsa, ubi audiit Archimagus S. Siram adventasse, in priori sententia obstinate perstantem; jussit illam adferri dixitque : Longum satis ad deliberandum tempus tibi concessimus; dic nobis, Quid illorum, quæ tibi proposuimus, anteferendum statuisti? Respondit S. Sira : Quid amplius statuendum habeo de iis, quæ jam bene mihi probata fuerunt? Qui dicit illi : Magiam, quam primum didicisti, ex pectore deprome. Ipsa E vero clara voce deprompsit Psalmos Davidis, aliàsque orationes Biblicas.

Regis iter comitata in vinculis

cantandis Psalmis se solatur.

23 Archimagus autem iratus jussit vestibus illam exui, et caput nudum exhiberi, dixitque : Nondum etiam pudore suffunderis? Ait illi S. Sira : Cur autem suffunderer? Neque furata, nec fornicata sum, nec quidquam aliud patravi sceleris. Quamvis enim vos, furiosorum instar, exuatis me vestimentis, ea quæ extra sunt tegentibus : at habeo certe a Domino meo vestimenta hisce multo meliora : ipsius enim causa et nudata sum, et libere loquor. Nam ipse dixit : Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. Matt. 10. 28 Illius hæc dicentis sermone perculsus Archimagus, quievit. Porro Dar, Princeps Provinciæ Chuzainorum, illi assidens, dixit ei : Dæmonium habes. Ait ipsi S. Sira : Ego dæmonium non habeo : sed verissime te insequitur dæmonium : et, si vis, signo frontem tuam signo Crucis, et egredietur ex te, et aperientur oculi tui, ut agnoscas veritatem. Quibus auditis, continuo clamarunt omnes : Rea est mortis : nam et Deos blasphemat, et regnum contemptui habet, et Principibus insultat. Tum viritim unoquoque magorum, ut ibi usus obtinuit, proferente sententiam suam, mortis sententia contra ipsam pronuntiata est : collumque iterum signarunt, ne qui aliam forte pro ipsa substituerent. Cumque juberent illa die interfici; qui- F dam præsentium auctores fuere, ut res in aliud tempus differretur, veriti seditionem Christianorum, paratorum se ipsos morti potius opponere, quam illius cædem intueri.

Coram Archimago vestibus nudatur,

dæmoniaca dicitur,

morti adjudicatur.

24 Tradita est ergo cuidam peditum Præfecto, alios etiam Christianos ex diversis provinciis propter Christi nomen captos asservanti : ad quos ingressa S. Sira multam attulit consolationem videntibus tranquillitatem animæ ipsius, et quanta cum hilaritate sententiam mortis pro Christo subeundæ recepisset. Instante vero tempore, quo Rex in civitatibus Bethermaes pro more hibernaturus erat, abducta est cum aliis captivis etiam S. Sira, ad illarum civitatum carceres. Cumque gravis ægritudo ipsam incesseret, mœstissimo fuit animo, metuens, ne forte morbo extincta, martyrii palma privaretur; uberibusque et assiduis cum lacrymis precabatur, ut conservata aliquantulum vita, fuso sanguine consummaret certamen, cujus causa tot quæstiones cruciatusque subierat. Deus quoque supplicantem audivit, et perfecta iterum donavit sanitate : qua restituta, deliberatum de cæde ipsius, multisque vulneribus in corpus sævitum est.

Sed tantisper dilata

morboque correpta,

sanitatem impetrat

25 Suggessit autem diabolus uni custodum, ut cum

constuprare eam volens miles

A cum ea concumberet, corrumperetque. Rogavit igitur Præfectum peditum, sibi ut liceret rem istam opere complere; acceptaque facultate, accessit ad ipsam, mentem suam expleturus. Verum qui ancillæ suæ cautum voluit Deus, percussit illum in oculis, auribus, et lingua, ut cæcus, surdus, et mutus esset; cadensque pronus in faciem ignotum emisit clamorem. Præfectus autem pro eo quod debuisset admirari divinam potentiam, et deflere audacem illum qui Sponsæ Christi inferre vim tentaverat: e diverso per seipsum rem tam diabolicam exsequi conatus fuit. Sed ancilla Christi liberrime dixit Præfecto: Ego cœlorum Regi desponsata sum, et non permittet virginitatem meam a te violari. At Præfectus hisce dictis non acquiescens, aggressus ipsam est, ut quod mente destinaverat consequeretur. Sed Angelus Dei percutiens ipsum, ante famulam Dei prostravit; ac tum demum trahentes ipsum qui aderant pueri, ægre illum erexerunt.

et Præfectus percutiuntur a Deo.

26 Cum ergo nequivisset, quod tam turpiter instituerat, perficere; festinavit eam, prout imperatum erat, e medio tollere. Constituit autem eam non gladio diminuere, sed reste suffocare; et jussit accersiri fabrum, qui manuum pedumque vincula B solveret. Ipsa vero, volens palam facere, nullius se potestate, sed libera voluntate sua detentam esse; dicit Præfecto: Nihil opus est fabro. Et hoc dicto, e manibus pedibusque vincula projecit, omnibus qui intuebantur obstupescentibus. Voluit autem denuo constringere manus, ne resisteret strangulantibus se. Et dicit ad eum: Parce vanis consiliis tuis; tanta enim sponte mea meipsam neci sic offero, ut nec manus quidem motura sim. Injectoque porro in collum ipsius laqueo, constrictoque usque eo ut prope abesset a morte, ac denique relaxato, dicunt, quod si velit Christianam fidem abnegare, parcerent ei. Sancta autem Sira dixit: Perficite, quod imperatum vobis est, ne leges vestras irritas faciatis. Secundo itaque laqueum, collo circumdatum constrictumque uti ante, remiserunt, ac eodem modo interrogarunt: illa vero eamdem, quam ante, responsionem dedit. Tum demum constanter strangularunt, donec plane expirasset: itaque certamen, uti in votis habuerat, gloriose confecit, duodetrigesima die mensis Peritii, secundum Græcos anno octingentesimo septuagesimo post Alexandrum Macedonum Regem.

Ejus jussu strangulanda, vincula excutit,

arctatoque jam laqueo bis sollicitata frustra

eoque denique adstricto moritur

27 Rursum vero diaboli ministri aliud molientes, C noluerunt concidere corpus Martyris, sed a canibus devorari: adduxeruntque reliquias domum, et canes multos cum iisdem incluserunt: qui, ut ab ipsis quoque brutis condemnarentur, ibidem integrum plane diem, ne tacto quidem corpore, permanserunt. Tandem conati sunt sacra lipsana, noctu exportata, clam in obscurum projicere locum: sed consilia eorum non latuerunt fideles: sedebant quippe et observabant, ubi corpus Martyris projicerent. Cumque projecissent et aliquantum spatii recessissent, fideles quidam Betharmaitæ cum honore sublatum in quemdam locum abdiderunt, ne regionis istius incolæ tantum thesaurum auferrent. At Sancta Sira adhuc superstes, ac præscia contentionis de corpore suo inter fideles orituræ, jurejurando illos, qui forte apud se erant, obstrinxerat, ut traderentur Reliquiæ suæ amatori Christi Bateo, ex Lasumis Betharmæorum vico. Unde Fideles Betharmaitæ, re intellecta, viro prædicto corpus Martyris tradiderunt, ne quod ipsa constituerat convellerent.

Corpus canibus objectum non violatur;

28 Is autem sacris lipsanis cum gaudio acceptis, oratorium suis sumptibus extruxit: et licet propterea multos incursus Magorum sustinuerit cupientium tale propositum impedire, nihilominus idem oratorium perfecit, debitoque cum honore reliquiarum S. Siræ

βολος συνκαθευδῆσαι καὶ διαφθεῖραι αὐτήν. Καὶ παρεκάλεσεν τὸν Ἀρχίπιζον ἐπιτρέπειν αὐτῷ τοῦτο πρᾶξαι· καὶ λαβὼν τὴν τοιαύτην ἐπιτρόπην, ἐπῆλθεν αὐτῇ, τὴν ἰδίαν ἐκτελέσαι γνώμην βουλόμενος. Ἀλλ᾽ ὁ Θεὸς, ὁ τῆς δούλης αὐτῆς προνοούμενος, ἔπληξεν αὐτὸν κατὰ τῶν ὀφθαλμῶν, καὶ τῶν ὤτων, καὶ τῆς γλώσσης, ὡς τυφλὸν εἶναι καὶ κωφὸν καὶ ἄλαλον· καὶ πεσὼν ἐπὶ πρόσωπον, κραυγὰς ἀσήμους ἀπελυσεν. Ὁ δὲ Ἀρχίπεζος ἀνθ᾽ ὧν ἐχρῆν τὴν τοῦ Θεοῦ δύναμιν θαυμάσαι, καὶ ταλανίσαι, τὸν τολμήσαντα τὴν παρθένον τοῦ Χριστοῦ διαφθεῖραι, δι᾽ ἑαυτοῦ τοὐναντίον ἐσπούδασεν τὴν τοιαύτην διαβολικὴν πρᾶξιν ἐργάσασθαι. Ἡ δὲ δούλη τοῦ Χριστοῦ μετὰ παῤῥησίας πρὸς τὸν Ἀρχίπεζον εἶπεν· Ἐγὼ τῷ Βασιλεῖ τῶν οὐρανῶν ἐμνηστεύθην, καὶ οὐ συγχωρεῖ τὴν ἐμὴν παρθενίαν ὑπό σου διαφθαρῆναι. Μὴ πεισθεὶς δὲ τοῖς ὑπ᾽ αὐτῆς λεχθεῖσιν ὁ Ἀρχίπεζος, ἐπῆλθεν αὐτῇ, τὴν τοῦ προλαβόντος γνώμην ἀναδεξάμενος. Ἀλλ᾽ ὁ Ἄγγελος τοῦ Θεοῦ πλήξας αὐτὸν, ἔμπροσθεν τῆς τοῦ Θεοῦ δούλης κατέβαλεν, καὶ τότε λοιπὸν σύραντες αὐτὸν οἱ σὺν αὐτῷ παῖδες μόλις ἀνέστησαν. D

a. coævo.

26 Μὴ δυνηθεὶς δὲ τὴν τοιαύτην ἄτοπον ἐκτελέσαι προαίρεσιν, ἐσπούδασεν αὐτὴν κατὰ τὸ προστεταγμένον θανατῶσαι. Καὶ ἐβουλεύσατο μὴ διὰ ξίφους αὐτὴν ἀποτεμεῖν, ἀλλὰ σχοινίῳ αὐτὴν ἀποπνίξαι. Καὶ ἐκέλευσεν ἐλθεῖν χαλκέα, καὶ λῦσαι τοὺς δεσμοὺς τῶν χειρῶν E καὶ τῶν ποδῶν αὐτῆς. Καὶ βουλομένη αὐτὴ παραστῆσαι μὴ τῇ δυνάμει τινὸς αὐτὴν κεκρατῆσθαι, ἀλλ᾽ ἑκουσίᾳ γνώμῃ, πρὸς τὸν Ἀρχίπεζον λέγει· Οὐ χρείαν ἔχομεν χαλκέως. Καὶ τοῦτο εἰποῦσα, τοὺς δεσμοὺς ἐκ τῶν χειρῶν καὶ τῶν ποδῶν αὐτῆς ἀπέῤῥιψεν, ὡς πάντας τοὺς θεασαμένους ἐκπλήττεσθαι. Ἠθέλησεν δὲ πάλιν συνδῆσαι τὰς χεῖρας αὐτῆς, ἵνα μὴ στασιάσῃ πρὸς τοὺς πνίγοντας αὐτήν. Καὶ λέγει πρὸς αὐτόν· Παῦσαι τῶν ματαίων σου βουλευμάτων· τοσοῦτον γὰρ βουλήσει τῷ θανάτῳ ἐμαυτὴν παραδίδωμι, ὅτι οὐδὲ τὰς χεῖράς μου κινῆσαι ἀνέχομαι· καὶ βαλόντες τὸ σχοινίον εἰς τὸν τράχηλον αὐτῆς, καὶ περισφίγξαντες μέχρις ἂν αὐτὴν τῷ θανάτῳ πλησιάσαι, ὕστερον χαυνώσαντες, λέγουσιν αὐτῇ, εἰ βούλεται τὸν Χριστιανισμὸν ἀρνήσασθαι συγχωροῦσιν αὐτῇ. Ἡ δὲ ἁγία Σιρὴ εἶπεν αὐτοῖς· Τὸ ἐντεταλμένον ὑμῖν τελειώσατε, ἵνα μὴ τοὺς νόμους ὑμῶν ἀθετήσητε. Ἐκ δευτέρου δὲ τὸ σχοινίον περὶ τὸν αὐτῆς τράχηλον περισφίγξαντες, πάλιν ἐνδέδωκαν καὶ ὡσαύτως ἐπερώτησαν· ἡ δὲ πάλιν τὴν αὐτὴν ἀπόκρισιν δέδωκεν. Καὶ τότε λοιπὸν ἐπὶ πλεῖον σφίγξαντες, ἄχρις οὗ τελείως ἀνέπνευσεν. Καὶ οὕτως τὴν μετὰ δόξης ἄθλησιν, ὡς ἐπόθησεν, ἐτελείωσεν μηνὸς Περιτίου εἰκάδι ὀγδόῃ, καθ᾽ Ἕλληνας τοῦ ὀκτακοσιοστοῦ καὶ ἑβδομικοστοῦ ἀπὸ Ἀλεξάνδρου τοῦ Μακεδόνων Βασιλέως. F

27 Πάλιν δὲ καὶ μετὰ τὸν θάνατον αὐτῆς οἱ ἐργάται τοῦ διαβόλου μὴ χαυνώμενοι, μηδαμῶς ἀποτμηθῆναι τὸ σῶμα τῆς Μάρτυρος, ἀλλ᾽ ὑπὸ κυνῶν δαπανηθῆναι, εἰσήγαγον εἰς οἶκον τὸ λείψανον αὐτῆς, πολλοὺς κύνας συναποκλείσαντες· καὶ, ἵνα καὶ ὑπὸ τῶν ἀλόγων κατακριθῶσιν, ἔμειναν πᾶσαν τὴν ἡμέραν παντελῶς τοῦ σώματος αὐτῆς μὴ ἀψάμενοι. Καὶ λοιπὸν ἐσπούδασαν νυκτὸς ἐξαγαγεῖν τὸ λείψανον, καὶ οὕτως ἐν ἀφανεῖ τόπῳ ῥίψαι αὐτὸ κεκρυμμένως. Ἀλλ᾽ οὐκ ἔλαθον τοὺς πιστοὺς τὰ τοιαῦτα βουλευσάμενοι· ἐκαθέζοντο γὰρ καὶ διετήρουν αὐτοὺς, ποῦ τὸ σῶμα τῆς Μάρτυρος ῥίπτουσιν· Καὶ ὅτ᾽ ἂν ἔῤῥιψαν αὐτὸ καὶ μικρὸν ὑπανεχώρησαν, τινὲς πιστοὶ τοῦ Βηθαρμαῒς λαβόντες αὐτὸ μετὰ τιμῆς ἔν τινι τόπῳ κατέκρυψαν, ἵνα μή τινες τῆς χώρας αὐτῆς τὸ τοιοῦτον κειμήλιον ἀποσπάσωσιν. Ἀλλ᾽ ἡ ἁγία Σιρὴ, ἔτι περιοῦσα καὶ προγνοῦσα τὴν περὶ τοῦ σώματος αὐτῆς μέλλουσαν μεταξὺ τῶν πιστῶν γενέσθαι φιλονεικίαν, μεθ᾽ ὅρκων τοὺς εὑρεθέντας κατέκρινεν, ἐνδοθῆναι τὸ λείψανον αὐτῆς τῷ φιλοχρίστῳ Βατεῷ, τῷ ἐκ τοῦ Λασουμῶν κτήματος τοῦ Βηθαρμεῶν. Ὅθεν οἱ πιστοὶ τοῦ Βηθαρμαῒς, ὕστερον τοῦτο μαθόντες, παρέδωκαν τῷ εἰρημένῳ ἀνδρὶ τὸ σῶμα τῆς Μάρτυρος, ἵνα μὴ τὴν βουλὴν αὐτῆς ἀθετήσωσιν.

28 Ὁ δὲ μετ᾽ εὐφροσύνης τὸ ἅγιον αὐτῆς δεξάμενος λείψανον, εὐκτήριον ἐκ τῶν ἰδίων ἔκτισεν οἶκον· καὶ πολλαῖς

A COÆVO

A λαῖς προσβολαῖς περιπεσὼν ὑπὸ τῶν μάγων, βουλομένων αὐτὸν διακωλύειν τῆς τοιαύτης προθέσεως, ὅμως αὐτὸς τὸ αὐτὸ εὐκτήριον ἐτελείωσεν, καὶ μετὰ τῆς πρεπούσης τιμῆς ἐν αὐτῷ τὴν αὐτοῦ λειψάνου τῆς ἁγίας Σιρῆς κατάθεσιν ἐποιήσατο· ἔνθα καὶ πάνδημον ἑορτὴν οἱ πιστοὶ, πολλαχόθεν συναθροιζόμενοι, τὴν μνείαν ἐπιτελοῦσιν, κατὰ τὴν ἡμέραν τῆς τοιαύτης ἀθλήσεως, πρὸς δόξαν Θεοῦ καὶ καύχημα τῆς ἁγιωτάτης αὐτοῦ ἐκκλησίας. Περὶ δὲ τῶν ἄλλων ἀθλητῶν, σὺν τῇ ἁγίᾳ Σιρῇ δεδεμένων, καὶ μετ᾽ αὐτὴν ἀγωνισαμένων, καὶ βασάνοις διαφόροις τελειωθέντω, ἐκ περισσοῦ γράφειν ἡγούμεθα, ὅτι τὴν προλαβοῦσαν ἄθλησιν ἐμιμήσαντο· ἔπειτα καὶ ἀγνοοῦμεν τοὺς πόνους αὐτῶν, οὓς ἐξ ἀρχῆς διετέλεσαν· ἐκ διαφόρων γὰρ παρχιῶν καὶ πόῤῥωθεν διακειμένων κατήγοντο, ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ τῷ κυρίῳ ἡμῶν, μεθ᾽ οὗ τῷ Πατρὶ καὶ τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, δόξα, κράτος, τιμὴ, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

depositionem in illo celebravit : quo etiam confluen- D tes undique fideles in memoriam ipsius festum publicum instituerunt, ipso quo passa est die, ad gloriam Dei et exultationem sanctæ Ecclesiæ ipsius. De aliis porro athletis, qui cum S. Sira vincti fuerunt, cum eademque supremum ineuntes certamen variis tormentis ad finem perducti sunt, superfluum existimamus scribere quod præcedens certamen imitati sint : deinde etiam, quos ab initio labores tolerarint, ignoramus ; quippe e diversis iisque longe dissitis provinciis adducti, in Christo JESU Domino nostro, cui et Patri et sancto Spiritui gloria, virtus, honor, nunc et semper et in secula seculorum. Amen.

plurium tunc passorum non extat memoria.

ANNOTATA.

a Karsa, *forsan litteris transpositis* Kazrum, *urbs provinciæ Pars seu Farsi : sed quidni multa nomina mutata nunc sint, ut sæpius observavimus ? unde neque* Rhesancusadon *præmemoratum, neque mox nominandas* Provinciam Chuzainorum, et Batharmais *nunc reperimus.* b Peritius *Latinorum Februario respondet* B *apud Syro-Macedones, quos hic auctor sequitur : iidemque suos menses fixos (quibus fere solis usi Christiani) a* E *Julianorum Kalendis ordiebantur.* c *Jam dixi a Seleuci victoria, non a morte Alexandri, hanc Syro-Macedonum æram, in Perside notam, esse numerandam.*

G.H.

DE SANCTO CONVALLO

ARCHIDIACONO GLASCUENSI IN SCOTIA.

Cultus et memoria ex variis collecta.

SEC. VII.

Cultus in Breviario Aberdonensi.

Glascovium, *Scotiæ meridionalis seu Cistaanæ in Glotiana provincia urbs est Archiepiscopalis, ad Clodan fluvium, imo et emporium hujus regionis celeberrimum : cujus ager, propter omnia fructuum genera aliosque amœnitates, Scotiæ Paradisus habetur. Dum fides Christi orthodoxa ibidem floreret, inter Sanctos tutelares suos venerabantur hoc* XVIII Maji, S. Convallum, primum Archidiaconum Glascuensem, S. Kentigerni discipulum, *quem* sub Rege Eugenio anno DCVI *floruisse, testatur Breviarium antiquum Scoticum Ecclesiæ Cathedralis Aberdonensis* C *Ejus meminit Joannes Leslæus libro 4 de Rebus gestis Scotorum, in Aidano Rege et dicti Eugenii patre ; ubi ita scribit.* Drostanus, Aidani Regis avunculus, rebus hujus mundi fluxis nuntium remittens, monasterii se terminis inclusit, multosque suæ sanctitatis exemplo ad bonam frugem traduxit. Eamdem vitæ rationem, eodem cum fructu et sanctitatis laude, persecutus est Convallus, Divi Kentigerni discipulus. Qui cum funeri Aidani Regis, dum in insulam Jonam efferretur ; et Comitiis in Angadia, quibus Kennethus Keit veteri pro more Rex est salutatus, interfuerit; Christi religionem et morum probitatem omnium auribus et animis sedulo inculcare numquam intermisit... Erant illis diebus in Scotia tres, doctrina et pietate præstantes viri, natione etiam Scoti, Hebredus scilicet, Dunstanus, et Convallus : quorum memoria etiam hoc nostro ævo apud Scotos magna celebritate colebatur. *Hector Boethius lib. 9 Historiæ Scotorum, de cultu ejus ista addit :* Convalli, Divi Kentigerni discipuli, Reliquiæ celebri monumento in Juchemnem, haud procul a Glascuensi civitate, a Christiano populo hactenus in magna habentur veneratione. *Dempsterus in Menologio Scotico, ad hunc* XVIII *Maji, ista tradit :* Evonii in Lorna Convalli Abbatis, Archidiaconi, S. Kentigerni discipuli. *Quæ eadem ex Dempsteri Schedis edidit Ferrarius : et annotat,* Evonium oppidum esse in ora Lornæ sive Loquabriæ Occidentali, contra Mulam insulam, a F Dumblano urbe supra triginta milliaria. *Camerarius pridie eum celebrat, addito elogio, ex Leslæo et Boethio. Dempsterus lib.* 3 *Historiæ Ecclesiasticæ gentis Scotorum pag.* 157 *asserit, scripsisse* Kentigerni Magistri Vitam, librum unum contra ritus Ethnicorum, et alterum ad Clerum Scoticum super Ecclesiæ statutis. *Verum fidem apud viros eruditos reperiet Dempsterus, dum similium monumentorum, quæ singulis a se commemoratis Sanctis plura adscribit, vel unum saltem aliquis in lucem protulerit. Vitam* S. Kentigerni, *Episcopi Glascuensis edidimus ad* XIII *diem Januarii, ex Capgravio desumptam, sed a posteris e vulgi traditione tam stolide concinnatam, ut eam ab opere nostro vellemus abesse, aut saltem graviori censura castigatam fuisse. Verum danda hæc est omnibus magnarum rerum initiis venia, ut operosiora licet, imperfectiora tamen sint.*

Reliquiæ in veneratione.

Fides Christi promota

E

DE SANCTA ANASTASONE

LEUCADIÆ IN MARI IONIO.

G.H.

Cultus ex Synaxario Græco MS.

Leucas *seu* Leucadia, *insula maris Ionii prope Epirum, Acarnaniæ tam prope adjacet, ut eidem ponte jungatur : in qua est ejusdem nominis urbs, a Mahomete secundo Venetis erepta. In hac insula vixisse* Sanctam Anastasonem, *ibique* apud Leucadios in pace Sanctam vitam finivisse, *tradit Synaxarium MS. quod Græce Divione in collegio Societatis Jesu adservatur : et hi adduntur versus.*

Ἀναστάσω ζῇ, πλὴν μύει κοινῷ τέλει,
Ἀνάστασιν μένουσα κοινὴν τοῦ γένους.
Vixit Anastaso, et morte communi abditur,
Communem operiens ad resurgendum diem.

DE SANCTO QUINIBERTO

SALLESCII IN HANNONIA.

B E

NOT. 14*** APP TOM. VII MAJI — G.H.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Notitia ex Molano: Prioratus Quercetanus sub Abbate Maricolensi.

XVIII MAJI

Joannes *Molanus in suis ad Usuardum Additionibus, anno* MDLXVIII *excusis, ista scribit ad hunc* XVIII *Maji* : Juxta monasterium, quod Maricolus dicitur, S. Quinberti Confessoris, qui innumeris miraculis diebus nostris claruit. *Idem Molanus, in eisdem Additionibus bis recusis, ista solum habet :* Apud Quercetum S. Quiniberti Confessoris, *de quo in Indiculo Sanctorum Belgii eadem aliquanto latius deducit :* S. Quinibertus Confessor, Prior fuit in Salesio juxta Quercetum, in Prioratu Maricolensium : ubi permultis claruit miraculis. Festum ejus recolitur ibi et Maricolis die XVIII Maji. Loca sunt diœcesis Cameracensis in Hannonia. *Denique in Natalibus Sanctorum Belgii, ex rescripto Domini Jacobi de Barlaymont Benedictini Maricolensis, hæc refert :* Apud Quercetum S. Quiniberti Confessoris, qui est Sanctus Maricolensis : locus enim quietis fuit Prioratus Maricolensium : in quo etiam habitasse putatur. De eo scriptum accepi ex Maricolis : De B. Quiniberto omnia nobis incerta sunt, præter nudum

Notitia a Molano vulgata :

C nomen, nostris insertum Kalendariis sub solennitate festi medii. Capsula lignea, qua ossa ejus ac reliquias contineri credunt indigenæ, apud vicum quem vulgo dicimus Serlesches, nostro etiam seculo crebris miraculis sanitatum refulsit, ut nonnulli etiamnum superstites auctores sunt. Sed fulcra, sustentacula et vehicula sanatorum, quæ ad memoriam beneficiorum obtentorum relicta erant, cum ipso templo, Francorum scelere, fœdo incendio perierunt.

2 *Hactenus Molanus, quem sequuntur Canisius in Martyrologio Germanico, Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in Martyrologiis Benedictinis, Daurotius in Kalendario, Ferrarius in Catalogo generali. At Miræus in Fastis Belgicis ista scribit :* S. Quinibertus Confessor colitur a Benedictinis in Hannonia monachis Lætiensibus, et quiescit in vico Serlesches, crebris sanitatum miraculis olim clarus. *Hæc ibi. Sed suspicor pro* Lætiensibus monachis, *qui de eo nihil sciunt, ex aliquo memoriæ lapsu intrusis,* Maricolenses *reponendos esse. Hic tamen Saussayus, nullo ulteriori examine adhibito; pro ea levitate qua Martyrologium Gallicanum juvenis consarcinavit, ausus est scribere,* depositionem S. Quiniberti monachi annua veneratione coli Maricolis, Querceti et Lætiis : qui Salesii quondam asceterioli moderator, magna ibidem edidit sanctæ conversationis monumenta; ac postquam abiit ad gloriam, in Serleschensi vico tumulatus, crebra sanitatum suis supplicibus præstitit dudum, pretiosa sua apud Deum intercessione, beneficio. *Hæc ille. Est autem Maricolense monasterium* F *fundatum a S. Humberto, circa annum* DCLXXX *vita functo* XXV *Martii : ad quem diem ejus Acta dedimus. At quamdiu postea erectus fuerit Prioratus juxta Quercetum, et quo tempore ibidem vixerit* S. Quinibertus, *non liquet.*

et ab aliis transcripta

3 *Molanum apparet* Salesium *pro* Sallescio *usurpasse in Indiculo Sanctorum Belgii, et hinc duo loca Saussayo facta esse,* Salesium monasteriolum *et* Serleschensem vicum : *nihil autem certum manere, præter cultum Reliquiarum et sanctitatis memoriam; quibus titulis locum ei in hoc opere damus.*

DE

DE S. MEROLILANO PRESBYTERO,

G.H.

MARTYRE SCOTO, REMIS IN GALLIA.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Cultus. Acta ex Flodoardo. Translatio.

SEC IX.

Cultus.

Colitur hoc die in urbe et diœcesi Remensi, sub ritu simplici seu trium Lectionum, S. Merolilanus Martyr, *Remensi vulgo* S. Millourirain *dictus et Lectio tertia recitatur de ejus martyrio : reliqua sumuntur de uno Martyre non Pontifice: quo etiam die memoria ejus est inscripta Martyrologio Gallicano Saussayi, Scotico Camerarii, et Catalogo generali Ferrarii, aliisque. Flodoardus lib. 4 Historiæ Ecclesiæ Remensis cap.* 48, *agit* de duabus ecclesiis S. Hilarii Remis, quarum antiquiorem ante portam Martis sitam, S. Rigobertus Clericis ad sepulturam eorum dedit : *ac postea de* S. Merolinano *ista tradit :*

B

Sepulcro, quod laici nequiverant aperire,

2 In hujus ecclesiæ cœmeterio quidam Scotigena, Dei servus, olim sepultus est. Sed cum jam a nostris et nomen et memoria ipsius sepulturæ videretur abolita, apertis sese cœpit manifestare visibus. Nam dum quidam civium non de inferioribus, sed pauper rebus, olim nostris diebus obiisset; amici ejus, ad Hildegarium hujus Ecclesiæ Presbyterum accedentes, petunt ab eo, ut locum sibi sepulturæ impertiret, ubi sarcophagum reperirent in quo corpus ipsius recondere possent, quia de rebus ipsius unde emerent non haberent. Qui dum eis petita concessisset, sepulturam servi Dei aperuerunt : sed ipsum ejus sarcophagum aperire nequiverunt. Quo audito Presbyter accessit, et coopertorium sarcophagi levare tentans aliquantulum aperuit sepulcrum : de quo mox fragrantia tantæ suavitatis emanavit, ut numquam se delectabiliorem testatus sit hausisse odorem. Introspiciensque videt corpus integrum, Sacerdotalibus infulis redimitum, recomponensque sepulcri pallam, non ausus est hanc amplius violare sepulturam : permisit tamen, ut idem corpus, depositis quibusdam superponeretur tabulis. Ipsa nocte visus est ei avunculus suus Presbyter in somnis, qui jam dudum discesserat, asserens quod valde offendisset Deum præterita die, maxime si sepulcrum Sancti violare præsumpsisset. Idem quoque beatus vir cuidam sub ipsis diebus apparuit, et, quia valde gravaretur præ pondere et indignitate superjecti sibi cadaveris, intimavit; et ut indicaret Presbytero jussit, quia nisi cito corpus id fœtidum a sepultura sua repelleret, divina quantocius ultione plectendus esset. His Presbyter admonitionibus pavefactus, cadaver, quod sepulturæ Sancti superpositum fuerat, ejici fecit cum festinatione, et aperta alibi sepultura recondidit.

quodque Presbytero reserante fragrarat suaviter,

superpositum cadaver al ud, auferri jubet ipse apparens,

C

suumque incorruptum corpus ferri in ecclesiam ;

3 Visus est idem Sanctus Domini postea cuidam rustico, præcipiens ei, ut iret ad Episcopum Artoldum, et indicaret ei ex verbis ejus, ut corpus ipsius, quod extra jacebat, intra ecclesiam transferret. Quod idem rusticus intimare timens, neglexit mandatum. Nec longe post iterum apparens evigilanti, duriter increpavit illum, quare præceptum neglexit, et corripiens, alapa ejus percussit maxillam. Qui mox auditum amisit ipsius auris, in qua percussus est parte, capitisque dolore per dimidium fere vexatus est annum. Deinde cuidam Presbytero, in eadem ecclesia sub præmisso Sacerdote servienti, apparens in visione quadam Dominica nocte, admonuit eum, ut Episcopo indicaret, quatenus corpus ipsius in prædictam ecclesiam transferret : locum quoque, ubi ponendum foret, ostendere non omisit, intimans ei obitum et causam obitus vel adventus sui : significans se Scotigenam fuisse, Romamque orationis gratia cum sociis petendi itinere occupatum, a latronibus super Axonam fluvium fuisse peremptum, indeque corpus suum a sociis huc delatum ibique sepultum : propalans etiam nomen suum, quod vocaretur Merolilanus : jubens ut id nomen, ne forte memoria delaberetur, adscribere curaret : inclinansque se, partemque cretæ, quæ fortuitu jacebat, apprehendens dedit ei, præcipiens ut illud continuo adnotaret in arca, quæ lecto ipsius adhærebat. Quam ille cretam visus est accepisse nomenque descripsisse, in quo dum pro L littera, R scriberet, corrigere hoc eum monuit : et ita in crastinum hoc nomen adscriptum inventum est : ut testaretur idem Presbyter ; quod vigilando per diem tam bene scribere nequivisset. Quibus revelationibus monitus Episcopus, ecclesiam quidem restaurari fecit, sed corpus sanctum non transtulit. Nec diu postea sic ei contigit, ut in eadem ecclesia coram Hugone Principe se abdicaret Episcopii dignitate. *Fluvius* Axona, *super quem occisus fuerat Sanctus, oritur in confinio Ducatus Barrensis, alluitque urbes S. Menehildim, Retelium et Suessiones, supraque Compendium se in Æsiam exonerat. Ipsa quoque S. Hilarii ecclesia etiamnum Remis visitur ante portam Martis.*

B *genusque et nomen ac martyrium indicat*

4 *Fuit autem* corpus *S. Merolilani e dicto cœmeterio* translatum in ecclesiam sanctorum Apostolorum et S. Symphoriani Martyris, sicque condigno cultu, quo eum divina Majestas voluit decorare, honoratum, ubi et hodie Natalis ejus celebritas agitur : *uti in Breviario Remensi et Martyrologio Saussayi legitur. De Artaldo Archiepiscopo, cui demandata Translatio fuerat, pluribus egerat Flodoardus ipso ultimo suæ historiæ libro, unde superiora accepimus; præmiseratque cap.* 35 *Epistolam ejus, prolixam ad Synodum Episcoporum in Engulenheim congregatam, qua narrat quomodo creatus sit et consecratus Episcopus an.* DCCCCXXXI; *sed urbe occupata ab Heriberto Veromanduorum Comite coactus abdicare anno* DCCCCXL, *ordinatusque pro eo sit ejusdem Comitis filius Hugo, qui jam inde ab anno* DCCCCXXV *Electi titulum gerere cœperat adhuc quinquennis. Rursum vero anno* DCCCCXLVII *sententia Synodali irritam factam ordinationem Hugonis, seque restitutum in Sedem Remensem docet. Atque hic historiam sistit Flodoardus, finiens cum baptismo Ludovici V per Artaldum celebrato : qui cum usque ad annum* DCCCCLXI *supervixerit, et Flodoardi Continuator dicat eum in multa quidem adversitate per triginta annos sic præfuisse, ut tamen aliquando in tranquillitate diœcesim suam gubernarit, puta extremis vitæ annis; credibile est, quod vel ipse vel ejus successor Odalricus curaverit demandatam a Sancto Translationem.*

Ejus translatio in ecclesiam S. Symphoriani.

F

DE

DE S. ÆLGYFA, SIVE ELGIVA

REGINA ANGLIÆ.

G.H.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

Cultus ex Fastis : maritus Edmundus, filii Edwius et Edgarus Reges. Sepultura.

CIRCA DCCCCXL

Cultus 18 Maji,

In pervetusto cœnobio Gemmeticensi, quinque leucis Rotomago distante, extat vetustum Missale circa annum millesimum exaratum, et dono Roberti Archiepiscopi Cantuariensis circa annum millesimum quinquagesimum acceptum : ex quo ipsi ibidem anno MDCLXII *excerpentes notitiam aliquot Sanctorum, ad hunc* XVIII *Maji reperimus celebrari festum* Ælgyfæ Reginæ. *Quo etiam die inscripta est* Translatio Elgivæ Reginæ *MS. Martyrologio Ultrajectino Ecclesiæ collegiatæ S. Mariæ, quod continet plurimos regni Anglicani Sanctos, exaratum pro dicta ecclesia anno* MCXXXVIII. *Tertio observavimus nomen ejusdem* S. Elgivæ Reginæ *ad hunc* XVIII *Maji inscriptum alicui MS. Martyrologio Christinæ Reginæ Sueciæ : et vel ideo ad hunc diem eam maluimus proferre, maxime quod in dicto MS. Ultrajectino nusquam ejus Natalis referatur, ut forsan hoc eodem die celebretur ejus depositio et corporis translatio. In Martyrologio Anglicano, sub annum* VIII *hujus seculi edito et sub annum* XL *recuso, refertur ad diem* V *Maji : quod secuti Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Anglicanæ et Indice Sanctorum Angliæ Ferrarius in Catalogo generali, et Arturus de Monstier in Gynecæo sacro. Ast Edovardus Maihew in Trophæis Anglicanis anno* MDCXXV *impressis eam celebrat ad diem* XXX *Junii, ejusque exemplo iterum dictus Arturus : apud quos nulla datur ratio, quare ad istos dies maluerint ipsam proferre.*

apud recentiores 5 Maji, et 30 Junii.

Sepulta Scephtoniæ

2 *Locus sepulturæ* S. Ælgyfæ, *sive* Elgivæ, *fuit* Septonia *vulgo* Shasteburie in Comitatu Dorcestriæ, *de quo Wilhelmus Malmesburiensis lib. 2 de Gestis Pontificum Anglorum § de Monasteriis diœcesis Shirburnensis etc. ista scribit :* Scephtonia est vicus modo, olim urbs, locus in prærupto montium situs. Vetustatis indicium dat lapis in Capitulo sanctimonialium insculptus, et a vetustissimi muri ruinis illuc translatus, ANNO DOMINICÆ INCARNATIONIS DCCCLXXX ÆLFREDUS REX FECIT HANC URBEM, REGNI SUI VIII. Ibi Elgifa uxor Edmundi, qui fuit pronepos hujus Alfredi, monasterium sanctimonialium fecit, ibidemque carnis exuvias post fatum deposuit, mulier bonis operibus semper intenta, pietate et dulcedine prædita, ut etiam reos, quos tristis sententia Judicum palam damnaverat, ipsa occulte redimeret. Pretiosus amictus, qui mulieribus nonnullis est leno solvendi pudoris, illi erat supellex munificentiæ, ut quamlibet caram vestem conspecto statim largiretur pauperi. Speciem corporis et artificium manuum in ea livor quoque commendaret, cum nihil reprehendere posset... Et vivens quidem virtutum fecit opera, sed post mortem micuerunt miracula, sicut rhythmice quondam cecini.

clara virtutibus et miraculis.

Nam nonnullis passa annis morborum molestiam,
Defæcatam et excoctam Deo dedit animam.
Functas ergo vitæ fato, beatas exuvias
Infinitis clemens signis illustrabat Deitas,
Inops visus et auditus, si adorant tumulum,
Sanitati restituti probant SANCTÆ meritum.
Rectum gressum refert domum, qui accessit loripes;
Mente captus redit sanus, boni sensus locuples.

Nupta Edmundo Regi, peperit 2 filios Reges;

3 *Hæc ibi Malmesburiensis; a quo memoratus* Edmundus, S. Ælgyfæ maritus, *fratri suo Æthelstano* XXVII *Octobris anni* DCCCCXL, *mortuo successit : ipsique S. Ælgyfa peperit duos filios postea Reges, Edwium et Edgarum : de cujus postremi nativitate ad annum* DCCCCXLIII *ista scribit Florentius Wigorniensis :* Magnifico Regi Eadmundo cum sua Regina Alfgiva filium suum peperisset Eadgarum, sanctus Abbas Dunstanus audivit quasi in sublimi voces psallentium atque dicentium, Pax Anglorum Ecclesiæ, exorti nunc pueri nostrique Dunstani tempore. *Quæ eadem habent Dunelmensis, Westmonasteriensis, Malmesburiensis, et alii posteriores, et confirmantur ab Osberno in Vita S. Dunstani danda* XIX *Maji, capite* IV. *At mortuo dicto Rege Edmundo* XXVI *Maji anno* DCCCCXLVI, *permansit vidua* S. Ælgyfa *sub Elredo Rege Edmundi fratre : quo anno* DCCCCLV *vita functo,* Clito Eadwius, *inquit Wigorniensis,* Regis scilicet Eadmundi et Sanctæ Alfgivæ Reginæ filius, monarchiam imperii suscepit, et eodem anno in Kingestune ab Odone Dorobernensi Archiepiscopo Rex est consecratus. *Eadem habent Dunelmensis, Westmonasteriensis, Hovedenus : et* Reginam Alfgivam *eodem modo* Sanctam *compellant. Verum hunc filium ejus Edwium, satis impium et obscœnis voluptatibus deditum ac matri rebellem fuisse, scribit Osbertus in Vita S. Dunstani apud Surium* XIX *Maji cap. 20.* Edwinus, *inquit,* matrem, totius regni Anglici auctricem et nobilitatricem, Ecclesiarum consolatricem, et sustentatricem opressorum et inopum; Elgivam dico Reginam, in immensum afflixit. *Imo paulo ante eamdem* omnis bonitatis titulo insignem *appellaverat. Verum dictus Rex Edwius sive Edwinus non diu superfuit, anno* DCCCCLIX *e vita abreptus, de quo Baronius ad dictum annum num. 7 ista scribit :* Miser Edvinus, magis procacis meretricis impulsu, quam sua voluntate peccaverat, haud omnino malus, natus ex Regina sancta : cujus precibus factum, ut et suorum scelerum pœnitens ex hac vita discesserit.

Edwium, a quo multa passa est;

et Edgarum piissimum,

4 *Edwio successit Edgarus frater, præclarissimus Rex, annos tum natus sedecim : cui quod postea* divinitus ostensum, *ita* stylo commendat *Malmesburiensis lib. 2 de Gestis Regum Anglorum cap. 8.* Venerat in saltum venationis feracem, utque fit plerumque, sociis ad insequendas feras dispersis per devia, solus remanserat. Itaque continuatione cursus ad egressum nemoris perveniens, constitit sodales operiens. Nec mora, gravante nutantia lumina somno, pedes efficitur, ut transacti laborem diei temperaret modicæ quietis voluptas. Jacebat ergo sub malo silvatica stratus, ubi penduli per circuitum rami foliatam effecerant cameram. Lassitudine utique suadente, rivus subter scatebris loquacibus fluens soporem invitabat; tum canis femina, cui cura ferarum vestigia insequi, prægnans et juxta pedes accubans, dormientem exterruit. Namque matre tacente, catuli alvo inclusi, latratus multiformes et sonoros reddidere, quodam nimirum sui carceris gaudio incitati. Hoc monstro attonitus, dum ad cacumen arboris oculos intendit, vidit poma, unum et alterum delapsa in fluvium : quorum collisione bullis aquatilibus inter se crispantibus,

cui oblatam de futuro post eum regni statu visionem

A tibus, vox articulata insonuit: Wel is thee, id est, bene est tibi. Nec multo post undarum voluminibus agentibus, urceolus super aquam apparuit, et post urceolum urceus exundans aqua: nam alter vacuus erat. Et quamvis crebro gurgitis impulsu majorem minor urgeret, ut scilicet aquas suas in illum infunderet; numquam tamen obtinere potuit, quin urceolus vacuus recederet, iterumque quasi superbo gestu victor urceum impeteret. Domum itaque regressus, ut dicit Psalmista, æstu exercitabatur, et scopebat spiritum suum. Sed convenit eum mater, ut serenaret frontem et animum, sibi studio futurum ut appellaret Deum, qui posset ænigmata inspiratione sua patefacere. Quo admonitu retudit ille mœstitiam, et solvit in otia curas, conscius maternæ sanctitatis, cui soleret Deus multa revelare. Erat illa vocabulo Elfgifa, bonis operibus intenta..... Hæc igitur intimis medullis vaticinium combibens, postero mane filio dixit: Latratus catulorum, quem matre quiescente dedere, significat quod post tuum obitum, quiescentibus illis, qui modo vivunt et valent, nondum nati nebulones contra Dei latrabunt B Ecclesiam. Sane quod unum pomum secutum est alterum, ita ut ex collisione secundi in prius videretur vox sonuisse, Wel is thee, innuit, quod ex te, qui modo arbor es totam inumbrans Angliam, duo procedent filii: fautores secundi extinguent primum. Tunc diversæ partis incentores dicent pueris utrisque, Wel is thee, quod mortuus regnabit in cœlo, vivus in seculo. Jam vero quod urceus major minorem implere non poterat, hoc designat, quod gentes Aquilonares, quæ numerosiores sunt quam Angli, Angliam post mortem tuam impetent: et quamvis crebro compatriotarum adventu ruinas suas impleant; numquam hunc angulum mundi poterunt implere, quin potius Angli nostri, cum maxime victi videbuntur, eas expellent, eritque sub suo et Dei arbitrio usque ad præfinitum tempus a Christo. Amen. D

AUCTORE G. H. — *Psal. 76, 7* — *ipsa exponit,*

5 Hujus vaticinii veritatem lectio posterior patefaciet. Considerari ergo debet parentis et prolis indubitata sanctitas, quod alter viderit ænigma vigilans sine obstaculo, et altera solverit problema de longe porrecto prophetiæ oraculo, sanctitatique morum communicabat severitatis animositas, ut nullum cujuscumque dignitatis hominem leges eludere impune permitteret. *Hæc Malmesburiensis. Successit Edgaro Regi S. Eduardus filius, per primum pomum designatus: quo, instigante noverca, occiso, uti* XVIII *Martii ad ejus Acta diximus, successit Ethelredus, ejus frater et alter Edgari filius per pomum secundum indicatus: quo adhuc regnante, Anglia sub Danis gemuit: et in locum Edmundi filii, qui diviso regno vix anno imperavit, successerunt Reges Dani, Canutus ejusque filius Hardecanutus, et post hos S. Eduardus Confessor, ex antiquis Anglis progenitus. Quæ omnia a S. Elgifa referuntur prædicta.* E

ab eximia sanctitate laudata

6 *In Annalibus Glastoniensibus extat charta Edgari Regis, edita ab Henrico Spelmano inter Concilia Anglicana pag.* 485, *data* anno DCCCCLXXI, Indictione XIV, *et primo loco subscribit* Edgar Rex, *tum* Elgiva ejusdem Regis mater cum gaudio consentit. *Nec diu superfuit hæc Sancta Regina, eodem forte aut sequenti anno vita functa. Cujus* corpus, *teste Westmonasteriensi,* anno DCCCCLXXIII cœlitus revelatum est in loco, qui Septonia nuncupatur.

Corpus mortuæ revelatur anno 973.

DE SANCTO ERICO

G. H.

REGE SUECIÆ, MARTYRE.

COMMENTARIUS HISTORICUS.

De Actis ab Israele Canonico Upsalensi scriptis, et multiplici cultu.

ANNO MCLI

In tribus *Arctois regnis, quæ sub uno nomine Scandiæ seu Scandinaviæ maxima ex parte innotuerunt antiquis, floruerunt tres Reges, pietate et sanctitate illustres, iidemque sanguine effuso purpu*C*rati, ideoque apud posteros veluti Martyres summa in veneratione habiti. Ex his Danorum Rex fuit* S. Canutus, *Norwegorum* S. Olavus, *et Suecorum, de quo hic agimus,* S. Ericus. *Quæ primo de hoc Sancto conscripta fuit historia vitæ et necis, translationis et miraculorum, infra num. 6 indicata, hactenus latet. Pro ea dantur Acta ab* Israele, *viro illustri et* collega Capituli Ecclesiæ Cathedralis Upsalensis, *magno cum judicio et sinceritate conscripta: ubi primo ex allegata historia proponit Auctor succincto sermone vitam et felicem consummationem* S. Erici, *dein describit miracula, quæ aut ipse vidit, aut ab aliis, quibus ea fuerant in beneficium collata, referentibus audivit; item ea quæ fuerunt ab Episcopo, Capitulo, et ipso scriptore legitime examinata. Acta hujusmodi reperimus in præclaro codice MS. Christianæ Reginæ Sueciæ in folio, et Latino sermone, et vulgari Suecorum idiomate exarata, eaque hic damus more nostro distincta et illustrata.*

Acta S. Erici dantur ex MSS

2 *Joannes Vastovius in Vita Aquilonia, seu Vitis Sanctorum qui Scandinaviam magnam rebus gestis illustrarunt, edidit aliquam* S. Erici *Vitam, a se ex Breviario Upsalensi desumptam: ubi etiam plurima miracula, quæ per eum Deus operatus est, sunt subjecta: quæ possent eorum, quæ infra proferuntur, censeri tituli. Aliud Vitæ compendium, in tres Lectiones ad Matutinum recitandas divisum, continetur in Officiis Propriis sanctorum Patronorum regni Sueciæ, auctoritate Apostolica approbatis. Hic etiam præscribuntur tres Hymni proprii, ad Vesperas, Matutinum et Laudes recitandi, cum nonnullis Antiphonis et Responsoriis, quorum materia ex ipsis Actis desumpta est, in iisque passim appellatur* S. Ericus, Rex et Patronus Sueciæ, et Martyr Christi pretiosus; *uti passim omnes, qui morte violenta et sanguine effuso ad æternam gloriam transierunt, ut Martyres more Ecclesiastico reputantur. Habemus etiam antiquum Missale regnorum Septemtrionalium, a ducentis prope annis excusum, in quo festum* S. Erici *solenni cultu celebratur. Introitus est.* Gaudeamus omnes in Domino. *Epistola.* Beatus vir, qui inventus est sine macula. *Evangelium,* Si quis vult venire post me, abneget semetipsum. *Ante hoc legitur longa Sequentia, cum confirmatione rerum gestarum ejus et miraculorum. In eadem Missa etiam sunt tres Orationes propriæ, quarum prima est hujusmodi:* Deus, qui beato Erico Regi et Martyri victoriæ palmam, vitæque coronam, et cœlestis regni gloriam contulisti: fac nos quæsumus ejus meritis et intercessione cuncta nobis adversantia vincere, et coronam gloriæ in cœlis feliciter obtinere. *Et hæc omnia referuntur ad ejus natalem, hunc* XVIII *Maji, quo die etiam notatur memoria* S. Erici Regis Sueciæ et Martyris *in Martyrologio hodierno Romano, et alio Lubecæ et Coloniæ anno* F

Actorum compendia ex Breviario Upsalensi, — *Officiis propriis,* — *et antiquo Missali,* — *cum oratione propria.*

A *anno* 1490 *excuso, item apud Grevenum, Molanum, Canisium, Gelenium, et Galesinium, qui* Henricum *appellat. At* festum Translationis *celebratur sub ritu duplici die* XXIV *Januarii, et memoratur a dictis Greveno et Canisio, nec non in MS. Florario Sanctorum. Præterea præscribitur bis Missa pro statu regni, altera* XXI *Junii de Sanctissima Trinitate, altera* VI *Januarii de S. Erico.*

Translatio 24 Januar.

3 *De eodem pluribus agit Joannes Magnus lib* 19 *Historiæ Gothorum Sueonumque cap.* 1 *et quinque sequentibus, Michael O Wexionius in Epitome descriptionis Sueciæ et Gothiæ, excusa Aboæ anno* MDCL, *in qua lib.* 1 *cap.* 4 *inter fontes celebriores censetur* fons S. Erici Upsaliæ, *et lib.* 3 *cap.* 4 *de Baculo Runico, dicuntur* tres Spicæ *indicare* festum S. Erici Regis XVIII Maji, *et lib.* 5 *cap.* 9 *indicatur* in memoriam Regis S. Erici postridie festi, scilicet XIX Maji, celebrari judicium. *Item lib.* 7 *cap.* 1 *traditur* Holmiæ insigne esse caput S. Erici, pretiosissima corona aurea insignitum, *et cap.* 2 Upsaliæ insigne sacellum S. Erici. In templo tabula altaris artificiosissime deaurata S. Erici historiam repræsentat, cujus corpus hic quiescit. *Demum lib.* 9 *cap.* 10 *hoc elogium profert:* Ericus cognomento Sanctus, non Rege natus, sed ob virtutem Regiis nuptiis Christianæ Ingonis Junioris filiæ et diademate ornatus, mox Fennis devictis parcens, Christi nomen per S. Henricum prædicari fecit: dein patriam legibus ornat, exactionum parcissimus, vitaque innocentissimus, a Magno Stratego, Henrici Regis Daniæ filio, clam cum exercitu Upsaliam subreptante, trucidatur: sed populus confestim vindicat, Danique non procul Upsalia cæduntur: hinc nomen templo et ecclesiæ Danmarck. *Hæc ibi, quæ eadem inde in Geographia Sueciæ Joannis Blaew pag.* 58 *leguntur, et infra in Actis explicantur.*

alia venerationis signa ex M chaele O Wexionio

B

4 *Demum Joannes Loccenius in Historia rerum Suevarum, Christinæ Reginæ dicata, et Holmiæ apud Regium typographum anno* MDCLIII *excusa, sub initium lib.* 21 *Res S. Erici in vita gestas, ejusque necem describit: quæ omnia infra satis fuerit inde huc traducere, uti postea ad ejus honorem facta sic describuntur.* Cum factionis Principes diriperent opes Erici, et jam affectarent viam ad solium regium, justa ultio excitavit Hulsingos et reliquos fidos cives ad arma contra regicidas. Primo congressu Scatelerus et ejus filius in isto colle, ubi nunc Danmarchæ templum, Upsaliæ vicinum, situm est, cæsi trucidantur, et meritas regii sanguinis effusi pœnas luunt. Ex Danorum spoliis dictum templum extructum creditur, et quidem auctore Norlandorum Duce, cui nomen Fale Bure fuit. Rex Ericus primum nactus est tumulum in sacello de nomine ejus nuncupato, quod hortis regiis imminebat, illiusque rudera quædam adhuc supersunt. Postmodo ossa ejus hinc in ædem veteris Upsaliæ, ubi tunc Archiepiscopi sedes erat, translata sunt. Sed postquam Præsulis Sedes huc remigrarat, post annos fere centum, in præsens Upsaliæ templum solenni pompa per Nicolaum Upsaliæ Præsulem traducebantur. Isthic in argenteo loculo, marmoreo cippo ferreis clathris septo, ad summum altare, appensis ingenti corona tabulaque affabre sculpta pictaque, cum rerum ab Erico gestarum adumbratione, condebantur. Memoriæ eximii Regis etiam hic honor a posteris habitus est, ut in Sanctorum ordinem referretur: ut ejus imagine tres præferente coronas, vetere regni Suetici insigni, monetam publicam et Sigillum regium exprimi diu in visu esset, ut insigne civitatis Holmiæ Erici facies cæsarie venusta esset. Sed et anniversarias nundinas, et ferias Ericianas ab illo nuncupatas, mense Majo, cum honorifica vitæ illius in Ecclesia commemoratione, celebrari mos obtinuit. Quod

et Joanne Loccenio.

C

Ejus sacellum.

Translatio duplex,

mausolæum,

imago,

nundinæ,

D etiamnum ab Upsaliensibus gratæ Regis recordationi datur. Etenim recte factorum decus apud piam posteritatem non senescit, nec cum auctore intermoritur. *Hæc Loccenius. At de Translatione infra sub finem Appendicis ad Miracula ista sic haud aliter referuntur:* Anno millesimo ducentesimo septuagesimo tertio translatus est B. Ericus de antiqua Upsalia ad novam Ecclesiam metropolitanam, præsentibus Dominis Waldemaro Rege et Fulcone Archiepiscopo. *Carolus a Manderscheit, Societatis Jesu Sacerdos, fuit in Suecia cum Domino Antonio Pimentel Regis Catholici apud præfatam Reginam Legato, et inde ad nos scripsit anno* MDCLIII, in Ecclesia Upsalensi etiamnum adservari sacrum corpus S. Erici Regis, seque sacrum ejus caput et alia ossa pie veneratum et osculatum esse; et hunc sanctum Regem, ante introductam hæresim, semper a Suecis magno in honore fuisse habitum. Argumento id esse, quod Reges coronandi, cum juramentum solenne præstarent statibus, in hæc verba jurare consueverint. Deus propitius mihi sit in corpore et anima, ac Virgo Maria et S. Ericus, omnesque Sancti et Reliquiæ Sanctorum, quas manibus tango. Solebant etiam subditi vicissim Regi novo juramentum præstare invocatis S. Maria et S. Erico. Licebat denique Regibus nescio quæ extraordinaria a subditis subsidia petere, quoties ad S. Erici corpus venerandum proficiscebantur. Utinam Sanctus ille de cœlo intercebat pro subditis, qui una cum avita religione hujus tanti Sancti cultum rejecerunt.

AUCTORE G. H.

juramentum sub ejus nomine

et subsidia peti solita.

E

ACTA

Auctore Israele Canonico Upsalensi.

Ex MS. pervetusto Codice Reginæ.

CAPUT I.

S. Erici res gestæ in vita, et miracula in ipsa cruenta nece.

Gloriosis Martyris Christi ac illustrissimi quondam Regis Sweorum Beati Erici ortum, vitam, et felicem consummationem præsentibus succinctus sermo percurrat: extitit enim tam regali prosapia, quam nobilium Sweciæ a Procerum oriundus. Hic regno vacante, propter innatam sibi clementiam et vitæ bonitatem conspicuam dilectus, a Principibus terræ et omni populo in Regem *b* unanimiter eligitur, ac in regni solio apud Upsaliam honorifice sublimatur. In Regali igitur fastigio constitutus, cultor Trinitatis, omne tempus tam non collatæ potestatis, quam assumptæ sollicitudinis tribus distinxit ordinibus, ornans et implens dies suos usque ad consummationem vitæ per illustre martyrium. Imitatus namque Sanctorum veteris testamenti Regum exempla, primo ad ædificationem ecclesiarum, et divini cultus reparationem ac ampliationem, deinde ad populi regimen et legum justitiæ promulgationem, postremo ad hostium fidei et regni expugnationem se totum convertens, manum misit ad fortia. Nam Upsalem ecclesiam ab antiquis Regibus, suis scilicet progenitoribus, fundatam, et aliquantulum ædificatam, primo et præ ceteris aggrediens, ac ministros divini cultus inibi ponens; *c* opere prægrandi et laborioso solicite studuit consummare: deinde regnum circuiens ac populum visitans universum, via Regia incedens; nec ad ad dexteram declinans favore vel pretio, nec sinistram deflectens timore vel odio; tramite recto, qui ducit ad patriam, inflexibiliter gradiebatur. Sicque pacem inter discordes faciens oppressos a potentioribus liberans, recte ambulantes in

a

F

In Regem Sueciæ sublimatus. b

Ecclesiam Cathedralem Upsaliæ perficit:

jus suum unicuique tribuit

A. ISRAEL EX MS

A in via Dei dirigens, impios de terra exterminans, æqua lance in libra justitiæ unicuique jus suum distribuit ac divisit. Cum vero ab omni populo suo propter hæc et his similia gratiosus haberetur, ac unanimiter universi tertiam partem satisfactionis delinquentium, quæ juxta morem terræ ad Fiscum Reipublicæ legaliter pertinet, eidem vellent tribuere, tale offerentibus fertur dedisse responsum: Mihi mea sufficiant; vobis vestra sint salva: quia forsitan his posteri vestri futuris temporibus indigebunt. O Principem justum, et in sublimitate raro inventum, qui propriis contentus, inferiorum facultates cupide non ambivit?

addictus mortificationi et orationi. 1 Cor. 9, 27

2 Verum quia justum est, ut qui alios ex officio regit et judicat, seipsum prius dijudicet, carnem spiritui subjiciendo, ac spiritum ad Dominum dirigendo, juxta illud, Castigo corpus meum, et in servitutem redigo; ideo sanctus Rex noster assiduus in orationibus, creber in vigiliis, frequens in jejuniis, in afflictorum calamitate compatiens, in eleemosynis pauperum largus, carnem suam jugi attrivit cilicio, quo etiam tamquam lorica justitiæ tempore passionis suæ indutus erat: quod et usque hodie B pretioso ejus intinctum sanguine in Upsalensi reservatur ecclesia. Qualiter vero ad familiarem hostem, et ad eam quæ dormit in sinu hominis, se gesserit, ex eo liquido patet; quod cum propter jejuniorum et alia sacra tempora a thoro Reginæ sæpius abstinuisset; ipse ut in se incentiva carnis pullulantia reprimeret, frequenter ac etiam hiemali tempore in dolio aquæ frigidæ clam balneans, calida frigidis curans, animales ejus motus ipse animo fortior reprimebat. Postremo vero, ut supra diximus, ædificata ecclesia, ordinato regno, ad inimicos fidei et hostes populi sui manum convertens, coadunato exercitu et assumpto secum ex ecclesia Upsalensi *d* B. Henrico Episcopo, versus Finiones expeditionem dirigit, ipsosque fide Christi prius oblata ac pace exhibita, renitentes et rebelles, in ultionem sanguinis Christiani, manu valida aggreditur, ac bello devictos victor prostravit. Cumque tanta potitus victoria in orationem se prostrasset, atque cum lacrymis, ut semper piissimi cordis erat, oraret ad Dominum; interrogatus a quodam suorum familiarium cur fleret, cum de victoria hostium Christi potius esset gaudendum, sic dicitur respondisse: Gaudeo quidem et Dominum glorifico pro nobis data victoria: sed vehementer doleo, quod tot eorum C animæ hodie perierunt, qui si Sacramenta fidei recepissent, ad salutem fuissent perpetuam reservati. Imitatus in hoc amicum Dei et virorum mansuetissimum Moysem, qui zelo accensus, prostratis idololatris Domini vindicavit injurias; et compassione affectus, pro peccato ejusdem populi Dominum deprecabatur. Convocato igitur qui remansit populo terræ, pace data, prædicata Christi fide, baptizatis plurimis, fundatis ecclesiis, positoque ibidem, quem supra diximus, B. Henrico Episcopo (qui postmodum illic martyrio coronatus est) institutisque ibi Sacerdotibus, ac ceteris quæ ad religionem Christiani cultus pertinent ordinatis, ad Sweciam cum gloriosa victoria remeavit.

d Finlandos armis subjiciens,

dolet multos absque baptismo periisse.

Ab hostibus circumventus,

3 Currente igitur anno decimo regni illustris Regis nostri, ut virum justum probaret tribulatio, et granum oppressum fructificaret uberius; antiquus hostis quemdam, *e* Magnum nomine, Danorum Regis filium, eidem adversarium suscitavit: qui ex hereditate *f* materna jus regnandi contra consuetudinem terræ, quæ alienigenas regnare prohibet, sibi perperam vendicabat. Unde et quemdam Principem regni, aliosque iniquitatis satellites sibi associans (qui muneribus corrupti, et promissionibus illecti in necem Regis illustrissimi unanimiter conspirarunt) ac coadunato clam exercitu, ipsum Re- D gem, ignorantem et nihil adversi suspicantem, apud Orientalem *g* Arosiam manu valida aggrediuntur. Instabat die illo festum Ascensionis Dominicæ, in quo idem post Dominum per palmam martyrii erat feliciter ascensurus. Cumque illa die in ecclesia sanctæ Trinitatis *h* in monte, qui dicitur Domini, ubi nunc Metropolitana fundata est ecclesia, Missarum solenniis interesset, a quodam suorum sibi nuntiatur, hostes prope civitatem adesse, et consultum fore eisdem armata manu protinus occurrere: cui fertur taliter respondisse: Sinite me, inquit, in pace ad perfectum tantæ solennitatis audire mysteria: spero enim in Domino, quod hoc quod de servitio suo restat, alibi solenniter audiemus. Et his dictis Deo se commendans, et impresso sibi prius signo Crucis ab ecclesia exiens, armavit se et suos; cum eisdem, licet paucis, viriliter obvians inimicis. Quos illi bello excipiunt, et contra Regem ipsum præ ceteris aciem dirigentes, Christo Domini solotenus prostrato vulnera vulneribus ingeminant: ac in ipsum jam seminecem amplius sævientes, et ludibria exercentes, reverendum caput ejus irreverenter absciderunt. Sicque ille de bello ad pacem E victor transiens, regnum terrenum in cœleste feliciter commutavit.

h post Missam,

occiditur.

4 Hoc autem ibidem initium signorum factum est, quod in loco ubi sanguis ejus primum effusus est, fons scaturiens erupit, qui usque hodie in testimonium martyrii ejus manet. Recedentibus igitur hostibus, et sancto corpore in loco interfectionis derelicto: pauci de regalibus ministris qui remanserant, ipsum in domum quamdam proximam paupérculæ viduæ deportaverunt. Erat ibidem habitans mulier paupercula, cæca a multo tempore: quæ cum corpus Martyris tetigisset, et digitos sancto intinctos sanguine ad oculos reduxisset; statim detersa caligine pristinum lumen recepit, laudans Deum in Sancto suo. Reliqua vitæ ejus, et translatio sancti corporis, ac miracula quæ Dominus operatus est per Sanctum suum, et usque in præsens non desinit misericorditer operari, quæ hic omissa sunt brevitatis causa, alibi scripta sunt. Passus est autem B. Ericus anno Incarnationis Dominicæ *k* millesimo centesimo sexagesimo, decimo quinto Kalendas Junii, Alexandro Papa tertio Romanæ ecclesiæ præsidente, regnante Domino nostro Jesu Christo, cui est omnis honor et gloria in secula seculorum. F Amen.

Mox fons

et cæca visum recipit.

ANNOTATA.

a *Vastonius ex Breviario Upsalensi.* Jaduardi nobilissimi parentis filius, ab ineunte ætate in timore Domini educatus, Christina deinde Ingonis Regis filia, Philippi nepte, in uxorem accepta, factus est cum ea omnibus præclarum vitæ exemplar. *Eadem, sed alia phrasi, leguntur apud Joannem Magnum lib.* 19 *Historiæ Gothorum Sweonumque cap.* 1. *At Michael O de Regibus Sueo-Gothicis arbitratur, hunc Ingonem potius Philippi fratrem fuisse, cum illo ab Halstano Rege prognatum. Philippo vero regnum auspicatur Magnus ab anno circiter* 1080.

b *Unanimiter electus videtur a populo Suecico, et maxime ut Loccenius arbitratur ab* Uplandis, etsi nequidquam obnitebantur Gothi, in Carolum Smercheri decessoris filium, regia Danorum affinitate annexum, proniores. Admotus regno Ericus turbatum reipublicæ statum composuit: animos discordia alienos, radice mala extirpata, in gratiam et concordiam reposuit. *Meminit et dicti Caroli a Gothis assumpti Magnus. Hic postea S. Erico successit, et illi Canutus S. Erici filius.*

c

A c *Vastonius*, opere magnifico ac plane regio consummavit. *Verum non nisi anno* 1444 *plene absolutum ex monumentis Ecclesiæ tradit Loccenius.*

d S. Henrici *Episcopi Upsalensis Vitam illustravimus ad diem* 19 *Januarii.*

e *Disserunt auctores. Qui hic* Magnus *dicitur, ab aliis appellatur* Henricus Scatelerus, Sueonis Danici filius : *ac proinde* Sueonis, Esthritii Daniæ et Angliæ Regis, nepos. *Hujus* Scateleri *filius aliquis fuit* Magnus, *proinde pronepos Esthritii. Videtur ab hoc* Magno *sub patris* Scateleri *imperio exercitus in Sueciam adductus, et ita Magno tribuitur cædes a Joanne Magno : ast a Michaele O, dicitur* Ericus a Magno Skateler, Henrici Regis Daniæ filio, clam cum exercitu Upsaliam subreptante, trucidatus. *Non tamen ille* Henricus *Daniæ Rex fuit, sed forsan alicujus ditionis ibidem Regulus, unde illis cognomen* Skateler *adhæsit. Utrique, Henrico et Magno, cædes imputatur a Loccenio.*

f Henricus *Ragnaldi Regis cognomento Knaphoffde, ab Ostrogothis in Regem assumpti, sed a Westrogothis occisi, ex sorore nepos traditur.*

B g Arusia *urbs Episcopalis, Sueciæ in provincia Westmannia*, 30 *millibus passuum distat Upsalia, quæ apud Vestovium loco Arosiæ exprimitur.*

h Upsalia *in prærupto colle sita est.*

i *Eumdem fontem adhuc ibidem esse in aliqua æstimatione scripsit inde nobis Carolus a Manderscheit, et addit Loccenius* hujus fontis venas per urbem manare, et fonti publico nomen ab Erico datum, eumque divina vi morbis curandis præditum fuisse.

k *Is annus passim ab aliis exprimitur, sed in Officiis propriis legitur annus* 1151, *quo revera Ascensio Christi occurrebat in* 17 *Maji, quando Missam audivisset, milites collegisset, sequenti die in pugna occubuisset, Anastasio IV Pontifice Romano.*

CAPUT II.

Illustria Miracula patrata. Octo aut mortui aut pro mortuis habiti, resuscitati. Adjuti muti, cæci, puerperæ, et alii ægri.

a

Furiosus qui se ipse ad mortem læserat,

Rusticus quidam in *a* Attundaland, Olavus nomine, in parochia Husaby, in villa quæ dicitur Maby, vir per omnia boni testimonii et conversationis honestæ, occulto Dei judicio in tantam mentis alienationem incidit, quod, ne sibi vel aliis noceret, diligenter a suis custodiebatur. C Qui quadam die a manibus custodientium incaute elapsus, dum ad silvam solus fugeret, et a suis insequeretur, nimio furoris instinctu se proprio cultello appetiit, et circa vitalia undique se quinque vulneribus letalibus crudelissime vulneravit. Superveniens autem filius suus cum aliis, et videns hoc horrendum et miserabile in patre spectaculum, quid faceret requisivit ab amicis.

votum faciente filio,

Cumque in consilio recepisset, votum pro patre fecit et B. Erici suffragia suppliciter imploravit. Nec mora, et ecce oculus misericordiæ Domini super miserum : nam illi exanimi et quasi mortuo jacenti, vir quidam reverendus apparuit regalibus vestibus indutus, coronam habens in capite, et sceptrum in manu gerens; qui vulnerum suorum plagas pollice dextræ manus tangens, Crucis impresso signaculo consignavit, et dixit : Fili, confide in Domino, et memor sis voti quod præsentes pro te emittunt : et cum sanus factus fueris, me visitabis.

et Sancto apparente sanatur.

Ad hæc verba saucius ille et desperatus sensum perditum mox recepit. Advocato proprio Sacerdote sacramentum Confessionis petiit et accepit, ac in brevi ab omnibus curatus vulneribus utriusque hominis perfectam et integram adeptus est sanitatem. Hoc idem miraculum dictus Olavus in festo B. Laurentii in statione solenni, coram scrinio B. Erici, D est publice protestatus.

6 Frater quidam Ordinis Fratrum Minorum Rodgerus nomine, *b* Guttensis natione, Sacerdos ordine, gravissimam incidit infirmitatem, ita ut debilitatis omnino tibiis ac pedibus pene contractus, se de lecto in quo jacebat nullatenus movere valens, a Fratribus intus et extra in grabato portabatur.

b

Minorita contractus,

Cumque non solum de infirmitatis suæ molestia gravaretur, verumetiam tædio et oneri Fratribus suis compatiendo se esse æstimabat, pro spe incolumitatis suæ crebras ad Dominum et ad Sanctos ejus preces fundebat. Accidit autem in diebus Rogationum, ut corpus B. Erici, sicut moris est, ab ecclesia Upsalensi ad Arusiam cum processione publica solenniter deportaretur. Audiens autem dictus Frater infirmus voces psallentium Clericorum, interrogavit a Fratribus quid hoc esset : et intellecto quod scrinium B. Erici per domum Fratrum transiret, tota mentis devotione ad Martyris gloriosi patrocinium se convertit, supplicans pro incolumitate sua et votum sibi faciens, ut si ipsum Dominus per merita Sancti sui liberaret ab infirmitate, in speciali devotione haberet Martyrem suum. E

dum Sanctus in Processione defertur,

Et ecce subito manus divinæ misericordiæ super eum : et sentiens se a dolore alleviatum, arrepto baculo solus de lecto surgere conatur, tamquam adhuc diffidens sibi : sed cognoscens se omnino liberatum, rejecto penitus baculo erectus et sanus stetit, et ambulavit, ingrediens et egrediens cum Fratribus suis, magnificans ac laudans Deum, et gratias agens glorioso Regi et Martyri.

votum faciens erigitur

Hoc miraculum diligenter examinatum et probatum est, præsentibus Fr. Nicolao, Ministro Fratrum Minorum *c* Daciæ; Fr. Thoma, Custode Fratrum Minorum Sweciæ et Gardiano domus Arusiæ, et aliis quampluribus. Sæpedictus etiam Frater apud Arusiam in statione solenni, in Nativitate beatæ Virginis, hoc idem miraculum divulgavit.

c

7 Sacerdos quidam Vicarius Domini Raguwasti de Nerthatunum, *d* Nigimundus nomine, in die sancto Paschæ vocis usum amittens, elinguis factus est : cumque sic aliquo tempore perseveraret, timebat vehementer, quod omnino perpetuo mutus fieret.

d

Sacerdos mutus,

Et ecce instabat dies natalis solennis B. Erici. Dictus vero Raguwastus Sacerdos, audita iterum ex novo fama miraculorum ejus, devote et constanter suadebat Vicario suo, ut misericordiam Domini per merita B. Erici invocaret ; addens ut, quia F natalis erat Martyris, Missam, si saltem legere possit, ad honorem ipsius celebraret.

loquelam recipit votivam dicturus

Cumque hoc ille se perficere diffideret, utpote cujus neque vox neque loquela audiebatur, confidens tamen in ope Martyris, ad instantiam Domini sui vestibus sacris se induit : et dum ante altare, ut moris est, confessionem diceret, subito reddita est ei vox, ut a circumstantibus audiri posset. Cumque ille illam gratiam a Domino sibi factam sentiret, qui prius nec Missam legere nec loqui poterat, in laudem Dei prorumpens, Missam clara voce in gloriam Martyris decantavit. Sic Deus, qui semper est mirabilis in Sanctis suis et gloriosus, antiqua signa innovat, qui olim aperuit os Zachariæ Prophetæ Domini.

Liberatur dæmoniacus

Rusticus quidam, Andreas nomine, de parochia Waxal, de villa Aristoni, dum pluribus præsentibus lapides colligerent pro necessitate fundi ecclesiastici, occulto Dei judicio subito in furiam vertitur, et horribiles clamores emittens a suis capitur, et sicut dæmoniacus ligatur : et facto pro eo voto ad B. Ericum deportatur ad ecclesiam ; et statim a dæmonio liberatus meritis gloriosi Martyris, pristinæ incolumitati restitutus est. Hoc ipse miraculum, in die B. Erici, omnibus qui aderant, et virtutem miraculi viderant, id

A ad ipsum attestantibus publice protestatus est.

A ISRAEL. EX MS.

altusque ex puteo semivivus extractus,

8 Adolescens quidam, Andreas nomine, de familia Domini Ingewaldi de Soland, divino judicio in tantam mentis alienationem incidit, ut cum ad coquinam aquam haurire deberet, semetipsum in præcipitium putei dando instinctu diabolico nisus est mirabiliter præfocare. Accurrentes autem famuli illum exanimem extrahentes, in domum deportabant : qui duorum dierum et unius noctis spatio, sine omni motu et sensu, quasi mortuus sic jacebat. Accedens autem ad eum supradictus Dominus suus, et videns hoc in juvene miserabile spectaculum ; votum pro eo ad B. Ericum faciens, divinam misericordiam et gloriosi Martyris opem pro misero misericorditer imploravit. Et ecce subito ille motum et sensum recepit, et revixit : oculos aperuit, Sacramentum Confessionis petiit et accepit ; a dæmonio simul et ægritudine perfecte continuo liberatus. Cumque a nobis, qui hoc miraculum, prout potuimus, diligentius examinavimus, interrogaretur, quid in illo biduo, quo quasi mortuus jacebat, ageretur circa ipsum ; dixit, se circumlatum multitudine nigrarum avium, quæ quasi in specie corvorum B nitebantur eumdem horribiliter suffocare. Hoc miraculum sæpedictus adolescens, cum his qui præsentes aderant, et quod factum est viderant, præsente multitudine Clericorum, religiosorum, ac laicorum publice protestatus est.

Domino suo votum faciente pro eo,

restituuntur sibi puer triduo exanimis,

9 Puer quidam septennis, Laurentius nomine, de Logor, dum in campo luderet cum aliis pueris, subita infirmitate correptus, exanimis in domum patris deportatur : ubi per triduum sine motu et sensu jacens, flebile matri et suis spectaculum ingerebat. Pater vero ejusdem (qui causa negotiorum tunc non aderat, domum rediens) naturali pietate motus super filio, ad Fratres Minores Stokholmensium recurrit, et ab eis recepit in consilio, ut se tota devotione ad merita et suffragia B. Erici converteret, quòd et fecit. Et ecce subito voto emisso filius præsentibus sanus et incolumis redditus est, gloriosi Martyris meritis et ejus potentia, qui filium unicum reddidit matri suæ. Puella quædam de Helsingonia, quæ satis enormiter contracta, non ambulare, sed serpere vix potuit miserabiliter, ob devotionem parentum et merita B. Erici, erecta est et sanata : quam omnis multitudo sanam et incolumem in festo B. Laurentii vidit procedentem. Puellæ, quam mater mortuam peperit, vitam reddidit : et matrem simul a mortis C periculo liberavit ; quam puellam multi postea vidimus sanam et incolumem. Frater quidam de Ordine Minorum, Custos in Swecia, vir probatæ religionis et notus pluribus, omnium membrorum tantam incurrit ægritudinem et tam gravem, ut se de lecto, in quo jacebat, nullatenus movere potuit : ad invocationem S. Erici, gloriosi Martyris ab illa gravissima passione liberatus est subito, sicut ipse coram omnibus in die B. Erici, dum prædicaret, publice protestatus est.

contracta enormiter,

fœtus præmortuus,

graviter ægrotans,

10 Puellæ cuidam adolescentulæ, quæ quasi jam mortua ad involvendum more fidelium deposita fuerat in pavimentum, ad invocationem parentum B. Ericum acclamantium, vitam pristinam reddidit clementia Salvatoris. Et hoc miraculum a parentibus ipsius est publice divulgatum. Matronam quamdam probatæ vitæ, pro cujus anima juxta morem Ecclesiæ, campanæ pulsatæ fuerant, et Sacerdos parochialis ad benedicendum funus accersitus fuerat (sicut ipse et alii, qui præsentes fuerant, nobis retulerunt) vitæ pristinæ reddidit Jesus Christus, per merita B. Erici Regis ac Martyris gloriosi. Virum quemdam graviter a dæmonibus vexatum, et in omni medietate sui corporis tam gravi paralysi adeo percussum, ut nullis membrorum officiis in ea parte uti posset, ob merita B. Erici ac vota astantium, Dominus a prædicta passione misericorditer liberavit : sicut ipse, et hi, qui huic miraculo astiterunt, coram nobis firmiter sunt testati. Quemdam etiam submersum noviter, et in domum cujusdam mortuum delatum, per merita Martyris gloriosi vitæ pristinæ reddidit clementia Conditoris. D

dux mortuæ,

paralyticus,

et submersus,

11 Villas etiam et domos a gravibus incendiorum periculis, sicut possessores earum nobis sunt attestati, Dominus liberavit per merita Sancti sui. Ut de villa Ekaby evidenter apparet. Anno Domini millesimo tricentesimo tertio, cum Frater Petrus Ordinis Prædicatorum Prior provinciæ Daciæ, sicut ipse pluribus Fratribus retulit, de Skeninge celebrato ibi Provinciali Capitulo, intendentes stagnum *e* Wariter transire, et Skarir proficisci, cum esset apud *f* Alvastrum monasterium Ordinis Cisterciensium, prope ripam dicti stagni præ nimia tempestate prædictus ibi moram facere cogebatur. Invocato autem patrocinio B. Erici, contra spem omnium subito cessavit tempestas suffragio B. Erici, illius virtute qui imperat ventis et mari : et mox cum maxima tranquillitate transivit aquam illam, quod jam tunc monachis et ceteris aliis impossibile videbatur. E

Sedantur incendium,

e

f

et tempestas :

12 Anno Domini millesimo trecentesimo quinto, domina Ragaborgh, uxor Domini Fulkonis in Fanorio, *g* in partu de vita periclitans, vovit quod de Floritasundh iret pedester Upsaliam ; et in honorem S. Erici talentum ceræ offerret, si a partus periculo et discrimine mortis liberaretur. Quæ mox prolem genuit. Sed proles mortua videbatur a præsentibus, nec aliquod vitæ signum in corpusculo edito horis pluribus apparebat. De quo mater vehementer dolens, ex virtute et ope Martyris, quam in se senserat, pro fœtu exanimi B. Erici auxilium suppliciter invocavit, ut abortivo ejus interventu vitalem Deus infunderet spiritum, quatenus baptismi saltem gratiam consequeretur, votum speciale faciens pro hujus gratia impetranda. Et ecce subito in corpusculo, quod videbatur exanime, cœpit vitalis spiritus apparere : et proles baptismum obtinuit, et Birgitta vocata pluribus annis incolumis vixit : et mater pro se et prole vota facta complevit. Hæc mihi Fratri Israeli retulit domina Ragaborh prædicta.

g

puerperis duabus vita servatur,

13 Matrona quædam, dum in partu periclitaretur, et de vita desperaretur ejusdem ; matronæ assistentes eidem, votum fecerunt S. Erico, ut Dominus per ejus merita morienti conservaret vitam, et laborantem liberaret a partu. Quo facto mulier peperit filiam mortuam : quæ cum per quatuor horas dici omnino mortua sic jaceret, videntes quæ aderant mulieres matrem reviviscere, ex virtute miraculi majorem in Domino fiduciam assumentes, pietatis affectu commotæ, iterato votum voverunt Domino, ut qui matrem a mortis periculo liberavit, filiæ ad tantum vitam daret, ut baptismi gratiam consequeretur. Quo facto continuo adest virtus Domini : et qui in facie Protoplasti inspiravit spiraculum vitæ ; corpusculo puellæ mortuo et recenter nato spiritum vivificantem misericorditer inspiravit. Videntes autem jam dictæ matronæ quæ aderant, spiritum vitalem paulatim per membra puellæ succrescere, ac ipsam quæ veraciter mortua erat veraciter jam viventem ; periculum mortis timentes, juxta formam Ecclesiæ baptizaverunt eamdem, nomen Helenæ imponentes eidem : quam post tres menses sanam et incolumem vidimus omnes, qui fuimus testes miraculi. Hoc autem miraculum probatum et examinatum est apud Arusiam, in ecclesia Fratrum Minorum, præsentibus Ministro et Custode et Abbatissa de Schogh, Archidiacono et Præposito, et Domino Jacobo, et aliis quam plurimis Clericis et laicis attestantibus. Hæc [accepi a] duabus matronis fide dignis et honestis, qui

eademque mortuis fœtibus redditur,

F

votis ad Sanctum factis pro eorum baptismo.

A qui hoc miraculum viderunt, et huic per omnia affuerunt.

Energumena sibi linguam præmordens,

14 Mulier quædam in parochia Hakastum, in villa quæ dicitur Helgister, occulto Dei judicio in tantam mentis incidit alienationem, ut etiam linguam suam propriis dentibus mordendo disceperet, et seipsam propriis manibus impetendo sæpius vellet occidere. Quam sui ligantes manibus et pedibus, etiam ori suo, ne sibi vel aliis noceret, interjectum faucibus lignum imposuerunt, ne (ut dictum est) sibi vel aliis noceret, ac linguam horribili morsu præcideret. Accersito igitur ex devotione Sacerdote Parochiali, consilium super hac calamitate humiliter expetunt et requirunt. Ille vero, sicut vir discretus, ad memoriam reducens, quod gloriosus ille Martyr Domini super hac passione curanda specialem a Domino gratiam obtineat, sicut multorum dæmoniacorum sanationes clarius attestantur, B. Erici specialiter in his dixit auxilium requirendum. Nec mora invocatur Sanctus, fiunt illi vota : et subito manus misericordiæ Domini super illam. Nam mulier quæ præ doloris vehementia et immundi spiritus vexatione prius somnum capere non poterat, ad modicum clausis palpebris obdormivit : atque iterum apertis oculis circumstantes quodam leviori intuitu aspexit, ita quod perpendi posset ex eo ipsam subito a dæmonio liberatam : nam advenientes prius tam horribili perterrebat intuitu, quod haud dubium esset dæmonium habitare in illa. Verum circumastantes, attoniti propter tam subitam miraculi novitatem, nec tamen ausi sunt solvere manus ejus, quas prius dum patiebatur vix octo homines poterant continere : sed accedens ad eam supradictus Sacerdos, ait illi : Filia, si liberata es ab infirmitate tua, gratias age Deo altissimo, qui te per merita B. Erici liberavit; et hoc liberationis tuæ nobis erit signum, si modo oculos ad cœlos levabis : nondum enim audebant solvere manus ejus neque pedes, neque lignum interjectum inter fauces ejus extrahere, ne sibi vel aliis crudeliter noceret. Protinus illa ad jussum Sacerdotis oculos in cœlum dirigit, liberationis suæ signum indiciis quibus poterat lacrymabiliter manifestabat. Solverunt vero sui manus ejus. Sacerdos ille denuo, ut evidentius experiretur certitudinem miraculi, iterum dixit illi . Conjunctas manus cum oculis ad cœlos attolle, denuo gratias agens : quam et illa subito jussionem explevit, et per fenestram domus aspiciens, ad Liberatorem suum oculos suos dirigebat. Tertio vero solventes C pedes ejus, lignum de faucibus ejus extraxerunt. Mira res, stupenda, digna miraculo, et posterorum memoriæ commendanda! Nam inspicientes in os ejus, linguam illius, quam prius morsibus dentium dilaniatam et consumptam ac sanguine defluentem viderant, extrahentes; ita sanam et incolumem ac mundam reperiunt, ut nec cujusquam vulneris vel læsionis in ea signum vel vestigium penitus remaneret. Sicque mulier illa, usu rationis plene recepto, pristinæ reddita est per omnia sanitati, nisi quod muta permansit per dimidium fere annum; nescimus quo occulto Dei judicio, nisi quod in ea amplius voluerit Dominus glorificare Sanctum suum. Nam instante et illucente die passionis Martyris gloriosi, mulier illa cum omni familia sua ad Deum et Sanctum suum ex toto corde conversa, flagitabat, ut sicut usum rationis et linguam illi sanatam præstiterat, etiam facultatem loquendi misericorditer reddere dignaretur. Et ecce subito, soluto vinculo linguæ ejus, loquebatur recte, benedicens Deum, gratias agens ei, qui eam a tot et tantis doloribus liberavit, per merita et invocationem Martyris gloriosi. Istud miraculum publice provulgatum est in Synodo Upsalensis ecclesiæ.

voto facto obdormit,

liberatam se probat,

linguam sanam exhibet,

ac denique loquelam recipit.

D

A Israel. Ex MS resuscitantur mortui duo,

15 Puer quidam parvulus, Siguattus nomine, in parochia Willaberghum, de villa Gryllaby, infirmatus, tandem ad extrema deductus est. Cumque a cognato suo Sacerdote dictæ parochiæ et a suis inter manus levaretur; et nihil in eo vitalis caloris, motus, aut sensus signum penitus remaneret; facto pro eo voto, meritis B. Erici revixit spiritus illius, et pristinæ redditus est sanitati. Vir quidam in Arusia, in domo Domini Windichini Mercatoris, gravi infirmitate correptus, ad mortem usque adeo perductus est, ut jam elinguis factus, clausis oculis sine sensu et motu per diem jaceret exanimis. Cumque a circumstantibus mortuus putaretur, et missum esset pro hæredibus, ut ipsius de funere exequiis ejus ac hæreditate ordinaretur : hospes supradictus votum pro eo emisit ad Martyrem gloriosum. Cumque mane jam facto ingrederentur ad ipsum, vident viventem, quem quasi mortuum reliquerunt, erectum in lecto sedentem, et alloquentem eos, et gratias agentem Deo qui eum de mortis januis clementer eripuit per merita Martyris gloriosi. Hoc miraculum dictus mercator, et qui aderant, in Upsalensi ecclesia coram Clero et populo publice protestati sunt. Vir quidam habitans in parochia Waxald, simul et subito mutus E et amens effectus, adeo ut præ furia propriam uxorem graviter vulnerando vellet occidere; a suis capitur et ligatur, et sic ad ecclesiam Martyris deportatur : et cum ibi aliquamdiu jacuisset, meritis Sancti sensum integrum recepit; sed remansit mutus. Cumque perseveraret orans, et gemitus et voces confusas crebro emitteret; tandem in nocte B. Joannis Baptistæ, dum Te Deum in matutino cantaretur officio, nobis astantibus et audientibus, precibus Martyris reddito sibi linguæ officio, loquebatur expedite et recte. Hoc miraculum in sequenti die supradictus vir in statione publica provulgavit : et hujus omnis quæ aderat, testis est ecclesia.

curatur mutus et amens,

16 Mulier quædam in Dalum nata, Liva nomine, dum servilis operis [aliquid] in die Dominica, contempta solennitate, sæpius ageret; in pœnam peccati subito lumen oculorum amisit. Quæ cum plura Sanctorum loca peregrinando visitasset ut visum reciperet; auditis B. Erici miraculis, devenit tandem ad ecclesiam Upsalensem : et ibi aliquamdiu manens et nihil proficiens, cum recessisset, admonita in somnis iterum rediit. Instabat tunc festum B. Laurentii, qui supradictæ patronus est ecclesiæ, annusque orbitatis pauperculæ illius vicesimus volvebatur. Cumque inter sacras vigilias ante sanctum corpus afflicta plurimum lacrymando in oratione pernoctaret, ac die sequenti dum in solenni processione, ut moris est, capsa Martyris circa ecclesiam reverenter deportaretur; ad valvas ecclesiæ ante ipsum scrinium flebilibus vocibus Dei misericordiam et Martyris adjutorium prostrata flagitabat. Et ecce subito aperti sunt oculi ejus, erumpente ex eisdem prius modico sanguine : et acclamabat se omnia clare videre in circuitu, et primo ac præcipue feretrum Sancti. Hinc omnis multitudo, quæ tunc aderat, et cæcam prius viderat, et nunc illuminatam, super tanto et tam palam facto miraculo glorificabant Dominum et Martyrem ejus Nos vero una cum Capitulo nostro, et aliis viris religiosis et Cleris discretis, omni qua potuimus discretione et solicitudine prævia diligenter examinavimus hoc miraculum, et rei gestæ veritatis testimonium perhibemus.

cæca ad 20 usque annum

in deportatione capsæ illuminatur :

17 Anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo, hoc miraculum egit divina Omnipotentia meritis B. Erici et Martyris sui ad suam gloriam, hoc anno in die Paschæ hora quasi prima in ecclesia Upsalensi, scilicet quod quemdam de Helsingia scholarem, qui a festo B. Martini usque ad Pascha quasi incurabilis languerat : cum jam dictus infirmus

sanantur, incurabiliter languens,

A. ISRAEL EX MS

A infirmus, de consilio domestici sui, infra ostium ecclesiæ Upsalensis fuisset delatus, pristinæ restituit sanitati. Mulieri cuidam de parochia Giristorn, quæ muta fuerat per biennium, per merita Martyris sui loquelam reddit gratia Salvatoris. Henningus de Ekby quinque diebus de vita, sine verbis et loquela, jacuit desperatus : vidit in visione B. Laurentium indutum *h* tabardo grisei coloris, venientem ad se, et dicentem : Sanaberis. Et statim infirmus audientibus omnibus prorupit in verba, et postea in brevi convaluit, et pro recuperata salute obtulit unum equum. Catharina de parochia Iristum habuit pedem et partem tibiæ *i* marcidam, ita quod sola cutis sine carnibus tibiæ inerat : et hac molestia triennio laborans, impotens fuit ad laborandum : quæ pro sanitate recuperanda votum ad B. Laurentium fecit; et sanitatem recuperavit. Et pedem cum tibia de cera facta in festo B. Laurentii personaliter obtulit.

h item invocato S. Laurentio moribundus,

i et tibia debilis

ANNOTATA.

a Attundalard *sive* Athundria, *una ex tribus Folklandiis, in quas distribuitur Uplandia. Ibi est* Husæby *versus Orientem respectu Upsaliæ, a qua distat* 140 M.

B P. *Sed omittimus singula loca et sæpe vicina indicare, cum in Mappis Geographicis satis annotentur.*

b Guttensis, *sive ex Gothia vicina oriundus.*

c Dacia *istis temporibus pro* Dania *sumebatur.*

d *Ast* Ingimundus *in margine vocatur.*

e Wariter, *pro quo margini adscriptum* Water *aliis* Watter *et* Vether, *lacus dirimens Ostrogothiam ab Westrogothia.*

f Alvastrum *in Ostrogothiam traditur anno* 1143 *constructum, beneficio Suercheri Regis decessoris S. Erici, ubi et is et varii Reges fuerunt sepulti.*

g *Hisce duobus puerperis tertia additur apud Vastovium, ubi ista leguntur :* Fœtui abortivo vita, matrique periclitanti salus reddita, voti beneficio ad eumdem Sanctum emissi. Alteri matronæ in simili periculo constitutæ visus adesse, puerperæ quidem ipsi sospitatem, partui vero absque ullo sensu edito vitam impertiit. Idem prorsus ejusdem Sancti beneficium alia puerpera de vita periclitans, cum incolumi fœtu voti rea experta est. *Hæc ibi.*

h *Concilium Budense an.* 1279, *apud Cangium in Glossario,* permittit Prælatis quod possint habere mantellos rotundos, sive tabarda longitudinis moderatæ. *Vox autem ubique notissima est, et nunc fere*

C *pro toga talari accipitur, cujus vel privatim domi vel publice in curia et solennibus functionibus usus sit.*

i *Hoc miraculum videtur apud Vastovium S. Erico tribui, ubi loco* tibiæ marcidæ *legitur* crus intermortuum.

CAPUT III.

Plurimi ægri amentia, febri, doloribus capitum, oculorum, et aliorum membrorum liberati, etiam Rex contabescens. Item incendia submota.

Nobilis vir Dominus Magnus, Joannis Angeli filius, cum Upsaliam in festo Nativitatis S. Mariæ venire disponeret, de Stocham profectus, nimia corporis infirmitate subito correptus, in curia sua Nelleco prosternitur. Tribus autem diebus alienationem mentis passus, loqui non poterat quod volebat : tribus vero aliis diebus immediate sequentibus, usum rationis plenæ habuit, sed aliquid penitus loqui nequivit : toto vero prædictorum sex dierum tempore, nullum omnino cibum vel potum sumpsit. Cumque quasi nulla spes evasionis ipsius videretur, et de necessariis pro funere et exequiis tractaretur,

Vir primæ notæ

post amentiam mutus et cibum renuens

D frater Israel filius sororis ejus, et Dominus Haquinus Sacerdos ejusdem, et Kanutus cubicularius suus, voverunt, quod Upsaliam de Fiortasundh irent nudis pedibus, si Dominus infirmo (de cujus vita desperabatur) sanitatem conferre dignaretur, ut aliqua verba loqui posset, et ordinare pro salute animæ suæ quæ sibi placeret. Post modicum infirmus aliquantulum dormitavit; et citius evigilans sexta die ægritudinis tantæ, circa horam vespertinam modicum quid liquoris infusum ori deglutivit, et loquelam statim sic recuperavit, quod ab astantibus intelligi potuit. In crastino autem, hoc est in die sabbati, ad Missam de beata Virgine in capellam suam duci se fecit : et tunc magis verba proferre potuit; sed quæ volebat dicere, totaliter exprimere nequivit. Sequenti vero die Dominico transivit usque Ullatunir : et inde in die lunæ in exaltatione videlicet sanctæ Crucis Upsaliam peregre profectus est; supradictis fratre Israele, Domino Haquino, et Kanuto implentibus votum quod fecerant. Ipse autem Dominus Magnus, juxta domum latericiam Fratrum Minorum de navi discessit, ad magnum spatium ab

E ecclesia Cathedrali distante : et qui vix ad modicum spatium alienis posse duci manibus putabatur, per se nudis pedibus, comitatus viginti famulis et amplius, similiter incedentibus, ad reliquias B. Erici accessit : et illic plenius usum loquendi recuperavit, et pretiosum abtulit *a* baldikinum Martyri glorioso. Prædictum miraculum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio contigit.

ex voto domesticorum

convalescit,

et nudipes ad S. Ericum accedit.

a

19 Dominus Martinus, Presbyter ecclesiæ Loristum, narravit, quod quidam parochianus suus, Olavus nomine, gravissimum a festo Paschæ usque ad festum *b* B. Olavi patiens dolorem capitis, vovit se limina beatorum Olavi et Erici visitaturum, si per illorum interventum Dominus illi desideratam tribueret sanitatem. In nocte igitur B. Olavi, cum paululum dormitaret, apparuit ei veneranda quædam persona, dicens ei : Ecce sanus factus es, ideo ad S. Ericum venire, et unum solidum albæ monetæ quem habes, offerre debes. Evigilans ille, bene curatum se statim sensit, et votum suum anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto in festo B. Laurentii devotus implevit. Prædicti etiam Domini Martini bos cadens in terram, subito mortuus putabatur, et nullum in illo apparuit vitæ signum, nisi quod alter oculorum illius modicum palpitabat. Cum autem famuli cum cultellis pedes jacentis arriperent, quasi corpus exanime excoriaturi, ut usibus hominum magis quasi occisum, et non quasi per se mortuum haberetur aptum; possessor eum B. Erico, si mortem evaderet, promisit. Cessant paululum famuli ab excoriatione, et bos movere se fortiter cœpit, et post modicum plene convalescens B. Erico in festo B. Laurentii oblatus fuit.

b Presbyter sanatur dolor capitis

ejusque bos moribundus servatur :

20 Vir quidam in parochia Walom in tantam mentis alienationem incidit, ut manu propria guttur sibi horribiliter incideret per transversum. Vicini autem et cognati, de casu tam mirabili et miserabili stupefacti, Venerabilis memoriæ Dominum *c* Fulkonem Upsalensem Archiepiscopum, qui in vicino erat, adierunt, consulentes et inquirentes quid de corpore miseri facere deberent, quem jam mortuum reputabant. At ille, qui pii semper cordis erat, et super afflictos pia gestans viscera, quæsivit si in eo adhuc vitalis spiritus remaneret. Quibus respondentibus quod sic, licet exiliter, ut puta qui spirabat per locum vulneris; monuit eos, ut votum pro eo facerent ad B. Ericum, quatenus ejus meritis ei, qui in ultimo erat spiritu constitutus, divina miserationis abundantia subveniret. Ipse etiam oratorium suum mox ingressus, pro misero humiliter preces fundebat ad Deum, votum vovens, quod si prædictus vir

item gutture inciso moribundus,

c

Archiepiscopo vovente Missam de S. Erico

A vir periculum perditionis evaderet, ipse ad honorem Dei et dicti Martyris Missam solenniter decantaret. Quo facto vir dictus sensus recuperavit integritatem, et perfectam sui corporis sanitatem adeptus in brevi, in sequenti festo B. Erici sanus comparuit; signum miraculi evidentis in se præferens, cum ejus in gutture cicatrix modica appareat ad modum fili coccinei, ad laudem et gloriam Domini nostri, et extollendum præconium Martyris gloriosi.

sanantur exulceratio tibiæ,

21 Eodem anno in Jarimtalandia puer quidam quatuor vel quinque circiter annorum, dum nudus pedibus æstivo tempore incederet, spina quædam tibiam ejus circa cavillam pedis subintravit. Cumque ex hoc tibia miserabiliter intumesceret, et miserabilius putrefieret, in tantum ut carne decidente nervi et fere nuda ossa remanerent, pueroque jam mortis immineret dispendium, nec medicinæ sibi remedia subvenirent; matre ejus emittente votum ut limina B. Erici in Upsalia visitaret, puer a periculo mortis liberatus est, et restitutus integerrimæ sanitati: quæ votum complens, Upsaliam venit in sequenti Cœna Domini, deferens secum unam tibiam argenteam, ad perpetuam memoriam miraculi perpetrati. B Hæc duo miracula publica fuerunt in festo ejusdem Martyris gloriosi B. Erici in ecclesia Upsalensi, præsente illustri Rege Swevorum *d* Magno, et domina Regina uxore, et magna nobilium et populi multitudine sexus utriusque, anno Domini millesimo ducentesimo septuagesimo septimo. Eodem etiam die venit vir quidam fide dignus, Upsaliam deferens secum duo signa pedum de cera facta, qui se a tumore pedum miserabili, ad invocationem B. Erici, asseruit liberatum. Israel filius Erlendi, dum scholas Lincopiæ frequentaret, quartanæ febribus annis tribus et dimidio laborabat. Cum autem gratia visitandi parentes de Ostgotia redisset in Sweciam, Fulco avunculus suus bonæ memoriæ, tunc Archidiaconus, et postmodum Archiepiscopo Upsalensis, venerationis et honoris B. Erici zelator præcipuus, mandavit ei, quod pro salute recuperanda corpus B. Erici, quod tunc in antiqua requiescebat Upsalia, visitaret, et ibidem in honorem sancti Martyris unam candelam offerret. Tradidit etiam ei Antiphonam cum Versiculo et Collecta, quæ de glorioso Martyre frequenter recitare deberet. Ille igitur, qui longa et gravi ægritudine fere defecerat, jussa complevit, et plenam paucis postmodum evolutis diebus obtinuit sanitatem.

d · *tumor pedum,* · *quartana febris.*

Bergerus Rex puer in periculo vitæ, e

C 22 Gloriosissimi Swevorum Gothorumque Regis Magni filius *e* Bergerus, Rex illustris, gravi et diutino languore defecerat in tantum, ut consumpta carne cutis ejus aresceret, et membra tenella vix sibi invicem cohærerent pariter, et nullus in eo vigor virium remaneret. Cumque sic per annum momentis pene singulis ad occasum tendere videretur, accidit ut ipsum nocte quadam subito gravissima gutta vehementer invaderet, et in tantum vexaret, quod custodes sui, de vita ipsius penitus desperati, putarent eum denuo mortuum. Pædagogus autem ejus Dominus Carolus Thidhische, tunc primus inter custodes Regii corporis, remedia humana tanto periculo subvenire posse diffidens, ad divinum se convertit auxilium; et instanter invocans SS. Olavi et Erici Regum et Martyrum et B. Nicolai Confessoris patrocinia, pro liberatione et salute Regis votum vovit peregrinationem et oblationem. Mittens autem fortes, an voti oblatio S. Olavo, vel S. Erico, vel B. Nicolao redderetur, statim sors B. Erici tribus vicibus evenit. Ipsius ergo adjutorium cœpit specialiter instantius invocare: et ecce continuo facta est manus Domini super infirmum, et mox sensibiliter cessavit guttæ molestia, et in brevi totus languor a regio recessit corpore, et ipse supra spem cito plenam obtinuit sanitatem. Prædictus D igitur Dominus Carolus, et duo Milites alii, factum pro Domino Rege votum complentes, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo in festo B. Erici, cum solenni oblatione Domini Regis, de Stokholm iverunt pedestres Upsaliam, et in statione publica super prædicto gloriosi Martyris Christi beneficio perhibuerunt testimonium veritati. Sæpedictus ergo Dominus Carolus a gravi ægritudine, et longo dolore oculorum, qui ei pene omnino cæcitatem induxerant, per B. Ericum curatus est, et liberatus plenarie: sicut ipse in prædicta statione coram omnibus est testatus.

ex pædagogi voto convalescit,

A. ISRAEL EX MS. sicut et ille a dolore oculorum:

succurritur abortum timenti,

23 Nobilis quædam, et devota Domina Helgha, uxor Domini Roririci Birgirsna, cum bis, sicut cuidam religioso retulit, conceptum fœtum abortisset, et gravida iterum tertio simile eventurum sibi nimium formidaret; B. Ericum præcordialiter invocavit, promittens quod si per ipsius merita Dominus conceptum suum vivum nasci concederet, ipsa B. Erico unum aureum offerret. Tempore igitur opportuno puellam vivam peperit: unde Deo et B. Erico gratias agens, votum suum gaudenter implevit. Cum E ingentis incendii vorax flamma silvam juxta ecclesiam Gutturorum, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto circa Pentecosten vastaret; et ventus validus ignem domibus Sacerdotis, quæ vix ad jactum lapidis a silva dicta distabant, appropinquare faceret; Dominus Nicolaus, qui tunc illius ecclesiæ Rector erat, invocavit auxilium B. Erici, ut domos ecclesiæ ab ignis periculo liberaret. Et ecce mox contrarius ventus venit, et flammas a domibus Sacerdotis repulit; et curia, sicut prædictus Dominus Nicolaus Upsaliæ in Synodo narravit, ab illo incendio illæsa permansit. Cum etiam maxima pars curiæ Domini Lidhinnardi Noroby prope Upsaliam combusta esset, invocato B. Erico pars magna dictæ curiæ, sicut refert domina Margareta uxor Domini Lidhinnardi, miraculose fuit ab incendii periculo liberata.

incendium restinguitur.

Curantur languores graves, · *dolor oculorum,* · *amentia 18 mensium,*

24 Anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo nono, Andreas de Sel duodecim septimanis decumbendo languerat: qui facto voto B. Erico, statim cum convaluit, ad limina beati Martyris cum oblatione indilate venit. Eodem anno Saxo Castellanus Stokholmiæ, vovit candelam de talento ceræ, et a gravi infirmitate liberatus, votum complevit. Eo- F dem anno Sederius, de parochia Vaxal, a gravi oculorum dolore asseruit se beati Martyris meritis liberatum. Olavus de parochia Hugddungi de seipso refert assertive, quod cum esset puer septennis, anno et dimidio alienationem mentis passus est. Cumque pater et propinqui inde plurimum gravarentur et dolerent; pater pro infirmo filio B. Erici auxilium attentius imploravit, promittens, quod prædictus Olavus filius suus, si a tam miserabili passione liberaretur, singulis annis offerret B. Erico tempore vitæ suæ unum solidum. Qui mox sanitatem plenariam assecutus est, et singulis annis singulos solidos reponens, donec pretium unius vaccæ collegerat; emptam inde postmodum vaccam, anno Domini millesimo trecentesimo in festo B. Laurentii B. Erico obtulit, et similiter se facturum reliquo tempore vitæ suæ imposterum affirmavit.

fames plurium annorum.

25 Cum fames valida annis pluribus Sweciam devastasset, rustici parochias Barling, Spiccaby, et Akirby inhabitantes, in hoc unanimiter optime convenerunt; quod pro temperie aeris a Domino impetranda tribus sextis feriis ad suas singuli ecclesias devote convenirent, et quod B. Erico offerrent unam aristam argenteam deauratam, si per ejus interventum Dominus, secundum agrorum exigentiam, sere-

A nitatem et pluviam tribueret opportunam. Optatum effectum mox consecuti sunt voti sui : et quod promiserant, alacriter reddiderunt. Retulit Dominus Ragualdus Puke, quod cum uxor sua Domina Catherina, duodecim septimanis graviter languisset, et tam longo languore sic ad extrema deducta fuisset, ut ei jam pollices ligarentur, et nulla videretur spes evasionis ipsius, ipse pro vita et salute illius B. Erico vovit peregrinationem, et unum baledkinum. Mox illa insperate convaluit plene : et ipse B. Erico promissum obtulit baldekinum. Sacerdos quidam nomine Martinus, Orningus natione, Rector ecclesiæ Egboharade de Synodo Upsalensi, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo tertio ad ecclesiam suam redire volens, dum iter ageret, equo cadente corruit; et tam graviter caput suum ad radicem cujusdam arboris illisit, quod pileus, quem habebat in capite, ruptus fuit : tandem de terra surrexit, et apud quemdam Sacerdotem hospitio susceptus est, ubi ex præcedente casu sensum perdidit; et mente alienatus jacens per octo dies, nullum omnino cibum sumpsit. Hospes autem ejus, doloroso ipsius casui valde condolens et compatiens, B et de morte timens, votum fecit pro eo, quod si per B. Ericum eum Dominus misericorditer sanaret, ille, qui tam graviter patiebatur, de uno talento ceræ similitudinem sui capitis fieri faceret; et de loco, ubi tunc jacebat, Upsaliam pedes vadens, oblationem suam personaliter præsentaret. Hoc facto protinus patiens sanus surrexit, et cum suo hospite eodem sero ad communem mensam comedit, et votum pro se factum libenter complevit. Ipse et hospes ejus, qui pro eo votum fecerat, pariter hoc miraculum divulgaverunt, et cum juramento rei gestæ testimonium reddiderunt.

A. Israel ex MS

vulnus capitis,

et amentia inde contracta,

26 Anno Domini millesimo tricentesimo sexto, circa festum B. Olavi, Benedictus, sex annorum parvulus, filius Olavi Dansca et Ingegerdis, in parochia Wendilwilla Ekeby, post multas ægritudines et convalescentias diversas, subito circa genitalia et usque ad umbelicum inflatus est, et cutis inflata denigrata est instar carbonis : nihilque infirmo superesse, nisi jam spiritus exhalatio, videbatur. Sub hac calamitate perrexit mater ad ecclesiam die Dominico, quo profestum B. Olavi erat, non valens domi præ doloris vehementia consistere, nec filium tunc unicum volens cernere morientem; quem de domo recedens, numquam vivum putabat se amplius C revisuram. Hanc in ecclesia Dominus Joannes Presbyter de antiqua Upsalia adveniens, lugubrem et lacrymis infusam et incultam vestibus advertens, tantæ mœstitiæ causam quæsivit, et didicit ab eadem: cujus mulieris miseriam cumulabat, quod sub unius integri anni revolutione antea quatuor filios et duas filias amiserat. Consolans ergo flentem feminam prædictus Presbyter, consuluit, quod in B. Erico fiduciam poneret, et ipsum pro salute filii invocaret, et ad eum votum faceret pro salute de vita penitus desperati. Illa itaque secundum Presbyteri consilium vovit pro filio, quo limina B. Erici, ubi sepulcrum est Martyris apud antiquam Upsaliam, annis singulis visitaret, et dici faceret unam Missam in honorem ipsius, atque peraudito officio ad propria est reversa. Cui parvulus, quem ipsa quasi morientem reliquerat, foris occurrit in curia. At illa de subita mutatione inspiratæ similis vehementer obstupuit, et ipsum sensu alienatum putavit; in hospitium reduxit, et tam subitæ convalescentiæ modum diligentius inquisivit. Levans autem familiariter vestimenta infirmi, et loca prius tumida jam absque tumore conspexit, ac cutem contractam et rugosam superjacentem locis læsis. Cumque diceret mater filio, Quid tecum actum est fili? respondit ille : D Modo sub absentia tua supervenit mihi dulcis sopor, et in illo vir quidam in albis mihi apparuit, et me palpavit; et statim cum tumore dolor me reliquit. Licet autem puer, ut puta sexennis, de viro sibi in albis apparente plura referre nesciebat, tamen pie creditur fuisse B. Ericus, qui sub momento convalescentiæ parvuli a matre fuerat invocatus devotius, ut filio suo fieret in salutem. Mater vero inæstimabili repleta gaudio, metuens infirmo de recidivo, paucis eum diebus servavit, cutisque contracta et nigra, infra triduum, absque cujuslibet medicamenti et unguenti adhibitione, in naturalem colorem et planiciem supra spem est reversa. In festo igitur B Laurentii tunc proximo, mulier nudis pedibus cum filio incolumi venit ad sepulcrum B. Erici, et Missam pro salute filii sibi reddita solenniter dici fecit. Præmissa omnia prædicta. Ingegerdis nobis, f Nicolao Archiepiscopo Upsalensi multisque præsentibus, fideliter exposuit anno Domini millesimo trecentesimo decimo, in die Consecrationis ecclesiæ Vendil, in cujus ecclesiæ parochia hoc miraculum est patratum.

tumor pestilens;

puer moribundus ad votum matris

apparente ipsi per somnum Sancto:

27 Refert Dominus Joannes Presbyter de antiqua E Upsalia, uxorem cujusdam molendinarii in parochia sua a gravi languore per invocationem B. Erici curatam, circa annum Domini millesimum tricentesimum sextum vel septimum. Cum Torstanus faber in Farryngor plaustrum oneratum fœno de prato in propria vellet deducere; filius suus puerulus, utpote tertium agens ætatis annum, in occursum patris cursitans, incaute prolapsus est juxta currum. Cum pater currum depelleret, penitus ignorans de puero, audivit unicum ejulatum pueri, super quem duæ rotæ currus transierunt, et eum miserabiliter contriverunt. Pater ad unicum sonum parvuli, dum prima rota super eum transivit, obstupuit : et quidnam esset, quod audierat ignorans, subito equos trahentes currum subsistere fecit. Respiciens, retro plaustrum fœni, contritum corpusculum vidit, in quo nullum signum vitæ apparuit, in gremium suum posuit, et in domum suam propriam proximam deportavit. O bone Jesu! quale tunc poterat esse cor paternum in casu miserabili filioli sic extincti? Subit interea animo ejus, et inter has angustias cœpit invocare B. Erici Regis et Martyris auxilium, quem audierat in subveniendo miseris promptum pariter et paratum. Cumque contra spem votum fecisset pro puero sancto Martyri, qui extinctus videbatur et contritus membris, ecce subito revixit, et incolu- F mis toto corpore postmodum tempore multo vixit. Factum est autem hoc miraculum anno Domini millesimo tricentesimo octavo. Hoc mihi Fratri Israeli et pluribus fide dignis aliis pater pueri fideliter enarravit.

gravis languor,

puer a curru obtritus,

28 Anno Domini millesimo tricentesimo decimo, in profesto B. Erici, cum Dominus f Nicolaus Archiepiscopus post Completorium de ecclesia redisset in cameram suam, subito febre corripitur, lecto prosternitur, tota illa nocte vi febrium vehementissime vexatur usque prope solis ortum, et cogitabat se numquam de Upsalia recessurum. Cum autem diffideret se die B. Erici de lecto surgere posse, invocavit auxilium B. Erici, vovens, quod si meritis ejus relevaretur tantum quod posset illo die Missarum solennia agere, de cetero Martyris memoriam in Matutinis et Vespertinis horis semper haberet. Et ecce mox sopore correptus, sudare multum cœpit, et infra horam tertiam sic sanitatem et vires supra spem protinus recuperavit, quod ea die Missam solenniter celebravit, et alia quæ suum officium exegit potuit exequi competenter : et pro illo tempore omnino reliquit eum febris. Hoc ipsemet coram multis personaliter die B. Erici in statione solenni, ad Dei

f Archiepiscopus febri pressus semel

A Dei et Martyris gloriam, enarravit. Cum etiam anno Domini millesimo tricentesimo undecimo constitutus apud manerium suum Akir, ab Upsalia in festo dicti Martyris se absentare disponeret, vehementi infirmitate subito correptus, cum omni celeritate ad dictum festum properavit, et mox infirmitatem evasit. Refert Dominus Joannes Presbyter de antiqua Upsalia, quemdam de Philin transeuntem ad Upsaliam subito intumuisse nimium, et gutta graviter vexatum, tantum quod de vita ejus desperabatur. Sed delatus ad Olavum in Fulredhum, facto pro eo ad B. Ericum voto, mox convaluit.

et iterum: *podagra curata,*

29 Cum ignis magnus granarium, quod erat domus grandis aliis vicinum hospitiis, in curia Dominæ Margaretæ in Wixstadum, relictæ Domini Roridh, conflagraret, et flamma diffunderetur vehementer; Domina Margareta, metuens quod tota curia vastaretur incendio, invocavit patrocinium B. Erici, vovens se Martyri unam marcham puri [auri] oblaturam, si meritis ejus Dominus tanto periculo remedium apponere dignaretur. Et mox flamma, quasi vi quadam occulta, in partem alteram deflexa est: nec domos contiguas læsit in aliquo incendium, nec B vastavit. Contigit hoc Sancti beneficium anno Domini millesimo tricentesimo decimo, feria quinta ante festum B. Erici, quod dicta Domino Margareta ad Dei et Martyris gloriam in festo B. Erici coram pluribus fide dignis fideliter enarravit. Eodem anno in nocte B. Erici curiam Oridgeri in villa Ladhum, de parochia Knyffta, quæ sita erat in medio villæ, cum curiæ aliorum ex utraque parte comburerentur, ad invocationem Martyris ignis omnino non tetigit, nec in aliquo læsit. Hoc coram Domino Archiepiscopo et pluribus nobis retulit Dominus Edmundus, Rector Ecclesiæ Odimsharghæ.

incendia repressa.

30 Eodem anno feria quinta proxima ante festum B. Erici, nobilis quædam puella nomine Christina, filia Domini Haraldi Arilgh, gravi infirmitate in Halkqui laboravit, ita quod per decem dies nullum penitus sumpserat cibum. Cum igitur mortis discrimen valde metueret, fecit ad se vocari Fr. Israelem Priorem Sigtuniæ consobrinum suum, qui tunc cum Domino Nicolao Archiepiscopo in Fundhboharraldhe erat: quem ad se venientem rogavit, quod in crastino rediret, et ejus Confessionem audiret, et sibi Sacramenta ecclesiastica ministraret, et suum conficeret testamentum. Qui rediens ad decumbentem in crastino mane, cum ad eam vellet accedere: ecce vidit pedissequas ministras puellæ gementes, et C flentes, et dicentes: Postquam ab ea recessistis heri hora nona, ipsa nihil locuta est nisi pauca verba quasi extra sensum in nocte. Accessit igitur ille ad locum, explorans si aliqua verba proferre posset. Accesserunt etiam famulæ, tangentes et moventes eam, et requirentes si aliquid loqui valeret, saltem ullum verbum. At illa fortiter mota, nec occulos aperuit, nec verbum ullum protulit. Omnes ergo qui aderant, non solum de vita infirmantis desperabant; sed etiam quod nec Sacramenta percipere, nec posset condere testamentum. Recedens igitur in curiam Frater Israel, vehementer dolens quod illa sine Sacramentis et testamento videretur migratura de corpore; affligebatur animo, quod eam non confessasset, et quod ei Sacramenta non ministrasset, et testamentum condidisset die præcedente. Voluit igitur mox dicta de beata Virgine Missa recedere, et convocans ad se Dominam Raguildim, uxorem Domini Benedicti Boson, materteram infirmæ, et Dominum Styrgerum parochialem ibi Presbyterum, et Dominum Jacobum Sacerdotem, informavit eos qualiter funus involveretur, et quomodo et ubi tumularetur, et qualiter funeralia fierent, et cetera hujusmodi negotio opportuna.

Mulier ægra *absque Sacramentis moritura*

Aderat aliquis, qui suggerebat: Fiat votum pro ea D ad B. Ericum, quod si melius habuerit, ipsa peditando peregrinaretur ad limina Sancti, et offerat baldekinum. Consentiunt Domina Raguildis et Frater Israel: et cum vellet ire ad celebrandum Missam, venit festinus famulus vocans sæpedictum Fratrem ad desperatam de vita prius. Ac tum ille stupens de insperato beneficio, cum gaudio accessit ad eam. Ait illa clara voce: Jam melius habeo, et cibum appeto, et spero in brevi plenarie convalere. At ille dixit: Prius Confessionem facite, et Dominicum Corpus suscipite, et sic sumite cibum. Metuebat enim dictus Frater, ne subito invalescens iterum morbus illam extingueret; quia nonnumquam solent escas petere vel suscipere protinus morientes. Dixit quoque ille: Nunc Missam de S. Erico celebrabo, et sic Confessionem vestram audiam, et alia, quæ ad salutem animæ vestræ pertinent, faciemus. Celebrata igitur Missa, et audita ejus Confessione, et ministrata ei sacra Communione, et condito testamento, illa suscepit cibum, et sub mirabili celeritate plene convaluit et perfecte. Ipse etiam dicebat se voto ad B. Ericum facto a quartana, qua anno et dimidio laboraverat, gloriosi Martyris patrocinio antea liberatam. E

A. ISRAEL EX MS. *ex suorum voto,* *subito convalescit* *olim etiam quartana liberata.*

ANNOTATA.

a Baldakinum *seu* Baldekinum, *pannus Babylonius auro intextus, dictus a Babylono, hodie* Baldach, *appellata: unde etiam umbellæ quadratæ, tam portatiles quam pensiles, nomen habent. Vide Glossarium Cangianum.*

b S. Olavus *Rex Norwegiæ et Martyr colitur* 29 *Julii. De hoc ut* dilecto suo, *et* S. Erico *ut* amico suo coronando *loquitur Christus ad S. Brigittam cap.* 27 *in Revelationibus Extravagantibus.*

c *Apud Joannem Magnum lib.* 3 *de Vitis Pontificum Upsalensium dicitur* Folco nonus Archiepiscopus, a Gregorio Papa decimo consecrationem et pallium assecutus. *Sedit Gregorius a Kalendis Septembris anni* 1271 *usque ad diem* 10 *Januarii anni* 1276.

d *Hic est* Magnus cognomento Ladulans, id est horrei sera, quod tam rigide justitiam servarit, ut absque sera et claustro horrea tuta essent. *Ita Michael. Ejus vero uxor fuit* Hedwigis, *filia Gerardi Ducis Holsatiæ. Ita Magnus lib.* 20 *cap.* 1 *quo et sequentibus de Magno Rege agit, sed tempus regni et conjugii serius notat, quam notandum fuisse hinc discimus.* F

e Bergerus *minorennis, a Magno patre moribundo anno* 1280 *constitutus heres regni, sub tutore Turgillo. Ita idem Magnus lib.* 20 *cap.* 9.

f *Hic est* Nicolaus Catilli, *qui Nicolao Alonio* 4 *Februarii anno* 1305 *defuncto successit, et vixit usque ad* 30 *diem Maji anni* 1314. *Ita lib* 4 *dictus Joannes Magnus de tempore Sedis.*

APPENDIX

Miracula duo postmodum patrata et recentiori manu adscripta.

Anno Domini millesimo quadringentesimo tertio, in translatione S. Erici, quidam Rowan Andrissem de parochia Wikungaker, de villa Barkasartir, coram Decano et quibusdam Canonicis Upsaliæ, filium suum decem annorum præsentavit; quem filium dixit fuisse omnino mutum usque ad sextum annum ætatis suæ: pro quo votum fecit S. Erico, quod cum filio et oblatione visitaret S. Ericum: moxque ruptum est vinculum longi silentii, et puer infra quartale anni perfectum usum loquendi juxta suæ ætatis possibilitatem recepit. Anno Domini millesimo

Mutis loquela data.

A. ISRAEL EX MS.

A simo quadringentesimo undecimo, in Profesto S. Erici, quidam Hanes Walterssem de parochia Fasta, qui per annum cum dimidio loquelam et auditum post gravissimam infirmitatem amiserat, loquelam et auditum recuperavit in prato Moraaring, peregrinando ad limina B. Erici; et erat tunc septima dies post votum peregrinationis emissum. D

SEQUENTIA

Ex pervetusto Missali.

Gratulemur dulci prosa,
Laus Erici gloriosa
Prodeat in medium.
Ex radice generosa
Transplantatur vernans rosa
Ad regale solium.
Regni rebus ordinatis,
Sanctus adit cum armatis
Terras infidelium.
Defunctorum in peccatis
Miro motu pietatis
Deflet strages hostium.
Justus in judicio,
B Frequens in jejunio,
Artus atterebat
Aspero cilicio:
Fervida devotio
Mentem incendebat.
Viri pravi conspirantes,
Et in necem machinantes
Regis unanimiter,
Bellum movent improvisum:
Rex occisus Paradisum
Introit feliciter.
A defunctis revocatam
Matri vivam reddit natam,
Et sanat puerperam:
Quinque plagis vulnerato,
Jam de vita desperato,
Dat salutem prosperam.
Felix cujus gratia
Fugantur dæmonia,
Vident excæcati,
Contracta erigitur,
Et submersus redditur
Plenæ sanitati.
Sponsione facta voti
Vocem reddit Sacerdoti,
Et infanti tibiam:
Statim inter Fratrum manus
Frater Minor surgit sanus,
Post longam miseriam.
Sensum reddit mulieri,
Quæ vix capi vel teneri E
Poterat præ furia.
O quam probant Sanctum Dei,
Et confirmant fidem rei
Tanta mirabilia!
Ergo Regi mirifico
Laus lætabundo cantico
Frequentetur:
Cujus fruens Upsalia
Salutari præsentia
Jucundetur.
Tu Sueorum Rex, Erice,
Magne Martyr et amice
Dei, prece sedula
Venerantes nos emenda,
Et nos illi recommenda,
Qui regnat in secula.

DE B. GUILLELMO TOLOSANO,

NOT. 15ma APP. TOM. VII D. P.

ORDINIS EREMITARUM S. AUGUSTINI,

C TOLOSÆ IN AQUITANIA. F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Vita in Gestis Tolosanorum a Nicolao Bertrandi descripta, et Elevatione corporis.

AN. MCCC LXVIII.

Nicolaus Bertrandi in Gestis Tolosanorum,

Gesta Tolosanorum ab urbe condita, *exeunte seculo* XV *scripsit* Nicolaus Bertrandi, utriusque Juris Professor Parlamentarisque Tolosæ Advocatus, *impressa deinde anno* MDXV, *quorum hoc tempore difficilium inventu desideratissimum exemplar tandem accepimus, beneficio adm. R. P. Janini, Prioris Eremitarum S. Augustini Tolosæ eorumdemque per Aquitaniam Provincialis.* Celeberrimum ac præditissimum opus *appellat, qui imprimendum curavit Magister Joannes Magnus-Joannes, Auctoremque, tum adhuc viventem, titulis* Professoris præstantissimi Advocatique eloquentissimi *ornat. Guilielmus de Catel, qui ipsum exemplar nunc nostrum aliquando possedit lib.* 3 *Historiæ Languedociæ pag* 519, *laudat eumdem, ut* hominem diligentem et curiosum, nisi plusculum fidei adhibuisset fabulis; *iis scilicet quas de origine urbis Romanæ antiquioris, Imperatoribus, Regibus, usque ad tempus prædicati apud Tolosates per S. Saturninum Evangelii majorum confinxit simplicitas et per vulgi ora transmisit ad posteros: cetera quæ certioribus documentis ab eo sciri potuerunt, seculis ætati ejus proximis acta, satis probant curiosam viri diligentiam, imprimis quæ de ultimis octo Episcopis et quatuordecim primis post eos Archiepiscopis, deque viris interim doctrina ac sanctitate præstantioribus, narrat ab anno* MCC.

Vitam describit;

2 *Hic ergo auctor fol.* 50, *exorsus* tractatum de Doctorum Tholosanorum gestis, *post Juris utriusque Professores celebriores, Doctores quoque in Theologia commemorat variorum Ordinum, videlicet S. Dominici, S. Francisci, S. Mariæ de monte Carmelo; agens denique* de Fratribus Eremitarum Ordinis S. Augustini, qui in Tholosa originem duxerunt, et scientia atque vitæ sanctitate coruscarunt. *decimo quarto codemque ultimo loco subjungit* historiam recolendæ memoriæ Fr. Guillermi de Natholosa, ex auditu et fideli

ex relatu familiarium :

A fideli testimonio multorum... qui cum ipso conversati fuerunt viginti annis et ultra... et ipsum frequenter de Confessione audiverunt, *uti in Prologo loquitur. Sub hoc deinde titulo Historiam promissam exorditur :* De Guillermo de Natholosa, sancto utique viro, super ejus laudabili ac austera vita, compendiosa recollectio. *Ex hac constat, anno ætatis* XIX *ingressum in Ordinem, in eodem vitam protraxisse usque ad* LXXII *annum, obiisse vero* XVIII *Maji die Veneris ante Pentecosten anni* MCCCLXVIIII, *atque adeo natum anno* MCCLXXXXVII, *habitum assumpsisse anno* MCCCXVI, *proinde multo juniorem esse* Venerabili Mag. G. de Tolosa, *quem Herrera invenit anno* MCCCXVIII *in Capitulo Generali Ariminensi designatum, pro anno abinde tertio,* Examinatorem studentium in aliquo Studio de Italia.

testaturque de elevatione Corporis

3 *Vitam prædictam exornavit, et in Gallicam linguam convertit Fr. Simplicianus a S. Martino, Eremita Augustinianus, inter Vitas Sanctorum ac Beatorum sui Ordinis, post Vitam S. Augustini collectis editisque anno* MDCXLI *Tolosæ : sed nihil novæ lucis addidit veteri Latino contextui, quem hic fideliter transcriptum damus. Nicolaus Bertrandi modo* Beatum, *modo* Sanctum *absolute appellat; et explicata corporis,*
B *post diem quinquagesimum adhuc integri, refossione elevationeque in marmoream tumbam;* quantis ibi, *inquit,* miraculis coruscet, quantaque beneficia sanitatum præstentur, recolere vix sufficerem : *deinde* qualis fuerit ejus vita in terris, dignosci *dicit* in prodigiis et miraculis, quæ nunc operatur Deus ipsius sancti Patris meritis : *utique per spatium centum viginti annorum et amplius, quot a Sancti morte ad Nicolai scriptionem fluxerant : quorum causa plurima ad sepulcrum appensa anathemata aliquando fuisse, nihil est dubitandum. Saussayus in Supplemento Martyrologii Gallicani, absque scrupulo* Sanctum *appellans, sic scribit ad hunc diem :* Tolosæ depositio S. Guillelmi de Natholosa Confessoris, Ordinis Eremitarum S. Augustini, pietate, humilitate, et zelo Dei clari, qui in laudem Christi, sicut optaverat deficiens, in amoris jubilo expiravit. *Omitto recensere scriptores Ordinis, qui eum* Beatis *adscripserunt, Alfonsum de Orosco, Josephum Pamphilum, Thomam de Herrera, Aloysium Torellum, quorum unus alterum successive describentes, alter alteri nihil novæ lucis auctoritatisque addunt. Solus Simplicianus, Tolosæ vivens et Gesta Tolosanorum Bertrandi præ oculis habens, ac* S. Guillelmum *absolute appellans, etiam ipse fidem facit, eamdem*
C *appellationem venerationemque hoc quoque seculo apud Tolosates vigere : prælaudatus autem Prior Janinus de votis publice nuncupatis ad ejus memoriam fidem facit, nihil explicans in particulari eorum quæ requirebam.*

et miraculis olim frequentibus

Beatus ac Sanctus passim dicitur.

VITA

Auctore Nicolao Bertrandi J. C.

In Gestis Tolosanorum editis anno 1515.

PROLOGUS.

Omnia a certæ fidei auctoribus accepta protestatur.

Nunc superest gesta atque historiam recolendæ memoriæ Fratris Guillermi de Natholosa, Ordinis Fratrum Eremitarum Divi Aurelii Augustini, conscribere : in quo Ordine is diutius Tolosæ laudabiliter conversatus, magnis ac variis, tam ante quam post illius obitum, ejus sanctitatis vita claruit miraculis. Cujus quidem vitæ et sanctitatis ordinem prosequi deliberans, paucis quidem verbis depromere curabo : atque ejus gesta describens, non tam ex narratione populi civitatis Tolosæ, ubi vitam suam longis temporibus laudabiliter ad suæ usque finem
D perduxit vitæ, quam etiam ex fama publica et communi totius patriæ comprobabo : verum etiam ex auditu et fideli testimonio multorum laudabilium virorum atque devotorum ac religiosorum, qui non solum ipsum Fr. Guillermum vivum et mortuum viderunt, quinimo cum ipso conversati fuerunt viginti annis et ultra, ac cum eo comederunt et biberunt, qui de ipsius sanctitatis norma exemplum sanctitatis receperunt, et sibi in Missis et in cella servierunt; et insuper ipsorum aliqui Ordinis Fratres ipsum frequenter de Confessione audiverunt.

A. NICOL. BERT

CAPUT I.

Religiosæ vitæ initia et virtutes eximiæ.

Anno æt. 19 fit Augustinianus,

Hic recordationis et memoriæ sanctæ Frater Guillermus de a Natholosa, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, ex nobilibus parentibus et de legitimo matrimonio procreatus extitit. Hic Fr. Guillermus, in vita sua Sanctus reputatus, post baptismum legitimus et fidelis Christianus inter fideles Catholicos conversatus et pro tali habitus, a pueritia doctus primas litteras instructusque in Grammaticalibus, Frater Eremita effici decrevit : E
quod postmodum devotus adimplevit. Nam in juvenili ætate, circa nonum et decimum annum, ingressus est prædictum ordinem S. Augustini; et repente gratia dexteræ Excelsi mirifice totus in virum alterum commutatus, cœpit juvenis bonæ indolis agere, propter quod bene sibi fuit. Namque illo tempore [erat] conversatione humilis et benignus, obediens Priori et Fratribus in licitis et honestis, et non solum illis diebus, verum etiam quamdiu vixit in humanis. Incepit etiam tunc studere libris, non solum in humanitatis libris, aut logicalibus et naturalibus, verum etiam in divinis. Profectusque ad ætatem debitam, ordinatus presbyteratur, et missus per ordinem Parisius studii causa, ibi tam in scientia quam in moribus profecit. Hincque factus et probatus sufficiens Lector in Theologia, repatriavit : et ex tunc tantum profecit in divina doctrina, ut sufficiens dignitati Magisterii decerneretur. Sed ipse dignitates et honores mundanos tamquam venenum refugiebat : sicque mundum respuens, solum delectabatur in meditationibus et eloquiis divinis, Vitasque Sanctorum legebat, et modum vivendi ipsorum altius retinebat; et quod perfectionis in eis inveniebat, in quantum poterat, imitari satagebat. F

et deinde Lector Theologiæ.

Devotus in recitatione Horarum,

2 Hunc universi ut Patrem venerabantur : erat enim (ut de quodam dicitur) verus cultor : expediebat namque, ut is, quem Deus tanta perfuderat gratia, ab omnibus amaretur. Is autem devote Missam celebrabat, et Officium divinum semper persolvebat. Qui ut attentius devotioni contemplationique deditus in altari existeret; januam capellæ clausam esse volebat; solusque cum servitore, tumultum populi fugiens propter consolationem spiritualem, quandoque et sæpe in psalmodiis et horis Canonicis decantandis, permanebat. Fuit nimirum solicitus : nam attente et devote ac distincte supra modum, quasi Deo præsente, ipsas Horas Deo semper junctis manibus persolvebat : et hoc fuit a Deo specialiter sibi datum, ut attente, intelligibiliter, et distincte, sine vagatione cogitationum, debitum psalmodiæ Deo redderet; et, ut a quodam suo socio didici, cum irent de Apamiis versus Tolosam, in via quando instabat hora Primæ, figebat gressus; et immobiliter stans cum socio, Deo officium Primæ devotissime persolvebat, ipso ab una parte et socio ab alia existente, ac si essent in ecclesia : et sic usque ad horam Tertiarum dicebant Officium, non ambulando, sed quiescendo, unus stando et alter sedendo, ut in choro

etiam per iter,

A choro fit : sicque faciebant ad omnes alias Horas
A Nicol. Hert. canonicas.

3 Fervens itaque amore divino, contemnens mundum, et in ipso contenta omnia cernens vanitati esse subjecta, nihil habere desiderabat; sed militare Christo cupiens, omnia tamquam caduca merito respuebat, et tantum victu parcissimo atque vestitu pauperrimo contentus erat. Unde bella magna contra malignum assumens spiritum, septem annis con-
jejunio deditus, tinuis in pane et aqua jejunabat, proponens quamdiu in humanis vixisset id efficere. Sed prohibitus per Generalem Ordinis, ex obedientia amplexatus est vitam communem refectorii, una in die dumtaxat refectione contentus. Quem equidem vivendi modum usque ad exitum suum is perduxit, numquam jejunia Ecclesiæ et Ordinis prætermittens : jejunabatque frequenter tribus diebus in hebdomade, scilicet Mercurii Veneris et Sabbathi : sed continue die Veneris et Sabbathi, in quibus specialiter lamentabat, et plangebat peccata sua et populi. Inter quas lamentationes resonantia vocis
vestitu humilis, audiebatur : O Maria, quamdiu in hac mundi mise-
B ria permanebo? quid hic amplius inutilis facio? cupio dissolvi et tecum esse volo. Sed qualem habitum ipse paupertatis amator gerebat? Cappam nimirum et alia indumenta, ad usum sui corporis, fracta et repetiata portabat : numquam nova recipere volens, quamdiu illa servire valebant. Viginti enim annis continuis una cappa usus est : quam mutare nolebat, licet præsentarentur aliæ cappæ novæ. Et cum parentes et fideles portabant sibi unam cappam novam in camera sua, ipse cum magna tristitia respuebat eam. Sed ipsi hoc videntes, clam et cum magna cautela immiserunt eam in sua cellula, et
b postea ipse dedit cappam antiquam servitori suo. Raupam *b* autem portebat libenter nitidam, honeste lavatam : vestes pretiosas sibi oblatas respuebat, grossas aliquando necessitate compulsus recipiebat. Lectum humilem tenebat, et sic nobiles vestes fugiebat sicque mollem lectum respuebat. Nam pro
c culcitra almatracum *c* durum habebat, et pro linteaminibus lodices grossas : et sic in tali stratu, et sanus et infirmus artus lassos reficiebat.

4 Pecunias numquam aut raro recipiebat, nisi ad usum olei pro lampade, quam semper nocte et die
paupertatis studiosus, accensam in cella sua tenebat, ad honorem B. Mariæ de Podio : cujus lumen nocte quadam turba dæmonum, in figura corvorum circa eam volantium
C (ut ipse sanctæ memoriæ Guillermus socio Augustino dixit) extinguere volebant : sed Domina nostra prohibuit. Super tabulam quoque quinque palmorum cum dimidio solus cum socio suo communiter cum magno silentio comedebat, nisi quandoque sermo de Deo vel de Sanctis occurreret. Tam in sellis quam in rebus mobilibus semper superfluitatem evitabat; unde neque etiam ad indigentiam necessaria habere, sed magis indigere volebat. Quin si aliquid imo sæpe pro sui corporis sustentamento fuisset sibi transmissum, de crastino non cogitans, illud non comedebat, sed aliis pauperibus, præcipue infirmis, tam Fratribus quam extraneis porrigebat. Nam ipse paupertatis amator nimium pauperes diligebat, et cum ipsis conversabatur, et in lege Domini meditabatur; voluntariam in corde et corpore paupertatem portabat, ipsamque prædicabat, et divitias contemnebat. Quoscumque ad ipsum venientes utriusque sexus in apparatu superfluo acriter reprehendebat, et ipsos ad amorem et pietatem pauperum inducebat ac animabat. Et non solum in cella sua et indumentis corporis paupertatem observari voluit, verum etiam in capella et altari : nam paramenta altaris et indumenta non nimium pretiosa esse volebat, sed solum honesta et nitida esse cupiebat : ædificiaque non laudabat sumptuosa, imo Fratribus ædificare D
aliquod sumptuosum opus volentibus dicebat, hoc esse vanum, et inutile, quia loco competente et congro, inquit, pro Dei servitio Fratres paupertatis professores contentari debent.

5 Castitatis munditiam semper dilexit, imo qui *et macerando corpori*
eum longævis temporibus noverunt, semper in virginitate permansisse asseruerunt. Unde propter amorem castitatis, concupiscentias carnis refrænare ac domare volens, castigabat corpus suum jejuniis, vigiliis, orationibus, et castigationibus duris. Disciplinabat enim se catenis tribus electri *d* vel de *e* la- d e
tone, quas apud se habebat, et verberabat se multum acriter, carnem macerando quater in die, primo pro se, secundo pro suis caris et amicis, tertio pro omnibus qui erant in mundo, quarto pro iis qui erant in purgatorio, attendens verbum Prophetæ dicentis, Psal. 2, 12.
Attendite disciplinam, ne quando irascatur Dominus etc.; attendens etiam exemplum B. Dominici : legitur enim de Beato Dominico in Vita *f* sua, quod tres f
singulis noctibus recipiebat manu sua propria quadam catena ferrea disciplinas, videlicet pro se unam, pro peccatoribus qui versantur in mundo E
aliam, tertiam vero pro animabus quæ cruciantur in purgatorio. Ipse autem Pater piæ memoriæ, cum audivit ista legi, multum gaudium habuit, et ad provocandum socium suum, qui hoc legebat, dixit : Et ego sine offensa aliquam adderem quartam disciplinam; videlicet unam pro me, alteram pro peccatoribus qui in mundo versantur, tertiam pro iis qui in purgatorio cruciantur, quartam pro caris amicis meis pro quibus specialiter teneor : sicque probus ille Guillermus, suam arctam, mundam, castamque produxit vitam.

6 In orationibus præterea erat multum assiduus : *ac frequenti attentaque orationi deditus*
nam non solum Horas canonicas (quas multum attente, corde puro et munda mente, sine cogitationum vagatione, atque junctis manibus semper persolvebat) sed etiam alias speciales orationes ad Deum et præcipue ad ejus Genitricem B. Mariam valde devote genibus flexis, cum magna continuatione iis transmittebat; usque adeo ut aliquando orationi et contemplationi deditus, sui oblitus et totaliter supra humanum mundum in Deum raptus, non capiendo cibum nec potum, integram diem cum nocte præcedente ducebat insomnem : et hoc fuit visum per socium suum quadam vice, qui vidit quod et illa die et sequenti non manducavit neque bibit, nec audivit eum loquentem, sed solum Horas canonicas dicentem. Is quoque ante orationem suam, F
semper Deo de singulis beneficiis quæ sibi contulerat gratiarum actiones agebat, sicque orationem *dæmone frustra tentante eam distrahere:*
suam incipiebat. In principio devotionis suæ, quando de nocte volebat dormire, audiebat quandoque tonitruum magnum in cellula sua quod non sinebat eum quiescere. Dum autem die quadam orationi suæ et devotioni attentissime insisteret, diabolus invidens, per dura verba et apparitiones terribiles ipsum molestabat, in aere etiam magnum tonitruum faciendo; aliquando vero cantando ad modum mulieris juvenculæ juxta lectum suum, et per dulcia verba ipsum ad peccatum allicere conabatur : et hoc ipsemet narravit aliquibus personis secularibus, et etiam socio suo hoc dixit, propter consilium quod seculares petebant ab eo. Sed vir sanctus, intrepidus et constans talia deliramenta tamquam nihilum spernebat. Alia insuper nocte apparuit sibi in specie Beatæ Virginis, filium suum in ulnis bajulantis, innuendo ut ipsum tamquam matrem Domini deberet adorare. Sed prudens homo, astutias fallaces inimici intelligens, cum signaculo Crucis intrepidus stetit : et diabolus evanuit.

7 Quid plura? Vitæ ejus sanctitatem et contemplationis

A tionis assiduitatem ferre non valens humani generis inimicus, lampadem, quam semper in cella tenebat accensam, fregit, et hoc ipsemet socio suo dixit. Sed cum nec ob id Sanctus de loco orationis discederet, omittens malignus spiritus verba dura aut dulcia ut solebat, accedit ad verbera; irruensque in eum vehementer, ipsum taliter vulneravit ac verberavit, quod vestigia aut signa semper remanserunt usque ad diem mortis suæ. Accidit quoque, ut fertur, tempore quo fuit Prior in Apamiis, factus per Ordinem, quod una nocte, pulsato primo signo pro Matutinis, de cella sua exiens perrexit ad ecclesiam: sed intrans chorum, illusione maligni spiritus, visum sibi fuit omnia sedilia plena esse Fratribus, et collaudans Deum ivit ad locum suum; et dicto Pater noster, factoque signo, ut Hebdomadarius incepit. Tuncque ipsi dæmones, in effigie Fratrum irruentes in eum, acriter ipsum verberarunt, et eo semivivo relicto aufugerunt. Alio quodam die eadem hora alte super unam trabem ecclesiæ ipsum verberatum posuerunt, et ipsum Fratres hora Matutinali invenerunt, et inde eum deposuerunt. Alia vice lanternam, *g* quam hora Matutinali accensam portabat, B super caput suum fregerunt. Sed quantam patientiam in his omnibus habebat, vix exprimi posset: numquam enim conquerebatur, sed potius congaudebat et lætabatur, ac patienter omnia tolerabat, atque illa secreta quantum poterat tenebat ac occultabat, nulli ea proferens, exceptis paucis secretariis et amicis suis, quibus aliqua et pauca revelabat: et quanto a dæmone verberibus et insultationibus agitabatur, tanto magis signis et prodigiis orationibusque Christum invocabat

et multas ideo molestias inferente

quas patienter tolerabat.

g

ANNOTATA.

a *Cum alii simpliciter* de Tholosa *scribant, operæ pretium duxi investigare, utrum particula* Na, *in lingua Occitana haberet significationem aliquam*, parvæ, veteris, *aut similis restrictionis, qua Viri sancti patria distingui posset ab urbe ipsa: sed tam prælaudatus Prior Janinus, quam noster P. Petrus Possinus censuerunt, nihil in ea syllaba notionis peculiaris inesse: imo suspicari se significarunt*, Guilielmum N. de Tholosa *scriptum primitus fuisse, causa indicandi nomen familiæ, quo Sanctus Religionis causa abstinuerit; atque hinc occasionem errandi factam librariis, ut imprimi* C *facerent* de Natholosa. *Ego potius crederem istud N. patronymicum esse ex usu istius seculi. Ut ut est, sicut nomen reperi, sic in contextu reliqui, in titulo communem nunc usum secutus sum.*

b Raupa, *vulgo* Robbe, *tunica.*

c Almatracum, *vulgo* Matelas *aut* Materas, *saccus stramine fartus, seu storea vel* matta *ex juncis texta, a qua postrema voce, barbaram istam derivatam dixerim; quomodo autem ei præfigatur articulus Arabicus* Al *alii definiant.*

d Electrum, *mixtura quædam æris et stanni, nomen a coloris cum electro similitudine sumens.*

e Latone, *æs flavum, orichalcum, vulgo* Laiton.

f *Vide Vitam S. Dominici scriptam per Apoldium, apud Surium* 4 *Augusti lib.* 1 *cap.* 9 *sub finem.*

g Lanterna, *pro* Laterna, *passim usitatissima, vulgaribus etiam linguis.*

CAPUT II.

S. Guillelmi viventis miracula.

Cum quodam tempore Tolosæ in ecclesia B. Antonii *a* Viennensis diabolus quamdam juvenculam tenebat obsessam; tandem hic Pater piæ recordationis rogatus per amicos illius obsessæ, ut dignaretur

a

D venire et visitare ipsam obsessam: ex obedientia et de licentia Prioris venit ad ecclesiam B. Antonii, et in itinere invenit multos de Ordine suo: quibus dixit, Quo itis vos? Et ipsi timuerunt eum. Et dixit eis, vel eatis vos, vel ego vadam. Et ipsi finxerunt se redire, et iverunt per aliam viam: volebat enim vir is se ab humanis laudibus abstinere et vanam gloriam vitare. Invenit autem ibi totum Studium vel magnam partem: et primo interrogavit ipsam dæmoniacam, de quo festo ego facio hodie? Et respondit, De tali festo. Et alius honorabilior totius Studii Tolosæ, interrrogavit de quo faciebat ipse? Et respondit dæmon; Tu dixisti meas Matutinas, quia tu in nocte transacta jacuisti cum una meretrice. Et ex tunc de cetero nullus fuit qui eum interrogaret. Sed tunc Pater piæ recordationis dixit: Exeatis omnes de ecclesia: et remansit solus cum obsessa: et oratione facta, dæmon de corpore dictæ obsessæ, dimittens ipsam quasi mortuam, exivit: dictusque Pater, vocatis parentibus et amicis, dixit eis ut haberent curam de ipsa, quæ a dæmone per gratiam Dei erat liberata, nec deinceps ipsa obsessa dæmone fuit vexata.

A. NICOL. BERTR. Energumenam liberat,

E 9 Contigit quoque cum ex præcepto D. Vicarii Tholosani, videlicet D. Guillermi Bragose, *b* qui postmodum fuit Cardinalis, iret eques apud villulam dictam Villaries; ibi erant duæ filiæ virgines, earum patre jam defuncto, quæ habebant quamdam visionem ex illusione spiritus maligni. Apparebat siquidem eis quod videbant patrem suum ac si viveret, modo in camera, modo in horto: de cujus visione erant, nec immerito, in maximo terrore ac multum desolatæ. Et ad petitionem parentum et amicorum affluentibus multis viris religiosis, ut scilicet experiri possent quidnam hoc esset, et nihil tamen proficientibus; auditaque fama hujus amici Dei, cujus sanctitas jam pene per totam diffundebatur patriam; ii miserunt legatos: qui accesserunt ad ipsum rogando et supplicando ut venire dignaretur, quoniam forte Deus exaudiret eum, et illusio prædicta abiret, cujus terror non tantum illas duas filias, imo totam illam patriam invadebat. Responditque vir Dei humiliter: Non sum ego Sanctus, ut hoc facere possim, nec me ire oportet: quia præsentia mea non posset in hoc facto prodesse quidquam. Sicque de seipso aliquid non præsumebat, sed ex præcepto Domini Vicarii accelere parabat: comitantibusque *c* secum D. Guillermo Sabateni et Fr. Joanne Giliberti. Cumque flumen vocatum *d* Hercius, in quo F non erat pons, multum excrevisset, D. Guillermus Sabatenus prædictus cum equo introivit vadum: qui statim impetu fluminis raptus, obliquo tramite præceps submergendus ibat; usque quo prædictus Fr. Guillermus piæ memoriæ secutus eumdem, reduxit ad rectum tramitem. Quod miraculum sæpe dictus D. Guillermus Deo et B. Mariæ et prædicto Fratri imputavit, et sæpius multis publicavit.

b

vocatus ad compescendam illusionem diabolicam,

c

d

comiti submergendo succurrit.

10 Non mirum præterea si victori fluxibilium deliciarum per aquas designatarum, Dominus super aquas potestatem tribuerit. Quippe cum alia vice flumen Garumnæ extra ripas ita inundasset, ut ii de Thunino *e* nihil aliud spectarent, nisi miserrimam de propinquo submersionem; ab iisdem piæ memoriæ præfato Guillermo, ad quem magnam habebant devotionem, missum est, ut personaliter cum aliis Fratribus veniret. Et immediate post ejus adventum facta oratione, incepit Garumna decrescere: quod meritis ejus proculdubio omnes attestabantur esse factum. Itaque etiam super dæmones dedit ei potestatem. Cum enim infestatio dæmonum durasset quindecim diebus continuis, in quadam domo carreriæ, *f* de Dadieros, sic dicta quia *g* datii in ea fiebant; ita quod audiebantur projicere de nocte et de

e

Exundantem Garumnam compescit,

f

de

A die caligas, sotulares, discos, paropsides, et alia utensilia domus; nec videbantur illi per quos tales jactus fierent; nullumque remedium habitatores domus poterant invenire, agente justo forte Dei judicio: meruerant nempe ludificari, quod datios faciebant, quibus exercentur turpes et mali ludi. Tandem prædictus Pater, rogatus ut illam infestantiam diabolicam ab illa domo per suam præsentiam propulsaret, accessit devote, humiliter ac benigne, cum ipsius aquæ benedictæ aspersione, quod etiam alii ante eum fecerant; ipse solus a Deo meruit exaudiri, ita quod ex tunc interdixit eis potestatem in illa domo ludificandi, et prædictas ludificationes exercendi, nisi denuo eis a Deo concederetur. Eamdem quoque potestatem accepit super elementa, maxime super ignem, qui proprias concupiscentias extinxerat. Narrant itaque illi qui viderunt, quod semel prope Conventum fuit tantum ignis, quod flammæ scintillantes intrabant jam ecclesiam Fratrum; qui non habentes aliud remedium, timentes de incendio omnium imminenti, cucurrerunt ad cellam prædicti patris pro refugio, eum deprecantes: et rore orationis ejusdem Patris subito ignis extinctus fuit.

A. NICOL. BERTR. lemures pellit, incendium restinguit,

B 11 Cum autem, ut institutum repetam, vir is sanctus, videlicet Guillermus de Natholosa, ad locum ubi præfatæ erant virgines pervenisset, eas in secreto audivit: deinde facta oratione dedit eis securitatem, dicendo ne amplius timerent. Et una nocte stetit in loco ubi visio videbatur: et die sequenti idem Pater piæ recordationis fecit celebrare Missam socio suo, et ipse prædicavit, et ordinavit quod faceret aliqua, causa devotionis, in ecclesia. Et ex tunc illusio disparuit, nec ulterius illam visionem habuerunt: et sic quod prius percutiebat nunc percutitur, quod prius satagebat vincere nunc vincitur. Nam ille antiquus hostis sua calliditate multis argumentis tentabat hominem Dei decipere: nunc vero ne alios tentando decipiat, per virum sanctum dejicitur.

prædictam illusionem compescit,

12 Fuit insuper patiens in adversis, caritatem servans in proximis: patienter enim tolerabat quæcumque adversa. Nam infirmitatem nimium afflictivam habuit toto ferme vitæ suæ tempore: numquam tamen vel raro conquerebatur, sed patienter ferebat, sciens quod per multas tribulationes oportet nos intrare in regnum Dei. Habuit ergo caritatem erga proximos et maxime infirmos. Semel enim contigit quod visitavit socium suum infirmum, qui
C ita illa infirmitate gravabatur ut putaret se proximum morti. Quem affabiliter ita is alloquitur: Quid facis? Quo respondente, Nescio dixit, Quid habes in vitro vel in vase? erat enim juxta lectum scilicet vitrum vel unus scyphus, in quo erat vinum sive liquor. Et tunc Pater supradictus accepto vitro vel vase, et facto Crucis signo, dixit socio suo infirmo, Tene et bibe. Et ille bibit, et statim venit patienti tantus sudor in toto corpore, quod duravit per medium diem. Et transacto sudore, visum sibi fuit totam illam infirmitatem evanuisse, acsi ex illa infirmitate non fuisset invasus.

patiens in morbis, sanat infirmum socium:

13 Tempore quo extra sequebatur prædicationes, fuit semel cum quodam puero Fratre Ordinis sui: hi cum essent in via, puer conquestus fuit quod patiebatur sitim. Cui vir sanctus ait, Sustine modicum quia, cito Deo propitio erimus in loco ad quem tendimus, et bibes. Post autem pausam puer adhuc magis conquerebatur, quod scilicet siti periclitaretur, nec posset diutius sustinere. Tunc Pater misericordia motus dixit puero, Vade illuc parumper, et posuit se in oratione. Quo surgente et vocato puero, elevavit unum lapidem qui erat in via: et statim cœpit inde scaturire fons aquæ vivæ. Et puer bibit quantum voluit, et ita curatus fuit.

sitienti fontem elicit:

14 Prædicabat ergo tunc verbum Dei, et non sine fructu. Nam peccatores ad ejus prædicationem convertebantur, et boni in melius confortabantur. Et præcipue mundum contemnere et ad viam perfectionis aspirare edocebat, ut plures tam exemplo quam verbo ad perfectionem attraheret. Nam homines meliores fecit sua sancta conversatione et inflammata prædicatione ad viam perfectionis venire, qui dimiserunt mundum recipiendo habitum sanctæ religionis et paupertatis exemplo ipsius. Nam tota patria, et specialiter civitas Tolosæ, exemplo sanctitatis ejus et in melius reformata, et immutata quoad vitæ perfectionem fuit, et fama publica hoc attestatur. Sed neque minus si hi, quos Spiritus divinus ad prædicationem et exemplum tanti viri inflammabat, sibi in reformatione vitæ obtemperarent, cum et animalia quoque irrationabilia ei obedirent. Nam die quadam, dum vir (ut frequenter solebat) populo prædicaret; adfuit quidam importunus caniculus, qui tam prædicantem quam populum audientem discurrendo et latrando perturbabat. At ipse conversus ad canem, ait: Bestiola, quiesce, ne turbes nec inquietes nos. Tuncque, omnibus qui aderant videntibus et stupentibus, statim caniculus tacuit, nec de loco ubi erat se movit, donec totum sermonem vir sanctus complevit. Fuit etiam velut alter Joannes Baptista reprehensor criminum, arguendo tam publice quam private, tam magnos quam parvos, tam Milites quam Barones et alios Magnates, pompas et vanitates mundi sectantes; mulierum insuper ornamenta et pellium varietates in campis deferentium: ad cujus exhortationem et prædicationem multi viri et mulieres, dimissis ornamentis superbiæ et vanitatis, habitum humilem et sanctæ paupertatis assumpserunt. E

concionando latranti cani silentium indicit, publica vitia corrigit.

15 Tribulationis quoque ac mœroris præcipuus fuit consolator: nam semel venit ad eum quidam mercator Tholosanus, qui ex quibusdam visionibus et illusionibus erat multum tristis et desolatus: nam mortua ejus uxor apparuit sibi ornata quadam nocte, ut sibi apparebat, acsi viveret: quæ etiam stabat prope eum genibus flexis: quam visionem multis noctibus habuit de illa, et viri sancti præsidio liberatus ac sanus effectus extitit. Quadam etiam nocte quidam Arnaldus, ut apparebat sibi, sentiebat prope se in lecto aliquam personam: quam cum manu tetigisset, videbatur sibi persona humana nuda. Sciens nullam aliam personam esse in toto hospitio, perterritus valde, die sequenti venit ad sanctum hominem. Cumque narrasset sibi causam suæ tristitiæ, ait sibi sanctus homo: Arnalde, ne timeas: Dominus enim adjuvabit tibi, flectas genua, et dicas Confiteor. Quod cum fecisset humiliter sibi obediendo, imposuit manum super ipsius caput, et dixit aliquam orationem, ipsumque benedixit faciendo signum Crucis et dixit, Vade secure. Et abiit lætus, ex tuncque illam visionem non habuit. F

Spectra patientibus succurrit.

ANNOTATA.

a *Dicitur* S. Antonius Viennensis: *quia famosum sui nominis monasterium, ubi caput servatur, est prope Viennam Galliæ urbem: eoque appellatio etiam trans Alpes valuit, ut alibi memini me observasse.*

b Guillelmus Bragose, qui prius in Studio Tolosano Doctor solennis Decretorum existens, annis pluribus Cathedram Doctoralem, ad perutilem instructionem et informationem plurimorum, rexerat (*ut dicitur in Vita Innocentii VI*) *ex Episcopo Vabrensi factus Diac. Card. tit. S. Georgii ad Velum aureum an.* 1353, *mox Presb. Card. S. Laurentii in Lucina obiit anno* 1347.

c *Impressum* Conniventibusque.

d

A d Hericus *vulgo* l'Ers, *Laurigio junctus infra Calvum-montem, a meridie in Boream fluit, et simul ambo in Garumnam se immergunt, inter Muretum et Tolosam.*

e Toniens, *ad dexteram Garumnæ ripam, in Agennensi diœcesi, Burdegalæ quam Tolosæ vicinius; idque hic videri posset dici* Thuninum; *nisi nomen obscurius esset impressum, quasi* Thunitium *legi deberet: qui si vicus est urbis Tolosanæ, longe commodior erit sensus.*

f *Sic apud hunc auctorem, ubi agit de incendio anni* 1463, *nominatur* Carreria de Sesquieras. *Est igitur* Carreria, *quod Latinius* Platea: *vulgo* Carriere *etiam dicta, quod* carris *ducendis pateat.*

g Datii *vulgo* Dez, *id est* Aleæ, *Italis et Hispanis* Dadi, Dados.

CAPUT III.

Aliæ virtutes Guillielmi, pius obitus eumque secuta miracula.

Humilitate excellens, Fuit etiam vir iste valde humilis et benignus; et humiliter conversans, humilitatemque gestu verbis et factis ostendebat, et honores mundanos fugiebat, et B multum sibi displicebat si aliquando aliquis ipsum commendabat. Et licet honores mundanos ipse respueret, omnes tamen tam Fratres quam seculares eidem assurgebant, et ut Patrem ipsum reverebantur, et communiter ac publice Sanctus vocabatur, et propter magnam gratiam vix poterant homines ab eo separari. Incedebat etiam humiliter capite inclinato et oculis ad terram demissis, et sic quoscumque ad eum venientes ad humilitatis meritum provocabat. Et non solum humilitate fuit præclarus, *caret ne cuiquam sit molestus* verum etiam fuit pudicus, castus, modestus, lætus, jucundus, largus, fugiens invidiam, repellens scandala, cupiditate vacuus, moribus ornatus, justus, sapiens, prudens, discretus et avaritiæ inimicus, negligentiæ contrarius, verecundus et quietus. Et ut ipse erat totus quietus, quandoque etiam indigens Breviario sui socii, dicebat ei; Habetis vos Breviarium? Et respondebat. Pater, sic. Ubi habetis eum? Qui; Pater, in cella, sed distat nimium. Cui ille: Non multum esset vobis grave ire? Cui, Pater, non. Ergo vadatis sine gravamine. Et sic nullum etiam de minimo volebat gravare seu inquietare.

17 Erat insuper ipse sic quietus, quod ferme semper erat in cella clausus, orationi insistens, nisi dum iret ad ecclesiam vel quandoque modicum per C claustrum. Numquam tamen vacaus vel desidiosus *Sermo ejus modestus,* reperiebatur: nam ad ipsum venientes ut plurimum ipsum inveniebant orantem vel contemplantem aut loquentem de Deo. Erat et ipse in loquendo sapientissimus: nam numquam aliquis audivit ab ore ejus lubricum verbum, aut maledicum seu injuriosum, otiosum vel in honestum prosilisse. Nec unquam jurabat: sed cum volebat aliquid affirmare, dicebat: Secure, si bene dico, vel si bene intelligo, ita est. Et quandoque dicebat. Salva reverentia, vel, In veritate ita est. Parum loquebatur nisi de Deo: verba quoque salutis ad profectum et exemplum proximi sui semper colloquebatur, nec irascebatur in lo- *et ædificativus,* quendo: sed quæ loquebatur benigne et patienter ac læte dicebat. Omnes ad ipsum causa visendi venientes, ad meditationem et contemplationem Divinorum provocabat. In amore supernaturali fixus, de corporalibus et mundanis non placebat ei loqui: et tota mente cœlestibus communitus, sibi loquentibus aiebat: Quid faciunt modo superius in Paradiso? Stant quomodo Angeli? vel quomodo Deum laudant? Quæ hora est modo in Paradiso superius? Quid faciunt Sancti? et alia insuper in supernorum amore radicatus persolvebat verba: et, sicut verba sua indicabant, cor suum erat fixum in Domino; D *A. NICOL. BERTR.* sicque, illis verbis inducebat ceteros ad contemplanda cœlestia, unde ejus exemplo magnificæ sanctitatis, quæ manifestis judiciis apparebat, multi homines utriusque sexus vitam mundanam dimittentes, contemplativam vitam amplexati sunt.

18 Unde etiam in vita sua hic B. Guillermus, ab illis qui ipsum noverant Sanctus reputabatur, et pro tali habebatur: nam sic sancto viro multi seipsos recommendabant, maxime si se gravatos aliquo crimine seu peccato vel tentatione sentiebant, et ad ipsum venientes refrigerium inveniebant. Unde semel contigit quod quidam homo Tolosæ, bonæ vitæ, *carnis stimulos aufert,* castus et pudicus, nimium tentatus de quadam juvencula, nesciens quid facere deberet, venit ad istum sanctum Patrem, et indicavit sibi causam suæ tristitiæ. Tunc hic posuit manum super ejus caput dicendo aliquas orationes. Et dixit sibi: Vade secure, ne timeas. Et ex tunc sensit se ita liberatum a dicta tentatione, ac si numquam cogitasset de ipsa juvencula. Et ita multi, per sua merita et orationes, tam ab infirmitatibus corporalibus quam spiritualibus juvabantur. Huic sancto viro multa secreta cœlestia revelata fuerunt multasque visiones de præteritis et futuris habuit. Nam peccata aliquorum, quæ E humanitus totaliter fuerant abscondita, ad eorum *futura prædicit,* correctionem ipse detegebat. Hic de campo in Miramonte a celebrato, quis lucrari aut perdere deberet longe ante præscivit. Et denique multa alia sibi divinitus fuerunt revelata: sed humilitatis causa, ne favor humanus ipsum extolleret, ea abscondita esse volebat. Tamen familiares per verba sæpe aliquid sibi revelatum agnoscebant.

19 Cognovit etiam et prædixit tempus mortis *etiam tempus mortis suæ,* suæ. Nam cum familiares sui quærerent ab eo, adhuc ipso in incolumitate vitæ perseverante, num præpararent sibi hortulum, quem ipse prope cellam habebat; respondit vir Dei, Spiritu sancto plenus: Non oportet, quia prope quatuor dies sum ab hoc seculo recessurus. Illudque mente fixa ac voce querula peroptabat: nam cum Paulo jugiter illud corde et ore revolvebat. Cupio dissolvi et esse cum Christo. Quod postmodum accidit: nam post quatuor dies, die Veneris ante festum Pentecostes, ejus gloriosa anima migravit a corpore; et istud semper petebat a Christo suo piissimo Redemptore, ut die tali, scilicet Veneris, in quo ipse Christus pro humano genere mori dignatus est, et ipse devotus animam suam suo Redemptori redderet. Unde in die scilicet isto Veneris mori secure justus exauditur: venerat enim hic dies, in quo valeret metere, et in F *quam pie obit die Veneris ante Pentecosten,* quo deberet remunerari, quia satis laboraverat. Nam die jam dicta Veneris mane incipit caro declinare, vexatur doloribus: præterea patienter rogabat Deum, postulat a socio pugillarem, et præcepit ut hanc scriberet orationem: Misericordia, pietas, sanctitas, caritas, securitas infinita, æterna, inclinet totam patriam duodenam, et duodenam quadripartitam, et tripartitam æternam infinite, et infinite vicene quincupartite, et quincupartite duodene, et duodene continuo, trifide perenniter, continue triformiter in æternum. Quæ quidem oratio miro modo confert, et miram sententiam b continet. Tunc scripta per socium oratione, et sæpius ex præcepto ipsius repetita, manifestat Fratribus dissolutionem sui corporis imminere. Et doloribus crescentibus clamat ad Deum, has pœnas peccato suo meruisse. Gaudet Sanctus et lætatur, quia videt et cognoscit se in brevi moriturum. Interrogatur a Fratribus quomodo se patitur. Respondet Sanctus Pater: Nam consuetudo humanæ naturæ est in corporis dissolutione aliqualiter pati. Jubet quoque Horas ipso audiente a duobus Fratribus dici: quia ipse,

A ipse, utpote proximus morti, non poterat. Et sicut mors paulatim ascendebat, sic se signo Crucis muniebat: et sic decimo octavo mensis Maji, *c* eadem die scilicet Veneris, hora post Completorium, ante festum Pentecostes, tota illa die antequam migrasset colloquens cum Fratribus, miro modo feliciter et dulciter, nemine ex circumstantibus perpendente seu cognoscente, anno Domini millesimo trecentesimo sexagesimo nono, migravit ad Dominum.

A Nicol. Bertr. *c* *18 Maji 1369.*

20 Tunc autem accedunt Fratres, non credunt illum mortuum. Nam color rubicundus ejusque faciei caro refulgens erat ac si dormiret. Vadit rumor cum dolore inter populares, seminabatur per civitatem quod mortuus est Sanctus: nam sic in vita vocabatur. Fluunt undique gentes utriusque sexus tam Clerici quam laici, docti pariter et indocti, ac alii quamplures Religiosi, et speciatim sui devoti, qui erant complures in civitate, ad grande spectaculum tanti Patris. Sicque cum magna reverentia et honore ad ecclesiam transfertur, ibique in capella B. Mariæ Magdalenæ, ubi communiter celebrabat Missas suas, sepeliendus portatur: fitque ibidem clamor populi et concursus admirabilis circa feretrum de B reliquiis saltem cappæ, cum qua sepeliri debeat, cupientes ex devotione ad propria transportare: et sic cappa hinc inde dilaceratur. Prohibent Fratres, sed prævalent illi gaudere. In capsa reponitur, sicque cum hymnis et laudibus terræ conditus est totus, quia vitæ ejus decursus anni septuaginta duo.

fit concursus ad exequias;

21 Quid plura? Ejus fama per totam terram divulgatur, claret miraculis, fiunt vota, et meritis viri sancti exaudiuntur a Deo: congreganturque devoti, carissimi sancti Patris in Christo Jesu, post quinquaginta *d* dies circa ejus tumulum, dicentes tantum Patrem talemque Sanctum, cujus signa tantæ sanctitatis in prodigiis et miraculis divulgabantur et ostendebantur, non debere sub humo, nec sine sepulcro decenti jam amplius derelinqui. Decretum est ergo, corpus Sancti Patris in altum debere transferri et translatari. Cumque terram fodientes, se crederent corpus, jam quinquaginta tribus diebus æstatis tempore sub terra dimissum, ex humanæ naturæ conditione [inventuros] esse corruptum, ferunt herbas aromaticas et odoramenta miro modo redolentia. Prosecuti vero fodientes pervenerunt ad capsam, quam aperientes invenerunt sanctum Patrem, quasi ipsa hora inibi positum, miro odore fragrantem, in nulla sui corporis parte corruptum, fractum, aut immutatum: cujus fragrantiæ odor omnia alia odoramenta ibi asportata mirabiliter excedebat. Tandem in sepulcro lapideo, artificiose constructo, venerabiliter et in laudem Dei omnipotentis cum gratiarum actione. reponitur, ibique quantis miraculis coruscet, quantaque beneficia sanitatum præstentur, recolere vix sufficerem. In miraculis quoque et prodigiis *e* quæ nunc operatur Deus ipsius sancti Patris meritis, in terris dignoscitur, qualis fuerit ejus vita, cum viveret in humanis.

d *corpus post 50 dies refossum integrum,* D *in tumba marmorea elevatur.* *e*

ANNOTATA. E

a Miraumont *Agennensis diœcesis vicus, 7 circiter leucis ab urbe versus Orientem, alias* Miremont; *quodnam autem prælium et quando ibi commissum sit, libenter discam ex rerum Aquitanicarum peritis.*

b Mira *sane* sententia, *cujus interpretem necdum puto inventum.*

c *Anno* 1369, *Cyclo solis* 6, *lunæ* 2, *littera Dominicali* G, *celebratum est Pascha* I *Aprilis, atque adeo Pentecoste* 20 *Maji, et* 18 *dies Veneris fuit.*

d *Quinquagesimus dies post* 18 *Maji fuit* 8 *Julii, adeoque Dominicus, quare credibile est refossionem factam die postero, id est Feria* 2.

e *Dolendum, quod ea nemo curaverit ad memoriam posterorum describere.*

DE B. FELICE DE CANTALICIO

ORDINIS MINORUM S. FRANCISCI CAPUCINORUM

ROMÆ IN EORUMDEM ECCLESIA.

NOT. 16*** APP. TOM. VII MAJI C D.P. F

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De ejus Beatificatione, Translatione, Vita a Fr. Sancte strictim, diffuse a Fr. Matthia coævis scripta; hujusque supplemento gemino, et duplici miraculorum collectione, cum Appendice de origine Capucinorum auctore Joanne de Terranova, et Carmine Melchioris de Souza coævi.

Anno MDLXXXVI

Quod novæ Cappucinorum Congregationi an. 1571 objiciebatur,

F*rater Joannes de Terranova, anno* MDXXXII *ad novellum primorum Patrum Cappucinorum gregem prius allectus, quam certam adhuc formam stabilitatemque haberet; in brevi narratione, quam anno* MDLXXI *Italice scripsit, de origine et principiis Congregationis suæ, exponens refutansque rationes, quas eidem insectando contemnendoque prætexebant æmuli invidique, unam earum fuisse ait,* quod nullus Cappucinus fuit Sanctus, nec fecit miracula, sicut illi qui de Familia fuerunt; *intelligendo* Familiam Observantium, *quos vulgo a* Zoccolis, *id est ligneis subtalaribus,* Zoccolantes *appellant, sub annum* MCCCLII *a quodam Fr. Paulucio Fulginate exortos, et seculo sequenti vehementer illustratos sanctimonia ac miraculis SS. Bernardini Senensis, et Joannis de Capistrano, aliorumque similium. Sed ut his inter prima suæ reformationis initia eadem potuisset nota impingi ab adversariis, recteque expungi dicendo, vitæ tam austeræ atque ad Regulam exacte disciplinam maximum per se esse miraculum, quemadmodum de Joanne Baptista olim senserunt Judæi, qui tamen* signum fecit nullum; *ita et Cappucini pro se poterant respondere, quod et respondet Fr. Joannes prænominatus,* ex majoribus quæ Christus fecit miraculis hoc fuisse, quod tam calamitosis et hæreseon ac pravarum opinionum plenis temporibus, fecit nasci hanc Congregationem, pauperem et austeram.

non esse in ea Sanctos, *Jo. 10, 42.*

2 *Sed neque passus est Deus ut Sanctorum Thaumaturgorum defectus diu posset novæ familiæ objici: nam anno* MDXLIII *fecit ad eam venire* Fr. Felicem de Cantalicio;

cito refutavit Felix, an. 1543 eum ingressus,

A Cantalicio; *qui non in aliqua remotiori aut obscura orbis parte, sed in conspectu urbis Romæ, tanta sanctimonia fulsit vivus, tam multis miraculis claruit mortuus, ut anno* MDLXXXVII *ipse Romanus Pontifex Sixtus V, antea Felix nuncupatus etiam ipse, et Ordinem Minorum Conventualium professus, de octodecim se testaturum sit pollicitus; fueritque eum canonizatus, sicut anno* MDLXXXVIII *canonizaverat S. Didacum ex Ordine Observantium in Hispania, si vita longior obtigisset. Eo mortuo lentius processit negotium, ita tamen ut ante quadragesimum ab obitu annum Apostolicæ Sedis emanarit indultum, quo* Beatus nuncupari, et Officium et Missa de eo recitari possit. *Ipsum Breve ex Cherubini Bullario accipe, quod tale est :*

et anno 100 ab Ordinis initio mortuus.

URBANUS PAPA VIII.

3 In speculo militantis Ecclesiæ et Apostolicæ potestatis plenitudine, nullis licet nostris suffragantibus meritis divina providentia constituti, piis fidelium votis, quibus virtutum Dominus in servis honorificatur, libenter annuimus, eaque favoribus B prosequimur opportunis. Sane pro parte dilectorum filiorum nobilium virorum Maximiliani Bavariæ S. R. I. Principis Electoris, ac Caroli Lotharingiæ Ducum respective, nec non Francisci a Lotharingia Comitis Vaudemontii, dilectarumque in Christo filiarum nobilis mulieris Elisabethæ Bavariæ Ducissæ, et Catharinæ etiam a Lotharingia monasterii Sedi Apostolicæ immediate subjecti S. Petri de Romaricomonte Ordinis S. Benedicti, nullius seu Tullensis diœcesis Abbatissæ; nec non etiam Ministri Generalis Fratrum Ordinis Minorum S. Francisci Cappucinorum nuncupatorum, Nobis nuper expositum fuit, quod bonæ memoriæ Felix de Cantalicio, ejusdem Ordinis dum vixit Professor, multis et eximiis virtutum, gratiarum, et miraculorum donis a Domino illustratus fuit. Quapropter Maximilianus et Carolus Duces, ac Franciscus Comes, nec non Elisabetha Ducissa et Catharina Abbatissa, ac Minister et Fratres prædicti, Nobis humiliter supplicari fecerunt, ut, donec Canonizationis honor dicto Felici de Cantalicio, ob ejus eximiam caritatem et excellentia merita, divina aspirante gratia, ab Apostolica Sede decernatur, idem Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, atque Officium et Missa de eo, ut infra, recitari et celebrari possit.

Ab Urbano 8 beatificatus

4 Quare Nos, re prius per venerabiles Fratres C nostros S. R. E. Cardinales sacris Ritibus præpositos, quibus eam examinandam demandavimus, mature discussa; de eorumdem Cardinalium consilio, hujusmodi supplicationibus inclinati, ut ipse bonæ memoriæ Felix de Cantalicio Beatus nuncupari, Officiumque et Missa de eo, tamquam de Communi Confessoris non Pontificis, hoc anno, videlicet post prædictas litteras emanatas, ab omnibus dicti Ordinis Fratribus ubique existentibus; hic autem Romæ etiam a confluentibus ad ecclesias eorumdem Fratrum, die eorum Superioribus benevisa; in posterum vero die dumtaxat sui obitus, in ecclesiis Fratrum prædictorum, videlicet in Nancey prædicto Romarico montis, nec non Cantalicii oppidis ab eisdem Fratribus tantum; Romæ vero, ubi corpus ejusdem requiescit, etiam ad ecclesiam dictorum Fratrum confluentibus, recitari et celebrari respective, libere et licite possit et valeat, Auctoritate Apostolica tenore præsentium, licentiam et facultatem concedimus et impartimur.... Datum Romæ apud S. Mariam majorem sub annulo Piscatoris, die I Octobris MDCXXV, Pontificatus nostri anno III. *Ergo* die IX Novembris ejusdem anni Romæ in ecclesia S. Bonaventuræ Fratrum Cappucinorum, summa totius Urbis lætitia primum de eo Beatificationis celebritas acta est, quo die in supradicta ecclesia, inter Missarum solennia Reverendiss. P. Fr. Nicolaus Rodulphus, sacri Palatii Magister, coram septemdecim Illustrissimis Cardinalibus aliisque Magnatibus et maxima reliqui populi multitudine celebrem de eo sermonem habuit, *uti docet Fr. Joannes Baptista Ostiensis, in Vita juxta authenticos processus summatim conscripta, eodemque anno Romæ impressa, atque oblata Illustriss. ac Reverendiss. D. Antonio Barberino, S. R. E. Presbytero Cardinali, ac S. D. Urbani VIII germano fratri, ex ipso Cappucinorum Ordine ante annum assumpto: sic ut eodem plane tempore sancta pauperrimi instituti humilitas duplici honore fuerit exaltata.* D

cum Officio et Missa tribus locis,

sicut Romæ factum 9 Novembris

AUCTORE D. P.

5 *Primam Romæ Sedem Cappucini acceperant, favente Illustriss. D. Victoria Columna Piscariensi Marchionissa, anno* MDXXIX, *prope Portam Flaminiam, quæ nunc Populi nuncupatur, non longe a Tiberi, cum ædicula S. Mariæ miraculorum nuncupata. Sed inundans, anno sequenti fluvius eam compulit commutare cum altera S. Euphemiæ, ad radices collis Equilini, a Cardinali de Valle Ordinis Protectore acceptam. Hic* E *secundum Generale Capitulum celebratum est: hic* B. Felix *plerosque vitæ religiosæ annos transegit, donec a Patribus inde migratum ad Forum, Suarium antiquis dictum, ad pedem montis Quirinalis, ubi anno* MDLXXV, *pro veteri quæ istic stabat S. Nicolai ædicula, aliam in honorem S. Bonaventuræ, cum monasterio ad usum Patrum Cappucinorum ædificatam scribit Pancirolus; ideo fortassis, quia meditabantur Romani, ab ecclesia S. Mariæ majoris, ad alteram Lauretanæ Virginis dictam, plateam ducere; cumque in finem tum alia quædam ædificia, tum ipsa etiam S. Euphemiæ ecclesia solo æquanda erat; quod sub Sixto V peractum est, vivente forsitan adhuc* B. Felice, *sed ad S. Bonaventuræ ædem traducto. Verum neque hæc mansio stabilis Cappucinis et mortuo jam Felici fuit: nam prædictus Antonius Cardinalis Barberinus, novum a fundamentis conventum ecclesiamque iis extruere volens, jussit ut dimisso loco illo (qui nunc a Patribus Congregationis Lucensis obtinetur, sub titulo sanctæ Crucis Lucensium) transiretur in alium, Areæ et Palatio Barbarinorum viciniorem et Collegio Minorum Hibernicorum propinquum, versus extimam Urbis partem, ubi anno* MDCXXVI *die* XIII *primum in fundamenta novi monasterii lapidem jecerat; mox templum adjecit, Virginis immaculatæ conceptæ honori dicatum,* Religiosi in Deiparam obsequii, beneficæ in suum Ordinem caritatis monumentum, *uti legitur in operis anno* MDCXXXIV F *perfecti titulo, a Fratribus posito.*

a Cappucinis ab æde S. M. Miraculorum ad S. Euphemiam,

et an. 1575 ad S. Bonaventuram traductis,

6 *Caverat ipse testamentariis tabulis, ut suum cadaver simplici ac privato funere, sine pompa huc illatum, exciperet* monumentum sine ullo ornamento, *lapis clauderet sic inscriptus,* HIC JACET PVLVIS, CINIS, ET NIHIL, *quod factum anno* MDCLXVI. *Sed providerat B. Felicis tumulo, qui prius in Crucifixi ad S. Bonaventuram sacello fuerat, ut inde translatus in novam ecclesiam honorificentius collocaretur. Cum enim ita constructa esset more Romanis usitato ecclesia, ut præter principem aram, portæ obversam, laterales alæ utriumque numerent altaria sive sacella quinque: id quod ingredientibus secundum ad sinistram est, nitidum magis quam pretiosum, totum votivis tabellis convestitur, sub ara autem habet corpus* B. Felicis, *in eadem in qua olim, ab ipsomet vivente comparata, depositum fuit marmorea arca. Hæc mole vasta, opere antiqua, longitudine par altari, toto eo quod conspectui patet latere striis quibusdam a summo ad imum leniter curvatis extuberans, recentiori in medio disco sculptura Jesu nomen impressum gerit, operculo in conum assurgente contecta. Super aram vero exprimitur ipse* B. Felix, *puerulum Jesum a Beatissima Virgine, ibidem pariter expressa, acceptum brachiis fovens, cum hoc lemmate :*

in quorum nova Immac. Concept. ecclesia nunc corpus colitur

A *lemmate :* Sanctus corpore et spiritu. *Notabile est autem, quia infra sæpius commemorandum, foramen, quod ad infimum arcæ prædictæ angulum, ubi est cornu Evangelii, terebello cavavit piarum quarumdam mulierum solicitudo, ad excipiendum, quem a corpore emanare sciebant, liquorem salutiferum : quod foramen initio digitum auricularem capit.*

AUCTORE D. P.

Extensio officii impetratur an. 1626 et 1628.

7 *Idem porro Urbanus Papa, qui festi celebrandi facultatem primum restrinxerat ad quatuor ecclesias, in Brevi nominatas; anno* MDCXXVI, *die* IX *Aprilis,* Procuratoris Generalis dicti Ordinis ac Ministri Generalis et Fratrum nomine porrectis supplicationibus inclinatus, de eorumdem Cardinalium consilio, *concessit,* ut a Fratribus ejusdem Ordinis universis et singulis, ubique existentibus, Officium ac Missa in die obdormitionis ipsius Beati Felicis recitari et celebrari posset. *Quia autem facultatem, externis concessam, ad solam urbem Romanam restrinxerat; iterum anno* MDCXXVIII *appellatus, eamdem extendit concessitque quibusvis* Sacerdotibus, ad ecclesias Cappucinorum, *ubicumque positas,* confluentibus in die festi Beati Felicis, *id est die* XVIII *Maji.*

Datur informatio statim a morte scripta,

8 *Prima* Informatio de vita morte et miraculis
B Fr. Felicis, sumpta est a Rev. P. F. Santi, Guardiano monasterii Cappucinorum Romæ ex Fratribus suis, qui postea iterum fuerunt ad examen revocati; *et illa sub hoc titulo redacta in Summarium, paucis post obitum Beati diebus, oblata Papæ est a Fr. Anselmo de Monopoli, tunc forsitan Procuratore Generali; quam ex originali Italico nacti Latinam fecimus. Formati deinde Processus sunt, qui dum examinantur, non illa quidem qua nunc agitur lentitudine, sed majori quam seculis superioribus, prius ad finem adducta est causa, Canonizationis S. Didaci, plusquam centum viginti annis ante Felicem mortui, qua celebrata an.* MDLXXXVIII, *in proximam spem conficiendi mox negotii adducti Patres Cappucini vel obtinendæ saltem Beatificationis a Sixto, ad id maxime propenso; scribendæ illius vitæ ex Processibus eatenus factis admoverunt Fr. Matthiam Solodiensem : qui qualis fuerit intelligi poterit ex ejus Vita, a Zacharia Boverio in Annalibus Cappucinorum ad annum* 1611 *fuse descripta, non sine miraculis in vita atque post mortem, quorum causa præter consuetudinem Ordinis, positum eidem est Epitaphium in æde Cappucinorum Brixiæ ubi sepultus quiescit, etiam a Waddingho in opere de Scriptoribus Franciscanis relatum in hæc verba :* Admodum Reverendo
C Patri, Matthiæ Belintano, a Solodio Cappucino, Theologo et Concionatori eximio, qui summas in Religione administrationes assecutus, cum illustrioribus Europæ civitatibus, quinquaginta annorum spatio, maximo cum animarum lucro verbum Dei disseminasset, confectus senio et plenus virtutibus, obiit die XII Julii, anno MDCXI, *ætatis vero* LXXII, *Religionis* LVIII. *Opera ejus, tam ipso vivente quam mortuo edita, enumerat ex Boverio idem Waddinghus, et addit,* Alia dicuntur adhuc superesse aliquando lucem aspectura : *quæ ut non sit inanis prædictio, lucem per nos aspiciet vita illa, Latine reddita : alii cetera curare poterunt.*

et Vita a Fr. Matthia Salod composita, utraque ex Italico

ac duplex supplementum ex Perusino Boverio,

9 *Post vitam proxime locanda fortassis esset, si haberetur Vita altera, quam composuit sub annum* MDCXXII *Conventus S. Bonaventuræ Guardianus Fr. Dionysius de Monte-Falconis, miraculo, in ultima talium collectione ad num. 7 referendo, servatus in vivis donec cœptam absolveret : sed ea ignorata Waddingo, Dionysii mentionem inter Scriptores Franciscanos facienti, videtur ideo fuisse suppressa, quod non multo post secuta Beatificatio occasionem dederit Fr. Joanni Baptistæ Perusino, eamdem recognoscendi, suoque arbitrio innovatam reformatamque, proprio nomine evulgandi, sicut fecit Italica etiam lingua. Ex hac autem damus primum Vitæ a Fr. Matthia scriptæ supplementum ; secundum vero ex Annalibus Cappucinorum Zachariæ Boverii, editis Lugduni anno* MDCXXXIX : *ex quo etiam, Processus omnes diligentius scrutato, damus Syllogen miraculorum in vita atque post mortem, quæ Fr. Joannes Baptista vix attigit ; aliamque deinde, ex posterioris ætatis monumentis collectam : et utramque sigillatim in Capita sex partimur.* D

et gemina sylloge miraculorum,

cum Appendice Joannis de Terranova, de Origine Cappucinorum,

10 *Denique attento, quod Reverendis Patribus Lucæ Waddingo Annalium universi Ordinis conditori, ejusque successori Francisco Haroldo, parum placeat ejusdem Zachariæ Boverii relatio de Origine et principio Congregationis Cappucinorum, sumpta potissimum ex iis quæ leguntur in editione Veneta Chronicarum Marci Ulisipponensis anni* MDXCVIII *(quippe quæ supposititia esse arguuntur, nec inveniri in editione originali Lusitanica anni* MDLXI, *Castellana anni* LXX, *et Italica anni* LXXXXI*) congruum duxi, initio nominati Joannis de Terra-nova brevem, sinceram atque modestam, et neutri partium fortassis adhuc visam, utpote in Calabria scriptam, in Sicilia excusam, Latine reddere, et pro Appendice adjungere, ex Messanensi editione Silvestri Maurolyci, in mari Oceano omnium Religionum anni* MDCXIII : *ut appareat, neque apostasiæ accusari potuisse,* E
primos reformationis novæ auctores, utpote ad eam non sine Clementis VII tunc Romani Pontificis licentia progressos; neque injustitiæ argui Observantium Ministros, qui se initio isti acerrime opposuerunt, muniti Decreto Leonis X, recentissime per ipsummet Clementem VII innovato et confirmato, quo sub gravibus pœnis inhibebat, uterque Pontifex locorum Ordinariis aliisque, ne Ordinis Prælatos, quo minus Fratres dicti Ordinis, sub indultorum, exemptionum, gratiarum ac litterarum Apostolicarum specie extra domos et obedientiam ipsorum vagantes, capere et apprehendere etiam violenter, illosque ad domus et loca unde recesserant reducere, et carceribus mancipare valerent, nullo modo per se vel per alium, directe vel indirecte, impedire præsumerent.

ad horum æque ac Observantiæ justificationem,

11 *Declarat etiam uterque Pontifex, istiusmodi* indulta, etiamsi bene recteque impetrata fuissent, in foro conscientiæ dumtaxat, non in foro contentioso, nec contra Religionis jura, consuetudinem, aut voluntatem valere. *Tale igitur dumtaxat fuit, quo per* litteras Laurentii Puccii, Episcopi Prenestini, tum summi Pœnitentiarii, speciali Pontificis jussu datas Romæ XV. Kal. Junii anni MDXXVI *(uti scribit in Epitome Haroldus) concessum fuit* Ludovico et Raphaeli de Foro-Sempronii ac Matthæo de Bassio de Monte-
F feltrio, Ordinis Fratrum Minorum de Observantia professoribus, ut Superiorum suorum licentia, per ipsos aut alios ipsorum nomine petita, licet non obtenta, extra domos et loca regularia dicti Ordinis, in aliquo eremitorio loco a cœtu hominum remoto permanendo, habitu suo semper retento et Regula, in quantum humana patitur fragilitas, servata *(hac scilicet ad litteræ rigorem intellecta, isto ad primitivam normam formato)* sub obedientia et correctione Ordinarii, in cujus diœcesi eos residere contigerit vivendo, vitam eremiticam quoad viverent ducere, eleemosynas a fidelibus elargiendas recipere, illasque in suos licitos et honestos usus convertere, et interim omnibus ac singulis privilegiis et indultis Ordinis uti et gaudere licite et libere possent. *Quod si hoc indulto non obstante potuerunt Observantes procedere contra prædictos in foro externo, multo magis id facere potuerunt contra Fr. Matthæum, solo vivæ vocis oraculo ejusmodi licentiam eatenus habentem; prius autem ne hanc quidem, sed interna dumtaxat suggestione actum, ut communiter recepti habitus formam mutaret, deque monasterio se per nocturnam fugam subduceret. Licet enim hanc suggestionem, non a malo, sed bono spiritu fuisse postea apparuerit ex successu; non tamen id absque externa magis expressaque divinæ voluntatis significatione*

A *significatione tenebantur credere Observantium Superiores, prævidentes, sub specioso Regulæ al litteram servandæ prætextu, schisma inducendum in Ordinem, ut præteritis temporibus sæpius factum fuerat.*

12 *Utrique ergo maneant sibi invicem excusati, et cum grano salis intelligantur primi Cappucini, dum novi spiritus musto ferventes, videntur Observantes arguisse inobservantiæ, sibique conscientiæ duxisse inter illos manere, qui aliquam in Regula mitigationem (licitam illam quidam et ab Ecclesia probatam, sed tamen mitigationem) receperant. Nec enim credendi sunt ita errasse, ut putaverint extra salutis viam fuisse alios, licet ipsi ad strictiorem observantiam ita vehementer impelli se crederent, ut salva conscientia non possent non parere vocanti ad sublimius propositum Deo. Econtra vero Observantes, in eo quod durius initio Cappucinos tractarunt, dicantur jure suo usi, donec de mente Pontificis divinaque voluntate sibi constaret : qua agnita Cappucinos amplexi ut Fratres, suas sibi res habere siverunt; maxime postquam crebræ et indiscretæ utrimque transgressioni regressionique et nascentibus exinde scandalis atque incommodis per Pontificia decreta provisum fuit, de quibus utrorumque Annales videri possunt.* *et utrorumque Acta benignius accipienda,* *Ut autem*
B *in laudibus* B. Felicis *concludatur hic Dies, addam* Melchioris Lopez de Souza Lusitani, Presbyteri Algarbiensis, Poema de Vita B. Felicis Cappucini; *in eodem in quo prior Vita Codice descriptum, eodemque tempore compositum, et Sixto quondam Felici dicatum, in quod auctor elegantiam contulit ævo suo non contemnendam, sed fidem ut in memoria recenti majorem; dignus proinde qui in Bibliotheca Hispanica Nicolai Antonii, Regiorum negotiorum in Curia Romana Procuratoris generalis, sub annum* 1672 *Romæ vulgata, locum minime obscurum habuisset inter suæ gentis scriptores, post annum* MD *notos, nisi operis nusquam alibi reperti exemplar unicum, Archivii tenebræ conditum habuissent : ex quibus meretur tandem emergere, non solum ad hujus de quo agimus Beati, sed etiam ad Lusitanæ gentis laudem, quæ talem Poetam tali tempore protulit.* *Poema Melchioris Lusitani de Beato.* *Multos alios qui de* B. Felice *scripserunt enumerat in Martyrologio Franciscano Arturus a Monasterio : addi autem potest D. Bernardinus Vecchi, propter elegantem epitomen Italice conscriptam et sub auspiciis Antonii Cardinalis Barberini impressam Belluni anno* MDCXXXVI, *quia hæc penes nos est. Hic autem imprimis nominandus venit amicus meus singularis, P. Franciscus Marchesius, Congregationis Oratorii Presbyter Romæ; qui de eodem argumento justum librum Italice scripsit editque anno* MDCLXXI, *eam quæ inter* B. Felicem San-
C ctumque Philippum Nerium *familiaritatem intercessit magis testatam omnibus cupiens, et præ omnibus Clementi Papæ X cui inscripsit opus, dignum quidem quod etiam lingua latina legatur : sed omittendum nobis, quia in substantia nihil continet, quod ex jam dictis et hic exhibitis non plene habeatur.*

INFORMATIO

De vita, morte, et miraculis per R. P. Fr. Sancti, Guardianum ejus.

Ex MS. Italico ejusdem Conventus Romani.

CAPUT I.

Ingressus in Religionem et quædam præcipuæ virtutes.

Frater Marcus de Castello et Fr. Pacificus de Podio-Catino, Laici Cappucini, et cum ipsis publica fama, testantur, quod Fr. Felix oriundus erat Cantalicio, castello Civitatis-Ducalis : quodque in seculo *Patria et vita in seculo.* exercuit agriculturam, serviens quibusdam hominibus Civitatis-Ducalis : et Fr. Ruffinus, ex eadem civitate natus, audivit patrem suum dicentem, quod cognoverit Fr. Felicem, cum adhuc erat secularis, tamquam hominem bonæ vitæ, solitudinisque et recollectionis amantem. D *EX MS. ITALICO*

2 Fr. Angelus de Aprutio et Fr. Pacificus de Podio-Catino Laici dicunt, quod Fr. Felix factus sit Religiosus, quia audiverat legi Vitas Sanctorum Patrum, qui in eremo comedebant quatuor aut quinque alius ficus, alius dactylos, alius radices herbarum : quodque venerit eo animo (sicut ex ipsomet audiverunt) ut numquam haberet aut panem ad victum, aut vinum ad potum, sed solum vesceretur sicuti vesci solebant sancti illi Patres : unde postea movebatur ad dicendum : Videte quid fecerit magnus Deus : putabam fore ut numquam manducarem panem aut vinum biberem : et ecce fecit me dominum omnis vini ac panis qui Romæ est, faciens me utroque onustum incedere. *causa vocationis,* Fr. autem Ruffinus e Civitate-Ducali dixit, audivisse se Fr. Felicem dicentem, quod elegerat fieri Religiosus ad serviendum Deo procul ab omni occasione peccandi. *ingressus in Ordinem,* Cumque hoc animo aliquando ivisset ad locum FF. Cappucinorum in Civitate-Ducali, die quadam Guardianus monstravit Crucifixum, qui prostabat in ecclesia cruentus totus, dicens; Eccum, adolescens, quantum fecerit Christus pro nobis; ille autem cœpit effuse plangere. Tum Guardianus dimisit eum in ecclesia, et postea vocavit in conventum, dataque epistola misit ad Provincialem. E Circa tempus vero, testatur Fr. Bonifacius de Anticolis Laicus, quod Fr Felix factus sit Religiosus, tempore quo Fr. Bernardinus Astensis Guardianus erat conventus Romani, anno mox sequenti factus Generalis : unde huc usque subducti anni numerantur circiter quadraginta duo : ipse vero habebat ætatem annorum circiter triginta.

3 Fr. Bonifacius de Anticolis dixit, quod Fr. Felix fuit Novitius suus Anticoli : et quod in anno novitiatus sui inciderit in febrim, quia Fratres eum volebant dimittere : quodque ex ea hora mores ejus et conversatio tales fuerint, ut non videretur posse in aliquo reprehendi. *novitiatus* Ostendebat enim semper se valde ferventem ad exercitia spiritualia, imo et corporalia: paulo autem post suam professionem adscriptus fuit Conventui Romano, ubi semper exercuit officium quærentis panem et vinum. *Officium et conversatio Romæ,* Hoc in loco Fr. Marcus de Castello laicus fatetur, eum se novisse in omni modo agendi loquendique modestum et exemplarem, F sed rustica quadam simplicitate absque ceremoniis utentem. Conversationem vero ipsius fuisse dulcem, affabilem et pacificam, quæ ipsum reddebat omnibus, amabilem, tam Fratribus quam secularibus. Fr. Augustinus Bergomas laicus, dicit, toto quo cum ipso versatus est tempore (anni autem sunt octodecim fere) novisse eum in conversatione valde affabilem omnibus et exemplarem, tantaque vitæ sanctitate præditum, quod suo judicio nihil posset in eo reprehensione dignum notari. Fr. Joannes de Paliano Laicus, dixit, conversationem ejus fuisse exemplarissimam, quodque neminem audiverit unquam male de eo loquentem. Fr. Clemens a Marca Sacerdos dicit, quod numquam viderit tempus perdere.

4 Fr. Joannes Bergomas Laicus dixit, quod Fr. Felix in Religione perquam perfecte observabat Regulam S. Francisci, quantum de eo cognoscere potuit : exercebat autem quæsturæ officium, sic ut erubuisset in civitatem prodire absque mantica. *accurata observatio Regulæ.* Fr. Alexius de Sezza Laicus, dixit, quod F. Felix fuerit semper exemplaris, habens in ore verba sancta, multæque ædificationis. Fr. Franciscus Librarius, dicit quod Fr. Felix conversabatur cum optimo exemplo, nec unquam eum audivit loquentem nisi de rebus bonis :

A bonis : exhortabaturque alios Fratres, quos simul reperiebat, ut de rebus utilibus loquerentur. Fr. Dominicus de Carboniano, quod quando adhuc erat secularis valde devotus fuerit Fr. Felici, et osculabatur habitum ejus ex devotione, quando autem in Religione factus est ei socius (quod fuit anno uno cum dimidio circiter) semper eum agnoverit observantissimum Regulæ ac zelosum pro ea, cupientemque omnes Fratres videre sanctos. Fugiebat conversationem et familiaritatem etiam Fratrum ideoque nullo intimius utebatur : cum secularibus vero pauca ei verba erant, sed bona. Fr. Ruffinus de Civitate-Ducali insuper addit, quod numquam ex ore ejus audierit verbum otiosum, sed semper monita salutaria : et quando agebat cum secularibus, conversatio ejus Angelica potius erat quam humana; quia de ore ejus nullum egrediebatur verbum nisi consideratum. Fr. Petrus Bergomas Sacerdos, dixit, quod toto tempore quo eum novit, cognoverit bonæ vitæ et conversationis laudabilis : imprimis autem mirabatur, quod numquam vel iratum videret, vel audiret loquentem otiosum quid.

ex MS. italico.

castigatus et utilis sermo,

5 Quantum ad ejus virtutes ac nominatim humi-
B litatem, Fr. Alexius de Sezza audivit ex Presbyteris illis qui habitant ad S. Hieronymum de Puteo-albo, quod cum aliquando Fr. Felix transiret per plateam quæ dicitur Peregrini, panem et vinum quærens, unus eorum, ad experimentum humilitatis et mortificationis imposuit capiti ejus galerum : quo non obstante perseveravit in sua quæstura Fr. Felix, donec idem Presbyter galerum tolleret. Alia vice, cum ipse Fr. Alexius et Fr. Felix egressi essent Portam-Piam ad carpendas rosas, in regressu per plateam ipse Alexius, fasciculum rosarum ferens quem collegerat pro Sacristano, dixit Fr. Felici, Pone hasce rosas in auribus tuis; nullo autem expectato responso ipsas auribus ejus inseruit : qui eas sic relinquens pergebat via sua, licet multi eis obviam fierent, usque dum Fr. Alexius ultro eas abstulit. Fr. Pacificus de Podio-Catino Laicus dicit, quod Fr. Felix ex humilitate non solebat dicere, se esse Fratrem, sed habitare cum Fratribus. Fr. Baptista Romanus Laicus dicit, quod Fr. Felix, quando in æstate procedebat nudipes, dicere solebat se ita facere ex sensualitate, quia si desiderasset aliquid pati sumpsisset soleas. Idem dicit Fr. Josephus de Altino. Fr. Joseph de Marcianesis dicit, quod quan-
C do Fr. Felix ibat in ecclesiam ad orandum noctu, primum aptabat lampadem ut copiose luceret, deinde circuibat per ecclesiam, quærens an nulli in ea essent Fratres; idque ne videretur ab eis in suis quibusdam exercitiis spiritualibus : dicebat autem quod tantum luminis excitabat, quia sæpius habuerat magnos conflictus cum dæmonibus qui ei lampadem extinguebant. Isti vero humilitati jungebat obedientiam promptam, sicut omnes testantur, numquam Superiori resistens in re ulla.

Humilitas publice

et privatim exercita :

6 Quoad paupertatem dicit Fr. Marcus de Castello, quod Fr. Felix vestiebatur Atrebatio panno, undique rappetiato, nudis fere semper pedibus incedens, nisi quod aliquibus ab hinc annis, propter dolores colicos quos hiberno tempore patiebatur, gestabat soleas. Dormiebat autem semper super tabulas : ac primum quidem pro cervicali solebat uti trunca ligneo, postea vero adhibuit fascem sarmentorum aut aridi fœniculi. Quoad refectionem corporis, quando junior erat observare consueverat tres Quadragesimas S. Francisco usitatas, semper tamen erat admodum sobrius, solebatque dicere, quod semper famelicus surgebat a mensa. Fr. Augustinus Bergomas dicit, quod Fr. Felix vestitu asperrimo utebatur, nec unquam sudariis integris, sed quæ reperiebat bene lacera dimissaque ab aliis vertebat in usus suos. In pastu vero numquam audivit querentem de re ulla, sed quiete sumebat quod sibi afferebatur, sin autem ei dabatur nihil, expectabat patienter. Manducans vero colligebat fragmina a Fratribus relicta. Fr. Joannes de Paliano laicus, cum esset in conventu Romano vestiarius, semper notavit, quod Fr. Felix desiderabat habitum omnium viliorem magisque tritum resartumque, et multum ei displicebant vestes curiose aptatæ corpori. Fr. Clemens a Marca dicit, in vestitu austerissimum fuisse, nec recordatur vidisse unquam nova veste indutum. Idem dicit Fr. Franciscus Librarius aliique. Fr. Baptista Romanus dicit, quod Fr. Felix fuit zelantissimus paupertatis, adeo ut studeret eidem in re qualibet servandæ : quare plurimum solicitus erat de mantilibus quam minime poterat inquinandis : dicens quod quando multum inquinantur, multum aquæ, temporis et laboris impendi debeat iis lavandis. Castitatis servantissimum fuisse omnes testantur. D

asperitas vestitus et lecti,

victus ac somni

7 De patientia testatur Fr. Augustinus Bergomas Fr. Felicem ejus amantem fuisse, et cum aliquid tolerandum offerebatur dicere solitum, Omnia hæc E
rosæ et flores sunt. Corpus quoque suum nominabat Somarellum, id est Clitellariolum : et Fr. Sebastianus de Corneto Sacerdos asserit, quod cum eum vellet P. Generalis aliquando liberare a labore quæsturæ, propter grandem ejus ætatem; respondit, Quamdiu vivit asinus, tamdiu necesse habet gestare clitellas. Fr. Dominicus de Carboniano dicit, quod eum comitatus ad quæsturam bis, vidit Dominum de Rusticis acriter invehi in eum appellando hypocritam, eique improperando quod furabatur per urbem : ipse vero nihil respondebat. Similiter quando alii plures injuriosis eum verbis lacessebant, nihili ea faciens tenebat silentium.

patientia,

8 De pœnitentiarum ejus austeritate, præter ea quæ relata sunt ad paupertatem, dicit Fr. Angelus Aprutinus, quod valde severus erat in corpus suum. Omni nocte faciebat disciplinam, et quolibet anno semel (velut passum accelerans) servabat inediam a die Jovis sancto usque ad Dominicam Paschatis, quæsturam nihilo minus obiens et alia solita exercitia. Idem dicit Fr. Joannes Bergomas Laicus. Fr. Bonifacius de Anticolis dicit, quod Fr. Felix sæpe, ut carnem mortificaret, nudum se sternebat in pavimento; ibique manebat in frigore, quandoque ad unam vel duas circiter horas. Joannes Baptista Ro- F
manus Laicus dicit, quod omni nocte faciebat disciplinam, et sæpius ob eam causam ad cœmeterium mortuorum se conferebat quod est sub choro. Et Fr. Anselmus Doria Clericus, cum eum aliquando observaret, ut videret quid faceret; invenit eum subinde duabus, subinde tribus horis aut etiam quatuor ibi manere, prout ipsum Fr. Anselmum contingebat expergisci : semel etiam vidit quod Fratribus inchoantibus Matutinum ipse sub Chorum se contulit, fecitque disciplinam, Miserere pronuntians; et ad singulos quidem Psalmi versus intermittebat vocem, non tamen verbera, ferventer ad cœlum suspirando; finito autem Miserere non potuit eum diutius observare, quia inde exivit. Fr. Josephus de Marcianesis sæpe notavit ipsum ad quæsturam egressum sine mantello, regredi totum madentem a pluvia, et tamen venire hora stata ad ecclesiam : quia vero propter lassitudinem corpus spiritui repugnabat, ambulabat ipse per ecclesiam, corpori suo improperia dicens : Vah cadaver fœtidum : ad macellum, frater Asine : itaque carnem suam excitans, ordiebatur consueta exercitia.

pœnitentiæ rigor,

laboris assiduitas,

9 Erat valde caritativus et deditus operibus misericordiæ : quia, sicut testificatur Fr. Marcus a Castello Laicus, succurrebat multis pauperibus familiis

caritas erga pauperes et ægros

A miliis pudibundis, dando eis panem ac vinum, quandoque et oleum. Idem dicit Fr. Pacificus de Podio-Catino, addens quod multum delectabatur visitando infirmos, et nunc unum nunc alterum consolando. Fr. Angelus de Aprutio Laicus dicit, quod noctu hora consueta surgens, primum adibat ægros, si qui erant in conventu, inde se transferebat ad ecclesiam. Fr. Joseph de Marcianesis dicit, quod ostendebat lætam faciem, semper in ore habens, Deo gratias : idemque affirmat Fr. Sebastianus de Corneto.

CAPUT II.

Oratio B. Felicis et miracula in vita patrata.

Communio frequens et devota

Circa usum sanctissimorum Sacramentorum dicit Fr. Marcus Castello, quod ordinario bis in hebdomada confitebatur, quantum scire potuit; communicabat autem ferme quotidie, maxime ab hinc quindecim annis; idque ipsum alii omnes testantur. Insuper Fr. Joannes de Paliano asserit, quod viderit eum certis solennioribus festis sic abundare lacrymis, ut ægre posset respondere ad Missam. Fr. B Clemens a Marca Sacerdos ait, quod Fr. Clemens communicabat frequenter, et plerumque quotidie, multa cum devotione : quantum autem ex ejus verbis potuit intelligere, tanta ejus quandoque erat inter communicandum interior consolatio, ut non posset ore proferre Confiteor, vel, Domine non sum dignus. Et Fr. Joannes Bergomas dixit, quod semel cum esset in domo D. Francisci Contugii Romæ, in qua pariter aderat P. Marcellinus Minorita, interrogavit P. Marcellinum coram ipso teste, utrum necessarium esset ad Communionem dicere, Domine non sum dignus. Respondit autem P. Marcellinus, quod non : atque hinc intellexit Fr. Joannes, quod Fr. Felix ipsum nequibat dicere : et hoc etiam vice alia ex proprio ipsius ore audivit. Fr. Franciscus Librarius asserit, quod sub Communione viderit ipsum effuse plorantem : et Fr. Augustinus Panormitanus Sacerdos, qui sæpius ei Communionem ministravit, addit quod manus ministrantis humectabat lacrymis. Denique Fr. Joseph de Marcianesis dicit, quod a Matutino se præparabat ad sacram mensam, conspexitque eum sæpius plangere magno cum strepitu motuque corporis, adeo ut anima ei videretur de corpore egredi.

C 11 Fr. Marcus de Castello dicit, quod in oratione erat perquam assiduus : ac specialiter quod solitus fuerit noctu circa secundam vel tertiam horam surgere, atque ad ecclesiam ire, ubi manebat in oratione usque dum daretur primum signum ad matutinas. Tum enim redibat ad cellam, in ea permanens donec dicendum esset officium : post quod redibat in ecclesiam, perseverans ibi donec ministrasset primæ Missæ, sub qua ordinarie communicabat : quod idem testari possunt omnes Fratres Conventus Romani. Quod autem ad modum orandi attinet, ait Fr. Marcus audivisse se dicentem, quod a principio Adventus solum contemplabatur infantem in Bethleem; reliquo autem tempore (quantum potuit ex verbis ejus colligere) occupabatur in Passione Domini : orantem vero sæpe audivit plangere. Fr. Pacificus de Podio-Catino, audivit eumdem proprio ore dicentem : Ego studeo sex litteris, quinque rubris et uni albæ : idque declarando addebat, Quinque rubræ sunt quinque vulnera Domini nostri; alba vero est Deipara. Deinde quando Fr. Pacificus erat in ecclesia, audiebat ipsum quandoque dicentem, Laudetur Deus; et rursus post nonnullum silentium, eadem verba repetentem.

nocturna oratio :

12 Fr. Angelus de Aprutio dixit, quod Fr. Felix valde assiduus fuit in oratione præsertim mentali : audivit enim dicentem, quod numquam poterat Coronam absolvere : et sæpius reprehendit ipsum Fr. Angelum, quia multos Beli Beli dicebat, id est Pater noster et Ave-Maria, sine attentione et devotione. Vidit etiam quod quando ipsi molestus erat somnus, trahebat sibi barbam ad expergiscendum. Fr. Bonifacius de Anticolis Magister sicut dicit, quod ab ipso sui novitiatus initio ejusmodi assiduitatem orandi tenuerat, et circa hoc eo tempore tam solicitus erat, ut numquam dicendum ei esset ut ad orationem se conferret : itaque affixus ei exercitio interius, ut videretur sibi eum semper videre actualiter orantem. Fr. Joannes Bergomas, idem quod supra de orandi assiduitate testatus, addidit, quod aliquando audiverit noctu canentem Dei laudes, sed intelligi non poterat quid cantaret : deinde subinde plangebat. Quod autem ad modum orandi attinet, sumebat, inquit verbum unum de Scriptura, exempli causa Verbum caro factum est, et in eo exercebatur. Aliquando dicebat, Ecce ascendimus Hierosolymam, et filius hominis tradetur, deinde incipiebat plangere. D

EX MS. ITALICO. precantis attentio et assiduitas,

13 Fr. Alexius de Sezza, quod in oratione aliquando audivit eum plangere, ac deinde ridere : et prout ferebant tempora sermocinabatur de solennitatibus, occurrentibus, per quod apparebat quod in oratione exercebatur circa mysteria solennitatum ipsarum : eumdemque in finem memoriter didicerat certas Antiphonas, dictis solennitatibus usurpari solitas, easque meditabatur. Fr. Franciscus Librarius dicit, quod audivit eum noctu in ecclesia cantare laudes Domini, et aliquando plangere. Fr. Dominicus de Carboniano dicit, quod erat in oratione assiduus, et cum secularibus sermocinans dicebat, Deus aliud a nobis non petit quam actus amoris et gratitudinis. Fr. Franciscus Pistoriensis dixit, quod quater vel quinies offenderit eum in ecclesia fortiter clamantem, Misericordia, Misericordia; commendo tibi hos populos, hos benefactores : et hæc dicebat multo cum planctu, iterum iterumque easdem voces repetens, et silentio facto subsistens, ac denique sic manebat erectus in pedes ad tres horas absque ullo sermone : quare ad ipsum accedens impulit nihil sentientem, idque sæpius observavit. E

argumenta meditationum,

14 Fr. Joseph de Marcianesis dixit, quod quantum scire potuit Fr. Felix exercebatur in Antiphonis officii die isto currentis : stupendum autem omnino fuisse, quod qui erat idiota ac simplex, et ordinarie a Vesperis aberat, quærendo pane occupatus, noverat omnes Antiphonas, etiam scabrosas illas per Adventum : quando autem incipiebat illas recitare, prolatis duobus vel tribus verbis subsistebat, et ad breve spatium temporis elevatus spiritu manebat mortuo similis : postea redibat ad se et prosequebatur cœpta. Quandoque etiam dicebat, Desiderio desideravi hoc pascha manducare vobiscum, vocemque premebat; deinde voce aliquantum amariori insonabat. Quemcumque osculatus fuero, ipse est tenete eum; ostendens signa doloris, propter eos qui Christum tradebant. Subinde elevabatur in quamdam mentis ebrietatem, tam plenus interius divini ignis, ut continere se non posset, quin foras erumpere eum pateretur per signa. Subinde scabellum quoddam ascendens, manibus pedibusque ciebat strepitum, quasi cymbalum pulsans, et subtili voce Angelicum aliquid decantabat. Subinde voce contenta clamabat, sic ut capilli mihi erigerentur præ horrore, Væ! væ! væ! Domine, Domine : quapropter conterritus accurrebam visurus quid accidisset; et paulo post convertebatur in magnam lætitiam, ita ut jubilando cantaret divinas laudes : eratque hoc ei veluti quotidianum. Quandoque etiam audivi loquentem cum S.

Antiphonæ de tempore et festis : F

extases.

A S. P. N. Francisco, dicentemque; Francisce, Francisce, habe tibi commendatum, misellum Fr. Felicem.

recitatio Officii, 15 Officium divinum, scilicet orationes Dominicas Pater-noster sibi ex Regula præscriptas, dicebat cum maxima devotione, incipiens, Domine labia mea aperies: postea vero dicebat ipsa Pater-noster per quam lente, interruptim et devote, ita ut videretur verba singula meditando expendere. Cumque Fr. Joseph cum ipso aliquando de illis loqueretur, quadam vice dixit, O Fr. Joseph, Dominus Deus parum curat nostra Pater-noster. Idemque Fr. Joseph non vidit, quod cum oraret Fr. Felix noctu, Coronam teneret manibus, nisi tunc solum cum recitabat Officium.

ægri curati, 16 Fr. Marcus de Castello audivit a D. Constantia, uxore B. Bernardini Cotti, quod cum illa aliquando ægrotaret ad mortem, liberata fuerit orationibus Fr. Felicis; dicit etiam ex ipsomet Fr. Felice intellexisse, quod panem quærens per urbem vocatus fuerit in domum cujusdam mulieris, parere non valentis: quæ subito fuerit sublevata, ac rogatus ipse signum Crucis super eam expressit, B Fr. Augustinus Bergomas narrat, quod cum Fr. Felice ingressus sit die quadam mercatoris unius *Sterili proles impetrata,* domum, prope Curtim-Sabellam: et mercatoris illius uxor illis obvians obtulit ei liberos suos dicens, Fr. Felix, eccum liberos tuos. Ipsis autem digressis volens Fr. Felix docere socium, quid iis verbis mulier significatum voluerit, dixit: Mulier hæc sic locuta est, quia cum sterilis esset, rogavit me ut orarem pro se; et ego respondi ei, Libenter, quia intra breve tempus habebis infantulum: sicut habuit, et alios plures deinde peperit. Fr. Joannes de Paliano dixit, quod hic in conventu narrari audivit, Fr. Felicem in ipso conventu sanasse a febri aurigam Cardinalis Cornari defuncti, qui cannas adferebat, dando ei bibendum modicum aquæ supra quam fecerat signum Crucis. Fr. Angelus de Aprutio dixit, se, quoties dolores aliquos patiebatur, contingendo ipsum Fr. Felicem, semper ab iis sublevatum fuisse.

adjutus Frater infirmus, 17 Fr. Clemens a Marca Sacerdos, multis abhinc annis in seipso expertus est, quod molestam ac diuturnam infirmitatem tota una hieme passus, adveniente Quadragesima Resurrectionem præcedente, rogavit Fr. Felicem, oraret pro se, quatenus observare posset Quadragesimam istam: nec frustra: jejunavit enim totam per gratiam Christi et Fr. Feli- C cis orationes. Similiter præcedenti anno, cum idem Pater gravissimos toto corpore pateretur cruciatus, ita ut diu noctuque vociferaretur, et Fr. Felix ad eum visitandum venisset; rogavit ipsum ut supra locum, unde cruciatus procedebant, signum Crucis formaret. Hoc autem ter facto cœperunt dolores isti minui, et deinceps eos usque in præsens non sensit amplius. Fr. Franciscus Librarius dicentem audivit D. Julium Galanti, quod cum pes equi cujusdam *equus periclitans,* crati ferreæ implicitus hæreret nec extrahi posset et multum strepitum faceret; superveniens Fr. Felix equi collo injecit palliolum suum, stetitque equus donec pes e ferro solutus esset absque motu ullo. Insuper audivit narrari a D. Ulysse Gallo, quod Fr. Felix quoddam Nosocomium ingressus, invenit infirmum moribundum: cui modicum vini porrexit, et subito melius habere infirmus cœpit. Fr. Dominicus de Carboniano addidit, quod idem ex mulieribus quibusdam intellexerit, (quas quidem nunc nominare nequit, sperat tamen se eas reperturum) et quod cum illud audiret, alia mulier dixerit, Etiam me sanavit modico vino.

levatus dolor capitis, 18 Fr. Ruffinus de Civitate-Ducali intellexit ex D. Clelia de Valle, quod ipsa febrim cum gravi capitis dolore patiente, viroque suo multum pro ea solicito, ingressus in domum Fr. Felix et pro infirma D orare rogatus, manum imposuit fronti ejus, et recitavit Pater noster cum Ave-Maria, deinde addidit: Habeto fidem, quia secundum hanc faciet tibi Deus: moxque sanata est, cessante febre et capitis dolore. A simili dolore capitis sanavit etiam D. Lucretiam Capizuccam. Fr. Patritius de Mediolano Laicus dicit, quod cum adhuc secularis ministraret in hospitali incurabilium Romæ, dici audiverit, quod Fr. Felix aliquot abinde annis sanaverit infirmi cujusdam mancam tibiam, expresso supra eam Crucis signo. Fr. Franciscus de Pistorio dicit, præsentem se fuisse, quando Fr. Felix sanavit D. Bernardum Olgiati, cui apostema in collo eruperat, facto simili- *Crucis signo sanati varii:* ter Crucis signo. Fr. Joseph de Marcianese dicit, quod audiverit ex D. Horatio de Tolfa, nepote Illustrissimæ D. Marchionissæ de Valle, præsentem ipsum aliquando fuisse, cum prædicta Domina propter puncturam quamdam esset in periculo mortis constituta; ipsaque nequiens voce exprimere necessitatem suam, signis et gestibus rogabat Fr. Felicem, ut supra se efformaret Crucem: illo autem E primo id facere recusante, ac denique obsequente, statim sanatam fuisse infirmam.

19 D. Curtius Franchi, Canonicus S. Petri retulit, D. Attilium..... de Veletris sibi dixisse, quod genu dolens sic ut ambulare non posset, rogavit Fr. *vinum e vacuo vase depromptum,* Felicem ut Cruce illud signare vellet, eoque facto convaluit. Fr. Alexius de Sezza dixit D. Laviniam, quæ habitat vicina Curti-Sabellæ, sibi dixisse, quod hoc ipso anno cum egressus Fr. Felix ad quærendum vinum ad se quoque venisset, ei responderit, nullum in vase sibi vinum esse. Illo autem asserente quod esset, ipsaque in negando perseverante, tandem Fr. Felix œnophorum suum porrexit famulæ dicens, Maria, vade et vinum hauri. Ivit illa, et aliquamdiu morata revertit, dicens, Vinum non esse. Tunc Felix, Nescis, inquit, ipsum promere; eamus pariter; iensque petiit sibi dari epistomium cannulæ, quæ erat aperta. Ipsumque immittens rursumque educens, simul eduxit vinum, quod tamquam ex pleno vase fluxit, neque stetit prius quam ille œnophorum suum implesset. Fr. Joseph Bergomas, refert de D. Raimundo Mazzoleni item Bergomate, merciario in Turri Sanguinea ad insigne Angeli, quod laborans quartana febri. Fr. Felicem, visitationis causa accedentem, dimiserit excusando accessum febris, solitæ ad horas duodecim durare. Respondit autem Fr. F Felix, Nolo discedere, donec transierit. Illo autem *febris curata,* replicante, nimis longum id fore: Volo, inquit, ut discedat infra unam abhinc horam: et tamdiu circiter apud eum mansit: prius autem quam discederet, cessavit febris nec amplius tam vehemens rediit, sed solum bis ad breve tempus, ac deinde penitus cessavit. Idem Raimundus eidem dixit, quod in domo Hersiliæ de Montibus sanaverit famulam ab unius lateris apostemate, faciendo supra eam signum Crucis: et D. Ulysses Gallus publice profitetur, quod podagra laborans, solo tactu Fr. Felicis liberatus sit: postea vero auditum est, quod D. Celiam Cæsarini, sanaverit ab infirmitate, quam habebat in gutture.

futura prædicta, 2 Fr. Patricius de Mediolano Laicus, dicit quod ad Conventum Romanum veniens manifestavit Fr. Felici, quod volebat Frater fieri: respondisse autem Fr. Felicem, id quidem futurum, sed quando proximus foret Professioni nuncupandæ deliberaturos Fratres de eo dimittendo; tandem tamen et multo cum labore ad eam recipiendum; ipsa vero facta multas tribulationes ei superventuras, quas sigillatim enuntiabat; omnesque ex ordine, sicut ille prædixerat, sibi advenisse, usque in præsentem horam.

Præterea

A Præterea videtur suæ infirmitatis ac secuturæ mortis tempus prophetasse, quando hoc ultimo vitæ anno sæpe est auditus dicere, Cecidit asinus, quod verbum antea numquam usurpare consueverat.

CAPUT III.

Ultima B. Felicis infirmitas et miracula ipso mortis anno facta.

Extremum æger, Infirmatus febri fuit Fr. Felix ultimo die Aprilis, et ægrotavit usque ad decimam octavam Maji, diem secundum Pentecostes, anno MDLXXXVII, quando transivit ab hac vita circa horam vigesimam tertiam. Fr. Angelus do Aprutio dixit, quod in principio istius suæ ultimæ infirmitatis, postquam biduo mansisset æger in cella sua, abiit ad infirmariam; transiensque per cellam ipsius Fr. Angeli dicentis, Sursum corda, Fr. Felix; responderit ridendo, Jam imus per viam. Visitanti autem se Fr. Alexio, quærentique qualiter se haberet, respondit, Quomodo vis ut me habeam? videor mihi jacere in rogo, nec possum quiescere: subjunxitque Quadam vice persona una religiosa infirma collocavit se supra culci- *tentatur a dæmone,*
B tram; et mox ut fuit collocata, adveniens dæmon, dixit, Oh! vere cecidisti. Ille autem hoc audito subito surrexit, seque provolvit in terram; sed superveniens infirmarius jussit eum reverti ad culcitram. Denuo autem revertens dæmon idem dixit, et ipse iterum humi se stravit, rursumque sublevatus ab infirmario est. Denique cum tertium rediens dæmon, idem inculcaret, reprehendens eum infirmus dixit, Nune crepa: volo hic manere.

noctu ecclesiam adit, 22 Fr. Franciscus Librarius et Fr. Franciscus de Pistorio dixerunt, quod in hac ultima ejus infirmitate, quam medici letalem esse pronuntiaverant, vespere quodam sub horam tertiam noctis invenerint Fr. Felicem ambulantem per conventum, eumque interrogarint unde veniret: Ille vero respondit se redire ab ecclesia, ubi horam unam orationis fecisset. Mandarunt ergo ut rediret ad cellam, ubi positus supra lectum dixit; Isti Fratres dicunt mihi, Mane in cella, mane in cella, ego autem hic infirmor. Deinde extendens sese ait, Eccum bene compositum Papam, asinus non potest amplius, ideo cecidit. *iterum vincit dæmonem,* Fr. Clemens a Marca Sacerdos dixit, quod ultimo et penultimo morbi die venienti ad se visitandum dixerit: Dæmon voluit me tentare, sed respondi ei dicens; Tu non es meus Judex, Christus
C Jesus est Judex meus: tu vero es damnatus. Credo sanctam Ecclesiam Catholicam et Apostolicam. Et Fr. Clemens subjunxit. Ita age Fr. Felix: tene hoc firmiter, et nihil metue. Fr. Urbanus de Prato Laicus dixit, quod ipso obitus sui die mane sub horam refectionis ivit in cellam Fr. Felicis, invenitque manducantem. Cumque ibi maneret ipse Fr. Felix, sustulit in cœlum brachia, eaque expandens dixit O! o! o! stetitque hoc modo ad tria vel quatuor Miserere. *visitatus a Deipara expirat:* Roganti autem quid esset, respondit, adesse Dominam nostram cum omnibus Angelis, imperavitque ut clauderet portam cellæ. Paulo autem post idem cœpit facere attollens brachia, dixitque Fr. Urbano ut abiret: qui abiit: et postea sub vesperam, hora vigesima tertia ipsius diei, transiit ab hac vita, ætatis suæ anno circiter septuagesimo secundo.

mortui caro mollescit, 23 Mortui Fr. Felicis caro, mox tota mollis et tractabilis apparuit velut infantis, et manuum articuli brachiaque ductilia plane acsi vivus fuisset. Sequenti autem die post Vesperas portatum est ad ecclesiam corpus, ubi tantus fuit virorum ac mulierum concursus, ut mira visu omnino res esset. Statim autem atque in conspectu fuit, cœperunt omnes

D coronas suas eidem admovere; et beatum se reputabat, quisquis vel modicam particulam posset obtinere ex habitu; adeo ut necesse fuerit recipere illud intra cancellos altari majoris: ubi cum esset, nec desineret confluere populus, venit tandem etiam filia D. Bernardi Cotti, pridem energumena, tactoque corpore liberata est. *EX MS. ITALICO.* Sequenti die cum iterum in ecclesiam delatum esset corpus, ad satisfaciendum devotioni præsentium, quotquot aderant energumeni horrendos omnino clamores et stridores dederunt. *liberatur ad corpus energumena,* Postea D. Joanna, quæ habitat in Tabernis obscuris, dixit Fr. Alexio de Sezza, quod annis duodecim possessa a dæmone, audita morte Fr. Felicis cui devote afficiebatur, sæpius venerit ad locum nostrum, ut aliquid de ejus habitu impetraret. Cumque ibi nihil impetrare potuisset, duos Fratres postea domum suam transeuntes tale quid petenti dedisse, quod illa sibi imposuit. Nec mora cœperunt dæmones tumultuari, vociferantes, Hi flocci, hi Fratres, non pellent nos. Quod cum tota die nocteque identidem inclamassent, postridie tamen alleviatam se sensit mulier, et credit liberatam.

24 Fr. Petrus a S. Archangelo retulit, D. Franciscum Contugium sibi dixisse, quod in monasterio S. Ambrosii prope forum Judæorum, monacha quædam octo mensibus infirma, ita ut nec movere *sanantur infirmi tactu Reliquiarum*
E se posset, mox ut coronam corpori Fr. Felicis admotam accepit a Sororibus, suggerentibus ut eam sibi imponeret, Deumque per merita Fr. Felicis pro sanitate impetranda oraret; sana ac salva surrexit de lecto, Fr. Alexius de Sezza naravit, quod D. Lucretia Galanti, habitans prope Maforium, sibi dixerit, obnoxiam se fuisse frequenti capitis stomachique dolori: sed acceptam particulam habitus Fr. Felicis, primum capiti, tum stomacho applicuisse, atque utroque malo mox esse liberatam: cum autem postea filia sua etiam infirmata esset, hanc quoque sanatam illico esse, et dictam particulam, a matre petitam acceptamque, sibi applicuit.

25 Fr. Franciscus de Correggio Laicus dicit, quod infra Octavam sanctissimi Sacramenti, eunti ad Processionem, in S. Joannis Lateranensis indictam, quidam chartopola, habitans in Parione, dixerit, *præsertim ex veste sumptarum:* quod mulier quædam infirma et desperata a medicis petierit aliquid de habitu Fr. Felicis: quod cum illi detulisset ipsius chartopolæ frater, ipsa illud devote recipiens mandavit liberis suis ut genua flecterent, discerptamque minutim particulam immisit scypho vini aut aquæ (nec enim recordatur utrum fuerit) eoque epoto sanata est.
F
26 Fr. Santes de Colle-veteri Sacerdos dixit, D. Flaminium Passarum, qui habitat prope Monetam-veterem, sibi asseruisse, quod uxor sua solita in partu gravissime biduum vel triduum cum vitæ periculo laborare, *juvatur difficilis puerpera.* mortuo nuper Fr. Felice parturire cœperit: quare statim accurrerit ipse ad Confessarium Cappucinarum, videlicet Fr. Franciscum Bergomatem consanguineum suum, ibidem morantem; rogavitque eum, ut sibi per gratiam donaret aliquid de rebus Fratris nuper mortui, eo quod uxor sua ipsi esset valde devota. Hic vero respondit aliud non habere quam sudariolum et funiculum, qui corpus Fr. Felicis tetigerant: quibus acceptis accessit ad Conventum, inventumque ibi Fr. Humilem Romanum oravit, ut etiam de habitu daret particulam: cum quibus omnibus domum rediens, sudariolum capiti parturientis imposuit, funiculo corpus ejus cinxit, et particulam habitus filo inductam suspendit de collo: mulier autem intra unum Miserere, præterquam solebat, fœtum facilem enixa est.

A

VITA

Auctore Fr. Matthia Salodiensi coævo.

Ex Processibus ante annum 1590 *Italice collecta, in Codice MS. Conventus Romani.*

PROLOGUS.

Religione ad moderatiorem vitæ formam reducta,

Omnipotens Deus, a quo procedit bonum omne et omne donum perfectum, semper Cappucinorum Congregationem fovit, et gratia singulari suam eidem præsentiam protectionemque exhibuit. Quapropter, licet aliquantum remisso ac moderato illo fervore, quo primi illius fundatores ardebant, ipsa se reduxerit ad quamdam discretiorem formam religiose vivendi, quæ possit ab omnibus communiter observari; non tamen divina providentia subtraxit eidem spiritum perfectionis, aut integritatem observantiæ Regularis, a Patriarcha Francisco præscriptæ; quemadmodum demonstravit iis modis, qui maxime conveniebant isti suo progressui et huic præsenti statui.
B In principio siquidem, quando erant pauci, pluit supra Fratrum Communitatem ab alto virtutem vitæ tam austeræ et exemplaris coram mundo, ut is non solum a singulis et communiter bonum acciperet exemplum; sed etiam horrore quodam sacro perterritus, efficaciter moveretur ad pœnitentiam.

ut durabilis esset;

Sed cum progrediente tempore nequiret Congregatio perseverare in rigore asperitatis tantæ (opus enim erat ad perpetuandum institutum fabricare Loca, recipere Fratres, suscipere modum vivendi regulatum, sicut omnes sanctæ Religiones fecerunt) ejusmodi formam sumpsit, quæ conjuncta cum vera et pura observantia Regulæ, possit servire Deo, ædificare proximum, locum dare omni volenti in ea facere pœnitentiam atque in bene cœptis perseverare.

et quod olim majori cum motu per paucos,

2 Nunc ergo quaquaversum diffusa Congregatio, per omnes provincias spargit communicationem earum gratiarum, quas divinitus accepit: et quod principio operabatur per paucos ignitos carbones, nunc moderatiori calore et luce accommodata infirmis pauperum Christianorum oculis, omni in loco efficit per multitudinem Fratrum; dum iis Servator noster utitur veluti cœlestis medicus, et qualitati salutaris pharmaci aptat illius quantitatem, ut sufficiat præstandæ sanitati; perfectionem illam quæ
C tunc in paucis plerumque extrinsecus apparebat, dividendo in plures, qui interiori affectu illam exercentes, priores illos vel æquant vel etiam superant. Neque enim quia vas non ostendit se bullire inquietis et reciprocis saltibus, minus propterea fervet in progressu: sed quia inclusus liquor totus æqualiter calefactus jam est, quiete æstuat, et effectum suum quo secretius eo potentius operatur.

nunc quietius faciente per multos;

Sed neque prætermittit Deus declarare mundo internum istum calorem per lucis splendidæ claritatem, quæ est ipsius ardoris exterior species: jam enim illustrat corpus hujus Congregationis manifesta quorumdam Fratrum sanctitate, qui alioqui in victu communi perparum differre videbantur a ceteris; ut hisce veluti majusculis litteris ornatum complementumque addens scripturæ, compositæ ex ordinaria observantia aliorum Fratrum, doceat mundum salutis scientiam, et Evangelicæ virtutis atque Apostolicæ perfectionis formam declaret.

etiam in communi illa vita Sanctos haberi,

3 Tales, ex quo Congregatio et Reformatio nostra suum habuit principium, fuerunt in ea semper suntque etiam nunc, qui tamen non facile dignoscuntur ab ipsismet Fratribus, multo minus a secularibus. Cum enim communis observantia Cappucina non patiatur inter eos magnam differentiam in exteriori
forma modoque vivendi, et interior virtus soli nota D
sit Deo; ita ut quorum, primum singularis videbatur perfectio eorum ignis stramineus demum fuisse intelligatur; alii vero vitæ ut credebantur communis, in progressu apparuerint singulares. Et boni quidem Fratres paulatim cognoscuntur ab omnibus, et habentur pro talibus: sed quanta eorum sit coram Deo perfectio scitur a nemine, donec indicare id placeat suæ divinæ Majestati. Unus eorum Fr. Felix de Cantalicio extitit: quia sua in vita sic se gessit, ut cum bonus esset et gratissimus Deo, a communi tamen norma non tantum recesserit, ut propterea ab aliis æstimatus sit plus quam bonus Frater et probus Religiosus, quales ceteri passim creduntur et æstimantur: sed finis illustris declaravit, quantum a principio placuerint Deo mores ipsius et vita sancta, cui finem imposuit in festis sanctissimæ Pentecostes, cum Romæ celebraretur generale Capitulum, concurrentibus tot sanctitatis ejus indiciis, ut commota fuerit Urbs universa, atque per totam Christianitatem in momento sparsa clarissima illius fama.

patescit in Fr. Felice

4 Eadem autem sanctitas non desinit indies pa- E
tere manifestius per miracula, quæ Deus intervenientibus ejus meritis continuo operatur: neque nova claritas S. Didaci, recens a S. D. N. Sixto Papa V canonizati, offuscat splendorem Fr. Felicis: sed sperare jubet, quod etiam ipse eodem ab Ecclesia honore sit glorificandus in terris; comprobatque, in Religione Franciscana numquam defecisse aut observantiam Regulæ aut sanctitatem.

miraculis clarescere incipiente,

In illa enim caput atque principium fuit, tamquam duodecim stellis coronatum atque illustratum primis illis ac fere innumerabilibus suis Sanctis: quos inter splendent septem Martyres, ipseque S. Franciscus Patriarcha, et S. Antonius Patavinus. Aureo isti capiti conjunctum fuit pectus argenteum per S. Bonaventuram, qui suis splendoribus religionem illustrans, canonizationem suam differri voluit, donec oriretur S. Bernardinus, totque alii perfectissimi Religiosi, quot protulit Reformatio Observantium, vulgo Zoccolantium dicta. Illo tamen temporis intervallo quod inter transitum S. Bonaventuræ ejusque Canonizationem fluxit, non caruisse Religionem splendoribus Sanctorum, probat S. Ludovicus cum tot aliis sanctis Religiosis qui floruerunt in Ordine.

et continuante seriem Sanctorum in Ordine

5 Porro S. Didacus qui circa tempora S. Bernar- F
dini claruit, primam Congregationem Patrum Conventualium conjunxit cum tertia Cappucinorum, mediam includens secundam Patrum Zoccolantium, differendo Canonizationem suam usque ad hæc tempora, quibus principium habuit hæc ultima reformatio, Cappucinorum dicta, splendidissima hominibus sanctis, ac denique illustrata per B. Felicem; qui factus gloriosus in cœlis, prius quam S. Didacus Sanctorum Albo adscriberetur in terris, conjungit totam seriem Sanctorum temporis præcedentis cum tempore secuturo; ea fere ratione, ut Sancti hi, tamquam sacræ tabulæ una super aliam positæ, dum prima non desinit prius quam sequatur secunda, conficiant Deo sacrum hoc Franciscanæ Religionis tabernaculum, ubi suam ille manifestat præsentiam.

successive canonizatorum

Quod quidem tabernaculum, sicuti sub pedibus habet positam lunam instabilis mundi; sic a Deo collatum est intra solem splendidæ sanctitatis, quo totum amicitur. Unde omnia cœlestia lumina, quæ sanctam Ecclesiam claram faciunt et splendentem, ipsum velut parvam sed honoratam partem illius magni corporis, singulariter illustrant, in capite, et pedibus, totoque medio; agnosciturque ab omnibus, quod cunctæ excellentiæ spirituales, quibus ornatur Ecclesia sancta, illi sint communicatæ; quando vident ei nec stellas, nec lunam, nec solem deesse, vel

ac veluti tabernaculum Deo facientium:

A vel in Prælatis tam summis quam mediis, vel in Sanctis Martyribus, Confessoribus atque Virginibus, vel in Doctoribus aut Prædicatoribus, vel in ullo denique hominum illustrium genere, qui possunt per cœlestia luminaria denotari.

quos excipiens Felix maxime prodest,

6 Ceterum divinæ providentiæ relinquentes, quid de F. Felice velit imposterum facere; sumamus quod nobis in præsentiarum donavit, videlicet sanctam vitam et hujus gloriosum finem, quæ indicant ejus gloriam in cœlo, nosque provocant ad gratias Deo agendas, et vitam cum virtute ducendam, quam hinc videmus divinæ Majestati tam acceptam esse. Movent quidem ad hoc exempla Sanctorum omnium, quia ad istum finem inter homines fuerunt collocati a Deo, et stupendis operibus comprobati: sed huic nostro seculo aptissimus stimulus est vita sancta Fr. Felicis, quia a tot hominibus fuit cognitus et tractatus familiariter, occasione officii quod exercuit panem per Urbem quærens, ut dicere possimus, omnes cum eo conversatos esse. Quotquot enim eum per tot annos Romæ, quæ veluti mundus ipsius mundi est, de visu aut colloquio cognoverunt, tam certam fidem et testimonium tam clarum dant de eo, ut dici possint omnes sibi ipsis esse oculati testes, quod singulariter valet ad homines in bonum movendos. Præterea communis quam duxit vita, quamque haud improportionate distinxit ab aliis, eodem potest conducere plurimum. Quamvis enim Sancti illi, quorum excedentia in vitæ humanæ cursu opera efferuntur, in nobis excitent virtutis desiderium; absterrent tamen potius quam alliciant nostram fragilitatem, dum ea desperat se imitaturam. Sed ea sanctitas, quæ exterius habet convenientiam aliquam cum nostra paupertate, magnetis instar, qui solum ex propinquo trahit, movet magis. Talis est autem vita Fr. Felicis, quam propterea describendam aggredimur, ad Dei honorem et ipsius Beati gloriam.

quia Urbi notissimus et vita communis

B

CAPUT I.

Felicis origo, ingressus in Ordinem, quæstoris officium et conversatio exemplaris in eo cum secularibus.

Ex Sancto et Sancta natus Felix,

Credi vix potest, absque singulari providentia factum esse, ut sanctus hic vir nasceretur ex patre, cui nomen Sanctus de Caratto; et matre, quæ similiter vocabatur Sancta; quasi ex duobus, Sanctis nomine, gigni deberet unus, reipsa Sanctus. Erant C autem Sanctus et Sancta, parentes Fr. Felicis, ex Cantalicio, Castello civitatis Ducalis, diœcesis ejusdem civitatis; homines rusticani, conditionis humilis, sed timentes Deum, quales subinde inveniuntur in isto hominum genere; viventes ut boni Christiani debent, cum rustica simplicitate, in morem antiquorum sanctorumque Patriarcharum. Quatuor illis filii fuere, tertio Felicis nomen in baptismo obtigit, quod ab eo semper retentum omen habet illius vitæ, quæ finaliter eum in cœlo vere ac plene felicem reddidit. Hic secundum suorum natalium conditionem, ut rusticus, etiam Christiane vixit; segregatus quantum poterat a conversatione communi et periculis peccandi; firmiter autem creditur sanctæ virginitatis florem inviolatum servasse, quemadmodum ab aliis universim peccatis per Dei gratiam alienus mansit. Proinde mirum non est, quod in anima tam bene disposita, accensum fuerit desiderium perfectionis Christianæ, quando die quadam legi audivit Vitas sanctorum Patrum; et quod asperam eorum pœnitentiam, qui paucis fructibus leguminibusque sustentabant vitam, aquam solam bibentes, resolverit etiam ipse sequi, atque a pane et vino abstinere

et rustice sed innocenter educatus,

decernit exemplo SS. Patrum vivere:

D ad illorum exemplum. Eum autem in finem, inspirante Deo, decrevit fieri Cappucinus; credens quod sub isto habitu ejusmodi abstinentiam et vitæ austeritatem tenere posset.

A. MATHIA SILODIEN EX MS. IT

8 Hoc desiderium sicut conversionis principium ei fuit, ita sua omni conversatione adhæsit, faciens illum ducere tam asperam vitam quam suus habitus et religio ferre poterat: et sæpe jucunde admirando intra se divinam providentiam quæ cum tali cogitatione et spe ad Cappucinos eum adduxerat, solebat dicere Fratribus: Videte quid fecerit magnus Deus, volebam ego numquam panem edere aut bibere vinum, et fecit me dominum omnis panis ac vini Romani, meque eo onustum semper jubet incedere. Cum ergo propositum haberet, austeritatem tantam, ad exemplum istorum sanctorum Patrum, in Dei servitio observare, ideoque fieri Cappucinus vellet; consilii causa audiit quemdam suum germanum consobrinum: qui ab eo proposito abducere eum volens, suggerebat alios religiosos Ordines magis commodos, quos ingredi posset, siquidem omnino decrevisset fieri Religiosus. Sed ipse amore asperitatum accensus, nec alium præ oculis vitæ scopum habens, consanguineo suo respondit: Volo istud serio agere, aut manum a cœpto abstinere. Ita E animatus discessit domo, sanctum suum propositum exequi desiderans. Quo cognito consanguinei secuti eum sunt, et quocumque potuerunt modo reducere ad se tentarunt: sed frustra: quia Deus, qui ejus pectori insidebat, dedit lumen et vires ad agnoscendam mundi fallaciam, et omne obstaculum removendum.

quos Cappucinus factus studuit imitari,

quia ideo hoc vitæ genus elegerat.

9 Erat ipse tunc annorum circiter triginta: solebat enim ipse dicere, quod in expilatione Urbis Romanæ erat annorum duodecim, anno autem millesimo quingentesimo quadragesimo tertio ad Religionem venit. Primum vero ivit ad Locum Fratrum Cappucinorum Civitatis-Ducalis, inventoque Guardiano simpliciter declaravit desiderium suum, humiliterque ab eo petiit in Religionem admitti. Volebat Guardianus ut bene comprehenderet vitam Cappucinorum rigidam et duram: sed hoc ipsum magis accendebat animum novi militis Jesu Christi et generosi sequacis S. Francisci. Ergo induxit eum in ecclesiam Guardianus, eique monstravit Crucifixum prorsus cruentatum ac lividum, dicens; Ecce adolescens, quantum pro nobis passus sit Christus. Ad hunc pium aspectum vivamque loquentis vocem, tam vehementer interius percussus fuit devotus Felix, ut mox se plenum senserit amorosa compunctione, cujus indicium manifestum dabant prorumpentes ubertim lacrymæ, et effusus in quem erupit planctus. Idque argumentum fuit sanctæ illius dispositionis, quæ erat in illius mundo corde puroque a peccatis et mundanis affectionibus; præludium autem futuræ sanctitatis, ac nominatim illius teneritudinis, qua deinceps planxit Domini nostri Passionem, quod ei exercitium postea familiarissimum fuit. Porro cum sic bono temporis spatio orans in ecclesia mansisset, in domum reduxit Guardianus adolescentem; eumque Religioni idoneum judicans, cum epistola misit ad Provincialem Romanæ Provinciæ: et cum hac ipse Romam venit, ubi tunc Guardianus erat Fr. Bernardinus Astensis. Hic oblatis Provinciali litteris, declaratoque animo suo et petitione exposita, receptus ad Ordinem est, ablegatusque ad Novitiatum Anticolensem in Campania, sub cura Fr. Bonifacii de Anticolis, etiam nunc viventis, tirocinium acturus. Ne autem amitteretur felix augurium suæ felicitatis, ex Dei voluntate, præter consuetum modum, relictum ei fuit nomen Felicis: itaque dictus est semper Fr. Felix: qui posito tam bene in seculari vita fundamento futuræ felicitatis

Fere tricenarius admitti petens,

F

aspectu Crucifixi provocatur ad lacrymas:

Anticolum ad tirocinium missus,

A. MATHIA SALODIEN. EX MS. IT.

A felicitatis, studuit ei inædificare altius altiusque, donec ad culmen felicitatis ipsius pervenit.

non obstante qua laboravit febre,

10 Bono novitio atque tironi Jesu Christi in ipsa probatione gravis accidit tentatio, quæ periclitari eum fecit ne possit in suscepto certamine perseverare; febris videlicet permolesta, quæ eo illum adduxit, ut Fratres dubitarent, an eum non deberent a se dimittere, veluti vitæ ipsorum communi ineptum. Sed robur spiritus infirmitati corporali prævaluit. Cum enim sanus perquam humilem, devotum, obedientem, ferventem ac laboriosum, perfectumque observatorem omnium sibi injunctorum se exhibuisset; in ipsa quoque infirmitate sic Fratribus faciebat satis, ut numquam decretum formare potuerint privandi vel seipsos tam bono novitio, vel ipsum eo religioso statu, quo se reddebat dignissimum sua sancta conversatione ac vita. Suo ergo tempore ad Professionem receptus est: quodque impedimento ei fuisse videbatur, profuit ad probationem: cum eum Fratres utrimque experti essent, sanum et infirmum; itaque constaret, qualiter utroque in statu portaturus foret Religionis jugum. Robur corporis, laboribus innutriti; devotio spiritus, in qua brevi B tempore multum profecerat; irreprehensibilis exemplaritas morum, juncta cum ejus antiqua et rusticana simplicitate; occasionem dederunt Superioribus eum modico post emissam Professionem tempore traducendi Romam, ubi officio fungeretur quæsturæ panis ac vini. Ac primum quidem datus est socius quæstori Fr. Angelo de Colle discipuli, vitæ sanctæ viro. Eoque mortuo ipsi successit; per annos quadraginta, id est usque ad mortem perseverans in munere isto; ultimis scilicet vitæ annis, quantum poterat facere, faciens.

ad professionem recipitur.

Romam mittitur ad quæsturam,

quod munus totis 40 annis ibi exercuit.

11 Rara profecto et insolita res, quod tam diuturno tempore ita recte cum Fratribus et secularibus se gesserit, ut Superiores nullam unquam habuerint occasionem eum inde dimittendi: quia sanctitati tam dextere prudentiam junxerat, ut neque propter defectum spiritus, neque propter indiscretam aut reprehensibilem conversationem unquam meruerit tali officio privari: quod a Fratribus magni judicii magnæque in Religione experientiæ censetur admirabile, majorisque momenti quam possit æstimare, is, qui nescit quam sit difficile conversari cum omnibus et conservare seipsum. Magnum enimvero est medio in mundo vitam solitariam ducere; et promiscue tractantem cum omnibus spiritum recollectum, in nullo distractum, sed Deo semper junctum C retinere; id est mel sugere, non ex floribus, sed ex fœtentibus objectis, quotidie per Romanam urbem se offerentibus sancto viro. Ex his enim omnibus sumebat occasionem actuum virtuosorum, puta cognoscendi pericula secularis vitæ miseriasque humanas, lætandi quod ab iis esset per Dei misericordiam liberatus, gratias eidem agendi pro tali in se collato beneficio, compatiendi miseris peccatoribus hominibusque afflictis, orandi pro iis tanto impensius quanto eorum necessitates cognoscebat distinctius, cum caritate admonendi quos videbat ad prava opera ferri, consulendi hortandique ad bene agendum quos egere stimulo deprehendebat, consolandi afflictos, et quibusque inopiam patientibus qua melius poterat ratione succurrendi: adeo ut munus quod aliis adducit periculum relaxandi spiritus, ipsi esset incitamentum fervoris, feceritque Deo ex vili materia pretiosum tabernaculum, et ex coloribus alias fœdis speciosam picturam.

absque ullo sui spiritus detrimento.

12 Tanta autem sanctitas non faciebat ut asperitate morum quemquam offenderet: quamvis natura sua, ipsaque humilitate natalium et vitæ in seculo actæ, nihil haberet curialitatis aut politioris apparentiæ. Neque zelus juvandi proximos impellebat ut per nimiam familiaritatem se daret in prædam secularibus, vel diminueret religiositatem morum suorum, aut temporis aliquid inutiliter consumeret, vel quidpiam omitteret pertinens ad quæsturæ officium, quo minus debito tempore cum ordinaria provisione ad conventum reverteretur. Ambulat corpore per plateas, et spiritu reductus manebat in solitudine: intrabat domus omnium, et numquam egrediebatur de cordis sui secreto: loquebatur cum cunctis, et attentissimus erat ad interna cum Deo colloquia: omnibus erat, et seipsum perfectissime possidebat; omnibus amabilis, complacens universis, cum singulis tamen reservatus: adeoque bene componebat asperitatem cum dulcedine morum, ut ubique diffunderet clarum splendorem Christianæ simplicitatis: eodemque modo conversans colloquensque cum magnis ac parvis, cum Cardinalibus ac pauperibus muliercululis, satisfaciebat singulis, et omnes ædificatos atque consolatos relinquebat. Ergo, quod vere admiratione est dignum, collegit et portavit pretiosum thesaurum in vase fictili, sicut loquitur Paulus, id est terreno corpore, tali ratione, ut neque splendorem virtutis obfuscarit apparentiæ exterioris vilitas, nec huic iste officeret: essetque in oculis Dei magnus Sanctus, et in conspectu hominum communis Religiosus atque ordinarius Frater, cum tanta virtus absconderetur sub cortice morum impolitorum. Potestque dubitari, utrum difficile magis fuerit in tam humili vulgarique exterius vivendi modo perseverare, quam acquirere tam nobilem tamque insignem excellentiam Angelicæ perfectionis; foris apparere simplicem, et intus esse sanctum; perfectum interius evadere, et foris non videri.

Sub externa rusticitatis apparentia. D

nemini ingratam ipsimet utili,

E

occultans sanctitatem,

13 Obstupescit hodie Roma, gaudetque conversatam se cum homine tam sancto; dolens quod non cognoverit esse tam sanctum, quemadmodum nunc eum Deus operibus miraculosis declarat: et modo intelligens eum tunc revera sanctum fuisse, evidenti ratiocinio concludit, tanto majorem fuisse sanctitatem illius, quanto videbatur minus: summus enim perfectionis gradus est perfectionem abscondere; gloriosum esse, et vilem se ostendere: et ideo Judæis de Christo dixit Joannes, Medius vestrum stetit quem vos nescitis; et post ejus mortem confessus est Centurio, Vere filius Dei erat homo iste. Taliter conversando exercuit caritativum istud officium quærendi panem Fratribus, ut prodesset dupliciter; Fratribus quidem, humiliter et affectuose ipsis prospiciens, sibique in beneficium reputans quod iis F posset servire; secularibus vero per exemplum virtutis, sancta monita et ferventes preces, porrigendo panem vitæ et escam animabus eorum: utroque autem caritatis actu lucrabatur sibi ipsi regnum Dei, et panem qui manducatur in cœlo: unde tantus extitit animarum fructus ab eo relatus, ut multos magnosque prædicatores in hoc superaverit. Cogebat eum multitudo Fratrum omni die egredi conventu, præterquam festis diebus, imo ut plurimum bis de die ad istum laborem procedebat: tam libenter tamen id faciebat, ut dicere soleret, Ego non sum Frater, sed maneo apud Fratres, et sum jumentum Fratrum: tantumque exultabat humili isto opere, ut si aliquando ex alia causa debebat ire per Urbem, nollet procedere absque mantica in humeris; credens neutiquam se decere ut veniret in conspectum hominum absque signo abjecti sui ministerii.

quæ eo mortuo per miracula innotuit:

et libentissime laborem istum sustinet,

14 Numquam de nimietate laboris querebatur, nec unquam videbatur fatigatus serviendo et laborando ad commodum alienum: nullam sensus cujusquam voluptatem, uti fieri solet, captabat egrediendo foras: sed mera caritas sanctaque obedientia eum illuc agebant: et ideo in tam periculoso officio servavit eum Deus ab omni discrimine et liberavit a malo

ex sola caritate;

A malo. Non circuibat curiosius per plateas, cum nullo amicitiam familiaritatemque nectebat, quo sensus oblectaretur : sed quoquo versum iret, cuicumque suam exhiberet præsentiam, sola ad id stimulabatur dilectione Christiana qua complectebatur omnes, ut ex omnibus eliceret fructum salutis, et beneficium tam ipsis quam Fratribus. Ibi frequentior erat, unde majorem se fructum relaturum sperabat : ibi copiosius spargebat semen suorum sanctorum monitorum, ubi humum magis dispositam reperiebat; non tamen omittebat quin ubique jaceret. Devotio, qua ipsi afficiebantur multæ principales matronæ, dabat ei opportunitatem faciendi ipsis quandoque religiosam et humilem exhortationem, illasque stimulandi magis ad virtutem. Aliquando laudabat unam illarum, dicebatque aliis quod nondum Deo cor suum tradidissent sicut illa : cumque ejus verba procederent de fornace pectoris nocturna oratione accensi, calefaciebant audientes; et rudis ea proferendi modus pro condimento iisdem erat, ut melius saperent persuaderentque se vere ex Deo procedere.

pia monita adhibere solitus,

15 Argumento sint, quæ dixit in studio cujusdam Advocati, et bibliotheca D. Andreæ Martini neophyti, qui prædicabat Judæis. Cum enim per illius cameram circuiret, in qua erat magna copia librorum
B
et simul imago Crucifixi, dixit Doctori, Vides? Domine Doctor, omnes isti libri sunt facti ad hunc intelligendum, Crucifixum demonstrans. Alteri vero similiter Crucifixum ostendens, inquit: Ista est vere lex Dei abbreviata. Tales autem sententiolæ, quas apte miscebat cum res ferret, signum erant interioris luminis et flammæ in ejus corde ardentis : quod etiam demonstrabant cantiunculæ illæ simplices, in oratione compositæ et a Spiritu sancto ipsi dictatæ, quas cuivis se requirenti recitabat cantabatve, quemadmodum fecit usque ad finem vitæ ; secutus in hoc spiritum S. Francisci, qui et ipse cum ejusmodi cantionibus multa insignia opera et fructum mirabilem fecit. Erant cantiunculæ istæ breves quidem, sed plenæ spiritu, quemadmodum hæc; Jesu, Jesu, Jesu, accipe cor meum nec mihi reddas amplius. In nativitate Dominæ nostræ dicebat : Hodie in hac terra nata est una rosula, Maria virguncula, mater Dei. In Nativitate Domini canebat, Hodie natus est magnus ille Dominator, magnus Imperator, Jesus noster Dominator factus nunc est parvulus : Infans hodie est natum Verbum istud increatum, vide jacet fœno stratum, dulcis jam infantulus. Recitabat etiam
C
quasdam Antiphonas aut versiculos ex divino Officio et singulariter hanc ; Salvatorem seculorum, ipsum Regem Angelorum, sola Virgo lactabat ubere de cœlo pleno : et ejusmodi devotiones docebat alios, itaque prudenter laudabat Deum, ædificabat proximum, seipsum humiliabat, factus velut simplex puerulus etiam in senectute. Quisquis enim dixisset, Eia, Fr. Felix, cantionem unam ; ipse cum puerili simplicitate statim aliquam canebat, ac sæpissime illam sibi familiarissimam, Jesu, Jesu, Jesu, accipe cor meum nec mihi reddas amplius; tamquam verba, quæ procedebant de corde, interius assidue in Christum intento, uniceque cupiente se totum illi ac plene tradere ; ita ut Christus ipsum semper haberet penes se, per attentionem perpetuam et ardentissimum amorem.

et devotas cantiunculas,

aut Antiphonas ex Officio

16 Inveniens aliquando personas aut familias tribulatas, eas singulariter visitabat, eisque ultra consolatoria verba precesque porrigebat auxilium, qua le suus status permittebat: quod si incideret in viduam aliquam pauperem, gravatam liberis et indigentem, vel similes personas calamitosas, portabat eis aliquid provisiunculæ, qua sustentarentur, cum sancta tamen obedientia, quæ omnia ejus opera condiebat. Concedebatur autem ei a Superioribus, quod alteri haud facile concessissent, ut daret eleemosynas quasi D
ordinarias : tantam in eo confidentiam habebant Prælati, et talis erat voluntas Dei, ipsis inspirantis ut hanc ei licentiam darent : id quod deinde etiam confirmatum fuit miraculis quibusdam, in simili caritatis actu patratis. Hoc autem est clarum testimonium quod nullo inordinato affectu aut propriæ voluntatis motu eo inducebatur, sed ex pura dilectionis veræ compassione, quæ fuit ejus singularis virtus, quæ tam acceptum Deo et hominibus fecit. Neque hic sistebat ejus caritas, quia etiam personis divitibus quandoque panem offerebat, dicens, Visne panem unum? et illæ ex devotione recipiebant; quidam vero qui ex respectu humano recusaverat, quando postea revelata fuit sanctitas caritativi Fratris, vehementer doluit.

Egentibus multis succurrit,

A. MATHIA. S. LODIEN. EX MS. IT.

sed non nisi cum licentia Superiorum

CAPUT II.

De conversatione cum Fratribus, exemplari vita, et animi puritate.

Vir Dei, ab eodem Deo in omni sua actione directus, quam erat jubente necessitate et caritate largus in con- E
versatione cum secularibus, tam erat per religiosam cautelam parcus in conversatione cum Fratribus: quia si nulla causa urgens premebat, manebat quam plurimum poterat ab iis sequestratus, neque unquam cum ipsis longa miscebat colloquia. Atque in hoc ita conjungebat simplicitati prudentiam, ut neque in occasionibus monstraret se Fratres declinare, neque per eorum conversationem sineret sibi subripi tempus, aut se ad inutilem sermonem pertrahi. Dicebat semper quoties occurrebat eis, Deo gratias. Si interrogabatur, consueta sibi simplicitate respondebat, statimque ad sua se recipiebat. Si causa erat ut subsisteret aliquantum, non nisi ædificativa verba proferebat: eratque tam circumspectus in omnibus, ut nemo inveniatur qui meminerit ab eo unquam verbum otiosum audivisse. Numquam dicebat aliquid in propriam laudem, sed semper se humiliabat contemnebatque. Si ab aliquo prædicatore aut viro docto invitabatur ad colloquium, proponebat ei quæstiones utiles atque devotioni suæ subservientes, præsertim circa Hymnos, Antiphonas et Versiculos divini Officii, quibus deinde juvabatur in suis orationibus et meditationibus. Vicissim exhortabatur eos ut prædicarent cum fervore, redarguebatque si curiosa sectabantur : ro- F
gabat etiam aliquando ut prædicarent, præsertim quando contingebat aliquem ex majoribus Romam venire per decursum anni. Apparebatque semper in eo vivum et actuale desiderium salutis alienæ, unde fiebat ut sermonis ejus omnis tam materia quam modus utilis plurimum esset.

Cum Fratribus discrete rarus,

non nisi utilia loquitur :

18 Non tamen se ingerebat in alicujus colloquium, et quantum poterat manebat solitarius, sed absque singularitate etiam in hoc ipso solitudinis studio ; ita ut illud quidem nemini grave aut damnosum esset, ipsi vero privatim proficuum : sicuti illius quoque cum ipsis conversatio erat cita proprium ejus damnum, qui contra malignum armatus semper erat a dexteris et a sinistris. Atque hæc fuit illius peculiaris excellentia, quod duceret vitam vere sanctam in medio Fratrum et secularium ; quodque eam apparentia vulgari et communi tam dextere obtegeret, ut licet haberent erga illum omnem devotionem possibilem, æstimantes eum bonum esse Religiosum; nemo tamen suspicabatur in eo tantam vitæ sublimitatem, quantam postea animadverterunt, et nunc confitentur omnes se agnoscere. Modus ejus agendi tam erat placidus, ut numquam visus sit irasci, quamvis ei non defuerint occasiones ; quippe cui agendum esset cum quolibet hominum genere, et qui subinde verbis

et inter eos communis videri studet :

A. MATTHIA SALODIEN. EX MS. IT.

A verbis asperis modisque injuriosis provocabatur ad iram. Imo si erat offensus ab aliquo, huic se blandiorem monstrabat, semper intentus exercendæ in omni occasione virtuti, et tamen occultandæ.

vitia modeste reprehendit:

19 Porro sicut cum sancta et ingeniosa simplicitate corrigebat seculares, ita etiam a Fratribus impendebat fraternam correptionem, quando opus erat, maxime in iis quæ salutem communem concernebant. Itaque cum discreto zelo perstringebat prædicatores curiosos et vanos, nec poterat tolerare Fratres, in quorum vestitu incessuque curiositas aut vanitas elucebat, potissimum si tales essent, qui aliis debebant servire pro norma et exemplo. Quare si aliquis prædicatorum ei ostendebatur morum minus exemplarium, utebatur illo dicto Fr. Ægidii, Bo, bo, bo: assai dico, e poco fo, id est, satis dico et parum facio. Tamen ut erat erga omnes humilis, ita Superiores tractabat cum omni reverentia, sed admiscebat innatam suam beneque regulatam rusticitatem. Amabat obedientiam, quemadmodum sub loco dicetur; tantumque eam zelabatur, ut satis habens vel solam intentionem Prælati nosse, eam continuo, quam optime poterat, exequeretur Itaque per illam

obedientiæ studet,

B regulabat totam vitam suam, ut per ejusdem observantiam exactam satisfaceret omnibus, se vero egregie exerceret in virtutibus aliis universis. Quamvis autem obedientia ipsius non proficiscebatur ex respectibus quibusdam humanis, ad benevolentiam Prælatorum captandam aut dexteritatis laudem in exequendis mandatis, sed ex puro zelo satisfaciendi, Deo et Regulæ quemadmodum solenni voto in sua Professione pollicitus fuerat; nihilominus, rem dirigente Deo, carus Prælatis erat et subditis, omnesque actiones illius optimo ordine ac mensura procedebant; ac tota vita composita erat cum quiete, cum pace, cum sanctitate, et cum clarissimo religiosi exempli splendore.

et humilitatem exercet,

20 Non est autem mirum si actiones, quæ tunc videbantur communes, nunc declarentur a Deo et cognoscantur a mundo fuisse singulares, et in summo perfectionis gradu illustres: quippe ex virtute factæ, a vera et magna prudentia commensuratæ, et profectæ ex radice cordis pleni ardenti caritate. Ideoque non tollens, sed nutriens asperum ac rudem corticem rusticanæ conversationis suæ, æque ac varietatem odoratorum florum, frondium amœnarum et suavium fructuum; ornabat vitam suam exemplis, verbis, atque actionibus plane sanctis.

C Humilitas tamen ipsius et reverentia erga Superiores non erat impedimento, quo minus, quando sic judicabat expedire, eosdem submisse pariter atque zelose corriperet: quia in eo tam bene componebantur virtutes omnes, ut una alteri non obesset; sed mutuo sese adjuvantes, invicem sibi fulcimento essent et ornamento; suaviterque et harmonice concordes, resonabant cœleste canticum laudis et honoris divini. Humilis ergo cum esset, operareturque humiliter, assurgebat ad actum generosæ caritatis, in corripiendis etiam Superioribus: sed hoc facturus, secreto accedebat illos, dicebatque subridens; Volo tibi correptionem unam facere. Hoc autem sicut ab eo fiebat simpliciter, ita simpliciter excipiebatur, tamquam a vera caritate profectum, quæ numquam otiosa est; fructificabatque in audientibus, et erant verba ejus tamquam folia cœlestis arboris ad sanitatem gentium.

præcipue in monendis Superioribus.

Vacuo tempore Cruculas ligneas facit:

21 Quod sibi a quæsturæ laboribus supererat temporis expendebat utilissime, et ut plurimum occupabat orationibus ac contemplationibus sanctis: momenta autem horarum minus aptarum exercitiis mentalibus in ecclesia obeundis, solicite colligens; cum aliud non habebat quod ageret, impendebat Cruculis ex simplici ligno fabricandis, quas elargiebatur devotis personis, ut passionis Dominicæ recorD darentur: quod non parum profuit multis animabus, quæ etiam nunc cruculas istas valde caras habent. Atque hinc apparet, omne propositum et exercitium hujus sancti Religiosi eo tetendisse ut prodesset aliis, intelligens ad hoc se vocatum in statum religiosum ut serviret Fratribus et seculares ædificaret. Quemadmodum autem natura iis partibus aut speciebus majorem præbet vigorem, quæ destinantur operibus roboris valorisque majoris, sic etiam naturæ auctor Deus et gratiarum largitor, majorem virtutem iis qui nobilioribus actibus a sua providentia deputantur; et quales eos vult esse in operando, tales facit divinitus adjuvando et antecedenter disponendo, dans eis gratiam operibus faciendis proportionatam. Cum ergo Majestas divina elegisset destinassetque Fr. Felicem ad opera fraternæ caritatis, dedit ei etiam spiritum et gratiosum instinctum ut ea excellenter exequeretur: cui obsequens et obediens, gloriose adimplevit divinam voluntatem, juvandos proximos et sibi ipsi acquirendo inæstimabiles cœli thesauros, etiam per illas actiones, quæ minutulæ videbantur momentique exigui, qualis erat fabricatio dictarum crucularum, quas E Deus non paucis miraculis postea dignatus est approbare. Unde possemus colligere quam accepta ipsi fuerint laboriosa opera sui caritativi officii, affectusque amoris, quibus studebat mundo et miseris secularibus ferre remedia et beneficia salutaria ipsorum animabus.

quarum virtus etiam miraculis probatur.

Ad exemplum vitæ perfectæ,

22 Noluit porro Deus, auctor et fautor Reformationis Cappucinæ, ut qui nostris hisce temporibus ex seculo ad hanc Religionem transirent, legentes audientesque austeritatem vitæ et perfectam observantiam primorum istorum Patrum, quibus usus est tamquam petris fundamentalibus hujus divini ædificii, dolere possent, quod modo non videant tantum rigorem: providit enim eis homines sanctos et perfectos Regulæ observatores, quos possent, si vellent ad perfectionem contendere, sancte imitari. Et ad commodiorem ædificationem novorum istorum servorum suorum, proponit eis exempla virorum talis perfectionis, quam possent assequi imitando; simul et demonstrat, vitam Christianam, cum interno affectu conjunctam, sufficere acquirendæ perfectioni.

simul et communis propositus,

F Patuit hoc evidenter in felici homine isto F. Felice: quem ut sciretur Deus posuisse velut lucernam super candelabrum, videndam ab omnibus; posuit eum Romæ in officio quæstoris: ubi si quisquam alius, videri et cognosci debuit præ aliis omnibus ipse. Quia neque Generales, neque Provinciales. neque Guardiani, neque Prædicatores aut Lectores, multoque minus alii Fratres, tam universim debebant esse spectaculum religioni et mundo, quam fuit simplex iste Fraterculus: quia illorum officium non permittebat, vel ut tam diu manerent uno in loco, vel ut tantum conversarentur cum omni genere hominum, sicut ipse debuit de jure facere. et reipsa fecit. Quod autem eum dederit Deus pro norma perfectæ observantiæ, declarat modus quo ille Regulam perfecte tenuit: qui cum esset conformis S. Francisco, non tamen difformis erat ab iis Fratribus quibuscum vivebat: factusque Regulæ custos exactus, in communi non recedebat ab aliis. Siquidem usus non est asperitatibus primorum Patrum, non minus tamen quam ipsi, aut melius quam ipsi, Regulam observavit.

nihil sibi ipsi indulget,

23 Requirit hæc (sicut in ea habetur expressum) ut super omnia attendatur ad spiritum orationis, et desiderent Fratres habere spiritum Domini et suam sanctam operationem. Hoc ut faceret Fr. Felix non requisivit loca solitaria, non obstitit ullatenus obedientiæ jubenti manere Romæ in officio tam actuoso;

A so : noverat se conversando cum hominibus jungere Deo. Desideravit spiritum Domini et sanctam ejus operationem, orando semper puro corde. Spiritus Domini operatione sua optime repurgavit animum ipsius ab omni inordinato affectu, uti testatur externa ejus vita. Etenim si aliquem sui ipsius amorem vel alterius rei mundanæ habuisset, non potuisset manens in medio mundo eidem non adhærescere. Si sibi complacuisset in amicitiis, favoribus, familiaritatibus aut honoribus, dedisset in tam frequenti occasione pabulum aliquod desideriis inordinatis, quæ nutrita ad mensam tam opiparam quam est libertas eundi per totam urbem Romanam, vehementer crevissent; crescentia autem produxissent suos consuetos effectus, qui necessario agniti fuissent a mundo et a Religione; agniti vero fecissent ipsum inde amoveri. Aurum quod minuitur in igne, necdum plene purgatum est, sed adhuc aliquid mixturæ continet; cum autem non minuitur amplius, tunc purum perfectumque censetur. Quandoquidem ergo bonus hic religiosus in igne conversationis mundanæ nullam fecit jacturam, constat quia perfectus erat, planeque depuratus, atque a spiritu Domini per ejus operationem sanctificatus interius.

inter medias relaxationis occasiones,

B

24 Grande non est collectum in cella vivere composite, neque prorumpere in actus moresque inordinatos ; quia interni affectus, quantumvis dissoluti, deficiente occasione se foris non produnt : sed vivere cum Jobo inter medios peccatores, cum Ezechiele in medio scorpionum, cum Jeremia intra Jerusalem Deo rebellem, eorumque fæce non inquinari, nec infarinari pollenta, hominis vere sancti est. Vas quod simul cum aqua munda in fundo habet immunditias et sordes, si non moveatur, solum liquorem limpidum superne videndum præbet, subtus absconditum tenens quod impurum est : sed concussum, turbatur totum. Verum quando nulla fæx subest, sed solum aqua pura ac clara continetur in vase ; quantumcumque concusseris, nil turbidum apparebit, sed clara ac limpida manebunt omnia. Hoc ergo indicium est, quod quis totus purus sit habeatque animum intus purgatum fundumque intimum sanctificatum. Idemque argumentum est nobis de vera sanctitate F. Felicis perfectaque observantia Regulæ, quod in maxima concussione, quæ posset alicui Religioso ratione officii obvenire, continuaque commotione, semper et ubique præ se tulerit eumdem candorem, religiositatem actionum, puritatem verborum, exemplaritatem conversationis, ardorem caritatis, decorem castitatis, studium obedientiæ, paupertatem altissimam, prudentissimam cautelam. Sancta operatio Spiritus Domini qui eum purgaverat interius, exterius quoque monstrabat immaculatum, et omni ex parte suæ professionis observantem. Quod si vel minimum adhæsisset ulli rei creatæ, non potuisset hoc latere oculos Fratrum, qui solent ad ejusmodi nævos intuendos aperti esse et perspicaces. Non enim sicut seculares, qui non habentes a tergo observatorem, imperfectum suum exiguo quolibet bonitatis velamine possunt operire; sic etiam ipse potuisset celare passiones suas ; præterquam quod hæ, sicut dixi, nutritæ necessario crescere paulatim debent, seque videndas præbere.

quod magnam cordis puritatem indicat,

C

25 Erat igitur Felix, in eo quod ad substantiam pertinet, et pluris refert quam aliud quidvis, perfectus observator Seraphicæ Regulæ : et hoc solum sufficere poterat ad eum Sanctum declarandum. Observare enim perfecte tam sanctam Regulam, aliud non est quam vere Sanctum esse. Ideo autem tam multi Fratres, qui vivunt in communi observantia non sunt Sancti, quia exterior illa observantia non procedit a corde perpurgato, neque ea uti norunt tamquam instrumento ad illud purificandum : sed quasi tracti a communi ordine Religionis, et a modo stricto vivendi intra terminos regularium præceptorum, inconsiderate auferuntur cum exiguo desiderio perfectionis, modicaque attentione ut omni hora evadant acceptiores Deo : unde fit ut eorum animus semper maneat obnoxius passionibus impuris, et mille inordinatis affectibus inquinentur. Hæc autem res duo mala secum portat, unum quod etiam exterius sint imperfecti, quia non potest contaminata radix non germinare vitiosos inquinatosque effectus ; et modicum illud boni quod faciunt, quia procedit ex corde immundo et frigido, non est magni valoris apud Deum. Etenim peccata venialia retardant gratiam, et magno ei sunt impedimento ne crescat : atque ita remanent istiusmodi qui sunt, in certa quadam profunditate exigui spiritus ; neque unquam tam intra quam extra perveniunt ad plenum candorem sanctitatis : sed cadendo in culpas veniales, easque confitendo, ac rursus semper in ipsas recidendo, præter alias quas impurus eorum oculus non cognoscit nec confitetur, consumunt vitam suam, purgationem sui reservantes expiatorio igni, quos flamma sancta ardentis spiritus non repurgavit in hac vita.

perfectumque observatorem Regulæ,

D A MATHIA SALODIEN. EX MS. IT.

E

26 Verum Fr. Felix, qui jam inde a principio adhuc manens in seculo habuit animi puritatem, mediante sua rurali simplicitate et fuga diligenti occasionum ; receptus ad Religionem, attendit semper sibi, auxitque puritatem illam, et candidiorem effecit. Sancta autem rusticitas, quam semper conservavit, duo commoda ei attulit, videlicet, facultatem fugiendi pericula occasionesque relaxationis, et abscondendi intra se verum spiritum perfectionis. Quia communiter credebatur vita illa abstracta, non minus ab agresti ingenio, quam a sanctitate procedere : et quod in alio æstimatum fuisset magnæ virtutis signum, in eo vix amplius apparebat quam naturale. Ast Deus tandem, ut a nobis assumeretur in exemplum, miraculis demonstravit, quod hæc ejus vitæ ratio, non a natura, sed a gratia esset : quod etiam absque miraculis intelligere posset is, qui omnes vitæ ab eo ductæ partes inter se componeret. Inveniens enim illum in omni actione sua semper et absque defectu, sicut inventus fuit ; necessario concludet, non naturam, sed gratiam ducem ei fuisse. Sane si non habuisset Felix spiritum Domini, et animum semper in eodem cum puritate cordis adorando occupatum ; non potuisset in omni casu, tam præsens sibi semper extitisse, tam reservatus, tam immaculatus : nulla cum occasio unquam eum protraxit, sive ad verba otiosa, sive ad signum aliquod indignationis gestumque indecentem, sive ad evagationem oculorum, sive ad motum voluntatis propriæ, sive ad jacturam temporis, sive ad obsequium sensuum, seu denique ad ullum actum reprehensibilem. Sanctus igitur fuit perfectusque observator Regulæ, et dignus quem imitetur quisquis illum observare desiderat, quemque Christiani omnes sequi pro modulo suo conentur.

cum simplici rusticitate,

sub qua eximia ejus Sanctitas latuit.

F

CAPUT III.

De oratione B. Felicis.

Quæ de operibus ejus exterioribus succincte dicta sunt, tamquam certis indiciis sanctæ interius dispositionis, deberent hoc loco diffuse explicari : sed parum admodum dici potest, quia suam ipse virtutem caute occultabat, cooperiendo eam, sicut præmisimus, rusticitatis specie quadam. Verum tamen ex paucis illis, quæ volente Deo in alienam venerunt notitiam, de eo quod secretum remansit fieri aliqua conjectura potest. Incipio autem ab oratione, ut operatione

Juxta Regulam valde devotus orationi

A. MATHIA S LODIEN. EX MS IT.

A operatione maxime interna et maxime propria spiritus Domini, expressa a Regula sic dicente, Ante omnia debent desiderare ut habeant spiritum Domini, et sanctam ejus in se operationem semper petere in corde puro. Hæc est virtus quam Sancti, omnis conditionis et status, plurimum exercuerunt; et cum in aliis virtutibus fuerint satis differentes, uno hanc, isto alteram affectuosius amplectente; in oratione tamen omnes fuerunt similes, habentes eam sibi familiarem, et frequentissime se in ea exercentes, veluti in qua posuerint omne suum studium. In hoc tamen sancto Religioso singularis fuit hæc virtus, quia ab initio sui in Religionem ingressus habuit gratiam orandi: testaturque Frater, ejus in Novitiatu Magister, etiamnum superstes, quod circa orationem tam solicitus erat, ut numquam illam quacumque ex causa, dimittere voluisset si potuisset; in eaque perseverando et proficiendo ad illum pervenerat gradum, ut idem Magister profiteatur, quod ex quo eum cognovit, tantum fuerit orando occupatus, quod videretur semper esse in actuali oratione,

jam inde a Novitiatu,

28 Neque occupationes officii sui, quæ non permittebant ut præsens semper interesset duabus horis mentalis orationis, quas alii Fratres quotidie explent, ab illa mentem ejus sic distraxerunt, ut quando B facienda erat, haberet cor divisum, vel a speciebus rerum per diem tractatarum obumbratum: sed tamquam mercator prudens, qui ex omni casu novit captare lucrum, etiam ex ipsa conversatione mundana sumebat occasionem materiamque orandi. Ærumnæ et necessitates miseri mundi, quas oculis apertis intuebatur, implebant illum compassione; ut post modicum illud subsidium (quod ferre poterat afflictis, eos consolando, inducendoque alios ad aliquid eleemosynæ largiendum, cum aliter eos juvare non posset) misericordiæ divinæ cum instantissimis precibus et copiosissimis lacrymis illos commendaret, supplicando pro miseris peccatoribus, tribulatis et necessitatem patientibus: quodque alius faceret ad excitandum affectum suum, hoc ipse faciebat externo oculo circumeundo per Urbem. Quia animo purificato conversans inter proximum, quidquid videbat vel audiebat cum affectu caritatis recipiebat, recondebatque in suo pectore; eoque utebatur veluti ligno, ad accendendum in se vivum calentemque ignem divini amoris, fraternæ dilectionis, et fervidæ orationis. Oculos autem sempea habens ad divina apertos, sentiebat eorumdem reciprocum respectum; ita ut quidquid conspiciebat foris, traheret ipsum ad C Deum. Ex omnibus vero simul formabat perpetuam quamdam orationem, sublevatus in Deum a rebus externis, et ab his ad compassionem motus, et ad sancte eas respiciendum in Deo; rursumque ab eisdem remissus ad Deum orandum, contemplandumque, ac gratias ipsi agendum. Hoc autem faciebat in ipso discursu et exercitio quæsturæ, refrigerans in Deo accensum desiderium suum, quo tenebatur ut mentem in ipsum libere elevaret, absque remora vel interruptione externorum objectorum. Cui suo ferventi desiderio utcumque faciebat satis, domum regressus, intrando in ecclesiam sive cellam: ubi idem desiderium, adjutum a solitudine, sanctis cogitationibus nutritum, erumpebat in claram ac lucidam flammam coram Domino.

incitamenta ad illam ex visis per diem sumit,

assuescit a creaturis in Deum assurgere,

29 Atque hæc erat ratio ob quam tam diligenter, Secundum sapientis monitum, observaret tempus, declinans a malo et omni defectu boni; ut vere id, quod Salvator ait, semper et sine intermissione faciendum, observaret ipse; semper orando ad Deum cum corde puro. Quia autem nox, propter obscuritatem et solitudinem, tempus est aptum orationi; ad eamque invitat devotos, tollendo impedimenta externa, quemadmodum suo exemplo comprobavit Dominus, aliique Sancti ac potissimum S. Franciscus; ille ipsam totam solide dicabat orationi. Etenim cum accepisset a Deo gratiam necessitati corporis satisfaciendi brevissimo somno, vesperi ad Ave-Maria inveniebatur in cella sua choro proxima: ubi dormiens illud modicum quod natura extremum requirebat, interim dum erant aliqui Fratres in ecclesia, uti tunc sunt ordinarie; ipse sub horam noctis secundam surgebat, quando jam Fratres omnes recesserant, et maximam mundi frequentiam in eremum a mundo remotissimam commutans, relaxabat in Deum suum illud cor ardens, solutum omni terreno vinculo. Solebat vero ante omnia facere disciplinam, sive in cella, sive in ecclesia, sive etiam in cœmeterio subtus chorum; excitans hoc modo corpus et spiritum, et provocans divinam misericordiam ad majorem gratiam orandi præstandam; purgansque eo modo carnem ac deinde animam, ut nihil impediret quo minus coram oculis Dei se præsentare posset.

præsertim nocte,

quam totam fere orationi impendit,

30 Ut autem ad nostram ædificationem sciremus, quem modum teneret in facienda disciplina, et quanto cum spiritu id ageret; observatus a quodam Fratre et ab eo distincte auditus cum ad cœmeterium E descendisset; prorupit in magnum clamorem suspirans, et plangere vehementer cœpit: deinde aliquantulum moratus, loqui cum defunctis in hæc verba cœpit, Fratres mei, partem vestram vos egistis, mea nunc mihi agenda est. Sub hæc incipiens Miserere, fortiter se disciplinabat: finitoque versu cessabat quidem a verbis lingua, sed non flagellum a verberibus, quæ persequebatur percutiens et suspirans. Deinde resumens Psalmum, pronuntiabat versum alterum; rursumque interrumpens verba, non flagra nec suspiria, perficiebat disciplinam, vocali simul et mentali oratione; nobisque monstrabat, quod tam ordinaria Religionis exercitia quam propria sua ac voluntaria tanto animabat spiritu, ut opera quæ aliis sunt ferrea vel ænea, ipsi essent mere argentea aureaque. Proinde mirari nemo debet, cum dicimus, quod in sua communi vita fuerit singularissimus; et cum iisdem quæ alii faciunt operibus, ipse effecerit quod non faciunt alii, ut tantus Dei amicus evaderet.

exorsus ab acri flagellatione.

31 Excitatus, purgatus, inflammatus, et præparatus per disciplinam, accingebatur ad divinum orationis exercitium, quæ fuit vena unde effodit thesaurum suæ excellentis sanctitatis; in eaque perseverabat, manens in ecclesia usque ad horam F Matutini: ad quod dans ipse signum levabat eo labore Sacristanum, curaque attendendi ad horam; quia ipse infallibiliter pulsabat, et præcise ad horam quintam. Hoc facto redibat ad cellam suam, et iterum corpori suo brevem somnum indulgebat, quasi licere sibi existimans tantillo tempore recedere a Domino suo adorando, quem tot Fratribus associatum relinquebat, cum eo intenderet ut solum numquam relinqueret. Finito Matutino iterum ejus se sistebat præsentiæ in ecclesia, orationem protrahens usque ad auroram, ad quam ipse similiter signum campana dabat, absque cura Sacristæ; hoc insuper obsequii conventui exhibens, ut fungeretur vice nocturni Æditui, in pulsando ad Officium et mane ad Ave Maria. Tunc ministrabat primæ quæ ad auroram semper dicitur Missæ, communicabatque sub ea cum magna devotione et lacrymis. In hoc occupabatur usque dum adesset hora egrediendi ad quæsturam, ad quam ferebatur a sancto quem noctu conceperat fervore, per plateas atque per domos evibrans scintillas istius beati ignis, qui suo ardebat in pectore, verbis sanctis actionibusque e tali flamma procedentibus.

Tempore Matutini paulum dormit,

reditque ad Missam primam audiendam:

32 Certum est quod multo magis vacabat mentali quam

orationi mentali magis quam vocali addictus,

A quam vocali orationi, et ideo orans raro habebat corollam precatoriam præ manibus: quidam vero ejus socius dicentem audivit quod numquam fere Coronam Deiparæ posset absolvere: idque quia igniarium ejus erat tam bonum, ut ad paucos talis orationis ictus accenderetur in eo ignis internus, et cum viva flamma ascenderet ad Deum spiritu et mente adorandum. Ideoque prædictum socium aliquando reprehendit de tanto numero vocalium orationum. Tu dicis, inquiens, multa Beli, beli: quia maluisset illum videre magis addictum orationi mentali. Dicebat quidem orationum Dominicarum numerum, quem pro Officio ecclesiastico Clericis præscripto, Laicis imponit Regula, quia præceptum sic erat: sed dicebat tanta cum attentione et devotione, ut appareret etiam in his mentem magis occupari quam linguam. Dicturus autem Matutinum incipiebat ab illis versibus, a quibus Officium suum Clerici ordiuntur, Domine labia mea aperies, etc. Deinde subjungebat sua Pater-noster, tam lente tamque affectuose, ut singulas voces videretur meditari. Fundabat etiam sæpe mentalem suam orationem in aliqua vocali, incipiens a quadam Antiphona seu Evangelico pro tempore currente, et aliis prout spiritus suggerebat: ideoque memoriter didicerat Antiphonas: et quamvis simplex atque idiota, nec posset domi interesse Vesperis propter occupationes quæsturæ; nihilominus sciebat fere omnes Antiphonas currentes, etiam difficiliores per Adventum et alia anni tempora. Ex his capiebat mirabilem fructum, habens eas pro fundamento et fonte suæ benedictæ orationis: gustabat enim eas, regustabatque. Unde quadam vice cum ab uno ex Fratribus doceri petiisset eam quæ dicitur in festo Sanctorum omnium, Vidi turbam magnam etc. cum Frater venisset ad hæc verba, Et omnes Angeli stabant in circuitu throni; bonus Fr. Felix grande misit suspirium, et faciem versus cœlum attollens brachiaque extendens, prorupit in vocem stuporis dicens, O, o, o.

hanc tamen pientissime peragit,

B

Antiphonas totius anni edoctus.

33 Sed qualis fuerit ejus mentalis oratio sciri nequit. Cum enim Sancti eam soleant habere quam secretissimam; ipse etiam curabat studiose ut in ea lateret. Reliquum igitur solum est nobis, ut ex illis paucis rebus, quæ Fratrum aliqui in ipso notarunt, faciamus conjecturam de iis, quæ dum erat solitarius, cum Deo Angelisque agebat. Magna certe diligentia qua utebatur ut inter orandum a nemine conspiceretur, argumento est quod ejus oratio minime communis fuerit, sed modo perquam eximio transigeretur, cujus conscium volebat habere neminem. Primum tamen quod faciebat ecclesiam ingrediens, erat aptare lampadem, ut plus solito luminis daret. Deinde accenso funali cereolo scrutari circum ecclesiam, num quisquam Fratrum ibi esset. Tum vero in media ecclesia consistens ordiebatur a recitatione cujusdam Lectionis, Antiphonæ, aut rei alterius ex Officio ecclesiastico. Ita die quadam, cum in ecclesia esset Frater ab eo non observatus, primum cecinit totum Evangelium de Diva, Loquente Jesu ad turbas, incipiendo, Sequentia sancti Evangelii secundum Lucam. Deinde moram faciens ad contemplandum, interruptus fuit ab illo Fratre, qui corpus nonnihil commovens audiri se fecerat, unde dixit. Quis adest? Cum autem nihil responderet Frater, ipse forsitan se deceptum existimans, cœpit cantare aliud Evangelium, Ecce ascendimus Hierosolymam, usque ad finem: sed eo inchoato, ut antea strepitum fecit Frater, et ille interrogavit iterum, Ecquis adest? Tum videns Frater quod ipsum impediebat, respondit. Ego sum, et abiit.

Oraturus curat solus esse,

C

34 Alius quidam Frater similiter cupidus sciendi quid Fr. Felix inter orandum ageret noctu, in unum sacellorum se abdidit, tam caute, ut quamvis ille circuiret cum candela per ecclesiam, et numquis adesset interrogaret, invenire tamen eum non posset; ita disponente Deo, ut aliquatenus in lucem venirent quæ ipse in tenebris faciebat. Constituit se ergo Fr. Felix in media ecclesia expansis brachiis, et alta voce cœpit dicere: Domine, commendo tibi hunc populum, commendo tibi hos benefactores. Misericordia. Quibus dictis prorupit in amarum planctum per horæ quadrantem circiter: deinde conquievit stetitque erectus in pedes ad duas tresve horas, absque ullo prorsus motu. Hinc aliquatenus cognosci potest, quam suavem harmoniam ad aures divinas dirigeret, in tanta varietate actionum, de die circumiens et quasi perlustrans mundi necessitates, quas noctu Deo repræsentans, misericordiam postulabat pro peccatoribus et tribulatis. Neque se mutuo impediebant nocturnæ diurnæque operationes, licet adeo differentes; sed potius juvabant invicem excitabantque. Oratio faciebat ut circumiens non inquinaretur a mundo; circuitio pariebat in eo affectus compassionis, quibus impulsus recurreret ad Deum, misericordiam postulaturus.

D

A. MATHIA SALODIEN. EX MS IT. clam tamen observatur ejus modus orandi,

cum Deo commendaret benefactores,

35 Alia similiter vice observatus fuit, quod pronuntiatis tribus quatuorve verbis alicujus Antiphonæ aut Versiculi ex Officio, conticescebat remanebatque velut mortuus, raptus in spiritu; postea in se reversus prosequebatur per similia intervalla. Pronuntiabat autem verba ista cum multo affectu, quamvis ea valde ruditer exprimeret, quandoque ex parte Latine et ex parte vulgariter, v. g. Desiderio desideravi Pascha mangiare vobiscum: post quæ verba consuetam sibi pausam interponens, cum voce admirationis plena subjungebat, Quemcumque osculatus fuero ipsum tenete, ostendens signa doloris contra eos qui tradiderant Christum. Quia autem Spiritus sanctus varie operatur in orationibus Sanctorum, dando eis modo unam gratiam, modo alteram; aliquando implebat suum hunc servum tali ebrietate divini amoris, ut eum capere et continere non valeret, quin foras per aliqua signa erumperet. Unde supra scabellum in ecclesia genuflexus, manibus pedibusque faciebat strepitum, quasi cymbalum pulsans; et delicata voce instar Angeli cantans, alta voce, U, u, u. O Domine! o Domine! Deinde plangebat effuse; ac paulo post ingrediebatur in magnam lætitiam et jubilum mentis, incipiens Dei laudes cantare: atque hoc fere quotidie ei eveniebat. Auditus est etiam aliquando alloqui sanctum Patrem Franciscum; et brachiis apertis velut præsentem amplexans dicere: Francisce, Francisce, habeto commendatum tibi pauperculum Fr. Felicem.

E

Latinos ex Evangelio textus pronuntiaret,

et cantans spiritu jubilaret.

F

36 In ejus contemplatione hæc erant præcipua ejus et maxime familiaria exercitia duo. Passio Christi et Beata Virgo; solebatque dicere: Ego studeo sex litteris, quinque rubris et uni albæ: seque explicans addebat: Quinque rubræ sunt plagæ D. N. Jesu Christi, Deipara est littera alba. Si autem aliquando interrogaretur an legere nosset, respondebat, Ego non novi nisi quinque rubras litteras et unam albam. Porro quam facile ipsi fuerit imprimere sibi beatam memoriam sacratissimæ Passionis Jesu Christi, declaratum fuit jam inde ab initio conversionis, quando ostenso sibi per Guardianum Crucifixo, totus resolutus est in lacrymas: quod pariter indicium fuit, quomodo in tali meditatione sese exercitaturus esset, quantumque in ea profecturus. Ut autem per signa gestusque exteriores juvaretur ad magis vivam apprehensionem Crucis formandam, sæpe ad imitationem sancti Patris Francisci orabat extensis in crucem brachiis, simulque per exiguum istum laborem participabat passioni crucis.

Præcipue affectu meditandæ passionis Christi,

A. MATTHIA SALODIEN. EX MS. IT.

et partui B. Virginis

A 37 Circa mysteria beatæ Virginis multum assiduus deprehensus est, valdeque eis affectus. In Adventu autem potissimum occupabatur circa Nativitatem Domini nostri, quem magna cum teneritudine nominabat Infantulum Betleemiticum. Quando autem, præsertim diebus istis, videbat aliquam mulierem gravidam, ipse purgatissimo illo anin o suo et pleno teneri erga Virginem amoris, sibi reducebat in memoriam tempus, quo filium Dei in utero illa tulit: ab externo illo signo assurgens ad internam recordationem, puram omnino ac sanctam. Solebat etiam blandiri infantulis, iisque videndis multum delectabatur, quia in illis contemplabatur suum infantulum Bethleemiticum: et ideo pueri libenter eum sequebantur. Quia autem ex abundantia cordis os loquitur, sæpe auditus fuit in ecclesia canens, Verbum caro factum est, et alia similia verba; itemque dicere. Laudetur Deus. Proximus autem morti, una ante ipsam hora, quibusdam Fratribus circumstantibus recitabat mysterium Nativitatis Domini nostri, narrans quid tunc fecerit beata Virgo: et postea cœpit recitare Evangelium, Missus est Angelus Gabriel, inter hæc dicenda tam abstractus, ut vix

de quo etiam moriens loquitur.

B attenderet ad Fratres præsentes et verba eorum; de eo enim quo plenus erat loquebatur, tractabat, et cogitabat. Ostendit igitur se in oratione esse perfectum observatorem Regulæ, cujus scopus est mentem nostram cum Deo conjunctam servare per istud sanctum exercitium, cum puritate animi et amoroso gustu devotionis. Per hanc autem virtutem produxit in se alias, eisque vitam et perfectionem contulit, per quam se Deo acceptissimum fecit, sibique magnum acquisivit perfectionis thesaurum.

CAPUT IV.

De frequenti usu Sacramentorum, spiritu Prophetiæ et caritate B. Felicis erga proximum.

Fere quotidie communicans,

Sancta hæc et affectusa unio, qua per orationem conjungebatur Felix Domino suo, faciebat ut per sanctissima Sacramenta eidem se conjungeret arctius: unde accensum in eo desiderium fuit, quam sæpissime poterat communicandi. Non tenentur quidem Fratres ad hoc ex præcepto Religionis nisi semel unaquaque hebdomade: ipse tamen primis annis consueverat ter aut quater omni septimana

C communicare; et quindecim annis ante suam benedictam mortem, omni mane sumpsit sacram Eucharistiam sub prima Missa, cui serviebat cum multa devotione ac lacrymis. Et ipse quidem has occultare conabatur, ut non notarentur a Fratribus præsentibus, sed non poterat semper. Quandoque audiens dulcissima Christi verba in Evangelio, tanta compunctione configebatur, ut non posset absque planctu respondere, Laus tibi Christe, quamvis id conaretur simulata tussi celare. Nec mirum quod qui tota nocte fuerat locutus cum Deo, audiens ipsum clare loquentem postea in Evangelio et sacro Missæ mysterio, totis commoveretur visceribus; et quod nocturno isto exercitio purgatus, illuminatus, atque emollitus, post tam perfectam dispositionem, recipiebat in anima sua formam tam copiosæ gratiæ.

nequit verba solita pronuntiare,

39 Cum tali præparatione, quæ conjectura attingi facilius potest quam intellectu comprehendi, in illa prima Missa recipiebat sacratissimum Corpus Jesu Christi: idque tam devote tantaque cum animi teneritudine, ut erumpentibus foras lacrymis, et interiori sensu in corde æstuante, præpeditus occupatione diviniore, quandoque nequiret recitare Confiteor, ac nequidem verbotenus pronuntiare Domine non sum dignus. Itaque famosum quemdam prædicatorem consilii causa interrogavit, essetne necessarium ista verba ore proferre. Qui cum respondisset, Sacerdoti D quidem celebranti ea verba esse pronuntianda, non item communicaturo; confortatus eo consilio, non amplius scrupulo sibi ducebat ea omittere, quando interius sic occupabatur et premebatur. Cumque interiores istos impulsus non posset semper occultare, visus aliquando est a Fratribus, ipsum observantibus, motu et strepitu eos exterius indicare. Judicabat quod Fratres, quia sunt a mundo separati, deberent ad sacram Communionem accedere quam frequentissime: dicens, pudendum esse Fratri, si non omni mane paratus esset ad communicandum. Hic cibus virum istum sanctum nutriebat, atque ad omnes labores faciebat tam alacrem: his armis tam bene muniebatur, ut ambulans per mediam umbram mortis in hoc tenebroso mundo, non timeret mala, sed omnibus resisteret, imo ex eis bona eliceret, habens secum omne bonum, quo etiam malum convertitur in bonum.

præ affluentia devotionis internæ.

40 Radii, quos vibrabat extrorsum, demonstrarunt, quantum esset internum lumen, quo illuminabatur a Deo, inter divina illa orationis et communionis exercitia: etenim ex effectibus innotuit, pro- E phetico spiritu donatum Felicem fuisse. Habuit ille quidem ejusmodi dona penes se quam potuit occultissima: sed incidentes occasiones faciebant quandoque, ut ea nil minus cogitans manifestaret. Loquebatur aliquando cum eo Mag. Raimundus Bergomas in conventu de exercitu Christiano contra Turcas misso, dicebatque, Utinam bonum aliquod nuntium de exercitu audiremus! Et subito respondit Fr. Felix, Ne dubites, habemus bona nuntia, bona nuntia, imo optima. Sequente autem nocte advenit nuntium de victoria, quale Dei servus prius in oratione acceperat; veluti qui in hac sancta communique totius Christianitatis expeditione suam habebat partem, impensis in eam ferventibus orationibus, sub quibus eum voluit consolari Deus manifestando felicem successum. Et simili modo ob alias causas appellans Deum, docebatur de eo quod erat futurum.

Prophetico spiritu donatus,

Christianorum victoriam absens enuntiat,

41 Cum ageretur de faciendo monasterio monacharum Cappucinarum, multæque et insuperabiles, ut videbatur, objicerentur difficultates; D. Valerius a Valle, tunc Guardianus Societatis Crucifixi, qui rem peragendam susceperat, multum affligebatur; itaque afflictus obviam factus est Fr. Felici ad S. Marcum. Quo viso vir sanctus ei dixit; Multum affligeris, Valeri: verumtamen prosequere, quod incepisti opus bonum est, et Deo placitum, ideoque ad F effectum deducetur. Reipsa autem patuit verborum veritas: et intra paucos dies, submotis difficultatibus omnibus, datum est initium fabricæ, quæ deinde perfecta fuit. Ægrotabat D. Joannes Georgius Cæsarinus, eumque visitatum iverat Fr. Felix: qui inveniens D. Helenam ejus uxorem, præ timore adventuræ viro mortis valde afflictam, dixit: Domina, oportet ut animam tuam componas ad pacem, quia D. Joannes Georgius ab hoc morbo non convalescet. Itaque accidit, et intra paucos dies infirmus obiit. Circumeunti causa quærendi panis, mulier quædam, interius afflictissima, eleemosynam dedit, nec verbum addidit. Ipse vero afflictionem ejus in spiritu cognoscens, dixit, Quomodo habes? Ait illa, Afflicta sum valde. Valde, inquit Felix, ne dubita, sed Dominæ nostræ Coronam unam recita, teque senties relevatam: et ita contigit. Fr. Patricius Mediolanensis Cappucinus, cum adhuc secularis esset, velletque fieri Cappucinus, venit Romam ad Conventum, et Fr. Felici manifestavit desiderium suum. Dixit autem ei Fr. Felix, Cappucinum futurum, sed Fratres, quando esset proximus faciendæ Professioni, deliberaturos de eo dimittendo: futurum tamen ut, cum magna licet difficultate, Professionem faceret, deinde multas tribulationes pateretur; quas ei sigillatim

fundationem Capucinarum successuram,

ægrum morliturum,

internam afflictionem levandam,

eventura cuidam Novitio,

A latim enuntiabat, et quæ omnes eidem advenerunt.

42 Provincialis Romanæ Provinciæ, Fr. Sanctus Romanus, animadvertens quod Fr. Felix ipsum fugiebat, admirabatur metuebatque ne hoc esset propter aliquod suum peccatum. Ergo cum vespere quodam existeret in cella, magnoque angeretur desiderio sciendi id quod erat; ecce tibi Fr. Felicem, divinitus edoctum id quod nullus homo dixisse potuerat. Veniens autem in cellam Provincialis atque subridens, obtulit ei mustaciolos panes duos sibi donatos. Quæ cum esset res prorsus insueta, per conjecturam, imo internum spiritus magisterium didicit Provincialis, Fr. Felicem ideo hoc fecisse, ut ejusmodi cogitationem ex animo illius auferret. Frater quidam Sacerdos volebat Neapolim mittere cruculas quasdam a Fr. Felice confectas: et ei cui ipsas missurus erat personæ in epistola scripserat, factas esse manu cujusdam sancti viri ex Ordine Cappucinorum, ac proinde eas in veneratione haberet. Scripta autem epistola atque signata, accessit Fr. Felicem ut ipsas cruculas ab eo acciperet Ille vero, vultu subirato dixit, Non te pudet, Sacerdos cum sis, mendacia scribere? quid scripsisti? Nemini monstraverat epistolam Frater, nec de ea locutus cuiquam fuerat: cognovit ergo admirabundus per revelationem innotuisse Felici quidquid scripserat. Prævidit etiam mortem suam, et frequentem post eam concursum ad corpus futurum; quantaque in devotione habenda esset vestis sua, quemadmodum in loco dicetur. Atque ex his apparet claritas internorum radiorum, qui hujus Sancti spiritum divinitus collustrabant, quamvis eos ipse conaretur occultare.

arcanam solicitudinem,

occulte scripta de se,

et post mortem suam eventura.

1

43 Plenus autem Deo et gratia ejus, mirum non erat, si ardebat fraterna caritate erga proximos, eorum bonum desiderando et procurando quantum poterat. Qua enim mensura incendebatur in eo Dei amor per nocturna exercitia matutinamque Communionem, eadem erga Fratres inflammabatur pura et Christiana caritas. Eademque dilectio, qua ferebatur in Deum et transformabatur per amorosam ac nobilem unionem, ipsum ferebat in proximum, ut omnes haberet pro fratribus eosque amaret sicut seipsum, non solum lingua et verbo, sed opere et veritate. Atque hæc est virtus quæ citra dubium sanctitatem ejus ad culmen perfectionis evexit: quæ si erat fructus contemplationis, semen nihilominus erat ejusdem, Deo sic disponente res hujus mundi, ut fructus contineant semen plantarum novarum ad

Caritate erga proximum fervens,

C perpetuandam speciem. Orans accendebatur caritate erga homines, et hos amando excitabat in se flammas ardentium orationum ad Deum pro eorum salute. Neque sola oratione, sed aliis etiam duobus modis ipsos juvabat, exemplo scilicet et obsequio; adeo ut orando, operando, et serviendo totus impenderetur beneficio proximi.

44 Orando, sicut diximus, juvabat eum: cum enim vidisset per totum diem tantas ejus quoad corpus et animam necessitates, tot pericula, tot labores, quos omnes illuminato mentis oculo per noctis tenebras circumspiciebat; offerebat eos Deo, plenus compassione, et poscebat ab eo misericordiam. Eleemosynæ et commendationes, magna cum fide et caritate factæ a benefactoribus, constringebant eum ut pro ipsis oraret: itaque hinc motus compassione, ut erat misericors; inde obligatione stimulatus, ut erat solicitus quamcumque obligationem implendi, ferventissimo cum affectu commendabat eos divinæ pietati; unde etiam, uti dictum est, aliquando incipiebat orationem ab his verbis, Domine, commendo tibi hunc populum, commendo tibi istos benefactores; misericordia: et lacrymis rigans orationem, crescere eam faciebat, tantumque ascendere, donec pertingeret usque ad Deum, ubi totus immersus ex-

eos juvat orando,

præsertim pro benefactoribus,

D tra seipsum raptus manebat. Quemadmodum autem erat mediator inter mundum et Religionem, isti referendo necessitates hujus, et huic illius eleemosynas: ita mediator erat inter Deum et homines, horum necessitates illi offerendo, et ab eo gratiam ipsis referendo: atque has duas meditationes conjungens, cogitabat eleemosynas Fratribus datas, datas esse Deo: ideoque Deum orans obtinebat ab eo benefactoribus mercedem: accipiensque a Deo eleemosynarum mercedem, quæ factæ ipsi erant pro Fratribus, eam porrigebat mundo nomine eorumdem Fratrum. Ut autem operi huic suum adderet complementum, non solum ipse orabat pro benefactoribus, sed etiam commendabat eos Fratribus: neque solum referens Guardiano quid a quo accepisset, uti questoribus mos est, in illius humeros transferebat manticam commendationum et necessitatem alienarum; sed affectu caritatis sincere laborabat, ut etiam Fratres orarent Deum pro personis commendatis et necessitatem patientibus. Dubitari porro minime potest, quin Felix plurimas gratias obtinuerit Romanæ civitati, per eamque sparserit cum lacrymis et exhortationibus suis copiosæ reformationis semina; atque ita in eo impletum fuerit dictum sancti Patris Francisci; quod E multæ conversiones, quæ videntur factæ a prædicatoribus, a Deo concessæ fuerint simplicibus Fraterculis, qui a sua divina Majestate eas humilibus precibus impetrarunt.

A. MATHIA SALODIEN. EX MS. IT.

non sine fructu,

45 Quantum autem homines per eleemosynam cor suum aperiebant divinæ gratiæ (hic enim proprius eleemosynæ effectus est, quia misericordes misericordiam consequuntur) tantum ille orando implebat eadem gratia corda jam aperta et præparata, quæ novis nutrita eleemosynis, et continuis precibus irrigata, germinabant in fructus mirabilium effectuum: qui ex unis in alios transeuntes, largam viam aperuerunt reformando huic mundi capiti, Romanæ inquam civitati; unde in cetera membra descendens parvus hic rivulus totum corpus beneficiis divinis repleret, cœlestique favore cresceret in fluvium maximum ad irrigandam universam terræ faciem. Ita parva et deformis radix unius Fraterculi, humo cooperta, vigorem porrigit amplissimæ illi arbori, quæ est Ecclesia; et suavibus divinæ gratiæ fructibus totum mundum pascit, et prodest omnibus. Hæc enim sine dubio ratio est, propter quam eum omnibus manifestum facit Deus; ut sicut omnes beneficia per eum acceperunt, sic et accepisse se intelligant, F Deumque in eo benedicant atque honorent, Neque ad mundum dumtaxat parveniebant fructus orationum ejus, sed etiam eorumdem particeps erat Religio; non enim omittebat quin faceret id quod faciunt boni Religiosi et facere debent omnes, pro ea instanter orando ipsamque assidue commendando Majestati divinæ. Sicut enim sanctus Pater Franciscus semper orabat pro Ordine, quamdiu erat in vita, et mille favores ei obtinuit; ita fecerunt omnes ipsius Ordinis Sancti et omnes boni Fratres. Precabatur etiam Fr. Felix pro omnibus qui se ejus orationibus commendaverant, non tantum secularibus, sed etiam Fratribus: precabatur autem specialiter pro prædicatoribus, multum solicitus pro fructu animarum. Denique virtutem caritatis erga proximum orando exercuit nobilissimo in gradu.

et commodo magno Urbis Romanæ,

ac suæ Religionis.

46 Quomodo autem eamdem virtutem exercuerit exemplo, omnibus patuit; quia tales conversationis suæ radios per Urbem sparsit, ut nemini fuerit difficile creditu vere Sanctum eum fuisse: ideoque universa Roma ad eum post mortem videndum concurrit: quantum autem fructum fecerit illa sua benedicta et exemplarissima conversatione, novit solus Deus. Verum si sanctus Pater Franciscus solum una vice eundo per civitatem credidit se prædicasse, idque

Prodest etiam exemplo tam Urbi

A. MATHIA SALODIEN. EX MS IT.

A idque quam fructuosum fuerit Deus per aliquorum conversionem ostendit; profecto Fr. Felicis prædicatio, continuata tot annis, cum sanctitate, cum spiritu, cum desiderio juvandi quamplurimos, non potuit non esse utilissima mundo. Nec minus eadem profuit Religioni: Fratres enim, qui ut plurimum erant bonæ voluntatis et facile ad benefaciendum movebantur, videntes irreprehensibilem ejus vitam, ad imitandum accendebantur, maxime quia non faciebat res, ab ipsorum ordinario vivendi modo remotas; sed perfecte faciendo id quod alii solum faciebant mediocriter, omnes facile trahebat ad eum sanctitatis gradum, cui se credebant esse vicinos. Ita plane, sicut qui iter faciens propinquus incedit antecedenti, facile inducitur ad gressum accelerandum, quia videt quod modico labore eum assequi possit: si autem longius antegressum sciat, desperans ad illum pertingere, non solum nihil ad gressus celeritatem addit sed etiam in eumdo languescit. Summam in quo communem exterioris vitæ normam excedebat, erant longæ ejus in oratione vigiliæ; quæ tamen animos addebant Fratribus ad eum imitandum, quatenus fragilitas eorum ferebat. Victus, vestitus, B conversatio, aliæque actiones ejus citra singularitatem erant omnes: erat autem exactus observator Regulæ, constitutionum et consuetudinum, sic ut facile ad ejus exemplum aptare se alii possent. Unde causa fuit magni spiritualis profectus in conventu Romano, præsertim in Fratribus Laicis, quoad frequentationem Sacramentorum et solicitudinem circa orationem atque ministerium Missarum: quo etiam multum contulit bonus quidam senex, dictus Antonius de Neapoli, qui a pluribus annis istic manserat, Missis serviens cum magno desiderio et devotione.

quam Religioni,

dum virtus ejus videtur imitabilis.

47 Officium porro Fr. Felicis ipsissimum caritatis officium erat, ut sanctus hic vir tam virtute quam ex officio impleretur proximi dilectione. Omni vita sua, quam in Religione duxit, in corporalibus ejus obsequiis impendit. Cum enim esset Frater Laicus, et Sanctus Pater Franciscus in Regula præcipiat, ut Laici serviant aliis; ipse tamquam perfectus illius observator, et intentioni Sancti se per omnia adaptans, servit magna cum diligentia, humilitate, fidelitate, devotione. Ab ipso initio ad quæsturam obeundam constitutus est Romæ, et in eo munere perseveravit annis quadraginta duobus, sicut ipsemet cuidam Fratri dixit, ipso quo obiit die: hoc C autem ministerium cum tanta omnium satisfactione implevit, ut nihil a quoquam fuerit in eo requisitum. Caritatem sic attemperavit paupertati; ut unius causa non læderet alteram, providens cum caritate multa necessitatibus Fratrum, nec tamen a superflua cura aut providentia auferri se sinens ut vel minimum quid faceret contra paupertatem promissam. Totum fere diem impendebat huic exercitio, progrediens foras bis de die, semel mane et semel ipso die, et onustus semper pane aut vino revertens.

Prodest denique officio gesto 42 annis,

serviens Fratribus,

47 Domum autem reversus, non dabat quietem corpori: sed in orando occupabatur aliisque utilibus exercitiis, vel si aliud agendum nihil erat, ne vel minimam particulam temporis sineret otiose effluere, formabat cruculas foris distribuendas, ad imitationem S. Pauli Apostoli, qui factus Doctor gentium operabatur manibus suis. Volens autem honorare ministerium suum, cum esset constitutus quæstor Fratrum, etiam multis pauperculis prospiciebat. Quando enim invenerat familias aliquas calamitosas, portabat eis panem, vinum, oleum, aliaque similia; efficiebatque ut personæ divites subministrarent ipsis vestes, lodices, indusia, aliasque necessarias provisiones: hoc autem faciebat tanta cum discretione, ut quod aliis communiter in Religione non permitti- D tur, ipsi prohibitum numquam fuerit, sed potius concessum permissumque: tantumque ei confidebant Prælati, ut circa ea quæ faciebat ipse, nullo unquam scrupulo vel mali suspicione tangerentur. Quando autem, propter grande senium, non amplius portare poterat manticas panum, aut similia onera graviora subire; abstinebat illis quidem, sed ne otiosus vacaret ab opere, conquirebat res alias minoris ponderis; simul tamen ne dimitteret opera caritatis, quæ pauperibus impendere solebat, ex licentia accipiebat de conventu decem aut duodecim panes pariter cum domo egrediebatur, eosque portabat ubi opus esse sciebat.

pauperibus succurrens,

48 Multum autem compatiebatur infirmis tam secularibus quam Fratribus, visitans, consolans, serviens et adjuvans quantum poterat, panperculis libentius quam ditioribus, ex pura caritate et Christiana misericordia, non autem ex aliquo humano respectu. Fratres visitabat sæpe, dicens eis aliquid de Deo, et exhortans ad patientiam, non solum per diem, sed etiam vesperi: quod si quid gravius infirmaretur, adibat eum etiam noctu, cum surrexisset iturus ad ecclesiam. E Extra domum ibat ad hospitalia, ubi sciebat pauperes infirmos esse: eosque ad patientiam roborans exhortabatur ad Confessionem et Communionem; si autem necessitaten patiebantur, quibuscumque poterat modis juvabat eos, et commendabat orationibus Fratrum: et instar solis non dico terrestris, sed cœlestis, quaquaversum spargebat lucidos splendores luminosæ caritatis suæ, eaque utebatur ubicumque ferebat occasio.

infirmos consolans,

49 Nec prætermittebat fraternam correctionem, sicubi eam crederet profuturam: sed sicut secularibus dabat salutaria monita; sic etiam Fratribus quibuscumque solita sua simplicitate impendebat verba consilii et correptionis. Prædicatores autem imprimis monebat, ut prædicarent cum fervore, id est cum spiritu, et dimissis curiositatibus soli intenderent utilitati animarum. Eamdem caritatem etiam impendebat Superioribus suis, sicut dictum est: et quia verba ejus ex spiritu procedebant, excipiebantur semper in bonam partem, nec erat qui commoveri se vel indignari ostenderet, quia caritas quæ malum non cogitat, etiam non facit. Hæc est virtus, quæ simul cum virtute orationis Sanctum hunc illustravit; hæ sunt alæ geminæ, quæ volatu celeri ferebant ipsum in Deum et proximos. Deo oratio, proximo caritas impendebatur; seque mutuo juvantes, caritas dabat orationi vitam ac spiritum, oratio caritati ignem et flammam: et sicuti orans exhibebat F caritatem proximo, precando pro illo; sic inter ministeria caritatis semper habebat spiritum elevatum ad Deum, orando ipsum puro corde.

delinquentes corripiens

CAPUT V.

De obedientia et humilitate B. Felicis.

Cum haberet Dei servus et perfectus Regulæ observator ambas quas dixi virtutes, orationis et caritatis, in tam sublimi gradu, per easque Deo ac proximo jungeretur; non deerant ipsi aliæ virtutes, quæ sibi ipsi bonum faciebant. Præterquam enim quod duæ istæ faciant hominem sanctum Deoque acceptissimum, producunt etiam ceteras sine quibus ipsæ perfectæ non forent. Erat igitur ornatus virtutibus omnibus, nec minus corpus quam anima coruscabat radiis perfectionis, cum sese quam diligentissime exerceret in iis quæ valent ad expurgandam animam et mortificandam carnem, ut ita ex utraque faceret Deo sacrificium numeris omnibus consummatum. Obedientia sancta, plene ipsi dominans, purissimo auro obduxit benedictam arcam incorruptibilis

Aliis quoque virtutibus excellens,

suæ

omnia ex obedientia agit,

A suæ et irreprehensibilis vitæ : quidquid enim ageret ex obedientia agebat; nec unquam ausus fuisset rem vel minimam aggredi, quam potuisset cogitare displicituram Superiori. Ut autem tabulæ actionum ejus, quæ componebant arcam virtuosæ suæ vitæ, in qua Altissimus habitabat, purissimæ obedientiæ laminis operirentur; subditum se in omni re ferebat, ut nulla in eo reprehenderetur quam non vestiret obedientia : quæ tanto erat in ipso illustrior, quanto plus libertatis indulgere ei videbatur officium suum; cum nequeat Frater, qui totis diebus foris est, esse continuo sub oculis Superioris, neque hic valeat minutim regulare actiones ejus; sed oporteat ut foras eat quæstor, quando et quo judicat expedire. Quare nisi valde circumspectus sit, facile laxabit talis frænum licentiæ; seque propriæ voluntati ferendum tradens, subtrahet dominio obedientiæ actiones suas. Tum vero indomitus equus voluntatis propriæ, paulatim vires acquirens et assuescens seipsam regere, dediscit flecti ad voluntatem alienam : et sicuti conversans cum secularibus, omnibus monita consiliaque impertitur; ita nec domi novit subjici disciplinæ, seque ad alienum arbitrium ducendum vertendumque in omnem partem præbere.

licet ut plurimum foris degeret;

B 51 Verum Fr. Felix, tot annis quæstoris officio functus, numquam permisit in se vivere istam propriam voluntatem, inimicam obedientiæ, sed taliter eam mortificavit subjugavitque, ut in campo tam amplo totque sui emancipandi occasionibus, sub fræno semper eam habuerit. Quid autem frænum dico vel camum, quibus equi indomiti coercentur? Non solum habenæ motus levis, sed vel nutus unicus satis erat, ut faceret quidquid collibitum Superiori esset. Numquam verbum ullum obedientiæ opposuit replicando; sed promptissimus ad eam semper, excipiebat simpliciter mandata Prælatorum, velut a Deo profecta. Nihil etiam faciebat clam : sed quidquid agebat foris, optabat domi notum esse Superiori : in omni enim re quærens beneplacitum divinum, non vero seipsum, nihil amabat magis quam ejus beneplacito conformari, cui se Dei loco regendum commiserat. Hanc sui humilem subjectionem exorsus est mature, et ipsa qua habitum suscepit hora; semperque servavit cum eadem demissione ac promptitudine animi, tanto magis interius sese constringens intra terminos obedientiæ, quanto exterius minus religabatur : quia Spiritus Domini spiritum ipsius pervadens, ligabat eum arcteque retinebat constrictum : C et sublato omni proprio sentire ac velle, absque ulla resistentia flectebat ad judicium voluntatemque alienam; expurgatoque omni inordinato affectu, magna cum facilitate eum movebat quacumque alius voluisset, aut ubi scire posset Dei voluntatem se facturum : quæ cum nusquam clarius pateat quam in voluntate præceptisque Superioris, ideo hæc libentissime sequebatur.

propria voluntate prorsus subacta,

et inclinata ad nutum, non solum Superiorum,

52 Ab ista obedientiæ promptitudine procedebat inclinatio quædam animi ad alterius cujuscumque voluntatem implendam, ut prompte obediret universis : Respondebat interrogatus, ibat vocatus, nulli difficilem morosumque se præbebat, sed facillimum et obsequentissimum monstrabat erga omnes. Quod uti nascebatur ex perfecta abnegatione sui ipsius, ita operiebat ejus perfectionem, faciens eum videri hominem communem in nulloque a ceteris differentem. Et plane quemadmodum folia, ex eadem radice procedentia unde et fructus, hos obnubunt, obnubendo autem decorem et gratiam conciliant arbori; ita facilitas hujus boni ac sancti Religiosi, quæ procedat ex purissimo ejus animo et gratia prædominante, hinc quidem occultabat ejus perfectionem, auferens externam quamdam speciem sanctitatis, quæ aliis fecisset venerabiliorem; unde vere reddebat eum amabilem, complacentem et gratum omnibus.

sed etiam aliorum quorumcumque.

D 53 Neque solum promptus ac facilis erat ad obediendum, sed etiam ad humiliandum se omnibus ac despiciendum : sicut enim intro in animo erat coram oculis suis vilissimus et abjectissimus, ita desiderabat foris haberi ab aliis. Internum siquidem lumen virtutis, quod animam cognoscere facit fundum suæ miseriæ suumque nihilum, taliter interiora ejus omnia collustraverat, ut se crederet esse pauperrimum atque miserrimum, ac prorsus indignum qui Religiosus, censeretur. Quare licet esset sanctus perfectusque Religiosus, non tamen se vel simplicem Fratrem esse existimabat, sed famulum seu jumentum Fratrum, dicereque solebat : Non sum Frater, sed habito cum Fratribus, et sum eorum asinus : atque in hac cogitatione sese firmaverat, quod instar burdonis portabat Fratribus provisionem eis a Deo missam, talemque se in omni occasione gerebat. Quando per Urbem incedebat onustus, nec pertransire condensatam turbam populi posset, solebat dicere, Sinite transire hunc asinum. Quam autem vice sic onustus, cum mantica lapsus in terram est adeo incommode, ut per se ipse assurgere nequiret : quare conversus ad socium cum risu dixit, Quid agis? an huic asino non incutis plagas aliquot ut assurgat? Numquam ille quidem proferebat verba otiosa vel jocosa, quia lingua quæ diu noctuque cum Deo vel de Deo loquebatur, non potuisset jocos ullos formare; sed asinum se appellans, æstimabat asinum; et talem se credens, non poterat suam ullam laudem a quoquam tolerare.

A MATHIA SALODIEN. EX MS. IT. Præ animi profunda humilitate,

Asinum se appellat et æstimat.

E 54 Econtra delectabatur reprehensionibus ac mortificationibus, multumque iis gaudens ac se humilians, se peccatorem, se ad omnia inutilem appellabat : et ejusmodi verba proferebat ex animo, quibus se ut melius poterat deprimebat. Quia autem non simulate neque in speciem tantum (ut fieri solet) loquebatur de seipso, multo libentius vituperari se vilipendique audiebat. Atque hujus rei conjectura formari potest ex reculis quibusdam, primo quidem intuitu ridiculis, sed quæ attentius considerataæ magnam ejus mortificationem aliquando indicarunt. Invenit eum quadam vice in platea R. D. Bonsignorius Cacciaguerra, utque experimentum ejus caperet, mandavit famulo ut galerum suum ejus capiti imponeret : ipse vero, quasi hoc sibi convenisset, nec caput movit, nec verbum dixit, sed viam prosecutus est suam, ut opifices ex officinis prospectantes dicerent : Eccum Fr. Felicem, qui galerum portat : neque eum a capite sustulit, usque dum idem qui imposuerat etiam auferret. Idem ei factum est ab uno ex Patribus Oratorii, filiis et sequacibus prædicti Cacciaguerræ, qui transeunti per frequentissimam Urbis plateam, Peregrini dictam, similiter suum ei galerum imposuit, dicens, Eia, nunc panem quære; et ipse silenter cœptam quæsturam prosecutus est, donec galerum suum alius recepit. Alia vice quidam ejus socius mortificare ipsum præsumpsit. Iverant simul ad vineam juxta Portam-Piam collectum rosas pro infirmaria : ex quibus cum socius fasciculum fecisset imponendum altari, videns multum populum venire in occursum, dixit Fr. Felici, Permitte ut has rosas tibi ponam super aurem, simulque posuit; nihil aliud opponente Felice, quam, Dimitte me, atque ita patienter factum socii ferente. Cum autem obvianti turbæ appropinquarent, dixit alter, O Fr. Felix, visne ergo portare istum fasciculum rosarum supra aures, sic ut homines te videant? cui Felix, Quid ad me? Sustulit ergo rosas socius, bene a socio ædificatus.

Vilipendi appetens,

publice portat galerum, sibi ab alio impositum,

et fasciculum rosarum in auribus.

55 Sunt qui existiment sibique persuadeant fore ut si haberent occasiones aliquid patiendi pro Christo, constarent sibi : sed in quotidie occurrentibus minutiis nesciunt se aptare actibus humilitatis et patientiæ : animum non advertentes ad id quod ait Christus

In parvis ostendit quid in magnis posset pati;

A. MATHIA SALODIEN. EX MS. IT.

A Christus in Evangelio, qui in minimo fidelis est etiam in majori fidelis erit. et quod in majori iniquus esse solet, qui talis est in minimo. Qualis futurus fuisset Fr. Felix in rebus magni momenti, si occasio sic tulisset, monstravit in parvis istis : idem enim humor qui nutrit truncum arboris, etiam alimentum præbet minimis foliculis : eademque figura sphærica videtur in parvulo globo, quæ in magnis illis cœlorum orbibus. Ita vera virtus occasionem nullam perdit, sed ubique se exerit; atque in omni materia, seu vilis illa seu pretiosa sit, exercet operationes suas : neque enim solum artifex excellens censetur, qui tantum in materia pretiosa beneque disposita artis suæ opus facere novit. Multæ similes occasiones oblatæ fuerunt Fr. Felici, in quibus animi sui humilis declaravit præsentiam : neque, propter levitatem facti aut casu improvisi subitationem, prætermisit attente opportune operari.

contumelias tolerat,

56 Ibat aliquando ad domum cujusdam Prælati ecclesiastici eleemosynæ causa; cum hic experiri Felicem volens, cœpit socio ejus dicere, Fr. Felix hypocrita est, circumiens per plateas furando panem urbis Romæ. Ad quæ ille nullum responsum B dedit, ac ne minimum quidem signum turbationis alicujus; sed monstrabat lætitiam eo dicto sibi allatam. Cum aliquando nobiles quidem bene noti, ipsi obviam facti, per jocum dixissent, quod Papa illum volebat facere Cardinalem; ipse, celare nequiens internum affectum, et foris exhibens quo plenus erat, seposito joco in hæc verba prorupit, Mallem ut Papa me faceret fustigari per viam campsoriam, Bancos vocant, quæ totius Urbis honoratissima est : unde apparet quod populi frequentia, et promiscua cum plurimis conversatio atque alloquium hominum quorumcumque nullatenus imminuebant internam ejus attentionem ad res divinas; omniaque convertebat in materiem cogitationem sanctarum, quæ ut in eo erant vividæ, sic oblata occasione statim erumpebant in signa exteriora, monstrantia quod per plateas incedens cum mantica, offerebat se Deo ad sic ambulandum inter quævis opprobria suppliciaque. Alioqui non processissent ex ore ejus tam prompte verba istæc, sensus et judicii plena (quippe qui nihil dicebat, nisi cum maturitate ac veracitate et plane ex animi sui sensu) neque viva et ardens oratio, quam noctu fecerat, permisisset, ut per diem aliter ageret loquereturve ; neque alia vivendi ratio inter homines C concordasset cum illis divinis exercitiis, quibus in sua solitudine collectus occupabatur.

majores desiderans.

Sacerdotibus semper loco cedit :

57 Itaque in omni actione se humillime gerebat. Loquebatur submisse, reverebatur unumquemque, neminem contemnebat : et quando comes ibat Prædicatoribus aut Sacerdotibus (non attendens ipse quod senex esset, fungebaturque officio quæstoris, quem sui socii cujuscumque sint status, quando ad eleemosynam rogandam proceditur, venerari solent) si personæ quæ ipsum noverant, alloquendo eum ad ipsum se converterent; ipse locum cedebat sociis, volebatque ut loquerentur. Quod quidem quam est consentaneum rationi, tam est factu difficile, nisi animus humilis semper vigilet, habeatque intentum oculum, ut ex omnibus et ubique lucrum capiat, quemadmodum humillimus hic Fr. Felix. Quia autem Seraphica et Evangelica paupertas bonum valde medium est ad humilitatem, illam vel hoc nomine colebat studiosius. Itaque vestiebatur semper pauperrime, nec voluit unquam nisi habitum ex Atrebatensi grossiori panno confectum; in cujus usu licet non potuerit perseverare Religio, quia non inveniebatur sufficiens, sicut in principio, cum pauciora capita numerabantur, et majori pretio comparandus erat quam alii panni; ipse nihilominus optavit in eo permanere, idque facile impetravit, cum haud D difficulter inveniretur modica, quæ satis illi erat, quantitas. Gestabat autem ejusmodi habitum, sicut Regula dicit, intus ac foris resartum; et quando resarciendus erat dissuebat pannos magis detritos, quibus alii nolebant uti amplius, quia didicerat se omnibus in rebus humiliare et vilipendere.

primam in vestitu pro sitiem servat.

CAPUT VI.

Maceratio corporis, abstinentia, castitas excellens Felicis.

Corpori requiem nullam indulget,

Bene disciplinatus animus, non permittebat corpori licentius agere, sed illud castigans atque in servitutem redigens, taliter purificabat et sanctificabat, ut concors spiritui, simul facerent sanctæ vitæ melodiam, qua Deus et Angeli oblectabantur. Sicut autem asinum dicebat corpus, sic asinino more ipsum tractabat, multum laboris verberumque, parum escæ eidem sufficiens. Mirum sane erat quod qui die toto ambulaverat onustus per Urbem, domum reversus, ut plurimum reperiretur in ecclesia orans, quod haud minoris laboris est. Exigua noctis parte dormiebat, reliquam similiter transigebat intra ecclesiam, sanctis precibus contemplationibusque E intentus. Post nocturnas afflictiones, mane statim se transferebat ad labores diurnos, perseverans in illa continua maceratione absque intervallo ullo præterquam Dominicis festisque diebus : quibus ipsis cum non deberet procedere onustus per plateas, ut plurimum orando laborabat in ecclesia aut in cella, nullam corpori quietem indulgens : quod autem ei dabat ex lege naturæ, taliter ei impendebat, ut appareret ipsum se pro asino, imo pro inimico habere.

unica tunicella contentus,

59 Vestis ejus præterquam quod esset ex grosso et vili panno ac rudi facta, etiam fuit levissima, quia modico contentus erat : quod si propter sudorem tempore æstivo aliquid esset apponendum dorso, loco panni linei utebatur frusto ejusdem grossi panni Atrebatensis, cujus erat et vestis, quod deinde siccabat ad solem. Utitur Religio exemplo Apostolorum Sanctique Francisci et Sociorum ejus soleis illis, quæ in Evangelico appellantur sandalia : sed Felix velut corpori infensus hostis, etiam hoc modicum commodum ei concedere recusabat. Perseveravit ergo tam hyeme quam æstate absque illis plane nudipes incedere, usque dum octo annis ante obitum, tam propter senectutem quam propter dolores colicos, fuit extrema necessitate coactus illa per hiemem gestare : æstate autem ea etiam tunc deponebat, dicens se id facere causa commoditatis, quia sic melius ambulare imo volare videbatur, proinde non mortificationi sed sensualitati imputandum quod nudipes iret. Calcanei porro ejus magnas rimas agebant, quæ subinde mittebant sanguinem : nec aliud eis faciebat remedium, quam quod crepantis cutis labra consueret filo ad novam carnis male curatæ afflictionem : quia dum sic fossi sunt calces sentitur dolor inter ambulandum, maxime ab eo qui onustus ac nudipes graditur: malum vero augetur, si pedes semper habeantur expositi frigido aeri, sicut ille habebat noctu in ecclesia. Remedio fuisset curata pedum munditia, sed ipse eos lavabat numquam, ne tantulum solatium carni daret, et ut tanto magis se despicabilem redderet, ad quod unice attendebat. Ergo cum quatuor juvenes Fratres studentes convenissent de pedibus ipsi lavandis, etiam invito; arreptumque et eo ductum ubi Fratribus peregre advenientibus pedes lavantur, tenuissent duo, interim dum alii duo pedes abluerent; ipse completo obsequio, mox iisdem præsentibus cœno se inquinavit, ostendens quam esset alienus ab omni commodo solatioque corpori exhibendo.

ac fere nudipes absque sandaliis : F

hiantes calcaneos filo consuit,

nec ablui eos patitur,

60

somnum in duro stratu

genuflexus capit.

A 60 Forma cubandi talis Felici erat, qualem nescio an ullus antiquorum Patrum unquam usurpaverit. Primo enim aliud nihil substernebat sibi quam nudas tabulas; solum subinde, velut delicatus, insternebat illis veterem stoream. Cervical lignum erat cum fasce sarmentorum; aut si mollius quandoque cubare vellet, ex foeniculi calamis. Ibi sub vesperum requieturus a laboribus quæsturæ, viresque sumpturus ad noctu surgendum causa orationis, non extendebat sese supra suum istum adeo durum lectum: sed ponebat se in genua, et caput manu sustinens, permittebat quasi furtim a natura tolli tantillum somni; veluti qui hoc ei daret mere coactus, atque timeret, ne si magis commode dormiret, sensualitas vires exinde caperet, tardiorque foret ad noctu in oratione vigilandum. Adeo ut si eum non dejiciebat somnus, nequidem frueretur commoditate istius sui duri cervicalis, caput ei acclinando corpusque extendendo supra tam asperas plumas. Strato levatus primam corpori salutationem ferebat cum rudi flagellatione, velut pretium exigens tam brevis et incommodi somni quem ei concesserat. Nec ultimis duobus vitæ annis commodius dormire eum sivit Deus, immittens ei dolores colicos, quasi ad com-

Gaudet se colicis doloribus torqueri.

B plementum mortificationum præteritarum et sævitiæ in corpus suum exercitæ. In tali autem infirmitate ostendebat quam cupidus esset patiendi; mirabili enim cum patientia dolores sustinens, non erat fastidiosus in sui curatione, nec difficilis aut molestus cuiquam; sed quasi vidisset de suo crudeli quopiam inimico vindictam sumi, ita gaudebat cruciari suam carnem, quamvis tam fideliter famulatam sibi.

Fustigari mavult quam epulari.

61 Intensum istud patiendi desiderium quibusdam etiam occasionibus manifestavit ut fuerunt sequentes. Transeuntem aliquando per locum ubi epulæ festivæ apparabantur, interrogans socius, Dic mihi, inquit, Fr. Felix quid magis optares, accumbere huic epulo, an fustigari per omnia subsellia? Ipse autem prompte respondit, Mallem per omnia subsellia fustigari, altumque ingemuit. Alias cum banditus quidam per multa tormenta esset excarnificandus a lictoribus, stimulatus ipse desiderio grandi patiendi moriendique pro Christo, non potuit se continere quin diceret: Nollem equidem scelus fecisse, vellem tamen ista tormenta sustinere. Visitans aliquando Cardinalem gravissime podagra cruciatum, ipse, tamquam hanc illi infirmitatem invidens,

Optat tormenta reorum et ægrorum in se transferri.

C magno cum spiritu dixit: Beatum te, Domine mi! utinam commutationem tecum facere possem! Hæc et similia verba, in talibus occasionibus prolata, non dicebantur affectate, sicut dicuntur ab illis qui de divinis rebus meditate et ex professo loquuntur; sed procedebant ex vivido quodam instinctu interius ipsum impellente, et ex vero ardentique desiderio, quo vere ferebatur ad multa toleranda pro Christi amore.

Æger paucas paleas invitus admittit,

62 Cum ergo ei advenissent dolores colici, quos octo annis postremis tulit usque ad finem vitæ, ipso facto adhibuit eam constantiam quam verbis antea præ se tulerat: et semper quoties aliquid occurrebat tolerandum, dicere solebat: Hæ sunt rosæ, hi flores. Coactus fuit in hoc morbo, ab obedientia et necessitate, sacculum admittere palea sartum: sed quia hæc erat mera violentia, ut quam minimum solatii corpus inde perciperet, nonnisi paucissimas paleas imponi voluit, quas omnes uno fere brachio strinxisset aliquis: nec eam commutari sibi unquam passus est, ita ut tandem plane comminuta fuerit; itaque perseveravit usque ad finem dierum suorum. Tempore vero postremæ suæ infirmitatis, quæ ipsum a laboribus hujus seculi ad cœlestem mercedem gloriose transmisit, non poterat contineri in cella; sed mox ac sublevatum se quantulumcumque sentiebat, surgebat et ad ecclesiam D

[illegible] ex MS. Fr. adrepitque ad ecclesiam

adrepebat, nimium enim dolebat quod ire non posset salutatum de more Dominum suum. Postrema autem vice reductus a Fratribus est ad cellam infirmariæ, dicens, quod requiescere non posset manens extra ecclesiam: multumque displicere sibi monstrabat, quod inde egredi compelleretur.

[illegible] jejunus plura alia addit.

63 Quamvis autem multi magnique essent labores, quos imponebat asino suo, non ideo par erat mensura pabuli: sed novum ei onus addebat jejuniorum et abstinentiarum, tantumque aberat ab illo sustentando, ut debilitaret magis. Vesperi ordinarie non cœnabat, quo promptius recipere ad cellam se posset et noctu surgere. Præter Quadragesimas duas, ad quas omnes Fratres tenentur ex Regula, videlicet majorem Christianis omnibus communem, et alteram longiorem, quæ a festivitate Sanctorum omnium usque ad Natalem Domini protenditur; itemque tertiam Benedictorum, quæ licet obligationis non sit, ordinarie tamen servatur a Fratribus; solebat facere ipse omnes Quadragesimas, quas sibi in usum adduxerat; videlicet unam Spiritus sancti ab octava Paschæ usque ad Pentecosten; alteram Apostolorum a Pentecoste usque ad S. Petri, ter-

et in hebdomada sancta triduum continuum.

E tiam Dominæ nostræ a festo S. Petri usque ad Assumptionem, quartam S. Michaelis ab Assumptione usque ad festum illius. Tam longa autem ac fere continuata jejunia produxit usque ad extremam senectutem, exceptis septem aut octo ultimis annis ante mortem, quibus tamen semper observabat tres Quadragesimas omnibus communes. Solebat etiam in reverentiam Passionis D. N. Jesu Christi facere saltum, id est non comedere tribus Hebdomadæ sanctæ, Jovis, Veneris ac Sabbati, impastus manens a die Mercurii usque ad prandium diei Paschalis absque omni cibo: nec tamen dimittebat quotidianos quærendi panis labores; sed potius duplicabat, ut provideret Fratribus in tres festivos dies venturos, quando non erat ad eleemosynam progressurus.

Extra ordinem prandere solitus,

64 Excogitaverat hic vir sanctus pulcrum abstinentiæ modum, quæ si bene consideretur, nihilo minor, quin potius major judicabitur quam abstinentia eorum, qui reducti in solitudinem solis fructibus leguminibusque aut aliis rebus similibus victitabant. Cum enim ratione officii sui rarissime ad mensam communem aliis posset accumbere: et in F conventu Romano, propter multitudinem Fratrum et varietatem negotiorum multis ab ordinaria hora excusatis, mensæ instructæ maneant majori parte diei, scilicet mantili et pane subtus posito: veniebat Fr. Felix, nulloque adventus sui indicio dato Officialibus, assidebat mensæ, accipiens panem quem reperiebat: et siquidem canistrum inveniebat expositum, frusta colligebat manducabatque, præsente nemine vel advertente: itaque prandium solo pane absolvens, ad cisternam abibat potum hausturus. Si vinum reperiebat in mensa, aut sic prandenti afferebatur, bibebat, eoque contentus erat: si coquus ordinariam Fratrum portionem ei ministrabat, hanc quoque sumebat, salvis tamen Quadragesimis suis. Denique nihil petebat unquam: sed Dei manibus se committens, sumebat quod ultro sibi dabatur; itaque fugiebat inanem gloriam et sensum mortificabat, faciens eum pati quando noluisset, et voluntati propriæ, quod amplius est, robur omne subnervans.

contentus est eo quod forte invenit,

nihil unquam petens,

65 Etenim voluntas propria, quando aliter nequit, etiam abstinentia nutritur, et non edendo pascitur atque impinguatur, movendo Religiosum minus cautum minusque mortificatum ad jejunia singularia, quæ habent aliquid gloriosæ apparentiæ; sed dum ab aliis aliquid tolerandum occurrit, indignatur, neque novit patientiæ fructum oblatum colligere. Unde intelligitur, quod ad ipsa illa jejunia sua,

aliaque

A Mathia Sal dien. ex ms. it.

A aliaque incommoda voluntarie suscepta, non feratur vero ac puro desiderio patiendi, sed ab arbitrio propriæ voluntatis, quæ inquinat omnia, neque permittit ut abstinentia vel Deo grata sit vel utilis homini. Sed Fr. Felix, ut erat prudens, vereque et efficaciter a Dei spiritu impellebatur ad patiendum, cum magna lætitia interiori faciebat abstinentiam, quando propter absentiam vel inadvertentiam ministrorum id ei divinitus concedebatur : nec murmurabat de iis, velut parvam sui rationem habentibus; sed cogitabat ita disposuisse Deum propter demerita sua, et quod dignus non erat plus obtinere. Itaque simul et animum domabat et corpus, Deoque famulabatur per puram et securam abstinentiam.

nec ob ultum defectum querulus;

66 Magnum est autem, quod numquam visus sit ex integro pane comedere: sed colligebat fragmenta relicta ab aliis : non considerans quod ipse portasset domum panem bonum, sed reputans se esse conventus mancipium, adeoque indignum qui simili ac ceteri pane vesceretur. Quandoque ex zelo paupertatis querebatur de Guardiano, quod obsonia nimis bona et delicata fieri patiebatur : et ipse, pro sua parte nullum inde aut saporem aut sensualem sa-

sed viliora sibi optans,

B tisfactionem recipere volens, vel aquam admiscebat, vel tam calentia manducabat, ut cruciatui sibi potius essent quam delectationi : ita ut naturali necessitate coactus manducare, potius animum pasceret quam corpus. Afferebat nonnumquam domum aliquid adeo exiguum, ut uni dumtaxat vel alteri Fratri posset sufficere : ipse tamen nihil unquam sumpsisset, sciens distincta esse officia istæc, et sui quidem muneris esse adferre oblata, aliorum vero ea distribuere. Itaque tum ne alieno ministerio se ingereret, tum ut Deo se melius resignaret observaretque præceptum dicentis, Comedite quæ apponuntur vobis, numquam ex se aliquid accipere præsumebat : sed allata ab iis, quos hoc spectabat, manducabat tamquam sibi missa a Deo.

et nihil ex suo arbitratu sumens,

67 Exemplo sit, quod cum aliquando modicum cocti piscis attulisset, quantum uni portioni vix sufficiebat, et Fratrum quidam plurimum institisset ut comederet; ipse assuetus obedire cunctis et nemini contradicere, sivit sibi persuaderi ut ejus aliquid ori inferret : sed ægre ipsum admoverat dentibus, quin alio interiori præcepto sentiret sibi remorderi conscientiam, ex eo quod a se non autem ob officiali accepisset, ideoque ipsum mox foras expuit. Sane apparet in istis minimis quam accuratus fuerit in

Christum felle potatum imitatur.

C servandis ordinationibus religiosis, seipsum mortificando, obediendo hominibus et Deo. Imitabatur autem Salvatorem nostrum, qui licet ex se noluerit bibere vinum felle mixtum, tum ne mortem sibi acceleraret, tum ob alias sanctas rationes; non tamen restitit offerentibus, sed gustavit quantum cogebat violentia et præceptum crudelium ministrorum : eo autem cessante, obedivit præcepto interiori Patris cœlestis. Et Sancti, qui omni in re student conformare vitam suam vitæ Christi, sicut aliud nihil unquam cogitant, sic omnibus in occasionibus, quamvis exiguis, faciunt opera perfecta et isti exemplari divino congrua. De quantitate porro cibi quem Fr. Felix sumebat, alia ratio reddi non potest, quam quod sæpius a mensa recedebat famelicus : eique displicebat videre Fratrem nimis diu comedentem.

68 Sic mortificata caro et depurata, non poterat nisi castissima esse; cum ipse gloriosum istum candorem quam maxime amaret. Sic itaque coercitos habebat oculos, ut numquam feminam in faciem aspexerit : conversatio autem ejus tam honesta erat, ut licet quotidie ageret cum viris et mulieribus, nemo tamen unquam mali quidpiam de eo potuerit suspicari : quin imo communis opinio fuit, virginem

Virginitatem creditur illibatam servasse.

D obiisse. Et hujus rei haud leve profecto argumentum dedit corporis jam mortui mollities, et sacer ille liquor qui etiam nunc per miraculum scaturit ex membris. Cum enim inde a seculari statu in vita rusticana fuerit bonus Christianus, adeoque cupidus bene faciendi; admodum probabile est, quod numquam offenderit Deum transgrediendo præceptum Christianæ castitatis : et quia numquam uxorem habuit, virgo permanserit : quam virtutem deinde vitæ religiosæ sanctitas non solum custodiverit, sed illustraverit ornaveritque : quod cum alio testimonio probari non potest, miraculis istis Deus voluerit verosimile reddere.

CAPUT VII.

De concordia virtutum B. Felicis et perseverantia.

Quadraginta quinque circiter annis perseveravit sanctus hic Religiosus in tali observantia professionis suæ et Seraphicæ Regulæ : qua in re duplici laude dignus apparet. Primo quia ipsa observantia

Perfectus Regulæ observator

E Regulæ per se facit hominem sanctum. Cum enim ab hominibus sanctis per Dei spiritum factæ sint Regulæ atque imprimis Franciscana verbotenus ab ipsomet Christo dictata; dirigunt hominem ad perfectionem, ad quam proinde illas sequendo sine dubio perveniunt. Et quia Regula Fratrum Minorum inter alias est perfectissima, qui illam perfecte observat veram perfectionem perfecte consequitur : et numquam a sublimi statu illo disceditur, nisi defectu observantiæ regularis. Frater autem Felix in nullo defecit : ei enim quod promiserat aptavit sese perquam excellenter, non minus interius quam exterius, spiritum æque ac corpus purificans. Porro sicut virtutes, ut sint perfectæ, simul jungantur necesse est, nec una separatur ab aliis; ita ipse in omnibus quæ statuit suo congruebant fuit perfectus.

perfectus evadit in omni virtute,

70 Quidam sunt in contemplatione illuminatissimi eique multum dediti; sed ad corporalia exercitia parum facti aptique, secedere amant, ut totos Deo dare se possint, exterioribus occupationibus nusquam distracti. Alii in operibus caritatis externisque ministeriis fideliter virtuoseque occupantur : sed mens foras protracta non valet multum ascendere ad recipienda contemplationis lumina. Fr. Fe-

Contemplationem jungit actioni,

F lix ad miraculum fuit in utroque perfectus, nec in eo unum impediebat alterum : sed cum concordia vere stupenda duæ illæ partes, quæ mutuo sibi contrariæ videbantur, architectura plena spectabili componebant in Dei domo arcum, cujus duo cornua invicem obnitendo, invicem se sustentant, quantoque fortius sese premunt, tanto securius consistunt utrimque. Habebat partita diei noctisque tempora; noctem Deo, diem proximis dabat, et in utraque sanctificabat seipsum, animam in tenebris, corpus ad solem : ita ut dicere posset; Niger sum, sed formosus. Niger quia decoloravit me sol inter labores diurnos: formosus, propter divina lumina quæ per nocturnam obscuritatem illustrant et condecorant intima animæ meæ : quod si foris sum sicut tabernacula Cedar, hispidus ac deformis; intus sum sicut pelles Salomonis, omni regio splendore atque ornatu instructæ.

71 Similiter jejunia et vigiliæ Felicis, non impediebant continuos Deum orandi et panem quærendi labores, et hi quantumque supra modum graves nihil detrahebant istorum excellentiæ, sed utrimque videbantur omnia in summo gradu. Magnum profecto est quod tot annos perseverare potuerit inter tantos labores; diurnos quidem, semper incedendo sub

jejuniis et vigiliis laborem continuum;

A sub onere conquisitarum eleemosynarum; nocturnos vero, fatigando se in oratione tam difficili: qui sic orandi labor gravior sine dubio fuit quam panem portandi. Hinc David qui multum in bellis præliando aliisque externis excercitiis lassatus erat, nec non etiam orando; non multum primos labores æstimans, secundorum dumtaxat meminit, cum ait, Usque ad noctem increpuerunt me renes mei: id est, doluerunt, tamquam querentes de me, quod nimio labore eos lassarem, dum persisto benedicens atque orans Deum. Duplex tamen iste labor, tam gravis tamque diuturnus imo perpetuus, nihil imminuit austeritatem victus cubitusque, dum exiguo somno ciboque utitur, et utrumque cum austeritate sumit; cibos quidem delicatos fugiens, somnum vero capiens modo tam incommodo, nec permittens membris fatigatis ut saltem extenderentur supra duras tabulas, vel capiti ut se ad lignum commode acclinaret. Tanta autem asperitas abstinentiarum ac vigiliarum, nihilo minus diligentem solicitumque reddebant ad labores; sed quasi brevis somnus et victus parcus vires ei ad laborandum suffecissent, labor autem expeditiorem reddidisset ad corpus jejuniis vigiliisque macerandum utrobique mirabiliter
B excellebat; sicut cum duo æqualia pondera bilancem in æquilibrio tenent, quorum si alterum levius esset, alterum deorsum ferretur; nunc autem utrumque sua par gravitas sustinet.

ad colloquia cum Deo et proximo æque expeditus,

72 Eodem modo colloquia ejus cum Deo et cum proximo tam bene erant contemperata, ut hæc perfectio prorsus rara et plena admirabilitatis in eo fuerit. Loquebatur cum Deo fere semper; nec solum quando se ei strictius per orationem uniebat, sed etiam circumiens habebat mentem in eo defixam. Nec tamen propterea tenebat asperum ingratumque hominibus silentium, nec alloquentibus interrogantibusque difficilis conversationem suam tædiosam reddebat: sed potius cunctis affabilis erat, et cum simplici, cauta tamen familiaritate, exhibebat se hominem communem atque aliis similem. Interim hæc ejus promiscua conversatio nihil impediebat interiora negotia tractanda cum Deo: uterque enim operandi modus ex eadem radice virtutis procedebat, quæ humoris cœlestis plena, poterat simul rosam spinamque producere, virorem foliorum et ruborem candorem florum, mollitiem fructus et duritiem ossis: poterat, inquam, conservare medullam excercitiorum internorum, et corticem exteriorum;
C efficereque ut utrimque se juvarent, concurrerentque ad constituendam arborem unam spiritualem, gratam coram Deo et omni populo.

rusticanam simplicitatem supplente gratia,

73 Neque solum virtutum quantumcumque inter se diversarum actus, sed etiam natura et gratia, velut unguenta duo ab uno eodemque auctore composita, in hoc consummatissimo viro perquam bene concordarunt ad eum faciendum omni ex parte mirabilem. Non habebat ille vel morum elegantiam vel speciem insignem corporis vel cultum verborum; sed primæ ac naturalis suæ quam rure attulerat simplicitatis retinentissimus, eam nihil alteraverat commoratione tam diurna in urbe Romana; non ideo tamen minus gratus erat omni hominum conditioni ac generi, parvis, magnis, mediocribus: quia ubi deficiebat natura supplebat gratia, quæ sic condiebat naturam istam simplicem, ut veluti rusticanum cibum, nullo artificio præparatum, eo solo quod natura contulerat, redderet eam sapidam et appetibilem universis. Libenter audiebant eum magni Domini Dominæque, Prælati et Cardinales, quando absque ceremonia eis loquens non dicebat pluraliter Facite, aut Dicite: sed, Domine fac, vel, dic, aut similia verba: quibus non addebat, Vos, sed, Tu: quia Deus qui dederat illi et conservabat rudem istam naturam, sua illam gratia exornans faciebat D
adeo gratiosam, ut tam longo quo Romæ vixit annorum spatio nemini venerit in fastidium, sed gratior cunctis semper ac gratior evaserit. Talis autem ruditas uti non offendebat homines, sic non minuebat Dei honorem; sed illustrabat augebatque, et faciebat ut eum venerarentur, ipsique obedirent peccatores et peccatrices. Erat robusto corpore, quod multum ipsi ad opera virtutis profuit, quia nervus ac principium sanctitatis ejus oratio fuit noctu facta, ad quam firma corporis habitudo plurimum contulit; nisi enim tantum habuisset vigorem, non potuisset prosequi tale institutum, quemadmodum in multis Fratribus experientia docuit, qui vim sibi facientes ad bonam noctis partem in ecclesia orando transigendam, ita debilitati sunt, ut postea neque multum neque parum orare potuerint. Sed cum Felice procul dubio singulariter concurrit divina gratia: videtur enim impossibile, quod cum tantis laboribus et jejuniis consistere posset somnus tam parcus. Et sicut morum ruditas eum retraxit a nimia familiaritate tam secularium quam etiam Fratrum, relinquendo id solum quod in eo posuerat gratia: sic membrorum vigor excitavit, ut Dei causa et cum Deo se fatigaret, retinendo modicum illud quod extrema naturæ necessitas exigebat. E

A. MATHIA. SALODIEN. EX MS IT.

et vires corporis sustentante.

Fratribus et secularibus recte se partitur,

74 Optime etiam justaque cum mensura seipsum partiebatur Fratribus et secularibus, et utrisque faciebat satis. Servivit Fratribus, ædificavit seculares; communis omnibus, retractus ab omnibus: omnium factus, sui tamen ipsius semper Dominus: unde contentos relinquebat omnes, et ex omnibus aliquid utilitatis pro sua ipsius salute referebat. Non permittebat se occupari a secularibus, in quo solent periclitari quæstores; nec tamen silvester eis erat, sic ut non acquiescerent ei: sed tam ordinate dabat negabatque eis seipsum, ut cum eos semper religiosa sua conversatione cibaret, numquam crearet fastidium sui, sed potius majori ejus desiderio quotidie accenderentur. Idem faciebat cum Fratribus. Non declinabat eos tamquam vir magnæ sanctitatis, quin omni occasione dabat se illis velut unum eorum ac famulum omnium: sed ita ut cum eis numquam tempus perderet, nec diu apud ipsos maneret: itaque eis se tradens, et eisdem se subtrahens, ferculum instruebat, quo et ipsos pascebat et seipsum.

quæstoris officium, eodem loco tam diu continuatum,

75 Officium quæstoris et commoratio Romana, sicut ex una parte magnam misero Religioso relaxationis præbent occasionem, maxime tam diuturno tempore, quia convenit Fratribus esse recollectos, et magis in solitudine quam multitudine versari; F
ex altera tamen parte fuit medium, Felici ordinatum a Deo, ad Sanctum eum efficiendum. Necessitatem enim hoc munus ei imposuit conversandi exemplariter, loquendi cum secularibus de Deo, orandi pro illis quorum videbat necessitates: compatiendi tot calamitatibus quotidie in suos oculos incurrentibus; humiliandi se, propter vilitatem ministerii; exercendi caritatem, quæ est radix, culmen, ac vita virtutum omnium; non conversandi assidue cum Fratribus, quod solet magnum spiritui adferre impedimentum; agendi denique vitam unius semper formæ. Etenim in eodem semper manens officio, potuit præfigere sibi quemdam vitæ ordinem invariabilem, firmum atque perpetuum: quæ res ad vitam spiritualem maximi est momenti. Natura namque facile quærit seipsam, neque statim deteguntur primi illius motus; unde cum quis semel formam aliquam vivendi ceperit, transit tempus aliquod priusquam agnoscantur recessus, in quibus ipsa se abdit, ut extrahi inde et regulari possit; aut saltem temporis multum requiritur, ut experiendo cognoscat homo quantum et quid valeat, et sibi convenientem ac proportionatam legem

vitæ et exercitiorum uniformitatem ei adfert,

A. MATHIA SALODIEN. EX MS. IT.

A legem præscribere; præterquam quod exercitia sæpe mutata evadant debilia fructumque exiguum pariunt. Totum ergo negotium spirituale in eo situm est, ut quisque habeat exercitia ordinata, in iisque perseveret : crescunt enim, et imperfectiones quæ identidem in iis deteguntur, etiam tolluntur. Hanc porro gratiam a Deo accepit Fr. Felix per constantem suæ vitæ uniformitatem, procedentem ex eo quod idem semper officium, idque eodem in loco gesserit.

unde nata perseverantia,

76 Ergo prima res, quæ sanctum hunc hominem magnificavit, fuit perfecta observatio Regulæ, quæ virtutes omnes complectitur; altera, perseverantia in eadem quamdiu in hac mortali vita mansit. Hæc res est quæ perfectionem virtutibus ejus addidit, et negotium acquirendæ sanctitatis absolvit. Ab ipso seculo bonus esse cœperat; admissus ad Religionem, quando adhuc durabant primi isti fervores, et supererant fundatores pleni ardore et zelo, suscepit formam bonitatis, quam vidit in ipsis; et in eadem semel suscepta cum summa simplicitate et sinceritate perseveravit semper, absque interruptione primi istius caloris. Nec ideo quia incrementum Religionis ipsam reduxit ad modum vivendi magis moderatum, magisque communem atque omnium qualitatibus B accommodatum, quidquam remisit de ea austeritate, in qua ipsam reperit; quin potius auxit eamdem, et perfecit abundantia gratiarum, in quibus etiam magis semper profecit.

cujus defectu sæpe alii parum aut nihil proficiunt ;

77 Sunt in Religione et in Ecclesia sancta satis multæ devotæ personæ, quæ soli virtuti student : sed sæpe vel negligentia impeditæ, vel tentationibus dejectæ, vel externis occupationibus interceptæ intervalla quædam faciunt in vita spirituali, similes viatoribus lassis et identidem quietem per iter captantibus : qui quando post quietem redordiuntur iter, sentiunt se magis lassos quam antea, et usque dum iterum incalescant gradiuntur mœsti, atque ita multum temporis perdunt, amittuntque vigorem. Hoc autem multo magis evenit in via virtutis. Intervalla ista et istæ moræ, undecumque natæ, retardant vehementer spiritum; et licet aliquis numquam digrediatur a via recta, non tamen unquam pertingit ad perfectam sanctitatem, sed necesse habet semper abigere muscas inordinatorum motuum immortificatæ naturæ. Verum qui numquam velocem cursum a principio cœptum sistentes, procedunt in hoc perfectionis itinere, hanc habent prærogativam, quod semper evadant magis alacres. In hoc enim spirituale iter differt a corporali; quod in illo multa C progressio plus virium vigorisque addat; unde quotidie fortiores viatores spirituales, velocius etiam et velocius currant, itaque expeditius intrant in lætos atque felices campos perfectæ sanctitatis, ubi plene purgati et transformati in Deum, accumulant thesauros infinitorum meritorum pro se aliisque, et a Deo recipiunt favores amicis suis congruos. Nemo nunc qui Fr. Felicis progressum cognovit, dubitare potest, quin ipse fuerit unus ex istis : mores enim

et quæ Felicem fecit Sanctum

ejus semper fuerunt sancti, exercitia perfecta, tenor vitæ uniformis : unde mirum non est quod ad tantam evaserit sanctitatem. Longum quo vixit tempus commoditatem ei præbuit longius iter emetiendi, profundiusque intrandi in venas cœlestium virtutum : atque ita Deus illum suis illustravit favoribus; et cui virtutes dederat, dedit etiam virtutum signa, tamquam flores certaque testimonia pretiosissimorum fructuum, quibus eum in cœlo satiat.

CAPUT VIII.

De fortunato B. Felicis transitu et sepultura.

Appropinquantem vitæ finem fuisse Fr. Felici notum indiciis patuit manifestis : cum enim eleemosynæ D causa ad ædes D. Alexandri Olgiati accessisset, in digressu Joanni illius procuratori dixit; Ego eleemosynæ causa huc non veniam amplius, commendo tibi Fratres meos. Id quomodo intellexerit ipse et a nobis intelligi debeat palam demonstravit in ædibus D. Juliæ, uxoris D. Francisci Cæsarini, ubi, cum esset Feria sexta præcedenti ejus morbum ad quæsturam egressus, postquam cum Domina prædicta ejusque sororibus fuse disseruisset de rebus spiritualibus, discedere volens dixit eis, Relinquo vos Deo, et benedictionem illis impertiit. Hinc motæ istæ devotæ mulieres cucurrerunt ad manus ei deosculandas et habitum : ipse vero post aliquam resistentiam, ut erat humillimus, victus tamen a spiritu interius agente et teneritudine erga ipsas, clare dixit : Eia, eia, sumite et osculamini quantum vultis : quia cito, cito, habitus hic noster valde pretiosus erit, et quilibet desiderabit inde habere pauxillum : et magna multitudo populi concurret ad me spectandum. Alia deinde plura in eumdem sensum addidit, numquam ex eo audita verba : unde repletæ admiratione bonæ istæ mulieres, et devotione simul atque tristitia motæ, in planctum solutæ sunt. Secutus deinde ad mortuum concursus, et aviditas omnium participandi de ejus habitu, demonstrarunt, non humanæ voluntatis motu, sed Spiritus sancti instinctu locutum esse virum Dei. Unde dubitari non potest, quin eadem versaret mente, quando diebus istis interrogatus a Guardiano per dormitorium obviante, quid faceret; respondit; Quæro mortem : item quando lapsus in morbum dicebat Fratribus, Cecidit asinus, nec resurget amplius.

Mortem suam variis prædicit :

E

infirmatus commoda omnia fugit ;

79 Incidit autem in febrim die ultima Aprilis : et in hac sua ultima infirmitate, numquam auditus est queri; imo quasi ad se id non pertinuisset, nihil petebat aut ulla in re molestus erat officialibus aut aliis Fratribus; sed oportebat obedientiæ vi ipsum cogere ad sumenda commoda necessaria, et suscipienda obsequia ægris impendi solita. Primum vero non poterat quasi durare extra ecclesiam; mox enim ac se tantillum alleviatum sentiebat, conferebat se illuc ad orationem, postea necesse fuit expresso præcepto obedientiæ constringere illum supra culcitram laneam, tantum ille assueverat male habere corpus, velut asinum vilem, cui delicias fieri non poterat ferre. Quærentibus ergo, quomodo se haberet, respondebat, Quomodo vultis ut me habeam? posuerunt me supra hanc culcitram; ipso tono ostendens hoc sibi displicere : addebatque : Cum invenisset diabolus quemdam Dei servum supra culcitram positum, dixit, Etiam tu cecidisti? servus autem Dei surrexit de lecto. Tum superveniens infirmarius redire ad culcitram jussit, sibi incumbere dicens illius regimen. Regressus diabolus dixit : Et quidem bis? Ergo denuo surrexit Dei servus de lecto, et denuo reversus infirmarius, redire iterum ad culcitram mandavit. Tertium denique diabolus rediens, Etiam, inquit, ter? Sed servus Dei respondit, Eia, nunc crepa : volo hic manere ex obedientia.

culcitram jussus admittere,

F

in ea diabolum vincit,

80 Hunc casum narravit ipsemet, cum ostenderet quam invitus supra culcitram cubaret, et quod sola obedientia eum istic retineret. Quamvis autem eum narraverit velut alteri factum, certo tamen creditur ipsimet evenisse: quia infirmarius per virtutem obedientiæ eum manere compulerat supra culcitram, cum vellet supra paleam cubare; et binis vicibus eum invenerat levatum de lecto, atque in parvula sede positum, et per obedientiam jusserat ad pauperem illam culcitram reverti. Non dubitabat autem Frater iste eum de se locutum fuisse, quamvis seipsum noluerit indicare; quia honorificum putabat, quod diabolus tentaret aliquem. Cumque ipse antea eum visitasset interrogassetque,

A gassetque, num diabolus ei molestiam facesseret; Apage, responderat indignabundus, dimitte me: diaboli ibunt ut aliquem virum sanctum tentent: ego vero mox ero cadaver putridum. Erat Felicis animus remotissimus ab omni creatura: sciens itaque diabolus frustra se fore, si alicujus rei terrenæ occasione tentare illum aggrederetur, experiri voluit, num inducendo eum, in hac ultima vitæ meta, ad actum aliquem nimiæ austeritatis, efficere posset ut suum arbitrium sequeretur. Sed Deus tentationem ei convertit in bonum, uti amicis suis facere solet, educens inde meritum obedientiæ sanctæ, nobisque declarans quam esset inimicus suo corpori, quamque ex vero Asinum appellaret: ideoque ad ædificationem nostram hoc eum fecit dicere.

quod tamen dissimulatum voluit,

81 Simili modo dixit alteri Fratri, Tentare me volebat dæmon, sed respondi illi; Tu non es judex meus, Christus Jesus judex meus est. Tu es damnatus, et ego credo sanctam Ecclesiam Catholicam. Hoc etiam voluit Deus ut inadvertenter narraret: si enim Sanctus aliquis circumspectus fuit ne secreta sua cuiquam narraret, circumspectissimus fuit Fr. Felix, et ideo omnino pauca ex iis sciuntur: ex B paucis autem istis conjectura fieri debet eorum quæ abdita remanserunt. Certe quando tam diu noctu manebat orans in ecclesia, non est credibile non esse passum graves dæmonum insultus: et quod in suis orationibus reperiebatur immobilis atque insensibilis, indicium fuit extaseon ejus ac visionum: sicut etiam quod mortem suam et alia quædam, uti dictum prænuntiarit: miracula quoque in vita atque post obitum idem manifeste confirmant.

secretorum talium occultator studiosus:

82 Fecit etiam Deus ut de consolationibus ejus sciretur aliquid. Erat ipse Deiparæ devotissimus, et hæc fuit littera alba quam noverat legebatque. Hæc ergo in ultimo illo puncto (quod et alias fecisse credibile est) ad eum consolandum venit. Eodem enim quo ex hac vita discessit die cum comedisset, coram eo qui sibi ministraverat Fratre aliquantulum quiescens, ex improviso sustulit brachia in cœlum, iisque expansis dixit O! o! o! atque ita mansit ad tria vel quatuor Miserere. Interroganti vero Fratri quid vidisset, respondit se videre Dominam nostram cum multitudine Angelorum; mandavitque ut cellam, quæ erat aperta, clauderet. Id cum fecisset Frater paulo post rediit, invenitque eadem facientem. Sed volens ipse libere frui beata visitatione cœlorum Reginæ, qua servum suum dignabatur consolari, rogavit C Fratrem ut exiret de cella: prout alter statim fecit, nolens impedimento esse tantæ illius consolationi. Unde mirum non est quod die præcedenti fuerit repertus ab alio Fratre, occupatus sermone faciendo de Nativitate Domini, explicans quid beatissima Virgo tunc fecerit, et vulgari suo sermoni interponens Evangelium Missus est; utpote qui interius totus vacabat cogitationibus de sanctissima Virgine, speciali sua devota et protectrice.

sub mortem tamen Deiparam sibi adesse fatetur,

cujus partui devotissimus fuerat.

83 Denique productus ad ultimam illam horam, qua divina misericordia fidelissimi servi sui labores volebat remunerari, instrui eum voluit consueta Ecclesiæ provisione. Ergo ipse instantis sibi mortis præscius, Sacramenta petiit: quibus allatis, cum sanctissimum Corpus Jesu Christi per modum Viatici ultimo dandum exhiberet ei Sacerdos ac diceret; Fr. Felix, ecce Dominum tuum, qui venit te visitatum; ipse manus elevans recitavit Antiphonam, O sacrum convivium, in quo Christus sumitur: quæ quia sic finitur. Et futuræ gloriæ nobis pignus datur, demonstravit quomodo simplicitas ejus, semper a Spiritu sancto regebatur; quandoquidem accepturo sanctissimum Sacramentum per modum Viatici, suggesserit ut cogitaret pignus gloriæ sibi dari, ad quam magnis passibus properabat. Postquam ergo cum maxima devotione et externis etiam signis gustus ac consolationis spiritualis, Sacramentis Ecclesiæ munitus fuit; approximante beata hora sui felicis transitus, paulatim clausit oculos, veluti dormiturus, et quietissime exspiravit beatam suam animam, volantem ad suum Creatorem, cui tot annis fidelissime serviverat, anno Domini MDLXXXVII die XVIII Maji circa XXIII horam diei secundæ sanctissimæ Pentecostes; dum Romæ celebraretur Capitulum generale Religionis Cappucinorum. D

Viatico pie sumpto,

expirat 18 Maji.

A. MATHIA SALODIEN EX MS. IT.

84 Voluit autem Deus manifestare gloriam, qua suus hic servus in cœlo fruitur, per bonum quemdam Christianum Mundaviensem ex statu Urbinate nomine Thomam. Hic erat vinitor Mag. Petri Valentini juxta S. Pantaleonem, qui eum valde diligebat, utpote hominem honestum, devotum Sanctis, et timoratum. Incidit autem in febrim bonus Thomas una circiter hebdomade post mortem Fr. Felicis; jussitque Dominus vineæ eum deferri in domum suam, ut melius curaretur; malo autem ingravescente, recepit in Vigilia Corporis Domini sanctissimum Sacramentum cum extrema Unctione, præparans se ad mortem. Cum vero advenisset vitæ terminus, amissa loquela circa horam vigesimam diei, mansit expers sensuum usque ad secundam vel tertiam noctis; expectantibus porro omnibus ut extremum spiritum redderet, aperuit oculos, et residens in lecto clamare cœpit, Victoria, victoria. Vivat Christus, vivat Christus aliaque similia. Interrogantibus qui adstabant circiter decem personis, tam viris quam feminis, quid id esset, aliud non respondebat quam Victoria, victoria. Advocaverunt ergo Mag Petrum, qui paulo ante ad cœnam sumendam recesserat; cui similiter interroganti quid verbis illis significatum vellet, respondit: Retuli victoriam de diabolo: conductus fui ad infernum, vidi res magnas, cognovi aliquos ac sigillatim eos qui ad Portam-Latinam fuerunt per justitiam plexi. Dæmon accusabat me de multis peccatis: sed apparuerunt mihi S. Petrus, S. Paulus, S. Augustinus, S. Franciscus et Fr. Felix, qui responderunt et pugnaverunt pro me; et per Dei misericordiam consecutus sum victoriam, quia apparentibus Domino Jesu Christo cum sua sanctissima matre fugerunt dæmones, et jam haud parvo spatio discesserunt. E

decimo die post bonus quidam vinitor,

jam jam moriturus,

videt eum inter Sanctos pro se agere

85 Interroganti D. Petro utrum novisset Fr. Felicem, quo habitu utebatur, et quid ei dixerit, respondit: Cognovi eum optime, eratque vestitus indusio albo ex serico pulcherrimo et splendenti, habebatque collare ejusdem coloris, sed pulchrius F et splendidius ipsa veste; dicebatque quando me accusabant dæmones: Sta fortiter, nec dubites, crede in Jesum Christum et sanctam Ecclesiam Catholicam, et obtinebis victoriam: atque his verbis valde me confortabat. Prædixit etiam prænominatus Thomas, quod intra breve tempus esset moriturus, iturusque ad percipienda bona æterna, et exhortabatur omnes ad bene vivendum, credendumque Domino Jesu Christo. Subjunxit Mag. Petrus: Eia Thoma, quandoquidem jam securus es de tua salute, numquid polliceris mihi, quod in Paradiso constitutus Deum pro me deprecaberis? Respondit Thomas, Precabor pro iis omnibus qui credunt in Jesu Christo, et firmi atque constantes in fide perseverant: numquam autem voluit promittere quod esset pro eo oraturus in particulari; sed dicebat semper, Orabo Deum pro omnibus. Petiit deinde potum, et ut sibi mutaretur indusium, quod ex lucta cum dæmonibus totum erat sudore madidum. Eo mutato aliquantulum se refecit, seque aptavit in lecto per seipsum, et fixis in cœlum oculis nemini quidquam dicebat, nemini animum advertebat, nequidem uxori liberisque

in habitu splendido,

ac deinde placidissime moritur.

A. Mathia Salodien. ex ms. it.

A que, licet multum solicitaretur. Cumque persona quædam spiritualisque aderat, eumque devotis sermonibus confortabat, interrogasset, quid videret; Video, inquit, quod vos videre potestis. Atque ita manens per spatium unius ac dimidiæ vel duarum horarum, suaviter abiit ad suum Creatorem, nullo facto motu ac si dormivisset, in hoc ipso demonstrans quod pervenisset ad Paradisum. Hic ergo etiam apparet gloria illius magni servi Dei, quam divina Majestas sua voluit manifestare mundo per alterum suum servum.

Agebatur tunc Romæ generale Capitulum,

86 Quod famulo suo præmonstraverit Deus, eo mortuo futurum magnum concursum populi, habitumque suum expetendum a multis, simul cum signis miraculosis quæ divina Majestas per sua merita operabatur, demonstravit minime casu factum esse, ut tali festo et tempore Capituli generalis ab hac mortali vita ad cœlestem transiret: sed quod divina providentia eum reservavit opportunitati illi, qua ipsum ad commune bonum mundo celebrem redderet et Religioni: atque ut gloriosus iste transitus esset pro prædicationibus, quæ solent in Capitulis generalibus multæ fieri, tunc autem fere nullæ habitæ sunt, volente Deo ut sancta mors unius pauperis B Laici plus valeret, quam docti sermones prædicatorum; ipsaque, ut testimonium sanctæ ejus vitæ, efficacius concionaretur, quam facere potuissent illorum verba. Etenim mox atque expiravit deprehensa est caro ejus facta mollis ac tenera velut infantis, ductu, plicatu, motuque facilis, magis quam viva fuerat: ita ut cum esset extrahenda vestis ad corpus lavandum, reponendaque, et rursum mutanda die Mercurii sequenti, eo quod prior fere esset frustatim a populo devoto distracta; tam facile id factum sit ac si vivus fuisset, imo longe melius, adeo flexibilia erant ac tractabilia membra omnia. Animadversus est etiam insolitus candor in ejus carne, quæ dum viveret subnigra apparebat et hispida; adeo ut fuscus color in album mutatus ei fuerit, sicut asperitas cutis in mollitiem. Pedes qui viventi fuerant duri ut lignum, palpabiles erant: calcanei vero, grandibus antea rimis hiantes et quasi vulnerati, absque ullius læsionis vestigio videbantur integri: quæ omnia medicus Fratrum vehementer admiratus est. Quod etiam acceptum fuit in signum tam puritatis in qua corpus illud servatum fuerat, quam beatitudinis qua fruebatur felix anima.

in qua mors Felicis pro concionibus fuit:

quia cadaver candidum

et flexile erat.

Ad illud in ecclesia expositum,

87 Quia autem Fr. Felix tota Romana urbe magnæ fuerat auctoritatis, excitata est in cordibus C populi magna devotio versus hunc beatum Fraterculum: ita ut omnes, veluti impulsi a Spiritu sancto, qui est spiritus unionis et concordiæ, concurrerint ad ecclesiam Fratrum, ubi positus erat ad solitas exequias celebrandas: tantaque erat multitudo virorum ac mulierum, ut facile intelligeretur idem illud lumen, quod futuri concursus præscium fecerat sanctum virum, ducere et docere devotum istum populum. Circumdabatur undique sacrum corpus, et certatim admovebantur ei coronæ precatoriæ, frustula etiam decerpebantur ex habitu; brevique nudatus usque ad genua, brachiis etiam totis nudus remansit: resecti quoque ex barba pili capillique ex capite sunt, quia cum omnes eum haberent pro Sancto, quidquid ejus nancisci poterant Reliquiarum loco ipsis erat. Unde coacti fuerunt Fratres recipere corpus intra cancellos, ut videri quidem, sed tangi non posset amplius. Ob eamdem causam permissus non fuit sepeliri usque ad vigesimam primam horam diei Jovis: et interim dum supra terram stetit, accurrit non solum plebs infinita, sed etiam Romanorum Dominorum ac Dominarum multitudo omnis; ita ut non solum plena esset ecclesia, sed etiam conventus, quinimo (res profecto mira!) area exterior, platæaeque et totus circumcirca conventus, nec D poterat aliquis egredi vel ingredi; sed Fratres quidam foras egressi, necesse habuerunt, admotis per murum horti scalis, regressum sibi parare: verificata in hunc modum mirabiliter viri sancti prophetia.

fit ingens concursus populi,

88 Accrevit devotio populi per id quod accidit dum corpus in ecclesia prostaret. Insessa a dæmone erat filia cujusdam nobilis, quam Fr. Felix, quia erat domui suæ ac Religioni devota, aliquando visitabat. Octo autem diebus antequam moreretur, fecerat malignus spiritus grandem tumultum, dicens, mori debere Bisaccium istud, istum Frataccionem; neque enim præ rabie poterat eum nominare. Cum vero corpus in ecclesia staret, adducta illuc fuit misella, magna cum violentia: mox vero atque corpus attigit, cecidit in terram velut mortua; talisque mansit aliquamdiu, interim dum Sacerdos exorcizabat eam, recitabatque Evangelium, In principio erat Verbum. Cum autem ad hæc ventum esset, Fuit homo missus a Deo cui nomen erat Joannes, idque sæpius repeteretur, cœpit illa respirare, aperire paulatim oculos, manus conjungere tamquam oratura, atque accedens ad feretrum amplexa deosculataque est corpus Fr. Felicis cum maxima devotione: et paulo post E abiit ad majus altare, egitque Deo gratias pro accepto beneficio, nec amplius aliquid mali sensit. Aliis quoque personis eodem adductis inclusi spiritus magnos edebant clamores, strepitusque ciebant: quapropter et propter mirabilem ac frequentissimum populi concursum, introtractum est corpus, ut videri non posset amplius, donec sepeliretur capsæ plumbeæ impositum. Ita mansit donec ab Illustrissimo Cardinali Protectore curatum fuit honorabile depositum, in capella Crucifixi, quod erat ipsum mysterium cujus fuerat devotissimus Fr. Felix: quasi declarante Deo, quod fecerit eum participem consolationum Filii sui Jesu Christi in cœlis, quia fuerat socius passionum, sicut loquitur Apostolus Paulus; et quia simul passus est, simul et regnat.

et dæmoniaca liberatur:

ipsum in capella Crucifixi deponitur.

CAPUT IX.

Miracula a Fr. Felice dum viveret patrata.

Occasione prædicti miraculi aliorumque, cœperunt manifestari etiam illa quæ vivens patraverat, et de quibus antea nullus sermo erat. Insuper Sixtus Papa, motus insigni sanctitate vitæ ejus, pro majori parte magnis ac parvis nota, mandavit ut de vita atque miraculis Processus formaretur: et ex hoc desumpta F sunt infrascripta velut authentica, omissis aliis plurimis quæ sciuntur, quia necdum sunt inserta processui. Primum autem hic ponentur pauca illa quæ revelata sunt facta in ejus vita: postea vero quæ secuta sunt post mortem: omissis etiam iis in quibus monstravit se spiritu prophetico donatum fuisse, alia hic recensebimus dumtaxat.

Processu formato invenitur quod vivens sanaverit,

I. Fr. Matthæus dalla Posta Cappucinus, habens oculum sanguine plenum ac tumidum, et magnum in eo dolorem patiens, ideoque nequiens aut Matutino assistere aut ad quæsturam egredi ut solebat, imposuit ei infirmarius ex præscripto medici albumen ovi: cumque in cellam ivisset, ivit Fr. Felix ad eum visitandum, atque ut oculum inspiceret albumen sustulit: rogatus autem a Fr. Matthæo ut dicto Pater et Ave oculum Cruce signaret, postquam id aliquamdiu recusasset, paruit tandem et subito dolor omnis abscessit, sequenti autem die neque sanguis neque tumor apparuit.

oculum turgidum,

II. Idem Fr. Matthæus, febri infirmatus cum dolore capitis, rogavit Fr. Felicem qui similiter venerat eum visitatum, ut capiti suo signum Crucis imprimeret,

dolorem capitis,

A imprimeret, eoque facto et dicto quinque Pater et Ave, statim evanuit dolor capitis. Sed Fr. Felix enixe deprecatus est ne de hoc cuiquam loqueretur.

et illorum, III. Cum anno MDLXXXVI P. Fr. Clemens della Marca Cappucinus, vir valde senex doloribus colicis dire premeretur, sic ut nec die neque noctu dormire eum sinerent; venit ad visitandum eum Fr. Felix, et ipse hunc rogavit ut supra doloris locum signum Crucis formaret: quo tertium facto, intra breve tempus sensit relevatum malum, transiitque dolor, nec amplius rediit.

moribundam unam. IV. Cum uxor Mag. Bernardini Cotti mortali gravaretur morbo, et postero die expiratura crederetur, visitata a Fr. Felice ejus orationibus se commendavit. Noctu deinde experrecta intra seipsam dixit: Jam Fr. Felix in ecclesia est, oratque pro me Deum. Atque in hac fide et devotione sanata, omnibus postea libere dicebat, quod per merita et orationes Fr. Felicis sanitatem recuperavit.

grave apostema, V. D. Bernardinus Olgiati, abscessum in humero ferens, tantum exinde sentiebat dolorem, ut usque ad cor pertingere videretur: visitatus ergo a Fr. Felice, rogavit eum ut desuper signum Crucis formaret: qui post aliquam resistentiam accessit, signa- B vitque abscessum, et sanatus est infirmus.

et anginam; VI. Anginæ morbum in gutture patiebatur D. Clelia Cæsarini, ut sæpe solebat: hæc visentem se Fr. Felicem oravit, ut supra guttur Crucem effingeret. Ille post aliquam excusationem tandem ejus gulam tetigit, et subito levari dolor cœpit: mane autem sequenti, rupto per se apostemate, perfecte sana Domina illa fuit.

ab eodem vinum in vase auctum, VII. D. Lavinia Carpi testificatur, quod cum Fr. Felix accessisset ad suas ædes more solito vini eleemosynam accepturus, respondit illa in consueto vase, quod stabat in atrio domus, parum admodum superesse. Videns autem Fr. Felix dum ancilla promeret vinum quod reliquum erat, istud solum filatim profluere, ipsemet accessit ad vas, jussoque sibi dari dulciculo seu spina, et œnophorum in manus capiens, flexit humi genua, obturatumque vas aliquantulum reliquit. Cum vero iterum retraxisset spinam, tanta cum vehementia effluxit vinum acsi vas plenum fuisset, haustumque postea exinde est tam ad domesticos usus, quam ad largiendum aliis: et hoc accidit paulo antequam moreretur.

corruptæ fruges restauratæ, VIII. Eadem in domo, cum anno MDLXXXVI tempore messis in atrio positi essent manipuli, continentes in spica tria circiter frumenti quartalia, qui made- C facti cœperant corrumpi non animadvertentibus id domesticis, venit Fr. Felix ad petendam eleemosynam: et videns fruges illas corrumpi, accinxit se cum socio ad revolvendos explicandosque manipulos, dicens: Benedictus Deus, laudetur Deus. Cumque excussum postea granum esset, inventum est bonum perfectumque, et panis ex eo pluries coctus est, ad usum familiæ et aliorum: ut autem miraculum evidentius redderet Deus, cum ex eodem grano crustulæ dulciariæ confectæ essent dataque ægris, varias infirmitates patientibus, convaluerunt; uti testantur D. Lavinia et Soror Felix Fortiaria.

pes equi servatur; IX. Lelio Cicalæ Romano ceciderat equus, pede intra cratem ferream immisso, sic ut absque gravi periculo læsionis educi nequiret: et quia calcibus ferociebat, nemo audebat ad eum accedere. Supervenit turbæ circumcirca timultuanti Fr. Felix, et equo appropians, pallium suum capiti ejus injecit dicens. Hoc est pallium S. Francisci: et subito quievit equus, donec accedens faber, nonnihil effregit murum, et cratis spatium amplius fecit, atque ita citra læsionem eductus inde pes equi fuit: quod nobilis ille pro miraculo magno habuit narravitque.

X. Mag. Attilius de Velitris, mense Septembri D anni MDLXXXIV, decumbebat cum magno dolore in tibia dextra, ita ut nec lodicem quidem supra eam toleraret aut aliud quidpiam operimenti. Vini in eleemosynam petendi causa accessit eodem Fr. Felix et visitavit infirmum, sed volenti eum tangere inclamavit infirmus, Cave, ne tetigeris, mali aliquid inde metuens. Ast Fr. Felix, Nihil timeas, inquit, et advocatos omnes de domo jubet hic genua flectere, atque recitare Pater et Ave. Hoc dicto et omnibus iterum in pedes assurgentibus, dixit Fr. Felix Mag. Attilio, Noli metuere, et tibiam ejus tetigit. Sequenti mox nocte curatum se esse æger sensit; mane que surrexit dicens, Vidi miraculum Fr. Felicis et venit ad ecclesiam Fratrum Cappucinorum, ad gratias ei agendas pro recepto beneficio. *A MATHIA SALODIEN. EX MS. IT. curata tibia male affecta,*

XI. Marchionissam della Valle pleuritis invaserat: ea ad suas ædes eleemosynæ causa accedenti Fr. Felici commendavit se, rogans ut signum Crucis supra se faceret: quod cum coactus fecisset sua Corona, subito dolor omnis recessit. *pleuritis,*

XII. Cum febri laboraret D. Valerius della Valle, ivit ad eum Fr. Felix pro eleemosyna, rogatusque super eum efformare Crucem, efformavit, ipsaque E nocte recessit febris. Medicus, qui erat Mag. Hippolytus de Castello, mane eum absque febri inveniens, obstupuit; interrogatusque a D. Valerio, an ea febris naturaliter sic potuerit abiisse, respondit non potuisse, sed quod debuerit una alterave vice ut minimum redire: unde is agnovit beneficium orationibus Fr. Felicis impetratum. *febris,*

XIII. D. Clelia della Valle infirmabatur febri, cui conjunctus erat magnus dolor capitis, adeo ut vitæ suæ metueret. Ad eam cum ivisset Fr. Felix, ab eademque rogatus manum fronti ejus applicuisset dicens Pater et Ave, addidit; Habeto fidem, quia Deus secundum fidem tuam faciet: subitoque sanata est abeunte febre, et capitis dolore recedente. *cephalalgia,*

XIV. Mag. Raimundus Mazzoleni Bergomas quartana febri infirmabatur: accedenti autem ad se Fr. Felici dixit, ut abiret, quia ipsa hora ventura ei erat febris, horis circiter duodecim durare solita. At ego, respondit Felix, non recedam priusquam desierit. Nimium, inquit infirmus, hoc foret. Ego vero, reponit Felix, volo ut intra horam recedat: cumque ibi una circiter hora mansisset, abiit, neque febris deinde unquam tam violenta rediit, atque post duos accessus omnino cessavit. *quartana,*

XV. D. Mutius Matthæi, mense Februario anni F MDLXXXVI, gravissimo morbo et continua atque maligna febri correptus est; quæ tantum illum atterebat, ut de vita ejus formidarent medici: ideoque suscepto Viatico testamentum condidit. Dum autem sic gravaretur venit ad ædes illius F. Felix pro eleemosyna. Rogatus ergo ut ægrum tangere vellet, tetigit: statimque sanatus est æger licet medici judicassent, infirmitatem ejus ut minimum fore longam. *letalis morbus,*

XVI. Paulo post D. Marius, filius prædicti D. Mutii, annorum quatuordecim adolescens gravi catarrho cum febri oppressus fuit; ita ut salvari eum posse medici desperarent. Interim adest eleemosynæ causa circumiens Fr. Felix, quem iidem qui miraculum in patre factum viderant, rogaverunt ut etiam tangeret filium. Quo facto, etiam hic melius habere cœpit et convaluit, adeo ut omnes id agnoverint esse gratiam specialem, impetratam meritis Fr. Felicis. *gravis catarrhus:*

XVII. D. Laurentia Durante Romana fidem facit, quod quindecim abhinc annis Fr. Felix venit ad domum ipsius pro oleo ad fovendam lampadem. Sciens autem mater D. Laurentiæ nullum domi oleum esse, voluit eum mittere ut emeret. Sed noluit ire Fr. Felix *multiplicatur oleum,*

A MATTHIA SALODIEN. EX MS. IT.

A Felix dicens, Vide : est enim quod sufficiat. Ipsa ergo verbis ejus mota ivit ad orcam, tantumque reperit, quantum non solum sufficeret implendo lecytho, sed etiam domesticis usibus plus integro mense : quod meritis Fr. Felicis factum agnoverunt.

illuminatur cæcus.

XVIII. Fulvius nepos Mag. Horatii Fusci Romani utriusque oculi visum ab anno amiserat, multis frustra adhibitis remediis. Cum ergo quadam vice per illorum domum Fr. Felix transiret, rogarunt illum ut signum Crucis supra infirmum faceret. Quibus ille magna cum humilitate parens dicebat, Sanabitur, Sanabitur. Rogantibus autem illis ut vicibus adhuc aliquot redire vellet ad eumdem signandum : Nihil opus est, inquit, ut huc redeam : sanabitur enim : et parvo abinde tempore puer utriusque oculi visum recepit, et vidit optime.

XIX. Soror Felix Tertiaria in latere patiebatur abscessum valde grandem, et perquam molestum. Accedens vero ad ejus domum Fr. Felix, rogatusque super eam formare signum Crucis, respondit : Ego sum Fr. Felix, Bo, bo : assai dico, e poco fo. Importunitati nihilominus deprecantium cedens signavit eam, eique dixit, Fide in Deo, quia nihil erit. B Mox autem cœpit habere melius, sanataque fuit absque ullo alio remedio.

CAPUT X.

Miracula post mortem B. Felicis Romæ facta.

Atque hæc cognita sunt de iis, quæ in vita Felicis, per ejus merita operatus est Deus : post mortem sequentia contigerunt.

Liberatur dæmoniaca.

I. Annis duodecim a maligno spiritu insessa fuerat D. Joanna, quæ ad Tabernas obscuras habitat : cui cum aliquid de habitu Fr. Felicis datum esset, illud supra se habuit. Spiritus autem immundi cœperunt magnum strepitum facere dicentes, Flocci isti, et Fratres isti non expellent me : idque per diem et noctem iterarunt sæpius; et ipsa tantum alleviatam se sensit, ut sibi videretur esse libera : quia cum antea nec bibere nec comedere posset, quin statim post vomitaret; nocte autem media multum clamaret et parum dormiret; nihil tale passa est amplius, et mansit quieta.

Sanatur, quartana,

II. Octavum jam mensem quartanam patiebatur filia D. Lucretiæ Longæ, habitantis in platea Peregrini : sed cum ei impositum esset aliquid de ha- C bitu Fr. Felicis, sanata est. Et quidam ejus vicinus, qui habebat particulam ejusdem habitus, rogatus a quodam febriente donare illam noluit, sed commodare dumtaxat. Commodatum autem supra se habens æger, cito a febri liberatus fuit.

dolor capitis et stomachi,

III. D. Lucretia Galante, dolore capitis et stomachi affecta, ab uno et altero malo liberata fuit, imponendo sibi particulam ex habitu Fr. Felicis; et ejusdem usu sanata est filia similiter ægra viso effectu quem habuerat in matre, eademque particula devote postulata.

letalis infirmitas,

IV. Mulier quædam ad medicorum desperationem infirma (sicut retulit librarius habitans e regione domus Minianellorum) cum devotione petiit aliquid ex dicto habitu Fr. Felicis : quod cum a quodam suo fratre accepisset, et filios suos orare fecisset, particulam minutim conscidit, vinoque modico infusam exhausit atque convaluit.

apostema in aure,

V. D. Joannes Baptista, filius D. Mutii Matthæi, annorum septem, patiebatur in aure, quæ multum fœtentis puris mittebat foras, sic ut ei vix quisquam posset appropinquare. Adhibita erant remedia multa, sed nihil profuerant. Ergo avia ejus D. Lucretia, pauxillum de habitu Fr. Felicis magna cum devotione auri infirmæ applicuit : desiitque pus fluere, D et sanatus puer cœpit clamare sæpius, Miraculum, miraculum.

angina,

VI. D. Victoria Aquilina ex quadam gutturis infirmitate nec manducare poterat, nec glutire quidpiam : multis autem remediis adhibitis convertit se denique ad auxilium divinum implorandum per merita Fr. Felicis. Tangens dein sibi gulam cum frustulo de habitu Fr. Felicis, subito sanata est cœpitque manducare. Paucis diebus antea enatum ei in facie fuerat durum quid instar ciceris, quod cum indies cresceret, metuebat ne grandem aliquam deformitatem adferret vultui : itaque etiam ipsi dictam particulam admovit, quod et evanuit nullo vestigio remanente.

struma,

et pestilens febris :

VII. D. Sextilia de Ibardis pestilenti febre cum peticciis laborabat, et dicebant medici, quod humanitus evadere mortem non posset. Verum jam jam moriturae impositum est aliquid ex sæpe dicto habitu Fr. Felicis, et miraculose convaluit.

VIII. Angina laborabat Domina quædam Zagaroli, et periclitabatur de vita : applicitum gutturi ejus devote fuit frustillum ex habitu, et sanata est.

Liberatur parturiens,

IX. Uxor Mag. Flaminii Bassari, solita erat in E suis puerperiis immaniter cruciari per duos tresve dies; iisdem vero doloribus ei recurrentibus post mortem Fr. Felicis, maritus ejus, qui habebat sudarium unum Fr. Felicis cum parte cordæ ejus et frustillum ex habitu, cum sudarium imposuisset capiti, cordam corpori circumduxisset, habitum appendisset collo parturientis, intra spatium quo bis Miserere recitaretur, præter morem expedite et feliciter peperit.

curatur fluxus sanguinis e naribus,

X. Maria, nutrix D. Victoriæ de Maximis, cum graviter infirmaretur passa est insuper sanguinis fluxum copiosum de naribus : quem cum sistere multis remediis adhibitis nequirent medici, jusserunt ei obturari nares. Sed hac præclusa via, per inferiores partes corporis tanta copia idem sanguis manare cœpit, ut de ejus vita desperaretur, jamque jaceret cum candela in manu. Compassione ergo mota ipsius patrona D. Victoria, misit eidem filamenta tria ex habitu Fr. Felicis decerpta : quæ cum in potu sumpsisset ægra, stetit sanguis, et ipsa subito consanata numquam amplius male habuit.

et hernia,

XI. Dominicus Coderoni, filius D. Hieronymæ Pignatelli Romanæ, annorum sedecim, herniam patiebatur grandem, quæ ei instar globi ventosi procidebat : idque jam multis annis magna cum mole- F stia duraverat. Hinc multum afflictus, audita fama miraculorum Fr. Felicis, cœpit una noctium magna cum devotione ipsum rogare ut sibi sanitatem impetraret a Domino, voto addito de visitando tertio ejus corpore in sua ecclesia nudis pedibus : quod votum cum adimplere cœpisset, secunda qua illuc se contulit vice sanatum se sensit, et herniæ vinculum in ecclesia dimisit.

muto vox datur,

XII. Puer quidam ab annis sedecim mutus natus, nomine Franciscus, Romæ ante ecclesiam Pacis communiter stabat, eleemosynam postulans : in illo autem concursu populi qui ad demortui corpus videndum affluxit, vetula quædam Senensis nomine Porcia, curam pueri ex caritate gerens, quæ morabatur in ædibus D. Alphonsi Davila, cum accepisset aliquid ex habitu Fr. Felicis, magna cum fide pueri os faciemque illo perfricuit; qui cœpit, eadem hora per merita Fr. Felicis clarissime loqui.

juvatur veneficium passa,

XIII. D. Julia Renaldi, uxor Mag. Joannis Baptistæ sartoris, ad Rotundam habitantis, valde afflicta a malignis spiritibus, cum nocte quadam plus solito vexaretur somniavit se videre mulierem nentem interrogantemque qua de causa tantopere affligeretur : et illa respondit quod in latere sinistro abscessum patiebatur et magnum dolorem in genu, ideoque nec quiescere

A quiescere posset nec dormire. Alia autem visa est ei dixisse, quod maleficium esset, et addere : Tu quidem te sanatam credis, sed non est ita. Verum vade ad Fr. Felicem, et sanaberis. Cum autem interrogaret eam energumena, utrum ipsa esset lotrix; esse se respondit atque subjunxit, Vade, vade, quia sanaberis. Mane facto retulit visa marito suo, qui ad Cappucinos abiit, petiitque particulam ex habitu Fr. Felicis, eaque obtenta domum regressus, invenit uxorem recitando Officio occupatam : et subito cœperunt spiritus contra ingredientem clamare, Quid portas? quid portas? vestem istius traditoris Fr. Felicis? Cumque mulier Officii librum projecisset in terram, accedens maritus, particulam istam sinui ejus immisit ad pectus : statimque cecidit velut mortua, cœpitque per os ejicere quatuor aut quinque globulos et alia veneficia multa. Accersitus est ergo Fr. Matthæus a Trinitate Exorcista : qui cum inter adjurationes sæpe adhiberet has voces, Egredimini ad gloriam Fr. Felicis, ejiciebat energumena variam ex ore materiam, et inflatum est ei vehementer guttur : et ex ea hora bene illi fuit, omnibus diabolicæ possessionis signis cessantibus. Exorcista vero tes- B tatur, quod cum adjurationes pronuntiaret, et habitum Fr. Felicis energumenæ admoveret, dæmones manifestum signum discessus sui dederint.

et a dæmone liberatur,

xiv. Cum in rheda per urbem veheretur D. Clelia della Valle, eversa est rheda, et mulier quædam pariter vehentium præ timore manum extendens, digitum infeliciter impegit in oculum cujusdam domesticæ famulæ nomine Antoninæ, unde multis diebus graviter doluit, timuitque oculum ipsum amisisse. Tandem recordata miraculorum, quæ Deus operabatur per habitum Fr. Felicis, parum ex eo nacta admovit oculo suo, quinies Pater et Ave recitans : et cessavit dolor, ipsaque convaluit.

sanatur læsus oculus,

xv. Die Mercurii, immediate secuto mortem Fr. Felicis, cum fratres duo domestici ivissent ut aquam haurirent ad pannos lavandos, invenerunt corruptam trochleam, ita ut non facile reparabilis esset. Horum unus Fr. Urbanus a Prato, is qui præsens aderat quando Fr. Felix Deiparam conspexit, conversus ad Dominum, dixit, Domine, obsecro per merita Fr. Felicis, fac mihi gratiam ut possim ad usus Fratrum aquam haurire. Et hac oratione facta redivit ad puteum, cum eodemque instrumento, sic ut erat corrupto, et tunc et aliquamdiu postea aquam hausit.

trochlea fracta reparatur :

C xvi. Fr. Constantinus Anglus, Sacerdos Cappucinus, undecim mensibus febri detentus, quæ primo in tertianam, deinde in quartanam, denique in quotidianam transierat; unde debilitatus plurimum fatigatusque, cum multa audiret de mirabilibus operibus Fr. Felicis, ad ejus sepulturam accessit, quamvis præ nimia dibilitate ægre posset descendere per scalas, quibus itur ad cœmeterium Fratrum. Ibique quam longus erat instratus sepulcro, prono in terram vultu, magnaque cum devotione commendavit se Fr. Felici. Cumque ibi sic ad duo circiter Miserere mansisset, alleviatum se sentiens surrexit, et regrediens tam sine molestia ascendit scalas, quam si sanus semper fuisset, nec deinde febri laboravit.

sanatur febris.

CAPUT XI.

Miracula facta Neapoli, Proceni, et alibi.

Neque Romæ tantum miracula fecit Deus per merita hujus servi sui, sed etiam foris, in multis civitatibus oppidisque Italiæ, quo fama sanctitatis ejus cum particula habitus, vel aliqua rerum ejus pervenit. Horum nonnulla, legitime examinata et fide dignis testimoniis comprobata, hic adnumerabimus.

D

A. MATHIA SALODIEN EX MS. IT.

Sanantur letales variolæ,

i. In civitate Neapolitana D. Franciscus Janga, medicinæ Doctor, filium habebat Antonium circiter septennem, maligna et continua febre correptum, quæ ei causabat linguæ scabritiem, respirandique difficultatem; et nullum somnum eidem indulgens, habebat valde inquietum; nec omiserat pater, omni qua poterat suæ artis industria, mederi filio. Sed frustra se esse videns, nec ullam reliquam salutis spem, cum esset supra modum afflictus, a Fr. Gregorio a Neapoli Cappucino ad domum suam veniente accepit aliquid de habitu Fr. Felicis : quod post recitatum Pater et Ave posuit super infirmum, et subito dimisit eum febris, cessaruntque variolæ quibus laborabat.

continua rheumata,

ii. Idem D. Franciscus habebat filiam bimulam nomine Joannam, tempore eodem infirmam, ex continuis defluxionibus, ut fere mortua crederetur, distorto jam ore nihil sumere valens. Mater autem ejus, Prudentia dicta, viso quod in filio contigerat miraculo, fiduciam sumpsit similem gratiam impetrandi filiæ : itaque rogavit Fr. Gregorium ut eumdem habitum etiam imponeret infirmæ puellæ : quod cum factum esset, præmisso ut ante Pater et Ave, E defluxiones cessarunt et perfecte liberata infantula fuit.

epilepsia,

iii. Non multo post eadem D. Prudentia, gravi epilepsia correpta fuit, quod ei malum familiare erat, correptamque solebat tribus aut quatuor horis habere velut mortuam : denuo ergo sic patientem videns conjux suus, eamdem habitus prædicti particulam sumpsit, quæ jam duobus suis liberis salutem attulerat : dictoque pater et Ave ipsam ei super imposuit, et subito perfecteque sanam habuit.

convulsiones letales,

iv. In monasterio S. Ligorii Conversa erat, dicta Soror Petronilla, per duos vel tres annos gravem infirmitatem passa, quæ sibi incipiebat cum copiosissimo fluxu sanguinis per nares sic ut pene suffocaretur, proinde de vita sua actum esse credebat. Eadem infirmitas rediit ipsi mense Julio, circa festum S. Annæ, tam violente, ut loquelam auferens mutam tenuerit per quadraginta octo horas, nihil interim cibi capientem : quin et os ejus torquebat, sic ut continuo motu, qui clare cerni poterat, sursum versus aurem traheretur. Cum ergo extra humani remedii spem sic morientem cernerent Monachæ, magna cum fide acceperunt particulam habitus Fr. Felicis, dictoque Pater et Ave tetigerunt utrimque os infirmæ : et subito atque adeo miraculose cessavit motus iste : osque distortum antea, in F locum suum rediit; ipsa vero ad se reversa loqui cœpit; et quæ aliis vicibus in se regrediens vix poterat colati aliquid sumere, tunc manducavit ut sana, qualis revera erat.

variolæ periculosæ visui,

v. Petrus Paulus, filius Mag. Bernardi de Bellis, quindecim mensium infans laborabat variolis, tanta copia erumpentibus maxime circa oculos, ut per triduum nequiverint aperiri; itaque inflati essent, ut licet convalesceret certo tamen crederetur remansurus cæcus, quamvis ipsa spes vitæ exigua admodum erat, vel nulla. Tali in statu cum esset, D. Julia Prisci avia ejus, sciens se habere aliquid de habitu Fr. Felicis atque de corrigia solearum ejus, ter Pater et Ave pronuntiavit, magnaque cum fide tetigit oculos infirmi : qui subito aperti sunt, et ipse caput de lecto sustulit, quod propter gravitatem morbi aliquamdiu facere non potuerat. Quamvis autem et mater et nutrix et aliæ personæ circumstarent, manu tamen soli aviæ innuebat, quasi acceptam ipsi referens sanitatem. Apertis oculis proruperunt variolæ, tantumque increverunt ut tumefactis genibus contraherentur crura, nec extendi possent, unde tota nocte sequenti planxit amare. Mane facto eadem d. Julia, sperans etiam genuum curationem,

sicut

A MATTHIA SALOHEN. EX MS. IT.

A sicut oculorum se obtenturam; eadem corrigia tetigit, et ter Pater atque Ave pronuntiavit: cum subito a planctu cessavit infans doloresque cessarunt, et ita in somnum lapsus ab infirmitate tam gravi convaluit.

debilitas stomachi infantilis,

XI. Adrianella filia D. Marchionis Castelli novi, propter gravissimam infirmitatem cum stomachi debilitate conjunctam, lac nullum poterat retinere; quantum autem sugeret, tantum mox rejiciebat inferne atque superne. Habebat illa inversos jam oculos, videbaturque in horas expiratura, nec spes ulla vitæ supererat; proinde magnus erat in domo luctus, quia omnes pro mortua eam habebant: sed mox atque applicita ei particula ex habitu Fr. Felicis, cœpit habere melius et lac retinere, itaque convaluit.

variolæ,

VII. D. Julius Pignatelli, mensium octo infantulus, filius D. Marchionis della Cuchiara, variolis laborabat quæ maximo in numero sibi eruperant, adeoque habebat male, ut actum de vita ejus putaretur. Admotum ei aliquid ex habitu Fr. Felicis est, cessantibusque variolis perfecte convaluit.

dolor capitis,

VIII. D. Franciscus d'Espucere anno MDLXXXVII B mense Octobris gravissims capitis dolore correptus, sic ut ipsum tenere erectum non posset, magna cum fide et devotione particulam dicti habitus ligavit ad occiput ubi dirissime torquebatur, recitans cum omnibus qui præsentes aderant Pater et Ave. Subito autem dissipatus dolor videbatur paulatim ad frontem procedere, indeque egressus omnino cessare. Sed cum ei aliquid remissioris doloris in altera parte remansisset, eodem Reliquiam prædictam attraxit: et subito inde quoque recepit se dolor versus frontem, sicut prior, ac prorsus liberum ipse se sensit.

febris letalis uni,

IX. Victoria filia Lucretiæ Adorniæ, trium circiter annorum, tam gravi correpta fuit febri, ut de vita ejus plurimum dubitarent medici, credebantque variolas ipsi erupturas: sed cum imposita ei esset particula habitus, atque per totum corpus ducta, paulo post requievit infirma; verum ita refrixit ut mortuam esse omnes dicerent, et jam per familiam lamenta increscerent. Sed reversus medicus sanam reperit, jussitque de lecto tolli, et exinde tam valens apparuit ac si numquam infirma fuisset.

alterique,

X. Margarita, filia D. Isabellæ Ricciæ, graviter infirmabatur pestilenti febre, quæ caput occupans extra usum sensuum eam posuerat, neque poterat C levare caput aut manducare vel bibere, quapropter medicus de vita desperabat. Cum posito super eam pauxillo de habitu Fr. Felicis, cœpit aliquanto levius habere ex capite atque a febri: mane autem sequenti, cum magna vis sanguinis ei fluxisset per nares, inventa est omnino libera a febri et dolore capitis, exindeque convaluit absque alio remedio ullo.

dolor capitis,

XI. Prædicta D. Isabella habebat et filiam alteram, nomine Antoniam, cui cum postea advenisset dolor capitis tam vehemens ut clamaret et ejularet vehementer; ipsa quæ jam miraculum in altera filiarum experta fuerat, eamdem particulam dictæ vestis sumpsit, atque cum fide et devotione huic quoque infirmæ filiæ applicuit, contracto prius capite ejus, unde mox omnis dolor recessit.

iterum variolæ.

XII. Catharinella, filia Mag-Antonii Cioffi, tam male habita a variolis, ut totis undecim diebus haberet clausos oculos, dicto malo graves, extra spem vitæ posita erat, quando acceptam devote particulam habitus Fr. Felicis oculis ejus admoverunt sui: quo facto, statim aperire oculos et melius habere cœpit, integreque convaluit.

XIII. Don Petrus de Sovera, filius D. Victoriæ Adorniæ, cum gravi febre æstuaret, credebatur D erupturis mox variolis opplendus: sed mater similem particulam oculis atque ori filii applicuit, deinde ei ex collo suspendit: paulo antem post tanta in copia variolæ eruperunt, ut salvari infirmum pro impossibili haberet medicus: sed cum ad os oculosque qua contactus sacro habitu fuerat nullæ emergerent, raræ etiam ad collum, facile denique ab infirmitate ista evasit incolumis.

Juvatur parturiens,

XIV. D. Corneliæ Pignatellæ, Ducissæ S. Agathæ, inter dolores partus supervenit defluxio cum tremore brachii et cruris dexteri adeo vehementi, ut obstetrices non possent eam sic tenere qui concuteretur: et quia interruptus sentiebatur pulsus: de vita eam periclitare dicebant medicis. Conversa tamen ad divinum auxilium implorandum, fecit sibi a D. Ducissa Turris-majoris adferri cordam Fr. Felicis, quam dicta Domina ab ipso habuerat cum Romæ degeret, cumque eam brachio trementi alligasset, cessavit ejus tremor, similiter et cruris. Nocte autem sequenti idem tremor alterum crus invasit, eademque corda super ipsum posita similiter conquievit, ac paulo post citra dolorem peperit, adeo ut diceret quod vix animadverterit se parere, cum alias solita fuerit tantos sentire dolores ut moritura videretur. E

curatur angina,

XV. Mag. Joannes Antonius, Mag. Judicis de Neapoli, duobus continuis annis passus fuerat malum in gutture quod ipsum quodammodo utrimque clauserat cum periculo suffocationis, quavis hora ex medicorum judicio imminentis: neque per multa quæ adhibuerat remedia ab ista infirmitate liberari potuerat. Cum autem intellexisset miracula Fr. Felicis, viva fide excitatus accepit unam ex illis cruculis, quales Dei servus conficere solebat, atque ex una parte gutturis posuit: quæ subito melius habere incipiens, sanata est: posuit deinde ad alteram partem, eodem cum successu, atque ita plenam a diuturno malo obtinuit libertatem.

92 Istæc miracula Neapoli facta, examinata ibidem, et authentice fuerunt approbata a Reverendiss. Vicario Generali Illustriss. Archiepiscopi civitatis istius, sicuti apparet ex Processu, unde etiam habentur sequentia facta Proceni, oppido D. Pauli Sforzæ.

epilepsia,

I. Ambrosius, filius D. Juliæ, annorum circiter trium, epileptico morbo dejici cœperat a mensibus octo, cadebatque magna cum consternatione suorum die ac noctu. Nesciens autem mater quid consilii capere, consanguinei quid dare, pariter omnes conversi F sunt ad implorandum auxilium divinum: et intelligentes quanta miracula Romæ patrarentur per merita Fr. Felicis, scientesque Mag. Silvestrum Brancodium Plebanum Procenenensem habere particulam ejus panni, quem Fr. Felix tenebat affixum portæ suæ cellæ ex eaque cingulum fecerat, ipsum ab eo petierunt impetraruntque: et mater dicto quinies Pater et Ave super nudam infirmi carnem magna cum fide ipsum adstrinxit: subitoque cessavit malum, adeo ut per quinque continuos dies et noctes tres numquam ceciderit puer. Cumque dictus Plebanus sæpius repetitum cingulum tandem recepisset; cœpit iterum puer cadere, licet non tam sæpe: quare iterum illud mater sibi concedi ad modicum tempus petiit et impetravit, rursumque filio suo circumdedit, uti prius, malumque cessavit.

variolæ,

II. Lactantius, filius D. Proserpinæ Paizzi, triennis puer, Septembri mense graviter ægrotavit ex variolis, quæ totum ejus corpus operuerant, præsertim oculos, sic ut nihil videret, itaque mansit diebus decem; insuper vero alia quadam infirmitate cruciabatur, quam Fantillas nominant, unde de ejus vita valde dubitabatur. Accersitus ergo est prænominatus Plebanus ut Evangelium super recitaret: qui

A qui suasit matri ut filium Fr. Felici commendaret, cum voto argentei capitis Romam ad ejus sepulcrum mittendi: quo facto puer aperuit oculos, cessarunt fantillæ, et variolæ sanatæ sunt.

nephritis, III. Haud multo post ipsa D. Proserpina nephriticis cruciari doloribus; cumque nec sedere neque jacere, neque requiescere posset diu noctuque; visitans eam idem Plebanus, cingulum suum attulit ex panno Fr. Felicis factum, eoque ipsam cinxit, et sanavit a doloribus istis.

dolor stomachi, IV. Lucas filius Cæciliæ de Stipe, annorum quinque, maximo torquebatur dolore stomachi, ejulabatque die et nocte numquam quiescens: sed imposita ei est Corona precatoria, cui granum unum ex Corona Fr. Felicis insertum erat; dictoque Pater et Ave convaluit infirmus, nec amplius istum dolorem sensit.

alius totius corporis, V. D. Lavinia, uxor Richardi, mense Januario anni MDLXXXVII correptus fuit per totum corpus doloribus quibusdam tam vehementibus, ut nulla ratione ipsa se juvare posset. Multa ei medicus applicavit remedia, et fecit etiam maxima cum cautela bibere aquam ligni...... sed absque fructu. Ergo B mense Augusto ejusdem anni cum valde gravaretur, nec ullam quietem caperet diu noctuve, magna cum fide misit quæsitum prædictum cingulum; seque ad nudam carnem eo cingi fecit, et subito cessaverunt dolores: quare in testimonium gratitudinis fieri curavit imaginem argenteam, et Romam misit ad sepulcrum Fr. Felicis.

pestilentes pustulæ, VI. Codra, filia Josephi Gecerretri, mense Augusto anni MDLXXXVII pestilentibus pustulis aggravata jacebat, desperante de vita illius medico, ideo etiam magis quia ad febrem ardentem fantillæ accesserunt loquelamque sustulerant. Hoc in articulo D. Faustina ejus mater ad divinum auxilium implorandum se convertit, misitque petitum idem cingulum a Plebano: quo cum nudam infirmæ carnem cinxisset, cessarunt fantillæ, febris et pustulæ, brevique spatio rediit perfecta valetudo.

dolor renum et capitis, VII. Cassandra Zuccone, predictæ Codræ matertera, eodem quo sua neptis sanata est tempore, correpta fuit gravissimis capitis ac renum doloribus, quibus quies ei omnis diu noctuque auferebatur. Viso autem miraculo quod in sua nepte patratum fuerat, confidere cœpit, posse etiam se consequi sanitatem per merita Fr. Felicis. Accipiens ergo prædictum cingulum, post recitatum quinies Pater et C Ave, ipsum primo circumdedit capiti, deinde renibus, statimque et eodem tempore ab utroque malo liberatam se sensit.

angina, 93 Gallicanum diœcesis Palestrinensis castellum est, ibi D. Portia indidem oriunda valde laborabat angina guttur præcludente, sic ut nec loqui posset, nec fere respirare, unde præsens mortis periculum adesse ei videbatur. Quod videns D. Salvaggia Sordi, seque sciens habere pauxillum ex habitu Fr. Felicis, ipsum accepit monstravitque infirmæ, dicens; D. Portia, osculare hunc habitum, qui est Fr. Felicis Cappucini, teque ei commenda: quod faciens illa subito loqui cœpit, quasi nullum incommodum pateretur, nec multo post surrexit sana ac libera a malo, cum grando stupore et admiratione omnium præsentium.

moribunda puella. 94 Mutinæ in Lombardia, anno MDLXXXVII mense Junio, ad mortem ex gravissima febri tendebat Barbara, quadrima puella, filia D. Nicolai Sudenti quintum jam diem, et ultimo triduo sic invaluerat malum ut in horas expiratura crederetur: quia tota nocte et bona diei parte absque loquela manserat et nihil valebat introsumere: ideoque dolentes pater ac mater, quibus unigenita erat, animæ exitum præstolabantur. Interim ad visitandam infirmam venerunt Fr. Thomas et Fr. Pacificus Cappucini, matremque solati dixerunt, ut confideret filiam suam esse sanandam meritis Fr. Felicis, dederuntque nonnihil ex veste ejus collo infirmæ appendendum. Quo facto, post dictum quinies Pater et Ave, subito puella ad se rediit, conversaque ad matrem dixit; Mater mea non amplius ægroto, da mihi vestes meas, quia sanata sum. Vestitaque cibum petiit; et quamvis haberet speciem semimortuæ, propter magnitudinem morbi, cœpit tamen ambulare et mansit perfecte sana. D A. MATRIA SALODIEN. EX MS. IT.

SUPPLEMENTUM

Ex Italico Fr. Jo. Baptistæ Perusini Cappucini.

CAPUT I.

Vita Felicis in seculo, ingressus in Religione.

Ad radices Apennini, in confiniis Sabinæ et Umbriæ, ad caput parvæ vallis ad Campum Reatinum spectantis, supra amœnum atque frugiferum collem, situm est Cantalicium castellum, felix patria B. Felicis, anno MDXV nati. Parentibus liberi quinque fuerunt, quos inter B. Felix tertio loco natus. Primogenitus nomine Blasius filiolam genuit, ex aviæ nomine dictam etiam Sanctam: cujus adhuc infantis morti præsens avus Sanctus dixit: Mortua es, Sanctula mea? vade cum Dei benedictione ac mea, meque expecta: sabbato veniam et revisam te. Integra etiamnum sanitate fruebatur cum ea dicebat bonus senex, nihilominus paulo post febri correptus, ipso præcise sabbato vitam finivit. Est etiam notatu dignum, quod inter continuas rixas atque dissensiones, quibus Cantaliciensis plebs jactata semper fuit, nunquam ex ea familia quispiam, cui Porrorum cognomen erat, accusatus aut lite appetitus fuit. *Cantalicii natus an. 1515.* E *ex patre Sancto sancte mortuo :*

2 Ab istis tam piis ac devotis parentibus in Dei timore et Christiana pietate educatus Felix, a Patre luminum tanta rerum spiritualium cognitione auctus est, ut amore virtutis morumque modestia admirabilem cunctis faceret expectationem sui, dicere solitis, Pater Sanctez, mater Sancta dicitur, et hic etiam Sanctus erit. Quia autem instar alterius Bernardini omnem turpitudinem detestabatur quam qui maxime, venientem conspicantes pueri alii dicebant ad invicem; ecce Felicem, ecce Sanctum. Addictus a parentibus gregum armentorumque custodiæ, non habebat ille quidem tempus frequentandi ecclesias, aut domi residendi: vivam tamen fidem et devotum affectum in pectore circumferens, reducebat se identidem intra fossam vel cavernam aliquam: ibique in genua flexus, junctis ante pectus manibus, et oculis in cœlum sublatis, ardenti cum devotione Orationem Dominicam ac salutationem Angelicam recitabat. Noctu vero in campis, ad boum custodiam agens cum pastorculis aliis, expectabat donec indormissent; et tunc quiete consurgens, procul ab iis recedebat ad radicem cujusdam quercus, cui Crucem insculpserat; ibique perfusus lacrymis meditabatur et lamentabatur amaram passionem dilecti Domini sui. Nec his contentus, etiam manum implicabat flagello, ex funiculis ad id præparato; nudumque cingulo tenus corpusculum verberabat, Corona precatoria interim collo injecta, in memoriam funium ac spineæ coronæ, quibus dulcissimum Christi caput vinctum fuit. *sancte adolescit* F *In pastorali opere orationi studet,* *et pœnitentiæ.*

3 Neque dimittens patriam, dimisit pia istæc exercitia: dimisit autem eam ætatis suæ anno duodecimo, missus a patre in Civitatem Ducalem, ubi Marco Tullio Pichi vel Picharelli, nobili et hono-

A rato civi, fidelem constantemque servitutem servivit, quamdiu deinceps in seculo vixit; primum in opere pastoritio, deinde in colendis agris, hostis omnis otiositatis, mendacii, ac murmurationis; parcus verborum, nec nisi de rebus necessariis loquens; mitis et placidus erga omnes, etiam qui sibi molesti essent, nec quidquam asperius unquam respondere auditus, sed cum suavi risu dicere, Vade, ita Sanctus evadas. In victu sobrius sedulusque observator fuit ecclesiasticorum jejuniorum, etiam inter maximos labores; nec ante vesperam sumebat cibum, præmissa semper oratione de genibus. Erga sanctissimum Sacramentum et memoriam Passionis in Missa repræsentatam, dignus fuit habitus pro quo, dum ille suæ satisfaciebat devotioni in ecclesia, sæpe videretur in campis alius boves observare, istic locorum ignotus, quemque bonum aliquem Angelum esse plurium opinio erat.

EX IT. J. B. PERUS. Agris colendis applicatus, sancte vivit.

4 Inter reliquas Felicis virtutes bonasque inclinationes una erat, qua ferebatur ad audiendas piorum librorum lectiones, præsertim diebus ab opere feriatis: cumque in Vitas Patrum incidisset, cœpit de eorum instituto sequendo cogitare, atque ad ere- B miticam solitudinem respicere: sed periculosum esse id vitæ genus considerans et illusionibus diabolicis obnoxium, animum vertit ad Religionem Cappucinorum, in qua sub obedientiæ jugo vivere posset, in majori austeritate, recollectione, et contemplatione quam alibi. Differebat nihilominus, ex causis (ut ipsi videbatur) justis, negotium ordiri: cum die quodam, rogatus a socio domare par juvencorum, aratro eos junxit; eodemque tempore supervenit Dominus ejus Marcus Tullius. Ad hujus aspectum animalia, colore forsitan nigræ vestis consternata, usque adeo inhorruerunt, ut habenis sua implicuerint cornua: a quibus ut sese expedirent calcitrantes et ferocientes, totumque jugum conturbantes, miserum Felicem in terram supinum straverunt, dum refrænare eos nititur; vomeremque trans medium corpus ejus traxerunt per ventrem, pectus, ac faciem. Non tamen quidquam eum læsit, quem fossurus totum videbatur, vomer; solas caligas thoracemque, et indusium laniavit. Tum vero in pedes erectus Felix, spectante et stupente Marco Tullio, clamare cœpit, Misericordia, misericordia: deinde in genua provolutus, actis Deo de vita sibi servata gratiis, votum fecit moram omnem abrumpendi et sequendi vocationem sibi inspiratam: ac mox famulatui suo renuntians, C Domino totique familiæ ob ejus discessum mœrenti valedixit.

Ingressum ad Cappucinos differens, sub ferocientibus bobus incurrit grave periculum vitæ: a quo miraculose liberatus,

5 Tunc ad Conventum Cappucinorum accedens, ita quidem Guardiano locutus est, ut is facile agnosceret divinitus inspiratum adesse; probare tamen eum ex more volens, contemptim rejecit, verbis asperioribus exprobrans, quod defectu panis in seculo necessarii ludificare tentabat Deum, qui non irridetur; et forte sperabat sic Fratribus imperare ut bobus: itaque suas cogitationes alio verteret. Ad quæ Felix illacrymans, Testis mihi, inquit, est Deus, in cujus conspectu stamus, Pater, eo tantum venisse me ut Deo melius serviam, cui me totum consecravi. Quibus verbis animique constantia multum ædificatus Guardianus, Felicem cum litteris ad Provincialem direxit; hic vero recepit eum ad humilem et caritativum ordinem Laicorum, anno MDXLIII, ætatis suæ XXVII: et Anticolim ad tirocinium misit, locum montosum et silvestrem, atque ejusmodi exercitationi valde idoneum. Ibi sacrum Seraphici Patris habitum magna cum devotione suscepit Felix: et tanto fervore cœpit intendere carni suæ domandæ et appetitui sensibusque mortificandis, quos in ipso seculo haud parum castigatos habuerat, ut brevi integram de iis victoriam reportaverit: tamque familiarem sibi fecit usum orandi, ut actualiter id semper agere magistro suo videretur. Non sufficiebant ei consueta Religionis exercitia, jejuniaque et pœnitentiæ aliæ: sed accensus plura faciendi et patiendi desiderio, sæpe rogabat prostratus in terram ut alias aliasque superaddere sineretur, factus brevi ceteris omnibus exemplum. D

admitti petit et impetrat an 1543.

6 Romam deinde a Superioribus Ordinis missus est, jussusque vacare laborioso non minus quam humili officio quærendi ostiatim panis ac vini. Tam autem libenter portavit istud caritatis jugum, utcum aliquando esset apud Illustrissimum Cardinalem S. Severinæ, Ordinis Protectorem; et socius ejus fraterna caritate motus suggereret, rogandos esse Superiores ut dignarentur Felicem, annis gravem et orationis contemplationisque dono præditum; cura illa exonerare, idque Cardinalis vehementer probaret, et conversus ad Fr. Felicem quæreret quid ipsi videretur: Miles, inquit, sub armis mori, et asinus debet sub clitellis expirare. Nolo ut Illustrissima Dominatio Tua in hoc mihi faveat, ne propter favores terrenos amittam cœlestes. Porro circumeundo ad quæsturam, Coronam precatoriam semper habebat præ manibus, recollectus in Deum cum maximo silentio, ut vel solus ejus aspectus devotionem cieret intuentibus; et nihilominus gratus omnibus acceptusque esset. E

quæsturam exercet, nolens ab ea vel senex liberari.

CAPUT II.

Caritas et zelus, conversatio utilis, aliæque virtutes externæ.

Erga omnes, sed infirmos præsertim, eminebat Felicis caritas; hos domi, quoniam per diem non poterat conquirendis eleemosynis occupatus, visitabat noctu sigillatim, congrua unicuique solatia ac ministeria exhibens; foris vero vacua Dominicatum et festorum tempora impendebat secularibus, per domos privatas et hospitalia dispersis, tanto libentius quanto pauperior ac miserabilior erat qui visitabatur. Numquam ad eos accedebat absque munusculo, huic mellitum, alteri zaccaratum quid ferens, aut pomum, aut aliud pro ratione temporis: quod si æstus fervebat, refrigerium faciebat, citriis, limoniis, malogranatis exhibendis, ora rigando, vento flabellis ciendo; interim vero suggerebat monita cujusque statui congrua, de facienda Confessione, Viatico petendo, condonandis injuriis, firmando vitæ melioris proposito. Neque his contentus requirebat etiam personas et familias pauperes ac verecundas, quibus F cum suorum Superiorum licentia prospiciebat, magna cum solicitudine ambiens Prælatos, Equites, Nobiles, Mercatores, aut etiam opifices opulentiores, matronasque et pauperum procuratorem agens, quandoque etiam ad panem Conventus distribuendum se vertens, cum aliud medium pauperibus succurrendi non inveniret: qua sedulitate familias multas a peccatis præservavit, in quæ alioqui eas præcipitasset verecundia.

Infirmis magnu caritate succurrit;

8 Nec minor zelus ei quam caritas inerat ad Dei offensas atque animarum damna sistenda prævertendaque, magnis æque ac parvis dum iret per plateas domosque Romanas ingerens opportunam correctionem. Occurrens autem quandoque dissolutis adolescentulis et salutis suæ prorsus incuriis, solebat iis dulciter sed fortiter susurrare in aurem, O miser! quo vadis? nescin quod ad infernum? nescin te moriturum? Idemque faciebat omnibus notis suis, quibus forte occurrebat via suspecta gradientibus. Matronas nobiles aut benefactrices offendens, amori liberorum aut secularibus vanitatibus plusculum affixas, Stultulas nominabat, quæ pro terræ vilitate perdebant

vitia libere et efficaciter corripit:

A perdebant thesauros cœlestes. Erat autem efficacia ei magna in hoc genere : unde cum aliquando incidisset in aulicos quosdam Dominicæ-Felicis Ursini-Columnæ, quorum contentio a verbis ad minas versa manus jam inseruerat gladiis; eminus id intuitus Felix clamare cœpit, Deo gratias, fratres, Deo gratias, dicite omnes Deo gratias : quod illi audientes, præ summa qua ipsum prosequebantur reverentia dixerunt pariter, Deo gratias, senseruntque serenatos mox animos : ipse vero eos reprehensos non prius a se dimisit, quam mutuo invicem essent complexi.

festivis subinde dictis ad id utens.

9 Noverat etiam admonitiones condire festivis parœmiis dictisque amœnis. Sic aliquando volens Cardinalem Protectorem de re aliqua commonefacere, detulit ad eum epistolam sibi sub operculo Guardiani directam : ingressusque in palatium et admissus ad alloquium; Pater, inquit (nec enim alio titulo uti solebat) laudetur Jesus Christus, vide quantum honorer a Fratribus : unam epistolam totis annis triginta accepi : atque ecce nunc alteram, quam tibi fero. Tum considere jussus, quidquid in animo B habebat explicuit. Alias dum apud D. Bernardinum Biscia, advocatum insignem et hominem devotum, de rebus divinis loquebatur; ingressus quidam ex parte certorum Religiosorum, muneri offerens vitulum saginatum, Doctore epistolam legente immugiit vitulus; et Felix conversus ad hominem, Nosti, inquit, Bernardine, quid vitulus dicat? Orat ut velis in favorem donantis ferre sententiam. Verum vide quid agas, ne in hora judicii ejusmodi donationes recepisse damnationi tibi sit. Quo ille audito assurrexit, stricteque complexus Felicem, gratias pro monito salutari egit. Eadem prudentia condiebat responsa sua. Cum ergo Domina Felix Columna, maxima benefactrix Religionis ipsique devota, ab eo petiisset decadem crucularum ejus: isque illas adferens obviis easdem petentibus distribuisset, et vacuus ad Dominam prædictam veniret; illa excusationem non recipiens, Bellum, inquit, promittere et non præstare: cui Felix, Ast, Domina, quanta nos promittimus Deo et non præstamus?

S. Philippo Nerio familiaris,

10 Opinio sanctitatis quam opera Felicis inseverant cordibus populorum, non solum diffundebatur secunda hominum fama, sed velut in speculo relucebat in aliis ejus temporis Sanctis : quos inter fuerunt beatus Pater Philippus Nerius, hac nostra ætate canonizatus, P. Cacciaguerra, Persianus Rosa C Confessarius S. Philippi, Franciscus Marsupini, Franciscus, Hispanus, Petrus Spadarius, et P. Marcellinus celeberrimus ex Ordine Observantium ecclesiastes, qui cum fama sanctitatis transiit ab hoc mundo ex conventu Aræ celi, perpetuus prædicator Felicis. Ubicumque se invicem reperiebant S. Philippus et B. Felix amplexabantur se mutuo, velut peregre venientes. Fuit cum venientem Philippum per plateam Montis Quirinalis in comitatu quorumdam discipulorum suorum, conspicatus Felix, occurrere ei cum festinatione cœpit, ad eumque perveniens et provolutus ad pedes, manum ei deosculatus est : Philippus vero complexu arcto eum strinxit : atque in hunc modum aliquanto spatio immorati sunt complexui mutuo; deinde alio nullo verbo separati ab invicem sunt : ex quo utrimque intellectum est, corda Sanctorum etiam absque verbis sibi invicem loqui, sicut olim inter S. Ludovicum Regem et B. Ægidium accidit. Alias B. Felix ad S. Philippum visitandum accessit, atque ad pedes ei stratus benedictionem expetiit : econtra Sanctus prostratus etiam ipse in genua benedici sibi ab altero petiit. Cumque neuter cederet, invicem seamanter complexi surrexerunt, et silenter recesserunt ab invicem, attonitis ad talem aspectum circumstantibus.

certat cum eo mutuis humilitatis officiis,

EX ITAL. J. B. PER.

et desiderio multa patiendi,

11 Sæpe quando invicem occurrebant sibi, pari D ambo amore æstuantes gravissima quæque patiendi pro Christo, salutationis loco dicebat unus, Videam te combustum; et respondebat alter, Videam te sectum in partes quatuor : unus, Amputentur tibi manus; alter, Rescindatur tibi caput; unus, Rapteris frustatim per totam urbem, alter, Alligata ad collum machina jacteris in Tiberim. Vade, inquiebat Philippus, ut lapideris; Vade reponebat Felix, ut forcipibus lanieris. Quadam porro vice cum insimul loquerentur in vico trapezitarum (Bancos appellant) et S. Philippus expuisset, quæsivit ex eo Felix : an sitiret : et illo affirmante, lagenam de mantica traxit, Philippoque obtulit : qui nihil cunctatus eam ori admovit et cœpit bibere. Ad hoc spectaculum commotus populus clamare cœpit, Sanctus, sancto potum præbet : nihil tamen eo motus Philippus, bibit quantum opus fuit; eoque facto dixit Felici ; Volo et ego experiri, Frater, quam sis mortificatus; detractumque sibi galerum ejus capiti imposuit, sicque abire jussit. Tum Felix, Libenter, inquit, sed si ablatus mihi fuerit, tuum damnum esto; cœpitque ambulare, clamantibus post eum pueris, Fr. Felix galerum E gestat. Cumque ab officina monetaria quæ istic est, per plateam Peregrini sic processisset, galerum suum recepit Philippus in foro ad S. Laurentii in Damaso.

seque mortificandi.

Cum ejusdem sociis bacchinalia turbaturus,

12 Hæc eorum mutua caritas sicuti se monstrabat foris, sic etiam apparuit ardens domi inter utriusque Fratres. Unde cum aliquando in Feria quinta ultima ante Carnisprivium, totus mœstus in cella sederet Felix, propter ea quæ diebus istis contra Deum committebantur peccata; accessit ad eum Fr. Lupus Cappucinus, ardentissimi spiritus concionator, dixitque, Ah ! Fr. Felix, quin et nos bonum Carnisprivium agimus propter amorem Jesu Christi? Ecquid autem faciemus? obsecro, reposuit Felix. Vellem, inquit Pater, tali ratione procederemus ambo per plateam Cursus, ut Deo favente dissiparemus diabolicas istas turmas, quarum occasione tot viri feminæque Deum offendunt : retulitque conceptam animo inventionem divinam. Sed placuit nihil facere absque consilio Patrum Oratorii, quorum tunc Rector erat S. Philippus : illi autem non solum laudaverunt consilium, sed et ipsi comitari voluerunt. Ergo post longam orationem, ipsa hora qua densissimus populo Cursus est, ad spectacula bacchantium collectus, ingressi in stadium milites Christi sunt, hoc apparatu et ordine. Præcedebat unus F ex Oratorio Pater, vexillum Crucis alte sublatum efferens, stipantibus ejus latera duobus aliis ejusdem Congregationis Presbyteris, æque ac primus vestitis sacco facemque manu præferentibus. Post hos veniebat Fr. Felix, adstrictum fune P. Lupum trahens : processionem vero tremendam claudebant Fr. Marcus de Castello et Fr. Dionysius Francus, cum calvariis et ossibus mortuorum. Hoc ordine per confertam multitudinem transeuntes, nunc mœstum tenebant silentium, nunc propheticas exclamationes insonabant auribus, subsistebantque opportunis locis, et P. Lupus sumpta concionandi occasione invehebatur in crapulam, lasciviam, et dissolutionem ejus temporis. Hoc autem spectaculum, viva Crucifixi repræsentatione animatum, et opinione sanctitatis quæ vulgo de Fr. Felice et P. Lupo habebatur, sic commovit et exterruit populum, ut digrediens ex Cursu multitudo, arenam vacuam reliquerit victoribus nostris, per quos ibi Christus de mundo et dæmone triumphavit.

piam instituit processionem.

Obedientiam tenet

13 Obedientia Felicis promptissima simul et absolutissima erat, quia Superiorum nutus sic observabat, ut cavendum eis esset, ne vel joco aliquid imperarent, quod nollent statim videre executioni

mandatum

EX ITAL. J. B. PER.

A mandatum; cum ille nec modum imperantis nec intentionem discerneret, sed unice satageret obedire. Nihil autem magnæ aut parvæ rei absque Superiorum faciebat arbitrio. Hinc grandia illa quæ dixi caritatis opera, non nisi consentientibus illis fiebant, uti nec exercitia pœnitentiæ; cum extra communem usum, nec semel quidem jejunasset, orasset aut disciplinam fecisset, nisi præhabita licentia speciali. Successu tamen temporis, cum satis in virtute solidatum crederent Superiores, generalem ei potestatem fecerunt pro sua discretione tractandi corpus, sicut ei Dominus inspiraret. Sed etiam tunc paratissimus erat dimittere quidquid illi inhibebant. Unde cum esset assuetus tribus per hebdomadem diebus in pane et aqua jejunare, idque aliquando experiendi ejus causa Guardianus vetuisset, visus est diebus illis tam hilariter sumere quæ sibi apposita erant, ac si solitum jejunium tenuisset: quo animadverso suæ consuetudini redditus fuit.

in macerando corpore:

14 Paupertatis amator sub habitu numquam voluit tunicella uti quantumcumque frigus esset. Cum autem ex quadam urgentissima causa semel esset B Cantalicium patriam suam missus, quo alias numquam ire voluerat, curam superfluam de consanguineis juvandis, apostasiæ crimen in Religiosis appellare solitus; noluit ipsum castellum ingredi hospitii causa, sed ad quoddam suorum tugurium foris divertit. Ubi cum animadvertisset a fratria sibi paratum saccum novum cum bona stragula; etiam inde exivit, noctemque illam egit sub arbore. Cum autem jam seni recentioris panis quidpiam ex caritate proponebant ministri, noluit unquam admittere ullam in hoc genere specialem gratiam. Tanto patiendi desiderio tenebatur, ut cum postremis vitæ annis dolores colicos frequenter pateretur, nulla sibi permitteret applicari remedia nisi obedientia ad id cogente. Cum ergo prædictus medicus Gagliardelli eum in his positum aliquando interrogasset, Quid habes, Fr. Felix? quid habes? Subridens ait, Corpus hoc vellet esse absque cruciatu, seque dolori subducere; sed velit nolit necesse est ut patiatur. Replicante autem medico et quærente, cur non invocaret nomen Domini Jesu pro consequenda sanitate; Quid ais, inquit, Domine medice? Egon, dicam Jesu ut me sanet? Dico tibi, quod etsi hoc faciendo sanandum me scirem, numquam facerem. Si Deus hos dolores mihi immittit, quare non vis ut eos propter ipsius amorem libens sustineam? Tum cœpit C Deo gratias agere tam affectuose, ut medicum omnesque circumstantes in stuporem adduceret. Quin etiam optabat semper plura pati. Hinc cum incidisset aliquando in energumenum, cui sacri exorcismi adhibebantur, dixit dæmoni, relinqueret hominem istum liberum, et sui potius corporis possessionem iniens illud quantum et quomodo volebat torqueret.

horret quascumque delicias,

nec cupit a colicis doloribus liberari

CAPUT III.

Devotio Felicis animique demissio. Obitus prædictus.

Tenerrimo devotionis affectu ferebatur erga Deiparam Virginem: ejus Rosarium sive Coronam recitabat quotidie: ejus festa impensissime celebrabat: ejus laudes compositis a se cantiunculis brevibus concinebat. Sed felicissimum ejus partum honorare volens, incredibile dictu est quanta cum præparatione illum exspectaret. Non enim contentus toto Adventus tempore habere mysterium istud ante oculos mentis, ita satagebat, ac si tunc debuisset videre Romæ parturientem Virginem. Ibat modo ad hanc, modo ad illam matronam Romanam (quemadmodum etiam nunc recordatur D. Livia Capranica

Tenerrime afficitur erga Virginis partum,

Bonelli) interrogans quid præparaverant magnæ illi D Dominæ quæ paritura erat; verbisque amorem et jubilum mentis testantibus hortabatur ad singularem aliquem apparatum Reginæ cœli faciendum: atque ad excitandam devotionem componebat ipse in choro simplex sed devotum præsepium cum Infante, Virgine et Josepho, cum bove et asino, cum Angelis et pastoribus ac gregibus eorum; ante quod prostratus in genua orabat tanto cum fervore, ut totus in lacrymas solveretur.

16 Altera Felicis devotio ardentissima erat erga infantem Jesum, cujus dulcissimum nomen sicut inscriptum habebat cordi, sic indesinenter volvebat ore, nec eo pronuntiando quacumque occasione videbatur posse satiari: quare per plateas Romanas domosve transiens, quotquot inveniebat pueros puellasve ipsum jubebat repetere, Dicite inquiebat, dicite, Jesu, Jesu; dicite omnes, Jesu. Eosdem etiam jubebat iterare identidem Deo gratias, quasi non solus ipse sufficiens iis agendis, pro tot quot acceperat a divina benignitate muneribus, juvari in hoc cuperet ab integris puerorum turmis quos ad id invitabat, præsertim extremis vitæ suæ annis. Ergo E cum jam scirent pueri quam gratam ei rem facerent, statim atque eum vel eminus conspiciebant, incipiebant clamare, Deo gratias, Fr. Felix, Deo gratias. Et ipse alacri vultu, sed oculis lacrymabundis præ dulcedine interna, respondebat Deo gratias, filioli mei, Deo gratias: estote benedicti, Deo gratias. Idem faciebat cum occurrebat juvenibus Seminarii Romani; quapropter etiam illi, quando ipsum videbant, cum suis ductoribus Patribus Jesuitis subsistebant, et demonstrabant quam devote erga Dei servum afficerentur. Eo autem processerat teneritudo animi ejus hac in parte, ut Missæ serviens, atque ad ista verba perveniens, pronuntiare illa amplius non posset præ copia lacrymarum.

nomen Jesu,

et verbum Deo gratias.

17 Porro mente erat fere semper cogitabunda et elevata in Deum, tantumque sæpe abstracta a sensibus, ut nec videret nec cognosceret personas eorum quibuscum versabatur, unde cogebatur aliquando interrogare quinam essent. Cumque illi reponerent, Non cognoscis me, Fr. Felix? Sum talis aut talis; aiebat ille, Ah! novi, novi. Neque cum externis et secularibus tantum id ei accidebat, sed cum ipsis etiam sui Conventus Fratribus, adeo ut Sacerdotum aliquem vel Missæ celebrandæ causa, vel aliud ob negotium foras comitatus ex obedientia, domum re- F versus plerumque nesciebat, quicum ivisset. Quod tanto erat mirabilius, quanto frequentior ei ratione officii conversatio erat cum hominibus mundanis. Sed secretum istud uni sociorum aliquando aperuit; cum interrogatus, quomodo posset in tanta varietate incurrentium et occurrentium objectorum mentem sic fixam tenere in Deo; respondit omnes creaturas esse media nobis ad illum sublevandis, si ipsas bono oculo sciremus aspicere.

Mente fere semper a terrenis abstractus,

18 Curabat ut noctu esset in ecclesia solus. Sane non prius quam campum liberum habere se crederet incipiebat exercitia sua, præmissa plerumque aspera sui corporis flagellatione. Cui cum aliquando interesset Fr. Lupus, clam eo in ecclesia delitescens, et ille nullum videretur finem sui diverberandi facturus; non potuit alter se continere quin exclamaret, Sufficit, sufficit, sufficit, Fr. Felix, noli amplius. Tum Felix, Quis es tu? Sum, inquit, alter Fr. Lupus. Deus vero, respondit Felix, ignoscat tibi: vade dormitum, vade. Modum quem in istis orationibus nocturnis tenebat, subinde etiam observarunt ex insidiis alii, ac nominatim Fr. Franciscus Pistoriensis, etiamnum vivens, annorum octo et septuaginta senex. Sed singulare est quod vidit et narravit prædictus Fr. Lupus. Nocte quadam ibidem positus in contemplatione

noctu acriter se flagellat:

a Deipara filium amplectendum impetrat;

A contemplatione divinæ Incarnationis, tanto amoris æstu abreptus fuit, ut præceps cucurrerit ad majus altare, ibique cœperit ardentissimis precibus supplicare Dei matri, ut sibi ad modicum tempus commodaret dulcissimum filium suum : cui illa morem gerens mox apparuit, interque ejus brachia infantulum posuit. Ipse vero summa cum reverentia eum accipiens pectorique adstringens, non cessabat dulcibus osculis explere amorem, totus interim resolutus in lacrymas; tandemque humillima cum gratiarum actione ipsum restituit benignissimæ divinorum munerum dispensatrici.

ab omnibus passim habitus Sanctus,

19 Porro opinio, de sanctitate Felicis vulgo concepta dum adhuc viveret, venerabilem eum reddebat, non solum plebeis hominibus, sed etiam nobilibus ac titulatis, Sacerdotibus et Religiosis, Prælatis, Episcopis, Cardinalibus, ipsisque Pontificibus maximis. Res erat incredibilis auditu, visu stupenda, quomodo per Romanas plateas procedentem obvii Principes nudato capite salutarent, inclinarent sese eidem Prælati, ad manuum oscula occurrerent Presbyteri, rhedas sisterent Cardinales, salutem redderent ei Pontifices. Clamorem extollebant pueri, ad B portas accurrebant puellæ, per fenestras despiciebant matronæ, ex suis officinis progrediebantur opifices, beatum se reputabat quisquis eum alloqui vel salutare, quisquis contingere vel ab eo videri videreque eum merebatur. Quis autem explicare possit quanta cum lætitia excipiebatur in domus? quomodo satageret familia tota, quis prior occurreret, quis exciperet, quis habitum oscularetur aut manum, quis eleemosynam copiosiorem gratioremque porrigeret? quanta denique cum attentione devotioneque omnes loquenti auscultarent, et verba audita infigerent memoriæ?

Sacerdotum obviorum manus osculatur,

20 Ipse vero, ut erat humillimus, non patiebatur ut quis sibi manum oscularetur, renitens ut poterat eamque abscondens : quod si contingebat eum ire comitem alicui Sacerdoti, accurrentes ad se amandabat ad illum, dicens : Huic Patri socio meo manum osculamini, quia Sacerdos est. Presbyterorum autem sibi occurrentium manus contendebat cum omni demissione et devotione animi osculari. Unde cum aliquando duobus Patribus Jesuitis ad genua accidisset, illique pro sua consueta humilitate nollent manum osculandam præbere; Heu me! inquit, Patres, cur recursatis, cum sitis Sacerdotes Domini mei, et ego solum pauper Laicus? Si quis forte C orationibus ejus acceptam referens sanitatem aut aliud quodvis beneficium, gratias ei vellet agere; abrumpebat sermonem, aut dicebat, stultum esse credendo quod peccator infamissimus ipsum liberarit. Si eum laudabat in faciem aliquis, quasi injuria affectus discedebat dicens, Fœniculum : econtra contumeliis affectus adstabat hilaris, auscultabatque sereno vultu.

et laudem fugit.

Mortem suam prædicit,

21 Sic demissus in seipso, eoque propinquior Deo, finem laboriosæ peregrinationis imminere sibi divinitus didicit, ejusque prænotionis signa non pauca dedit familiarioribus quibusdam amicis. In his fuit Joannes Petrus Mangile, habitans in officina Mauri ad Turrim-sanguineam, cui violenta febri laboranti et a medicis deposito manum apprehendens, hilari vultu dixit : Macte animis, Joannes-Petre, sanaberis enim, et ego ante te moriar : quod et contigit. Similiter D. Lucretiæ Crescentiæ graviter ægræ dicentique, Actum est, Fr. Felix, ora pro me; Non, inquit ille, Non ita. Convalesces tu et aliquamdiu adhuc vives; ego vero volo ex hac vita ad paradisum abire. Et prorsus sic accidit : dum enim convalescebat adhuc D. Lucretia, Fr. Felix obiit. Magis mirabilis prophetia ejusdem obitus facta ab eo est amicissimo suo D. Alexandro Poggio, cum ei domi suæ reperto dixit, Volo a te D Alexander obsequium, quod tibi grave erit teque percellet. Illo nihilominus omnia pollicente, sæpius iteravit Felix, fore ut pœniteret promisisse; et tandem dixit, Volo unam ex tribus, quas hic habes, marmoreis pilis. Hoc audito, qui eos certum ad finem sibi comparaverat, restitit aliquantum, permisit tamen ut auferret quam vellet. Tum Felix : Numquid bene dixi, quod te pœniteret? Verumtamen patientiam habeto, quia eam pro me volo : pro me eam volo. Intelligis? Faciens autem ipsam, absque ulteriori verbo portari ad conventum, Fratres omnes admiratione complevit, necdum intelligentes quem in finem adduceretur petra, cujus necdum ibi ulla apparebat futura utilitas. Sed quando post mortem in ea deinde fuit Felicis corpus collocatum, apparuit revelatam ipsi fuisse gloriam honestioris in ea petra sepulturæ.

sibique ex eis lapideam petit et impetrat.

CAPUT IV.

Concursus ad sepulturam, beatificatio, miracula.

Impleta turbis ecclesia et conventu,

Dispersa per urbem mortis fama, commoti subito populi turba tam celeriter accurrit, ut ecclesia cum claustro, intra momentum temporis repleta fuerit. Quo viso cum alium arcendæ multitudinis modum non haberent Fratres, clausa ecclesia, portam etiam conventus clausam firmissime tenere decreverunt, sublato fune quo trahebatur campana. Sed turbæ, ipso impedimento sibi facto ferociores redditæ, quæsitis mox scalis ex omni parte transcenderunt muros, seque per eos dimittentes hortum et chorum et dormitorium occuparunt. Magis autem increvit tumultus, quando pulsanti ad ostium Cardinalium uni, ipsum aperiendum fuit; tunc enim per eamdem portam tanta inundavit multitudo, ut nullibi cuiquam pateret transitus. Angusta erat, ubi defunctus jacebat cella; nec in eam admitti cuncti poterant, nec ex ea efferri sacrum cadaver propter confertam turbam : itaque impossibile fuisset viam facere, nisi promissum plebi esset, omnium visibus sequenti die exponendum quod cupiebant. Hac ratione cum persuasum plerisque fuisset ut conventu excederent, eorum tamen plurimi tota nocte persisterunt in area ante ecclesiam, cupientes primi admitti ad desideratum spectaculum. Primo ergo mane diei tertiæ Pentecostes tantus factus est ad conventum accursus innumerabilis populi, ut creditum fuerit numquam majorem præteritis seculis extitisse, quem proinde fas esset divinioris cujusdam impulsus effectum existimare. Sub ejusdem diei vesperam, cum inferendum in ecclesiam esset corpus ad sepulturam in cœmeterio communi paratam, volentibus secundum consuetudinem egredi per portam monasterii Fratribus et circuire aream, tanta se opposuit multitudo ut transitus vix ullus daretur, multumque timeretur ne importunitas tangere ac videre cupientium funus detraheret de feretro, quamvis circumcirca per Guardiani providentiam bene custodito.

... elatum ad sepulturam corpus,

ad quod compressio in eius fit,

23 Tandem tamen, licet ægre, perventum in ecclesiam, et in ea collocatum est corpus; ad quod tanta mox undique facta compressio, ut excessus devotionis in irreverentiam transisse videretur, dum manibus, forficibus, cultellis rapere sibi quidpiam conantur singuli : et mutandus tertio fuerit defuncto corpori habitus, ne plane nudus appareret. Nec deerant qui pilos capitis ac barbæ vellerent, unguium segmenta carperent, ipsam etiam cutem delibarent; interim dum ecclesia personabat clamoribus energumenorum aut infirmorum, sanari aut liberari petentium, nec non eorum qui spatium sibi fieri petebant.

bant, aut præfocari se a comprimentibus querebantur. Sane nisi Guardianus mandasset corpus intra cancellos chori transferri, haud facile fuisset consultum vitæ imbecilliorum, turbæ obluctari non valentium : nec visum est miraculo carere, quod neque suffocati essent aliqui, neque corpus in illa translatione violatum. Mansit ibi illud usque ad primam horam noctis, nec tamen recedebat populus, quare portatum ipsum est ad sacellum quoddam interius juxta chorum. Cum autem etiam sic perstarent, qui erant in ecclesia, ac si loco fixi essent; rogabant Fratres, mandabant viri nobiles, quidam etiam vim aliquam adhibebant, ut facerent recedere turbam ; sed adeo nihil proficiebant, ut illa novis identidem accedentibus aucta sit magis.

læsus tamen nullus.

24 Sub quartam quintamve horam noctis, misit Cardinalis Protector, mandans Generali ne faceret corpus sepeliri, prius quam suæ Sanctitati fuisset de eo locutus : quod satis molestum ei accidit, decreverat enim ipsum inhumare ante diem, ne eadem quæ biduo præcedenti sustineret. Obediendum tamen fuit, sed posito in locum secretum corpore, spargi in populum mane fecit, sepultum esse. Verum non fuit adhibita fides dicentibus, sed magis magisque augebatur advenientium undique multitudo, ac si Urbs tota in montem Quirinalem migrare vellet : plenaque erant omnis sexus et conditionis hominibus, non solum ecclesia et monasterium, sed etiam arca plateæque in magna distantia ; et usque ad aream Sanctorum Apostolorum constipabatur turba, permixta curribus, rhedis, equisque. Denique Gubernator Urbis, præventurus damna, ex populi indiscreta confusione timenda, Satellitii Præfectum cum suis omnibus ministris illuc direxit. Volebat Cardinalis Protector ut corpus deponeretur in ecclesia, intra suum S. Bonaventuræ sacellum : Guardianus econtra, tenax propositi et antiquam simplicitatem servatam volens, evicit ut in communi Fratrum cœmeterio sepeliretur, inter vigesimam primam et secundam horam.

mandante Card Protectore

differtur in noctem sepultura :

25 Quemadmodum autem ex fonte Paradisi famosissima quatuor flumina, ita ex corpore B. Felicis totidem prodigia emanarunt. Primum quod ipsum in vita callosum, asperumque et fuscum, post mortem factum sit molle, tenerum atque album velut infantis atque per omnes articulos mobile. Alterum quod Illustrissimus Protector inspiratus fuerit, ut de communis sepulturæ loco extractum collocari jubere intra marmoream pilam, quam sibi ab Alexandro Poggio dari vivens petierat. Tertium quod liquor ex beato corpore scaturiens mirabilia multa operabatur. Quartum quod eosdem effectus habebat oleum lampadis ardentis ante sepulcrum. Et ob has rationes adoratum fuit, non solum a populis eis et transmontanis, virisque Principibus, sed etiam a summis Pontificibus. Ac primum quidem Sixtus V, die quodam ex monte Quirinali descendens, cum duodecim Cardinalibus et magno Prælatorum ac Procerum comitatu, venit ad ecclesiam nostram, salutatoque Venerabili Sacramento, ivit ad sacellum Crucifixi, ubi sepultus est Beatus : et ingressus illuc, genua flexit ante sepulcrum, versoque ad illud vultu oravit per tria vel quatuor Miserere. Gregorius XV, post Missæ sacrificium in nostra ecclesia celebratum, ad idem sacellum perrexit, ibique ad magnum Miserere oravit ante prædictum sepulcrum ; postea in digressu dixit P. Fr. Hieronymo Castelferreti, nostro Procuratori Generali, Multum obligamur B. Felici propter specialem gratiam per eum obtentam : ob quam etiam appendi ad sepulcrum jussit argenteum pulcherrimum anathema. Denique Urbanus VIII, cum et ipse ad nostram ecclesiam sacrificaturus venisset, positis humi genibus Dei servum in suo corpore est veneratus.

unde extractum collocatur in pila marmorea corpus,

C

ubi honoratur a tribus Pontificibus

D

Sixto V jubente formatur Processus:

26 Porro Papa Sixtus, quem dixi Quintus, qui B. Felicis habebat particularem notitiam, secundo post mortem illius die mandavit P. Guardiano Conventus Romani (erat is P. Fr. Sanctes Romanus) ut de vita et miraculis B. Felicis accuratam scriberet relationem, prout fecit adjutus a P. Fr. Anselmo de Monopoli, qui postea fuit prædicator fel. Record. Clementis Papæ VIII, ac deinde ab eodem ad Cardinalatum provectus. Ab his intra paucos dies absolutam Relationem, transmisit Pontifex Domino Vicesgerenti, mandavitque formari Processum authenticum, inquirendo ex officio; addens, seipsum habere octodecim miracula, de quibus erat paratus testari. Processu formato, videbatur ad Canonizationem processurus bonus Pontifex, certoque creditur eam peracturus fuisse, si Deus vitam concessisset. Post annos deinde aliquammultos cum sacra Rituum Congregatio declarasset in eo statu esse causam, ut tribus Rotæ Auditoribus committi posset examinanda ; Paulus Papa V per rescriptum speciale causam commisit D. Cardinali Sacrato, Rotæ Locum-tenenti, D. Coccino Decano, et D. Manzanedo.

E

et relatione facta Urbano VIII

27 Postremi duo postea, cum Domino Cavalierio Auditore in locum Cardinalis Sacrati subrogato, Relationem fecerunt coram Urbano VIII de sanctitate vitæ B. Felicis et miraculis, quorum numerus ad centum octoginta pervenerat, præter tot alia non relata in processibus, et quæ deinde secuta sunt plurima, sicut testantur anathemata tam picta quam ficta omnis generis ex argento et cera, nec non furcillæ alares vestesque funebres, et similia de morte spolia, appensa ad sepulcrum plura quam mille. Denique ad Principium Bavarorum ac Lotharingorum novam instantiam, per D. Octavium Picum Procuratorem Serenissimæ Principis Catharinæ Abbatissæ Montis-Romarici, et D. Nicolaum Carræum Agentem ejusdem principalem, ab Apostolica Sede remissa Relatio est ad DD. Cardinales Congregationi Rituum Præfectos. Cumque de Processuum validitate ad eumdem Pontificem retulisset Illustriss. D. Cardinalis Leni; concessit ipse Christi Vicarius facultatem celebrandi festi in nostris ecclesiis cum Missa et Officio. Ex supranotatis autem Processibus et Relationibus collegi hanc Vitam, de mandato adm. R. P. Fr. Joannis Mariæ Netini Generalis nostri : cui lubet unum alterumve miraculum pro coronide attexere.

declaratur Beatus.

F

Oleo lampadis curatur mulier toto corpore inflata,

28 Clarix Guarnieri Romana, malignis quibusdam humoribus pedes cum dolore instantibus sic impedita, ut nullatenus plantis suis posset insistere, sed biennio toto decumberet lecto ita extenuata, ut nec in hoc moveri nisi una cum lodice posset ; deferri se fecit ad corpus B. Felicis : ubi cum nostrorum aliquis Crucis signum super ipsam formasset, subito et perfecte convaluit, nullo pristinæ inflationis indicio remanente, atqua ita domum suam incommodo omni expedita revertit. Fr. Paulus Tiburtinus, arthritide sic impeditus, ut nec manus ori admovere, nec pedibus passum unum formare posset; cum doloribus per quadraginta dies toleratis impar, B. Felicem invocasset, audire sibi est visus vocem dicentis Vade ad sepulcrum meum. Cumque elevare se conaretur nec posset, dolorum autem vehementia cresceret denuo ardentius invocavit eumdem : qui maxima in claritate apparens, totumque cubiculum ejus illuminans, dixit, Facito inungi te oleo lampadis ad sepulcrum meum ardentis : quo facto abscessit dolor omnis, ipseque deinceps mansit ab infirmitate ista solutus.

item delatus ad sepulcrum arthriticus.

SUPPLEMENTUM

A

SUPPLEMENTUM II

Ex Annalibus FF. Cappucinorum Zachariæ Boverii.

CAPUT I.

Virtutes Felicis in seculo et Religione. Caritas erga ægros, miraculis illustrata.

Adhuc secularis peccatores redarguit

Toto eo temporis spatio quo Felix Marco Tullio operam dedit, tantum in omni virtutum genere profecit (quod ex ipsius vitæ Processu constat) ut cunctis humilitatis, patientiæ, modestiæ, mortificationis, honestatis, pietatis exempla præberet.... Si forte quempiam aut alienæ famæ detrahentem aut divinum Numen jurantem seu blasphemantem audiret, mox dure illum increpans his verbis ad pœnitentiam provocabat : Quid agis, paupercule? velox ad Confessionem festina, Deumque precare, ut gravem hanc tibi noxam dimittat. His cum sæpe etiam domesticos increpationibus exciperet, haud tamen

offendentibus ignoscit.

B propter viri simplicitatem et innocentiam ulli gravis videbatur. At si quando ille quidpiam ab alio molestum audiret, tam sibi imperabat, ut non turbatus aut ira percitus excandesceret, sed subridens hoc infestantem responso excipere soleret : Jam te magis, amice diligam, Deus te sanctum efficiat..... Interim a Deo ad Cappucinorum institutum vocatus, dum obedire differt, corripitur a Domino eo discrimine vitæ quod sub aratri vomere tulit : quo motus, cunctatione omni abjecta domum redit, cum hero Tullio de pacta mercede rationes confert : cumque id quod de mercedis pretio supererat egenis dispertiendum disposuisset ; percunctantibus domesticis, cur non germanis fratribus potius (tres habebat, Blasium, Carolum, et se juniorem Petrum-Mariam, sororemque Potentiam) quam pauperibus ceteris sua dispartienda reliquisset; respondit, quia consilium Domini est, cui mihi omnino acquiescendum.....

præteritis fratribus sua in pauperes erogat :

2 Annus salutis tunc millesimus supra quingentesimum quadragesimum tertium agebatur, in quo cum Bernardinus Astensis Romanum adhuc conventum moderaretur, primum Felicem, verbis simplicibus quidem sed Dei Spiritum redolentibus animi sui sensus explicantem audit, mox hominem

Receptus in Ordinem

C Evangelicum et Apostolicum agnoscit; eximiumque Dei servum futurum præsentiens, durioribus verbis ipsius constantiam experiri cœpit. Verum cum illum post acriorem repulsam, sæpius iteratam, solidiorem semper experiretur; benigne amplexatum Raphaeli Volaterrano, qui eo tempore Romanæ Provinciæ præerat, recipiendum offert... Raphael Anticolim, ubi tunc Religionis tirones probationis annum agebant, destinat... Hic cum probationis annum absolvisset, Tetrici tandem (qui vulgo Mons S. Joannis nuncupatur) in Religionis gremio confirmatur, atque inde Tiburim sub Michaelis Segusiani disciplina destinatur.....

fit eleemosynarum quæstor,

3 Quatuor post Religionis ingressum annis, cum jam illustrioris illius vitæ exempla Fratribus innotescerent, Romam evocatur, ut quotidianæ stipis mendicandæ munus exerceat. Hujusmodi officio tunc fungebatur Fr. Angelus a Colle discipuli, vir plane Angelicus : cui cum Felix socius adjunctus esset, eo non multo post morte sublato, ipse in illius locum sufficitur, atque integrum munus obeundum suscipit.... Habitus illi ex levidenso ac rudi panno, quo triremium captivi indui solent, fere perpetuus fuit.... cumque aliquando ab eo percunctatum fuisset, qua ratione a communi Fratrum panno

D

EX ANNAL. BOVERII

habitu utitur ceteris rudiori,

abstineret (qui cum melior esset, plures annos quam rudior ille ferre poterat) sapientissime respondit.... Si levidensus ac vilis pannus facile a me absque pretio (Superiore præsertim annuente) haberi potest, cur meliorem sub specioso diuturnitatis titulo mihi quærendum persuadem?... Stipem aliquando de more mendicabat, cum adolescentum, qui Romano in Collegio aluntur, turbæ ex insperato occurrens, eos de agendas solitas Deo gratias provocat : quando ex his quidam, Marinus nomine, clam a tergo accedens, argenteum nummum, quem Julium nuncupant, in ejus manticam, quam pane refertam gerebat, tam occulte immitit, ut neque accedentem animadvertere, neque nummi sonum percipere potuerit. At vix argentus ille in manticam decidit, cum Felix statim exclamat, Jesus! Jesus! Jesus! Coluber proculdubio in mantica est : proh! quale pondus! Cumque; in S. Eustachii ecclesiam, cui proximus erat, actutum se contulisset, mantica pane exhausta, argenteum Julium inde excutit atque inter publicæ viæ quisquilias projicit.....

pecuniam horret,

Castitate virgineus,

4 Joannes Baptista de Sanctis integerrimæ vitæ Sacerdos, qui Beato adhuc secularem vitam agenti familiarissimus fuit, utpote a pueritia socius, virginem illum absque dubitatione asserebat; atque ita E omnis impudicitiæ hostem... ut si quod minus honestum verbum ab alio prolatum audiret mox erubesceret, acriterque in illum verbis inveheretur.... Cœli volucres haud incongrue apud nos puritatis ac virginei candoris typum vendicant,........ quapropter cum aviculæ, quæ hominum quorumcumque conspectum effugere solent, divina virtute adeo familiares ei essent, ut frequenter in horto sedenti circumvolantes, aliæ capiti, aliæ humeris, aliæ brachiis, aliæ tandem gremio insiderent et cum ipso colluderent, certissimum animi puri argumentum præbebant. Cum aliquando vir Dei ad Mariæ Tidellinæ domum accedens, quo tempore familia in interiori area cœna accumbebat, impensius rogaretur ut non nihil cibi cum ea sumeret; vix is panis frustulum manibus sumit, atque in micas comminuit, cum ad eum protinus undique advolant aviculæ, et ex ipsius digitis panis micas rostello perstringunt.....

avibus utitur familiariter,

sensui nihil indulgens,

5 Haud parvi sanctus hic vir quantulamcumque sensus voluptatem, quæ in edendo præter abstinentiæ leges immiscere se solet, æstimandam sentiebat: quod suo aliquando exemplo comprobavit. Semel enim cum ex urbis mendicatione ante prandii horam cum socio domum rediisset : impensius ab eo rogari cœpit, ut ex petasone quem coctum detulerant, simul nonnihil degustaret. Recusabat Felix : socius vero prandii horam haud longe abesse affirmans, quæ tantillam pernæ comestionem ad se velut prandii initium attraheret, Felicem ad eam ardentius provocat. Annuit tandem vir Dei, socio magis quam voluptati indulgens ; buccellam ex petasone comedit : mox tantus stimulus animum pungit, ut illico ad socium conversus, Heu! Matthæe, inquit, quid egimus? Cumque Matthæus facti excusationem verbis persequi vellet, ipse celerius in cellam concedens, tot ibi pœnitentiæ lacrymis prosecutus est eam sensus voluptatem, acsi grave scelus perpetrasset.... Cum igitur ab his maxime abhorreret, quæ aut ventri patrocinantur, aut abstinentiæ leges in discrimen adducunt; a Superiore missus semel ut nobilis cujusdam Romani civis conviva esset, cum plura in mensa gulæ incitamenta animadvertit, quæ ad voluptatem magis quam vitæ necessitatem spectarent; mox animo angi, cancellare manus, lumina attollere, ac veluti qui inter spinas volutatur modo in hanc modo in illam partem se vertere, ac secum frequenter exclamare. O bone Deus! o beate Pater Francisce! ubi conscientia? ubi virtus? Quibus dum animum

plangit ob levem culpam,

angitur ad mensam lautius paratam

EX ANNAL. BOVER. i.

A animum magis quam corpus eduliis pasceret, illa convivii hora mille dierum spatio longior ei visa est : post quam domum rediens affirmabat, modica illa panis frusta, quibus in Fratrum mensa vescebatur, omnibus conviviorum deliciis sibi sapidiora esse.....

A prætergrediente equite eversus et læsus,

6 Singulare patientiæ exemplum dedit, cum per quemdam Romanæ urbis vicum, qui Vallis dicitur, lagenis onustus incederet; in trabes enim quasdam ex obliquo viam occupantes forte incidit : quas dum gravi illo pondere pressus supergredi nititur, eo ipso tempore vir quidam nobilis equo insidens, ferocientem ita cohibere non potuit, quin ferrata pedis ungula Felicis pedem immaniter proculcans, eum ad casum impulerit, lagenaque casu eo perfracta vinum effuderet. Hoc ex vulnere, cum sanguine undique profluente humi prolapsus jaceret, non modo nullam in animo perturbationem sensit, sed oculos ad equitem tollens, quod viam illi imprudens impedierit supplex veniam postulavit : nobilis vero ille superbo risu dicta excipiens, equum calcaribus, concitavit, longiusque abscessit. Post hæc vir Dei, B socii aliorumque ope exurgens, dum viam ad Conventum capit, ita secum loquebatur : Perge, asine mi, quid claudicas? cur gemis? quandoquidem tam piger ac desidiosus es, id profecto plagæ tibi debebatur. Summa, tibi, Deus meus, gratias ago, quod me pigrum ac ignavum animal his a te verberibus compellis. At vero non sine aliorum fructu hæc servi Dei patientia fuit : nobilis enim ille, cum adeo illustrem patientiam apud se altius perpendisset, tam acuto conscientiæ stimulo urgeri cœpit, ut postridie ad Felicem accesserit; ubi cum primum ejus præsentia potitus fuit, solutum e lumbis cingulum collo obvolvens, facti ab eo veniam genuflexus petiit, meliorem vitæ frugem pollicens. At vir Dei, qui hoc solum superbus erat quod neminem se humiliorem esse contenderet, nobilem excusans se solum accusabat. Porro inter has pœnitentiæ et humilitatis contentiones eam Felix palmam tulit, quod in recens contractæ amicitiæ signum hominem eo mane secum prandere coegerit.....

ignosci sibi petit,

sua culpa factum imputans

Infirmos visens in xenodochio,

7 Caritatis opera quæ pauperibus ægrotantibus Dei servus exhibere solebat, quam Deo grata et accepta essent miraculis declaratum fuit. Consueverat Felix Lateranensis Basilicæ frequentius xenodochium adire : in quo dum singulos infirmorum C lectos de more aliquando percurrit, ad ægrotum quemdam graviter languentem divertens, ministros interrogat, num vinum illi ad potum propinetur. Cui cum illi a medico interdictum responderent, mox is vini paululum sibi in cyatho afferri jubet, illudque ægro propinat : qui cum vinum gustasset, protinus præter omnem spem convalescere cœpit, brevique incolumitatem adipiscitur. Rursus dum sancti Spiritus xenodochium perlustrat, ægrotum ad mortem languentem animadvertit; cujus cum a medico salus desperata esset, ei jam a ministris funera parabantur : ad quos vir Dei : Quid agitis? inquit, num vivum hominem humi condere vultis? Non morietur ægrotus, sed vivet superstes. Ridebant ministri, viri simplicitatem excusantes. At is ubi ex altari vitream ampullam cum vino accepit, vini nonnihil in moribundi os distillat : tum ministris : Hujus, ait, curam agite, quandoquidem cito convalescet : atque inde protinus abscedit. Vix pedem Felix e xenodochio extulerat, cum ægrotus ad sensus rediens, tam velociter a morbo convalescit, ut perfectæ incolumitati redditus, postridie e xenodochio evolaverit.

duos ex iis sanat:

vinum pro eis petenti

8 At neque minori admiratione dignum fuit divinæ providentiæ testimonium, quo per Angeli ministerium Deus hanc servi sui in ægrotos caritatem comprobare voluit. Cum enim ad cujusdam ægroti stomachum confirmandum rubenti aliquando vino D indigeret, lagenulam a vini apothecario postulans, durius ab eo verbis repellitur. A quo cum vir Dei discessum parat, en splendidus quidam juvenis, hactenus omnibus ignotus, repente apparet; aureumque nummum proferens apothecario ait, En pretium o mercator, vini quantumlibet, huic viro eroga : atque hæc cum dixisset, protinus ex oculis evanuit. Hoc porro divinæ liberalitatis testimonium alterum deinde subsecutum fuit, ex quo facile perspicuum fuit, quali Deus egenorum Pater avaritiam, præsertim in pauperes, odio prosequebatur. Etenim cum Julius Fulchus civis Romanus frequentius vini purpurei lagenulas Felici elargiri soleret, vir Dei semel ad eum accedens, ubi majores vini albi lagenas eleemosyna consueta ab uxore plenas accepit, ægrotorum lagenulam rubenti vino implendam profert. At mulier, quandoquidem id sibi vini, quo sola utebatur, reposuerat, illius avara, gravi excitato clamore querimonias ciet, et virum Dei quasi nimis assiduum ac molestum postulatorem sugillat, ac tandem repellit. Quod ubi Julio conjugi innotuit, ne uxorem contristaret, clam lagenulam de Felicis manu acceptam vino rubente implet, et viro Dei ægrotis dispertiendam tradit. At liberassimus Deus, cui E mulieris avaritia, in ægrotos præsertim, magnopere displicuerat, æqua in mulierem pœna animadvertit, ut in ea posteris exempla ederet. Nam post hæc cum mensæ accumbens mulier rubens vinum sibi hauriri jussisset, dolium divina virtute exhaustum, vinum deinceps mulieri effundere recusat: quæ enim erga pauperes ægrotos pietate arida fuerat, ac sordidæ avaritiæ vitio vinum pauperi denegaverat, æquum sane fuit ut divinæ liberalitatis ariditatem experiretur, arenteque dolio ab eo vinum effugeret.

pretium ab Angelo solvitur :

idem dare recusans mulier,

eodem ipsa privatur,

ut ægris succurrat,

9 Verum quod anno millesimo quingentesimo supra octogesimum contigit, haud silentio prætereundum. Tam gravis hoc anno morborum copia in urbe grassata est, ut xenodochia et urbis domus, et cum his Romanus Fratrum conventus, ægrotis undique scaterent. Quam ob rem viro Dei, præsertim jam senectute prægravato, haud sane parvus labor imminebat, quo necessaria tum domesticis tum pauperculis urbis pauperibus provideret. At caritate robur ac vires subministrante, dum huc atque illuc sollicite per domos cursitans omni studio res infirmorum curat, ac sua illis officia persolvit, inter alias Romanæ urbis matronas aliquando Virginiam F Sabellam, feminam genere illustrem et pietate illustriorem, adit : a qua cum pleraque ad ægrotorum subsidium sibi administrari posceret, illa, Utique, inquit, mi Felix, omnia libentissime tribuam : Sed cum universi pene domus famuli apud me ægrotent, chirographum mea manu conscriptum accipe, et ad pharmacopolam defer, a quo quæ tibi necessaria sunt accipies. Cui Felix, Quid, ait, chirographum commemoras? non mihi chirographo, sed Nannio tuo domus œconomo, qui mihi quæ necessaria sunt tuo nomine ministret, plane opus est. At Virginia, Equidem, inquit, Nannius ipse, quem tu postulas, gravius ceteris febricitans, in lecto decumbit. Hic vir Dei, Ne moleste feras, inquit, o Virginia, ad Nannium pergamus. Cumque simul ad Nannium pervenissent, Quid hic jaces, Nanni? ait Felix : surge celerius, opera enim tua indigeo. Cui Nannius, mene per jocum irrides, Felix? An non ita febri æstuantem cernis, ut vix in lecto quietis locum reperiam? At Felix : Pusillæ fidei, quid dubitas? Jam surge, simulque ad pietatis opus pergamus. Mox surgit febricitans, ut viri Dei verbo pareat; ac febris æstu majori pietatis ardore compresso, vix iter cum eo per urbem aggreditur, cum febris operosæ caritati locum cedit; ac Deo imperante abscedens, hominem

ægrum œconomum surgere jussum,

secum ducit et sanat.

A hominem ad pietatis officia deinceps ardentius anhelantem, liberum reliquit.

CAPUT II.

Vitia redarguentis dexteritas et efficacia.

Vitia increpans non offendit.

At quandoquidem ea est veræ ac perfectæ caritatis natura, ut non sola corporis commoda benigne curet, verum ad potiora quoque animi bona, quibus meliores efficiuntur homines, uberius se diffundat; Vir Sanctus si quos per urbem incedens aut Dei nomen blasphemantes, aut obscœna verba proferentes, vel aliud improbum agentes conspexisset, dure illos increpans a scelere deterrebat. Verumtamen in hoc sancto viro res maxima admiratione digna erat, quod cum liberis increpationibus, rudi illo ac simplici verborum stylo conflatis, peccantes argueret; nemo tamen unquam ab eo animo exulceratus abscessit, aut increpationem graviter accepit: quod nonnullis exemplis confirmare libet. Quotidianam stipem deprecaturus aliquando ad nobilis cujusdam mulieris domum se contulit, quæ cum in Cappucinos singulari animi inclinatione propenderet, virum Dei ad spirituale colloquium provocat. Hæc cum ex tempestatis illius corruptela nudatum et expapillatum pectus gestaret, id Dei servus graviter ferens, feminæ pluribus interroganti nihil omnino respondet, sed tantum defixo in terram vultu lacrymas fundit. Id mulier ægre ferens, his eum verbis compellat: Quid est, mi Felix, quod verba non promis, neque me alloquentem responso dignam existimas? Num tibi a me ulla illata injuria fuit, quam dissimulare nequeas? Cui vir Dei, Dicam, inquit, soror, quæ mei silentii causa sit, neque enim conceptum animo dolorem continere queo; quæso ne me loquentem moleste feras. Tuam profecto graviter existimationem lædis, o Soror, cum id agis quod nec deceat, neque tibi honestum est. An non te pudet id publicum expapillatam prodire? Merx quæ in apertum exeritur, venalis est: deprædari desiderat, qui thesaurum publice portat. Cur pectus denudas, nisi ut ceteris placeas? At quod placet, facile animum ad sui desiderium allicit. Quid hic dissimulatione opus est? Pusillis scandalum excitas, plerosque ad inhonestos carnis appetitus trahis, infirmorum conscientiam vulneras. Jam quanto in periculo verseris tecum perpende: hæc enim tibi apud Deum judicem noxa proculdubio imputabitur. Quali vero castigatione digna sis, noverit his, qui in Evangelio ait; Qui autem Scandalizaverit unum ex istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, et demergatur in profundum maris. Hæc ille tam ardenti caritatis impulsu verba protulit, ut nobilis illa, tametsi liberæ veritatis aculeis lancinata, correptionem tamen æquo animo tulerit, ut mox zonaria castula nudum pectus operiens, non sine lacrymis viro Dei responderit, Benedicta sit tua, o Felix, lingua, ex qua hæc mihi vitæ verba prodiere. jam nemo deinceps aperto me pectore incedentem conspiciet. Inviolatumque hujusmodi mentis propositum usque ad vitæ occasum servans, quam admirabilis ad commovendos animos et ad virtutem alliciendos illius increpationibus vis inesset, suo exemplo declaravit.

Sic mulierem pectore nudam,

B

primum silentio tum verbis redarguit;

C

quibus mola illa emendatur,

11 Hoc pacto plerasque etiam illustres feminas, de aliis quibuscumque defectibus increpans, id fere semper assequebatur, ut eas ad virtutum studium propelleret. At vero si quas minus suæ honestati consulentes, aut labe aliqua respersas intelligeret; duris illas tamdiu increpationibus exagitabat, donec ad pristinam vitæ dignitatem redirent. Quapropter cum illustrem quamdam Urbis mulierem, quæ gravi apud quam plurimos fama laborabat, frustra sæpius increpasset; illa aliquando domestico ad Felicem misso, ab eo horti acetarium postulat. Cui vir Dei, Absit, inquit, ut ei acetarium impertiam, quæ nec Deum timet, nec hominum scandalum veretur: nuntiumque absque acetario dimisit. Tanta enim animi fortitudine præditus erat, ut cum de divini nominis honore aut animarum periculo ageretur, nullius omnino vultum extimesceret: quod sequenti exemplo adhuc luculentius erit.

aliam obstinatam durius tractat.

D

EX ANNAL. BOVERII.

12 Julius Antonius Sanctorius S. R. E. Cardinalis, S. Severinæ nuncupatus, hac tempestate Capucinorum Ordini sua protectione præsidebat: qui tametsi eruditione, prudentia, innocentia, ac religionis zelo præstaret; pleraque tamen in Ordine ipsius auctoritate fiebant, quæ liberam Ordinis Superiorum administrationem pessumdarent, ex quo gravis in Ordine perturbatio exoriebatur, regularisque observantia haud leviter periclitabatur. Id cum viri Dei animum gravi dolore afficeret, temporis opportunitatem expectabat, quo Ordinis periculum Protectori aperiret. Quam tandem aliquando nactus, ad eum intrepidus accedit: atque ubi debitum prius illi honorem ac reverentiam impendit, his eum liberrime dictus aggreditur. Cardinalis amplissime, hanc tuæ protectioni ac patrocinio Religionem a Deo commendatam fuisse nemo ignorat. Verumtamen cura ut divinæ mentis consilium impleas, eamque tuo præsidio foveas, non imperio obruas: ne Deus hujus Religionis auctor, severiorem aliquando illius a te rationem exigat.

Card. Protectori indicat,

E

valde, ab eo contra Ordinem peccari,

13 Cui Cardinalis Protector, Quorsum hæc? Felix. Mox Vir Dei, Hæc idcirco moneo, inquit, ut diligenter caveas, ne dum Religionem te recte administrare putas, eidem tua auctoritate noceas. Da veniam, Illustrissime: neque enim Religionis damna, quæ te auctore, licet ignorante, patrantur reticere queo. Num rectum apud te esse sentis, quod gravissimi Ordinis Patres, vera tibi de Religionis rebus narraturi, cum diu multumque tui cubiculi limina observaverint, iis tandem omnis ad te aditus præcludatur; cum alii plerique, quibus nullum est in Religione nomen aut meritum, omnia sibi patefacta ostia inveniant, facillimeque falsa pro veris tibi persuadeant? Rectumne esse existimas, quod cum majoribus curis implicitus plerasque Religionis res minus perspectas habeas, eorum tamen quæ ignoras inconsulto tibi administrationem assumis, Superiorumque, ad quos Ordinis gubernatio spectat, ultro tam facile jura pessumdes? Rectum ne esse judicas, quod quæ a Patribus firma lege sancita ac semel recte judicata sunt, tua auctoritate convellas; nihilque a recto alienum putes, alios quidem severius ad legum custodiam perstringere, eos vero quos plus æquo dilectos habes a legum ac Superiorum potestate eximere? Æquumne, quod cum singularium Fratrum conditio tuam notitiam effugiat, tamen illos absque Patrum Consilio ad varia monasteria destines, a quibus interdum scandala oriuntur? Num denique tibi rectum videtur, Provinciarum ita ad te administrationem attrahere, ut nullo cum Generali Ministro communicato consilio Commissarios instituas, comitia suspendas, electiones irrites, et quæ ad rectam Provinciarum administrationem constituta sunt tua auctoritate evertas, ita ut unde Religioni tranquillitas enasci debet, gravis perturbatio oriatur?

dum ejus regimini se nimis immiscet:

F

14 Hæc tu quidem mente haud iniqua agis: at quam Religioni funesta sint, necdum apud te perspectum habes. Quam ob rem, si meum tibi consilium arridet, Illustrissime, ne te Superiorum administrationi immisceas. Superioribus Ordinis administratio commissa est, tibi protectio. Illis datum est

utque eo deinceps abstineat monet.

EX ANNAL BOVERII

A est ut proprium gregem curent, tibi ut rectam illorum administrationem foveas atque auctoritate protegas. Ii pro grege sibi credito Deo rationem sunt reddituri, tu si sapis, a gregis administratione abstine, ut te in illam diem purum serves. Hæc et pleraque alia ad hanc rem spectantia obortis lacrymis tanta spiritus vehementia. Vir Dei prosecutus est, ut socius libero illo sermone perterrefactus, Cardinalem dicta acerbius laturum esse pertimesceret. At contra accidit. Cardinalis namque, liberiorem hanc sancti viri increpationem æquo animo accipiens, consilio acquiescit, animumque a cœptis revocat: tantamque ex eo tempore erga hominem Dei animo venerationem concepit, ut sæpissime deinceps illius apud Deum sibi suffragia exoraret. Ea siquidem ingenuis natura indita est, ut eos a quibus se juste corripi sentiunt, majori post correptionem amore prosequantur. *Ita Boverius: sed majori profecto eloquentiæ apparatu, quam rusticæ simplicitati Felicis conveniat, et supra veri similitudinem exaggerans omnia quasi sub specie protectionis pene tyrannidem gessisset Cardinalis, amantissimus novi Ordinis. Unde autem ista sic habere is potuit, nisi ex ingenio proprio et aliquo forsan sui temporis abusu? Querelas a Felice delatas ad Cardinalem* B *videtur insinuare Joannes Bapt. Perusinus: sed quales eæ fuerit, non indicat: et licet eo ipso satis innuat contra Cardinalem fuisse; non est credibile expressas fuisse in Processibus, per ipsiusmet manus oculosque ituris. Interim vehementior auctoris istius spiritus hic agnoscitur, quod monitum lectorem convenit, ut ad substantiam potius rei, quam expressionem verborum attendat, cum in similes aliquas illius invectivas, præsertim contra Observantes, inciderit. Nunc progrediamur.*

Jurisperitum docet Crucifixo potius quam libris intendere,

15 Bernardinus Biscia hac tempestate inter celebriores Jurisperitos habebatur: quem cum vir Dei aliquando in suo Musæo; undique libris stipato, studiis incumbentem offendisset; Vah! inquit, Bernardine, quot hic libros congestos habes? Quorsum hi? Cui Bernardinus, Ignoras, mi Felix, quod ex his Juris prudentia addiscatur, dirimantur lites, et jus suum unicuique tribuatur? At Felix, Utinam, inquit sub librorum tegumento sæpe avaritiæ vitium non lateret! quo minus juri, magis privatæ utilitati consuleretur, nec lites ac jurgia inter homines alerentur, nec tandem bene a priscis constituta male a plerisque pessumdarentur. Verum mihi crede, Bernardine, parum tibi hæc librorum copia proderit, nisi Christum vitæ librum prius bene di- C diceris, atque ex eo horum intelligentiam hauseris: is namque solus est, qui veram Juris prudentiam docet, obscuros sensus aperit, implexas quæstiones solvit.

Fratres delinquentes

16 Hoc eodem liberæ caritatis spiritu, si quos in monasterio Fratres aut moribus incompositos, aut cachinnis deditos, aut demum in spiritualis vitæ profectu frigidiores ac pigros offenderet, libere increpitos, brevi quidem, sed multo sale asperso sermone ad virtutum studia provocabat. Cumque acerrimus paupertatis propugnator esset, Superiores ipsos, si quando in ædificandis domibus excederent, observata humilitatis et modestiæ lege, admonere solitus erat. Atque eo factum est, ut quamquam prioribus hisce Religionis temporibus Superiores in domum ædificatione seu instauratione, ob temerandæ paupertatis periculum, rigidiores essent (quo fiebat ut quælibet murorum constructio, quæ ad majus dumtaxat commodum declinaret, iis superflua ac plane paupertati inimica videretur) Felicis tamen præterea clamoribus perterriti, quem Dei spiritu donatum non ignorabant, vix ruinosa instaurare audebant ne in paupertatis excessum impingerent. Juniores vero Fratres, quos aut meliore ha-

imo et Superiores corripit.

bitu aut cultiore vestitu oblectari cerneret modeste D carpens, maximum Minoris Fratris ornamentum vestium paupertatem ac sui ipsius contemptum esse; et quo incultior ac despectior habitus esset, eo gloriosiorem Minorem Fratrem apparere, affirmabat.

Cantalicium pacis causa profectus,

17 Quamquam vero Felix ab eorum conversatione minime abhorreret, quibus vel suo vitæ exemplo prodesse, vel quorum consuetudine is juvari posset; a propinquorum tamen et consanguineorum conversatione ac familiaritate ita abstinuit, ut cum primum seculo ac propinquis Vale dixit, omnem prorsus ab animo patriæ et propinquorum amorem excusserit. Quam ob rem quasi, inter homines exul, sine patria et consanguineis viveret, consanguineos velut alienos contuens, universos velut consanguineos ita ex caritate sibi diligendos præstituit, ut ab omnium sibi conversatione caveret: ita ut vix semel Cantalicium graviori impulsus causa concesserit. Hæc porro causa fuit. Cum inter Cantalicii oppidanos odia ac dissidia pleraque grassarentur, vir Dei Pontificiam Indulgentiam a Gregorio XIII oppido impetraverat, qua exorta dissidia dirimeret, pacemque inter eos conciliaret. Hac de causa cum is se Cantalicium contulisset, haud tamen, ut propinquorum et aliorum E visitationes fugeret, oppidum ingredi voluit; sed ad quasdam rustici prædii ædes, Calcanalium dictas, antiquam fratrum possessionem, divertens, ibi a germano fratre natu majore domo excipitur. Cumque a fratria illi cœna pararetur, Felix ad illam, Quid, inquit, tantum in cœna paranda tibi solicitudinis assumis? Deus nobis cibos ministrabit: tantummodo ad hortum pergens recentes inde nobis fabas ex scapis collige. Vix tunc fabarum culmi florere cœperant: quare ad Felicem fratria, Vah! quid ais, Felix, necdum fabarum tempus maturum est, ut iis vesci possis: quid quod fabarum stipulæ vix integros adhuc flores protulere? Cui vir Dei, Falleris, ait: si ad fabarium perrexeris fabas invenies, quas colligas. Rursus fratria: Ne frustra, inquit, ad fabarium provoces: neque enim ad vigesimum ac trigesimum usque diem fabales thyrsi fabas esui aptas parturient. At Felix; Festina, inquit, ne contendas: Deus enim potens est nobis fabas ad esum ministrare. Obsequitur fratria viri Dei imperio, ipsius observantia potius quam spe fabarum ducta. Quid plura? tot plenas fabarum thecas Deo ministrante in culmis offendit, ut ex his plenam mappulam ad virum Dei, divinum miraculum admi- F rans, attulerit. Porro, ne quis fabas hujusmodi a fabarum caulibus, potius quam e cœlo datas dubitaret; post hæc ne una quidem fabaria theca, donec ad fabarum tempus deventum est, in fabario inventa fuit.

fabas ante tempus invenire facit.

Affectum erga consanguineos castigat.

18 Illos Ordinis Fratres potissimum verbis insectabatur, qui mollius quam religioso viro par est erga parentes ac propinquos affecti essent, vel eorum sæpe visendorum cupiditate tenerentur. Quam ob rem cum juvenis quidam ex nostris Sacerdos ab eo Cruces aliquas parvulas, quas is devotionis causa, et ad Dominicæ Passionis memoriam in secularium animis alendam, manu sua compingere ac distribuere solebat, aliquando postulasset; protinus ab eo percunctatur, quorsum cruces illas petat. Cui Sacerdos; Ut eas, ait, in patriam brevi profecturus parentibus ac propinquis meis dispertiar. At Felix. Quorsum, inquit, in patriam tendis? Subdit ille, Ut meos invisam. Cui Vir Dei, Ecquinam sunt tui? Cumque ille parentes ac propinquos suamque progeniem explicasset; mox sanctus vir; Heu, miserande Sacerdos! hosne tuos esse commemoras, quos jam dudum cum seculo reliquisti? Tui sane aliquando

A aliquando fuere : at cum primum iis cum seculo renuntiasti, falleris, non tui, sed alieni sunt. Quapropter ne tuos, ex quo iisdem mortuus es, ullo modo esse dixeris : verum melius tibi consule, ac, si sapis, ne te a conventu egredientem parentes videant ; sed tecum habitans pro iis Deum roga : ita enim magis tibi ac parentibus prodesse poteris.

CAPUT III.

Felicis caritas erga Deum, æstimatio apud omnes, beatus obitus.

Amore Jesu æstuans, Quanta in Deum caritate æstuaret non obscure innotuit : tanta enim in nominis Jesu prolatione voluptate afficiebatur, ut illud absque lacrymis effari non posset. Nomen istud super omnia amabat, ac tam suaviter pronuntiare solebat, perinde ac si mel in ore haberet. Quapropter quosdam sibi rythmos, rudi metro, non numeris perfectos aut artificiose elaboratos, sed spiritu plenos, composuerat; quos vel solus decantare, vel interdum, cum in nobilium domibus puellas arcarium organum fidiculare pul-
B santes offenderet, iis cantandos offerre consueverat; quibuscum et una ipse, Dei spiritus ebrius, concinebat. Horum nonnullos Latinitate donatos, nihil tamen ab eorum metro immutatos, ne prorsus intereant, huc referendos duxi.

pios de eo hymnos pangit, 20 Jesu dulcis sponsus meus,
O divini fons amoris,
Ut te amem, et ardoris
Flamma accensus post te curram,
Mihi in animo scripsisti.
Jesu ad hoc tu me finxisti,
Ut te amem, Deus meus.
Jesu dulcis sponsus meus,
Vera bonitas amoris,
In membranis cordis mei
Scribe tu intus et foris,
Quam me amasti, et causa mei
Quanta in carne mea fecisti,
Ut te amarem Deus meus.
Ad te clamo vehementer,
Teque sitio tam ardenter,
Ut præ amore tui langueam.
Jesu mi, audi clamantem,
Audi flentem et amantem,
Amoris repulsam non sentiam.
C Jesu mi, meus dulcis amor,
Jam cor meum ad te evolavit,
Tuoque in sinu sibi stravit
Sui amoris lectulum.
Tecum ergo semper cubet,
Caritas et amor secum recubet,
Ornent mentis hortulum.
Jesu, dulcis Mariæ filius,
Animarum te quærentium
Amor, spes et desiderium,
Quantum bonum possideret,
Qui te solum corde haberet?
Jesu gaudium Angelorum,
Quem qui gustat, aliorum
Esurire jam non valet
Bonorum delicias :
In te namque solo habet,
Quas mens capere non valet,
Cœlestes divitias.

ejusque aspectu recreatur. 21 Cum nocte quadam per sesqui horam in extremo ecclesiæ angulo orasset; mox inde velocius assurgens, velut qui cœlesti quadam amoris flamma ardet, viam ad sacrum Eucharistiæ altare carpit, hæc tantum ore verba sæpius repetens ; O Jesu mi ! o dulcis amor meus ! Hoc caritatis ardore cum ad altare pervenisset, en dulcem Jesum, luce undique D perfusum, ac puerilem formam et aspectum præ se ferentem, in ipso altaris suppedaneo stantem intuetur. Quem ubi humi toto corpore prostratus summa animi humilitate adoravit, mox in ipsius amplexus ruens, tot illum cœpit amoris nedum corporis brachiis perstringere, tot osculis excipere, tot lacrymarum undis ex intimo caritatis fonte haustis aspergere, ut in hoc cœlestis voluptatis torrente pene demersus, nullam sibi præterquam in sui dulcis Jesu amplexu vitam reliquam esse putaret. Diu cum divina hac Jesu pueruli visione potitus fuisset, puer tandem divinam suam illi præsentiam subtrahens, hominem Dei cœlestibus plane deliciis ebrium reliquit. *EX ANNAL. BOVERII.*

Passim habetur Sanctus, 22 Porro miraculorum splendore et virtutum luce ex hoc viro in omnium oculis coruscante, tam publica communisque in Romana Urbe de ipsius sanctitate opinio percrebuerat, ut a cunctis adhuc vivens Sanctus ac Beatus prædicaretur. Hunc illustres viri, hunc religiosi homines, hunc Prælati, Episcopi, S. R. E. Cardinales, ac Summi ipsi Pontifices venerabantur ; ita ut frequens conspectus, qui sæpe contemptum animis generare solet, conceptam omnium in eum devotionem non minueret, sed potius E augeret. Ea quippe est veræ virtutis vis, ut ad se mortalium animos alliciat ac sui magis semper cupidos reddat. Neque enim vera virtus censenda est, nisi eos quos ea ornatos conspicimus honore et amore dignos arbitremur. Julius Antonius Sanctorius, S. R. E. Cardinalis S. Severinæ nuncupatus, cujus prudentia et auctoritas maximis in rebus Urbi perspecta fuit, beatum virum tanta veneratione prosequebatur, ut illius verba, tametsi simplicia, perinde ac si ex Dei ore proficiscerentur, exciperet. Felix Perettus, quamdiu Cardinalitia in dignitate versabatur, tam mire erga beatum virum affectus erat, ut cum illum pane onustum in via obviam haberet, panem ab eo peteret, quo solo in mensa vescebatur. Cum vero ad summum Pontificatus apicem evectus, sub Sixti V appellatione, Romanam cathedram tenuit ; tot illi venerationis signa exhibuit, quod nisi morte præventus ante confectum de illius vita Processum diem suum obiisset, proculdubio in Sanctorum illum Album retulisset. At quod magis hujus rei fidem auget, clarissimum extat S. Philippi Nerii de beato viro testimonium : qui eum inter majores et illustriores Dei servos, qui ea tempestate vigerent, passim collocabat. At neque minorem is apud nostros F sanctimoniæ sibi famam comparaverat. Cum enim in eo tanta vitæ integritas, tanta regularis observantia disciplinæ, tantus virtutum splendor, tamque cœlestis conversatio conspiceretur, ut universos ad sui admirationem ac imitationem raperet ; haud aliam de illo Fratres opinionem animo conceperant, quam quæ de perfecto et cœlesti viro ab omnibus concipi solet. *etiam Cardinalibus,* *et Cappucinis.*

Præscius mortis suæ, 23 Jam Felix annorum numero gravis, septuagesimum quartum annum agebat, ex quibus quadraginta in quotidiano stipis exigendæ munere ac labore consumpserat. Porro diuturnæ inediæ, vigiliæ, carnis macerationes, quotidiani labores, plerosque illi morbos pepererant, quibus assidue affictabatur. Quapropter cum Deus et morbis finem, et tot annorum laboribus fesso requiem cœlestemque mercedem conferre decrevisset ; quo luculentius omnis ipsius apud Deum sanctitas perspicua fieret, majoribus eum dilectionis signis, quæ amicis dumtaxat a Deo exhiberi solent, longe ante obitum cohonestari voluit. Etenim illi et futurum vitæ occasum, et quæ illum vel præcessura vel subsecutura erant, tam ad amussim inter orandum aperuit, ut nihil eorum quæ eventura erant eum prorsus lateret.

Ex Annal. Boverii. dicit suam in Capitulo vocem tota Urbe audiendam :

A 24 Generalis jam Capituli tempus prope adventabat, cum Fratribus de futuris electorum votis colloquentibus, ac inter se diversa sentientibus, ait, Ego, Fratres, vocem in hoc Generali Capitulo laturus sum, quæ ubique audietur. Idem fere et Fratri cuidam Marco, ex Observantium nuncupatorum familia, stipis exactori, respondit, qui cum (serione, an joco haud inquiro) ita virum Dei affatus esset ; Felix, jam Capucinis soleæ deponendæ erunt, quandoquidem Pontificis decreto cunctis B. Francisci Ordinibus calepodiorum usus brevi præscribendus est; eidem protinus Felix. Certe, inquit, Papa omnium Dominus est : at ego brevi tam ingentem clamorem eadem, ut eo Romana urbs tota commovenda sit. Id porro in ejus obitu, qui paulo post dum Generale Capitulum celebraretur contigit, accidisse certum est.

morte appropinquante lætatur,

25 Mira fuit hujus beati viri, tum in aliarum, tum in supremæ ægritudinis doloribus ac molestiis ferendis, patientia. Neque enim ob vultus atque animi hilaritatem, quam in his præferebat, ceteris ægrotare videbatur, Interdum namque morbum quasi fraterculum salutans, cum eo amice colloquebatur.
B Dialogos alias cum proprio corpore, quod Asellum consueto ei nomine appellabat, componens, eidem segnitiem exprobabat. Frequentius tamen suas cantiunculas decantans, totum se in Dei laudes effundere videbatur. Hoc porro tempore, quod sibi usque ad vitæ occasum breve futurum non ignorabat, tam studiose animum (uti videbatur) cum Deo conjunctum gessit, ut illius semper conspectu frui, et cum eo colloqui videretur : totque interea ex imo pectore gemitus ac suspiria duxit, ut nihil jam ipsius spiritus præterquam e corpore emergere atque in Dei sinum evolare cuperet. Quamobrem cum a Dominico Galliardello medico, a quo in hac ægritudine curabatur, didicisset brevi illi ex hac vita migrandum ; tanta voluptate perfundi cœpit, ut quam altius poterat vocem efferens, Deo gratias, Deo gratias exclamaret ; ac deinceps tam animo in Deum absorptus videretur, ut cum inter hæc honorarius Hispaniarum Regis Oratoris puer, qui ipsius nomine virum Dei inviserat, ab eo quæreret, quid ad ipsum nuntii perferendum juberet ; aliud plane non responderit, quam quod cujusdam suæ cantiunculæ versus cœpit occinere, his verbis conceptus :

Jesu, Jesu ; amor meus,
C Quid moraris? cor meum tolle.
Idque nunc aut in æternum,
Numquam mihi restitue.

et animam sancte reddit.

26 Jam vero beati viri fine appropinquante, cum is devotissima ac lacrymis plena peccatorum suorum Confessione animum expiasset, sacro Jesu Christi Corpore, tamquam cœlesti quodam viatico, quo ad Deum pergeret, refici postulat. Quo allato, ubi, post Sacerdotis absolutionem, sacra illa Ecclesia verba, O sacrum convivium, ad finem usque singulari pietatis sensu protulit, summaque humilitate a Fratribus (uti antiquus apud nos mos est) si quempiam forte pravis vitæ exemplis læsisset, veniam petiit, se Domino sacramentaliter commiscet, brevi ab eodem in beatifica illa sui fruitione felicius absorbendus ; post circumfusos Fratres rogat, ut secum Deo gratias personent. Quibus Deo gratias conclamantibus, is fusius Deo, ob collata sibi potissimum religiosæ vocationis ac perseverantiæ dona, gratias agit. um vero ardentius in Deum ferri, et quasi cœlestem gloriam oculis contemplaretur, rerum omnium oblitus, suas cantiunculas mutire cœpit : ita ut de eo illud mihi asserere liceat, quod de S. Malachia olim Bernardus scripsit, video hominem securum in morte, et necdum mortuum securum de vita.

27 Fuit beatus hic vir corporis quidem statura brevi, honeste tamen corpulentus, ac firmis viribus. D

Forma corporis.

Frons illi ampla erat ac rugis sulcata : nares patentes, caput grandiusculum, os virile et gravitatem præ se ferens ; oculi acres, ad nigredinem declinantes ; facies hilaris, et rugosa ; barba densior, non promissa, sed inculta ; vox grata ac resonans ; sermo denique ejusmodi, qui tametsi rusticus esset, eum tamen ita simplicitate ac humilitate temperaverat, ut rusticitas illi venustatem adferret.

CAPUT IV.

Sepultura, miracula, liquor salutaris ex corpore emanans.

Mortui reliquiæ certatim rapiuntur

Vix autem felix illa Felicis anima, corporis sarcina deposita, in cœlum concesserat ; cum illius obitus fama per urbem disseminata, mox illustriores Romanæ urbis viri, inter quos Magister Equitum Columna enumeratur, ad Cappucinos confluunt, cellam beati viri diripiunt, laceram lodicem, stramina, lectum, mensulam, manticas, sandalia, demum quæcumque in ea offendunt, ob plurimam sanctitatis opinionem quam de beato viro conceperant, domum E asportant ; tantaque in eum devotione effervent, ut cella ipsa scopis mundata, secum pulveres ac quisquilias efferrent. Hispaniarum Regis Orator habitum, in quo beatus vir diem extremum obierat, Cardinalis S. Severinæ Ordinis Protectoris precibus impetratum, tulit Denique nemo auri cupidus effossum thesaurum tam avide unquam deprædatus est, quam hæc beati viri scruta ac peripsemata ab his direpta fuere. Postera die tota urbs commota ad monasterium confluxit : cumque beati viri corpus in ecclesia de more collocatum fuisset, tanta fuit turbarum in illud irruentium religio ; ut bis gemini Fratres, quos Guardianus ad id custodiendum destinaverat, eas cohibere minime potuerint, quin habitum sæpe mutatum præscinderent. Circa vigesimam diei horam eodem Cardinalis Protector accessit, cumque ad se Guardianum accersisset, eidem mandat, ut Camillæ Perettæ, S. P. N. Papæ Sorori, Felici Columnæ Hispaniarum Regis Oratrici, Joannæ Gaetanæ, aliisque nonnullis illustrissimis feminis sacri corporis copiam faciat. Quamobrem illud jam a conspectu populi ablatum, iterum in sacello Conceptionis publice exponere cogitur. Vix autem feretrum, in quo beati viri corpus jacebat, a turbis conspectum F fuit ; cum repente una omnium lætitiæ vox in cœlum erumpit, gloriam et benedictionem beato viro acclamantium tamque ingens mox innovata est populi frequentia ad feretrum confluentis, ut vix illud a Fratribus in sacellum ferri in eoque reponi potuerit. Ibi illustrissimæ illæ mulieres, quibus olim cum sancto Viro familiaritas fuerat, corpus summa veneratione excipientes, carnis imprimis candorem ac mollitiem mirabantur. Tum flexibiles ac tractabiles artus, qui viventis esse videbantur, stupebant. At cum pedes, quos olim rimosos, asperos ac luto et frigore constrictos tam sæpe conspexerant, tunc sanos, delicatos, nullisque prorsus rimis apertos intuerentur ; vix præ rei stupore oculis credebant. Hinc tot illos osculis petere cœperunt ; ut cum his earum necdum pietas expleri posset, effusis lacrymis rigarent.

Ad corpus matronis pro cujus usitatum,

adducta energumena

29 Post hæc dum Fratres defuncto corpori justa funebria reddunt, Deus servi sui gloriam nonnullis miraculis illustrare voluit. Lucretia enim quædam, Bernardini Cottæ S. D. N. Papæ Vicarii-judicis filia, male a dæmone vexabatur, quam beatus vir sæpe vivens verbis consolari consueverat. Huic dæmon, octavo antequam ille e vivis excederet die, futuram beati viri mortem aperiens, ait ; Cito hinc nobis abeundum :

A eundum: nam tuus ille leucophæatus (hoc nomine Dei virum appellabat) brevi e medio tolletur. Audito itaque sancti viri obitu, Lucretiam parentes ad Cappucinos perducendam curant. Dæmon vero, cum extremum sibi exitum imminere intelligeret, tot obsessam minis, terroribus, furiis exagitat, ut ad tertium usque diem eo illi aditum intercluserit. Hac vero Mercurii die, dum beati viri corpori justa in choro persolvuntur, obsessa in ecclesiam perducta, intra presbyterii cancellos recipitur: ubi eam tam dire tartareus ille spiritus torquere cœpit, ut ea humi collisa spiritum pene agere videretur. Hoc ipso temporis momento Hispaniarum Regis Orator eo adventans, a Guardiano impetrat, ut beati viri corpus ad obsessam mulierem deferatur. *liberatur:* Vix autem feretrum cum corpore in presbyterio coram obsessa apparet, cum humani ille generis hostis extremas in mulierem furias despumans, tot tantisque illam cruciatibus invadit, ut uberes pietatis ac compassionis lacrymas ex omnium intuentium oculis eliceret. Atque eo factum est, ut Sacerdos quidam Stolam induens, cacodæmonem invocato B. Felicis nomine ad exitum compelleret; ac defuncti corporis manus obsessæ B capiti imponens, beati viri merita ad mulieris liberationem deprecaretur. Illa vero paulo post a dæmonis imperio libera exurgens, ubi Deum ante altare genuflexa laudibus prosecuta est, tum super beati viri corpus procumbens, tot tamque teneras suo liberatori gratias agere cœpit, ut universos ad beati viri gloriam extollendam excitaverit. Fratres vero, obsessæ liberatione certo comperta, ne divinæ majestatis gloriæ sua laude deessent, intermisso Defunctorum Officio, Hymnum Te Deum laudamus una omnes decantant, Deique in servo suo virtutem ac magnificentiam commendant.

30 Porro hoc filiæ liberatione permota Constantia Lucretiæ mater, cum Achille genero ac illius parentibus, *componuntur odia,* quos summo ante odio prosecuta fuerat, pacem conciliat, et sancti viri vaticinium implet: qui cum adhuc superstes eam ad odia ac simultates deponendas frustra sæpe hortatus fuisset, illam tandem his verbis affatus fuerat: Constantia, nunc te cacodæmon his odiis alligatam detinet: at dies profecto veniet, cum is tibi et odii deponendi et pacis ineundæ causa erit: quod illi in cocodæmonis ejectione ac filiæ liberatione plane accidit. Hac ipsa die cum Lucretiæ Matthæi, quæ viro Dei olim familiaris erat, filius surdus esset, *surdo auditus datur,* ea ad beati viri corpus cum C filio accedens, precibus ad eum pro filii curatione effusis, natum provocat, ut beati viri digitum suas in aures immittat. Id cum puer præstitisset, mox beati viri merito surditate effugata, is ad matrem exclamat, En audio, mater, tuamque et aliorum vocem percipio. Quæ res populum commovit, ut Dei simul ac beati viri publice laudes celebraret.

31 Verum illud præ ceteris admirabile: mulier *muto loquela,* enim quædam Senensis, quo tempore beati viri corpus primum in ecclesia expositum fuit, cum habitus sibi particulam præcidisset, hac adolescens quidam Neapolitanus, qui mutus ex matris utero natus fuerat, sibi linguam contingens, mox ab omni linguæ impedimento solutus, loquelam consequitur: cujus veritas ex processu apparet. His Diana Astobassa *hæmorrhoissa curatur* accedat, quæ cum, ob prolis aborsum, maximo sanguinis fluxu periculose laboraret; audito horum miraculorum fama, quæ de beato viro pervulgabantur, quandoquidem præsens corpus venerari non poterat, illius merita invocans, a sanguinis fluxu statim liberata, brevi incolumis redditur.

32 Hac miraculorum fama cum universa pene *Ex corpore ad cœmeterium delato* civitas commota ad monasterium conflueret; communi tum Fratrum tum Cardinalis Protectoris consilio stabilitum fuit, ut beati viri corpus omnino sepulturæ traderetur. Verum tantisper expectandum D fuit, donec plumbeus sarcophagus, quo Cardinalis *Ex Annal. Boverii.* Protector corpus includi decreverat, ejusdem sumptibus absolveretur. Tertia effluxa jam, quarta supervenerat dies, ex quo sanctus vir cœlo spiritum reddiderat; cum illius corpus, quod eatenus nullo (sicut alia defunctorum corpora) pravo odore afficiebatur, plumbeo loculo occultum tum in ligneo sarcophago repositum, in communi Fratrum cœmeterio, conditur. Ibi dum jacet, et Fr. Urbanus a Prato eo sæpe oraturus accederet, attentius aliquando sarcophagum contemplatus, ex eo quasdam aquæ guttas defluentes animadvertit, quas ille admiratus propius accedit, rem diligentius inspecturus. Cumque illas *humor salutaris stillare compertus,* humeris guttas ex clavo quodam, qui ad corpus usque penetraverat, scatere comperisset; patera supposita effluentem liquorem colligit. Hunc cum Virgini cuidam, quæ Felix Africana appellabatur, tertii Ordinis S. P. N. Francisci Sorori ac beati viri olim discipulæ, dono dedisset; eo illa plerosque ægrotos, ac præsertim strumis laborantes inungens, ita incolumitatem reddidit.

33 Interea Beati Viri corpore marmorea capsa in- E cluso, atque in Crucifixi sacello collocato, Felix Africana, *etiam ex tumulo marmoreo erumpit,* quæ divinam illius liquoris virtutem experta fuerat, opportunum tempus expectat, quo propius ad beati viri tumulum accedere valeat, num aliqua arte aut ratione liquorem attingere queat exploratura. Sudabat sæpe marmoreus tumulus, sacro illo liquore madidus: quem sacrista, rei penitus ignarus, linteo quotidie extergebat. Quod cum desiderium Virgini augeret, rem tandem experiri sibi in animo statuit: Septimiamque, Maffæi S. R. E. Cardinalis Sororem, sibi comitem adjungens, suæ mentis ei consilium aperit, et a sacrista sacellum Crucifixi ingredi et ad beati viri tumulum orare facile impetrat. Terebellum illa quo tumulum perforaret, desiderio magis quam prudentia ducta, eo accedens sibi paraverat. At cum eo marmoream capsam, omni qua poterat vi, frustra terebrare tentasset: ad Septimiam conversa, Res, ait, O Septimia, ut video non humana, sed divina tantum ope peragenda est. Quapropter, si placet, Dei ac beati viri auxilium implorantes, quinquies orationem Dominicam cum salutatione Angelica, omni qua fieri *et studiose exceptus multos sanat.* potest devotione, persolvamus. Id cum utraque præstitisset, idem iterum terebello opus tentantes, F tam facile marmoreum ac plumbeum sarcophagum, perinde ac si lignei aut cerei essent, usque ad corpus terebrant. Verum cum inde nullus efflueret liquor, spongiolam ferrei fili capiti alligantes, profundius in foramen immittunt: quam cum eo liquore perfusam tulissent, id lætæ toties repetunt, quod plenam ex eo ampullam sibi vindicarent. Tum foraminis ore diligentissime obturato, illo tot ægrotis salutem conferunt, ut ipsius fama ubique per Urbem diffusa, haud incertus rumor ad Pontificem pertingeret. Qui Rusticucium Vicarium et S. Severinæ Cardinalem Ordinis Protectorum S. R. E. Cardinales ad se accitos interrogat, quisnam novus iste Dei Servi liquor sit, de quo omnium sermone tam mira ad eum perferuntur. Cui Cardinales cum se rei penitus ignaros esse responderent, iisdem ut diligentius rem inquirant ac renuntient, oppido mandat.

34 Cardinales igitur, Pontificis jussa explentes, Romani conventus Guardianum ad se vocatum de *Rem jubet explorari Pontifex:* liquore interrogant. Qui cum rem prorsus se ignorare, nullamque omnino in conventu de hujusmodi liquore mentionem fieri, affirmaret (res etenim Fratribus eatenus ignota erat) eoque se maxime admirari diceret, quod quam plurimi ad conventum accedentes hujusmodi sibi liquorem postularent: id

Cardinales

A Cardinales maximam in suspicionem adduxit, ne humani aliquid sub eo liquore lateret. Quapropter rem diligentius indagantes, cum illius primam tandem originem percepissent, Sanctissimo renuntiant Hic statim tumulum, in quo beati viri corpus jacebat, aperiri; et celebrioribus medicis adhibitis, quid de hujusmodi liquore sentiendum sit, accuratissime examinari imperat. Accepto hoc Pontificis mandato, Cardinales medicum Patavinum Cordellam, et alios quosdam qui in Urbe celebriores erant, secum ducentes, sub vesperum ad Cappucinos se conferunt; clausisque ecclesiæ foribus, beati viri sarcophagum, in medium delatum, aperiri jubent. Marmorea itaque primum capsa patefacta, cum plumbea aperta esset; in ea magna clari ac odoriferi cujusdam liquoris copia conspicitur : de quo medici disserentes, pleraque in eo quæ naturalem ordinem excederent uno consensu deprehendunt. Quare Cardinales, cum majorem illius liquoris sibi partem hausissent, Guardiano præcepto cavent, ne deinceps, nisi facultate ab ipsis obtenta, liquorem hujusmodi hauriri permittat : quod duorum vel trium annorum B spatio, quo liquor ex beati viri corpora emanavit, ad amussim a Romani conventus Superioribus observatum fuit.

Ex Annal. Bover.

et præter naturam esse judicant medici.

MIRACULA

Ex processibus MSS. selecta a Zacharia Boverio in Annal. Cappucinorum.

CAPUT I.

Prophetici in Felice spiritus exempla.

Prædicit Sixto V Pontificatum

Horum quæ felicissimus hic Dei amicus prophetico spiritu prædixit, nonnulla quæ graviora visa sunt, enarrare libet, ceteris vel silentio præteritis vel obiter indicatis. Felix Perettus, S. R. E. Cardinalis de Monte-alto nuncupatus, qui deinde summus Pontifex fuit Sixtus appellatus, ut rem a gravissimo viro aggrediar, beato huic viro familiarissimus erat : a quo cum is aliquando per jocum percunctatus fuisset his verbis, Amabo, Felix, quid tibi de Cardinali a Mont-alto videtur, num Petri unquam Cathedram conscendet? Cui vir Dei, Jocose quidem, ait, tu id quæris, at res profecto ita erit : Petri Cathedram tenebis : verum cura ut bene C Ecclesiæ præsis. Huic Cardinali unica et carissima soror erat, Camilla nomine, cui Felix futurum fratris Pontificatum præsignificans aliquando dixit : Camilla, bono animo esto; brevi Romana urbs tibi parebit. Cum igitur ob Gregorii XIII obitum Romana Sede vacante Cardinales ad Conclave commearent, accidit ut idem Cardinalis Perettus, dum ad Conclave in quadriga vehitur, Felicem in via obvium haberet. Qui cum data salute illius se obnixe precibus commendasset: illi protinus Felix, Perge, inquit, tibi enim hæc solennitas paratur. Quod plane quemadmodum ab eo prædictum fuerat ita accidit : Cardinalibus namque inter se de Pontificis electione discrepantibus, duæ tandem Cardinalium partes simul conjunctæ in hujus Cardinalis electionem consensere : qui Pontifex conclamatus Sixti V nomen est sortitus.

Card. Pisano mortem beatam,

2 Alteri quoque S. R. E. Cardinali Pisano nuncupato ægrotanti, non Pontificatum, sed Pontificatu potiorem felicitatem, ipsam nimirum cœlestem beatitudinem divinitus prænuntiavit. Is namque cum gravi morbo laborans, virum Dei Felicem ad se accersendum curasset; vix ille Cardinalis cubiculum ingressus, mox insolita vocis ac spiritus lætitia exclamare cœpit, Deo gratias, Deo gratias. Tum utramque Cardinalis manum apprehendens, inquit, D Clama, Illustrissime, clama quantum potes, Deo gratias, Deo gratias. Cunctis vero Deo gratias conclamantibus, Cardinalis tam animo commoveri cœpit, ut se e morbo convaluisse existimans, ita circumstantes alloqueretur : En hominem Dei spiritu plenum : certe Deo gratias agere debemus, vix enim huc is ad nos accessit, cum jam mihi incolumis esse videor. Hæc læto animo Cardinalis Deum benediceris aiebat; cum ad eum Felix, Falleris, inquit, Illustrissime, falleris : non hæc te lætitiæ causa excipiat, altera et melior tibi lætandi causa subest : cœlum suspice, exulta, ac Deo gratias persona, quoniam te is jam ad cœlestia regna vocat. Neque alium res exitum sortita : parva enim temporis mora interjecta, Cardinalis extremo cum mortis agone colluctare cœpit : quo tempore, donec supremum is halitum duxit, semper Deo gratias inter dentes mussare audiebatur.

sexum pariendæ prolis

3 Tanta in hoc viro erat Divini spiritus ad res futuras præcognoscendas ubertas, ut plerumque E uno temporis momento multa atque inter se disjuncta prænuntiaret. Angelus Petronius Patricius Romanus graviter aliquando ægrotabat : quem ubi vir Dei verbis cœlestibus consolatus fuit, inde abscedens, Hortensiam ejus filiam, quæ nuper Tinianensium Comiti nupserat, obviam habet. Quæ cum illum pro patris incolumitate cum lacrymis deprecaretur, Felix ipsius vestis oram apprehendens. Hoc tibi solatio sit filia, inquit, quod angelulum in utero gestas: masculum paries, quem tamen pater tuus morte sublatus non conspiciet. Prægnans tunc erat mulier, magisque de patris incolumitate quam de partu solicita : cui Felix futurum utriusque illi exitum prænuntiat, rebus uti prædixerat succedentibus divinitus confirmatum. Post hæc Lavinia Cardusia prægnans partus doloribus cruciabatur, cum viri Dei stirpem flagitantis vox a marito percipitur : qui confestim ad domus fores advolans, conjugem parturientem ipsius obnixe precibus commendat. Cui Felix, Ne, inquit, metuas, Franciscuium mox habebimus. Hæc cum dixisset, prægnans masculum peperit : cumque tota domus familia ob masculi partum lætitia perfunderetur, vir Dei domus gradus cum marito conscendens ad puerperam accedit; mexque in infantem oculos conjiciens, ubi illum inter ulnas accepit, totus animo exultans, hæc verba læta voce personare cœpit : O quam pulcher! o quam formosus est puer! atque hæc dicens, puerperæ cubiculum, velut spiritu ebrius, eadem semper verba repetens, circumibat. Tandem puerum matri reddens, ait, O quam speciosum! o quam venustum nobis puerum dedisti! At cave ne ei animum apponas. Hæc sanctus vir, ne matris gaudia cum luctu misceret obscure insinuat. Cum enim infantem breve iter confecturum divino spiritu agnosceret, ac præterea inter beatorum gaudia collocandum cerneret, id sub obscuris potius verbis indicare, quam apertis explicare voluit. Puer vero sacra unda expiatus, cum Francisci nomen accepisset, octavo die inter Innocentes superos cœlestem sedem sortitus est.

et citam ejus mortem.

F

Nescienti indicat gravidam esse puellam, quæ monacha futura sit,

4 Deianiræ vero Boccabellæ, quæ ne quidem fœtum se in utero gerere suspicalatur, non modo femineam prolem ex ea procreandam prænuntiat, verum et Deo consecrandam affirmat. Illa vero cum exacto novem mensium tempore puellam genuisset, cui Antoniæ nomen baptismo impositum fuit, eo fiebat ut quoties Beatus vir hujus mulieris domum repeteret, puellæ his verbis blandiretur; O quam formosa est monacha mea! hæc Christi sponsula erit. Neque id frustra : vix enim ad duodevigesimum annum pervenit, cum seculo cum suis concupiscentiis devicto, ad Domini connubia in monasterio

A nasterio S. Annæ se contulit, ac Mariæ-Felicis ob præclarum Beati viri vaticinium sibi nomen elegit. Hoc modo plerisque mulieribus, quæ necdum se fœtum concepisse noverant, futuram prolem annuntiat : inter quas Flaminia Cechina et Clarix Aragonia adnumerantur, quibus masculæ sobolis procreationem prædixit. Flaminiæ vero Bonsiæ unicus tantum trium annorum filius erat, quæ cum a viro Dei aliquando ut manus ipsius capiti imponeret poposcisset, annuit ille. Vix autem in puerum oculos injicit, cum vocem altius efferens ait, In Paradisum, fili, mi, in Paradisum eundum. Hanc cum mater vocem moleste ferret, Esto, inquit, in Paradisum eat, sed cum senex fuerit. Cui Felix, Sine, sine, ut in cœlum abeat : Angelus enim est. Post hæc vix unius mensis spatium elapsum fuit, cum puer ad Cœlites migravit. Huic non absimile fuit, quod Julio Joannis Carsi filio, septem annorum puero, divino aliquando spiritu prædixit. Hic enim cum in litterario ludo cum ceteris condiscipulis Grammaticæ studiis incumberet ; contigit ut vir Dei ludum ingressus, dum pueros sedentes circumspectat, in Julium lumina intenderet. Quem simul atque attentius conspexit, O te, inquit, te que quaterque beatum ! Utinam, puer, quod tibi brevi futurum est, mihi jam seni contingeret. Tum ad se accersitum amplexans, his verbis alloquitur : Eia, Juli, Deo gratias age, ac lætitia perfundere : nam post triduum te Angeli excipient, atque in cœlum deferent, ubi sempiternis deliciis frueris. Puer vero his auditis cum domum rediisset, patris manus deosculans, ait; Pater mi, tertia abhinc die me Angeli in paradisum deducent. Cumque id ipsum matri retulisset, illa durius filium increpans, quasi qui sibi ipsi mortem optaret, insuper et colaphum illi impegit. Cui puer, nec minimum animo turbatus, ait, Nec propterea meam in paradisum profectionem impedies. Postridie e schola domum reversus, febri laborare cœpit : quæ tandem eo usque crevit, ut tertia dies humanis ereptum ad Superos transtulerit : quod ille verbis gestisque, quibus Angelos se videre annuebat, non obscure declaravit. Hujus pueri ludi-magister Sacerdos quidam erat, Mauritius nomine : qui cum Julium præter morem a ludo abesse animadverteret, causam exploraturus, ad Joannis domum accedit; Juliumque e vivis excessisse audiens, beati tunc Viri verba, quibus puerum in schola affatus fuerat, parentibus etiamnum ignorantibus aperuit.

et citam duorum puerorum mortem.

B

C

5 Hic viro Dei mos erat, ut cum divino spiritu infirmi alicujus interitum præcognosceret, eum verbis et exhortationibus ad Domini adventum pararet. Hoc pacto Georgium Cæsarinum, graviter ægrotantem, cum pluribus verbis ad pœnitentiam atque æternæ vitæ præmia capessenda cohortatus fuisset; Cleriæ Farnesiæ uxori, pro qua viri incolumitate ipsius apud Deum preces efflagitabat, perspicue dixit : Quid pro temporali ægrotantis vita rogas? Deum potius pro æterna ora, animumque cum Dei voluntate compone, quæ virum ad hujus vitæ occasum vocat. Sicubi vero ægrotantem majoribus suffragiis indigere cognosceret, illius plerumque sibi curam assumens, amplioribus illum precum auxiliis prosequebatur : uti sequenti exemplo manifestum fuit. Cum enim Alexandri Poggii uxor in morbum incidisset, prima ipsius ægritudinis die ad eam accedens, ubi tantisper cum ea de divinis rebus collocutus est, Hieronymam ipsius filiam, sexdecim circiter annorum adolescentulam, seorsum appellans ita alloquitur : Hieronyma, si matrem tuam, ut debes, pio amore complecteris, omni studio cura ut ea mentem Pœnitentiæ sacramento expiet, maturiuspus se ad hujus vitæ occasum disponat : Deus enim

Quibus autem mortem prædicit,

ii ut ad illam se recte parent, curat,

D eam ad meliorem vitæ statum vocat. Quod cum illa audisset, eo nuntio fere exanimata, jam fletus et clamores parabat : cum ad eam Felix; Sile, filia, vocem comprime : ita enim Dei voluntas fert, quæ hunc illius vitæ terminum præscripsit. Prima tantum illa ægritudinis dies erat, quæ nequidem gravioris morbi suspicionem adferret; quo fiebat ut adolescentula impensius a Dei viro posceret, ut pro matris sospitate Dominum rogaret. At ille, Frustra rogas, filia, ita enim Dei consilio statutum : verumtamen quod in me est eam mea orationum ope ad extremum usque spiritum me prosecuturum scias. Ægrotans itaque, cum ægritudine indies ingravescente ad tertiam usque diem pervenisset, quo tempore eam quotidie vir Dei invisebat, et ad divinam misericordiam promerendam hortabatur; quarta tandem illuxit dies, cum invalescente omni ex parte morbo, sanctus vir mulieris finem divinitus præsentiens, ubi eam socii curæ commendavit, in porticum secedens, nudis genibus humi defixis et cappucio ante oculos demisso, Dominum pro muliere rogat. Quatuorque horarum spatiis orando insumptis, quo tempore ægrotans cum morte colluctabatur ; quarta tandem noctis hora elapsa, cum eam Deo Spiritum reddidisse divinitus agnosceret, ab oratione surgens, festivus ad defunctæ lectum se contulit; ac lætus pro æterna salute, quam divina revelatione eidem collatam acceperat, Deo gratias agere cœpit. Tum ad Hieronymam, quæ in fletus erumpebat, conversus, Ne fleveris, Hieronyma, inquit : lacrymas absterge : non est mortua mater, sed vivit, Deo in æternum victura.

EX ANNAL. BOVERII.

et feliciter obisse cognoscit.

E

6 At vero ne Beatum virum mortis tantum, non vitæ prænuntium describere videar, nonnulla quoque exempla his subnectere libet, quibus plerisque ad mortem ægrotantibus futuram incolumitatem divinitus aperuit. In his primus est Prosper Franciscus, qui cum trium fere annorum spatio apoplexia laborasset, Dei servo de illius salute percunctanti, Lucretia uxor, Male, inquit, Prosper se habet, suo namque morbo gravius indies affligitur. Cui ille, Lucretia, inquit, Deo confide : breve tempus elabetur, cum is a morbo liberabitur. Cumque domus gradus simul cum ea conscendisset, ad Prosperum accedens, Dominus ait tecum sit, o Prosper, qui vales? Male, inquit ille, nullas enim hostis hic meus morbus mecum inducias vult pacisci. At Felix, Macte animo esto, Prosper, prospere tecum agetur: morbum enim, tibi inducias negantem, Deus sua virtute conteret : liber ac sospes eris. Cumque illius humerum manu quasi in amicitiæ signum contingeret, sæpe eadem verba repetebat : quibus ægroti animus tantopere recreatus fuit, ut illi ab oculis lacrymæ profluerent. At vir Dei ab eo discedens, Lucretiam ad aurem admonet, viro incolumitatem ad breve tempus dari, quæ maturius morte intercipienda sit. Utrumque vero illi ad amussim contigit. Tanta enim ex illo viri Dei contactu vis in ægrotum profecta est, ut brevi temporis spatio incolumis evaserit. Uxor vero, cum virum incolumem sua in Urbe negotia gerentem conspiceret, Dei servi verborum haud immemor, sibi mortuum hominem ambulantem intueri videbatur : qua propter rei magno cum timore exitum exspectans, cum Prosper post hæc mensem necdum integrum incolumis explesset, alio morbo correptus, juxta viri Dei verbum, rebus humanis valedixit. Haud absimile fuit quod Flaminiæ Gabriellæ ægrotanti, Dei spiritu fretus, aliquando prædixit : quæ cum vehementiori mortis metu angeretur, ad eam Felix accedens, Flaminia, inquit, quid te mortis formido exagitat? Ne timeas, ex hac ægritudine convalesces, atque eo usque incolumis vives, quoad Antonio nato uxorem, Lucretiæque

Apoplexia gravi laborantem,

sanandum, citoque post moriturum prænuntiat,

F

alteramque victuram quoad liberos conjugio junxerit.

EX ANNAL. BOVERII.

A tiæque filiæ virum copulaveris. Res porro eum, quem is prædixerat, finem sortita est: utroque enim in matrimonium collocato, vix parva intercessit mora, cum illa mortali vitæ finem imponit.

7 Hoc ipso prophetiæ spiritu Camillæ Zephyræ, quæ gravissimo morbo laborabat, futuram præter omnium spem incolumitatem prænuntiat. Ad hujus etenim ægritudinis curationem cum universi celebriores Urbis medici omnia medicæ artis remedia *item a pluribus medicis depositam matrem,* contulissent, communi tandem consilio in id conspirant, nullo eam remedio posse levari aut convalescere. Ad eam cum vir sanctus visitationis causa accessisset, physicorum consilio percepto, risit: atque ad ægrotantem conversus, Æquo, ait, animo esto, Camilla, vel nunc semel falsum physici conjectarunt: meliora ad te nuntia fero, certo ac cito convalesces. Neque id incassum a viro Dei prolatum: exiguo enim temporis spatio elapso, mulier ex ægritudine incolumis evasit. Hujus Camillæ filius adhuc puer, Silvius nomine, cum lapsu quodam sibi pedem graviter offendisset, et diuturna chirurgorum curatione consumptus, aliisque dein superve- *ac filium hecticum;* B nientibus morbis depastus, tam exsuccus ac macie confectus evasisset, ut vix pelle ossibus hærente eum medici in ultimam hecticæ febris speciem incidisse, ac proinde nulla illi physicæ facultatis medicamenta profutura judicarent; illo tempore vir sanctus eum invisens, Nequaquam, inquit, morietur puer, sed incolumis vivet: neque enim medici Dei consilium agnoscunt. Vix ille dixerat, cum statim puer melius se habere cœpit, ac brevi tempore integram corporis incolumitatem consecutus est.

8 Marius, ex illustri Matthæorum familia, quindecim annorum adolescens, ad eam medicorum desperationem ægrotabat, ut jam Oleo sancto inuncto, ac Deo ejus anima ecclesiastico ritu commendata, *item duos desperatos ægros.* quæ ad funus necessaria erant pararentur: quo tempore vir sanctus ad eum accedens, cum manu caput moribundi contrectasset, inde silentio abscedens, socium in itinere his verbis affatur: Quid, Frater, de Mario ægrotante tecum judicas? Cui socius, Quid de mortuo interrogas, an vivat? certe is propius a morte quam a vita abest. At Felix, Linguam comprime: vivet adolescens, et convalescet: at cave ne id cuiquam manifestum facias. Mirabile dictu! Adolescens, qui jam ad mortis fauces pervenerat, post sancti viri discessum, mox oscitare cœpit; ac tam celeriter viribus convalescere visus est, ut brevi C temporis intervallo perfectæ incolumitati redditus fuerit: ex quo id facile cuique exploratum esse potest, in hac adolescentis curatione non solum beati viri vaticinium, sed prioris illius contactus virtutem præterea attendendam esse, ex qua in adolescentem sospitas profecta fuit. Virginiam itidem Sabelliam, quæ tam graviter ægrotabat, ut, cum illius ægritudo prorsus incurabilis haberetur, nulla illi amplius ad curationem remedia adhiberentur; cum primum vir Dei in lecto jacentem invisit, totam illi morbi seriem ac symptomata, quibus eo usque afflictata fuerat, aperuit; tum ipsius animum in meliorem spem erigens ait: Virginia, ne remedia contemnas: non est insanabilis morbus: convalesces, tametsi haud perfecte: id enim ad potiorem animæ tuæ salutem ita divino consilio fieri expedit. Paruit illa: imperfectaque, uti a viro Dei prædictum fuerat, incolumitate ad mortem usque potita est.

CAPUT II.

Aliæ prophetiæ et cordium secreta cognita.

Illud vero in beati hujus viri vaticiniis maxime perpendendum est, quod cum iis ita afflueret, ut novus D in Urbe Propheta a Deo excitatus videretur; in his tamen nihil leve aut otiosum appareret, sed cuncta tantum ad ampliorem Dei gloriam vel animarum utilitatem spectarent: qui cum verorum miraculorum finis sit, eo perspicuum sane fit, ea non nisi divinitus profecta fuisse. Id cum hactenus plerisque rerum exemplis perspectum fuerit, his plura adhuc, ad certiorem hujus rei fidem; adnectenda erunt. *Iturum Lauretum colico dolore non impendiendam promittit.* Constantia Crescentia, illustris femina, cum ad sacras ædes Lauretanas religionis causa proficisci cogitaret, animo hæsitabat, num Mariam Paganellam cubiculariam pedissequam, quæ eo usque per semestre colico dolore graviter affecta fuerat, secum duceret. Inter has mentis dubitationes dum versatur, id tandem secum animo statuit, rem viri Dei, quo familiariter utebatur, consilio ac deliberationi committere, atque ab illius sententia omnino pendere. Quapropter accitum ita alloquitur: Mihi in animo est, mi Felix, sacram Lauretanam Virginis Domum venerationis causa adire; ac mente hæreo, num Mariam cubiculariam, quæ tam sæpe colico dolore affligtatur, mecum in comitatu habere debeam: E tu quod sentias; ut aperias, rogo. Præsens erat Maria; cum vir Dei eam fixis oculis attentius intuitus, respondit: Non te morbi periculum moveat, tecum eat Maria: Dominus enim secum erit. Consilio acquiescit Constantia, Mariam ducit: quæ nedum eo in itinere, sed nec unquam deinceps colici doloris molestias tulit. Erat vir Dei Agathæ Taninæ, ob singularem mulieris pietatem, familiaris: *Conjugi imminentem ex viri captivitate tribulationem prædicit:* cui post spiritualium rerum colloquia aliquando dixit; Agatha, animam tuam ad tentationem para: brevi enim tibi tribulatio excitanda est, que te ad virtutis potius exercitationem, quam ad ruinam provocet. Res haud moram passa. Nam vix paucis inde diebus elapsis, cum Agathæ conjux colapho publicum tabellionem petiisset, is statim in vincula detrusus magno in discrimine versabatur, ne ad triremes damnaretur. Quo tempore Agatha, misso ad Felicem nuntio, viri periculum exponit, eumque ipsius precibus commendat. At illam vir Dei æquo animo esse jubet, felicioremque illi rei exitum prænuntiat: quem non multo post tempore sortita est, rebus a viro cum tabellione compositis.

10 Post hæc cum de Livia Fiamberta, Comiti Gambaræ nuptui tradenda ageretur, novæ quotidie *item non successuras destinatas nuptias,* quæstiones oriebantur, quæ negotium in dies difficilius redderent. Quæ res cum Liviæ parentes male F haberet, hi animi sui molestias aliquando cum viro Dei communicarunt. Quibus ille: Quid, inquit, de Livia nuptui tradenda cogitatis? Melius (mihi credite) Livia sibi consuleret, si inter sacras Virgines sibi sedem eligeret: quocumque enim ad connubia contrahenda se vertat, undique illi graves ærumnæ ac molestiæ consurgent. Quod vero ad Comitem Gambaræ attinet; brevi, quid de eo sperandum sit, accipietis. Nihil prorsus frustra ab eo dictum. Etenim Comes paulo post in Latio interfectus omnem connubii tractationem præcidit: Liviaque cum post hæc Francisco de Marchis nupsisset, quot mala atque animi angustias pertulerit, sæpe ipsa, beati viri vaticinium referens, testata fuit. His illud memorabile accedat, quod Veronicæ cujusdam filio, quinque annorum puero, contigit: qui cum e fenestra delapsus caput pavimento collisisset, dum in eum chirurgi operam suam conferunt, en vir Dei Domus fores pulsat, Veronicamque alloqui postulat. *et puerum e fenestra in caput lapsum non moriturum.* Cui Veronicæ mater, Frustra, ait, Veronicam quæris, quæ ob filii casum ita exanimis est, ut aliud jam in mente quam te alloquendi negotium verset. At Felix, Ignoras, inquit, quod huc propterea accesserim. Inter hæc Veronica, cum Felicis vocem percepisset, ad fores cucurrit; puerique illi casum narrans,

A narrans, Deus, inquit, huc te opportune compulit, mi Felix, ut mœstæ aliquod solatium feras. Cui vir Dei; Ne de puero dubites, ait, Angelorum siquidem curæ commissus fuit ne interiret. Interea vero dum chirurgi suas in puero artes experiuntur, is seorsim secedens, positis genibus vehementius Deum pro puero rogare cœpit. Tum ex oratione surgens, ait Veronicæ; Nullus te pro puero metus sollicitet; puer convalescet: neque id tantum, verum et suo tempore in Cappucinorum numero conscribetur. Porro utrumque in puero vaticinium expletum: nam valetudini redditus, cum ad juventutis annos pervenisset, Cappucinorum religioni adjunctus, in ea Clementis nomen est sortitus.

Procuraturam gener. Ordinis cuidam præsagit.

11 Sed ne nostros præterire videar, quibus beatus hic Dei servus aliquando eventura prædixit, unum exemplum referre sufficiat. Erat Fr. Bonaventura a Monteregali Siculus, Romanæ Provinciæ Minister: quem cum vir Dei aliquando in conventu obvium habuisset, nullo verborum circuitu usus, his verbis affatur: Pater mi, si quidpiam in te Religio muneris contulerit, cave ne illud recuses. His verbis Ministri animus variis cogitationibus exagitari B cœpit. Cum enim Felicem nihil sibi grave animo ac verbis præ se ferentem non ignoraret, haud frustra hæc ab eo dicta esse non dubitabat. At brevi hac molestia liber fuit: nam Ordinis Procurator creatus, quid illa viri Dei admonitio præ se ferret, perspectum habuit. Plura hic hujus generis exempla recensenda essent, quæ ex beati viri vitæ processu liquido constant: quæ tamen potius silentio præterire, quam legentium animos eorum multitudine obruere volui. Sed quoniam Beatus hic Dei servus Dei Spiritum, non modo ad futura præsignificanda, verum et ad intimas quasque animi cogitationes occultissimaque rimanda, a Deo copiosissimum acceperat; ex his nonnulla attingere, et Dei gloria ac Beato huic viro honos debitus compellunt.

Amicum de occulto odio deponendo monet

12 Dux quidam peditum a Cantalicio, Angelus Beccarinus nomine, qui viro Dei familiaris erat, ad eum aliquando visitationis causa accessit: quem simul atque Felix attentius conspexit, his illum verbis affatur: Angele, cur a satana te tentari permittis? et, quod pejus est, eidem locum præbes? odium quod in mente geris abjice, ac pravam animi voluntatem in meliorem commuta, si opportunam Dei opem tibi parare optas. Erubuit Angelus, cum ea sibi a viro Dei patefieri audit, quæ occultissimo C cordis sinu secreta gestabat: eo namque tempore quo modo acceptam a quodam viro, quocum occultam simultatem gerebat, injuriam ulcisceretur, secum animo versabat. Hoc pacto cum occultas illi mentis cogitationes aperuisset, haud sane levis viro stimulus fuit, ut conceptum odium deponeret, pacemque cum adversario iniret. His accedat Paulæ cujusdam Mediolanensis piæ mulieris factum: quæ

Missæ ministerio dimisso,]

cum, ob viri cujusdam nobilis adventum qui ab ea mensa excipiendus erat, Marthæ ministerio occupata, prædicationi interesse non posset, nimio dolore angebatur: atque hanc sermonis jacturam nimis graviter ferens, in lacrymas erumpebat, cum id viro Dei, ad Missam ministranti, divinitus revelatum fuit. Quo altero ad ministerium accito, ad Paulæ domum, non longe a Cappucinorum conventu distantem, festinat; eamque lacrymantem offendens, Quid, inquit, o paupercula, te tantopere cruciat, atque ad lacrymas compellit? stulto plane dolore consumeris: nam sacris concionibus interesse, cum per otium licet, pia profecto res est: at necessariis domus ministeriis patienter incumbere, cum

ad srupulum tollendum advolat.

res ita postulat, Deo magis gratum. Ego quidem Sacerdoti Sacra facienti ministrabam: sed cum te plus æquo dolore affectum viderem, Altaris ministerio prætermisso, huc te consolaturus accessi. D Atque his dictis cum mulieris animum recreasset, ipse ad sacrum Altaris ministerium rediit.

EX ANNAL. BOVERII.

13 At neque minori admiratione dignum fuit, quod de Dionysio Meliorato Biturgiensi nostra manuscripta tradunt: qui cum grave aliquod negotium cum beato viro communicaturus semel ad conventum concessisset, antequam ulla de re proposita cum eo verba faceret, vir Sanctus, perinde ac si universa quæ in ipsius animo versabantur velut in codice legisset, totam illi negotii telam explicat, opportunaque ad illud gerendum consilia ministrat. Qua ex re tam obstupuit Dionysius, ut nullo prorsus cum eo sermone habito, Dei majestatem in tam præclaro viro laudans, abscesserit. Admirationem porro auget quod Marino Otti, nobili Veronensi (quemadmodum ex processu certa fide constat) aliquando contigit. Hic per duodeviginti annorum spatium inhonesto cujusdam mulieris amore captus, diaboli laqueis irretitus tenebatur; cum oblatrante conscientia, Deoque illum ad meliora provocante, ex his tandem liber evadere cupiebat: at miser instar pigri, qui vult et non vult, peccati jugum excutere voluisset, nec tamen volebat. Hac E animi procella jactatus, cum seipsum e naufragio eripere non valeret, suppetias sibi undique ex piorum hominum ac religiosorum precibus quærebat. Verum cum neque his diabolicam tentationem vinceret, die quadam, spe omni abjecta, solus ac tristis per S. Marci viam incedebat. Cum sublatis oculis beatum virum sibi ex adverso occurrentem, atque ad se festinantem spectat: qui cum propius ad eum accessisset, manibus apprehensum, fortius illum, perinde ac si a somno excitare vellet, cœpit concutere, ter his verbis exclamans, Da gloriam Deo, Da gloriam Deo, Da gloriam Deo. Marinus vero, cum Felicem non agnosceret, verborumque illius vim ac mysterium eatenus ignoraret, facto confusus erubescebat. At vir Dei post hæc abscedens, Vade, inquit, et Dominus tecum sit. Vix autem ab eo Felix digressus fuerat, cum divinam protinus Marinus in seipso virtutem sensit: ab eo namque tempore priores illæ cordis angustiæ ita dilatari, turpis amoris vincula dissolvi, mulier ex animo excidere, ac mentis cogitationes in meliores mutari cœperunt, ut nullis deinceps aut mulieris blanditiis aut minis adduci potuerit ut ad commune iterum tectum rediret. Sed illa penitus rejecta, honestioris vitæ genus instituit: ac tunc primum, quid illa viri Dei verba F præ se ferrent, quibus ea quæ in intimo illius cordis sinu agebantur indicabat; quantæque virtutis fuerint preces, quibus divinam illi opem ac misericordiam exoraverat, non obscure agnovit.

Cum impuro amore luctantem in animo, agnoscit et victoriam pollicetur.

14 Occultum quoque animi sensum, quem Gaspar quidam Garsonius mente gerebat, neque ulli unquam communicaverat, beatus hic cœlesti lumine præditus hoc modo aperuit. Arsilia de Fabiis, hujus Gasparis propinqua, cum rerum quæ vitæ necessaria sunt egestate laboraret, Felicem adit, ipsiusque apud Gasparem officia requirit, quo sua ab inopia sublevetur. Accedit vir Dei ad Gasparis domum, suam mulieri operam præstiturus: at illum absentem audiens, uxori tempus indicat, quo Gaspare ad conventum accedente is ejus colloquio frui possit. Dum Gaspari uxor quæ a Felice acceperat renuntiat, ille mox rei causam, ad quam eum vir Dei accerseret, animo versans; nullamque aliam fore arbitratus, quam quod is suam pro Arsilia operam interponere vellet, vir Dei interpellationi difficilem se præbere cogitat. Hac animi cogitatione cum ad virum Dei stato tempore accessisset, ab eo cujus rei causa ipsum accerseret, quidve ab ipso optaret, percunctatur. Cui Felix: Cogitaveram quidem, ait, abs

Certum negare, id quod petiturum credebat Felicem, revelata ejus cogitatione inducit quo volebat.

Ex Annal. Boverii.

abs te quidpiam; quod tibi aliisque profuturum esset, efflagitare : at quandoquidem id tam tibi molestum est, ut plane difficilem te meis interpellationibus reddere cogitaveris, ab eo jam animum avocandum, nec quidquam abs te mihi postulandum censeo. At Gaspar, Edissere, inquit, quid postules : neque enim, tametsi illud mihi molestum sit, apud me vacua postulatio tua erit. Cui rursum Felix : Quid postulationem meam quæris? Ignoras quod hæc recte postulantibus lex sancita sit, ut quæ molesta sunt numquam ab amicis petant? Qui enim invitus ad beneficium trahitur, non beneficium præstat aut amicitiam fovet, sed potius amicum perdit et amicitiam jugulat : neque reputat Deus quæ invito, sed quæ ultro libentique animo geruntur. Ne igitur a me quid postulem quæras, cum non nisi invitus postulatis acquiescere debeas. Hic cum Gaspar animi sui cogitationem virum Dei non latuisse cognosceret, re commotus, atque animo mutatus, domum rediit; Arsiliamque, a qua sancti viri postulationem didicit, prudens jam ac volens suis opibus juvit.

CAPUT III.

Miracula in curandis morbis a Felice patrata.

Signo Crucis sanat,

At quandoquidem mihi de beati viri miraculis imposterum agendum est, hic necessario præmonendum duxi, me non omnia quæ vel ex ipsius Beatificationis Processu, vel ex authenticis manuscriptis constant, enarranda suscipere. Cum enim ea tam multa sint, ut integrum volumen sola conficere valerent; quamplurimis consulto prætermissis, graviora tantum prosequi opportunum censui : exordiendum autem ab iis quæ sacrosancto Crucis signo mediante patravit. Anna Borromæa, quæ magni Magistri equitum Columnensis quondam mater fuit, *dolorem capitis,* tam acerbo capitis dolore aliquando cruciabatur, ut cum jam nullo medicorum remedio levari posset, virum Dei, cujus sanctitatem venerabatur, ad se accersitum rogaverit, ut frontem sibi Crucis signaculo muniret. Signum Felix adhibuit : quo ab ea mox omnis capitis dolor aufugit. Hoc quoque modo *febrim,* Octavia Paravicina, quæ Cardinalis olim Paravicini soror fuit, filium, Marcum-Antonium nomine, gravi febre ægrotantem lugebat; cum eo aliquando Felix adventans, summis ipsius precibus cedere cogitur, quibus febricitantem filium Crucis ab eo signo signari postulat. Felix igitur cum positis genibus aliquamdiu orasset, dein surgens, Nihil, inquit, metuas, Octavia : cito Marcus-Antonius convalescet; ægratantemque signo Crucis petens, febris illico ardorem compescit, ac brevi temporis spatio penitus fugat.

16 Hoc ipso Crucis signo, tametsi præter morem *pleuritim,* apposito, cujusdam Cæciliæ Saulæ matrem, gravi morbo laborantem, in pristinam sanitatem adduxit. Hæc etenim cum pleuritide affecta magno in vitæ discrimine versaretur, forte accidit ut eo vir Dei accederet : qui Cæciliam, ob caræ parentis periculum ingemiscentem, totamque domus familiam tristem circumspectans, cunctorum misertus; Cæcilia, inquit, ne fleveris : simul ad matrem tuam pergamus. Quo cum pervenisset, verbis illam jucundis salutans, ait; Quid tibi est, o Sanctula? Cur times? Num Crucis vis signaculo communiri? Cui ægrotans; Id a te, inquit, summis votis efflagito. At ille : Jam ergo in Domino confide. Cumque caput versus ægram inclinasset, in ipsius fronte Crucis signum lingua efformat : moxque parva interjecta temporis mora, ægrota copiosum ex ore sanguinem expuens, cum simul cum eo febrim expuisset, postridie incolumis e lecto surrexit.

17 Post hæc Ariani Marchionissa, cum gravissime colicis doloribus cruciaretur, Felicem accersit, a quo Crucis signo obsignari postulat. Cui ille, Quid, inquit, a me Crucis signum petis, perinde ac *colicam,* si virtus aliqua in me flueret, quæ tibi mederi queat? Erras profecto : nulla enim, neque minima in me fulget sanctitatis scintilla : homo peccator sum, divinis judiciis obstrictus. Verumtamen si tuam in sacrosanctum Crucis signum spem ac fidem contuleris, illud tibi ad salutem proderit. Cumque his eam verbis ad Crucis venerationem excitasset, signum Crucis adhibuit : statimque eam a cruciatu liberavit. Hoc eodem dolore cum Fr. Clemens Picenus, ex nostris Sacerdos, tam atrociter torqueretur, ut velut insanus sese per lectum volutaret; ter ab eo signo Crucis consignatus, pristinæ valetudini redditus fuit.

18 At memorabilis cujusdam Martii Severoli cu- *letalem morbum,* ratio fuit, a beato viro divina virtute peracta : hic enim letali morbo oppressus, cum physicorum judicio vix tertiam horam vita comite conspecturus esset, illum tota domus familia velut mortuum lugebat : quo tempore vir Dei, non absque divinæ mentis consilio, ante Martii domus fores apparet. Quem simul atque Justinianus, Martii moribundi germanus frater, conspexit, protinus ad eum; Heu! Felix, inquit, Martius nos cum luce deserit : jam animam agit. Cui vir Dei festivus; Quid de Martio comminisceris? falleris. Martius bene valet. Hæc cum dixisset, conscensis gradibus ad Martium moribundum accedit, eoque Crucis signaculo obsignato *gradiendi impotentiam,* protinus abscessit. Vix autem inde digressus fuerat, cum Martius, velut e somno evigilans in lucem, respirat, atque, a morbo liber hoc ipso tempore incolumitatem assequitur. Huic et aliud accedat. Portia Pulicella coxendicis morbo tamdiu ac dire afflictata fuerat, ut velut impotens in lecto jaceret, neque nisi alicujus ope e lecto dimoveri posset. Universa in eam physici medicinæ artis medicamenta experti fuerant : quæ cum nihil ægræ profuissent, morbum insanabilem judicaverant. Hæc beati hujus viri aliquando præsentiam nacta, suas illi corporis afflictiones ac dolores aperit. Cui ille, Cur animo concidis? inquit : Dei tantum clementiam ac Deiparæ Virginis tibi patrocinium precibus implora, quorum ope ab his curari potes. Ægra vero, cum ab eo Crucis signo muniri impensius flagitaret, annuit ille : eamque Crucis signo confortatam, post spirituale colloquium relinquit. Post beati viri discessum, cum ægra omni se dolore levatam cerneret, num a morbo libera esset periculum factura, e strato surgens, pedes in terram dimittit : moxque tam valido gressu, quæ prius impotens erat, cœpit incedere, quasi eo numquam morbo laborasset. Quod cum divinæ virtuti, quæ per Crucis signum illi a Dei servo impensum operata fuerat, merito adscripsisset; Deo cum lacrymis gratias agens, totam domus familiam ad laudandum Deum suo exemplo provocat.

19 Neque absimile fuit Claudii Bertrandi exemplum : qui cum septem annorum puer esset, utrius- *tibiarum cruciatus,* que tibiæ dolore tam acerbo torquebatur, ut dies noctesque inter ejulatus transigeret. Jam semestre inter hos tibiarum dolores puer consumpserat, neque ulla medicorum pharmaca ei quidquam prodesse poterant : quamobrem pia mater, spem omnem salutis carissimi filii sibi ereptam cernens, ad virum Dei confugit; quem opportune domum vocatum multis cum lacrymis orat, ut languenti nato a Deo salutem exoret. Hic flebat pia parens, illic puer dolore confectus gemitus edebat : istorum vir Dei commiseratione

A commiseratione motus, ubi utrumque verbis est consolatus, pueri tibias nudari jubet : tum sacro illis Crucis signo impresso, mirabile dictu! confestim mitescit dolor, ac post breve temporis intervallum perfecta puer tibiarum incolumitate fruitur.

cæcitatem unius pueri,

20 At vero quod Fluvio Fusco accidit admiratione plane dignum est. Hic totidem annorum puer, ob copiosum pituitæ cursum, et nervorum opticorum læsionem eo devenerat, ut utriusque oculi lumine careret. Omnia ad pueri curationem frustra tentata remedia : jam is integrum annum hac in cæcitate transegerat, neque ulla illi, quod pejus erat, recuperandæ lucis spes omnino effulgere videbatur : quo tempore puer iteratis vocibus exclamare cœpit, Fr. Felix Cappucinus me curaturus est, ipse mihi lucem restituet. Cumque in has sæpe vociferando voces erumperet; mirabatur pater, qui, licet Felicem fama in Urbe notum agnosceret, familiarem tamen non habebat. Attamen frequenti illa filii voce permotus, Matthæum Lapostensem Felicis socium, ut Felicem semel ad puerum ducat, obnixe rogat. Matthæus vero, cum Felicis animum, ab ul-
B tronea infirmorum curatione penitus alienum, intelligeret; pueri quidem cæcitatem subticens, ipsius dumtaxat præsentiam ab honesto viro desiderari renuntiat. Temporis itaque vir Dei opportunitatem nactus, ad pueri domum se confert. Fulvii autem pater, cum primum viri Dei adventum persensit, illi cum puero, quem manu ducebat, ad domus fores accurrit : atque ubi primum ei salutem impertitus est, puerum his verbis compellat. En, Fulvi, Felicem, quem tantopere expetis, jam adest : quidnam ab eo postulas? Puer autem plurimum ob illius præsentiam gavisus, O Felix, inquit, tu meo malo mederi debes, id enim facile potes. Obstupuit hac rei novitate vir sanctus : quare ad puerum conversus, Quid tibi male est, inquit, fili, cui ego mederi queam? Cui puer, cæcus sum, ait, luce careo : tu oculorum mihi lumen restitue, tu visum redde. Substitit in seipso paulisper Felix, puerum ita constanter hæc dicta proferentem audiens : tum ad eum, Nescis, fili, quod ego peccator sum, atque omnium flagitiosissimus? quomodo ego te a cæcitate curare valeo. At quo magis vir Dei ab ipsius curatione refugere videbatur, eo altius puer vocem attollens exclamabat, Felix, ut mihi signo Crucis
C oculos obsigna ut videam. Admirabatur vir Dei pueri in curatione postulanda constantiam : quare ad eum rursus, Credis, fili, quod sacrosanctum Crucis signum te a cæcitate liberare queat? Cui puer, Credo, Pater : cumque sæpius id constantissime repeteret; vir Dei, ubi omnes jussit genu flectere, ac ter orationem Dominicam cum Angelica salutatione Deo pro pueri salute offerre; manu pueri oculos contingit, et signo Crucis consignat, dicens; Fili, ne dubites, juxta fidem tuam convalesces. Vix signum Crucis Felix absolverat, cum puer exclamare cœpit; Miraculum, Pater, en video, en clare omnia cerno. In cujus rei testimonium, mox absque ductore domus gradus conscendit. Porro domus familia, miraculo obstupefacta, illud per vicum disseminare parabat; cum vir Dei eam acriter objurgans, statim domus fores egressus, eas exterius pessulo claudit, ne factum in vulgus promulgaretur, ex quo sanctimoniæ existimationem, a qua plurimum abhorrebat, sibi apud homines conciliaret.

signo Crucis tollit.

Contactu manuum sanat abscessum in gutture;

20 Neque pauciora solo manuum contactu, nullo Crucis signo adhibito, Divina virtute præstitit. Clelia Farnesia, quæ viro Dei devotissima erat, gutturis morbo gravius aliquando vexata, cum medicorum remediis deterius in dies se haberet, Felicem, cujus jam virtutem experta fuerat, sibi in opem
D advocat. A quo cum ab eo morbo curari postularet, reluctabatur vir Dei, hac se virtute destitutum prædicans, magis autem eam ut ad Dei opem confugeret verbis hortabatur. At cum ea preces ac lacrymas multiplicaret, his tandem cedens vir Dei, gemino tantum digito collo ipsius apprehenso, Deus, inquit, te sua virtute incolumem reddat. Vix hæc ille protulerat, cum latens in gutture abscessus repente aperiri ac suppurare cœpit, ex quo brevi morbus abscessit. Post hæc Julius Jacomellus, cum malignæ febris ardore, tum laterum dolore, qui totam cordis regionem occupabat, in id vitæ discrimen inciderat, ut ipsius salutis prorsus medici spem abjecissent. Hunc cum vir Dei hoc tempore inviseret, ab eoque suæ ægritudinis causam percunctaretur; latus is illi lævum ostendens, inde ægritudinem suam proficisci affirmat. Quud cum vir Dei manu contigisset, protinus æger in suavem quemdam soporem resolvitur, ex quo paulo post tempore evigilans, ac febri ac lateris dolore liber, Deo et suo liberatori grates agit.

EX ANNAL. BOVERII.

dolorem crurum,

E 21 At admirabili plane modo Petrum Stratalinum, eresipelatis morbo in tibiis laborantem, curat Is namque cum crurum ardore, cui tumor accesserat, ita exagitaretur, ut illum fere ad mentis insaniam adigeret; ad mulierculam confugit. Quæ cum superstitiosa quædam ac venefica tibiis remedia adhibuisset, tantus illi percrebuit dolor, ut velut amens clamores in cœlum efferret, quo tempore vir Dei Felix eo appulit. Qui cum ad ægrotum accessisset, salutationis ac consolationis loco utramque illius tibiam manu apprehendens, eas invicem concutere et maximo ægri dolore cœpit collidere. Interea ægro præ dolore exclamante, et ipse clamare cœpit, o Sancte Francisce! Sancte Francisce! Ab hac porro crurum collisione cum post breve temporis spatium vir sanctus tandem cessasset, Petrus simul ad omni crurum dolore et eresipelatis morbo liber fuit : ea vero tibiarum collisio haud sane absque Dei consilio, beato vero divinitus significato, ægro inusta fuit. Cum enim antea ad dæmonis remedia confugisset, æquum sane erat ut scelus prius ea pœna expiaret, qua Dei misericordiam promereretur.

tumorem capitis.

22 Ad hæc cum Virginia Viperesia, quæ multis nostros benefactis prosequebatur, tristior aliquando teneri filii sui infirmitatem lugeret; Viro Dei, ab ea mœstitiæ causam sciscitanti, respondit; Octavius F meus (hic parvulus illius filius erat) in cœlum migrare parat : tam enim periculoso capitis morbo laborat, ut facie et toto capite in tumorem converso, non puer sed monstrum esse videatur : et quod periculum auget, os ita eo morbo illi occlusum fuit, ut jam diem absque cibo præterierit, quo fit ut de ipsius vita medici prorsus desperaverint. Cui beatus vir : At medici garriunt, inquit, haud ita erit. Utinam haud ita esset, ait Virginia, neque nato, qui mihi unicus est, tam cito orbarer! Quid plura? inquit ille : ad puerum pergamus. Vix autem is puerum conspicit, cum ad Virginiam, Nequaquam, inquit, morietur puer : quin etiam cito convalescet. Cumque manus suas aqua lustrali intinxisset, vix iis pueri faciem, os, caputque contrectat, cum eodem temporis momento, mirum dictu! abscedit tumor, os panditur, puerque cibum postulans pristinæ mox sanitati restituitur.

Oratione curat febrim.

23 Joannes Antonius Capisuccus, S. R. E. Cardinalis, per quadraginta dierum tempus numquam intermittente febri laborans, ad vitæ occasum properabat : illi Felix sua oratione vitam incolumitatemque restituit. In cujus rei testimonium Cardinalis ipse nocte quadam, e morbo, quasi e gravi somno evigilans, cum sibi viri Dei oratione salutem redditam

Ex Annal. Boverii.

A tam fuisse cognosceret; statim Felicem ad se vocari jubet : quem tot amplexibus ac gratissimis verbis præsentem excipit, ut ab eo salutem illum consecutum fuisse facile cuncti intelligerent. Nec minorem Beati hujus viri miraculis fidem conciliat Constantia Cotta : quæ cum ob insuperabilem morbi vim certum brevi sibi vitæ occasum exspectaret, Felicem, quem desperatis morbis mederi non ignorabat, ad sui præsidium vocat; beatique viri preces, velut auxiliares copias quibus adversus mortem dimicaret, sibi exorat. Fundit ille noctu pro ægra suos ad Deum rogatus : quo tempore vis ita morbi defervet, ut cum mane illucescente ad eam vir Dei rediisset, jam ægra omne mortis periculum evasisset : ac tam brevi temporis spatio perfecte convaluerit, ut divinæ in ea virtutis operationem universi suspicerent. Huic Septimia, ex Bentornatorum familia, accedat : cujus cum ita desperata salus esset, ut jam fere extremo cum morte prælio conflictaretur; Felicis, quem Angela Antidei ejus propinqua eo perduxerat, impensius se orationibus commendat. Eam vir Dei cum attentius contemplatus fuisset; Septimia, inquit, in Domino confide, nec te morbi vis dejiciat : jam pro

letalem morbum,

B te Dominum oraturus abeo : hisque dictis abscessit. Nocte vero, beato viro pro ægra Dominum orante, tunc primum manifesta illa convalescentiæ signa edit; adeoque mitescit morbus, ut cum postridie ad eam vir Dei accedens, ab ea quomodo se habere sciscitatus esset ; Melius, inquit, mi Felix, melius profecto : hac etenim nocte, oris vomitu cessante, mihi in vitam respirasse videor. Cui Felix, Septimia, inquit, æquo animo esto, cito perfecte convalesces. Tum, ubi genu flexo paulisper oravit, parvulam Crucem, quam ipse sua manu compegerat, collo ejus appendit. Qua, perinde ac si extremam cœpto operi manum imposuisset, tam celeriter perfectam ægræ sanitatem contulit, ut morbo numquam affectam fuisse crederetur.

fluxum sanguinis :

24 Hoc fere modo Claricem Aragoniam prægnantem, graveque ob sanguinis fluxum abortus ac mortis periculum subeuntem, oratione ac chicoreæ manipulo quo vesceretur ad eam misso, a sanguinis profluvio liberat, fœtumque incolumem servat. Ab hoc ipso sanguinis fluxu Olympiam Ursinam prægnantem, maximaque ciborum inappetentia extenuatam, divina virtute curat, dum illi sua manu suillam carnem edendam præbet. Ea namque vix gustata cessat sanguinis fluxus, ac tanta ægræ fames exoritur, ut eam abstinentia cohibere oporteret, atque

C eodem tempore incolumitati restituitur. Verum salus, Santesio Marazzino calzolario a beato viro reddita, non solum domesticis, sed etiam physicis summa admiratione digna visa fuit. Hic enim cum diu febri continua laborasset, qua die SS. Abundii et Abundantii Reliquiæ, ex ecclesia SS. Cosmæ et Damiani in templum Jesu nomini dicatum translatæ fuerunt, ut solenne illius translationis spectaculum intueretur e cubili surgens, ad fenestram se contulit. Quam ob rem febri ingravescente, in illud vitæ discrimen incidit, ut de illo prorsus actum esse medici judicarent. Interea beatus hic vir, Santesii patrem in via sibi obvium habens, de Santesio, qui se habeat, inquirit. Cui ille : Ita male, mi Felix, ut omnis nobis de ipsius salute spes sublata sit. Hoccine? ait Felix, jam mihi eum videre liceat. Cumque una cum patre ad ægrotum se contulisset, festiva illum salutatione compellans, ait, Santesi, quomodo te habes? Cui æger, Bene, inquit, quia ex hujus vitæ ærumnis emergere festino. At vir Dei : Tua te, ait, sententia fallit : in his namque tibi adhuc diutius versandum. Maloque Cydonio, quem mantica depromit, oblato; Accipe, inquit, Cydonium, atque illius te odore recrea, divinæque pietati com-

mali cydonii olfactu moribundum :

menda. Malum vix ille naribus admovit, cum repente febris, qua eatenus afflictatus fuerat, evanescit : ac brevi tempore instauratis viribus, perfecte convalescit. Porro redeuntes medici, cum ægrum vel cum morte colluctantem, vel jam vita cessisse crederent; a febri atque ab omni vitæ periculo liberum spectantes, præstigias sibi cernere videbantur, donec beati viri facto percepto divinæ virtutis opus suspexere. D

alium appenso ad collum Jesu nomine :

25 Paulus-Æmilius Zephirus, jam medicorum ope destitutus, animam agebat; cum Hortensia uxor beatum virum advocat. Advolat ille, ægroque conspecto, quid times, Hortensia? ait, æger facile incolumitatem assequetur. Cui illa : Si mortuo, inquit, ulla convalescendi spes est, hæc sane Paulo-Æmilio reliqua esse potest. At Felix, Id oculis conspicies, inquit. Cumque omnibus qui aderant genuflexis quinquies orationem Dominicam totidemque salutationes Angelicas Deo persolvendas proposuisset; is sacrosanctum Jesu nomen in chartula impressum ægri collo appendit : tum collyram ex mantica proferens, ea ægrum vesci jubet. Qui illius dicto obediens, cum aridam collyram, ut melius poterat, E dentibus rodere cœpisset; naturæ viribus paulatim accedentibus, morbus abscessit; ita ut medici paulo post redeuntes, cum longe diversum in ægro corporis statum deprehendissent, tam instantaneam mutationem, non a natura, sed a naturæ auctore profectam esse testarentur. Eodem modo et D. Germanicum Carthusianum, febri et angina graviter laborantem, quinquies cum socio oratione Dominica et salutatione Angelica recitatis, ejusque gutture Crucis signo consignato, incolumitati restituit. Andreæ itidem de Grandis, S. D. N. Papæ utriusque signaturæ Referendario, qui ob acutissimum capitis dolorem in lecto jacebat, cum manum capiti imposuisset; evangelicis illis verbis prolatis, Super ægros manus imponent et bene habebunt; illico dolorem abstulit, quo nec amplius deinceps laboravit. Erminiam a Porta graviter ægrotantem cum beatus vir ad spiritualem quamdam cantiunculam, quam ad Dei laudem composuerat, secum decantandam compulisset; eodem temporis momento a morbo liberat. Constantiæ quoque Crescentiæ, feminæ, gravissima ægritudine affectæ, cum vini paululum ex lagena propinasset, mox incolumitatem reddidit.

sanat dolorem capitis etc.

Infantem ab incauta matre oppressum,

26 Divinis hisce ægrotorum curationibus, quæ a beato viro patrabantur, mortui cujusdam pueri exsuscitationem, multis et clarissimis argumentis probatam, libet adjungere : de qua ita in Processu habetur. Ibat aliquando vir Dei cum Matthæo Lapostensi Socio, quotidianam stipem per Urbem quæritans. Cumque ad viam quæ Serra-Capitis nuncupatur pervenissent, inde de more alter ab altero digressus, quisque viam suam ad mendicandum captat. Porro Felici accidit, ut per viam pergens, ingentes e domo quadam clamores ac ploratus editos perciperet : quapropter eo accedens, quid infaustum ibi acciderit percunctatur. Cui mulier dolore absorpta; Hei mihi! o Felix, inquit, væ miseræ ac omnium mulierum infelicissimæ : periit enim infantulus meus, incaute hac nocte a me in lecto oppressus; et, quod dolorem auget, certam mihi a viro necem exspecto : qui cum id alias quoque meæ imprudentiæ culpa accidisse noverit, haud semel mihi interitum minatus est, si in id modo forte crimen impingerem. Quid plura? jam nulla mihi a crudeli viro vitæ spes exspectanda est. His mulieris afflictissimæ verbis ac lacrymis permotus beatus vir; Ubinam, inquit, est puerulus? Quem cum super mensa jacentem atque exanguem mater ostenderet, Non est, inquit, mortuus puerulus, sed dormit : infantisque utraque manu apprehensa, perinde ac si vivus esset, ei abblandiri cœpit. F

vitæ reddit.

Cui

A Cui cum levem tandem colaphum incussisset, infans qui mortuus erat protinus oculos aperuit, ac veluti beato viro colludens festivus ridere cœpit. Is vero eo mox matri reddito actutum aufugit, ac ne miraculum apud alios pervulgaretur domus fores occlusit. Id tamen cum mulier quamplurimis retulisset, inde in Urbe illius fama ubique disseminata fuit : cui et ipsemet Felix testimonium tulit, qui illud aliquando Matthæo Socio, sub secreti sigillo ac divini Judicii obtestatione, aperuit.

CAPUT IV.

Miracula aliis in rebus a Felice facta : panes, vinum, oleum multiplicata.

Bombyces, defectu siccarum frondium morituros,

Superest denique ut alia quædam miracula historia complectar, quæ is ad multorum dumtaxat solatium ac divinæ Majestatis gloriam declarandam, variis exigentibus causis, præter naturæ ordinem præstitit. Inter hæc imprimis memorabile illud de bombycibus legitur, qui a Magdalena quadam Famicia ad sericum conficiendum alebantur. Hæc cum crebris imbribus e cœlo cadentibus bombycum suorum necem B extimesceret, ob id maxime quod albæ mori siccas frondes iis parare non posset, mœsta aliquando præ domus suæ foribus sedebat. Quam cum vir Dei stipem emendicans tristem cerneret, ab ea mœstitiæ causam sciscitatur. Qua audita, Quid, inquit, de bombycibus solicita es? timorem abjice. Tum ab ea confestim discedens, paulo post albæ mori fronde onustus revertitur : nullaque interjecta mora, ad bombycum qui etiamnum humi reptabant locum ascendens, universa illa albæ mori folia, quæ imbre prorsus madida erant, super eos effundens, B. P. N. Francisci interea nomen invocat. Id vero dum Magdalena conspicit, altius exclamat, Quid agis? o Felix, quid agis? bombyces interimis. Etenim cum madidæ illæ frondes bombycum alveum disrumpant eosque perimant, certum illa bombycum hujusmodi

madentibus inspargens Felix,

frondium conspersione interitum exspectabat. At vir Dei, nihili mulieris clamores faciens, ubi universas super saginarios bombyces frondes sparsit, inde ocyus abscessit. Rem Magdalena ita graviter tulit, ut cum marito domum revertenti Felicis factum renuntiasset, is cubiculi, in quo bombyces jacebant, ea nocte fores occludi juberet; ne eorum, quod mortuos sibi persuaserat, fœtor per totam domum se diffunderet. At res longe diversum, quam sibi uterque C persuaserat, exitum sortita est. Illucescente namque die, cum Magdalena e lecto surgens pedes crepidis inferre vellet, eas bombyciis cocconibus undique convestitas cernens, undenam ii processissent mirabatur. Cum aperta fenestra, quam plurimos hujusmodi

non solum salvos præstat,

cubiculi parietibus adjacentes videt. Quam ob rem ad bombycum cubiculum advolans, rem omnibus seculis admirandam intuetur. Bombyces enim, qui necdum edere desierant, nec ramulos conscenderant, neque multorum dierum spatio ad membranaceos illos suos folliculos effingendos, e quibus sericum evolvitur, suapte natura idonei erant; quique ob humentes frondes quadam naturæ necessitate ad interitum rapiebantur, qui demum mortui et fœtentes

sed una nocte ad sericum texendum perducit.

credebantur, unius tantum noctis spatio ita præter naturam adolevisse conspicit, ut bombycii facti jam bombycea stamina orsi essent, folliculos construxissent; et cum ad bombycinum opus texendum ramos sibi ministratos non haberent, parietes, abacum, scrinia, tabulatumque conscendissent; omnesque illius ædiculæ tum inferiores tum superiores partes suis folliculis opplessent. Hujus in rei spectaculo tantus eam invasit stupor gaudio permixtus, ut vix oculis suis crederet. At sibi tandem reddita, cum divinam in viri Dei facto virtutem simul cum conjuge D venerata esset, ex eo didicit nimiam humanæ industriæ solicitudinem a Deo sæpe deludi, ut majorem in Dei ope ac providentia quisque spem sibi conferendam sciat.

EX ANNAL. BOVERII.

cucurbitam fractam redintegrat ;

28 In Romano conventu ad hanc usque diem servatum fuit, ut cucurbitæ pro lagenis inserviant. Accidit autem aliquando, ut dum vir Dei cucurbitam vino plenam ex humero deponit, ea in solum delapsa, duas in partes divisa ac perfracta fuerit : ex qua cum vinum undique efflueret, is statim ambas cucurbitæ partes utraque manu comprimens, perinde acsi eas copulare vellet, ita integram cucurbitam præstitit, ut ne ullum quidem confractionis signum in ea relictum fuerit. Ceterum quam apud Deum pretiosa ac honorabilia sint, quæ apud homines ignobilia videntur, haud aspernando vir Dei signo declarare voluit. Octavio namque Roncioni, qui copiosum pecus alebat, cum sexcentæ circiter oves brevi temporis spatio morbo interiissent; Dorothea uxor, quæ id propterea gravius ferebat, quod totum gregem eodem morbo perimendum extimesceret, mœstitiam aliquando vultu præ se ferebat. Quam vir Dei tristem conspiciens, causam percunctatur. Qua E percepta, Quid, inquit, de divinæ mentis consilio frustra tristaris? Dominus dedit, Dominus abstulit; sicut Domino placuit ita factum est. Verum, si reliquum gregem a morbo liberum optas, ad Cappucinos mitte, ut aquam qua nostrorum advenarum pedes loti fuere ad te perferant, eaque totum gregem asperge : inde enim fiet ut aspersum pecus eum deinceps morbum non contrahat, et quod morbosum est a morbo curetur. Res haud surdæ dicta : confestim namque mulier aquam a Fratribus impetrat, grex aspergitur, ac juxta sancti viri dictum incolumis servatur.

aqua qua pedes Fratrum loti erant,

gregis mortalitatem sistit

Famis tempore arcam vacuam farina replet :

29 Quo tempore magna frugum inopia Urbem invaserat, Felix ad mulieris cujusdam pauperculæ domum accedens, ab ea farinæ paululum deposcit. Quæ subridens ait, Farinam a me petis, o Felix, cui jam diu et farina et panis in arca defecerunt? At vir Dei, Haud ita, inquit, sed quære in arca, et farinam proculdubio invenies. Cui rursum mulier : Ne urgeas, quæso : aranearum enim telas, non farinam in arca reperiam. At ille : Mihi saltem in hoc morem gere. Pergit mulier : cumque ad arcam farinariam pervenisset, eam farinam ad summum usque tam refertam conspicit, ut operculum respueret. Ex hac porro farina cum mulier illa collyras conficeret, eas plerisque ægrotantibus ad incolumitatem profuisse multis deinde exemplis probatum fuit. Atque hoc ipso tempore alteri pauperculæ panem in domo divina virtute multiplicasse, illius vitæ processus asseverat. Paula Posterla, femina erga virum Dei devotissima, viro Dei vinum poscente statim lagenam impleri jubet. Ignorabat illa dolium unde vinum hauriebatur penitus exinanitum esse, id enim tantum ancillæ noverant, quæ totum vinum dolio altius erecto hauserant. Quare, cum lentius illæ ad jussa facienda progrederentur, graviori imperio eas ad vinum hauriendum compellit. Pergunt illæ, non ut vinum hauriant, sed ut jussis obtemperent : doliumque explorantes, ita vino præter spem plenum offendunt, ut id longe ab epistomio vinum effunderet. Stupent illæ, silent, lagenam implent, ac beato viro reddunt : qui cum inde abscessisset, rem protinus præ admiratione exclamantes heræ aperiunt. Quæ miraculo obstupefacta cum his in cellam vinariam descendit, dolium explorat : ac miraculi certior facta divinam omnes majestatem suspiciunt, et laudibus prosequuntur, ac Beati viri sanctitatem commendant. Et neque hic hujus miraculi finis : nam quod illud mirum in modum auget, dolium, quod numerosæ triginta septem

alias inane dolium vino :

idque facit ad biennium sufficere .

EX ANNAL. BOVERII

A septem personarum familiæ vix per mensem vinum ministrasset, biennio merum effudit; quod plerisque ægrotis absque pretio propinatum ad incolumitatem contulit.

item aliud, unde haustum ipsi fuerat,

30 Versabatur tunc in Urbe Bartholomæus quidam, adeo in Cappucinos benevolus, ut quoties ad eum Felix accederet, copiosam inde eleemosynam referret. Hic cum rubentis vini dolium beato viro pie reposuisset, jam totis ex eo lagenas hauserat, ut dolium pro vino fæcem redderet : quare sublato epistomio, Bartholomæus dolium inter vacua collocat. Biennio post hæc elapso, cum dolium vino implendum esset, is bajulis in cellam vinariam missis qui dolium inde exportarent, ab iis audit, tantum adhuc vini in dolio superesse ut illud inde dimoveri non posset. Quibus ille, Quid vinum commemoratis? inquit, jam a biennio dolium vino exhaustum est : etenim ex quo illud Felicis exinanitum fuit, nihil in eo deinceps vini infusum. At iis constanter affirmantibus, Bartholomæus rem certius exploraturus, eo se confert : dolium perlustrat, agnoscit, concutit, ac vini copia tam grave offendit, ut plerisque simul adnitentibus moveri non posset. Quid plura? stupet, vinum haurit, mira conspicit, quæ sola Dei virtute patrari

post duos annos quibus inane steterat,

B possint. Quapropter viri Dei merita, quibus haud sine id patratum fuisset, non obscure agnoscit : atque ut illustrius miraculum esset, tam nobile ac generosum (utpote e cœlo datum) a dolio vinum effunditur, ut plerisque S. R. E. Cardinalibus, ac præsertim Florentino, Monte-alto, ac S. Severinæ, aliisque Romanæ Urbis Principibus ac Prælatis Bartholomæus plenas ex eo lagenas obtulerit. Ita nempe clementissimus Deus viri in Ordinem munificentiam remunerare, ac servi sui merita ac sanctitatem commendare voluit. Cum Silvia Scarsia de more cucurbitam vino plenam Felici largiri consuevisset; accedit cum cucurbita aliquando Felix. Cui ancilla, Huc hodie, Felix, ait, inauspicato advenisti : guttatim enim vinum ex epistomio stillat : quare satius erit ut eleemosynam in quartam vel quintam proximam diem rejicias, cum alterum vini dolium perforandum erit. At vir Dei, Quid tam diu, inquit, expectare opus est? nunc vinum eroga : neque enim totum cucurbita, quod in dolio est, vinum ebibet : quod si mavis, dolium una perlustremus. Cumque simul cum ancilla in cellam vinariam descendisset, dolio Crucis signo petito cucurbitam subjicit : quam cum vino plenam recepisset, inde abscessit. Ab eo porro tem-

alia jam deficientia abundare facit semel

C pore, vinum, quod vix ad secundum vel tertium usque diem pervenire poterat, adeo in dolio excrevit, ut toti familiæ, in qua duodecim numero personæ numerabantur, per bimestre abunde potum ministraverit.

iterumque

31 Idem prorsus et Helenæ Vachiæ contigit, quæ cum vinum Felici ob id potissimum denegaret, quod vix e dolio efflueret; illud vir Dei divina virtute ita in dolio multiplicat, ut non modo cucurbitam impleverit, sed et integri mensis spatio toti familiæ satis fuerit. Neque absimile Cynthia Jacobatia hoc tempore sibi accidisse demirata est. Beato namque viro ab ea vinum postulante, jubet illa cucurbitas impleri : cui famula, Dolium, inquit, tam exhaustum est ut vinum non effundat. At num alia dolia non sunt vino plena? ait Cynthia : festina, aliud perfora. Procedit ancilla heræ jussa factura, et cum ea pergit vir sanctus. Qui ubi in cellam vinariam pervenit, ait ancillæ, Ne aliud dolium perfores, hoc enim (exhaustum indigitans) mihi sufficiet. Cumque ambas cucurbitas summa cum ancillæ admiratione inde implevisset, quod maxime admirationem auxit, exhaustum dolium, sancti viri merito, vinum toti familiæ per sesquimensem reddidit. His et alii complures addi possent, quibus beati viri oratio vinum in doliis au-

ac tertio :

xit, quos indicare potius quam rem fusius explicare libet. In his sunt, Marcus Antonius Colenius, Ca- D milla Guidotta, Mutius Coccinus, et alter Viperescus, qui haud semel hanc in viro Dei virtutem experti, id certa fide in Processu deposuerunt. His quoque Vincentius Capoccius adjungitur : cui cum vini dolium in vappam degenerasset, optimum beati viri oratione recepit.

et pluries,

32 At vero non panis et vini tantummodo, sed et olei multiplicatio a beato viro sæpe divina virtute patrata celebratur. Postulaverat Felix oleum a vidua quadam Lavinia nomine : respondit illa, se olearium vas superiori die exhaustum reliquisse, verumtamen si vel in eo tantillum reliquum fuerit, eidem totum erogaturam. His dictis festinat ad vas : quod cum ad os usque plenum conspiceret, præ stupore exclamat, Miraculum! miraculum! cui vir Dei occurrens, Quid, inquit, Miraculum, garrula, exclamas? Linguam compesce : tua id caritas a Deo obtinuit : Deo dumtaxat gratias age, a quo hæc tibi benedictio obvenit, neque in plura te verba effundas. Huic alterum Hortensiæ Manciniæ exemplum haud absimile accedit, quæ cum viro Dei oleum petenti nihil prorsus in vase oleario reliquum esse diceret, ad eam vir Dei, Vade, inquit, quia oleum in vase reperies. Cui illa, Nuper, ait, cum vas diligenter explorassem, E ne guttam quidem in eo olei reperi. Verumtamen cum rursus ille mulierem ad vas compelleret, ea, ut homini morem gerat, ad vas pergit. Quid plura? semiplenum cernens, miraculo stupet; festinaque ad virum Dei properans, factum narrat. Cui Felix, An non ut diligentius vas perlustrares monueram? At illa, Diligentissime, inquit, vas exploraveram, nec me sensus aut judicium fefellit, cum ne guttam in eo superfuisse affirmavi : at hoc Dei plane miraculum est. Felix vero, rei illi silentio indicto, abiit.

similiter in urnis vacuis,

oleum bis facit inveniri,

33 Virginia Viperesca, cum, universo oleo quod ad domesticum usum paraverat consumpto, universa vasa olearia expurgari jussisset, ut in his aliud infunderetur; accidit ut hoc ipso intermedio tempore Felix pro olei eleemosyna eamdem adiret. Cui illa, Nihil prorsus olei, Felix, quod tibi erogetur, nunc domi superest : sed tibi tantisper expectandum est, donec aliud, quod primo quoque tempore deferendum est, huc appulerit. At vir Dei, Quid, inquit, exspectare juvat? quod in vase est, eroga. Tunc Virginia, Si quod in vase est, mi Felix, erogarem, nihil equidem erogarem : verum ut quod hisce oculis conspexi, tibi etiam perspectum sit, tu ipse vasa omnia F olearia explora : inde namque fiet, ut si oculis meis non credis, tuis credas. Cumque unam ex pedissequis eidem viæ ducem constituisset, dum simul ad vasa pergunt, illa ita ad virum Dei : Quid frustra ad vasa procedimus, Felix? hisce ego manibus vasa omnia ita permundavi, ut ne fæcem quidem in iis reliquerim. Quid tum? inquit ille, ad urnas pergamus. Denique ubi ad urnas olearias deventum, vir Dei ad earum alteram accedens, operculum amovet; terque signo Crucis urnæ ori impresso, mox oleum in urna divina virtute creatur : ex quo cum is lagenam implevisset vas semiplenum relinquens, inde protinus abscessit. Pedissequa vero cum præter expectationem oleum in urna apparuisse conspiceret, præ admiratione exclamans, miraculum heræ Virginiæ renuntiat : quæ oleum e cœlo datum oculis spectans, divinam virtutem quæ in viro Dei sole clarius emicabat, haud satis verbis commendare poterat. His quoque quartum accedat, quod Laurentiæ Durantiæ, cui id contigit, testimonio comprobatum fuit. Cum enim ex frequenti olei haustu urna olearia jam tandem aruisset, beato viro oleum petenti pia illius parens, oleo quidem vacuum vas esse respondit, at e vestigio illud pretio empturam esse pollicetur, ne ab

tertioque,

et quarto,

A ab ea immunis recedat. Cui Felix, Oleum, inquit, non pretium quæro : verumtamen si diligentius vas olearium perlustraveris, oleum quod mihi sat sit in eo adesse reperies. Sciebat illa certissime nihil in urna olei reliquum esse : verum ne beati viri verba contemnere videretur, ad vas iter capit : tantumque in eo olei divinitus immissum adesse cernit, ut non modo viri Dei, sed et toti familiæ unius mensis spatio satis fuerit.

ac quinto,

34 Postremum denique, ut cetera taceam quæ tacito nomine in Processu referuntur, illustre fuit quod de Claudia, Andreæ Fanestris medici uxore, enarratur. Hæc cum erga Cappucinos pia admodum esset, copiosam olei portionem viro Dei elargiri consueverat. Accidit vero ut ab ea aliquando Felix oleum posceret, cum oleario vaso exhausto nihil præter fæces in eo reliquum erat; quam ob rem mulier, olei defectum viro Dei aperiens, in tertium usque diem illi dumtaxat expectandum monet, quo oleum pro familiæ usu comparandum erit. At vir Dei, Mihi, inquit, nunc oleo opus est, cur exspectandum jubes? En lagenam : mitte, qui in eam oleum, quod in vase est, infundat. Mulier, ut viro Dei morem gerat, an-
B ciliam cum lagena ad urnam seleariam destinat. Quæ cum eam oleo vacuam non ignoraret, statim atque ad eam pervenit, oleo ita plenam offendens ut ad supremum urnæ labium pertingeret, tanto mentis stupore perculsa fuit, ut protinus vocem attollens exclamaret, Veni, hera, veni, ac miraculum cerne. Cumque eo Claudia advolasset, urnam oleo plenam conspiciens, quam certissime vacuam sciebat, nihil præ admiratione effari poterat. At vir Dei, sua olei portione in lagena accepta, abiit, Claudiam admonens ne rem in vulgus disseminaret, sed Divinam potius liberalitatem laudibus efferret. Nec frustra ac sine Dei consilio a beato viro id tunc miraculi patratum fuit : quidam namque Andreæ medici discipuli, qui miraculo præsentes aderant, eo conspecto, tam animo commoti fuere, ut medicæ artis studiis ac mundanis rebus valedicentes, Religionis Cappucinorum institutum paulo post complexi fuerint : quorum cum alter Rufini Senensis, alter Gabrielis Tholosatis nomen sortitus esset, uterque magna cum virtutum laude diem suum in Religione obiit.

sequente duorum juvenum conversione.

CAPUT V.

Sanitates per liquorem ex Defuncti corpore stillantem obtentæ.

C

Quamvis haud facile sit enarrare, quot miracula a Deo patrata fuerint, præclaro liquore, e corpore defuncti stillante, nonnulla tamen hic recensebimus. Fredericus Cæsius, gravi febre phreneticus, ad vitæ periculum ægrotabat; cum in vehementiori ipso febris accessu ac delirio, a Pulcheria uxore salutifero hoc liquore, quem a Cardinali S. Severinæ acceperat, inunctus, sanæ mentis redditur, ac paulo post pulsa febri integræ incolumitati restituitur. Quam cum is beati hujus viri suffragio merito acceptam ferret, tam familiare deinceps hoc illius familiæ alexipharmacum fuit, ut quotquot ex ea familia post hæc ægrotarent, atque eo hoc liquore peruncti convalescerent. Idem Fredericus anno MDXCI cum tam pestilenti febre laboraret ut post omnia remedia tentata nulla medicis de illius salute spes relicta esset, ad familiare pharmacum confugit : ac beati viri apud Deum ope implorata, hujus liquoris paululum sibi in vitreo poculo propinari postulat. Quo vix hausto, levi statim somno corripitur : in quo sibi ad sancti viri sepulcrum stare, eumdemque super illud cernere videbatur, qui his cum verbis compellat : Fili, ne formides : ex hac enim ægritudine convalesces. Quare expergefactus, cum et morbi vehementiam magna ex parte mitigatam, febrimque ad occasum declinantem sensisset, integram tandem præter medicorum spem post aliquot dies incolumitatem consecutus, liberatori suo gratias reddidit.

Sanatur febris cum phrenesi,

iterumque febris pestilens,

D *Ex Annal. Bover.*

36 Neque absimile Antonio Roncallo accidit, qui cum Oleo sancto inunctus ad ultimam vitæ lineam pervenisset, jamque rumor de illius morte pervulgatus esset, quidem Cappucinus, Augustinus Bergomas nomine, qui Antonio consobrinus erat, hujus liquoris non nihil Eugeniæ uxori tradit : quæ simul atque eo ægroti caput oblinivit, morbus ita retrocedere visus, ut qui postridie Eugeniam ob viri mortem consolaturi advenerat, de recuperata valetudine eidem congratularentur. Paulus Alvarus ex febri continua, dysenteria, narium profluvio, ac ciborum inappetentia eum corporis statum contraxerat, ut pallidæ mortis simulacrum potius quam viventis hominis speciem præ se ferret. Hunc cum Stephanus Cechinus, Sacerdos Cappucinus, qui ad eum visitationis gratia accesserat, præmissis ad Deum precibus hoc ipso beati viri liquore perunxisset, vitæ simul et incolumitati restituit : protinus E enim cibos gustare cœpit : quo pedetentim febris, dysenteria, ac sanguinis fluxus evanuere, ad pristinam eo valetudinem redeunte.

letalis morbus,

dysenteria.

37 Victoria Foccheta tam gravi stomachi languore atque anhelitus difficultate tenebatur, ut improvisam sibi cordis præfocationem brevi superventuram pertimesceret. Cumque nulla illi medicorum pharmaca prodessent, voto ad beatum virum emisso, quo se argenteum pectus illius sepulchro appensuram pollicetur; a Constantia sorore pectus sibi hoc liquore ungi postulat. Unctionem mox integra morborum curatio secuta, quæ cœlesti signo confirmata fuit : nam unctionis locus dein multo post tempore suavissimum odorem efflavit. At cum illa, cœlestis gratiæ, quam a Deo Sancti servi sui suffragio tulerat, immemor, votum exolvere neglexisset; iisdem morbis corripitur : quibus vexata, cum delictum ex animo deplorans, votum celerius reddidisset, pristinam mox a Deo incolumitatem assequitur : quam Michaeli Angelo filio, qui post hæc ad medicorum desperationem ægrotavit, eodem beati viri liquore inuncto impetrat; ut inde homines, Deum ad clementiam quam ad supplicia proniorem esse, addiscerent; plusque iis accepti beneficii gratitudine, quam quod ingratitudinis vitio ablatum fuerat, conferri non ignorarent. His accedat Catha- F rina Locatella, quam cum febris continua, sanguinis profluvium ac dæmum cachexia ad eum corporis statum perduxissent, ut illud remedia omnia tamquam inutilia respueret, ac propterea desperata jam a medicis valetudine ad interitum raperetur; Felicitas mater, quæ unicam filiam diligebat, ubi eam B. Felici voto obtulit, suoque liquore perfudit, mira profecto res! eodem temporis momento cessat febris, arescit sanguinis profluvium, malusque ille corporis habitus et cachexia tam repente in meliorem commutatur, ut tertio post die, quæ prius ad mortem ægrotaverat, incolumis e lecto surrexerit. Quæ tanto beneficio grata, mundo cum suis deliciis spreto, in monasterio S. Bernardini monialibus adjuncta, reliquum vitæ tempus non sine virtutum laude confecit.

languor stomachi,

desperatus morbus,

fluxus sanguinis.

38 Demophoon itidem Calendius, repentino morbo correptus, cui nulla medicorum remedia opitulari poterant, eo tam graviter torquebatur, ut brevi animam exhalaturus crederetur : qua propter medici consilio, Sacerdos qui illius Confessionem exciperet, accersitur. Sed cum morbi vis illi extemplo loquendi facultatem abstulisset, miser in utroque et corpo-

subitus ac præceps morbus,

ris

EX ANNAL. BOVERII.

A ris et animæ periculo versabatur. Quo tempore Felici Ubertæ, Demophoontis nepti, in mentem redit, nonnihil B. Felicis liquoris apud se servari: quem festinanter assumens, ægro hauriendum propinat. Vix æger liquorem hauserat, cum protinus e morbo respirans, ita neptem affatur: Quidnam mihi, o neptis, hauriendum obtulisti, quod omnem repente a me morbum abstulit? Cui cum illa B. Felicis liquorem fuisse significaret, supplices ad cœlum palmas tendens, Deo ac B. Felici de collata incolumitate gratias reddit; quam ita perfectam ac integram beati viri merito consecutus est, ut postridie e strato ad sua negotia gerenda in Urbem prodiret. Ad hæc Artemisia Columna Cæsia, S. Angeli Principissa, quinque vel sex mensium spatio febri continua laborans, insuper tam graviter a pituitæ copia in pectus defluente afficiebatur, ut medicorum judicio ea in hecticam febrim et marasmum, qui ultima illius species est, incidisset. Quamobrem dum eam Palestrinæ Principissa mater velut mortuam lugeret, ex nostris quidam paululum hujus liquoris, qui ex beati viri corpore effluxerat, eidem offerens, eo ægram filiam perungendam suadet. Ungitur ægra: B nullaque temporis mora interjecta, arescit pituitæ fluxus, quo gravius afflictabatur; pectus instauratur, ac febri pedetentim recedente, brevi tempore integra incolumitate fruitur.

febris continua,

39 Eodem modo et Olympia Marina, febri et acerbissimis stomachi doloribus diu afflictata, in certo vitæ discrimine versabatur: cum allato a nostris beati viri liquore, simul atque eo illi in B. Felicis nomine stomachus ac tempora delinita, febris abscedit, cessat stomachi dolor; ægraque pristinæ incolumitati reddita, cereum stomachum in adeptæ valetudinis testimonium beati viri sepulchro appendit. Neque his dissimilis fuit Cleriæ Mantosiæ curatio, quæ cum ardentissima febri ad certum vitæ periculum laboraret, hoc ipso sepulturæ liquore simul cum jure hausto, ac B. Felicis sibi in subsidium ope invocata, statim a febre convaluit, medico ipso stupente, atque id non nisi a divina virtute profectum affirmante. Eadem post triennium gravissime ægrotans, eodem iterum remedio usa, idem quoque incolumitatis beneficium refert. At mirandum plane quod de Joanne Baptista Clementino in Processu narratur: qui cum ex matris utero aridum brachium tulisset, cui nec sensus, nec motus, aut vigor ullus inerant; quam plurima in eum physici C remedia conferunt. Quæ cum eo pertingere non valerent, ut mortuo membro vitam impertirent, frustra omnia tentantur; donec ad cœleste remedium ventum est. Post hæc enim duo Cappucini eo adventantes, cum post orationem, quam genuflexi Deo ac B. Felici obtulerant, aridum pueri brachium liquore perunxissent; mox adfuit divina virtus, quæ naturam vegetans, statim motum ac vigorem brachio contulit; ac beati viri merito, paulatim integram mortuo membro vitam restituit; ita ut si non penitus defunctum, exanime saltem illius membrum ad vitam revocatum fuerit.

dolor stomachi,

ardens febris,

ariditas brachii,

paralysis,

40 Nec minori admiratione dignum fuit divinum in Cæcilia Zita beati hujus viri liquore opus patratum: ea namque post duos a nativitate menses, cum ob nervorum resolutionem tam impotens evasisset, ut ad secundum usque annum omni membrorum usu careret; hoc tempore Faustina mater, B. Felicis miraculorum fama permota, eum ad filiæ salutem invocat, puellamque ad illius sepulchrum delatam sacro illius sepulturæ liquore a Fratribus deliniri postulat. Qui cum puellæ corpus perunxissent; Deus qui in servis suis gloriosus vult videri, divina ita virtute illius nervos confirmat, ut vix domum perlata, et membra movere et solidis vestigiis ambulare cœperit. Puella vero cum primum adolevit, accepti beneficii haud oblita, virginitatem suam in S. Luciæ monasterio, sub Archangelæ nomine, Deo solenni voto consecrat. Illud quoque memorabile de Lucretia Mariana in processu legitur, quæ cum eam femorum ac tibiarum ariditatem immoderantia quadam contraxisset, ut seipsam absque aliorum ope loco movere nullo modo posset; cuncta medici ad illius curationem jam remedia experti fuerant. Cum Nicolaus, Lucretiæ conjux, miraculorum fama percrebrescente quæ de hujus liquoris virtute perferebatur, ejusdem liquoris ampullam a nobili quadam muliere mutuo accepit: quo cum ægræ uxoris femora ac tibias perlinisset, ea nervis protinus consolidatis primum tibias movet, dein parvo elapso tempore integræ valetudini restituitur. Neque id satis: nam post hæc eadem molestissima quadam chiragra laborans, cum penna qua prius peruncta fuerat, invocata B. Felicis ope manum affectam attigisset, tam perfecte a chiragra curata fuit, ut ea deinceps numquam molestata fuerit. Tertio denique, cum Nicolaus vir usque adeo ad mortem ægrotaret, ut medicorum ope destitutus, deperditis sensibus extremum tantum vitæ finem exspectaret; E Lucretia uxor, mutuum viro officium redditura, ubi illum B. Felicis patrocinio commendavit; eadem qua manum a chiragra liberaverat penna ipsius frontem attingens, ab interitu vendicat. Vix enim Crucis signum penna in ipsius fronte expresserat, cum tam copiosus illi e capite repente sudor erumpit, ut aquam undique effundere videretur. Mox sensibus restitutis, in eum beati viri merito salutis statum emergit, quo a vitæ periculo liber paulatim ad pristinam incolumitatem rediret.

D

chiragra,

letalis morbus;

41 Baptistæ cuidam, Cæsaris ephippiarii uxori, ex pituitæ fluxu caruncula in oculo orta fuerat, quæ cum glandis instar totum oculum tegeret, ei non modo lucem, verum et omnem oculi formam eripuerat. Hac luce orbata dum omnem sibi medicorum operam inutilem animadvertit, ad sacri hujus liquoris virtutem confugit: quo vix a Margarita Petrasancta perungitur, cum caruncula illa eo ipso temporis momento evanescente, tam perfecte oculo lumen restituitur, ut eo clarius quam altero cuncta intueretur. Orinthia Vitalescha cum octo et novem annorum spatio tuberculum vel carnositatem quamdam, quæ illi intra nares orta fuerat, maxima molestia ac dolore pertulisset, physicis morbum illum incurabilem judicantibus, spem omnem curationis abjecerat; quo F tempore Dominicus Viterbiensis Cappucinus Orinthiam hortatur, ut ad B. Felicis pie liquorem confugiat. Cui illa prompte annuens, beati viri patrocinio implorato, nares liquore perungit: optataque post secundam vel tertiam unctionem incolumitate perfruitur. At Joanni Baptistæ Cechino, qui eodem narium morbo diu laboraverat, divina hujus liquoris virtus celerius adfuit: nam simul atque eo nares inunctæ fuere, tumor abscessit. Antonia Monteflora strumas diu passa fuerat, quibus et oculorum tumor accedebat: quo fere ad cæcitatem reducta, oculorum luce minus fruebatur. Nullum utrique morbo remedium proderat, cum Felicis Africanæ sermone ad beati viri liquorem provocatur: quo cum ægra sub vesperum inuncta fuisset, integram mane utriusque morbi curationem assequitur. Verum eodem strumarum morbo affecti Marcellus Sachettus, et quidam Pauli Falconarii filius, velociorem curationem divina virtute sortiuntur. Vix enim ante B. Felicis sepulchrum a Cappucinis hoc ipso liquore perunguntur, cum nulla mora interposita tam perfecte a strumis curantur, ut nec ulla earum signa in cute remanserint.

carnositas oculo

naribusque innata,

strumæ et tumor oculorum,

42 At gemina quædam matris ac filii incolumitas

A tas, iis beati viri merito comparata, haud silentio prætereunda est. Primum Isabella Priorata, nobilis mulier, ob venæ pectoralis perruptionem tam copiosum ex ore sanguinem evomebat, ut cum ea nullo medicorum remedio instaurari posset, vitam cum

vomitus sanguinis,

sanguine fusura crederetur. Quo tempore Sabina filia, quatuordecim annorum adolescentula, quæ lecto incumbens futurum matris occasum multis lacrymis prosequebatur, repente ab invisibili manu sibi humerum concuti, (aliaque ad eam verba proferri percipit: Sabina, matrem admone, ut liquorem meum sibi ad unctionem adhibeat, si incolumis esse optat. Actutum adolescentula ad matrem advolat, factumque ac vocem auditam significat. Cujus cum illa mox sensum percepisset (etenim non multos ante dies beati viri liquoris ampullam dono ab affini quadam muliere acceperat) nihil cunctata, ampullam ad se afferri jubet; ac B. Felicis merita sibi ad salutem implorans, cœlesti liquore sibi pectus perlinit. Quid plura? Sistit sanguis, instauratur vena, et quæ ad occasum properabat converso vestigio longioris vitæ usura fruitur. Hac illa divinitus incolumitate potita, cum majorem erga virum Dei spem ac fiduciam animo conceptam aleret, ejusdem

pessimum ulcus,

B liquoris virtutem, etiam in filio qui ulcere pessimo in manu laborabat, experiri sibi in animum inducit. Quamobrem cum post orationem, Deo ac B. Felici impensius pro filii incolumitate oblatam, ulcerosam ipsius manum liquore perunxisset; eodem tempore optata illi salus redditur, ulcusque divina virtute sanatum, matris linguam ad Dei ac beati viri laudes celebrandas solvit.

hemicrania,

43 Post hæc Matthæi Rusticucii celebris in urbe curatio, fuit hoc beati viri liquore patrata. Hic enim cum hemicrania tam acerbe cruciaretur, ut fere ad mentis insaniam redactus leonis instar rugitus ederet, neque ullis undique conquisitis remediis capitis dolor illi leniri posset; Rusticucius frater, liquore ex beati viri sepultura hausto, ægrum fratrem, ut B. Felicis opem sibi in salutem deposcat impensius hortatur. Id ille cum omni pietate præstitisset, vix eo liquore ungitur, cum simul omnis ab eo

paralysis,

hemicraniæ dolor abscedit, et incolumis efficitur. Aliam quoque paralytici incolumitatem, ejusdem liquoris virtute donatam, libet annectere. Hic sarcinator in Urbe erat, Vincentius nomine, qui cum tam gravi paralysi afficeretur, ut neque seipsum movere, neque ab aliis absque maximo sui ipsius C dolore in lecto dimoveri posset; hoc liquore perunctus, liberum statim corporis motum divina virtute assequitur, ac paulo post integra incolumitate potitur.

surditas,

Laurentius adolescens quidam adeo surdus erat, ut omni penitus auditus sensu careret, ita ut per nutus tantum quæ illi agenda indicebantur intelligeret. Huic ubi Cæcilia Saccha sacri liquoris paululum in utramque aurem infudit, mirabile dictu! vix aures liquorem suscipiunt, cum simul et vocem loquentis percipiunt: ita ut qui nullum prius in orbe sonum existere, sed omnia alto silentio quiescere existimabat; jam et hominum voces, et avium cantus, et fori strepitus, demum quæcumque etiam tenui susurro dicebantur, audiret.

44 Postremo admirabilis quædam ac duplex corporis et animæ salus mihi hic subjicienda est, sacra

plures in uno morbi, tam corporis,

hac unctione viro cuidam condonata. Thomas Minerbettus, Generalis Patrimonii Apostolici Curator, Viterbio Romam proficiscens, in febrim incidit; qua ingravescente vix Romam appulit, cum aliis succedentibus morbis, angina scilicet, cordis palpitatione, pectoris angustia ac frequentiori syntexi, maximo in vitæ discrimine versabatur: at quod magis deplorandum erat, tot gravissimorum criminum cumulos, quos multis annis inexpiatos in animo gerebat, sibi conglobaverat, ut in his jam computruisse videretur. D

EX ANNAL. BOVERII.

Æstuabat infelix, utraque et corporis et animæ ægritudine oppressus: cumque plurima ad corporis salutem remedia quæreret, de potiori animæ incolumitate necdum miser cogitabat. Cum pia quædam Tertii Ordinis B. P. N. Francisci Soror, Lucia nomine, illius curam suscipiens, his eum aliquando

quam animi diu inexpiati,

verbis affatur: Thoma, cum nos humana medicæ artis præsidia deserunt, tunc nobis ad divina confugiendum, quibus magis juvari valemus; Deusque nostris et aliorum precibus fatigandus. Quare, si placet, mihi animus est Cappucinos adire, et ut pro te ad Deum suas orationes fundant impensius rogare. Annuit æger, atque id præterea adjicit, illi comprimis curandum, ut nonnihil illius aquei liquoris, qui ex B. Felicis sepulchro fluit, ad se perferat. Pergit mulier, liquoremque a Guardiano postulans, ab eo geminos Fratres impetrat: qui cum liquore ad ægrum venientes, ubi illum verbis suavibus tantisper ad divinæ clementiæ spem ac B. Felicis merita invocanda alexere, illius frontem, guttur, ac pectus liquore deliniunt. Porro Deus clementissimus, qui utramque viro salutem conferre decreverat, post unctionem, suavem quemdam ægro soporem immittit: in quo protinus humani generis hostis, eo E plane modo ac figura qua a pictoribus effingi solet, ater, nudus, caudatus, cornutus, se illi conspiciendum præbet: qui cum eum, ob quam plurima scelera, suæ potestati traditum assereret, ipsius animam vi e corpore avellere conabatur. At Angelo

post visionem intercedentis pro ægro apud Deiparam Felicis,

illius Custode ad lectuli pedes statim altius in aere apparente ac reluctante, inter eos controversia oritur. Custos enim Angelus ægrum, Jesu Christi sanguine redemptum, Christiana fide præditum, sacro Baptismate ablutum, ad illius præsidium afferebat. Ad hæc parvi faciens diabolus, librum explicat, in quo universa illius crimina continebantur: quæ dum legeret, æger rerum veritate convictus, iisdem assentiri videbatur. Quo tempore B. Felix in aere conspicitur, qui dæmoni graviter comminatus, Quid, sceleste, ait, hujus tibi hominis potestatem prorogas, cum Deiparæ Virginis ego illi præsidium exoraverim? Cumque brachium extulisset, ægro sacram Deiparam, quæ in sinu Deum filium gestabat, protinus ostendit. Is vero hoc ipso tempore e sopore evigilans, cum dæmonem gemino saltu sese e fenestra proripientem, ac Beatam Virginem una cum B. Felice in cœlum ascendentes conspexisset, altius exclamare cœpit, O B. Felix! O B. Felix! Atque eodem temporis momento ab omni corporis dolore F liber, S. Martini Parochum ad se accersendum

subito curantur.

curat. Cui cum integre culpas suas confessus fuisset, a febri prorsus dimittitur, ac postridie e lecto surgit. Instabat secunda die Beatæ Virginis Nativitas: in qua cum is sacro Domini corpore refectus esset, altera ad B. Felicis tumulum gratias pro duplici beneficio accepto redditurus accessit: cui etiam ad perpetuam rei memoriam tabellam his verbis inscriptam appendit; Ob salutem animæ et corporis, mirabiliter incontinenti restitutam, die VIII Septembris MDXCI, Thomas Minerbettus.

Eodem liquore sanantur alii plurimi Romæ,

45 Plurima alia miracula, quæ liquoris hujus unctionem Deus variis languentibus exhibuit, breviter indicare visum est. In Romana provincia Helena Vachia, a gravissimo faucium morbo; Olympia Bruna, a partus doloribus; Faustina Caloria et Albrica ancilla, a capitis vertigine; Ascanius a Bufalo, Nobilis Romanus, a femoris dolore; Josephus Ghislerius puer, ab oculi cæcitate; Sancta a S. Severino, a brachii ariditate; Hieronyma Cautia, ab uberum dolore; Octavus Valtrotus puer, ab hernia; Laura Costa, ab oris ac narium morbo; Clara Spada, ab incurabili lepta; Scipio calceolarius, a poda-

Ex Annal. Boverii.

[A] græ doloribus : Augustinus, Romuli cujusdam filius, ab oculorum cæcitate ; Blasius a Fronte, ab adustione : Leonora Avila, a gravi capitis dolore ; Marius, Drusillæ Matthæi filius, a desperata ægritudine ; vir incerti nominis, a pleuritide ; Joannes Baptista Victoriæ filius, a genæ putrefactione ; Felix Fanella, ab hypochondriaca melancholia ; Lucretia Ferrera, ab apostemate quo manus illi computruerat ; Antonina Lantes, Cardinalis soror, ab hemicrania et a partus dolore ; Cæcilia Ursina, a gravissimo stomachi languore ; Lucas Antonius de Fabiis, ab ischiadico morbo ; Plautilla, Pompeii Salensis uxor, a strumis ; Laura Spinola, ab ozæna ; Vincentius Cannatus, a laterum dolore ; Sebastiana Cometta, a letati ægritudine ; Paulus, Stratonicæ Matthæi filius, a sanguinis vomitu ; Honorata Fontana, a diuturno capitis dolore ; Fabius a Pace, a febri continua : Joannes Bibienus, a membrorum attractione : Cæcilia Sacca, a dentium dolor ; Pamphilius de Magistris, ab acuta febri ; Julii Franchini filius, a cæcitate oculorum ; Sebastianus de Vecchis, medicus, a fistula ; et ipsius Filia, a strumis ; Silvius Barattus et Lucæ Peregrini filius, ab acuta febri ; Catharina et Alexandri cujusdam alutarii neptis [B] moribundæ, a mortis faucibus ; ab iisdem et Pompeii uxor et neptis ; Tarquinii Marfii filius, a dysenteria ; Cynthia Romana, a laterum ac tibiæ dolore ; Felix Capreola, a gravi capitis dolore ; Severini Mascardi filius, a sanguinis fluxu : Sebastianus de Rubeis et Stephani cæmentarii filius, a strumis ; Christophorus Talliacarne et Maria Narniensis, a poplitum dolore, hujus liquoris virtute liberantur.

Idem in Provincia Mediolanensi,

46 Ex Mediolanensi Provincia, Veronica Beolea, a diuturna ciborum inappetentia ; puer altero oculo cæcus, et mater arthritica laborans, ille a cæcitate, hæc ab arthritica ; alter quoque puer ac mulier ab odontalgia, eodem modo curantur. Ex Bononiensi Provincia, Fabricii Luccetelli filius ac filia, a pestilenti febri ; alter ab ophthalmia seu oculorum morbo ; tertia mulier in extremis laborans, hoc liquore peruncti, ad incolumitatem revocantur. Ex Panormitana Provincia, tandem, Castri-Veterani Principis filius, a porrigine ; et Pacificus Calaber Cappucinus, a crurum tumore, liquoris hujus unctione sanantur. Ceterum quo in honore pretiosus hic beati viri liquor apud homines habendus esset, præclaro exemplo divinitus hoc tempore declaratum fuit. Mulier enim quædam, Nuntia nomine, cum hujus liquoris ampullam, undequaque cera ac mem-[C]brana obstructam, in scrinio deposuisset, in quo alterius generis aquas, quas ad vultum infucandum paraverat, cum ea collocaverat, cum primum ad liquorum ampullam confugere voluit, liquorem omnino in ea, tam etsi ut prius occlusa, aruisse comperit. Quo facto non obscure didicit, eamdem sedem simul Deum et Dagon capere non posse, resque sacras non cum profanis miscendas, sed sacre pertractandas, et summo honore ac religione prosequendas esse.

Bononiensi, Panormitana. Idem irreverenter habitus exarescit.

CAPUT VI.

Beneficia variarum curationum, per varias B. Felicis Reliquias impetrata.

Per habitus scissi particulas sanatur, suppuratio venenosa,

Jam vero ad alia miracula, variis hujus beati viri Reliquiis divina virtute patrata, progrediendum est : atque imprimis de iis agendum, quæ ex præcisis ipsius habitus particulis effluxere. Primum igitur in Romana provincia, Magdalena Grimalda, quæ ob venenosam suppurationem, quæ illi fauces invaserat, in certo vitæ periculo versabatur : cum Beati viri habitus particula illi guttur obsignatum fuisset, protinus perrupto apostemate a morte liberatur. [D] Hæc ipsa formicario morbo laborans, ejusdem habitus contactu in salutem vendicatur. Barbara Patavina, pleuritide correpta, animam agebat ; cum nonnullis ejusdem habitus filis, cum jure carnium haustis, mox pleuritis pus evomit, atque ad vitam revocatur. Camilla Thesaura, cum ob exuberans gutturis tuber hominum conspectum effugeret, hujus habitus particulam sub vesperum sibi collo alligans, mane tuber aruisse comperit. Eodem modo paulo post Ersilia puella et Horatius Butius, faucium apostemate laborantes, a morbo curantur. Antonius, Marchionis Theoduli filius, in hecticam Medicorum judicio inciderat, quo tempore Franciscus Casalensis ex nostris Sacerdos cum Socio ad eum accedens, nonnulla præfati habitus fila illi cum aqua propinat : quibus ita convalescit, ut somno recuperato brevi a febre liber evaserit. Atque hoc ipso tempore Catharina, Antonii soror, eodem plane remedio a diuturna et molesta tussi liberatur. Victoriæ Aquilinæ ater ac pestilens in naribus carbunculus ortus fuerat : qui cum summum illi dolorem adferret, vitæ quoque periculum eidem comminabatur. Mox illa ad sacri hujus habitus particulam, quam apud se retinebat, confugiens ; cum ea in [E] vespere sibi nares colligasset, mane carbunculum, rubro dumtaxat signo in miraculi testimonium relicto, penitus evasisse comperit : eadem quoque hac habitus particula gutturi alligata, a gutturis morbo convalescit.

pleuritis, struma, apostema, hectica, tussis, polypus,

capitis et stomachi dolor, febris pestilens,

48 Lucretia Galantia, gravissimo capitis ac stomachi dolore correpta, nullum sibi ex medicorum ope levamen experta fuerat ; cum B. Felice sibi ad præsidium invocato, habitus illius segmen collo appendit : quo statim ab utroque languore incolumis efficitur. Id cum ejus filia febricitans conspexisset, eodem et ipsa pie remedio usa, incolumitatem assequitur. Sestiliam Nardam pestilens quædam febris invaserat, quæ atris maculis totum ipsius corpus conspergens, certum illi vitæ occasum medicorum sententia ominabatur. Quapropter humana ope destituta, ad beati viri auxilium advolat ; atque ipsius habitus segmentum sibi adhibens, divina virtute sanatur. Joannes Antonius Roncallus, quatuor annorum puer, ex pituitæ fluxu gravem oculorum cæcitatem contraxerat : quos cum illius mater memorari habitus præ segmine, B. Felice invocato, contigisset, puer lucem brevi tempore consequitur. Joannes Andreas a Fontanili, pestilenti febre spe omni sa-[F]lutis destitutus, ægrotabat ; cum Fr. Antonius Cappucinus, ægri germanus, post preces Deo oblatas, pauca habitus beati viri filia eidem cum aqua propinans, brevissimo tempore in salutem vendicat. Felix de Ubertis mulier, colico dolore cruciata, cum nullo medicorum remedio levari posset, contactu sacri hujus habitus ac strophioli, in quo beati viri cerebrum repositum fuerat, quo tempore is exenteratus fuit, a dolore confestim liberatur.

cæcitas, colica,

epilepsia, et alii morbi plurimi, tam Romæ,

49 Ambrosius, Juliæ cujusdam Procenatis filius, trium annorum puer, epilepsia tam graviter afficiebatur, ut octo mensium spatio quotidie in eam dilaberetur. Verum memorati habitus segmento illius collo appenso, tam perfecte curatur, ut numquam deinceps eo morbo afflictatus fuerit. Quamplurima alia hujusmodi miracula, quæ in Romana provincia accidisse probatum est, compendio potius quam historica narratione prosequi libet. Primum igitur Persia quædam, Victoriæ Viteleschæ obstetrix, ab arthritica ; Laura Petronia, a cephalea ; Octavia Rensia, ab uberum dolore ; Lucretia, Franciscæ Valtrinæ pedissequa, a gravissimo stomachi languore ; Joannes Baptista Matthæi, ab aurium ægritudine ; Joanna quædam arreptitia, a maligni spiritus obsessione ;

A obsessione; ab eadem itidem, Julia quædam Rinaldi uxor; mulier quædam Zagarolensis, ab angina; Franciscus Espucius, bis ab acerbo capitis dolore; Margarita Dreia, a pestilenti febre, ex qua moritura credebatur; Antonia ejusdem filia, a cephalalgia; Catharina Cioffa, a rubentibus papulis; ab iisdem et Petrus, victoriæ Adornæ filius; Lavinia, Rechardi Procenatis uxor, a cachexia, Proserpina Pacea, a lumbagine; Portia a Gallicano, ab angina; Claudina Guazzetta, ab acuta febri; Cassandra Zachonia, a cephalea et lumbagine: Christophori Danielis filius, a letali ægritudine, sacri hujus habitus contactu, ad incolumitatem revocantur.

quam Neapoli, 50 In Neapolitana provincia ejusdem habitus particulæ Justinam Grimaldam a diuturna febri; Nobilem, cujusdam Capuanæ filium, ab oculorum cæcitate; Joannem, Leonardi Matronis filium, a diuturnæ ægritudine, ob quam curvus incedebat; Juvenculam, Aloysiæ Cossæ pedissequam, a maligni spiritus obsessione; Joannam Reverteriam, ab elephantiasi; Fr. Ruffinum Cappucinum laicum, ab hernia; Fratrem quemdam ordinis Prædicatorum, B ab hydropisi, divina virtute curarunt. In Bononiensi *Bononiæ,* provincia, Lucia Lisania, graviter febricitans; Hieronymus, pleuritide ad mortem laborans; moribunda mulier, a certo mortis periculo; puella a dæmone obsessa; mulier, cancro exesa; altera, lumbagine affecta; quidam a narium profluvio; Marinus agricola, ab artuum tremore; alter a tibiarum dolore; Balthasar quidam, membris captus; geminæ itidem mulieres, ab uberum tumore; ac cervicis dolore, sacri hujus panni virtute liberantur. In Hydruntina provincia, Sanctorius Taurus Hydruntinus, ab acuta *Hydrunti,* febri; Orphei Trepucii uxor, ad medicorum desperationem ægrotans; Octavii Maragei uxor, a febri gravissima; tres mulieres a lateritia, ad mortem usque ægrotantes; Maria Astona a Melpiniano, et altera a Marciano, a partus cruciatu; Stephanus Caramuscia, a papulis pene obcæcatus; Castrinianensis, a matricali dolore; altera, ab uberum putredine; Cassandra, Archiepiscopi Bariensis soror, ab oculorum dolore; Fr. Senardus a Solito Cappucinus, ab anginæ morbo; Angelus Vecchius, utriusque oculi luce orbatus; Antonia Leonarda, a diabolico maleficio; Francisci Tabellionis uxor, a gravi poplitum dolore; plurimæ quoque febricantes, beati viri habitus particulam pie sibi adhibentes, sanantur.

C 51 In Panormitana etiam provincia quamplurimi *Panormi,* eodem modo a variis languoribus curantur: inter quos Lucianus Rubeus, Episcopus Mesarensis, duodecim annorum spatio in humero gravi apostemate laboraverat; quod cum nulla arte aut remedio ad maturitatem provocari posset, medici ferro humerum aperiendum censent. At sacri hujus habitus particula a quodam Sacerdote Cappucino nudo illi humero apposita, confestim absque ferro ex ulcere tabes erumpit. Ludovico Naxino filius erat, Franciscus nomine; cui extremo cum morte agone conflictanti, cum hoc ipso remedio subventum esset, statim moribundus in meliorem salutis statum vindicatur, ac tandem perfecte convalescit. Fr. Mariani a Politio, Cappucini Sacerdotis soror, a multis annis gibba, tam curva incedebat, ut vix cœlum intueri posset; cum beati viri merita implorans, ac ex ipsius sibi habitus segmen humeris appendens, summa omnium admiratione erigitur, ac recta deinceps protenditur. Bartholo puero, cum a colludentibus siliquæ nucleus in aurem immissus fuisset, tam profunde in earum meatum dilapsus fuit, ut nulla ratione aut chirurgorum arte inde avelli potuerit. Quamobrem cum duodeviginti annorum spatio is illum, haud absque ingenti dolore, in aure tulisset; panni aliquando, qui ex Beati Felicis habitu præcisus fuerat, segmento sibi adhibito, mox erumpit nucleus, atque is diuturno auris dolore liberatur. D *EX ANNAL. BOVERII.*

et alibi in Sicilia 52 Vir quidam ab Alchamo Siciliæ oppido, cum graves cum nonnullis inimicitias gereret, habitus B. Felicis particulam a nostris impetrat, qua se hostium insidiis tutum fore confidit. Nec sua illum fides fefellit: nam e Cappucinorum conventu Alchamum rediens, cum in hostes incidisset, qui multis illum vulneribus confodientes se mortuum reliquisse existimarunt; is domum reversus, cum vestes vulneribus undique discissas conspicit, beati viri hujus ope se penitus absque vulnere illæsum intuetur. His præterea ex eadem provincia accedant Legisperitus quidam Drepanensis, qui a gravi febre; alter ejusdem urbis, a diabolico fascino; mulier arreptitia, a dæmonis imperio; Vincentius a Termis Himeris, atque altera ejusdem urbis mulier, ab oculorum morbo; Textoris cujusdam uxor, jam medicorum ope destituta, a leti faucibus; Bibonensis quidam, in Ordinem benevolus, a gravi laterum dolore; ejusdem oppidi mulier, a diuturno stomachi languore; quamplurimi denique febricitantes, aquæ potu in quam sacri habitus particula immissa fuerat, sanantur; ita ut in Urbonæ conventu a Cappucinis aquam mane amplo in vase parari opus esset, quæ hujus panni contactu consecrata eam a Deo B. Felicis merito sibi virtutem comparabat, ut ab universis tum febricitantibus, tum alterius generis ægrotis languores depelleret. E

ac Pedemontio: 53 Ex Pedemontana provincia, Magdalena quædam Bergalla, in Cebæ oppido gravissima febre oppressa, ad necem festinabat: quo tempore illius conjux ad conventum accedens, cum Eucharistiæ Sacramentum a Superiore publice in altari exponi impetrasset, a quodam præterea Cappucino Sacerdote B. Felicis habitus præsegmen accipit. Quod cum ægrotantis uxoris collo, post orationem Dominicam ac salutationem Angelicam pie quinquies recitatam, appendisset; ea paulo post in soporem dilapsa, B. Felicem juxta lectum sedentem intuetur: cujus aspectu adeo corroborata fuit, ut e somno experrecta, se a febri liberam senserit. Quare post hæc, cum de B. Felicis effigie interrogaretur, tam graphice veram ipsius formam verbis delineavit, ut omnem ab animo dubitationem sustulerit, quin is B. Felix fuerit, qui idem incolumitatis beneficium præstiterit. Lucretia, Joannis Petri Provanæ uxor, hoc tempore in Carignani oppido tam graviter ægrotabat, ut medici de ipsius salute desperantes, vix in crastinam diem vitæ illi tempus prorogarent. Erat Lucretia ac tota hæc Provanæ familia erga Cappucinos benevola: quapropter conventus Superior ad eam Augustinum Dertonensem Concionatorem destinat: qui ubi illius ad B. Felicis merita imploranda animum accendit, unum aut alterum ipsius habitus pilum illi cum aqua propinat; atque illius frontem liquore, qui ex beati viri corpore fluxerat, inungit. Factum mox incolumitas sequitur, qua universi tum medici tum qui lecto circumstabant obstupuere, ac Deum in sancto viro glorificavere. F

in Monteregali: 54 In urbe Montis-regalis, Joannes Franciscus Beltrutus, adhuc puer, molesta quadam agritudine detinebatur; cui Isabella mater, Cappucinorum Ordini cum primis devota, nonnullos sacri habitus pilos cum aqua mixtos hauriendos propinat. Quibus haustis, dum puer occlusis foribus solus in lecto decumbit, gemini Cappucini Fratres, ex quibus alter B. Felix erat, cubiculum ingressi prope lectum assident. Quos dum puer lætus intuetur, paulatim somno corripitur. Interea mater quæ domo excesserat, ad filium reversa, cum eum ab ægritudine liberum ac incolumem

EX ANNAL. BOVERII.

A incolumem reperisset, rem admirata, unde id illi acciderit ab eo percunctatur. Qui B. Felicis illi apparitionem referens, matrem ac ceteros domesticos ad gratias glorioso Dei servo agendas provocat. Salutiis quoque Catharina a Turre, nobilis femina, phrenetica febri laborans, cum paucos ejusdem habitus pilos, eidem a quodam Cappucino Sacerdote cum aqua propinatos, hausisset; paulo post a phrenesi atque a febri dimissa, ad pristinam incolumitatem redit. Hoc modo Clara, Lucretiæ Purpuratæ pedissequa, letaliter ægrotans; Lucretia quoque ipsa, diutino partus dolore oppressa; Novariensis quidam, a dæmone vexatus; puer, boæ morbo periculose laborans; mulier Casalensis, a tertiana febri graviter afflicta; nobilis quidam de Torres familia, una cum uxore ac filiis febricitans; in salutem vendicantur.

Pedemontio

Helvetia,

55 Ex Helvetia provincia, Mulier, oculorum ægritudine penitus obcæcata; altera, gravissimo capitis languore correpta, quo fere ad insaniam compellebatur, adolescens a tibiarum ac pedum tumore, sacri habitus segmentum contingentes, persanantur. Ex Veneta provincia, Nobilis Bergomas a tertiana febri; mulier quoque Veronensis, partus dolore B vexata, hoc ipso remedio freti, sanitate perfruuntur. Ex Umbria, puella quædam Fulginiensis, letali febre ad vitæ occasum festinans; vir quoque, periculose ægrotans; geminæ itidem mulieres, odontalgia graviter afflictatæ, hac in beatum virum religione, a morbis curantur. Ex Aprutiensi provincia, Julia a Collepetri, et Pax, Joannis Bernardini uxor, a tertiana febri, qua diu laboraverant; Alphonsina a Scandrilia, a comitiali morbo; Magdalenæ Ursinæ filius, medicorum sententia morti adjudicatus; Dominicus a Cruce, Ambrosius Olympiæ Palliacensis filius, Crystallina Cianchitta, et adolescens quidam, a dæmone vexati; Laurentius a Villa, a diuturna ægritudine; et Antonius Forsytus, ab melancholica passione, qua ad insaniam redigebatur, sacri habitus tum potu tum contactu, ad incolumitatem perveniuntur.

Dominio Veneto,

Umbria,

Aprutio.

Alibi plures, variis locis sanati,

56 Reliqua miracula, quæ per Christianum orbem sacro habitu patrata sunt, graviori ac certa fide probata, brevi compendio indistincta regionum serie perstringimus. Antonius Mogaverus, a febri et sanguinis fluxu; Silviæ Bentivoliæ filius, ex alto delapsus, a capitis illisione; Joannis Baptistæ Fregullii filia, a strumis; Margarita, Augustini Manfredi C uxor, a diuturno corporis languore; Pauli Virchii Brixiani filius, ab incurabili femoris morbo; Catharina Carpensis, a gravi tibiarum ulcere; Livia, Christophori Vitellæ uxor, ab uberum dolore, Portia a Civitate-Ducali, a vehementi febre, Imperia, Antonii Perotti uxor, a partus dolore; Cæcilia, Clementis medici uxor, a letali morbo; Joannis Baptistæ Simi filius, a mortis agone; Laura Sapalca, a febri continua; Franciscus Laurentinus, a febri ac laterum dolore; Franciscus septem annorum puer, ab hydropisi; Antonia, Joannis Basaiæ filia, a cachexia; Aloysius Panizza, a quartana febri, qua diu laboraverat; Hippolyti Boschi medici filia, a febri continua; Elisabeth, Andreæ Montanari uxor; altera Francisci Farolfi uxor, Guabenga Moltia, Herculis Cocapani filius, ac ejusdem famula Catharina Ferra, Leonora Mussarella, Thomas Bellinus, a gravissimis febribus; Antonius Estensis, a capitis vertigine; Alphonsus Giliolus, a crurum claudicatione; Lucia, Hippolytæ Estensis pedissequa, a calculi morbo; Galeatii Reminaldi uxor, Angela ipsius pedissequa, Catharina Bartholomæi Cacelli uxor, Lucretia Bartholomæi filia, et Lavinia Cocapani, a continua febri, vomitu, et pleuritide; Lucretia Bartholina, a gravi oculorum cruciatu;

turmatim enumerantur,

Ludovici de Benedictis filius, ab hernia; Victoria D de Puciis, in monasterio S. Catharinæ Senensis urbis Ferrariensis monialis, ab acerbo ac diuturno stomachi languore; Venia Trota, a colico dolore; Aspramon Mergerius Comelensis, a diuturno crurum cruciatu; Æneas Bottonus, Bernardini a Campis filius; Violans Antonii Zenonis nata, Hippolytus Patavius, Livia Bevilaqua, Junipera Bernilia, Aloysius Poquintesti filius, Catharina Bovena, Isabella Furlana, Eleonora et Claudia Squartrona sorores, Joannes Baptista Palmerius, Violans Bagarotta, Franciscus Tabarellus, Hippolytus Obicius et Cæcilia uxor, Lucretia Tallia, Diana Martia, omnes gravi febre laborantes; Julia Aguilla, a tonsillis; Jacobi Dainerii uxor, ab oculorum dolore; Sigismundus Comus Montiscuculi cum filio, a vehementi ægritudine; Ugutius Comes Bevilaqua, Thomæ Clarelli filius, Herculis Piscacetti filia, Junipera Casella, Bona Collegii Orphanorum urbis Ferrariensis puella, Violans Galeatii Curli filia, Franciscus Donzellus, Alphonsus Magdalenæ Busentinæ filius, Magdalena Thomasia, Alexandri Balbi filia, omnes ad medicorum desperationem ægrotantes; Jacobi Dainesii uxor, ab oculorum lippitudine: Franciscus Stabilinus fabricator, graviter ob lapsum sauciatus; Alphonsus Molza, a stomachi dolore; Dominica Alberteria, ab oculorum delacrymatione; Violans Lollia, a frontis tubere; Constantia Lamberta, ab oculorum ægritudine, qua pene cœca evaserat; Diana Mora, a gravi cephalalgia; Blanca monialis, a lienis morbo; altera monialis Adeodata nomine, propemodum luce orbata; Jacobus Antonius, Maria et Camilla Lauræ Anguissolæ filiæ, a gravi ægritudine; Isabella de Montibus, a tibiarum dolore; et Joannes Baptista Frater, a femoris cruciatu; Jacobus Bonsignorus, a diutina cephalea; Laura Carella, a pituitæ fluxu; et Catharina Soror, a matricali dolore; Albertus Petracius Dux Peditum, a bombardæ vulnere; Lucia Gambara, a gravi stomachi passione; Ludovici Maroni uxor, a gravi casu; Magdalena Lucara, epileptica; Rodolphi Peolentis filius, qui ex nimio fletu strabo evaserat; Franciscus Aloysius Thomatis, ab oculorum cæcitate; Lucia quædam, ab alvi cruciatu; Seraphina mulier, ab ulcere; puer, ab hectica febri; Vespasiani Sfortiæ filius Hieronymus nomine, ab acuta febri; Marchionissæ Montisfacionis filius, a letali morbo; geminæ mulieres, a partus dolore; Agatha Brucalca, a pestilenti febre; Cæcilia Dicia, a calculi morbo et a partus dolore; F Faustina Muncina, a gravi cephalalgia qua diu afflictata erat; Franciscus Lucretiæ Colellæ filius, a papulis; Fr. Silvester Burgiensis Cappucinus, Castri novi Guardianus, a letali ægritudine; Joannes Antonius Magister, urbis Neapolitanæ Judex, a faucium morbo; Franciscus Capellus Neapolitanus, ad mortem ægrotans; Hieronyma Pogia, et Laura Petronia, et aliæ permultæ a partus dolore; Dorothea Crescentia, a genarum contractione; Lucas, Æmiliæ de stirpe natus, a gravi stomachi dolore; Apollonia Valentia, a continua febri.

E

sola morbi specie expressa.

57 Crux exigua, a beato viro compacta, corollæ cujusdam Fabii a Pace alligata, cum ante rhedam casu excidisset, muli rhedam trahentes ante illam consistunt, neque ullis rhedarii verberibus ad iter compelli valent, donec Crux cum corolla inde auferretur. Postremo, ut his finem imponam, nonnulli hujus Beati viri capilli, papyro occlusi, cum a Camilla Peretta imprudenter in ignem projecti fuissent, in eo incombusti permanent, atque a flamma illæsi inde eruuntur.

Mira quædam in cruculis et capillis ejus facta.

CAPUT

A

CAPUT VII.

Ad solam Beati Felicis invocationem adjuti quamplurimi, vel oleo lampadis ad sepulchrum ardentis.

Sanatur ex pestilenti febre depositus voto matris,

Porro inter ea quæ ad solam nominis invocationem, aut votum ad eum emissum spectant; memorabile illud, quod de Antonio, Mariæ Camillæ Tensiæ filio, certa fide probatum in Processu habetur: qui cum pestilenti febre, ac præterea boa ita ad mortem ægrotaret, ut de ipsius salute physici prorsus desperarent; mater ad filii salutem beati viri merita implorans, eidem argenteam imaginem voto spondet, si salvum illum recipiat. Votum mox filii incolumitas sequitur: quæ beneficii memor, filium jam incolumem, cum argentea imagine, ad illius sepulchrum destinat. At illud plane mirabile, quod anno MDCXXI Stephano Biscio, Perusinæ ecclesiæ organistæ, accidit: qui ad extremam vitæ metam letali ægritudine perductus, cum triduum absque cibo et potu velut moribundus transegisset, Hortensia uxor, B plena in Deum fide, viro B. Felicis patrocinium in eo vitæ discrimine multis lacrymis deprecatur. Mirabile dictu! Vix ea preces absolverat, cum is qui sensibus omnibus atque ipsa oris respiratione deperditis mortuus putabatur, repente oculos aperit; Hortensiamque uxorem vocans, Adfer, inquit, confestim ad me calidum jusculum, quod in chrytrapulo prope ignem fervet. Advolat illa, factum ac verba admirans: ac dum jusculum viro propinat, Unde nosti, ait, jusculum apud ignem servari? Cui Stephanus, Nuper, inquit, B. Felix Cappucinus adstitit, his me verbis compellans; Stephane, si salutem optas, jusculum quod tibi prope ignem asservatur, absorbe. Quare hausto jusculo tam repente a morbo cœpit convalescere, ut postridie e strato surgens, universos qui eum pridie cum morte colluctantem viderant, summo stupore affecerit. Tertia post hæc die nudis pedibus Beatæ Virginis Ædem, de Montibus nuncupatam, tum B. Felicis sepulchrum adiens, ob acceptæ incolumitatis gratiam veneratur. At quandoquidem ex præterita ægritudine quædam illi capitis gravedo relicta fuerat, cum ille beati viri tumulum capite contigisset, ab ea quoque protinus liberatur.

uxoris voto vir triduum pene exanimis,

puer coram matre sub rheda conterendus servatur.

59 Dominicus, Bernardinæ Romanæ filius, necdum annorum duorum puer, dum in Romanæ Urbis C viculo, qui Muratarum nuncupatur, cum aliis colludit; repentino quadrigæ transitu præoccupatus, antequam inde eripi valeret, a rotis intercepitur. Quo tempore Bernardina mater, quæ præsens aderat, exclamans, B. Felicem ad filii salutem invocat. Pergunt concitæ rotæ, pueruli os corpusculumque supergredientes; at dum eo pondere oppressum ac pene obtritum existimatur, mox advolans anxia mater, infantem, ore excepto, quod gravius saucium offendit, incolumem conspicit: atque ut luculentius eum divina virtute servatum fuisse eluceret, coralliorum armilla, quam is circa brachium gestabat, rotarum conculcatione brachio prorsus illæso contrita fuit. At neque oris vulnus diu integrum perstitit: pia namque mater, cum puerum nulla interposita temporis mora ad beati viri sepulchrum, gratias actura, tulisset; oleo, quod ante sepulchrum in lampade ardet, os illi a Fratribus inungendum curat: quod cum prius vulnere tumidum esset, protinus detumescit: vixque domum reversus, ad pristinam incolumitatem redit.

60 Anno præterea MDCXXIII Apollonia quædam de Lineis, repentino cerebri morbo intercepta, in eam aliquando mentis insaniam inciderat, ut in furias acta domesticos unguibus ac dentibus aggrederetur, cunctaque suis clamoribus compleret. Nullum physici furenti amentiæ remedium opportunum ducebant: quapropter Margarita filia, una cum domesticis B. Felicis præsidium ad matris salutem implorans, eidem se voto adstringit, si incolumem matrem accipiat, integro se bimestri nudis pedibus quotidie ipsius sepulchrum veneraturam, tabellamque illi in beneficii memoriam appensuram. Vix illa cum tota familia votum emiserat, cum Apollonia ita sanæ menti reddita fuit, perinde ac si numquam mentis ægritudine laborasset: filiaque, ob collatum matri beneficium, votum solvit. Sequenti vero anno MDCXXIV Franciscus Cæsius ab Antredeco, obstructæ vesicæ meatu tam graviter ischuria ac lotii retentione laborabat, ut octo dierum spatio nihil prorsus urinæ effunderet. Quam ob rem cum ingenti dolore cruciaretur, ad beati viri opem confugiens, si ab ea ægritudine liber evadat, se ipsius sepulchrum pie quam primum visitaturum pollicetur. Religionis promissionem mox sanitas subsecuta: eodem namque temporis momento, vesicæ ore patefacto, copiosum lotium effluit, fugatur dolor, isque primo quoque tempore votum redditurus Romam iter capit.

D

EX ANNAL. BOVERII. Rabida mulier ad filiæ preces sanæ menti redditur,

octiduana ischuria laborans juvatur,

E

61 Pleraque alia breviter indicare sufficiat. Hieronymus, Polydori Palermi filius, pedibus impotens, ad beati viri sepulchrum delatus, pedum statim usum recipit; atque ejusdem filia a dæmone liberatur. Dotalicis Viterbiensis filia, pedum usus carens, voto ad Beatum virum pro illa emisso, eo perfecte potitur. Beatrix Melcia, eodem modo ab utriusque auris surditate curatur. Lucia a S. Paulo, a gravi cephalea; Horatius Carpenia, a vehementi ægritudine, Flaminiæ Cæsiæ filius, boa periculose laborans; Mariana Senensis, a tibiarum dolore; Flaminius Nigrisellius, febricitans; Constantinus Pincellius, a gravi gutturis morbo; Lucretia Ferreria, a manus apostemate; Laura Bertia Papiensis, ab uberis morbo; Stephanus de Thomatis, a pestilenti febre; Lauræ Rondoninæ filius, a febri ac fluenti pituita; Joannes Germanus, a brachii ulcere; Franciscus Alexius, a tormentario pulvere in faciem emisso; Maria quædam, a morbo universali et hemicrania; Marcus Antonius de Pratis, a febri phrenetica, Fr. Dionysius a Montefalco, Cappucinus concionator, jam moribundus; Justina Mutia, ab oculorum ægritudine et stomachi languore; Lucia Senensis, a pestilenti febre et phrenesi; Antonius de Benedictis a Cantalice, febri ac gravissimo femorum dolore laborans; Joannes Baptista Casanova, Fr. Constantinus Angelus Cappucinus, Arsilia Alvara, Alexander Albertinus, Anna Thomasia, Justina nubilis juvencula, a diuturnis ac periculosis febribus; Dominicus Coderonis, ab hernia; Scipio Sigillinus, a brachii contractione; Fr. Josephus a Lanciano Cappucinus Clericus, a tonsillis, sanantur. Antonius Spania, plurimis ab hostibus vulneribus ad mortem confossus, beatum virum invocans, absque vulnere conspicitur. Fr. Joannes Setianus, ex nostris Laicus, septennio ægrotans; Virgilius puer, e sublimi loco delapsus; mulier quædam Martha nomine, stomacho ac respirandi difficultate laborans; Cæcilia de Nannis, totius corporis impotens; Silvia de Antoninis, diuturna nephritide afflictata; Lucretia Crescentia, calculi morbo oppressa; Adrianus de Luciis et Anna Maria Cupaya, uterque ob acutam febrim spe salutis destitutus; Antonius Mataramus, letaliter ægrotans, puer anniculus, a faucium præfocatione; Angela Marciana, a pituitæ fluxu ac stomachi dolore; Andreas Scatecinus, a pleuritide; Diamas quædam, a femorum ac tibiarum contractione; Paula Compesia, carcinomate tabefacta; Barbaræ Calliariæ filius, a cachexia et infirmo totius corporis statu;

plures alii gregatim recensiti,

indicato a quo quisque sanatus sit morbo.

F

EX ANNAL. BOVERII.

A statu; Julius Beanconius, letali vulnere saucius; juvencula in oppido Reveri, lue affecta; Alexander Cerasa, gravi morbo oppressus; Nicolaus Berraciolus, a tibiæ ulcere; Josephus Ricardellus, a diuturna febre: Magdalenæ Capariæ filia, ad medicorum desperationem ægrotans; Tridentina civitas, a peste grassante.

Ex his una ablatam miraculo debilitatem, repetit et impetrat.

62 Dariam Ciocheram, cum primis erga Cappucinos benevolam, libet adnectere: quæ cum ea corporis debilitate, affecta esset, ut absque fulcris incedere nequaquam posset, B. Felicis apud Deum merita sibi ad salutem accersens, salutem illico impetrat. Verum dubitatione illi in animo exorta, num prior infirmitas magis illi ad animæ incolumitatem quam accepta valetudo profutura esset; hac iterum conditione orationem repetit, ut si ad animæ salutem prior illi ægritudo sit potior, redeat illa; sin secus, valetudo stet. Res profecto mira! Mox enim redit infirmitas: et quæ læta, fulcra dimiserat; lætior, eadem repetit; divino hoc argumento edocta, utiliorem nonnunquam esse corporis ægritudinem, qua corpus languore ad salutem frangitur, ne anima incolumis ad damnationem maneat.

Oleo lampadis illuminatur cæcus,

B 63 Sed et ipsum lampadis, ante sepulchrum collucentis, oleum Deus optimus maximus miraculorum ferax præstitit. In his illud imprimis memoria dignum, quod de Gabriele Laurentii Bolegnoli Romani civis filio certa medicorum fide probatum est: qui cum anno MDCXXIV boæ morbo ita obcæcatus esset, ut dilatata oculorum pupilla, medicorum judicio in eum cæcitatis statum incidisset, qui naturaliter visus capax esse non posset; Laurentius pater ad B. Felicis opem sibi confugiendum statuit. Quapropter una cum uxore puerum, qui quartum annum attingebat, beati viri patrocinio commendarunt; et usque ad duodecimum ætatis annum, si oculorum lumen recipiat, Cappucinorum habitu induendum spopondere: puerumque ad B. Felicis sepulchrum perducentes, lampadis oleo ibi ab ecclesiæ sacrista inungendum curant. Inunctum cum domum reduxissent, vix domus is limen attingit, cum se fores, scamna, sellas, ac majorem domus supellectilem conspicere exclamat. Secundo vero ac tertio ad sepulchrum reductus ac perunctus, integrum tandem oculorum lumen assequitur: ex quo tantus medicorum animos stupor invasit, ut ii publica tabellionis fide divina id tantum virtute patratum testati fuerint. Alterum quoque haud minori admiratione di-

eodem sanatur puer a febri pestilenti,

C gnum, de Hieronymo Mineræ Marcatinæ filio, adhuc puero, apud Romana manuscripta legitur: qui a maligna ac pestilenti febre correptus, cum medicorum jam ope et opera destitutus prope animam ageret, a matre B. Felicis patrocinio commendatus, ac voto de illo cinericia veste induendo ac cerea imagine sepulchro appendenda concepto, hoc ab ea lampadis oleo inungitur. Quo tempore moribundo puero B. Felix persplendidus apparet, his eum verbis excitans: Hieronyme, Crucis te signo obfirma, ac Dominicam orationem recita: si id egeris, nequaquam morieris. Puer itaque beato viro obtemperans, ubi se Crucis signo communiit, orationem Dominicam exorsus, ita melius se habere cœpit, ut postridie e lecto incolumis surrexerit. Matri vero cum puerum post unctionem labia moventem animadvertisset, ab eo deinde quid tunc mussitaret percunctanti, is B. Felicis visum, et quæ ab eo illi imperata fuerant, enarrat. Quod vero rem magis confirmat, post hæc puer ad B. Felicis sepulcrum a matre perductus, simul atque illius effigiem in icone depictam conspexit, eumdem agnoscens protinus exclamat: Hic ille est mater, qui pridie mihi in lecto apparuit, et sanitatem contulit.

64 Hanc alia plane admirabilis Petri a Nicola

aliusque contractus:

D pueri incolumitas non longe secuta est, qui accutissima febre laborans, ex qua tanta nervorum contractio illi exorta fuerat, ut in lecto plane immobilis jaceret, ad supremum tandem languoris statum pervenerat, in quo præter celerem vitæ occasum ab eo nihil exspectandum foret. Mater vero, quæ omnia ad filii salutem remedia experta fuerat, cum vana omnia esse conspiceret, extremum tentat; ac moribundum, in B. Felicis sinum summa fide projectum ac præsidio commendatum, lampadis ante illius sepulcrum pendentis oleo inungit. Quid plura? Quantum unctio, tali fide peracta, filio opitulata fuerit, velox illius incolumitas declaravit. Nam sub vesperum moridundus perunctus, mane a nervorum contractione, a febri, ac tandem a mortis faucibus liber et incolumis e strato emergit. His et alia Dominici Florini curatio haud absimilis accedat, qui cum ad sextum usque mensem febri et apoplexia in lecto oppressus jacuisset, post hæc cancro circa dexterum latus affectus, extremum cum morte conflictabat. Quo tempore is quinto absque ullo linguæ usu die transacto, velut moribundus extremæ Unctionis sacramento perungitur, Deoque illius anima commendatur. Interea uxor, quæ Brigitta appellabatur,

item apoplecticus:

E ægrum conjugem, ut ad B. Felicis opem confugiat, impensius hortatur. Cui cum is annuisset, protinus illa viri frontem ac latus carcinomate tabefactum beati viri lampadis oleo inungit: tantumque ex ea unctione divinæ in eum virtutis emanat, ut febris, apoplexia, cancer, protinus abscedentes, morti jam proximum incolumem reliquerint.

resuscitatur mortua.

65 At hactenus enarratas, sin minus virtute, saltem dignitate superat incolumitas, seu potius vita, post mortem cuidam puellæ, Gasparis Bellintani filiæ, reddita, ac septem testium juramento firmata. Hæc tres annos nata, cum febri continua ac dysenteria gravissime affecta esset, nulla medicorum opera juvari potuit, quin in supremum tandem vitæ occasum deveniret. Repentino namque naturæ deliquio intercepta, dum inter patris manus gestatur, in ipsius sinu animam fundit. Nulla tunc non remedia tentata, quibus puella ad sensus revocaretur: at cum post tertiam et quartam horam, frigescente ac obrigescente jam corpore, nulla in ea vitæ signa conspicerentur, vestibus spoliata, in lecto tamquam exanimis collocatur. Quo tempore dum pater ac domestici eam velut mortuam lugent; ex his alter, voto ad B. Felicem nuncupato, puellam suæ lampadis oleo

F tanta animi in eum fiducia concepta perungit, ut puella mox reviviscens, imo ex pectore suspirio ducto, oculos ad patrem deflexerit. Quem plorantem cernens, ait, Cur, pater, gemis? lacrymas terge: non ego mortua sum, sed B. Felicis gratia vivo: is mihi nunc vitam ac salutem reddidit. Cumque hoc ipso tempore vestes postulasset, a febre, dysenteria, atque ab omni morbo penitus sospes, domum ac viciniam circumiens hisce verbis complet: O viri, Deo ac B. Felici gratias agite, qui me salvam et incolumem præstitit.

Plures alii moribundi eodem oleo servati in vivis,

66 Eorum porro qui ex certo mortis articulo hujus olei unctione liberati fuere, quamvis certus numerus præscribi nequeat, non nullos tamen indicabimus: inter quos sunt, Franciscus Pasqualettus, Lucretia Termulina, Victoria Crescentia, Bernardinus Massa, Felix Reucellius, Vincentius Gallus, Clementiæ Romanæ filius, Lucretia Angeli Cechalii uxor, Joannes Baptista Jacobius, Jacobus Bartorellus, Antonius Bacenellus, sex Francisci Mendozzæ filii ad mortem ægrotantes, Joannes Antonius Costa, Petrus Cecius, Franciscus Cerrius, Carolus Caputus, Philippa Maneria, Angelus a Sepino, Magdalena Ursina, Jacoba Maschetolia, Dominicus Marcordus, Franciscus Bragalius, Carolus Lauretus, Franciscus

A Franciscus Spanus, Franciscus Luxorius, Hieronyma Cloiq, Simon Cubrega Jacobæ Modaninæ nepos, Fr. Marcus Mantuanus Cappucinus laicus, Jacobus Lucianus, Hieronymus Aloysii Quarengi filius, Antonia Dominici Luciani filia, quæ triduo vita (uti creditur) defuncta ad vitam revocatur, Joannis Sartai filia, Franciscus Sabba, Franciscus Spana, Hieronymus Carta, Simon Cabitza Sacerdos, qui pretiosa hac olei unctione ab interitu vindicantur.

alii a variis morbis sanati,

67 Aliorum vero qui variis languoribus oppressi divinam hac unctione curationem acceperunt, brevem quoque libet indicem texere: in his sunt, Nicolaus Joannis a S. Nicolao filius, nervorum contractione languens; Ursula Pocavena, strumis laborans; Prudentia Urbinas, altero brachio manca; Angela Ricarda, a totius corporis tremore; Augustinus Sperantia*, a colico dolore; Augustina Nave, a cephalalgia et iterum a colicis doloribus; Euphrasia Joannis Baptistæ Senensis uxor, ab universali morbo et ab icteritia; Vitalis Fracassa, argemate incurabili; Horatius Ursinus, ab arthritica; Cæcilia Riccia, a nephritide, stomachi et laterum dolore; Victoria Cantuccia, ab oculorum cæcitate; Franciscus B Vendetius Anticolensis, ab ulcere; Octavius, Alexandri Matavatii filius, a tonsillis; Margarita Ungara, a gravi lapsu; Mariæ Prudentiæ Palermæ filia, a ventriculi dolore; Francisca, Andreæ Sagrestani filia, a gravissimo stomachi languore; Margarita Pelegrina Romana, a cephalea; Laurentii Anellii filius, a febri et asthmate; Dionysia Æsina, a nephritide; Elisabeth Cicania, ab universali morbo; Ascanius Roscus, a febri continua; Joannes Baptista Ursolinæ Cæsenatis filius, a letali ægritudine; Felix Reucillia, a pestilenti febre et lienteria; Joannes Baptista Barberius, sæpe a calculi morbo; Victoria de Sanctis, a porrigine; Stephanus Anselmus, a siriasi; Franciscus Griffonius, a tibiæ tumore; Lucina, Bartholomæi de Rubeis uxor, a diarrhœa; Rinaldus Alphonsus Neapolitanus, a serpenti morbo; Franciscus Mariæ Amadei filius, a boa pestifera; Elisabetha, Simonis Riccii uxor, a corporis tumore et colicis doloribus; Angela Chravenna, a nephritide et stomachi languore; Gentilis, Francisci Cassiani filia, a febri et sanguinis vomitu; Portia, Sacardini filia, ab acuta febri; Camilla Micarella, ab alterius auris surditate, et iterum ab oculorum inflammatione; Matthia, Francisci Tanii uxor, ab acuta febri; Francisca Pina, ab alterius femoris dolore; Virginia C Thomasina, ab uberum ulcere; Bona Ravennas, a levi pedis tumore; Julia Mavota, a multiplici languore; Victoria Gramola, a nephritide; Bartholomæus Mutius et Catharina Morella, a tibiarum ulceribus; Paulus Thomassinus, ob lapsum quemdam languens; Marina Angelina, carcinomate affecta; Magdalena Juliana, a pituitæ fluxu; Franciscus Balducius, a gravi apostemate; Hippolyta Nursina, ab argemate; Apollonia Rubea, Maria Monialium S. Luciæ a Silice procuratrix, atque ejusdem Mariæ nepos, a catarrhi fluxu; Jacobæ a furno filia, a coxendice; Perna Rinaldia a pleuritide; Vincentius Sgallia et Joannes Baptista, Venturæ a S Marino filius, a phrenetica febri; Pompilius Abbatius, a lævi oculi cæcitate; Horatius Ricus, pedibus mancus; Franciscus Sanitas ab apostemate, Carolus, Romanini a Ruscinone filius, a porrigine; Victoria Lavagna, a gravi femoris ulcere; Petrus Paulus Bojus, a poplitum dolore; Martinus Esquirius, a podagræ cruciatu; Helena Corta, a pedum ulcere; Joannis Morosæ filius, a multiplici ulcere; Francisca Jacobi Scalarii uxor, ab odontalgia; Maria Jacobi Dragoniæ et Dominica Petrorech, a partus dolore; Ægidius Justinianus Augustinianus et Victoria Lavagna, a gravi crurum ulcere; Martinus Esquirrus, a podagræ dolore; Georgius Pissamanus, altero brachio captus; D Philippus Vulacrarcus medicus, diu fascino oppressus; Laura Bratra, febricitans; Guilielmi Pistoris filia, in tumorem conversa; *Franciscus Caponius, ab ischuria; Antonii Oliveti Calceolarii uxor, a pectoris passione; Augustinus Cavalotus, ab animi defectu; Clara Consolata, a pituita in stomachum defluente; Bartholomæus de Ambrosiis, a narium profluvio; Dominica Marsacra, a diuturna febri; Ludovica Sartoria, ab uberum dolore; Angela de Sartoriis, ab alterius oculi cæcitate; Jacobi Durandi filia, a fistula; Dominicus Rossinus, pictor moribundus; Franciscus Leardinus, a nervorum contractione; Susanna monialis in monasterio S. Dominici Urbis Veronensis, a repentina cæcitate; Thadæa in eodem monasterio monialis, diutino languore curva; Marius Morandus, a gravi ægritudine, atque ejus filia a mortis articulo; Margarita Orlandia, a febri et tonsillis; Petri Lancini mercatoris uxor, ab acuta febri; Francisca Borna, sacro Oleo inuncta ac moribunda; Petri Stellæ uxor, ab universali totius corporis morbo; Franciscus Sinus, a febri et podagra; Jacobus Vivaldus, ab humerorum dolore; Florina Parmensis, a tibiæ ulcere; E Marci Antonii Falberii filius, a letali morbo; Joannes Baptista Joannellus, a gravi pituitæ fluxu; Stephanus Filletus et Gulliermini Garnerii filius Savillianensis, a ramicis morbo; Joannes Belga, a delacrymatione; Antonii Mantuæ filia, ab argemate; Lucia Pauli Furlani uxor, a colico dolore et amentia; Carolus Malaspina Marchio, a gravi ægritudine, atque ipsius mater a cephalea; Joannes Baptista Pignola, mortifere ægrotans; Dominicus Beccanus, a certo mortis articulo; Alexander Castollanus, pictor agonizans; Jacobus Mosellus, a laterum dolore; Josephus Marascaldus ob letale bombardæ vulnus morti a physicis adjudicatus; Fr. Fortunatus Clodiensis Cappucinus Laicus, a pestilenti febre; Canonicus Neganus Veronensis ecclesiæ, post extremæ Unctionis Sacramentum et animæ commendationem, hoc oleo inunctus, incolumitati redditur. Plerosque alios hoc modo divina virtute curatos, de quibus apud nos nulla memoria extat, ob Fratrum præsertim humilitatem et simplicitatem, qua minus hæc servi Dei miracula, olim potissimum, in actorum codicem referre curarunt, extincta. At qui Sanctorum suorum gloriam curat Deus, tot quotidie novis miraculis servum suum illustrat, ut priorum jacturam posteriorum copia atque excellentia compenset. F

et turmatim nominati.

EX ANNAL. BOVERII.

Crebrescunt ubique terrarum miracula B. Felicis.

68 Atque hinc divinorum operum magnitudo plane admiranda nobis assurgit: nam quo studiosius Fratres populi frequentiam, tum ab illius sepulchro, tum a tabularum appensione, tum a votorum obligatione, atque a publica illius veneratione, ne quid adversus ecclesiasticas leges nimis fieret, avertere conabantur; eo magis ipsius in Urbe cultus augebatur, ac nomen apud omnes diffundebatur. Votivæ tabulæ, æreæ, argenteæ, aureæ, ligneæ indies percrebrescebant: nova quodidie miracula, reluctantibus licet Fratribus, magis divulgabantur: populorum erga beatum virum religio, defluentibus annorum lustris, non defluebat; sed usque adeo per Christianum orbem dilatabatur, ut Romanæ Urbis terminis haud contenta, per Umbriam, Picenum, Hetruriam, Æmiliam, Calabriam, Siciliam atque omnis Italicæ regionis plagas, sese extenderet; neque Italiam tantummodo, sed et Helvetiæ, Galliæ, Lotharingiæ, Flandriæ, Hispaniæ oras penetravit: in quibus quam plurima, ad beati hujus viri invocationem, signa et miracula coruscare visa fuerunt.

ALIA

A

ALIA MIRACULA

ex MS. Collectione Fr. Jo. Baptistæ de Colle-veteri et aliis MSS. Conventus Romani.

CAPUT I.

Miracula quædam ante Beatificationem ab aliis prætérita.

Capilli B. Felicis ab igne efferuntur,

Post mortem B. Felicis plures ejus capilli, velut Reliquiæ convoluti in charta dati sunt Excellentissimæ D. Felici Columnæ : quæ eos aliquamdiu supra mensulam seu armariolum quoddam repositos habuit; deinde vero, cum sibi in manus rediissent, et cogitasset fieri posse, ut iidem neglectim habiti aliquando conculcarentur; nescio quo majoris reverentiæ zelo stimulata, quandoquidem putabat utiles sibi esse non posse ad instruendum Reliquiarium, quia Fr. Felix non erat beatificatus, censuit eos esse comburendos. Itaque accedens ad focum ardentem, B ipsamet eos in ignem conjecit cum charta, et abiit ad alia agenda, ne tantillum quidem ibi morata dum consumi ipsos vidisset. Res mira! Flammæ illæ, quæ tam chartam quam capillos ea contentos, propter tenuitatem ac levitatem eorum, statim consumere debuissent; eosdem velut ludibundæ tollebant in altum, longiusque ab ardore removebant. Id mirata ancillarum honorariarum una quæ aderat, chartam ad se rapuit; eamque inspiciens, inscriptum illi legit, Capilli Fr. Felicis de Cantalicio Capucini. Nihil illa tunc cuiquam dixit, sed velut thesaurum pretiosarum Reliquiarum asservavit : progressu autem temporis eosdem capillos nacta filia prædictæ domicellæ, tradidit D. Cæciliæ Ricciæ : et hæc variis dispertiens, mihi quoque Fr. Joanni Bapt. de Colle-veteri ex illis dedit, factum (uti prior ipsa acceperat) narrans; et chartam, nihil quidem ab igne læsam, fumo tamen afflatam, ostendit.

prorsus illæsi,

Reliqua deinceps ordine temporis referenda unde accepta sint?

2 *Hoc testimonium, ita positum in medio contextu plurium miraculorum, eadem (ut apparebat) manu uno in codice descriptorum, placuit hic primo loco ponere, licet nullius anni nota inscriptum; quia nomen exhibet Collectoris, ordinem temporum plerumque servantis: ex quo cum appareat, pleraque post Beatificationem esse* C *gesta, ultra quam non videntur se extendisse documenta quibus usus Boverius est, eodem tempore sua imprimens Lugduni quo Joannes Baptista sua colligebat Romæ, in anno* MDCXXXVII *finiens, digna mihi Collectio ejus visa est quam Latine redderem, servato, et ubi deficiebat restituto ordine temporis. Cum autem Conradus Janningus noster, ab eodem qui cetera subministraverat R. P. Fr. Cyrillo Bergomensi, accipiens alia plura miracula usque ad annum* XLIV, *præcipua quædam ex illis selegerit describique curarit: congruum duxi prioribus illa permiscere, pro ratione annorum quibus facta scribuntur; ex Italico Latina faciendo omnia, paucis exceptis quæ fuerunt ab initio descripta Latine. Incipio autem a nonnulis ante Beatificationem gestis, nec tamen alibi (quod recorder) memoratis.*

An. 1589 restauratur palatum exesum,

3 Anno MDLXXXIX Aureliæ Perazziæ sic erat exesum palatum, ut cibus ei per nares rediret: cum enim cuidam ejus infirmitati, quam grancettas infistulatas vulgo appellant, remedium facere medicus voluisset, ori ejus infundendo vitriolum, ut vocant, sublimatum; palati os totum velut adustum per partes excidit, dentesque luxati facti sunt nigri instar carbonum, et guttur exulceratum nihil poterat deglutire, sed infundibilo opus erat : insuper et loquelam amiserat infelix. Huc ergo reducta, accessit ad sepulcrum B. Felicis, et inungi petiit liquore D ab inde scaturiente : quo facto, statim cœpit recuperare valetudinem, et intra brevissimum tempus integerrime persanata sic fuit, acsi nihil perpessa esset, prout deinde examinata deposuit.

An. 1614 servatur puer moribundus

4 Camilla, uxor D. Francisci Renzii, qui Paulo Papæ V felicis memoriæ Credentarius fuerat, anno MDCXIV habebat filiolum, nomine Antonium Mariam, variolis petecciisque laborantem, et a medicis depositum. Pro hoc ergo supplex facta B. Felici, novit puerum ejus sepulcro sistendum cum anathemate argenteo si sanaretur : voti autem compos effecta, ipsum mox curavit exolvere. Eadem bis aborsum passa, cum tertio simile incommodum metueret, eadem fide animata rursum sese voto obstrinxit, quod si masculum pareret, Felicis ei nomen imponeret : quod, secuto ut optaverat beneficio, complevit; nihil dubitans, quin filium istum meritis B. Felicis obtinuerit, sicut affirmavit nomen suum subscribens.

et aborsus impeditur :

1619 servatur puerpera animam agens.

Anno MDCXIX Agatha Brucali, prolem masculam enixa, febri tam maligna correpta fuit, ut intra decimum tertium morbi diem esset Viatico munienda, et extra spem omnem humani auxilii deponeretur a E medicis. Jamque extremum spiritum ducens non sentiebat muscas per os apertum intrantes, ingredientesque aut insidentes oculis; quando compater quidam suus imposuit ei partem cilicii, quo fuerat usus B. Felix, vovens quod ipsam, si sanaretur, ad ejus sepulcrum deduceret : prout etiam fecit, voti cito reus factus

1621 resuscitatur mortuus.

5 Stephanus Bisci Perusinus organista, et D. Hortensia ejus uxor, habitantes in monte Citorio, anno MDCXXI deposuerunt, quod cum prædictus Stephanus ægrotaret ad mortem, eo devenit ut nihil omnino cibi capere posset amplius, a Feria IV usque ad VI, quæ erat dies IV Junii : quinimo sub sextam vespertinam frigidus ac pallidus totus, non modo nil sentire, sed nec respirare videbatur; cum neque per nares trahentibus eum domesticis, nec aquam vultui aspergentibus ullum signum redderet. Quare adveniens Parochus cum Oleo sancto, itaque sine sensu extensum reperiens mortuum judicavit, nec voluit ei extremam Unctionem impendere. Tunc Hortensia, quæ virum jam ut defunctum lugebat, ante imaginem Deiparæ posita, commendavit ipsum S. Felici, rogans ut marito vitam a Deo impetraret. Cum ecce ab eo appellari se audit, jubente ut præberet sibi offam illam quæ in scutella stabat ad focum : quia Pater iste, quem Deus ad se miserat, F dixerat eo sumpto convaliturum subito, sin minus illico moriturum : et illa sumpta mandavit ut alteram sibi pararet, qua mox sanandus esset. Ignorabat autem antea infirmus, ut deposuit, offam ad focum fuisse positam : quem cum uxor sua interrogaret, quis ille Pater talia mandasset; respondit ea mandasse Felicem. Tota vero nocte sensibiliter proficiens, sequenti die egressus est de lecto : et die Lunæ discalceatus visitavit Dominam nostram in Montibus, ac deinde adiit sepulturam B. Felicis, integra postmodum sanitate fruitus.

1622 sanatur cruribus debilis,

6 D. Doralice Viterbiensis, habens filiam, utroque crure sic impeditam, ut ambulare non posset absque maximo labore et cruciatu, ac ne pedibus quidem recta insistere; cum aliud malo remedium haud inveniret, devovit eam B. Felici, duo cerea crura ad sepulcrum ipsius ferenda promittens. Vix autem emiserat votum cum sanitatem puella obtinuit : eaque res contigit anno MDCXXII mense Martio. Mense vero Junio ejusdem anni D. Francisca, uxor Claudii pasticciarii Romani, habitans juxta Deiparam Constantinopolitanam, supra modum perterrefacta, quia quinque integrorum mensium spatio nihil videbat nisi funera oculis suis observantia, die

liberatur mulier a terrificis spectris,

A die ac noctu tremebat, et extenuata consumebatur absque ullo excogitabili remedio; donec oleo B. Felicis se inunxit, pollicens tabulam votivam in testimonium beneficii si sanitatem consequeretur ab eo morbo, qui non solum ipsi causabat perpetuam cordis succussionem; sed etiam faciebat ut prout quemque videbat ambulantem, modo hunc modo illum, mortuos sibi videretur intueri : voto autem facto, statim liberata est die VII mensis prædicti.

scribens Vitam Beati,

7 Eodem anno et mense P. Fr. Dionysius de Monte-Falconis Cappucinus, Guardianus conventus S. Bonaventuræ Romæ, maligna correptus febri tendebat ad mortem, nihil proficientibus pharmacis et medicis de vita ejus desperantibus. Cum ergo quotidie animam videretur agere, a die undecimo morbi ad decimum quartum interdiu ac noctu super ipsum identidem recitatæ sunt Commendationes animæ, dicente medico, grande miraculum fore si sanaretur. Interim Patres aliqui contulerunt se ad ecclesiam, oratum ante sepulcrum B. Felicis, ut ægro impetraret vitam, tamdiu saltem producendam; donec absolveret quem cœperat et multum promoverat librum de vita ipsius, orationibus vota addentes. Eodem tempore nobilis Domina Cæcilia Ricci, B Religioni et B. Felici dictoque infirmo devotissima, infirma licet etiam ipsa, cum in horas singulas expectaret nuntium de illius morte, surrexit de lecto; prostrataque ante imaginem B. Felicis, qualem Fr. Dionysius in lucem emiserat cinctam miraculis, ægrotum illius intercessioni commendavit, ea conditione, ut si exaudiretur, viginti quinque scuta impenderet ad componendum ejus lipsanis reliquiarium. Quia autem inter orandum objiciebatur ei in imagine prædicta miraculum, quod fecit Beatus in Hospitali S. Joannis Lateranensis mediante vino, sicut ibi expressum erat; in hæc verba prorupit : O Beate Felix, quare non reddis sanitatem misello Guardiano tuorum Cappucinorum, qui agonizat, sicut reddidisti jacentibus in Hospitali S. Joannis, mandans ut sumerent haustum vini? Mirum dictu! Ipso momento quo talia domi suæ dicebat illa, et Fratres deprecabantur in templo; infirmus, qui jamjam expiraturus credebatur, caput elevans, dixit : O Deus! quare non datis mihi aliquid potus? quia morior siti. Dederunt ergo quantum voluit cum modica offa; tantumque virium mox recuperavit, ut nemo dubitaret quin miraculo ea res esset adscribenda; maxime cum toto sequenti triduo nihil nisi offulam posset recipere ad victum; adeo ut appareret vinum C illud, quasi a Sancto ei præbitum fuisse. Post dies autem quatuor aut quinque cessavit febris : et deinceps perfecte sanatus perrexit componere Vitam Beati : qua absoluta, dum Urbe-veteri concionaretur, pleuriti correptus subito obiit.

alius pro eo orantibus,

servatur a morte donec absolvat,

8 Silvester Silvestri Sciarra, Romanus, habitans in areola ante Pontem Sixti, videbatur sibi aduri febri, cui nullam sibi requiem permittenti cum non inveniret remedium denique ab B. Felicis opem implorandam accurrit, quanta poterat devotione ipsi se commendans. Secuta orationem tanta est consolationis internæ suavitas, ut præ teneritudine animi solveretur in lacrymas; et effectu ejus in corpus redundante, sensit subito dispelli febrim. Hac autem licet liberatus esset, voluit tamen die postero oleo ipsius inungi, simulque renovari augerique intra se sensit gustum internæ istius dulcedinis, quam initio expertus erat : idque contigit XXIV Augusti anni præfati.

et curatur ardens febris.

D

EX MSS. ITAL.

CAPUT II.

Alia ante beatificationem miracula a Septembri anni 1622.

An. 1622 puella 4 horis mortua,

Trimula puella Catharina, filia Mag. Gasparis Bellintani Mutinensis, habitantis ad portam Septimianam, ibique artem quam vocant albam exercentis, decimum diem febri continua laboraverat : quia autem et dysenteriam patiebatur, dederunt ei macherones grossos, cum vaccino caseo et vino rubro compositos, ad constringendam alvum : sed ea paulo post inter patris brachia expiravit. Dubitantibus autem domesticis an syncope ea solum esset defectioque accidentalis spirituum, causata a vermibus, acetum temperantes allio et foliis persicorum, ungebant ei tempora, nares, frontem. Ast frustra omnia : quidquid enim agerent, nec minimum quidem vitalem motum pulsus vel anhelitus notare poterant; sed remanebat toto corpore frigida oculisque obscuratis : ideoque nudata vestibus, extensa supra lectum est, velut defuncta, et ut talis a parentibus deplorata, sic jacuit totis quatuor horis. Interim parentes et vicini E spem conceperunt, quod B. Felici commendata reviviscere posset. Ergo vitam ei si conducibilis esset petentes, oleo lampadis ante sepulcrum Beati ardentibus ipsam ungere cœperunt; quo statim atque contracta frons est, suspiravit, et paulo post caput erigens ac videns plorantem patrem : Pater, inquit, noli plangere, quia oleum B. Felicis me sanavit. Mox vestiri petiit, vestitaque descendit de lecto, et absque febri, absque dysenteria, tota valens, et robusta, domi et foris clamare cœpit, Oleum B. Felicis Cappucini me sanavit. Nullum autem vel antea vel postea remedium sumpsit : et nunc etiam sana atque hilaris vivit : attestati vero miraculo sunt, sub sui jurisjurandi fide, præter patrem prænominatum et matrem Annam, Joanna, Diana, Smeralda, præsentes, cum Smeraldæ marito Marco Antonio Calza. *Habeo Latine descriptam hujus miraculi epitomen, qualis proposita fuit ad examen medicorum duorum, Alexii de Alexiis et Aurelii Marocchi, ubi dicitur res accidisse* mense Septembri, *et additur, quod* vocato barbitonsore, ut candenti ferro cauterium excitaret in occipite, noluit inurere, quia manifestum erat non amplius animam in ipsa esse. *Proposita autem quæstione,* utrum ipsa ad redivivam lucem per hoc oleum animata fuit, an vero potius ab aliqua exo- F lutione aut animi deliquio liberata; *iidem medici longo (quem hic apponere nihil attinet) discursu demonstrarunt, fieri non potuisse, attentis ætatis, sexus, morbi ac symptomatum omnium conditionibus, quin vere mortua puella fuerit, atque adeo vero miraculo resuscitata.*

per oleum Beati reviviscit,

miraculo a medicis approbato :

10 Prima Dominica ejusdem Septembris, Vitalis Fracassa Assisiensis, habitans in angulo compiti Stratæ-novæ, visum unius oculi miraculose recepit. Advenerat ei præcedenti Julio inflammatio tam vehemens in oculo, ut talem panum ei obduxerit, qualem naturaliter dissipari non posse vel auferri, communiter creditur. Certe multa ille remedia tentarat, sed incassum omnia : usque dum venit ad corpus B. Felicis, ubi oleo lampadis se inunxit, et dissipato statim pano lucem hausit oculus; initio quidem ad ejus allapsum præ teneritudine dolens, suaviter deinde eam ferens, absque alio remedio : qui etiam oculus, ex priori offensione mirabiliter contractus, multoque minor altero, ad statum rediit naturalem.

illuminatur oculus obcæcatus.

11 Vulgo dicitur a medicis, Nullum malum venire solum. Ita plane evenit D. Matthiæ, uxori D. Francisci Tani, quæ tertium mensem prægnans, invasa fuit acuta febri, cum cruciatu totius corporis tam grandi, ut nullius vel levem tactum posset sustinere,

EX MSS. ITAL. *Sanatur prægnans ab acuta febri, apparente sibi sancto,*

A tinere, neque per dies omnino quindecim requiem ullam caperet; periculum autem abortiendi reddiderat eam humani omnis remedii incapacem: itaque jam advenerat Parochus, extremam ei Unctionem ministraturus. Interim maritus, non minus amans quam amatus, qui juxta præceptum Spiritus sancti Proverbiorum v, delectabatur in amore ejus jugiter, sive (ut alii legunt) in dilectione conjugis perpetuo erat implicitus, fecit illam oleo B. Felicis inungi: et hic ab ipsa quoque invocatus eidem apparuit, tanto in splendore, ut quasi extra se rapta inclamare domesticos cœperit, ut accurrerent, B. Felicem Cappucinum visuri. Sed disparuit ille, et simul evanuit infirmitas omnis, seque sanam Matthia testata est.

uti etiam quadrimus puer,

12 Quartum ætatis annum agebat Hieronymus, filius D. Menciæ Marcatinæ, habitantis ad Arcum Portugallensem, quando correptus maligna febri et intra decimum octavum mali diem ad ultimum vitæ articulum deductus est. Sed desperantibus medicis, spem non deponens mater, filium inunxit oleo lampadis ante sepulcrum ardentis, vovens quod grisei coloris habitu eum indueret si convalesceret, B atque ad sepulcrum ferret oblationem ceream pro eo. Facto voto, eadem vespera qua credebatur expiraturus, vidit B. Felicem puer dicentem sibi: Hieronyme, fac signum Crucis, et dic Pater-noster, non it is in infernum. Et statim puer cœpit simul et habere melius et præscriptam sibi orationem Dominicam, ut melius poterat, balbutiendo pronuntiare; adeo ut die sequenti liber a febri de lecto surrexerit, nihil præter debilitatem aliquam ex morbo retinens: et rediens medicus, atque per domum ludibundum inveniens, quem mortuum putabat, obstupuerit, nec dubitaverit pronuntiare, evidens ac magnum id miraculum esse. Quia vero vesperi cum Pater-noster recitabat puer, non satis bene eum potuerat mater sua intelligere; quæsivit ex eo postero mane, quidnam vesperi præcedenti dixisset: et ille respondit, dixisse se Pater-Noster et Ave Maria, sicut B. Felix sibi mandaverat. Quod autem mirabilius etiam est, is qui numquam Beati imaginem viderat, nec qualis ea esset ullo monstrante vel referente didicerat, mox atque intravit templum, ad visitationem sepulcri deductus, ipsam ibi pictam agnovit esse B. Felicis.

recitans preces sibi ab eo in visu præscriptas.

Parte cilicii admota solvuntur prægnanti mulieri calculi,

13 Præmemorata D. Cæcilia Ricci, septimum C mensem gravida, atrocissimis calculi doloribus cruciari cœpit, eo molestius, quo minus licebat ullum ei ex consuetis remedium facere. Cum ergo a quodam Patre Cappucino accepisset particulam cilicii, quo B. Felix ad carnem usus erat; hanc applicuit lateri qua dolor gravius urgebat, ipsius intercessioni se devote commendans: et intra tres dies novem excrevit lapillos, omnes ad ciceris unius quantitatem, hispidos ac solidos instar marmoris. Nihilo interim levior fiebat dolor: jamque viginti quatuor horis integris desierat in utero sentiri fœtus, adeo ut omnino mortuum crederet, maxime cum aliis etiam indiciis opinio ista confirmaretur. Cumque adveniente media nocte requiem nulla caperet, de lecto quidem levari se fecit: sed nec unum quidem passum formare valens et fœtui metuens, coacta est eodem reverti: ubi pene exanimis et voce destituta, interius B. Felicem oravit, ut largiretur fœtui suo baptismi gratiam. Postera die in ejus sacello ad eumdem finem curavit dicendam Missam, sub eaque felicissime peperit filium masculum, ac mox duos alios prioribus similes lapillos emisit, omni deinceps dolore libera. Baptizatus porro infans cum nullum lac posset toto triduo capere, et ex quibusdam accidentibus totus lividus appareret, modicam dumtaxat respirationem servans, nemo erat qui super-

et fœtus immaturus convalescit:

victurum speraret adeo præmature editum. Itaque D ad invocandum denuo B. Felicem conversa mater; eamdem cilicii particulam collo ejus appendit: qui mox papillam ori admotam sugere cœpit, ac si anniculus fuisset; et intra tres menses ita crevit, ut octo menses natus æstimaretur. Eadem D. Cæcilia, catarrho gravi in fauces defluente gravata, non nisi cum difficultate respirare poterat; quando, antequam alia ulla remedia admitteret, a filia Justina ungi sibi guttur oleo B. Felicis voluit: et super caput, unde defluentem sentiebat catarrhum, ligari ejusdem icunculam unam. Mox autem distillatio illa alio flexit cursum; atque per oculos duobus diebus jugiter emanans, liberam deinde ac sanam reliquit. Eadem D. Cæcilia vice quadam tam magnis laterum, renum ac stomachi cruciatibus occupata ut ægre respiraret, seque toto corpore sentiens frigescere; cum domestici vellent focum ei calefaciendæ admovere, ipsa, potentem B. Felicis intercessionem sæpius jam experta, auferri focum jussit; Beatoque se commendans oleo lampadis ungi se fecit: quod ei cessit optime: quocumque enim pertingebat unctio, inde abibat dolor; finitaque unctione tota convaluit: hoc autem bis ei accidit. E

eidem oleo inunctæ dissipatur catarrhus,

et gravis dolor:

14 Multa sunt alia quæ tum in se, tum in aliis suis amicis aut domesticis retulisse se meminit beneficia, idque temporibus variis: quæ inter etiam hoc narratur, quod D. Justinæ Mutii, ejus filiæ aliquando sic doluit oculus dexter triduo integro, ut exilire de capite videretur, nullam miseræ requiem permittens. Huic remedium nullum cum inveniret infirma, magna cum fide applicuit ægro oculo imaginem Beati, ejus intercessioni se devote commendans: et mox cessante dolore dormire cœpit, experrecta autem si liberam sensit. Eadem alias magno per totum corpus, sed maxime circa stomachum affecta cruciatu, cum difficultate respirandi et molesto membrorum omnium per intervalla tremore; quia sentiebat malum augeri, media nocte fecit accersiri pharmacopœum: qui cum aliqua ei remedia applicuisset, quod etiam mane sequenti fecit Doctor medicus, nec quidquam solatii ea tulissent; recurrit ægra ad sibi familiare refugium B. Felicis, atque in os sumpsit aliquid de intestinis ejus, a quodam Patre Cappucino acceptum: addidit votum mater de tabella ad sepulcrum portanda, si convalesceret infirma: statimque et dolor et tremor cessarunt.

filia vero ejusdem auxilium Beati ter experitur:

15 Soror Philippa Manerii, Monacha Ordinis S. F Claræ; cœpit in mamilla sinistra sic pati, ut dolor ad humerum usque pertingeret, tam ante quam retro: cui cum febris et delirium accederent letalem esse infirmitatem judicarent medici. In tali ergo periculo constitutam se videns, B. Felicem invocavit: et post preces aliquas ab adstantibus conceptas, oleo lampadis ejus inuncta, sensit simul cum procedente unctione abstergi dolorem, ac tandem ea perfecta evanescere. Cum autem pergeret delirare, etiam frontem unxerunt: et continuo rediit ei sanitas mentis, et cessavit febris, sicut deposuerunt juratæ Sorores anno MDCXXIII, XXV Januarii.

uti et monialis ex febri delirans.

16 Anno MDCXXIV contigit D. Franciscum Cesium octo continuis diebus ac noctibus, urinæ reddendæ facultate impeditum, cruciatus maximos tolerare, non sine frequenti convulsione: nec quidquam proderant medicinæ. Tunc coram imagine B. Felicis prostratus, petiit ab illo supplicio liberari, vovitque visitare ipsius sepulcrum: ipso autem instanti urinam reddidit, ac deinceps immunis a cruciatu fuit. Eodem anno Jacoba dal Forno filiam habebat ex ischiade contractam, quæ transactis in ea infirmitate hebdomadis quinque, cum sese unxisset oleo B. Felicis, seque ejus patrocinio commendasset; oculis connivens non tamen dormiens, ingredi vidit ad se Dominam

An 1624 sanantur disuria,

ischias,

A Dominam quamdam, habitu coloris cœlestis indutam, cum Fratre Cappucino, quem illa credidit B. Felicem fuisse, alteram vero Dei Matrem. Dicebat autem Regina cœli; Ne timeas, filia, quia ab hac infirmitate sanaberis. Vidit et audivit eadem, vigilans mater : sensitque verum esse illud Ecclesiastici xiv, Dilectio Dei honorabilis sapientia : sive (uti aptius habet textus Græcus) Amor Dei præclara est sapientia, cujus qui viderit speciem eamdem perspectam ex miraculis ipsius agnitam diligunt : etenim ad visibilem illam visitationem completa visibiliter et promissio fuit.

febris letalis,

17 Eodem anno MDCXXIV Venturæ de S. Marino filius quadrimus, Joannes Baptista febri correptus, tribus in ea hebdomadis mansit : sed tertia hebdomade eadem sic invaluit, ut de vita actum omnes judicarent : siquidem tremebat totus, et variolis insuper correptus incipiebat oculos distorquere. Plangebat ergo ut mortuum mater sua : nihilominus eum B. Felici devovit, sub obligatione offerendi tabellam ad sepulcrum, ipsumque nudis pedibus adeundi. Deinde cum devotione ac fide oleo lampadis unxerunt infirmum ; quem ipsa mox hora febris dimisit, mansitque sequenti die tam robustus, ut sui aspectu

B omnes in admirationem pertraxerit. Domina etiam Catharina della Porta, una cum atroci febri sensit taliter inflammari sibi caput, eo vehementer tumescente, ut notabiliter deformis appareret. Erisipelatem esse judicabant domestici, quo sæpe antea fuerat cruciata, licet numquam alias dolor tam intensus fuisset. Quadam ergo nocte dum conatur aliquam quietem capere, sibique nonnihil somnolenta videretur, apparuit ipsi B. Felix cum nonnullis Cappucinis ; qui eam jussit bono animo esse, utpote cito sanandam : formataque super eam Cruce abiit atque disparuit ; et statim habere melius cœpit infirma, et intra dies paucos sanam viderunt omnes, cum admiratione tam sua quam aliorum, qui antea tam male habentem viderant.

erisipelas,

dolor capitis,

18 Angelus del Bocchio a Silice, post malignæ febris paroxysmos aliquot, sic dolore cœpit ex capite, ut ad extremum vitæ discrimen adducto extremam Unctionem conferendam censuerit Parochus. Jamque ei funebres panni parabantur, quando petiit oleo salutifero inungi, et cessante febre statim convaluit. Trium dumtaxat annorum ac dimidii erat Gabriel, filius Dominici Bolignoli Bononiensis, quando letali

C febre correptus, supervenientibus morbillis, cœpit desperari a medico. Tandem post multa ei applicita medicamina, mortem quidem evasit, sed cæcus permansit ambobus oculis. Cui malo nullum superesse remedium videns pater, duxit filium ad sepulcrum B. Felicis, ibique liniri oleo fecit, inunctumque cœpit domum deducere : quam ubi attigit videre puer cœpit. Eodemque reductus aliquoties, unctione vero iterata, sanus denique totus apparuit etiam ex oculis.

et cæcitas ex variolis.

CAPUT IIII.

Miracula quædam post Beatificationem Felicis ad invocationem illius facta, usque ad annum 1634.

An. 1627 æger ad extrema deductus

Testificatur de se ipso Fr. Petrus Franciscus Castelli, Comes Milacensis et Eques Melitensis, quod mense Martio anno MDCXXVII Romæ æger, vehementia morbi ad extrema deductus est, adeo ut vesicatoria ei applicanda decernerent medici, post alia remedia omnia frustra adhibita a variis, ac nominatim a D. Thadæo Collicola medico Eminentiss. D. Card. Barberini. Hoc in statu quidam ejus frater devovit illum B. Felici nostro, eumque fecit ungi oleo lampadis, atque attulit ei ipsius icunculam, ut eidem se commendaret ; sicut fecit, orans ut D sibi a Deo impetraret sanitatem. Eo facto, nocte sequenti sic invaluit febris, ut eum de statu mentis moverit : inter deliria autem apparuit ei senex in habitu Fratris Cappucini, dixitque ; Surge, adolescens, vestes accipe, et abi, quia sanatus es. Statimque sui compos fratri circumstantibusque narravit omnia : et medicus prænominatus, qui eumdem secundum naturæ cursum invenire debuisset pejus habentem quam dimiserat, reperit mane sequenti fere sine febri : quæ deinde eum vesperi plane dimisit sub horam vigesimam secundam. Facto autem deinde voto, de veste grisea per integrum annum gestanda, ac postea appendenda ad sepulcrum B. Felicis ; anno decurso ipsam per se attulit, tradiditque Sacristano Cappucinorum Romæ, cum supradicta testificatione propriæ manus, consueti sigilli applicatione munita.

EX MSS. ITAL.

apparente Beato sanatur :

item genu sclopo læsum Papiæ.

20 Infrascriptus facio amplam et indubitatam fidem, qualiter anno MDCXXVII fuerim in altero genu læsus ictu sclopi cum periculo vitæ : cumque ad me venissent Patres duo Cappucini hujus monasterii Papiensis, mihique attulissent pauxillum ex oleo B. Felicis Ordinis sui, hortati sunt ut eum invocarem, E confidens quod mihi sanitatem impetraturus esset a divina majestate. Id vero cum fecissem plene convalui : et in memoriam recepti beneficii curavi pingi in duabus tabulis ejus effigiem ; quarum tabularum alteram penes me servo in proprio cubiculo, alteram misi ad Conventum quem habent Patres Cappucini Sestri in patria mea, ut ibidem in ecclesia collocaretur, quemadmodum et collocata est, cum magna incolarum devotione ad eamdem in suis necessitatibus recurrentium. In cujus rei fidem coram Notario infrascripto manu propria hasce signavi. Datum Papiæ xv Octobris MDCXLIV. Ego Joannes Lucas Scabiosus : *cui attestatur* Joannes Dominicus Scevola Notarius Papiensis ; *fidem pro eo facientibus Consulibus et Cancellario Collegii Notariorum Papiensium. Eodem anno quo res ista Papiæ contigit in Insubria, in Sicilia locis variis fuit pro prima vice celebratum festum Felicis ex vi decreti quo anno præcedenti Urbanus Papa facultatem ejus ubique agendi extenderat pro omnibus Ordinis Cappucinorum locis : eorum autem quæ tunc contigerunt mirabilium aliqua perscripsit Romam Fr. Bernardinus de Naro, tunc Panormi commorans in officio Camerarii.*

Dum festum celebratur Panormi

magnæ multitudini minor annona sufficit

21 *Refert hic tamquam miraculum maximum ipso die patratum, quod* cum ad festum celebrandum in F amplissimum publicorum spectaculorum locum convenissent plus quam tria millia hominum, qui omnes, devotionis et hilaritatis ergo in conventu ad refectionem sumendam manserunt ; vescentibus seorsim Fratribus pluribus quam centum triginta ; cumque omnibus promiscue ministraretur ex caritate, panis, vinum, caro, pulmentum ; eadem non solum pro isto die suffecerint omnibus (licet illa quæ contulerant quæstores et devoti quidam ultro submiserant, naturaliter sufficere tam multis nequirent) sed etiam per totum triduum subsequens, quo continuatum fuit festum ; occasione Quadraginta-horarum, quarum vices tunc conventui nostro obvenerant ; cibum potumque apud nos sumentibus, non quidem tot millibus, sed ducentis quotidie aut etiam pluribus, ex turba musicorum aut alias nobis devotorum vel etiam Fratrum advenarum, absque ulla nova provisione ex iis solum quæ festo superfuerant reliquiis. Quantum autem plus panis vinique distribuebatur, tanto magis crescebat. Idem contigit eadem occasione, et eodem tempore in loco nostro Castel vitrani ubi similiter multi seculares Presbyteri et Domini devoti apud nos refecti sunt ; et annona naturaliter insufficiens, licet copiosa, pluribus postea diebus

item Castelvitrani :

A diebus ad Fratrum refectionem suffecit. In loco autem Montis contigit, ut sub tempus concionis in qua de laudibus B. Felicis dicebatur, rupto fune ex quo pendebat ramosum ex ære multiplici candelabrum, quod subtus sedentium feminarum multis debuisset capita, brachia, crura comminuere; noxam nemini intulerit casus tam formidabilis.

EX MSS. ITAL. alibi sub ruina nullus læditur.

22 *Huc ut vicinia temporis, sic etiam similitudine materiæ jungi merentur quædam publicis duobus instrumentis postmodum excepta, in civitate Collis et oppido S. Geminiani, utroque sub Dominio Florentino. Primi Instrumenti tenor hic est.* In Dei nomine. Amen. Præsenti publico Instrumento cunctis pateat evidenter et sit notum, quod anno ab Incarnatione Domini MDCXLIV.... constituta coram me Notario publico et testibus infrascriptis D. Catharina P. Picchinetti vidua civis Collensis, examinanda ad perpetuam rei memoriam, ut æternum agnoscantur gratiæ receptæ per B. Felicem Ordinis Cappucinorum: quæ medio suo juramento exposuit et dixit, se semper fuisse Beato isti devotissimam; et quod anno MDCXXX, mortuo genero suo Angelo Tedescho, necesse habens domum recipere filiam suam Antoniam, in comitatu plurium matronarum; miserit famulam B suam Luciam in apothecam vinariam, ut potum omnibus quæ advenerant promeret. Illa autem revertens, asseruit, vinum nullum nisi guttatim stillare, quo ægre implere potuerit dimidium quem monstrabat cyathum: addens vacuam esse amphoram. Tum ipsa deponens, magna in B. Felicem utens fiducia confestim accesserit ad amphoram ut ei guttulam de oleo Felicis infunderet: sed cum nequiret illam recludere ad oleum infundendum, sumptam ejus guttulam per modum Crucis super amphoram duxit, reductaque spinula effluxit largus optimi vini radius: quod integro postea mense ad usus familiæ perrexit manare. Eadem postea testata est idem sibi contigisse anno MDCXLI, cum famulam aliam suam Horecsiam Coretti pro vino misisset: quando reipsa infudit oleum vasi quod vacuum renuntiabatur, indeque effluxit vinum tam copiosum, ut filius Leonardus crederet ad amphoras implendas a matre emptum fuisse. Similiter deposuit et affirmavit, quod cum tunc infirma esset, velletque nihilominus pro accepto beneficio gratias referre Beato, ut melius potuit accessit ad ecclesiam Cappucinorum, in qua prostabat imago illius depicta in tabula. Cumque ibi diu genuflexa maneret, notavit Beatum, ac si C viveret, oculos ad ipsam vertere, idque toties quoties ipsi flectebat genua. Et hæc omnia deposuit, præsentibus Paganuccio Fabritii Torrari et Joanne Francisco Antonii Corbon de Colle, Testibus. Et quia de prædictis rogatus fui, ego Christophorus Galsanettus, civis Collensis et Notarius publicus Florentinus, ideo me subscripsi, signavi, et publicavi.

Huc refertur anno 1630 Collensi viduæ vinum multiplicatum, ac rursum an. 1641: ad quam etiam Beatus oculos visus in imagine vertere.

23 In Dei nomine Amen. Die XX Octobris anni MDCXLIV. Fidem facio ego Eugenius Marci de Bruno de S. Geminiano Notarius publicus Florentinus, Commissarius in hac parte adm. Illustriss. ac Reverendiss. D. Nicolaus Lamagni Præpositi insignis Collegiatæ Sangeminianensis et Illustriss. ac Reverendiss. D. Volaterrani tamquam Vicarii Florentini in loco prædicto, de mandato eorumdem, contuli me ad venerabile monasterium Reverendarum Matrum S. Catharinæ hujus loci: vocavique ad crates Rev. Matrem Sor. Mariam Ancillam Concerni de Colle: quæ a me interrogata circa miraculum, quod apud ipsas dicebatur interventu B. Felicis obtigisse, tactis sacrosanctis Evangeliis respondit, quod anno MDCXXX circa mensem Majum, cum ipsa esset Cameraria monasterii, et ad necessarium monasterii victum duo modii frumenti deficerent, nec viderentur D posse alicunde comparari, propter universalem tunc annonæ caritatem; concepit fidem in meritis B. Felicis Cappucini, et penes se inveniens aliquid de oleo ipsius, ipsum aspersit farinæ quæ erat in apotheca penuaria. Hæc autem farina excrevit et abundavit talem in modum, ut suffecerit monasterio usque ad novam messem: quemadmodum pro certo affirmarunt Sor. Fina Verdiarci de Colle et Sor. Maria Carbonelli de Lucardo, ambæ tunc panariæ monasterii. Eadem omnia sic se habere affirmans ipsa Sor. Fina addidit, quod eo tempore farinam subigens, et minus aquæ quam exigeret ipsius farinæ quantitas ei admiscens, crescere tamen massam inter manus experta sit, toties quoties ad opus veniebat; atque ita farina, quæ vix uno mense potuisset sufficere, ad duos menses abundavit. Similiter et Sor. Maria Corbinelli deposuit.

In oppido S. Geminiani, an. 1630 deficiens farina in monasterio S. Catharinæ, oleo Beati conspersa augetur,

24 Porro ad supradictum effectum ante crates comparens Sor. Lucretia Piacaccio de S. Geminiano, postquam eadem confirmasset, subjunxit, quod cum de pane supradicto offam coqueret quibusdam Sororibus infirmis; segmenta duo crescebant acsi tertio major quantitas panis immissa fuisset; tantoque melius sibi sapiebat panis, quantum crescebat fides in Beatum; imo cum aliquando illius frustulum E cuidam mulieri rusticæ dedisset ad crates monasterii, eodem sumpto mox convaluit infirmus puer. Similiter accersita Sor. Maria Elisabetha Apollonii de S. Geminiano deposuit, quod miraculo farinæ in panes multiplicatæ incredula, cum esset tunc in communi infirmaria ægra, et ex prædicto pane gustaret, amarum illum senserit toto cœnæ tempore. Quod sibi propter incredulitatis culpam accidisse considerans, melius rem totam curavit ex Sororibus discere; incipiensque adhibere eis fidem, cum de reliquiis ejusdem panis, quem vesperi amarum senserat, regustaret mane, invenit eum extraordinaria prorsus suavitate conditum. Propter quæ et alia beneficia recepta dixerunt dictæ Matres, processionem ab omnibus communiter institutam in monasterio fuisse in gratiarum actionem. *Subscripserunt singulæ, partim propria partim aliena manu, ex quibus* Sor Fina *depositioni suæ hoc etiam addidit, quod* eodem anno circa festum B. Felicis, cum infirmaretur Carolus, filius D. Lelii Vannelli de S. Geminiano, venerit ad monasterium adm. Rev. D. Antonius Vannelli patruus infirmi, rogatum Matres ut pro nepote suo F Carolo orarent. Ipsa vero considerans quomodo convenientius pro illo oraret, optimum factu censuit votum pro eo facere, quod curatura esset ipso festo Sacrum pro illo dicendum, vigiliam autem ageret in pane et aqua: quod cum executioni mandaret, ipsa hora qua dicebatur Missa, vehementissime restaurari puer cœpit, et brevi convaluit, sicut ipsi retulit idem D. Antonius.

non sine aliis miraculis, circa panis inde facti usum. Ibidem curatur puer infirmus.

25 Anno MDCXXXI Matthæus Pisagana civis Drepanensis, improviso quodam casu per noctem consternatus, de statu mentis usque adeo excesserat, ut vellet seipsum interficere et suffocare propriis manibus, unde uxor ac filii necesse habuerunt omne telum submovere, et amentem jugiter custodire. Ipse vero continuo clamabat: Date aquam: quia aduror. Cumque invenisset aquam odoratam, ex floribus aurantiorum vel gelsominorum expressam (Nansiam vulgus appellant) in amphora quinque circiter quartalium, naturalem ratus, totam ebibit. Hoc viso uxor eum B. Felici commendavit, cui erat devotissima: et audiens campanæ urbanæ pulsum, quem credebat dari ad Pater-noster, dimissa filiis cura mariti ad medicum abiit, nomine Nicolaum Roccaforte. Parum autem viæ processerat, cum in duos Patres Cappucinos incurrit, aspectu multum venerabiles: quibus causam viæ interrogantibus cum narrasset casum, existimans

An. 1631 Drepani mulier pro furioso viro noctu egressa ad medicum, ab occurrente sibi Beato deducitur,

A existimans Fratres esse qui ipsam noscerent, ut erat Religioni pie affecta; secuti illi eamdem sunt, dicentes, quod una cum ipsa volebant ad medicum ire. Cum autem eo pervenirent, porta prius quam pulsaretur patuit: et ingressa in atrium Vincentia (hoc erat mulieri nomen) respexit ut videret, an secum pariter ingressi essent Fratres: sed oculis in omnem partem versis, neminem vidit; egressa foras, etiam neminem. Ergo in se reversa, cognovit eos qui ipsam illuc usque comitati erant tali hora, non fuisse alios quam B. Felicem, cui sese ex animo commendaverat, cum alio quodam ejusdem Ordinis Sancto: siquidem sciebat fieri non posse, ut tali hora, qua portæ civitatis clausæ erant, ambularent per plateas Cappucini, quorum loca foris et procul sita erant. Volens vero alloqui medicum, vidit interiores portas et fenestras omnes etiam clausas esse, atque universos adhuc dormire cognoscens, mansit in atrio prædicto donec illucesceret. Post tres autem horas audivit pulsari ad Pater-noster, intellexitque primum quem ante audierat pulsum, fuisse signum ad Matutinas, media nocte dari solitum. Quod ergo superB erat temporis in oratione exegit, maritum B. Felici commendans, a cujus intercessione salutem illius tanto jam sperabat certius, quanto evidentius illius erga se cognoscebat favorem. Porro ut illuxit, rem omnem exposuit Medico quæ acciderat. Ille vero intelligens eam esse sub protectione B. Felicis, medicinam primo obviam dedit, non velut efficacem ad curandum malum, sed tamquam satisfacturus infirmo: qui tamen, ipsa sibi per uxorem fiducialiter applicata, salutem subito est consecutus, agnovitque virtutem Dei in tali medicina operantem per merita B. Felicis. Mulier vero, nequaquam ingrata pro beneficio, tobaliam ad Beati altare attulit.

et tribus horis inter preces exactis,

mane salutem ægro refert.

26 Ego Joannes Baptista de Petris de Vallerano, diœcesis Civitatis Castellanæ, attestor, quod cum anno MDCXXXII habitarem Viterbii in officio Fiscalis generalis civitatis istius et provinciæ Patrimonii, habebam filium unicum annorum circiter quinque, nomine Carolum Antonium, multis diebus infirmum, ac denique eo adductum ut jam aliud nihil cogitaretur, quam de funere ejus curando et sepultura die sequenti facienda. Verum ipsa vespera D. Laura Menechini de Marazzonis Viterbiensis, apud quam hospitabar, misit uxori meæ D. Flori-spinæ Fratricelli, phialam olei B. Felicis Cappucini, quam aiebat se accepisse a suo filio Cappucino. Quo oleo C cum puerum mater sua magna cum fide unxisset per omne corpus, quievit ea nocte, et mane tam sanus surrexit acsi non ægrotasset: ade ut neque abstinentia aliqua, neque diæta ei necessaria fuerit: sed ambulabat per domum et omnia faciebat pro sanissimo, neque potest ea res minus quam miraculo attribui: vixit enim usque ad annum ætatis decimum quartum, mortuusque est Castri dum istic Judicaturæ officio fungerer; mortuus est autem sancte, sicut testantur duo confessarii, qui alternis diebus Confessionem ejus excipiebant. Attestor insuper, quod post inunctum puerum, phiala illa, quæ vitrea erat, fuerit posita supra caminum ipsius aulæ, et mane inventa plena usque ad collum, sicut fuerat prius; itaque restituta est prædictæ D. Lauræ. In quorum fidem hæc scripsi et subscripsi propria manu; etiam sub fide juramenti, quandocumque opus fuerit, idem paratus deponere, et sigillo meo omnia consignavi, ad laudem Dei et gloriam ipsius Beati, qui sit semper Protector meus, sicut fuit filii Advocatus. Amen.

An. 1632 filius Fiscalis Viterbiensis moribundus,

unctus oleo Beati convalescit

D EX MSS. ITAL.

CAPUT IV.

Gratiæ impetratæ ope S. Felicis ab anno 1633 *ad* 1640.

Cum anno MDCXXXIV Drepani ad mortem infirmaretur D. Bibiana Grimaldi, virgo istius civitatis, jamque extremum spiritum duceret, apparuit ei sub auroram B. Felix;, eamque suo nomine appellans mandavit, ut curaret suum altare a matre quinies visitari in ecclesia Patrum Cappucinorum; sic enim restituendam sanitati: et hoc dicto disparuit. Puella, quæ loquelæ facultatem amiserat, matrem advocavit, eique ex ordine retulit dicta sibi a B. Felice. Ut ergo dies illuxit, properavit mater ad altare jam dictum, ibique filiam cum multis lacrymis commendavit Beato: atque accipiens de oleo lampadis et domum rediens, ipso filiam unxit: quæ mox extra periculum fuit, atque intra biduum surgens de lecto, secuta est matrem ad reliquas votivas visitationes altaris prædicti, gratias reddens suo liberatori. E

An. 1634 sanatur Drepani puella moribunda

28 Anno MDCXXXV ipso festo Ascensionis D. N. Jesu Christi, quæ fuit XVII Maji, Germanicæ nationis Capitaneus Joannes Moraltho, hic Placentiæ me Joannem Christophorum de Bove, Stirum Græcensem, pro tempore Cancellarium suum, sine legitima causa, pedibus ac manibus ferreis catenis in pane et aqua mandavit incarcerari: et omnibus militibus sub gravissima pœna prohibuit, ne aliquis me accedat vel mihi loquatur. Decima nona hujus dicti mensis vovi et invocavi sanctum Patrem illum, qui apud Reverendos Dominos Patres Cappucinos in ecclesia depictus est, et mulieri filium suum defunctum ad vitam revocavit; ut ipse Sanctus pro me ad B. V. Mariam Lauretanam suis meritis et precibus intercedat, ut ab istis ferreis catenis et carceribus liberari possim: et quod in honore omnium Patronorum meorum audire [Missam] velim, et proxima data occasione ad Domum sanctam Lauretanam ire, ibique confiteri et communicare vellem, unamque tabulam de manu mea pictam B. V. Mariæ Lauretanæ offerre. Emisso voto inadvertenter e manibus decidit ille clavus intrusus, statimque solutus fui: post aliquantulum cœpi manu movere ferrum in pede, et etiam facili modo illud solvi. Facto hoc timens ne mihi pejus aliquid contingeret, applicavi rursus illud ferrum ad foramen, sed nullo modo amplius imponere potui. Invocavi semper sanctum Patrem et B. V. Mariam Lauretanam, ne * Profost me hac nocte visitaret: quia eram penitus liber. Orando obdormivi; summo mane expergefactus sum, et iterum invocavi sanctum Patrem ut pro me intercederet: et subito surrexi, oravique in honorem ejus et B. V. Mariæ Lauretanæ Salve-regina, ut omnia bene succedant. Bona fiducia et spe accessi fenestram illam ferream: sed prima vice ascendere non potui. Accepi asserem ex lecto et muro apposui, ascendendo nullo fere labore. Ferro illo, quod fuerat in pede, extraxi clavum illum qui tenebat fenestram ferream: et sic salvus et incolumis evasi, per intercessionem hujus sancti Patris et B. V. Mariæ Lauretanæ: statimque templum ac monasterium RR. PP. Cappucinorum adivi, ibique votum dicto Sancto persolvi. Mirum est etiam quod Profost, qui una cum uxore recte super illam fenestram dormivit, me illam fenestram ferream non audiverit aperire et rursus claudere. *Hactenus ille* manu propria *et quidem, præterquam alii, Latine, utpote Germanus: ideoque ipsa ejus verba hic habes, cum aliorum verba oportuerit ex Italico Latina facere.*

An 1635 Placentiæ in vincula conjectus Germanus

ab iisdem solvitur,

** Præpositus*

et in observatus evadit.

29 *Huc referre, propter argumenti similitudinem, velim quod anno* MDCXXII *gestum in suis MSS. sic habet*

Sicut an 1622 vinctus pro debito,

A EX MSS. ITAL.

habet Joannes Baptista de Colle-veteri Grandis summæ, nescio cui, debitor erat Lilius de Bracciano : quem creditor suus, nullas ultra inducias concedens, urgebat ad solutionem, et tenens suffocabat eum dicens, Redde quod debes. Cui infelix debitor procidens rogabat eum dicens, Patientiam habe in me et omnia reddam tibi : sed ille noluit, et abiit ad judicem, impetravitque mandatum, vi cujus misit eum in carcerem donec redderet debitum. Inter hæc miser et omni humano destitutus solatio, cum nullus consanguineorum aut affinium saltem fide-jubere pro eo vellet, vigesimum secundum diem vinctus agebat : seque cum fide convertens ad auxilium B. Felicis implorandum, vovit, quod liberatus a carcere Romam iret ad sepulcrum ejus visendum. Cum ecce ad carcerem venit quidam ejus affinis, nequaquam solitus cuiquam absque fœnore præstare quidpiam; spoponditque pro eo et eduxit captivum. Quod omnes qui genium hominis noverant, pro magno habuerunt miraculo : ipse vero Lilius quod promiserat exacte implevit, ostenditque verum esse illud quod dicitur, Cor hominis in manu Creatoris, quocumque voluerit flectet illud.

invocato Beato fidejussorem insperatum accepit

30 Anno MDCXXXVI, in civitate Agrigentina, uterum ferebat septimo jam mense Hieronyma, uxor Mag. Petri Vergonis. Hæc die quodam adivit ecclesiam Cathedralem, ubi expositum tunc prostabat sanctissimum Sacramentum, ut ibi oraret. Dum autem sic abest a domo, in puteum domesticum cecidit Anna filia ejus, circiter bimula : quæ, commota ad casum vicinia universa, extracta inde est illæsa prorsus. Interim redit Hieronyma : cui ad nuntium casus tam funesti consternatæ, commoto sanguine totius corporis, subito sic intumuit venter, ut extinctum in utero fœtum esse non dubitaret misella, eoque vehementer affligeretur. Cum vero die XVIII Maji domi suæ neret, dixit ei quædam sua vicina, Num hodie laboras? Et quæ, inquit illa, dies est hodie? Dies, reponit vicina, B. Felicis. Hoc audito fusum de manu abjecit Hieronyma, positisque humi genibus dixit clara voce : Beate Felix, ego te Sanctum non confitebor, nisi hunc tumorem ventris mihi abstuleris, et fœtum edere in lucem feceris. Hanc gratiam si impetravero, promitto tibi quod prolem qualiscumque fuerit, masculus aut femina, Felicis nomine appellari faciam. Mox vero de terra surrexit remisso ventre, et actis in nostra ecclesia gratiis, domum hilaris rediit. Interim quoad usque Hieronyma peperit, quadraginta continuis noctibus apparuit ei B. Felix, in eadem effigie in qua ipsum pictura quam viderat repræsentat; et ipsa coram eo flectebat genua : sed post quam illa fœtum edidit, cessavit visio. Res autem eo mirabilior fuit, quod cum femina illa non esset consueta nisi post secundum aut tertium difficillimi puerperii diem eniti, ea vice absque dolore et cura tam cito pepererit, ut nec præstolari quidem obstetricem potuerit : peperit autem masculum, et in baptismo Felicem jussit nuncupari.

B *An 1636 Agrigenti, casu filix consternata prægnans* *absoluta a morbo molestoque ventris tumore;* *post visum sæpe Beatum, feliciter parit.* C

31 Ego D. Polyxena de Firstimberg, Princeps Casertæ, testor quod anno præterito gravi trium mensium infirmitate pressa cum febri continua, sic ut humani auxilii spes nulla in medicis superesset, commendavi me B. Felici, speciali Patrono meo; et agnosco quod per ipsum obtinuerim misericordiam a D. N. Jesu Christo. Promisi ergo, quod ad Dei gloriam ipsiusque beati Romam mitterem (quemadmodum etiam misi) Capellanum meum, D. Marcum Antonium Mutionem, cum tabella argentea, et ea quantitate olei, quæ ad integrum annum lampadi ejus sufficeret. Atque hoc R. P. Guardiano Conventus Romani manu propria totum scripsi et sigillo firmavi, Neapoli XI Julii anno MDCXXXVII.

Princeps Casertæ a difficili morbo sanatur.

D

32 Dominicus Thomæ Calderini ichtyopola, quamvis in gravi ac maligna febri medicos ac medicinas corporales adhibuit, spiritualibus tamen magis fidens, ex toto corde commendavit se Deo per merita B. Felicis, multum ipsi ipsiusque Religioni devotus. Cumque se fecisset inungi oleo lampadis ejus, apparuit illi B. Felix, in ea ipsa effigie qua depictus invenitur in tabula sepulturæ suæ : qui in momento totam ægritudinem sustulit : fuitque tam evidens miraculum, ut ipse qui eum curabat medicus testatus sit, opus divinæ id fuisse potentiæ. Laudonia de Matrice, Romæ habitans, et oculo uno cæcata, anno MDCXXXVI mense Martio etiam privata fuit altero oculo, et præter privationem visus in eodem oculo patiebatur intensissimos dolores, a quibus nulla sibi requies erat. Cum autem applicita remedia nihil prodessent, denique a duobus pueris deduci se fecit ad sepulcrum B. Felicis. Eo vero adveniens cum audisset initium Missæ dari, se prostravit in genua, cœpitque ex animo se commendare Beato, ac deprecari ut misereretur tantæ suæ calamitatis. In hac autem oratione perseverans donec etiam altera Missa absolveretur, cum cœpisset levamen doloris in eo qui ultimum defecerat oculo sentire, finita Missa ambobus oculis illuminatam se gavisa est; et perfecte sanata absque ullius ductu domum hilaris rediit : deinde vero, quidquid sibi acciderat jurata deposuit, coram P. Joanne Maria Bergomate, tunc nostræ ecclesiæ Sacristano, die XVIII Maji MDCXXVII.

Sanatur. maligna febris *illuminatur cæca,* E

33 D. Ambrosius Paulinus narrat tres gratias familiæ suæ collatas a Beato, primam in sua, secundam in filii, tertiam in persona nepotis. De seipso testatur, quod adhuc juvenculus pessime ruptus fuerit in inguine dextro; et quia circulum sustinere non poterat, coactus est totis quatuor annis lectum tenere, aliis nullis remediis proficientibus. Verum cum ab uno ex Patribus nostris esset oleo Beati signatus, quod scaturit de corpore, subito ruptura coaluit, et tale nihil in eo apparuit amplius. De filio suo Hyacintho deposuit, quod febri maligna laborans depositusque a medicis, fuerit inunctus oleo lampadis postquam se et ipsum commendasset Beato. Qui cum sub XXII horam noctis inventus esset fere liber a febri, sequenti mane non sine stupore medicorum apparuit ea omnino solutus, atque post biduum surgens de lecto, gratias Deo et Beato retulit. Denique dixit quod nepos suus Desiderius, præfati Hyacinthi filius, acutissima febri simili modo gravatus, toto quatriduo jacuit absque omni cibo : unde cum afflicta familia universa ad intercessionem B. Felicis recurrisset, et ipse avus Ambrosius oleo lampadis infirmum unxisset, statim diminui febris cœpit, cibum sumpsit, et secundo post die sanus surrexit, prout hæc omnia manu propria subscribendo signavit et asseruit ipse D. Ambrosius die III Novembris MDCXXXVII.

curatus herniosus, *ejusque filius ac nepos a febri :* F

34 Anna Maria, filia D. Antoniæ Mavelli, habitantis in platea Vaccina, a variolis utriusque oculi visu privata, ex eadem causa etiam genua retinuerat tremula cum maximo cruciatu, propter quem diu noctuque ejulabat. Cumque omnes quotquot eam viderant judicarent mancam semper futuram, neque visum unquam recuperaturam; ejus afflicta mater ad B. Felicis opem implorandam se vertit, et cum eadem qua ipsam imploraverat fide inunxit filiæ oculos ac genua oleo lampadis; et illa subito restituta est pristinæ gradiendi atque videndi facultati. Eadem puella aliquot annis post tam infeliciter fuit percussa ab equo, ut ei fracta tibiarum altera, caput contusum, totumque corpus male quassatum fuerit; unde extremis ecclesiæ Sacramentis propere munita, loquela jam amissa et spe omni a medicis abjecta, jamjam credebatur expiratura, cum ad cetera symptomata

item puella oculis cæca ac genibus tremula. *eamdemque postea ab equo percussa.*

A ptomata etiam convulsiones crebræ accessissent. Nihilominus recordata mater aliarum gratiarum a Beato receptarum, oleum lampadis ejus pro extremo remedio arripuit, eoque os filiæ consignavit: cui mox cum spiritu loquela rediit, et brevissimo post id tempore integra sanitas. *Atque hæc, licet nulli certo anno adscripta, retulimus omnia ad eum qui ultimo invenitur signatus; et quo existimo Collectionem Fr. Joannis Baptistæ de Colle-veteri finitam fuisse. Quæ sequuntur sunt ex aliis diversis monumentis unde jam dedimus gratias seu miracula relata a num.* 20 *ad* 25 *inclusive, ac rursum num.* 27 *atque* 30.

An 1637 *sanatur crus periculose tumens,*

35 Anno MDCXXXVII Fr. Carolus de Alcamo, Laicus Cappucinus gravissimos patiebatur cruciatus ex crure, quod sibi vehementer intumuerat: cumque nihil proficerent plura quæ applicuerat remedia, consuluit medicos; qui responderunt, morbum esse quem appellant formicam, proinde curaret sibi quam primo equum et Panormum tenderet, ni vellet graviter periclitari de vita. Grave id auditu fuit Fr. Carolo, qui tunc in nostro loco Montis-Regalis habitans, non cogitabat de ejusmodi mutatione. Biduo post adfuit festum B. Felicis, quando prædictus B Frater concepta in illum fiducia ad ecclesiam se contulit; ubi cum sese ex animo commendasset, panniculum lineum sumpsit, oleoque lampadis ipsius intinctum cruri suo applicuit, et cessantibus mox doloribus libere ambulare potuit; plagæ vero, quæ magis magisque serpebant quotidie, brevi coaluerunt. Ex hoc autem miraculo consecutum est aliud.

item alterum.

Cum enim decimo post die crus etiam alterum eidem Fr. Carolo intumuisset, maximos ei dolores pariens; ipseque formidaret, ne hoc quoque malum formicæ esset; panniculum eumdem lineum, quem reverentiæ causa servabat in quodam foramine, iterum intinxit lampadi, et cruri patienti alligavit; nec mora ulla fuit quin crus detumesceret dolorque cessaret.

et Roboreti servata per votum obstetricis puerpera

36 In Christi nomine, anno post nativitatem D. N. J. C. MDCXLI Indictione IX, die Mercurii XVI Julii, in civitate Roboreti, prope portam venerabilis Conventus adm. RR. PP. Cappucinorum Vallis-Lagari diœcesis Tridentinæ, coram Illustri D. Cæsare Setta et D. Antonio Benvenuti habitantibus Roboreti, testibus notis atque rogatis, constituti. D. Margarita Fedrigella obstetrix Roboreti et D. Antonius Miolar, atque uxor ejus D. Catharina ibidem commorantes in eodem loco, coram testibus et me C Notario suprascriptis ad dicendam veritatem, amplam et indubitatam fidem fecerunt, testimoniumque præstito sigillatim in manus meas juramento dederunt; quod cum ab annis circiter quatuor prædicta D. Catharina, uxor Antonii Miolar hortulani Roboretensis, appropinquaret partui, nec fœtum eniti posset longo tempore, adeo ut doloribus tantis impar jam jam moritura videretur; obstetrix prædicta, divinitus inspirata, de consensu utriusque conjugis votum nuncupavit B. Felici, ut si esset ex salute ipsius daret fœtui gratiam prodeundi in lucem Mox autem prodiit infans masculus, cui positum nomen Antonii-Felicis: qui statim a Baptismo suscepto expiravit, et mortuus mansit multis horis. Tunc iterum eadem obstetrix pro illo votum fecit: et revixit infans, sicut hodiedum sanus vivit, nec dubitatur quin ejusmodi resuscitatio sit miraculosa. In quorum fidem ego Antonius, filius qu. D. Bonæfidei Malinverni, Notarius publicus Roboretensis, præsens et rogatus hoc feci et publicavi. *Pro quo deinde fidem faciunt* Joannes Antonius Odescalcus J. V. D. in Collegio Cumano pro invictiss. et Sereniss. domo Austriaca Prætor et Joannes Passarinus Notarius Castrique-Roberti Cancellarius manu propria. †

redit in vitam fœtus mortuus.

EX MSS. ITAL.

An 1638 *utroque genu contractus,*

D 37 In oppido Castelli-novi de Scrinia Diœcesis Dertonensis, habitat Guilielmus de Brigniano, qui se inveniebat anno MDCXXXVIII utroque genu sic contractum ut omnino ambulare non posset. Hoc ei malum a decem annis advenerat, quorum priores duos immobilis in lecto egerat: quod si cujuslibet corporeæ necessitatis causa moveri aliquo deberet, juvandus erat a quadam sua sorore, quæ infantis instar inter brachia ipsum excipiebat. Postea duobus aliis annis fuit geminis usus furcillis subaxillaribus ad necessarium motum; deinde altero biennio sella, in qua continuo residens secum ipsam movebat: denique annis quatuor, geniculorum ligneorum et duarum furcillarum subsidio, gressum qualemcumque formabat. Interea temporis usus est multis quæ varii chirurgi suggerebant remediis; sed iis nihil ipsum juvantibus, intra se ait: Quandoquidem nihil istæc remedia prosunt, volo a solo Deo sperare curationem, qui potest me sanare si voluerit; sin autem, sit semper benedictus. Sub hæc cœpit in Castello-novo commendari valde devotio erga B. Felicem Cappucinum, et vulgo ferebatur multos per ejus intercessionem juvari. Ergo ipsum quoque devotio tetigit ut illi se commendaret: et quodam mane ad E istum finem communicavit, deinde ad ecclesiam Cappucinorum se contulit, nihil dubitans quin eodem mane obtineret concupitam et speratam gratiam. Erat autem tam certa ea fiducia, ut firmiter proposuerit inde non assurgere, quin esset factus desiderii compos. Dum ibidem Missæ dicebantur commendabat se Beato. Vix autem duas Missas sic audiverat, cum sibi sensit genuum nervos mollescere, visusque est sibi eos posse extendere: quare accessit ad portam Conventus, eamque sibi ad nolæ sonum aperienti Fr. Andreæ de Sarzano tunc portario dixit, ut sibi dignaretur bacillum commodare, quia volebat genicularia sua lignea appendere ad rastellos capellæ B. Felicis, ubi alia quoque anathemata appenduntur. Respondit Frater, rediret in ecclesiam, ibique pergeret invocare Beatum; finitis autem orationibus, daturum se quem petierat bacillum. Regressus igitur in ecclesiam, dum se commendat B. Felicis meritis, inspirari sibi sensit ut in pedes assurgens genicularia deponeret, ibique appenderet, sicut et fecit, subito assurgens. Deinde domum rediit, bacillo solo instructus; idque in speciem magis quam ad usum: quare ipsum quoque post biduum dimisit. Atque exinde sanus robustusque, et gratias Beato referens, miraculum istud ut verissimum confirmavit, præstito juramento in manibus P. Fr. Bonaventuræ de Quarniento, Guardiano et Prædicatori in Castello-novo; qui idem aliaque plura juratus etiam scripsit. F

invocato B. Felice in pedes erigitur,

relictis in ecclesia geniculis suis ligneis.

An. 1639 *curatur lunaticus,*

38 Anno MDCXXXIX Bartholomæus Catalanus, filius Francisci Catalani et Vincentiæ, effectus lunaticus, a parentibus, tam fœdum malum aversantibus, commendatus, fuit B. Felici, sub voto quod ab eo liberatum vestirent habitu Cappucino. Vix autem votum emiserant, cum apparuit a sua infirmitate dimissus: et votum cum gratiarum actione impletum est. Eodem autem anno eodemque in oppido *(cujus tamen nomen superius expressum non est)* herniam patiebatur Franciscus, filius Vincentii Ristivi et Elisabethæ, qui inutilia omnia medicamenta experti, cum fide eum voverunt B. Felici. Facto autem voto, ruptum puero confestim est brachariolum: quod illi casu rati evenisse, alterum bracariolum, novum atque robustius priore, ei applicueruut, quod nihilominus etiam est disruptum, æque ac tertium. Convenerunt igitur ambo ut filii corpus simul explorarent; integreque consolidatum reperientes, multis cum lacrymis gratias egerunt. Denique alibi jam nominatus Fr. Bernardinus de Naro, ipso anno MDCXXXIX, tanto

puer herniosus,

A *Ex MSS. Ital. et Frater cardiacus.* to pressus fuit cordis ac renum dolore, ut se privandum crederet respirandi facultate, et videretur infixum renibus pugionem sentire. Cum autem designatus esset socius Patri per Pantellatiam prædicaturo, commendans se B. Felici, ad ejus altare ut melius potuit sese contulit, ibique se unxit oleo lampadis : et ipso instanti cessans dolor expeditum reliquit ad complendam sibi injunctam obedientiam.

CAPUT V.

Gratiæ singulares anno 1641 et tribus sequentibus notatæ.

An. 1641 sub collapsæ ecclesiæ ruinis, Anno MDCXLI in civitate Drepanensi collapsa est ecclesia Patrum Oratorii, S. Joanni dicata : fueruntque sub ruinis mortui qua viri qua feminæ ad quatercentum circiter. Inter oppressos ibidem fuit mulier, Jacoba Lupuccio nomine, supra quam cadens murus conterere eam omnino debuisset, una cum infante novem menses nato quem brachiis tenebat ; nisi ipsa videns murum labi et nullum esse effugii locum, Felicem invocans devote dixisset, B. Felix adjuva me : quod etiam non cessavit sub accumulatis supra se ruderibus facere. B Sentiens autem se in nullo læsam esse sub tanta mole, cœpit clamando auxilium poscere : et quamvis id non ita propere *salvatur mater cum filiolo.* ferri potuerit quin horæ quatuor prius decurrerent, quam ipsa inde extraheretur ; quotquot aderant et saltem ossibus totis infractam reperiendam credebant, adeoque mox expiraturam, mirati sunt sanam illæsamque videre, nisi quod vultum ejus nonnihil rasissent asperæ petræ. Auxit admirationem, quod infans tantillus nihil haberet læsionis in toto corpore. Domum ergo relata dum sese a consternatione colligit, apparuit ei B. Felix ; seque juxta lectum jacentis sessum recipiens, dixit : Persevera, Jacoba, sicut cœpisti Pater-noster mihi recitare, et omnem quam volueris gratiam a me referes : atque hoc dicto disparuit. Refert autem ipsa, quod tali visione et promissione omnino recreatam se senserit, nec cessat debitas gratiarum actiones Patrono suo referre.

40 Jesus, Maria, Franciscus. MDCXLII die XX Decembris, in nostro conventu Savonensi S. Josephi. *An 1642 Savonæ miraculo curatus adolescens,* Ego Fr. Jacobus de Savona, Prædicator Cappucinus et Vicarius nostri loci Savonensis, confiteor, quod intellexerim, ut rem notabilem, insignem gratiam C quam recepit per intercessionem B. Felicis Joannes Baptista Strixiola, filius Raimundi Strixiolæ Savonensis, qui coram Patribus subscribendis examinatus et adjuratus respondit P. Francisco Mariæ de Alassio Sacerdoti Cappucino, ipsum de meo Vicarii mandato interroganti, ut sequitur : ℣. Dic mihi Joannes Baptista, quot annos habes? ℞. Circiter sedecim. *accurateque examinatus,* ℣. Fuisti infirmus? ℞. Ita, Pater, mensibus circiter sex, incurabili morbo, secundum judicium medicorum, sic ut ambulare non possem neque multum neque parum : sed manebam in lecto. ℣. Quis te sanavit? ℞. Agnosco quod hanc miraculosam gratiam acceperim a B. Felice Cappucino, quia tibias meas unxi oleo, allato mihi per Fr. Joannem de Casorcio, quæstorem Cappucinum. ℣. Quare me hæc facis scribere? ℞. Pater, ex devotione, et ut sim gratus Beato, ac laudem Deum in Sanctis suis propter gratiam acceptam. ℣. Suscepistin' aliquem Ordinem sacrum? ℞. Accepi primam Tonsuram, ministro in *testatur quod gradiendi facultatem acceperit viso in somnis Beato.* Cathedrali Savonensi, et habito in Seminario. ℣. Quam devotionem habes erga B. Felicem? ℞. Quotidie recito quinquies Pater et Ave. ℣. Visne adhuc aliquid dicere? ℞. Dicendum mihi restat, quod cum me oleo B. Felicis unxissem, visus mihi sum nocte sequenti videre duos Fratres Cappucinos, qui coram me positi dixerunt : Surge de lecto, et experire quia D ambulabis. ℣. Surrextine? ℞. Non, Pater ; timebam enim ne esset tentatio aut phantasma diabolicum ; sed nec surrexi quidem quando fui experrectus. Mane autem facto, memoria somnii quod habueram stimulatus, festinavi vestes induere, volens probare num possem ambulare ; et libere ambulavi prorsum ac retrorsum, unde et gratias ago Deo ac B. Felici. ℣. Quandonam habuisti somnium et morbum? ℞. Sex menses sunt quod fui liberatus mense Octobri anni MDCXLII, in oppido Legino diœcesis Savonensis. ℣. Quinam tibi visi sunt esse duo apparentes tibi Fratres? ℞. Unus S. P. Franciscus, et alius B. Felix Cappucinus. *His ita dictis responsisque subscripserunt, post eum qui examinavit,* Fr. Columbanus Genuensis, Fr. Jacobus de Savona Vicarius, et Joseph de Arbisola Sacerdotes Cappucini, *ac denique :* Ego Joannes Baptista Strixiola confiteor quantum supra, et me recepisse gratiam juro, atque subscribo manu propria.

41 *Quod sequitur eodem videtur factum anno* MDCXLIV, *An 1644 Genuensis matrona curatur ab erisipelate letali.* *quo fuit contestatum coram P. Fr. Gabriele Angelo Cappucino ; uti ipsum inter alia multa scripsit P. Augustinus Genuensis, Provinciæ suæ Genuensis Chronographus, sub hoc tenore :* E Ego Martia Spinola-Doria, ad Dei gloriam et B. Felicis Cappucini attestor, sub meo sponte præstito juramento, verum esse, quod anno... gravi erisipelate in crure laboravi, qui omnem medicorum artem eludens ad summum vitæ discrimen me adduxerat. Tali autem in articulo constitutam me considerans, et longioris si Deo placeret vitæ cupida, converti me ad intercessionem B. Felicis Cappucini, cujus mirabiles effectus mihi fuerant propositi a P. Gabriele Angelo, cum ex devotione erga ipsum Beatum me hortaretur, ut juberem mihi inungi arterias temporum manuumque. Vovi etiam quod si me optatæ sospitatis compotem faceret, appenderem imagini ejus argenteum cruris simulacrum, et festum ejus celebrarem recipiendo sanctissimam Communionem. Placuit autem Deo Beatum suum exaudire : vix enim nuncupaveram votum, quin concupitam gratiam obtinuerim : et juxta obligationem meam promissa impleo, ad laudem gratiam facientis Dei et ipsius qui illam impetravit Beati. *Hæc illa. Restant ex submissis a Janingo nostro* Miracula, quæ cum oleo B. Felicis Cantalicensis Cappucini Laici contigisse, Protocollum universale Provinciæ Tirolensis refert ab anno Partus virginei F MDCXLI usque ad MDCXLIV : *quæ ut Latine originaliter scripta sunt hic referuntur.*

42 Anno MDCXLI cujusdam civis et mercatoris Salisburgensis uxor Maria Heuzogia, partui vicina, *Salisburgi an. 1641* integro triduo fœtum eniti non poterat : tribus vero guttis de B. Felicis oleo devote susceptis, confestim feliciter parit. Anno MDCXLII Perillustris Baronis de Fromberg Joannis Georgii conjux Joanna Jacobæa, *et 1642, juvantur puerperæ duæ,* in parturitionis actu pro mortua habita, post duarum triumve guttularum de B. Felicis oleo receptionem, mox et prolem masculam parit, et a mortali periculo libera redditur Salisburgi. Eodem anno admodum Reveren. D. Joannes Georgius Renner, Decanus in Lauffen, oppido paucis milliaribus Germanicis Salisburgo disjacente, chiragra Salisburgi detentus, graviter vexabatur : unctus vero hoc sancto oleo repente sanatur, tumor disparet, et cum eo omnis dolor fugit. Hoc similiter anno Christophorus Maria, pharmocopola aulicus Salisburgi, febri ma- *et Decanus Lauffensis sanatur a chiragra,* ligna tam periculose infirmatur, ut omnes quotquot ibi erant medici de ejus vitæ salute desperarent, impossibilem asserentes hominis convalescentiam. Ubi vero hoc P. Fr. Matthæo de Villa Sacerdoti Cappucino (qui etiam superioribus adfuit, et infirmatis Sancti oleum ministravit) per famam innotuit, Christophorum

A stophorum ut bonum nostrum amicum accedit, eique duas guttulas de B. Felicis Oleo sumendas propinat: quibus intromissis nocte sequente melioratur. Postera die reversus idem Pater infirmum quietiorem offendit. Addito insuper et porrecto ei pulvere de ligno S. Francisci, brevi tempore Christophorus ita revaluit, ut ad hunc usque diem semper sospes et sanus perstiterit.

et phamacopola a febri.

43 Hoc item anno MDCXLII Wasserburgi in Bavaria, profesto Epiphaniæ, Pistoris cujusdam uxor, utrum partus an mortis doloribus magis afflictaretur, fœtus jam ipsis viginti duabus horis mortuus dubium jure faciebat: certe subnigricante jam facie haud procul a morte abesse judicasses. Ad hanc F. Cosmas Concionator noster e monasterio invisendam vocatur: qui Confessione periclitantis excepta, brevi ipsam sermone adhortans, bonam et securam post Deum spem in B. Felicis suffragiis ac patrocinio collocare jubet, ac simul pauculas de oleo ex ejusdem lampade hausto guttulas, tum bibendas, tum circa umbelicum ungendas, obstetrici suæ porrigit: insuper, cum alio mulierem medicamine juvare minime posse affirmaret, id unum adhuc in præsenti,
B rogare contendit, ut singuli oratione Dominica et salutatione Angelica quinquies recitata, salutem ægræ a clementissimo Deo exorent. Vix hæc ab omnibus persoluta erant, cum parturiens oleo B. Felicis uncta, mortuum fœtum cum summa omnium admiratione incolumis effundit. Id quod dictus P. Cosmas, a Provinciali desuper examinatus, non tam verbo firmavit, quam testatum scripto post se nobis reliquit.

Item Wasserburgi parturiens moribunda,

44 Denique hoc eodem anno nobilis vir, Joannes Casparus de Stresburg et Freinveld, gravi infirmitate corripitur: eadem vero semper tantum in pejus proficiente, sacro Ecclesiæ Oleo inunctus quod moribundis conferri solet, de vita jam penitus desperare cœpit: rationis tamen usum eo usque nullo temporis momento perdidit. Hoc in dubio valde rerum discrimine, cum ille anxius inter spem, et metum fluctuaret; uxor tandem ad oleum B. Felicis Cappucini, quod de ejus sepulchro sibi comparatum asservaverat, velut ad ultimum mali remedium, fide plena confugiens, unam vel alteram guttam viri labiis et ori instillat. Nec frustra: vix enim accepit, simulque una cum sumptione, diem B. Felicis, quo ad Superos evolavit, una cum domo ac domesticis perpetuis feriis consecrare, atque in capella Stres-
C burgensi novum altare erigere, Deo promisit; cum ecce tibi ille quamprimum ab ægritudine sua mortifera convalescit, et quasi semimortuus, B. Felicis intercessione et præsidio, ad vitam novus homo reducitur. Adest illius Testimonium Germanico idiomate, scriptum, et proprio sigillo, et nomine roboratum.

et Toparcha Stresburgensis, in extremis constitutus.

45 Anno MDCXLIII Consulis cujusdam defuncti uxor Anna Philmarin, cum Banuverdæ, sex milliaribus nostris procul ab Augusta Vindelicia, pluribus annis articulari aut verius podagrico morbo laborasset, et in hodiernum usque diem, toto quasi anno, paucis interjectis hebdomadibus exceptis, quibus ei paululum respirare licet, eodem tam graviter ac moleste teneatur, ut sæpius nulla se corporis parte uspiam movere possit, nec ab aliis ob dolorum vehementiam (maxime in morbi exordio) se movere patiatur; anno demum hoc supra nominato, plurima a Fratribus se invisentibus de B. Felicis oleo percipiens, cum illud, magna in Sanctum fide, sæpius, maxime in principio grassantis mali, adhiberet; eamque corporis partem ubi dolores acutissimi residebant, qui illam ad clamores per totam viciniam resonantes impellerent, una vel altera guttula dicti sacri olei liniret; subito toties quoties adhibuit mitigati, afflictam molestare cessarunt. Quod ipsa Confessario suo Patri
D Theodorico Neccars, Ulmensi Concionatori, extra Pœnitentiæ Tribunal non semel aperuit, qui etiam id propria manu, desuper requisitus, in rei majorem fidem attestatus est.

An. 1643 Dunwardensis podagrica,

testatur sibi dolores levari quoties oleo utitur.

EX MSS. ITAL.

46 Eodem anno D. Georgius Fronim, Episcopi Herbipolensis Joannis Philippi Schenpora aulicus archimagirus, syngrapha sua contestatur, Margaritam conjugem suam cum gravi quadam infirmitate corriperetur, eaque in dies non in melius sed pejus tantum proficeret, et utramque demum papillam sic afficeret, ut undique profundis foratibus viginti et aliquot cingerentur; post trium insignium chirurgorum consilia in vanum coacta, quæ ipsam incurabilem concluserant, secuta consilium P. Fr. Laurentii Augustani, Herbipoli tunc Concionatoris, eam ad B. Felicis devotionem, suique e lampade olei adhibitionem serio hortantis, ubi partes affectæ ac morbosæ dicto sacro oleo, addita in ejus præsidium ferventi commendatione, devote perunctæ fuerunt, confestim eo momento et singulis post hac meliorari cœpit, donec integram tandem valetudinem Dei et Beati Felicis ope recuperarit.

Herbipoli sanantur papillæ incurabiliter exesæ,

E
47 Hoc ipso quoque anno ibidem Herbipoli in Franconia, cujusdam locum tenentis de Lamboico exercitu, Andreæ Millari, uxor Ursula, non procul a nostro Conventu ubi hospitabantur, cum vix ædem incoluissent, paulo post a partus doloribus arripitur. Cum vero ejus fœtus transversum et vitæ omnis expertem se ad uteri fores præberet, ipsa quoque mater cum morte luctari videbatur. His in angustiis et extremis doloribus unius diei et noctis intervallo versata, cum nullum alibi malo remedium suggeri posset, ab omnibus pro desperata et brevi ex hac luce migratura vulgabatur. Interea ne anima ejus simul cum corpore periclitaretur, ad Conventus nostri Concionatorem ordinarium, qui minister a Confessionibus sit, mittitur (erat autem prædictus Pater Laurentius) qui veniens, Patre Victorino Landishutano sibi in socium juncto, cum feminæ confessionem excepisset, de eximia olei B. Felicis virtute narrat, et tandem ejusdem usum illi persuadet: idque non incassum. Vix enim illa duas tresve guttulas vino mixtas cochleari impositas sorbuit; en dimidia circiter hora labente, cum omnium præsentium stupore, et mortuum fœtum absque dolore enititur, et ipsa mortis manifestum periculum evadit.

et juvatur mortuo fœtu periclitans puerpera.

F
48 Anno MDCXLIV Pater Guardianus Eystettensis nomine Pater Ignatius Dunsdorffensis Concionator, testatur Clericum suum Fr. Antonium Pludentinum, oleo B. Felicis adhibito a doloribus colicis liberatum esse. Similiter alium quemdam puerum ejusdem urbis incolam, quem se a facie quidem nosse sibi obvium, nomen vero ejus ignorare affirmat, cum eodem sacro oleo sanitatem recuperasse. Præterea hoc anno, Straubingæ in Bavaria inferiore (ut Pater Fr. Jeremias Vueilsaumensis ibidem Guardianus, testimonio sub X Decembris ad Provincialem R. P. Angelum Frisingensem in scriptis dato, retulit) mulier quædam, Lerchenfeldina natu, Amsheismensis Prætoris uxor, sub ipsum parturitionis enixum, in supremo vitæ periculo et occasu versabatur una cum fœtu, quem præter usitatum naturæ ordinem, prius dorso, tum manu, deinde pedibus prominentem obstetrici exhibebat. Quo in discrimine spem ac fiduciam suam omnem in B. Felicem ponens, ejusque patrocinium apud Deum pro se et fœtu devote implorans, simul atque dicti B. Felicis oleo, quod Pater Jeremias ei subministraverat, ipsa cum fœtu peruncta fuisset; Missamque votivam, in altari ejusdem Landishuti apud nos in ecclesia erecto dicendam, una cum cerea imagine

1644 Eystodii duo ægri curantur,

et Straubingæ in difficili partu periclitans.

A imagine quæ infantis pondus æquaret, Deo compromisisset; mox prolem (quæ quadrante circiter horæ capite ad uterum hæserat) absque gravi dolore et labore faciliter feliciterque enititur; simulque cum illa in hodiernum usque diem rectissime valet, vita viribusque superstes.

EX MSS. ITAL.

CAPUT VI.

Recentissimæ memoriæ curatio in puella paralytica facta Romæ anno 1682.

Romæ anno 1682 Geltruda puella

Pauca istæc de multis, ubique locorum patratis, selecta sufficiant, ad persuadendum lectori, gratiam miraculorum, B. Felici mortuo concessam, novis novisque argumentis fuisse quotannis confirmatam. Quoniam autem tædiosum foret sic porro pergere, specimen ceterorum, quæ ad hunc usque annum variis locis claruerunt, præbeat vera et fidelis relatio unius miraculi, a B. Felice Cappucino facti in persona D. Geltrudæ, filiæ qu. Horatii Giassoni Viterbiensis, annorum XXIV puellæ, quæ modo hic Romæ moratur apud amitam suam D. Aloysiam Giassoni, in palatio Excellentissimi D. Ducis Bonelli, XXII die præsentis B mensis Januarii anni MDCLXXXII, hora XVIII, coram testibus infrascriptis. *Ita titulus instrumenti publici, quo fideliter ex Italica lingua Latine reddito placet imponere finem huic alteri miraculorum Collectioni, quoniam recentissima ejus adhuc memoria est.*

noctu ante 20 Januar.

50 Nocte quæ præcedit diem XX Januarii anno MDCLXXXII sub horam quintam, cubitum se contulit D. Geltruda Giassoni, annos XXIV nata puella, sana corpore et mente, et absque ullo ulla in parte malo. Hora autem octava ejusdem noctis expergefacta, inventa est corpore toto gelida vehementer obriguisse: quapropter decrevit de lecto surgere, atque ad focum causa se calefaciendi accedere. Descendens vero de lecto corruit, nescit quo symptomate correpta, neque meminit quamdiu jacuerit, aut quomodo postea ad lectum redierit, sive a somno soluta seu potius ab accidenti illo dimissa. Mane ipsius diei XXII, ad horam XIV, D. Franciscus Battelli, medicinæ professor et maritus prædictæ D. Aloysiæ, propter aliqua negotia sua necesse habens ingredi cubiculum dictæ suæ neptis, cum eam præter morem vidisset necdum surrexisse, quæsivit ex ea num male haberet. Respondit illa, dolere sibi et caput et stomachum et corpus totum. Tunc medicus pulsum C explorans, deprehendit cardiacum esse, id est parvum, obscurum, subtilem et suffocatum; urinam vero considerans, invenit crassam et agrestem; mandavit igitur ei præberi jusculum, aqua theriaca temperatum: sed puella, non animadvertens genua ac tibias contractas sibi esse, solumque memor frigoris quod patiebatur, tota (ut dixi) rigens, focum petiit, qui ei allatus est.

facta paralytica et contracta

mane post vomitum

51 Interim crescebant dolores cum frequenti syncope, ex lancinanti atque excellenti cruciatu circa regionem cordis et stomachi: cui succurrere volens amita, theriacam nepti suæ præbuit: hæc vero vomitum vehementissimum provocavit materiæ, quantitate ac qualitate multum rebellis; impleta enim fuit scutella bile cærulea atque amarissima, pituitæ vitreæ ac sincere permista. Vomitioni successit delirium cum majoribus doloribus alvi, quibus succursum est per enema congruum: hoc vero cum reddere puella vellet atque descendere de lecto, quasi ligatam se reperit; et necesse fuit ejus amitam cum aliis mulieribus sibi assistentibus accurrere, atque inter brachia levare infirmam, quæ a cingulo deorsum contracta ac dissoluta erat. Interim revertit patruus medicus, et explorans partes offensas agnovit veram esse paralysim, cum convulsione juncturarum atque nervorum in genubus cruribusque, et privatione sensus atque motus: quod malum D non solum una ex parte, sed utrimque eam sic constrinxerat, ut calcanei extra naturalem situm reflexi ac retroacti curvarentur, genua vero tam fortiter tenerentur complicata, ut extendere tentantes totum post se corpus traherent; in ipsis autem proficerent nihil, licet viribus alioqui pollerent, adeo vehemens erat nervorum contractio. In illis autem nec frigus nec calorem sentiebat infirma, nec quidquid carnem ei vellicabant assistentes, cum esset iis in partibus sensu omni ac motu destituta. Erat ergo malum curationis difficilis, aut potius (si dicere liceat) impossibilis: offensæ enim erant præcipuæ omnes facultates, animalis, vitalis et naturalis: animalis quidem, non solum per delirium, sed etiam per attractionem nervorum, cum affectione soporosa et somniculosa; vitalis, cruciatu lancinante atque excellente circa cor, cui cardialgiæ sympathetice respondebat dolor in orificio stomachi; naturalis denique doloribus colicis et cardiacis, quos dixi, ipsam opprimentibus. Denique apparebat in ægra universalis quædam revolutio et E commotio totius corporis, partiumque tam instrumentalium quam subservientium. Malum quod non solum propter partium invasarum nobilitatem; sed etiam propter earumdem nervositatem ac musculositatem difficillime curatur: ita ut judicio meo nulla nisi in divino auxilio spes esset reliqua.

incidit in delirium

et incurabilis indicatur:

adhibitis frustra isto et 21 die remediis,

52 Die Mercurii in eodem statu perseveravit infirma, cum iisdemque symptomatis, spasmis atque deliriis, et cum affectione commatosa ac somnolenta, ita ut oculos numquam aperiret. Fuerunt autem eidem ordinatæ pillulæ quædam, quas evacuatio perquam modica secuta est: adhibitæ etiam unctiones certæ in cervice, ubi inveniebantur multæ glandulæ et congeries crassorum humorum, cum retrotractione tendonum colli, quæ non permittebat ut misella caput a dextera in sinistram partem posset inflectere. Decretum etiam fuit nervos genuum tibiarumque inungere: sed id impossibile omnino fuit, adeo membra illa constricta inter se vinciebantur. XXII Januarii die Jovis mane, sub horam XV, revisens eam medicus nihilo melius habentem invenit. Mandavit igitur e venis sedalibus sanguinem elici sub horam XVIII: quæ dum expectatur et solum audita esset hora XVI; infirmæ experrectæ aperta fenestra visus est in cameram ingredi venerandus F quidam ac senex Pater in habitu Cappucino, in comitatu D. Aloysiæ amitæ suæ, cui ad lectum accedenti interrogantique, Geltruda, quid facis? respondit, O Deus! quam habeo male! Ipse vero reposuit, Oportet, filia, ut patientiam habeas, quia sic vult Deus: ac sæpius eam ad patientiam hortatus, addensque ne metueret, quia erant qui pro ipsa Deum orabant; et quod post breve tempus reversurus esset, ipsamque liberaturus ac soluturus, disparuit ab ea.

die 22 apparet ei B. Felix,

53 Dormiebat in eodem cum infirma lecto puella duodennis, nomine Mariuccia filia qu. Alexandri Paesi, satis ingeniosa et discreta, ad quam se vertens illa dixit, Etiamnum in lecto es, Mariuccia? Id si scivissem, profecto excitassem te. Nescin' quis hic adfuerit? Et Mariuccia: Ecquis hic adfuit? Bonus quidam Pater Cappucinus, inquit infirma, dixitque quod velit me liberare, ac rediturus sit cito, allaturusque rem quampiam ad me sanandam. Ego vero, reposuit Mariuccia, si vidissem, dixissem ei aliquid de capite meo. Ita sermocinantibus illis ingressæ in cameram D. Aloysiæ narrare infirma visionem cœpit, interrogansque eam, Quid, inquit, tibi dixit, Pater iste Cappucinus, quem huc in cameram induxisti? Cui amita, Nihil scio de Cappucino.

sicut illa mox sociæ puellæ

et amitæ narrat:

A no. At illa econtra: Quomodo nihil scis de Cappucino, quæ ipsa illum huc ad me induxisti? Tunc amita rata neptem pro more delirare, Utinam, inquit foret B. Felix qui te sanam faciat: verumtamen, filia, ipsi te commenda, et roga eum ut tibi gratiam conferat. Tunc infirma puella narravit, quomodo ingressus ad se Pater quidam Cappucinus dixerit, quod eam liberare vellet, ideoque mox esset rediturus: similia etiam retulit aliis eodem hospitio utentibus pluribus, testibus miraculi certissimis infra nominandis.

deinde iterum cum socio Cardinale,

54 Sub horam XVIII experrecta infirma, vidit iterum per eamdem cameræ portam ingredi prædictum Patrem Cappucinum, statura mediocri et eodem quo prius aspectu; atque post ipsum immediate sequentem unum in habitu Cardinalitio, cum birreto rubro in capite staturæ proceræ: Pater autem Cappucinus collocavit sese ad pedes lecti, Cardinalis vero ante infirmam proximus lecto constitit. Prior porro Pater Cappucinus dixit, Geltruda, ecce me reducem tibi, qui te volo solvere et liberare: sed ipsa non potuit loqui aut respondere quidquam. B Tunc Cardinalis subridendo innuit Patri Cappucino, hic vero Cardinali dixit: Volo eam solvere; et conversus ad infirmam, manusque supra genua ejus extendens, ait, Distendere in longum, quia soluta es et liberata. Puella econtra: O Deus! quamdiu hic fui! Et Cappucinus, Quamdiu fuisti? Atque in his disparuit visio: et statim ingressa est D. Aloysia, neptemque inclamans dixit: Quid agis, Geltruda? Quid ago? reponit illa: non vides quod sanata sim? redivit enim Pater Cappucinus cum Cardinali, et me solvit ac liberavit. Date vestes, quia volo surgere. Utinam, inquit amita, B. Felix te sanaverit: et statim genua ejus contrectans soluta extensaque reperit, absque dolore vel minimo aut indicio priorum accidentium. Itaque nihil morata dum vestiretur, sustulit eam de lecto; et sicut erat, sola interula linea tectam ambulare per cameram fecit: quæ ambulavit absque ullo vitio aut titubatione, et in præsentiarum ambulat per domum ac civitatem: quemadmodum etiam Dominica sequenti cum tota familia accessit ad gratias B. Felici agendas. Quia, quando D. Aloysia invenit neptem solutam ac liberam, monstravit illi duas imagines B. Felicis, quarum minorem unam semper habuerat sub cervicali infirmæ, altera major servabatur in altero cubiculo; interrogavitque utra esset ejus a quo fuerat liberata: illa vero continuo respondit, C Hæc, hæc, indigetans majorem cui inscriptum erat, Vera effigies B. Felicis Cappucini.

eamque sanat.

Illa dignoscit veram ejus imaginem:

Cardinalis videtur S. Carolus Borromæus fuisse:

55 Cardinalis qui cum Beato apparuit credi potest fuisse S. Carolus Borromæus, cui æque ac Felici perquam devota semper fuit infirma: tum etiam quia inter ipsos, dum simul viverent in hoc mundo, Romæ arcta fuit et mutua necessitudo, bonorumque ac spiritualium operum communio; sicut etiam cum S. Philippo Nerio: qui omnes tres valde placuerunt Deo, quod semper demonstrarunt optima eorumdem exempla et miracula, hodieque demonstrare non cessant. Est autem maxima consideratione dignus hic casus: qui enim animum adverterit ad essentiam mali ejusque causas, cum mira complicatione affectionum, et multo magis cum iliade symptomatum, variam sigillatim et attentam curationem requirentium; et tamen omnia illa simul disparuisse, absque ullo naturæ vel artis auxilio; sine dubio et valde prudenter optimaque cum ratione poterit rem attribuere divinæ misericordiæ; nihilque de ea per ambiguitatem detrahendo dicere cum Propheta Zacharia, Per viscera misericordiæ Dei nostri in quibus visitavit nos Oriens ex alto: quandoquidem per meram suam miserationem dignatus est, intervenientibus famulis suis, explicare infinitam bonitatem in creaturas, pretiosissimo suo redemptas sanguine. D

nec potest dubitari quin talis mali curatio tam subito,

Luc. 1, 78.

EX MSS. ITAL.

fuerit miraculosa.

56 Quisquis igitur attente legerit, expenderit et consideraverit modum, quo voluit Beatus infirmæ gratiam miraculosam impetrare, notaverit etiam quod in prima visione seu apparitione voluit prius promittere quod illam solveret ac liberaret, ideoque reverteretur, esse enim qui pro illa orarent; non tamen illam solvit tunc ac liberavit, sed fecit inveniri eodem in statu in quo antea fuerat; certoque concluserit voluisse Beatum ut futuri miraculi fama prius divulgaretur; ea autem divulgata, post tres horas redierit una cum S. Carolo Borromæo, dixeritque infirmæ, Redivi, Geltruda, et volo te solvere ac liberare; manus vero extendens ac genua infirmæ contingens subjunxerit, Soluta es ac liberata; miraculo tam manifesto et claro id adscribet, ut propter instantaneam curationem dubitari nequeat, quin fuerit Dei miserentis opus, omnem naturæ ordinem transcendens. Testes porro quibus morbus infirmæ notus erat, in ipso miraculosæ sanationis actu præsentes, nominantur, D. Aloysia Giassoni amita ejus, D. Maria Magdalena de Annibalis, Joannes.... famulus D. Abbatis Micheli, D. Maria qu. D. Alexandri Paesi: Testes vero antea informati de casu, et eodem die conscii facti curationis prædictæ, D. Franciscus Batelli medicus et maritus D. Aloysiæ, qui domi suæ habebant prædictam suam neptem infirmam Geltrudam Giassoni; D. Felix, uxor Francisci Gratioli; Sanctes Gregorii de Tonsia, famulus domesticus; et aliæ multæ personæ extraneæ, quæ intellecto morbo venerunt ad visitandam infirmam, poteruntque si res exigat examinari. Laus Deo patri, Jesu Redemptori, qui nos a tribulatione liberavit per intercessionem B. Felicis Cappucini. E

Nomina testium.

Ante hanc curationem,

57 *Hactenus illa Relatio, quæ utrum deinde fuerit, in examen adducta, et auxerit numerum miraculorum, sacræ Congregationis definitivo judicio qualificatorum, et approbatorum velut sufficientium ad Canonizationem, equidem ignoro, nec operæ pretium fuerit operose inquirere: constat enim identidem ac successive modo hæc, modo illa fuisse proposita, examinataque, et nonnulla ex illis approbata: sed quæ et qualia, tunc solum scietur, cum Canonizatione decreta (quod utinam fiat cito!) Acta in publicam lucem efferentur, aut eorum Summarium, sicut in nuperis quibusdam Canonizationibus factum vidimus. Interim ex aliquibus impressis anno* MDCLXXVI. *Romæ in typographia Cameræ Apostolicæ, disco, quod anno* MDCLXXI *septem miracula ex Processibus in judicium adducta fuerunt, inter quæ censebatur liquor miraculose scaturiens de corpore incorrupto; cujus supernaturalitas licet sufficienter probata videretur, facta est tamen et impressa circa idem argumentum* Informatio additionalis *(ut appellatur) oblataque S. D. N. Innocentio Papæ XI a Claudio Bovillaud, et revisa ab Andrea Pierio Subpromotore Fidei: quam informationem secutum est* Memoriale additionale facti et juris, *ad excludendam suspicionem ne forte liquor iste extrinsecus possit immitti. Utrumque instrumentum mirifice facit ad cognoscendam evidenter summam illam maturitatem gravitatemque judicii, qua in miraculis in ordine ad Canonizationes probandis utitur Romana Curia: quapropter dignum judico, quod hic apponatur, sicut accepi; rescissis dumtaxat allegationibus testium, juxta ordinem quem habent in Processibus per litteras Alphabeti, eorumque ut ibidem Italice notantur verbis, et Canonistarum circa ea sententiis.* F

examinata varia miracula fuerunt,

ac nominatim emanatio liquoris salutaris.

INFORMATIO

A

INFORMATIO ADDITIONALIS.

De incorrupto B. Felicis corpore et miraculoso qui exinde scaturit liquore.

Ad superabundantem declarationem miraculi,

Beatissime Pater. In Positione impressa anno MDCLXXI adducta fuerunt septem miracula desumpta e Processibus confectis pro solenni Canonizatione B. Felicis, quæ hactenus proposita seu examinata non fuerunt. Inter quæ adductum legitur miraculum liquoris, ad instar olei manati e corpore dicti Beati, recondito in quadam capsa plumbea, cui superimposita fuerat altera capsa lignea, sepulchro marmoreo inclusa, et reposita ad latus sinistrum sanctissimi Crucifixi ecclesiæ Cappucinorum. Quod licet depositione Testium ibi recensitorum, et signanter duorum qui inspectioni judiciali, et reperitioni prædicti liquoris præsentes fuerunt, satis superque justificatum remanere videatur, tum ex quantitate et qualitate, tum ex colore prædicti liquoris; nihilominus ex abundanti infrascripta adduntur, ut evidentior veritas facti appareat.

B

ponitur quod corporis incorruptio,

59 In primis enim reminiscendum est, dictum Beatum ad cœlos evolasse anno MDLXXXVII, die lunæ XVIII Maji, ætatis suæ annorum LXXIV: cujus corpus supra terram insepultum jacuit quatuor diebus, molle, tractabile, flexibile, cum carne ad instar vivi et parvuli pueri, videlicet a die Lunæ ad vesperam diei Jovis, in loco angusto, circumfluente undique populo numerosissimo, suis halitibus locum et corpus afflante, addita aeris temperie solito longe calidiori, non solum absque fœtore, sed gratum et suavem odorem spirans repertum. Ex qua quatriduana incorruptione corporis præd. Beati, tali tempore et loco, constare videtur de præd. incorruptione miraculosa, ea potissimum ratione, quia corpus humanum ex sui natura est putrefactioni subjectum. Quod animadvertit Paulus Zacchias, Quæstionum medicolegalium lib. 4. tit. I. q. 10. De cadaverum incorruptione, rationem reddens, quia corpora ingenito calore destituta mori primum, ac deinde putrescere necesse est; omnium autem promptissime putrefiunt quæ sanguine prædita sunt, quod calido simul et humido temperamento natura sint, quorum utrumque putredinis principium est. Concipiunt itaque hæc illico ab excessu nativi caloris, calorem extraneum: qui transpirare prohibitus per corporis majorem condensationem, putredinem accersit in humidum superfluum et extraneum agens, quod experientia quotidiana docet, et Philosophis compertissimum est. Cui accedit carnium mollities, palpabilitas, membrorum flexibilitas, et in manibus ac pedibus, antea rudibus et callosis, venustas, quæ omnia non nisi miraculo adscribi fatetur idem Zacchias dicta quæst. 10, §. Porro n. 34. Gratus autem odor ex eodem corpore manans, non nisi miraculo tribui pluribus ostendit idem Zacchias, ubi supra sub n. 38: cum fætor semper consequatur putredinem, odor vero contra laudabilem humorem, et corporis constitutionem. Imo neque naturalis est odor qualiscumque sit, qui gratus quoquomodo deprehendatur, etiam mortuorum cadaverum; cum bonus odor ex calore naturali in cadavere emanare nullatenus possit.

sit plane miraculosa,

C

et magis viscerum exemptorum,

60 Secundo extractis postea visceribus et cerebro priusquam humaretur, eorum loco immissæ sunt herbæ, et signanter rosmarinus, a F. Antonio Infirmario. Viscera autem subtus terram recondita, elapsis binis mensibus denuo effossa, recentia ut prius inventa fuerunt. Quam pridem prædictorum viscerum incorruptionem miraculose accidisse fatendum est, cum tamquam partes molliores et humidiores putredini magis obnoxiæ essent. Tertio vesperis diei Jovis corpus dicti Beati in loculo plumbeo repositum, intra sarcophagum ligneis tabulis compactum, in communi Fratrum cœmeterio subtus terram humatum fuit. Quarto elapsis novem mensibus corpus d. Beati, de mandato Cardinalis S. Severinæ Protectoris Ordinis, exhumatum fuit, et incorruptum et absque fœtore repertum, ut testantur qui tamquam Guardianus intervenit aperitioni capsæ et inspectioni dicti corporis factæ a prædicto Cardinali S. Severinæ: qui postea capsam occlusam et repositam in una marmorea reponi curavit in capella sanctissimi Crucifixi ubi publicæ venerationi expositum fuit de mandato fel. record. Sixti V. Quinto interim dum corpus d. Beati, capsis plumbea et lignea occlusum, a terra extractum, supra humum jaceret in cœmeterio Fratrum, compertum fuit ab eodem liquorem ad instar olei emanare, et rimulam esse juxta clavum utramque capsam penetrantem. Quod attente observans Fr. Urbanus a Prato, B. Felicis ob virtutum præstantiam devotus, pluries scyphum d. liquore plenum recepit, quem Sorori Felici Tertiariæ tradidit, plurimis infirmis ab eadem traditum, qui a suis infirmitatibus sanitatem ejusdem unctione accepisse fassi sunt.

D

quodque ex illo post translationem,

exceptus sit copiosus liquor,

E

et similiter postquam repositum fuit in arcam marmoream,

61 Sexto corpus, ut supra, inclusum in arca marmorea cum aliis capsis, et in prædicta capella repositum, compertum est ultra solitum madere prædicto liquore: ideoque mysterii nondum conscius Sacrista, madorem sæpius abstergebat et exciccabat. Quare Felix Tertiaria, quæ rem aliter noverat, consilio inito cum Septimia, Eminentissimi Cardinalis Maphæi sorore germana, aliisque piis mulieribus, accessit ad præd. capellam, in qua corpus d. Beati repositum erat; et de licentia Sacristæ intra cancellos ejusdem admissæ, statim conatæ sunt terebello sepulchrum prædictum perforare. Sed cum frustra pluries tentarent, ob duritiem arcæ marmoreæ, preces adhibuerunt; et recitato quinquies Pater noster cum salutatione Angelica, ad opus aggressum rediere; et tanta facilitate triplicem arcam, videlicet marmoream, ligneam, et plumbeam perforarunt, ut immisso per foramen filo ferreo cum tenui spongia, confestim aliquam prædicti liquoris quantitatem eduxerint. Et ex tunc eædemmet pluries, ac sæpius cum plurimis, magnam quantitatem præd. liquoris ex eodem sepulchro extraxerunt, et in Urbe ac extra eam dispensarunt, variisque infirmis pro curandis eorum infirmitatibus tradiderunt. Et attentis miraculis, ipso mediante patratis, pro miraculoso et supernaturali habitus fuit, uti deponunt undecim de auditu ab eadem Sorore Felice, Laurentia Ferrera Sacrista et aliis. Ipsamet vero Laurentia Ferrera deponit de facto proprio, nempe eduxisse e prædicto sepulchro liquorem suis propriis manibus, et allegat in contestem dictam Sororem Felicem, cum qua perforavit terebello d. sepulchrum. Testis XX quoque testatur de visu, prædictum liquorem manasse, qui desumebatur ab Episcopis de mandato Papæ; et undecimus, præsente Cardinali Rusticuccio propriis manibus extraxit e dicto sepulchro prædictum liquorem. Ex quorum quidem Testium depositione satis liquet de magna copia præd. liquoris, educti e præd. sepulchro d. Beati, in quo illius corpus occlusum reperiebatur.

F

eamque devotæ feminæ terebrassent:

qui liquor miraculosus esse ostenditur,

62 Quæ quantitas liquoris a præd. sepulchro educti verificatur depositione aliorum Testium, de visu ac certa scientia ulterius firmantium, eumdem liquorem esse limpidum, pulchrum, gratum, odoriferum, potabilem, et incorruptibilem; videlicet Testis XVII qui asserit, quadam vice unum cyathum integrum desumptum fuisse, et judicio medicorum pro supernaturali et miraculoso liquorem prædictum habitum fuisse

fuisse ; item Testis xv, qui fatetur Cardinales S. Severinæ, et Rusticuccium, de mandato ejusdem Sixti V, quadam nocte ad ecclesiam Fratrum Cappucinorum accessisse, et cum præsentia Guardiani et aliorum quinque Fratrum, inter quos aderat ipse Testis, sepulchrum aperire jussisse, corpusque dicti Beati integrum reperisse, et circumcirca illud liquorem invenisse coloris argentei, puri, et limpidi : repertum etiam intra ambas coxendices : et ulterius refert, prædictos Cardinales asseruisse, prædictum liquorem ibi repertum e dicto corpore fluere, nec artificiose repositum fuisse. Quæ omnia ulterius verificantur depositione Testis ccxxix, testantis interfuisse aperitioni præd. sepulchri, et vidisse ab eo extrahi liquorem in magna quantitate, et in specie catinum, ex quo ampullulam ipse desumpsit ; licet antea perforatis tribus capsis magna quantitas educta fuisset, et plures ampullulæ eo repletæ, ut fatetur. Decimus quintus testatur aliquo die desumptas fuisse e præd. liquore mensuram vulgo foliettam, adeo ut pluribus vicibus eductus fuerit cadus. Id etiam magis verificatur ex multitudine ampullularum d. liquore plenarum, diversis personis traditarum, ex quibus nominantur Cæcilia Porticappa, Thomas Minerberti, Hieronyma Podia de Gottifredis, Faustina Culta, Joannes Baptista Ceccaronus eremita, Ursina Porticappa, Eugenia de Mangone, Andreas Roncallus, Adriana de Spada, Lucretia Colella, Olympia Maira, Adrianus Bibiena, Fr. Daniel a Castillione, Lucretia Ferrera, Fr. Benedictus Cappucinus et ipsius socius, Ysabella Priorati, Flaminia Malocchi, Laura Spinula, Prudentia de Seremediis, Mater Joseph Gisleni, Nuntia de Santorelli. Plures etiam ampullulæ, dicto liquore plenæ, transmissæ fuerunt extra Urbem. Ex quo ampullularum numero satis evidenter patet quantitas præd. liquoris, emanati e præd. corpore Beati ; quæ etiam satis justificata remanet ex quantitate reperta in inspectione judiciali facta, ubi etiam comprobata manet qualitas illius et gratus odor ; tanto magis quia pulpæ crurum consumptæ dumtaxat reperiebantur, ex quarum consumptione quantitas liquoris in præd. sepulchro reperti hauriri seu effluere minime poterat.

ex quantitate et qualitate,

et infirmitatibus per eum curatis

63 Miraculum tandem præd. liquoris etiam comprobatum remanet ex sanationibus omnis generis, receptis illius unctione, et epotione quæ superant vim totius naturæ creatæ.

In primis enim filius Joannes Baptistæ Mancini, puerulus annorum duorum, ita siccus et extenuatus reperiebatur, ut non nisi pedibus moveri seu tangi posset ; hic a medicis proclamatus, nil prorsus juvantibus remediis, unctus præd. liquore, sanitatem recuperavit, et brevi spatio temporis pinguis evasit.

II. Victoria Facchetti, uncta præd. liquore, statim sana comperta est a dolore et febri; et in parte, in qua uncta fuerat, per multum tempus odor suavissimus remansit.

III. Cardinalis Sfortia, causa infirmitatis unctus præd. liquore, incolumis evasit ; et in illa parte, ubi unctus fuerat, caro semper remansit vividi coloris, et perseverantis ac pinguis ; de quo liquore etiam potavit, ut ipse fatetur: qui sanitatem recuperasse mediante dicto liquore asserit.

IV Elena Vacchi, gravi morbo gutturis laborans, uncta præd. liquore, sana comperta est et alacriter comedit.

V. Cleria Mantes de Mancis, febri hectica in extremis laborans, epoto præd. liquore, apposito intus cochleare una cum jure, confestim cessavit febris, et illæsa reperta est : quam sanationem pro miraculo habuit medicus, ut ipsa fatetur.

EX INST IMPRES

VI. Triennio elapso eadem incidit in febrim, qua detenta fuit per mensem et amplius, et judicio medicorum nulla alia spes salutis aderat, nisi ratione juventutis, aliter derelicta habebatur : sed epoto d. liquore, ut antea, statim sana et incolumis comperta est, non sine stupore medicorum et signanter Calixti Procaccini.

VII. Patruus Felicis de Ubertis de Bartolis, in extremis absque loquela laborans, epoto præd. liquore intus cochleare, statim sanus repertus est.

VIII. Quædam nomine Baptista, facultate visiva in oculo destituta, uncta præd. liquore, scapha superimposita oculo ipsius statim evanuit, oculum aperuit, et vidit absque recidiva.

IX. Quidam brachiis et cruribus attractus, et qui præ cruciatibus diu noctuque exclamabat, unctus a fratre Gregorio præd. liquore, statim pristinæ sanitati restitutus est.

X. Thomas Minerbertus sexagenarius, die S. Bartholomæi anni MDXCV febri acutissima et maligna correptus, qua tempestivitate ex pravo influxu in Urbe obierunt plusquam septuaginta mille hujusmodi morbo infecti, insuper oppressus erat maxima palpitatione cordis, variis syncopibus vexatus, animi deliquiis, angore intensissimo, ita ut vix verbum proferre posset, et in lecto absque adjutorio movere se non valeret; a medicis derelictus, et ab omnibus proclamatus, quod pejus erat anima illius gravissimis noxis affecta per plures menses, absque sacramentali Confessione, cui incumbere ob deficientiam loquelæ non poterat; delata ad infirmum a quodam Fratre Cappucino ampullula liquoris præd. Beati, ipsoque in regione cordis et faucibus gutturis unctus, prout etiam in fronte, statim palpitatio cordis mitigata fuit, angor cessavit et in somnum incidit: cui dæmon apparuit in forma humana, sed animalis similis cornua in capite gerentis, et animam ex ipsius corpore arripere satagentis, ex causa criminum ab eodem patratorum, valide tamen tutatus ab Angelo Custode. Interim ab impio satana scelera ab infirmo commissa nec expiata, in libro descripta, sibi ostendebantur : sed apparens eidem statim B. Felix, habitu Cappucinorum indutus, capite discooperto, manu dæmonum minans, dicebat, pro hac vice, speciali gratia beatissimæ Virginis (quam etiam conspexit filium Jesum in ulnis gestantem) a laqueis suis fore salvum. Porro expergefactus illico infirmus, lecto insidens, realiter vidit beatissimam Virginem, B. Felicem, et Angelum Custodem versus solare, dæmonem vero humi intra cubile et murum, qui binis saltibus fugam arripuit per fenestram : et statim ac illico infirmus incolumis evasit, cum appetitu comedit, et cum omnimoda virium recuperatione ; ita ut die Dominico sequenti propriis pedibus ad ecclesiam sanctissimæ Trinitatis ad Pontem-Sixtum perrexerit, ibique sacram Synaxim receperit ; die vero lunæ ad ecclesiam Cappucinorum accesserit, pro gratiarum actione tanti beneficii, non modo sanitatis corporis, sed salutis animæ, die vero Mercurii Viterbium petierit.

XI. Alberia, famula Hieronymæ Podiæ de Gottifredis, a palpitatione cordis absque quiete, uncta præd. liquore, statim sana comperta est.

XII. Faustina Caltria de Pacificis ab ingenti capitis turbidine, cordis palpitatione, absque requie, cum evidenti periculo lapsus in phrenesim, seu apoplexiam aut aliud id generis malum, uncta præd. liquore statim comedit, et omnino sana evasit.

XIII. Felix, uxor Persii Fanelli, humore melancolico oppressa seu energumena comperta, uncta præd. liquore, confestim pristinam sanitatem recepit.

XIV. Ursina Porticappa ab ingenti dolore stomachi

EX INST. IMPRESS.

A chi cum spasmo, incassum adhibitis validis præsidiis, uncta præd. liquore, illico et in instanti sana comperta.

xv. Antonius Roncallus, gravissima infirmitate detentus, nullatenus juvantibus remediis, in extremis laborabat; unctus præd. liquore in instanti sanus et hilaris repertus est, cum omnium admiratione.

xvi. Jo. Baptista Cecchini, propter excrescentiam ossis in naso ad instar ovi, deformis et monstruosus, unctus præd. liquore, statim incolumis evasit, cui contestatur Olympia Jacobatia mater.

xvii. Clara, filia Patritii fabri lignarii leprosa; uncta præd. liquore, quem in ampullulam penes se retinebat Andreas Roncallius, sana et immunis a præd. lepra reperta est, quod malum pro incurabili habebatur. Et contestatur Adriana Spada mater.

xviii. Quidam Laurentius, a surditate inveterata liberatus, immissione præd. liquoris in aures.

xix. Olympia Mrria de Vanninis gravissima et periculosa febri detenta, magnis stomachi doloribus concomitata, cum evidenti periculo vitæ, uncta
B præd. liquore, statim sana reperta est.

xx. Joannes Bibiena, apoplexia forti per universum corpus derepente correptus, immobilis et attractus repertus, cum amissione loquelæ, et tamquam mortuus in lecto decumbens, unctus præd. liquore, statim digitum movit; et die sequenti, recuperatis viribus et loquela, sanus evasit.

xxi. Quidam nomine Augustinus, in civitate Aquæpendii, ex decurso humorum visu carens, cujus omnimoda cæcitas per sex menses perduravit, nil juvantibus remediis adhibitis, liquore præd. unctus tribus vicibus, sanus et incolumis remansit, æque acsi hujusmodi infirmitate numquam laborasset.

xxii. Joannes Baptista, filius Octavii Clementini in civitate Urbis-veteris, saucius et mancus brachio dextero, tribus vicibus præd. liquore signato præd. brachio saucio, statim illud erexit, et capiti apposuit : quod brachium veluti siccum compertum fuerat : quare hujusmodi instantanea sanatio pro miraculo habita fuit.

xxiii. Quædam mulier, sciatica inveterata laborans, cum omnimoda privatione gressus, uncta præd. liquore, sana reperta est cum recuperatione gressus.

xxiv. Siena de Marianis, ex humiditate contracta in pratis in pedibus, a medietate inferiori corporis,
C hujusmodi parte omnino deperdita, absque sensu comperta est, ita ut per quindecim dies, pro quolibet emergente seu necessitate, brachiis aliorum deferri cogeretur, adhibitis frustra remediis, uncta præd. liquore, in instanti pristinam sanitatem recuperavit. Quæ quidem altera vice a chiragra in digito manus cum summis doloribus cruciata, liberata fuit unctione præd. liquoris, absque recidiva etiam post lapsum plurium annorum. De qua quidem infirmitate, per quindecim dies protracta, contestatur Nicolaus Marianus, conjux præd. Sienæ de Marianis, et de liberatione ejusdem uxoris a chiragra in digito cum excessivis doloribus, tactu calami in præd. liquorem immersi.

xxv. Ysablla Priorati, ex ruptura venæ in pectore, cum magno sanguinis profluvio ex ore, cum evidenti vitæ periculo existebat : uncta tandem liquore præd. in pectore, statim incolumis comperta est.

xxvi. Federicus, filius prædictæ Ysabellæ, pluribus ulceribus laborabat, inter quæ unum habebat in manu, quod nullatenus remediis potuit curari, in eoque statu permanserat per longum tempus; uncto præd. ulcere liquore d. Beati, statim sanus inventus est absque ulla recidiva.

xxvii. Sebastiana Cornetti a doloribus passis in D
partu octimestri, sine evidenti ejusdem vitæ discrimine, uncta præd. liquore, confestim sana evasit.

xxviii. Joannes Baptista, filius Victoriæ, ab infirmitate in gena in crustam conversa, frustra adhibitis plurimis remediis, unctus de sero præd. liquore, mane sanus compertus est.

xxxix. Antonia de Monte-Floræ, quadam infirmitate quæ strumæ reputabantur detenta, cum tela oculos cooperiente, adeo ut fere cæca existeret, uncta præd. liquore, statim sana et incolumis a tot infirmitatibus evasit. Cui est contestis Elisabetha de Monte-Floræ.

xxx. Laura Spinula, ex descensu humorum seu catharri in nasum et os, cum excrescentia gummæ in naso magnitudinis unius avellanæ, cum difficultate respirationis ex retractione nervorum, et contorsione oris dum loqui nitebatur; frustra adhibitis variis præsidiis, uncto naso præd. liquore, qui in parte interiori omnino exulceratus erat, statim pristinam sanitatem recepit.

xxxi. Cæcillia de S. Zito, in Religione Soror Archangela nuncupata, dum ageret annum secundum E
ætatis suæ, cruribus impotens, ita ut pedibus stare aut sistere nullatenus valeret, habens crura ita mollia ut usque ossibus viderentur consistere; uncta præd. liquore statim sedit, et perfecte deambulavit, cum omnimoda virium recuperatione, utpote consolidatis basibus et plantis.

xxxii. Joseph Gisleni puerulus, dum certaret cum altero, qui fusum in manu gestans tollere satagebat, ex vi inita fusus intus oculum præd. Josephi penetravit, cum tanto impetu, ut ex tunc tumefactus oculus ad instar ovi facultate visiva privatus fuerit, et monstruositatem ostenderet nil juvantibus præsidiis : tandem ad cœlestia confugiens ipsius mater, curavit filiolum ungi præd. liquore; qua unctione facta convaluit, et pristinam sanitatem recepit.

xxxiii. Filius Pauli Fallonieri, strumis laborans, unctus præd. liquore, statim ab iis liber evasit.

xxxiv. Filius Joannis Baptistæ Sacchetti, ætatis sexdecim seu octodecim mensium, strumis infirmabatur, et a medicis pro incurabili habebatur, incassum adhibitis variis remediis : unctus præd. liquore, statim sanus factus est, absque recidiva.

xxxv. Octavius Valtrottus, adhuc in fasciis existens, rupturam patiebatur; nil juvantibus remediis, unctus præd. liquore, statim a prædicta ruptura F
liber et incolumis evasit, absque eo quod hujusmodi morbo unquam laboraverit : de qua quidem infirmitate, et sanatione deponit Petrus Paulus Valtrottus, ipsius frater germanus. Cui est contestis Lucretia Valtrotti, ejus soror germana, addens, rupturam præd. processisse ab ipsius nativitate.

xxxvi. Virgilius Valtrottus, infirmitate crurum laborans, proveniente ex hepate seu humore salso, unctus præd. liquore, statim sanitatem recepit.

xxxvii. Quidam Pascuccius, infirmus et a medicis proclamatus, unctus præd. liquore, statim convaluit.

xxxviii. Fatius de Pace, febri continua maligna correptus, frustra adhibitis validis præsidiis, a medicis derelictus fuerat; unctus præd. liquore, breviter sanitatem perfectam consecutus est.

xxxix. Federicus Cæsius, conjux Pulcheriæ Ursinæ, febri maligna detentus, et a medicis cum evidenti vitæ discrimine habitus; unctus in capite præd. liquore, melius se habuit et sanitatem recepit. Et fatetur idem Fredericus Cæsius Dux Aquæpartæ, quod uncius præd. liquore, vidit B. Felicem sibi dicentem ne dubitaret.

xl. Honorata Fontana, gravissimo dolore capitis oppressa,

A oppressa, absque ulla quiete diu noctuque spatio sex annorum: uncta præd. liquore, confestim dolor cessavit absque ulla recidiva.

XLI. Quidam Scipio calceolarius, ab ingentibus doloribus podagræ liberatur, unctione præd. liquoris.

XLII. Antonia Santi e Riccia, micrania terribili laborans, postquam a medicis incassum illi adhibita fuerunt varia præsidia, uncta præd. liquore, sana comperta est: quæ sanatio a medico teste pro miraculo habita fuit, dum asserit, impossibile fore, secundum artem ita repente sanari potuisse.

XLIII. Principissa S. Angeli, ex causa febris et pituita, qua suffocari videbatur, uncta præd. liquore, statim convaluit cum admiratione medicorum, ut fatetur Domina Olympia Ursina Ducissa Aquæspartæ: cui contestis est Fr. Franciscus a Casali Cappucinus, asserens se prædictam Principissam fere absque loquela invenisse, capillis abrasis pro hectica curari: ipsamque unxit præd. liquore: de cujus sanatione testatur fatendo, illius infirmitatem durasse spatio trium mensium: qui ulterius recenset,
B hora media noctis unctam fuisse præd. liquore, et mane sequenti illam sanam reperisse.

XLIV. Matthæus Rusticuccius gravi migrania cum ingentibus doloribus laborabat, frustra adhibitis remediis, unctus præd. liquore statim cessarunt dolores, et sanus compertus est absque recidiva. Cui est contestis Vincentius de Mancinellis, addens, judicio medicorum prædictum infirmum in phrenesim incidere debuisse: et de prædicta infirmitate contestantur etiam Ludovica Rusticuccia, et Hieronyma Michelucci.

XLV. Orinthia Vitelleschi de Aquilanis, quadam carnositate in naso spatio novem annorum laborans, non auso chirurgo illam abscindere; tandem uncta præd. liquore in parte interiori nasi, sana evasit a præd. morbo incurabili, quam infirmitatem postea numquam passa est: cui contestis est Laura Aquilana filia prædictæ Orinthiæ, et Silvia Scarsi.

XLVI. Marius Matthæius, in extremis laborans, et a medicis proclamatus, unctus præd. liquore, in instanti sanis compertus est.

XLVII. Quidam Marsilius piscium venditor, gravissimo dolore in genu laborabat absque quiete, unctus postmodum præd. liquore statim bene se habuit.

XLVIII. Quidam pleuritide correptus, et a medicis deploratus, unctus præd. liquore, statim a præd.
C infirmitate liberatus fuit.

XLIX. Sancta a S. Severino, gravissimo dolore in humero sinistro cruciata, absque motu brachii, quod non sine magna difficultate ori admovere poterat, quo dolore affecta fuerat spatio unius anni, recitatis aliquibus Pater noster et Ave, uncta præd. liquore, confestim sanitatem adepta est.

Conclusioni huic

64 Ex quibus simul junctis satis liquet de præd. liquore, in magna copia desumpto e sepulchro d. Beati, et de illius qualitate, quod nempe esset limpidus, coloris argentei, et grati odoris, potabilis, et pro omni genere infirmitatis efficax, utpote miraculosus; ut ex miraculis, ipsa unctione et epotione patratis et subsecutis, clarius manifestatur: qui cum e corpore et reliquiis d. Beati effluxerit, et conservatus absque ulla corruptibilitate fuerit; necessario fatendum est, opus supernaturale extitisse, et in facti substantia omnes naturæ creatæ vires excessisse. Addito quod, ut inquit D. Thomas in Joannem cap. 19. Fluxum aquæ, egressum e latere Christi Servatoris nostri in Cruce pendentis, dum militum unus lancea latus ejus aperuit, miraculosum extitisse, inficiari non posse; cum aqua exiens purissima fuerit, quamvis corpus humanum duobus elementis compositum sit, alterum ex humoribus, D inter quos præcipuus est sanguis; alterum vero elementorum, inter quæ est aqua; quæ cum fuerit purissima, ideo idem sanctus Doctor miraculo adscripsit. Et quamvis ea quæ evenerunt in Christo Domino non videantur adaptabilia ceteris Beatis, nihilominus dum liquor, emanatus e corpore d. Beati longe post illius obitum, fuit purissimus; ex ipsa puritate et claritate videtur posse dici excedere vires naturæ, juxta sententiam præd. D. Thomæ superius relatam.

adstipulatur S. Thomas.

EX INST. IMPRESS

MEMORIALE ADDITIONALE

ad demonstrandum quod liquor iste non possit extrinsecus advenisse.

Dubitantibus satisne exclusa sit possibilitas immittendi ab extra liquorem illum,

Beatissime Pater. Cum in Informationibus, et Summario additionali impressis adminiculatum fuerit miraculum liquoris, emanati e corpore d. Beati, una cum miraculosis sanationibus, ab omnipotenti Deo patratis mediante unctione et epotione ejusdem; habitaque Congregatione particulari coram Eminentissimo Ponente, fuerit a nonnullis observatum, deficere negativam coarctatam possibilitatis immittendi E extra d. liquorem; ideo satisfaciendo huic difficultati, et pro evidentiori probatione identitatis urnæ marmoreæ, et foraminis in ea facti a quibusdam devotis terebello adhibito; de mandato Sanctitatis Vestræ Eminentissimus Cardinalis Vicarius, una cum Reverendissimo Promotore Fidei, ac RR. PP. DD. Protonotario Congregationis Sacr. Rituum, et Secretario illius, Notario, et testibus, accessit ad ecclesiam Cappucinorum, et proprie ad Capellam eidem Beato dicatam, in qua illius corpus requiescit; et adhibitis peritis in arte, inspexit et describi jussit prædictam urnam marmoream, intra quam adest altera capsa plumbea, ubi corpus d. Beati servatur. Foramen prædictum invenit modo et forma inferius recensendis, et testes examinavit super illius identitate, nec non super situatione ejusdem urnæ in ecclesia veteri; nempe ab uno latere capellæ sanctissimi Crucifixi intra parietem muro clausæ, ita ut solum exterior pars per paucos digitos in lateribus et in superficie erumperet extra parietem; quemadmodum patet ex prædicto accessu, visitatione, et examine testium. Ex quibus probationibus de novo factis, et ex aliis jam allatis prorsus cessare videtur prædicta difficultas, elicita ex defectu probationis negativæ coarctatæ. Si quidem immissio F prædicta ab extrinseco, fieri debuisset, vel per aperitionem capsarum marmoreæ, ligneæ, et plumbeæ, vel per dictum foramen, ex quo liquor educebatur: quorum neutrum fieri potuit, ut infra dicemus.

occurritur inspectione arcarum,

quæ post visitationem primam

66 Quoad primum, reminiscendum est, quod in prima visitatione corporis hujus Beati, facta a Cardinali S. Severinæ ad effectum illud collocandi in ecclesia, nondum inceperat liquoris emanatio; qua visitatione peracta, capsa plumbea et lignea fuerunt de more et secundum artem firmatæ et clausæ, et ambæ occlusæ in urna marmorea; quæ collocata fuit in capella sanctissimi Crucifixi, in eodem loco ubi reperiebatur de tempore fabricationis processuum, quemadmodum deponunt testes Fr. Sanctes Romanus Guardianus et Fr. Franciscus a Coriolano. In secunda autem visitatione, facta a Cardinalibus Rusticuccio Vicario et S. Severinæ Protectore Ordinis, de mandato fel. rec. Sixti V, in qua recognitus fuit liquor miraculosus in copia considerabili; extracta fuit eadem urna marmorea ab eodem loco, in quo fuerat prima vice collocata, quemadmodum deponit Fr.

et secundam fuerunt probe clausæ

A Fr. Franciscus a Coriolano : et adinventæ fuerunt eædem capsæ, ut supra clausæ, ut patet ex depositione Fr. Alexii a Sexia. Cum ergo in aperitione capsarum habeatur expresse exclavatio capsæ, quod intelligendum est de lignea, intra quam extabat plumbea ; magis evidens redditur probatio, quod utraque capsa, lignea et plumbea, antequam liquor cœpisset emanare, clausa fuisset secundum artem, prima nempe clavis ferreis, et secunda stanno. Et pariter post hanc visitationem fuit iterum cooperta, et firmata, et reposita in eodem loco in quo reperiebatur de tempore confectionis processus, quemadmodum deponit idem Fr. Alexius a Sexia. Itaque cum remaneat probatum, quod capsa lignea et plumbea, in quibus repositum fuit corpus Beati (tam post primam visitationem, in qua nondum inceperat emanatio liquoris; quam post secundam, in qua fuit liquor inventus) inclusæ et reseratæ fuerunt in urna marmorea, reposita in capella sanctissimi Crucifixi, ubi reperiebatur de tempore quo fuerunt testes examinati, quod fuit de annis MDCXVIII, et MDCXXI respective; et prædicta urna semper extiterit in eadem capella ab uno latere inter parietem muro occlusa, B ut est dictum, solum erumpens extra murum per quatuor vel quinque digitos in parte anteriori, ut probatur ex depositione quatuor testium, in d. nuperrima visitatione sepulchri d. Beati examinatorum in facie loci, in ætate capaci ad deponendum de visu de prædictis annis MDCXVIII et MDCXXI, dum unus habet octoginta tres annos. Iique testantur de visu, et certa scientia ita semper fuisse et jacuisse ; nec aliter unquam se habuisse, ex traditione seniorum, a tempore quo corpus d. Beati e cœmeterio delatum fuerat ad ecclesiam veterem, et exinde translatum ad ecclesiam sanctissimæ Conceptionis de anno MDCXXXI, in sacellum proprium d. Beato dicatum, ubi hodie requiescit, quemadmodum deponunt prædicti testes : impossibilis per consequens redditur artificiosa immissio liquoris, mediante aperitione earumdem capsarum ; et possibilitate actus exclusa, remanet concludenter probata, quoad hanc primam partem, negativa coarctata.

intra marmoream tumbam

an 1631 translatam :

nec dici potest humor immitti per foramen quod in ea est,

67 Quod vero ad secundum, quod liquor immitti non potuerit per d. foramen urnæ marmoreæ, ex quo educebatur ; probatur ex eo, quod non constat, quod terebello, quo perforata fuit urna marmorea, terebratæ etiam fuerint interiores capsæ lignea et plumbea. Quinimo Laurentia Ferreria, quæ sola deponit de facto proprio actus terebrationis, refert C perforationem tantummodo urnæ marmoreæ. Idque videtur etiam comprobare Fr. Franciscus a Coriolano : qui referens secundam visitationem et recognitionem liquoris, deponit de visu, clavum capsæ ligneæ perforasse alteram plumbeam. Unde cum nihil dicat de foramine facto a mulieribus terebello in dictis capsis, censendum est quod d. perforatio ad capsam ligneam et plumbeam non transiverit; quia sicut deposuit de parvo foramine seu rimula facta a cuspide clavi in d. capsa plumbea, ita pariter deposuisset de altero foramine facto a terebello, si in ipsis capsis extitisset. Sed magis evidenter apparet, quod simul cum urna marmorea non fuerint terebratæ aliæ capsæ, quia d. foramen repertum fuit in hac recenti visitatione in parte inferiori ipsius urnæ cum elevetur a fundo, seu plano interiori ejusdem urnæ per quatuor uncias palmi Romani Architecti (ut constat ex mensuratione facta a peritis, de mandato et cum interventu Eminentissimi Cardinalis Vicarii) quæ est altitudo trium digitorum circiter. Et cum intus eamdem urnam extarent aliæ duæ capsæ, lignea et plumbea, indubitatum est quod foramen urnæ marmoreæ æquasset planum seu fundum capsæ plumbeæ, in qua corpus Beati erat repositum, D cum crassities fundi capsæ ligneæ et plumbeæ non potuerit esse minoris altitudinis quam trium digitorum. Ex quo sequitur quod capsa plumbea non potuisset, retinere quantitatem adeo considerabilem liquoris, quæ inventa fuit in visitatione facta a Cardinalibus Rusticuccio et S. Severinæ, sed per d. foramem effluxisset. Ideo necessario fatendum est, vel quod capsa lignea et plumbea non fuerunt una cum urna marmorea perforatæ ; vel quod liquor miraculose retentus fuit in capsa plumbea, quæ habens perforationem in ejus fundo, naturaliter liquorem continere non poterat. Exclusa igitur perforatione aliarum capsarum cum terebello, licet in ipsis extiterit parvum foramen seu rimula facta a cuspide clavi, ex qua liquor forte distillabat in urnam marmoream, impossibilis redditur extrinseca immissio ejusdem liquoris per dictum foramen et rimulam, tam mediante fistula quam quovis alio instrumento, ex defectu correspondentiæ foraminis urnæ marmoreæ terebello confecti, cum d. rimula facta in capsis interioribus a cuspide clavi ; quæ correspondentia necessaria fuisset ad præd. artificiosam immissionem, ut patet ad sensum.

sed solum in tumba, et quidem subtus,

E 68 Nec objici potest, quo potuerit liquor immitti per fistulam in urnam marmoream, et ex ipsa per supradictam rimulam factam a cuspide clavi in capsis interioribus transmeare in easdem capsas ligneam et plumbeam. Quia cum repertus fuerit liquor in secunda visitatione inter coxendices Beati in quantitate unius carini, impossibilis redditur transmissio quantitatis ejusmodi per d. rimulam, per quam solum parva quantitas immitti potuisset. Et impossibilitas augetur ex eo, quod foramen urnæ marmoreæ repertum fuit, ut diximus, in parte inferiori ipsius ; ideo naturaliter omnino impossibile est, quod liquor immissus par partem adeo inferiorem urnæ marmoreæ potuerit elevari ad partes superiores aliarum capsarum, ubi jacebat corpus Beati : eo fortius, quia prædicta rimula in capsis interioribus facta fuerat in aperiendo et claudendo dictas capsas, capsæ autem non aperiuntur nec clauduntur in parte inferiori. Quod reddit magis evidentem impossibilitatem talis extrinsecæ immissionis, ex defectu correspondentiæ foraminis urnæ marmoreæ facti terebello in parte inferiori ejusdem urnæ, cum altero foramine seu rimula facta a cuspide clavi in aperiendo et claudendo capsas, quæ esse non poterat in parte inferiori; et per consequens remanet probata negativa coarctata, etiam quoad hanc secundam partem ; negativa enim circumscripta loco, probatur per inspectionem loci. F

et rimula arcarum non respondet foramini,

estque in earum operculo,

60 Præterea dato, quod rimula arcæ plumbeæ, facta cuspide clavi capsæ ligneæ, extiterit circa seu prope fundum et planum ejusdem arcæ plumbeæ, et quod per eamdem rimulam potuisset liquor, in urnam marmoream per foramen ab extrinseco immissus, si adfuisset, transmeare in arcam ipsam plumbeam ; adhuc evidentissime probatur in casu nostro impossibilitas ejusmodi transmeationis. Quia impossibile naturaliter est, liquorem ab angulo seu per foramen cujusvis vasis immissum, elevari inipsomet vase, seu in quocumque alio intra ipsum incluso, ultra foramen per quod immittitur : naturaliter etenim et necessario efflueret. Sed data hypothesi extrinsecæ immissionis, debuisset ultra foramen elevari : quod naturaliter est impossibile, quia foramen urnæ marmoreæ correspondet plano seu fundo arcæ plumbeæ, ut adnotatum est supra, et patet attenta consueta crassitie capsarum pro defunctis. Liquor autem repertus in arca plumbea ab EE. Cardinalibus Rusticuccio et S. Severinæ erat in valde notabili quantitate et elevatione, et consequenter ultra foramen urnæ marmoreæ. Ergo liquor,

licet autem esset in fundo earum,

non potuisset per eam humor immissus elevari,

A liquor, per ejusmodi foramen immissus, nullo modo naturaliter in tanta quantitate et elevatione potuisset transmeare, et elevari in arca plumbea, hoc est supra seu ultra foramen per quod immitti potuerat, sicuti de facto ultra tale foramen visus et repertus fuit. Quod autem urna marmorea, in qua ad præsens reposita est capsa, in qua requiescit corpus Beati, et in recenti visitatione recognitum fuit prædictum foramen, sit eadem, in qua collocata fuit prædicta capsa in ecclesia veteri, in capella sanctissimi Crucifixi intra parietem muro clausa, et quæ de anno MDCXXXI translata fuit ad novam ecclesiam, et reposita in capella ipsi Beato dicata, probatur ex testibus in d. recenti visitatione examinatis.

nedum in tanta quantitate,

70 Excluditur etiam quælibet extrinseca immissio ex ratione naturali satis evidenti; si quidem, ut fuit dictum, miraculosus liquor in quantitate unius catini inundavit corpus Beati, et major quantitas inventa fuit inter coxendices ejusdem. Ex quo deducitur, quod si liquor fuisset artificiose immissus, necessario secuta fuisset totius corporis fermentatio et corruptio, et consequenter etiam putredo et fœtor, ita ut eductus fuisset liquor putridus et fœtidus, B ut docet Aristoteles in Problematis, cujus contrarium constat ex alias a nobis adductis, nempe quod eductus fuit liquor limpidissimus, bene olens ac potabilis. Eo fortius quia Cardinales Rusticuccius et S. Severinæ, in actu recognitionis ejusdem liquoris, testati sunt hujusmodi liquorem non fuisse artificiose immissum, sed e corpore Beati emanasse. Idque comprobatur ex eo, quod prædicti Cardinales d. liquorem tamquam miraculosum venerati fuerunt, et de mandato summi Pontificis interdixerunt, nequis ex illo in posterum desumeret absque speciali licentia ipsorum aut Sanctitatis suæ: quod in posterum observatum fuit; quia per successivum tractum temporis pluries fuit ab urna extractus liquor miraculosus, et fidelibus distributus, semper de mandato Sanctitatis suæ et cum assistentia alterius ex prædictis Cardinalibus, seu aliorum Prælatorum ad hunc effectum specialiter deputatorum: quod est signum manifestum, prædictum liquorem judicatum fuisse a Sede Apostolica tamquam miraculosum, ut fieri solet in hujusmodi liquoribus emanantibus e corporibus Beatorum vel Sanctorum, quorum plura exempla habemus.

ideo miraculosum censuit sedes Apostolica:

nec fraus præsumi potest in tali facto

71 Denique artificiosa immissio liquoris saperet et dolum et fraudem, quæ præsumi non debet in Re- C ligiosis, præsertim in istis adeo reformatis et exemplaribus in Ecclesia Dei, exclusa præsertim quavis præsumptione turpis lucri; cum eorum paupertas sit satis nota, ex regula, quod cessante commodo cessat etiam quælibet præsumptio fraudis et doli. Quod præsertim locum habet in causis Canonizationum, quia illa quæ ad Canonizationem requiruntur, regulariter nonnisi inter Catholicos, eosdemque magis devotos ac Dei timorosos eveniunt: unde fit verisimile, quod noluerint peccare in eo, quod principaliter profitentur. Concludendum igitur est citra dubium, prædictum liquorem miraculose emanasse e corpore Beati, divina operante virtute, nunc in majori, nunc in minori quantitate, juxta operantis Dei beneplacitum.

APPENDIX

De origine Fratrum Cappucinorum S. Francisci, ex Italico Fr. Joannis de Terranova.

§ 1. *Fratrum Matthæi, Ludovici et Raphaelis vocatio et secessio ab Ordine probata Clementi VII: aliorum ad illos accessio.*

Anno MDXXV mense Januario dedit Christus principium huic reformationi Regulæ Seraphicæ S. Francisci, quæ dicitur Congregatio Cappucinorum: cujus D primum principium fuit hujusmodi. In Marchia Anconitana, circa montes quæ a Sibilla nomen habent, castrum est sub dominio Firmanæ civitatis, quod Mons Falconis dicitur, ubi Patres de Familia Fratrum Zoccolantium monasterium habent, in eoque tunc morabatur P. Fr. Matthæus de Bascio, annorum circiter triginta, vitæ laudabilis et exemplaris. Hic cum die quodam, cum aliis ipsius monasterii Patribus iret ad officium funebre cujusdam haud procul inde defuncti, ultimusque eorum in reditu esset, aliquantum remotius sequebatur. Incidit autem in mendicum, humi jacentem ac toto fere corpore nudum, et frigore enectum propemodum: cum esset is mensis Januarius, et regio frigidior natura sua sit, frigus autem intendebat nix quæ ceciderat, et erat dies jejunii. Iste a P.Fr. Matthæo eleemosynæ nomine aliquid panni petiit: qui, ut erat natura sua misericors, donavit illi duos pannos, quos dissutos gerebat sub habitu, largos et longos; viamque suam celeriter prosequenti disparuit ex oculis mendicus iste. Legimus similiter de S. Francisco, quod Seraphica ejus vita principium quoque habuerit tale, cum Christus in pauperis nobilis forma ipsi apparuit, E male vestitus; cui is vestes suas novas donavit. Adeo ut prædicto miraculo videatur demonstrasse Christus, quod pauperem S. Francisci vestitum, et formam cappucii tanto tempore abolitam, volebat renovari.

An. 1525 Fr. Matthæus,

pannos suos pauperi apparenti largitus,

2 Remansit P. Fr. Matthæus ejusmodi visione attonitus; et admiratione ac spirituali consolatione plenus, cœpit cogitare quomodo quam pauperrime vestiretur: cum ejus in pectore memoriaque continuo versaretur pauper ille, qui sibi Christum benedictum repræsentaverat. Supplicabat autem indesinenter Domino, ut suam sibi voluntatem panderet. Quadam ergo die oranti inspiratum divinitus fuit, ut inciperet gestare ipsam formam habitus quem gestavit S. Franciscus Patriarcha; et quantum possibile sibi esset conaretur tenere vitam illam, quam Religio tenuit primis annis S. Francisci et sociorum ejus. Tunc vero enixius etiam cœpit se commendare Deo: atque post longas orationes devotionesque, inter precandum audivit vocem, ter sibi dicentem, Observa Regulam secundum litteram: quod idem audiverat S. Franciscus ab ipso Christo quando ei dedit Regulam Seraphicam; ut certi esse possimus, quod idem Christus qui S. Franciscum illuminavit ad Regulam componendam, inspirabat Fr. Matthæo F ad ordinandam reformationem. In hunc modum de divina voluntate certior redditus, sumpsit tunicam quam potuit in monasterio reperire vilissimam, et ex scapulari cappucium formans ut melius poterat, abiit Romam ad petendam benedictionem Sanctitatis suæ, licentiamque gestandi ejusmodi habitum atque in summa paupertate vivendi, juxta mentem Christi et S. Francisci. Quamvis autem a Fratribus fuerit retractus de via positusque in carcere, ac mille modis rationibusque postulatus, ut a cœpto tam honorabili et necessario desisteret; armatus nihilominus patientia, et nixus pollicitatione Domini dicentis, *Cum ipso sum in tribulatione, eripiam eum et glorificabo eum*, evasit de carcere, et iter suum Romam prosecutus est.

accenditur amore paupertatis,

et Regulæ ad litteram servandæ:

sumptoque cappucio Romam abit:

3 In urbem appulsus, nihil prius habuit quam visitare ecclesiam S. Apostoli Petri; gradusque ascendens occurrit Nobili, numquam sibi visio nec ante nec postea, qui dixit: Visne, Pater, loqui Papæ? Respondit Fr. Matthæus, velle. Tum alter, ire eum jussit, sequenti die ad horam Tertiæ curaturum se ut loqueretur cum sua Beatitudine. Mane facto, et hora Tertiæ jam currente, scalas Palatii Papalis ascendit

ubi miraculose inductus ad Papam

A ascendit Matthæus; cupiens invenire Nobilem illum, qui promiserat se illum introducturum; atque hac fiducia porro pergens, transivit custodias, cameras ac portas omnes : et nemine viso, nemine ducente, nemine quidquam sibi loquente, se reperit miraculose (ut fas est credere) coram Pontifice, qui tunc erat felicis recordationis Clemens septimus. Ibi se conspiciens ex improviso, sine ductu humano, sine impedimento ullo; flexit se in genua, et pedes Sanctissimi deosculatus, desiderium ei suum exposuit. Pontifex autem, non solum nomine, sed et animo Clementem se exhibens, nihil omnino contradixit; sed prompto animo annuit quidquid petierat Fr. Matthæus, videlicet ut in eo habitu posset circuire concionabundus, replicante sæpius hæc verba Pontifice, Intendimus plane ut Regulâ observetur secundum litteram, sicut a Christo data est S. Francisco. Adjecit autem rediret die sequenti, quando mandaturus esset expediendum ei Breve, vi cujus facere posset quidquid ei Sanctitas sua concesserat, absque alicujus oppositione. Plane sicut novimus egisse S. Franciscum, quando voluit dare principium Evangelicæ vitæ, sibi a Christo in Regula revelatæ. Tunc siquidem Innocentius Papa tertius, postquam B in visione conspexit S. Franciscum, in modum pulcherrimæ palmæ suo in fundo nasci, et paulatim exurgere in maximam proceritatem; ac deinde palatium. S. Joannis Lateranensis sustentari humeris cujusdam pauperculi, qualem præcedenti die S. Franciscum conspexerat; fecit illum per urbem requiri, et coram se adducto indulsit quidquid postulabat, ac plura largiri imposterum promisit.

A. UNO EX PRIMIS.

impetrat licentiam sic vivendi et prædicandi,

4 Voti sui compos factus Fr. Matthæus, animoque exhilaratus et Spiritu sancto repletus, totam eam diem noctemque sequentem in ecclesia S. Petri reclusus, orando traduxit, gratias Deo agens de tanto favore sibi concesso. Cumque eadem nocte in camerula quadam vellet aliquantum dormire, post brevem ibi moram, audivit vocem dicentem sibi, Contentus esto benedictione Papali, et incipe prædicare : quod fecit in habitu suo cappuciato et nudipes, atque manu Crucem prætendens, solus omnino per menses sex, sed magno cum fructu animarum, per Marchiæ regionem. Audiebat prædicationes ejus Fr. Marius Mercati, tunc puer; qui postea Cappucinus vixit sancte, et Congregationem hanc Cappucinorum sex annis optime rexit : hic per epistolam scriptam P. Fr. Honorio de Monte-janaro testificatus deinde est, prædicta omnia, de dictæ reformationis principio, ex C ore proprio Matthæi audivisse.

itaque mensibus 6 circumit.

5 Mense Augusto ejusdem anni, volens ostendere Deus quod hoc opus suum donum erat, juxit Fr. Matthæo duos socios in hunc modum. Nocte secunda mensis Augusti, quam sequebatur festum S. Mariæ Angelorum, senex quidam Pater ex Observantibus, Fr. Franciscus de Catorceto dictus, qui ad S. Jacobum prope Matalicam morabatur, vir vita sanctus, visu corporali destitutus, sed mente illuminatissimus, una cum discipulo Fr. Pacifico de licentia Superiorum vitam solitariam ducens, visus est videre sibi juvenem, in habitu vili ac grosso, cappuciatum et nudipedem, cum Cruce in manu; agnovitque hunc habitum esse S. Francisci. In se autem reversus, vocatum ad se socium interrogavit, quæ dies illa esset. Illo asserente, diem Portiunculæ esse, Portiunculæ? inquit senex. Et addidit : Scito, fili, hodie prodiisse veram formam Religionis Franciscanæ. Paulo post, ipsis adhuc sermonem continuantibus, audiunt pulsari ad portam monasterii sui; cumque oriretur dies, processit Fr. Pacificus videre quis pulsaret; viditque coram se P. Fr. Matthæum, ita plane vestitum, sicuti per visum fuerat seni ostensum. Aperta ergo porta cum festinatione accurrit ad magistrum dicens : Ecce, Pater, illum ipsum D Fratrem, quem paulo ante conspexisse te in visione narrasti. Ingressus autem cellam P. Fr. Matthæus, senem complexus est, tanta cum utriusque lætitia ut nequeat explicari, cum oculi cæci istius sancti senis solverentur in lacrymas, et lingua in gratiarum actionem erga Christum, qui sibi vitam ad hoc servasset; nec poterat satiari contrectando manibus Seraphicum habitum : ac sine mora cappucium quoque sibi scindi fecit, quod postquam capiti semel imposuit, nemo deinceps valuit ei auferre; sed cum eodem sepeliri voluit, non multo post animam transmittens ad cœlum. Poster autem, cum datum esset, Congregationi initium, etiam Clericus ille Tertiarius, dictus Fr. Pacificus de Sano, Cappucinus factus, magna cum virtute vixit; ex eoque prædicta etiam omnia didicit præmemoratus R. P. Fr. Hilarius, factus deinde dignissimus Vicarius Generalis, aliique multi Patres Cappucini.

Cæco Eremitæ per visum ostensus

confirmatur in proposito :

6 Digressus a sancto sene Fr. Matthæus quaquaversum ibat prædicabundus, et multorum animas in viam Dei reducebat : nec minus auxilium ferebat corporibus, potissimum tempore pestilentiæ et famis, quæ anno isto MDXXV asperrima fuit. In hoc autem secutus est exemplum. S. Francisci, qui ministravit leprosis : et S. Bernardini, qui in Hospitali E Senensi S. Mariæ de Scala, tempore similis pestilentiæ, diligenter infectis deservivit. Zelo eodem animarum postea ductus interfuit etiam bello, quod in Germania contra infideles et hæreticos, præsertim Landgravium *, gestum est : ubi licet animose se exponeret sclopis armisque hostilibus, ut animos faceret militibus Christianis prægrediendo, numquam tamen offensus vel in minimo fuit.

et servit peste infectis.

* an 1547

7 Eodem tempore quo Fr. Matthæus incipiebat prædicare, anno MDXXVI P. Fr. Ludovicus de Foro-Sempronii, simul cum suo germano Fr. Raphaele, ambo fratres de Tinnulis, cupientes vivere reformate, neque id per Ministrum suum, qui tunc erat Fr. Joannes, facere permissi, voluerunt se jungere Fr. Matthæo : sed ille renuit eos suscipere, excusans quod a Pontifice non petiisset facultatem alios recipiendi ad habitum vel Congregationem instituendi, Quod intellecto Fr. Ludovicus ejusque germanus per seipsos habitum cappuciatum assumpsere; et mediante ac favente D. Joanne-Maria Varrano Camerini Duce, et uxore D. Catharina Cibo, iverunt Romam ad pedes supradicti summi Pontificis; idemque quod Fr. Matthæus postularunt; ut scilicet possent por- F tare istum habitum, et vitam professioni suæ conformem ducere; alios etiam qui vellent suscipere ad ejusdem habitus communionem. Omnia eis benigne concessit Pontifex, divinitus motus atque inspiratus, anno MDXXVI, Pontificatus sui III, die XVIII Maji. Eodem tempore venerandus quidam et eruditus Prædicator ac vita sanctus, observadæ Regulæ etiam ipse cupidus, dictus Fr. Paulus de Chiorra, eorum quæ Fr. Ludovicus fecerat inscius, habitum quoque eumdem assumpsit, quo indutum viderat Fr. Matthæum, in eoque Romam se contulit. Ubi ex Dei dispositione obviam Papæ factus, tum forte extra palatium iter agenti, ad ejus lecticam genuflexit, eamdemque petiit facultatem. Cui Sanctitas sua gratiose respondit, quod eam ipsi concedebat; subjungens necesse non esse, ut alius quispiam pro tali facultate veniret ad se, quandoquidem jam expeditum erat Breve, et potestas facta volentibus se adjungere iis qui nuper ad se venerant. Hoc ergo intellecto Fr. Paulus in Marchiam rediit, unde erat, seque univit Fratribus Matthæo, Ludovico ac Raphaeli; et hoc fuit principium novi conventus Cappucinorum. Paulo post ad eumdem habitum accessit Fr. Joseph de Colle amato, castello territorii Cabrianensis; ex cujus ore Fr. Marius

An. 1526 alii duo, ab illo non recepti,

eamdem licentiam a Papa impetrant,

et conventum Camerini ordiuntur.

A Marius prænominatus didicit supra scripta, sicut refert in epistola scripta P. Fr. Honorio.

Matthæus renuntiat Præfecturæ

8 Quatuor istis proxime accesserunt Fr. Angelus Innodatus, et alius Fr. Matthæus de Sanlio prædicator: accessit etiam Fr. Bernardinus de Offida, vir sanctus atque miraculis illustris in vita: et intra paucos dies, collecti fuerunt ad duodecim Fratres, qui fecerunt Capitulum Generale, in quo Fr. Matthæus de Basci electus fuit: sed solum diebus decem permansit in officio: ut enim expeditus esset ad prædicandum, renuntiavit Generalatui; maxime quia oportebat attendere insidiis quas adversarii præparabant. Ergo in manus Fr. Ludovici Forosemproniensis, quem ei S. Franciscus ad hoc veluti ex composito submiserat, tamquam muneri tali aptissimum, sigillum ac Breve Pontificium tradidit: et hic munus istud gessit usque ad undecimum generale Capitulum *, quo fuit electus P. Fr. Bernardinus Astensis. Liber ab isto onere P. Fr. Matthæus Dei verbo prædicando totum se applicuit: prædicationes autem ejus in his similibusque verbis consistebant. Ad infernum usurarii, Ad infernum concubinarii, et sic de reliquis vitiis: tantaque erat libertas dicentis, ut nulli personæ parcens, sæpe a minus consideratis contemptui habitus propterea fuerit. Volens autem Deus ostendere quam accepta sibi ejus vita fuerit, non solum eo vivente mirabilia multa per eumdem fecit, sed etiam post mortem: sicuti habetur ex relatione plurium, qui tempore mortis ejus præsentes fuerunt Venetiis, quando obiit; et ad monasterium Zoccolantium delatus fuit tumulandus. Porro Clemens Papa VII, Viterbii existens anno MDXXVIII, præter Breve ante dictum, amplissimam ei Bullam concessit, qua ei facultatem fecit gestandi sæpedictum cappucium.

** an. 1535*

et ferventer prædicans,

B

confirmationem impetrat anno 1528:

an. 1532 plures ex Calabria Camerinum accedunt,

9 Anno MDXXXII, volens Deus augere pusillum istum Seraphicum gregem inspiravit R. P. Fr. Ludovico de Regio in Calabria, vitæ sanctæ viro et celebris doctrinæ ac famoso prædicatori, nec non P. Fr. Bernardino ejusdem civitatis cognomento Georgio, ut sub ejusdem habitus forma accederent ad paucos illos Cappucinos qui Camerini morabantur, primo reformationis nostræ loco, fundato ab Illustriss. D. Catharina Cibo prænominata. Quod eorum sanctum propositum, cum venisset ad aures multorum aliorum Patrum, proposuerunt etiam ipsi eos imitari; interque hos fuerunt R. P. Fr. Franciscus de Regio appellatus Palemon, vir suavissime contemplationis et utilissimus atque famosus prædicator; Fr. Bernardinus Bisignanus, æque prædicator et vitæ exemplaris; Fr. Michael de Castro-villari, Sacerdos sanctæ vitæ; P. Fr. Joannes Candela Regiensis, Laicus vigilantissimus; aliique plures, atque ego Joannes de Terranova, qui commorabar sub disciplina P. Fr. Ledovici cum aliquibus aliis reformatis in loco S. Philippi, dicto Quinque-frodium: ibidemque in quadam secreta cella imposuerunt sibi cappucium, secundum formam S. Antonii Romæ, allatam a P. Fr. Bernardino Georgio. Omnes autem scientes obligationem nostræ salutis curandæ, et quod non potueramus a Capitulo generali tunc Messanæ celebrato obtinere licentiam vivendi inter Patres Zoccolantes, secundum puritatem Regulæ quam eramus professi; petiimus in scriptis licentiam observandi nostram professionem cum habitu Cappucinorum, sub nostro proprio Generali, qui tunc erat Fr. Ludovicus Forosemproniensis; non quia illam licentiam sperabamus obtinere, sed ad servandum legem Canonicam in Fr. de Regul.

C

ipseque auctor et alii Cappucium sumunt.

D

§. 2 Reformatio in Calabria constituta, inter persecutiones servata, et tandem a Clemente VII confirmata.

Eo tempore Generalis Zoccolantium, digressus Messana, celebrabat Capitulum Provinciale in Calabria, loco Scilliani: qui lecta ejusmodi supplicatione, mandavit ut introducerentur latores, male excipiendi. Sed illi quorum unus erat prædictus Fr. Angelus, sibi præcaventes, cito discesserant. Et quia omnes debebant se recipere ad castrum Filogasium, sub protectione Illustriss. D. Ducis Nucerini, qui tunc erat D. Ferdinandus filius D. Tiberii; mater ejus D. Leonora Collet de Bavaria, filia Marchionis de Arena, non solum illustrissima sanguine, sed etiam vita celebratissima, misit epistolam monitoriam ad P. Fr. Bernardinum Georgium hujus tenoris: Venerande Pater in Domino. Illustrissimus Dominus Dux obtulit omne auxilium et favorem, et cum D. Sigismundo hoc mane discessit Cozentiam, ad præsentandum Breve ejusque executionem impetrandam a Vice-Rege Provinciæ. Ut autem executio fiat ab ipso Vice-Rege et obtineantur litteræ in Senatu et Romæ, scripsi Fr. Cataldo Palemoni et Fr. Hieronymo de Piniano sociisque. Omni modo bene speramus, quia negotium favorabile est, *nec deerit Deus quærentibus pietatem.* Necesse est autem ut illico veniatis Filogasium, tam ut possitis cito tractare et expedire facienda *ad præveniendum obsidentes,* quam ut evitentur insidiæ atque pericula emersura, si non adessemus in loco, præfixo tempore. Quando autem venies cum iis qui apud te sunt Fratribus, mitte duos Seminariam, qui auxilio sint Fr. Bonaventuræ Regiensi; et duos alios Oppidum, qui assumant Fr. Joannem de Terranova. Cura etiam ut ex Quinquefrondibus accersantur Fratres, *et omnia prudenter dispone et celeriter:* quia epistola pro licentia petenda tradetur Dominica die sub vesperam; et erit fortassis *qui disponeret aciem in vos; ideo consultum mihi videtur si conveniatis omnes in S. Martinum, deinde Coretum, tandem Filogasium. Aliud non occurrit: vale in Domino, et ora ut ejus consilio nos dirigat probe. In vigilia Pentecostes.* In S. Martino interrogabitis Fr. Ciccum Pacialem, *apud quem hospitium.* Subscriptum erat, *Tuus Fr. Ludovicus de Regio:* suprascriptum *Venerando in Christo P. Fr. Bernardino de Regio, Ordinis Minorum observatori et præconi divini verbi celeberrimo. In Annuntiata Regii.*

Favente Duce Nucerino,

E

Filogasium convenire jussi Capucini,

F

11 Eodem anno MDXXXII circa XXVIII Maji, congregata major pars prædictorum Fratrum Filogasii in monasterio Patrum S. Dominici, processit ad electionem Provincialis; electusque est Rev. P. Fr. Ludovicus de Regio; fuitque reformatum Cappucium, convertendo scapulare acuminatum in caput, secundum reformationem cappucii S. Antonii de Padua, cujus formam, uti dictum est Roma attulerat Fr. Bernardinus de Regio: idque non sine dispensatione divina, ut reverteretur cappucium ad locum digniorem, unde ipsum contemptim abjecerant primi relaxatores post humeros. Ideoque anno isto nos prædicti Fratres portavimus habitum Zoccolantium, reformato solum cappucio, propter impossibilitatem habendi pannos viles, quales nunc gestamus. Eodem anno XXXIII, mense Augusti, adveniens Romam Generalis Patrum Zoccolantium, cognomento Pissotta, tam malam relationem fecit ipsimet summo Pontifici Clementi VII, anno sui Pontificatus penultimo (nam post annum et menses aliquot ab hac vita * transivit) ut obtinuerit contra nos in Calabria acerrimum Breve, quo excommunicabamur et nos et omnes qui nobis favorem, refugium

adsunt 28 Maji, et creant sibi Provincialem,

contra quos Minister Gen. breve impetrat,

** an. 1534 25 Sept.*

A fugium aut alloquium præstabant: et ejusmodi Breve allatum in Calabriam est a Fratribus Zoccolantibus circa ultimum Septembris.

A. UNO EX PRIMIS.

et mittit qui eos, in S. Eliæ de Galatro

12 Frater ergo Ludovicus Vicarius noster, intelligens allatum esse hujusmodi Breve, usus prudentia sua, fecit colligi dispersos Fratres, atque ex insuetudine ærumnarum infirmatos, in duas classes; quarum una subsisteret in silva quadam eremitica S. Eliæ de Galatro. Hic locus antiquitus fuerat monachorum S. Basilii; multis autem annis ante originem Cappucinorum, præmonstratum fuit a sene quodam Galatrano, patre cujusdam juvenis qui postea factus Cappucinus dictus est Fr. Antonius de Castello vetere, quod istuc venire debebant Fratres Cappuccini: unde etiam prædictus senex, qui dicebatur Joannes de Galatro, testatus est pluribus personis et pluribus vicibus, quod in loco ubi solebat arare et seminare apparuerit juvenis in habitu Cappucini dicens, Non transibit multum temporis, quando hic locus erit hospitium Fratrum, vestitorum uti ego, et subito disparuit: prædictio autem effectum suum tunc est sortita. Hic ergo, uti dixi erat una classis, videlicet Fr. Franciscus Palemon, et Fr. Franciscus de Piniano cum aliis Fratribus; B altera classis erat Filogasii in palatio Illustriss. D. Ducis, ubi erant P. Fr. Bernardinus de Bisiniano, P. Fr. Michael de Castrovillari, et ego cum aliis multis. Tunc Pater Minister Provincialis Observantium, intelligens Cappucinos esse in prædictis duobus locis, misit duas turmas robustorum Fratrum *cum fustibus* in locum utrumque, ad capiendos, extrahendos et male tractandos nos, cum provisione invocandi contra nos brachium seculare.

et Filogasii manentes, comprehendant:

13 Sed quia Dei opus debebat procedere, fraudati fuerunt a consilio suo: illi enim Fratres Zoccolantes, qui ibant ut comprehenderent pauperculos Christi in eremitorio S. Eliæ, fuerunt a persona ignota abducti a via per quosdam tramites istorum montium; quos relegentes ut regrederentur in viam, tamdiu morati sunt, ut de eorum adventu moniti Cappucini potuerint se in silvis istis abscondere: quo viso quidam juvenis novitius, quem auxilii causa secum duxerant, compunctus et illuminatus, ab ipsis abiit, factusque Cappucinus dictus est Fr. Petrus de Seminara. Altera turma quæ Filogasium tendebat, eodem modo a Spiritu sancto delusa confusaque fuit: ingredientibus cum illis in districtum Filogasii nos eramus in palatio Ducis. Quia tamen intellexerant P. Fr. Ludovicum cum socio suo re- C mansisse in ecclesia, quæ est extra muros Paniciæ, nomine S. Antonii, ubi hospitium habeamus usque dum Dux novum nobis locum ædificasset, illuc versus iter intenderunt. Sed puer quidam, diu ante instinctus a Deo, sæpe clamaverat, Fugite Cappucini, veniunt enim Zoccolantes ut vos comprehendant. Qua voce admoniti Fr. Ludovicus et socius, qui intro erant orationi vacantes, ingressi sunt in vicinam silvulam festinatione tanta (credebant enim Fratres illos suis calcibus imminere) ut fossam quamdam transiliens Ludovicus in terram ceciderit; unde relevatus a S. Francisco, in forma Cappucini sibi visibiliter apparente, animatus fuit ad prosequendum viriliter cœpta, cum oblatione auxilii sui. Ingressus autem profundius in silvam, ibi se ad orationem composuit, divinamque opem ferventer imploravit. Quare neque hi qui venerunt in locum S. Antonii, neque isti qui ad locum S. Eliæ iverant, viderunt Cappucinos; sed panem dumtaxat modicum et aquæ recentis haustum, quos ibi ex caritate Cappucini dimiserant, ut fessi a via Zoccolantes haberent quo reficerentur.

sed utrobique suo intento frustrati Zoccolantes,

etiam Fr. Ludovico ab eorum manibus mirabiliter elapso,

14 Dum autem Fr. Ludovicus cum socio esset in silva prædicta, et nos in camera Ducalis palatii, venerunt prædicti Patres Zoccolantes in palatium: D et loquentes Domino Duci querebantur de sua Dominatione Illustrissima, dicebantque quod non deberet favorem atque protectionem suam impendere nobis, quos pleno ore vocabant apostatas et excommunicatos; rogantes Dominationem suam Illustrissimam ut dignaretur nos tradere in manus eorum juxta mandatum suæ Sanctitatis; alioqui minabantur, quod declaraturi essent excommunicatos omnes ejus subditos, qui nobiscum conversarentur aut eleemosynis vel favore juvarent. Tunc eis in hæc verba Dux respondit: Per vitam D. Tiberii unigeniti (qui tunc ætate adhuc tenet, sed morum maturitate prægrediebatur annos, nunc dignissimus Prælatus et Episcopus Potentiæ est) celeriter proficisci faciam eum, qui talem excommunicationem præsumpserit intimare. Interrogabat autem, quare niterentur impedire eos, qui desiderant facere pœnitentiam et suam Regulam observare. Deinde obtulit quod coram ipsis in palatio sisteret P. Fr. Ludovicum et P. Fr. Bernardinum Georgium, discessus sui causam reddituros; modo illi pollicerentur quod non essent intimaturi excommunicationem, sed solum E rationibus convicturi deliquisse eos sic recedendo; addens etiam, si efficacibus rationibus probavissent eos ad reditum obligari, daturum se operam ut ad illos redirent; sin autem P. Fr. Ludovicus cum P. Fr. Bernardino causas justas redderent secessus sui, abirent in pace.

expostulant cum Duce Cappucinos protegente:

hi coram ipso et adversariis,

15 Conditioni propositæ assensere Zoccolantes, et missi sunt qui P. Fr. Ludovicum in silva orantem accerserent: accersitusque est etiam P. Fr. Bernardinus Georgius, qui mecum et cum aliis prædictis erat in camera, immediate subjecta illi ubi talia dicebantur: simulque adducti sumus in præsentiam Ducis. Tum Patres Zoccolantes cœperunt reprehendere P. Fr. Ludovicum et P. Fr. Bernardinum, dicentes, quod ab iis recesserant absque causa. Sed illi reponderunt se id fecisse, urgentissimis causis stimulantibus, ad servandam Regulam S. Francisci in sua puritate, quomodo inter ipsos eam servare non poterant. Ac primo quantum ad puritatem ac præceptum Regulæ dicentis, *Fratres nihil sibi approprient nec domum nec aliquam rem*, id est, nec in communi nec in particulari. Et ideo Papa Clemens declarat, non licere Fratres convenire personam ullam secularem in judicio ob qualemcumque causam temporalem: et privilegia, quibus hoc præceptum relaxatur, fuerunt contra vo- F luntatem S. Francisci. Quapropter habere reditus cappellarum, jura sepulturarum, assecurationes locorum quod Domini ea numquam sint ablaturi, obligationes Communitatum de annua pensione in victum et vestitum Fratrum, omnia sunt contra puritatem Regulæ. Secundo quoad modum vestiendi, obligantur Fratres Minores hoc præcepto, *Fratres omnes vilibus vestimentis induantur*; et ideo Fratres qui non vestiuntur vilibus pannis suæ patriæ, non bene observant tale præceptum, sicut declarat Papa Clemens. Tertio quantum ad præceptum, *Nullo modo denarios vel pecuniam recipiant*: quod solvendo dicit Clemens Quintus, non obligare Regulam iis in partibus et locis, ubi collectæ pecuniariæ fiunt: vos autem indifferenter pecunias æque ac alias oblationes accipitis. Quarto, quantum ad præceptum, *Vadant pro eleemosyna confidenter*, dicit Papa Clemens Quintus, non esse verosimile quod S. Franciscus, immo Christus, velit Fratres habere granaria et cellaria, ubi possunt continuo sperare eleemosynas. Harum universalium transgressionum expositione, non descendendo ad nimis particularia, adeo in sua conscientia confusi fuerunt Fr. Zoccolantes, ut discesserint absque intimatione excommunicationis.

rationem pro se reddunt,

et ostendunt Regulam apud ipsos minus integre observari,

A

interim 15 ex iis redeunt ad Zoccolantes,

16 Quia autem post tenebras lux, et post tempestatem serenitas sequitur; non multi effluxere dies, quando sua Sanctitas, bene informata de statu P. Fr. Ludovici et P. Fr. Bernardini Georgii ac sociorum, revocavit Breve contrarium nobis, nostroque sancto proposito favorabiliter benedixit. Interim tamen omnes illi qui non erant solide fundati in zelo Regulæ observandæ, tamquam furfures illa tentatione cribrati exciderunt foras, et recedentes a nobis redierunt ad Patres Zoccolantes: atque ita qui antea eramus triginta, vix quindecim perseveravimus. Quamvis autem tentatio jam dictæ excommunicationis transiisset, multiplicabantur nihilominus persecutiones et calumniæ, ad extirpandam teneram adhuc Christi plantam, undique suscitatæ ab ambulantibus carnaliter: sed Dei Majestas ex altera parte non cessabat ei divinis auxiliis et humanis favoribus opem ferre. Etenim in Marchia inspiravit Illustrissimæ D. Catharinæ Cibo Ducissæ Camerinensi, et Romæ Illustrissimæ D. Victoriæ Columnæ Marchionissæ Piscariensi, quæ continuo aderant Papæ Clementi, ut vehementi accenderentur amore, ad novellos et pauperes equites renovatæ Religionis

aliis in cœptis persistunt favore duarum Principum feminarum,

B

Franciscanæ omni favore et gratia prosequendos: quod perseveranter fecerunt tamquam duæ matres, fautrices et advocatæ apud suam Sanctitatem. In Calabria autem illuminavit Illustriss. D. Ferdinandum, tunc Ducem Noceriensem ejusque Illustrissimam consortem D. Lionoram Coblet, ut resolverent oratorem suum habere in Urbe, ad nobis patrocinandum, sicut et fecerunt: nam Illustrissima Dominatio sua continuo Romam misit Abbatem, qui semper adesset Sanctitati suæ, donec benedictionem obtineret. Isti autem Illustrissimi Domini primi fuerunt, qui pauperes Cappucinos apud se collegerunt, eisque domos et loca curarunt: quia priusquam Illustrissima Domina Ducissa Camerinensis faceret nobis locum Camerini, nunc huc, nunc illuc, per silvas et montes locaque solitaria, tamquam oves errantes vagabantur primi Cappucini, propter persecutiones; sicuti et nos in Calabria, ubi ego in meo tuguriolo diu noctuque sæpe associabar serpentibus.

et Ducis Nucerini, apud Pontificem intercedentium.

An. 1533 accedunt alii, in quibus post annos 8 factus Apostata Ochinus

17 Anno MDXXXIII facti sunt Cappucini P. Fr. Bernardinus Astensis, prædicator litteratus, P. Fr. Eusebius de Ancona, et multi alii litterati ac prædicatores. Hoc ipso anno venit infortunatus Fr. Bernardinus Senensis, qui solum octo annis apud nos mansit; aliique plures, quos brevitatis causa prætermitto nominare. Anno MDXXXVI, celebratum est secundum Capitulum generale Romæ in ecclesia S. Euphemiæ, quia ibi tunc morabantur Patres Cappucini: et electus fuit Vicarius Generalis Fr. Bernardinus Astensis.

§. III. *Calumniæ objectæ reformationi, tamquam non fundatæ in Regula, novæ, despicabili, inutili et indiscretæ.*

Quia aurum probatur in igne et vera virtus in tribulationibus, ideo volens Christus mundo ostendere quod novam hanc plantam Congregationis Cappucinorum ipse plantaverit, permisit ad majorem gloriam majusque meritum suorum humilium et patientium Fratrum, ut diversimode tentaretur variasque calumnias pateretur. Ac primum illi, qui solum oculos habebant apertos ad carnalia intuenda, dicebant, quod Cappucium numquam gestatum fuerit a S. Francisco, postquam fecit Regulam nec a primis ejus Fratribus. Sed hi non bene consideraverant verba Regulæ, dicentis de Novitiis, *Concedant eis pannos probationis, videlicet duas tunicas sine cappucio et cingulum, et braccas, et caparonem usque ad cingulum:* et postea agens Regula de Professis, dicit: *Et illi qui jam promiserunt obedientiam, habeant unam tunicam cum cappucio et aliam sine cappucio.* Hoc autem non potest intelligi de rotundo secundum hanc litteram, quia sic non esset forma Novitii distincta a forma Professi. Ecce apertam mentionem Cappucii; quod tamen vocari proprie potest Scapulare, quando majori sui parte incumbit humeris. Negantes autem S. Franciscum et socios ejus gestasse cappucium, ostendunt se numquam vidisse vestes S. Francisci aut S. Antonii de Padua aut aliorum sociorum, quæ adhuc in mundo servantur pro Reliquiis, præsertim habitus B. Petri qui custoditur integer in monasterio Patrum Conventualium Castrivillaris; et ille ipse quem indutus erat S. Franciscus quando accepit stigmata, quique Florentiæ asservatur.

Formæ cappucii obtrectantibus respondetur ex Regula,

C

A. UNORE PRIMIS vestibus,

19 Sunt præterea antiquæ picturæ S. Francisci et Fratrum suorum, tam Assisii quam in abside S. Joannis Lateranensis: et Romæ in S. Mariæ Majoris, expensis Nicolai IV, opere musaico expressi sunt S. Franciscus et S. Antonius de Padua in proprio habitu Cappucinorum cum cappucio acuto: nec non aliis multis locis, atque etiam in hisce partibus Calabriæ Nicoleræ in monasterio Patrum Conventualium. Credo autem fuisse communem usum primorum Religiosorum gestare acutum cappucium, quemadmodum ex parte adhuc videtur in Fratribus S. Benedicti et Carthusianis. Negantes autem cappucium repugnant ipsi sensui visus: ipsum enim scapulare quod sic acuminatum retro portant, denotat se fuisse primo cappucium. Et quia Fr. Joannes de Capella, malus socius S. Francisci, primus illud ex contemptu decussit post tergum, ibatque cum birreto in capite, ideo permisit Deus ut per gulam se suspenderet. Tempore etiam S. Ludovici, canonizati a Papa Joanne XXII anno MCCCVII, ipsi Zoccolantes Fratres gestabant cappucium, contra usum Communitatis: quamvis Papa postea ordinaverit ut omnes gestarent cappucium rotundum, id quod executioni mandatum est instante Fr. Michaele de Resana, defensore vitæ communis.

picturis antiquis,

E

ipsa forma acuti apud Zoccolantes scapularis

20 Alii calumniabantur dicentes, quod hæc novitas non debebat introduci in Religionem: Quia, in quiebant, omni loco possumus salvari si volumus. Hoc fit quia fortassis numquam legerunt Regulam et expositiones summorum Pontificum, zelumque nostrorum primorum Patrum. Etenim cum Ordo universaliter deficeret in observantia Regulæ, impetrando privilegia contra ordinem S. Francisci; S. Antonius de Padua cum aliis zelosis Fratribus, generose resistentes ruinosæ ejus temporis vitæ ac gubernationi, recurrerunt ad eum qui tunc erat Pontificem Gregorium IX. Postea facti sunt Generales Ministri, Fratres zelosi, Fr. Albertus de Pisa et Fr. Antoninus Anglicus, vivente supradicto Gregorio IX. Postea succedente Innocentio IV successit Fr. Crescentius. Et hi Fratres tenuerunt Conventus in observantia Regulæ, quando adhuc in vivis erant Fr. Leo, Fr. Angelus, Fr. Rufinus, omnes socii S. Francisci, et Fr. Joannes de Parma anno MCCXLVIII. Cumque de novo inciperent Fratres relaxari, providit Deus, ut succedente Alexandro IV eligeretur Generalis Minister S. Bonaventura anno MCCLX, qui aliquas relaxationes Regulæ reformavit, vivente tunc adhuc Fr. Ægidio, annis sex postea mortuo: et S. Bonaventura ordinavit, ut ad mensam non adhiberentur vasa vitrea aut stannea. Postea anno MCCLXXIX Fr. Bonagratia, factus Minister generalis, sub pœna excommunicationis ordinavit, ut in festo Portiunculæ non fieret ulla ratione oblatio pecuniaria vel reciperetur.

Dicentibus nil invocari debuisse, opponuntur exempla reformationum plurium,

successive factarum in Ordine seculo 13

21 Postea anno MCCCIV, tempore Benedicti XI, cum communitas Ordinis esset relaxatissima in ædificiis,

et anno 1304,

[illegible]

ficiis, in vestibus, in longis provisionibus frumenti et vini, in eleemosynis actualibus et perpetuis, P. Fr. Joannes Gundisalvus simul cum P. Fr. Huberto de Casali, et aliis multis zelosis Fratribus recurrit ad Sedem Apostolicam et Concilium Viennense : quod ultima Sessione declaravit, modum istum vivendi illicitum esse Fratribus; et secundum declarationem Clementis V remittitur judicio Prælatorum moderatio vilitatis et repositionis. Qua determinatione intellecta prædictus Gundisalvus Ordinem visitans subvertebat ædificia sumptuosa, spoliabat Fratres curiosis et superfluis vestimentis, restituebat dominis annuales et perpetuos census, et in omnibus reformabat tam Communitatem quam Fratres singulos in particulari. Quamvis autem propter istum sanctum zelum multas persecutiones passus sit a Fratribus relaxatis, in morte tamen apparuit gloriosus.

an. 1313,

Anno MCCCXIII mortuo Clemente V, sub Generalatu Alexandri ab Alexandria, Communitati indulgentis in Provincia seu Custodia Narbonensi, quia Fratres possidebant granaria, cellaria, equos et reditus; quidam perfecti zelatores Regulæ, expoliantis ipsos curiosis vestibus communitatis habitumque asperum ex vili panno induentis, Custodes et Guardianos transgressores armata manu abdicarunt : quibus alii multi zelosi istius et alterius Provinciæ se adjunxerunt, nihil facientes labores corporales, modo viverent securi in conscientia.

22 Tempore Joannis XXII multi sanguinem fuderunt, propter zelum et defensionem puritatis regularis persecutionem sustinentes. Et tunc Guilielmus Farinorius, factus Minister Generalis anno MCCCXLVIII, tempore Clementis VI reformavit modum vivendi Conventualem, faciens observari Constitutiones S. Bonaventuræ, quæ postea nuncupatæ sunt Constitutiones Guilelmi Farinorii. Anno MCCCLII Pamburcius ex Provincia S. Antonii et civitate Fulginii, zelator puræ observantiæ regularis, cum aliquibus aliis Fratribus supplicavit eidem Clementi, ut concederet sibi aliqua loca Ordinis, in quibus possent observare Regulam secundum litteram, in ea puritate in qua data est S. Francisco; utque in singulis locis possint habitare duodecim Fratres, venientes ex Ordine et seculo, quos nullus posset impedire. Itaque subito fecerunt vestes breves ac pauperes, deformes vestitui Communitatis. Ab hoc Fr. Pauluccio initium habuit reformatio Fratrum, de Observantia dictorum. A tali autem reformatione processerunt multi Fratres zelantes Regulam quasi in omnibus Provinciis, præsertim Italicis anno MCCCCXLIII, tempore S. Bernardini Senensis, mediantibus ejus fervidis prædicationibus : quapropter qui tunc erat Minister Generalis Fr. Antonius de Rusconibus, successor Gulielmi de Casali, ipsum fecit Vicarium suum, quod Papa Eugenius confirmavit.

et anno 1348.

sic anno 1352 nati Observantes,

23 Anno MCCCCXIV Observantini in Francia, Burgundia et Turonia, impediti ab observantia regulari quam cœperant, recurrerunt ad Concilium Constantiense : quod ordinavit ut Fratres de Observantia possent sibi eligere Vicarium Observantinum, qui confirmandus esset a Ministris Generali et Provinciali, ea conditione ut ipsi Ministri eos possent personaliter visitare, et si opus fuerit etiam corrigere. Tunc constitutus fuit Vicarius Generalis Observantiæ in partibus ultramontanis P. Fr. Joannes de Capistrano, homo magnæ virtutis, bonitatis et doctrinæ. Quam concessionem revocavit Martinus V anno MCCCCXXX, supponendo omnes Fratres de Observantia immediate obedientiæ Ministrorum. Anno MCCCCXLVI Eugenius Papa fecit aliam Bullam in favorem Observantiæ, subtraxitque Ministris Fratres Observantinos, concedendo ut crearentur Vicarii, qui sint loco Ministrorum, contra decretum Concilii Constantiensis : et ex illo tempore manserunt separati. Itaque ab anno MCCCLII, quando cœpit Pauluccius; usque ad MCCCCXLVI, quando facta est separatio, decurrerunt anni circiter nonaginta quatuor, quibus Observantini fuerunt sub obedientia Ministrorum Conventualium.

quibus an. 1414 datus proprius Vicarius,

et an. 1486 concessa exemptio absoluta :

24 Denique anno MDII, sub Pontificatu Alexandri VI, cum viverent Fr. Bernardinus de Monte-Feltrio et Angelus Calvasius, in Hispania in Custodia Angelorum, quia Familia non vivebat communiter in pura observantia Regulæ, nata est alia reformatio, quæ etiamnum durat. Etenim sancto zelo motus Fr. Joannes de Guadalupe, Zoccolatus istius provinciæ, ivit ad Curiam Romanam : obtinuitque privilegium recipiendi Fratres de Observantia, sic ut ipse cum Custodibus subjiceretur Ministris Generalibus, tantum ut possent vivere in simplici observatione Regulæ et secundum Evangelium. Quamvis autem Patres Zoccolantes, interventu Reginæ Elisabethæ, fecerint Breve istud a prædicto Alexandro Papa retractari, cum mandato ut redirent ad se (quemadmodum tentarunt, et forsitan sperarunt facere nobiscum) nihilominus moriente in itinere Romano Fr. Joanne prædicto, qui ad suam Sanctitatem ibat pro eadem gratia recuperanda, Fr Angelus et Fr. Petrus de Margalasco obtinuerunt a Papa Julio, ut possint recipere loca Fratresque suos : et sic manent. Ecce quomodo hæc nostra novitas non sit prima in Ordine : sed semper usurpata fuerit a Fratribus Regulam zelantibus, quando aliter non poterant quieti conscientiæ suæ consulere.

denique an. 1500 strictior Observantia in Hispania cœpit.

25 Non desunt qui dicant quod vilitas et asperitas horum pannorum dedeceat Religionem, et quod S. Franciscus ac socii ejus non induebantur panno tam vili. His possem multas rationes reponere, quandoquidem videamus, quod omnes auctores Ordinum Mendicantium amarint paupertatem etiam in vestitu, secundum exemplum Christi : Regula autem expresse dicit, *Fratres vilibus vestimentis induantur.* Hanc autem vilitatem declaravit Clemens Papa V intelligendam de panno, quo ordinarie vestiuntur pauperes ejus patriæ, ubi Fratres morantur. An non videntur tunicæ et vestes, quibus utebantur S. Franciscus, S. Antonius, sociique? Multæ earum hodieque servantur pro Reliquiis, redarguuntque eorum errorem qui nostri vestibus vilitatem contemnunt, quia est conformis vestitui nostrorum istorum sanctorum Patrum, et sic legimus fecisse omnes zelosos Fratres prædictos. Unde cum mortuo Clemente V in contemptum venisset illius præfata declaratio, et carnales Fratres nobili panno induerentur; veri zelatores moti a Spiritu sancto in corde ad observationem Regulæ, exuerunt se (inquit historia) vestibus curiosis Communitatis, tamquam profanis, indueruntque asperos et rudes pannos. Et ideo quando audiebamus nobis ad despectum dici, Vah, quia vestimini tamquam pecuarii et bubulci; compatiebamur eorum ignorantiæ, et gratias agebamus Deo, quod nos fecerit venire ad statum pauperis habitus, qualem in nostra Professione sumus polliciti.

Defenditur vilitas habitus,

26 Multi etiam damnabant nostram quotidianam mendicationem, affirmantes ad quietem spiritualem magis conducere, si colligatur vinum, oleum, frumentum, et res aliæ tempore collectionis pro toto anno vel majori ejus parte : et non considerabant, ejusmodi collectionem propriam esse divitibus, et non convenire pauperibus mendicantibus, professis altissimam paupertatem, et intentioni S. Francisci contrariare, sicut declarat Clemens Papa V. Nec unquam Religio, dum vixit in observantia, habuit granaria et cellaria; sed tunc primum quando relaxavit

mendicatio quotidiana,

A xavit Regulam, secundum privilegia impetrata: quoties autem cœpit in Ordine aliqua vera reformatio, vivebant absque ejusmodi superfluis et in longum repositis provisionibus. Præterea non animadverterunt quietem spiritus perdi per ingluviem et insatiabilitatem Fratrum qui semper circumeunt, nunc pro pane, nunc pro vino, nunc pro carne, nunc pro pecuniis: et quando vadunt importune quærentes, non solum tempore collectionis, sed omni pene die, aliquid earum rerum quas domi conditas habent domini, et quarum ipsi jam partem habuerunt dum colligerentur.

abstinentia a functionibus Pastoralibus:

27 Aperiebant etiam ora dicentes, quod ejusmodi Congregatio Cappucinorum erat inutilis Ecclesiæ, quia non audiunt Confessiones, non comitantur funera, non volunt mortuos in suis ecclesiis sepeliri: et sine dubio merito ista nobis objicerentur, si nos recusaremus in tempore necessitatis ejusmodi opera caritatis, non habentibus qui ea sibi præstarent. Sed quoniam per Dei gratiam non desunt in Ecclesia boni ac sancti Religiosi et Presbyteri, qui velint et desiderent ista bona opera facere, præter eos qui ad ista ex officio obligantur, num quid magis convenit B nos intendere altissimo statui orationis et prædicationis? Præterea cognoscunt homines, quod huic Congregationi concessa a Christo est reformatio ista, ad illustrandam paupertatem contemptam, quæ per ejusdem gratiam cœpit renovari hoc tempore in omnibus fere provinciis. Et ideo post discessum istius infelicis Bernardini Senensis, multi sublimes spiritus nos sunt hortati, ut firmiter staremus in bono principio exemploque inchoato, addentes quod mundus magis cupiat videre bona exempla, quam docta et ornata verba audire. Ideo magni Principes Dominique et Communitates invitant nos, orantque ut nobis possint dare loca, nobisque in necessitatibus corporalibus gratiose providere; ac palam dicunt, *Parvuli petierunt panem*, id est bonum exemplum, *et non erat qui frangeret eis.*

paupertas extrema.

28 Fuerunt fortassis etiam qui vitam hanc vituperantes dicebant, quod sit vita extrema, irrationabilis, et hominum quasi desperatorum, quæ diu trahi non possit. Tales vere respiciunt terram, non cœlum; secundum carnem, non secundum spiritum judicantes. Nam si nudis pedibus, absque caligis, absque calceis, absque indusiis incedentes, aliasque consuetudines et pœnitentias servantes, affligimus carnem; virtus tamen divinæ gratiæ facit jugum C Domini leve atque suave, et qui promissionibus divinis confidit potest omnia facere. Quotquot decernunt hanc vitam ducere, non respiciunt pompas et delicias carnis atque hujus fallacis seculi, sed respiciunt in faciem et carnem Christi, flagellati amore nostri: non cogitant quomodo in carne temporaliter vivant, sed sempiternum in Christo, scientes quod voluptates carnis non durant neque satiant hominem, sed deliciæ spiritus servant cor serenum et contentum. Considerantes igitur apertam sibi esse portam mundi, eo pacto ut pereant cum ipso; magis eligunt hic paucis annis vivere in Dei gratia, ut postea vivant vita sempiterna, quam hic vivere centum annis extra illam gratiam, et postea expectare mortem perpetuam. Dicere autem quod hæc vita sit irrationabilis et extrema, quid est aliud quam blasphemare vitam et evangelium Christi, arguendo eum indiscretionis? Quia Regula S. Francisci, non est aliud quam compendium sancti Evangelii: et quando ipsam illi Christus donavit, expresse addidit: *Ego scio quantum possit humana fragilitas, et quantum possum adjuvare eum.*

ad exemplum primorum Patrum suscepta.

29 Dicam insuper, quod ideo aliqui æstiment hanc vitam extremam, quia considerant modum communem hodie vivendi in seculo, tam periculosum, abusumque et vitam inordinatam, quæ clausis veluti oculis ducitur, absque consideratione præceptorum Dei et legis Christianæ. D Nos autem qui legimus, qualem vitam duxerint primi zelatores Christianæ Religionis nostrique Ordinis, nolentes ex commodo suo vivere vita communi; ipsorum exemplo sectamur pœnitentiam, quam Christus fecit in hoc mundo, et sequacibus suis faciendam consuluit, dicens, *Qui vult venire post me abneget semetipsum, et tollat crucem suam et sequatur me.* Maxime cum hodie, ad gloriam et laudem Dei ac Christi Redemptoris nostri, numquam sanis aut infirmis nobis desit quod necessarium est ad victum vestitumque, absque illa solicitudine et anxietate curandarum rerum terrenarum, quas Deus larga manu distribuit sequacibus suis in tempore necessitatis.

a. uno ex primis

§ IV. *Aliæ quædam objectiones et incrementum Ordinis usque ad annum* 1571, *quo hæc scripta sunt.*

Bernardinus Ochinus nec auctor fuit Cappucinorum

Aliqui Congregationem hanc blasphemantes dicunt, ipsam habuisse initium a Fr. Bernardino Senensi hæretico quod est falsissimum. Etenim, sicuti supra dictum est, Fr. Bernardinus venit ad Ordinem E anno MDXXXIV, et Congregatio principium suum habuit in Marchia anno MDXXV, et in Calabria anno MDXXXII. Et quamvis a nobis exierit apostata iste, ejus tamen egressus non cedit in contumeliam hujus Religionis: sicut non cedit in contumeliam Collegii Apostolici proditor Judas, neque in vituperium Religionis Christianæ defectio Nicolai Diaconi hæresiarchæ aut Juliani Apostatæ: idem autem dici potest de aliis Ordinibus sanctis, unde satis multos egressos videmus factosque hæreticos. Quinimo defectio Fr. Bernardini, ad cujus exemplum etiam defecerunt Fr. Hieronymus de Molferta et Fr. Hieronymus de Pignano, licet non eodem omnes tempore, demonstrat perfectionem hujus Religionis, quæ instar maris nequit retinere cadavera aut res immundas. Atque hoc est quod Christus revelavit S. Francisco, et quod divina sua clementia anno MDXLIII, IV, et V, revelavit cuidam amico suo Cappucino in hæc verba: Non volo hic Fratrem aliquem spiritualiter mortuum: quod si propter bonitatem meam præstolor quempiam incorrigibilem et maculosum, si forte se emendet, tandem non emendatum projiciam foras. Tu vero non habeas rationem multitudinis Fratrum, sed eorum dumtaxat, qui mihi ex integro F se committunt.

neque ipsius aliorumque apostasia illis nocuit:

non etiam Ludovici Forosempr.

31 Sed neque Congregatio hæc principium habuit a Fr. Ludovico Foro-semproniensi [qui anno MDXXXV ad Capitulum generale celebrandum coactus, in eoque prælatum sibi substitutumque Bernardinum Astensem indignatus, schisma et grave induxit scandalum, tandemque anno MDXXXVII a Congregatione segregandus fuit; et inter Zoccolantes vitam inglorius finivit, priora eaque maxima in Ordinem merita intolerabili sua ambitione corrupisse dicendus]: quia jam dictum est ipsum venisse primum anno sequenti: quandoquidem Papa concesserit cappucium P. Fr. Matthæo anno MDXXV; de quo nihil nisi cum laude dici potest. Totam enim vitam suam expendit in Christi obsequium et in observantia Regulæ, excalceatus, vestitus viliter aspereque, prædicans per mundum cum fructu mirabili et ædificatione, licet absque cappucio, ut liberius posset exercere officium sibi divinitus inspiratum. Quapropter in signum sanctitatis ejus, præter miracula plura quæ fecit vivus ac mortuus, statim post obitum ejus omnes campanæ civitatis Venetæ ultro sonare cœperunt, nemine eas trahente: quemadmodum quidam Pater prædicator ex Zoccolantibus, natione Dalmata

sed Fr. Matthæus

qui sancte obiit.

A ta, tunc Venetiis præsens, tum aliis multis, tum mihi in particulari narravit.

A. UNO EX PRIMIS. Objicientibus Sanctos et miracula Cappucinis deesse,

32 Solent etiam aliqui dicere, in vituperium Congregationis, quod nullus Cappucinus fuit Sanctus, nec fecit miracula, sicut illi qui de Familia fuerunt. Sed tales profecto non sciunt discernere in quo consistat vera sanctitas, et qualia sint illa miracula quæ hominem vere sanctum efficiunt et Dei amicum. Etenim hæc sunt observantia præceptorum ac mandatorum Dei et Regulæ promissæ: et ideo Christus suis Apostolis olim dixit: *Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis.* (Joan. 15, 14) Proinde credendum est, quod ex majoribus quæ Christus in mundo fecit miraculis fuit, quod hisce calamitosis temporibus, et hæreseon ac pravarum opinionum plenis, fecit nasci hanc Congregationem, pauperem, honestam et austeram, quæ multis persecutionibus per dæmones hominesque tentata, firma consistit, imo de die in diem crescit, quemadmodum videtur ad oculum.

respondetur quod ipsa Reformatio miraculum sit,

Hinc Paulus Papa III, post fugam istius scelerati Fr. Bernardini Senensis, vocatis ad se Congregationis Patribus dixit, Equidem proposueram vos extirpare: sed agnosco hoc Deum non velle: quapropter videte ut sitis obedientes, neque respicite exemplum excommunicati istius senis, quia semper vobis favebo. Nec minus quam promisit etiam fecit; nam præter favores alios nobis collatos, fecit Bullam plenam gratiarum, atque inter alias una hæc est, quod sub pœna excommunicationis vetet, ne quis habitum nostrum et cappucium gestet, qui non sit sub obedientia Prælatorum nostrorum: quam Bullam cum aliis omnibus Privilegiis postea confirmavit Pius IV, anno tertio sui Pontificatus.

et ipsa habuit Fratres sanctæ vitæ,

33 Non omisit tamen benignus Jesus ornare hanc Congregationem sanctam multis Patribus, tam Prædicatoribus quam simplicibus Presbyteris ac Laicis, vitæ et conversationis sanctæ. Numquid enim P. Bernardinus Georgius exemplar pœnitentiæ fuit, inter tot quas pertulit persecutiones injustas? quando autem moriebatur sermonem habuit, quo gratias reddebat Christo pro tantis suis beneficiis, usque adeo erat humilis et plenus spiritu: et ideo quotquot eramus præsentes Regii in ejus cella, impleti sumus admiratione. P. Fr. Franciscus Regiensis, dictus Palemon, singulari contemplationis dono præditus fuit: et quando obiit in primo suo loco Mileti, contemplans obiit. P. Fr. Bernardinus de C Bisiniano, qui fuit fortissimus defensor Catholicæ Religionis contra Lutheranos, qui ejus tempore apparuerunt, tam vivens quam moriens grande virtutis raræ exemplum reliquit. P. Fr. Bernardinus Astensis omni virtute, sed potissimum humilitate, et Regulæ servandæ zelo excelluit. Omitto Fr. Bernardinum de Ulmo, et tot alios quot nominare longum foret: sed nequeo prætermittere conversionem P. Fr. Joannis Fanensis, quandoquidem cum esset Minister Provinciæ Marchiæ tantus persecutor nostrorum fuit, ut nec nomen quidem Cappucinorum audire posset, absque indignatione et comminatione; quod si aliquis subditorum ejus boni spiritus monstrabat indicium voluntatis accedendi ad nos, excipiebat eum male, solum verbis, sed etiam carceribus: postea autem, sic disponente Deo et cor ejus movente Spiritu sancto, ex Saulo et lupo factus est Paulus et agnus; nostræque Congregationi aggregatus, errorem suum insigni pœnitentia obolevit, prædicando atque scribendo, et cursum vitæ suæ cum spiritus fervore consummando.

inter quos Jo. Fanensis olim persecutor Cappucinorum,

et alii quidam hic nominati,

34 Prætermitto narrare vitam et sanctissimam mortem Fr. Dominici de Bononia et Fr. Raphealis de Volaterra: solum dicam quod P. Fr. Ludovicus Regiensis, in sua sancta et devotissima morte, quamdiu D loqui potuit, laudabat et gratias agebat Domino, oculis semper in Crucifixum intentis, quem semper secum ad pectus gestaverat; et præsentes apud de Fratres exhortabatur ad perseverantiam in vocatione tenendam; certos eos reddens quod Christus, qui huic Congregationi initium dederat, eidem etiam semper faveret. Ornavit profecto divina Majestas hanc sanctam Congregationem, æque ac alias omnes Religiones, hominibus vitæ sanctitate eximiis Certi autem estote quod omnes qui sancti perfectique fuerunt in quacumque Religione, non duxerunt eam vitam quæ communiter a relaxatis ducitur: sed erant semper in paupertate, humilitate ac mundi despectu intra se collecti, fervidi in orationibus, et conformes Redemptori nostro Jesu Christo suisque Patriarchis et Fundatoribus Religionum.

a Tridentino agniti Fratres S. Francisci,

35 Denique nonnulli inveniuntur qui dicant, Cappucinos non esse Fratres gloriosi S. Francisci. Sed his cito obturatum os est a Spiritu sancto, quandoquidem inspiravit sacri Concilii Tridentini Patribus, ut declararent, Fratres Cappucinos esse veros Fratres S. Francisci, Sessione XXV Capitulo III, ubi E tam nobis quam Fratribus Zoccolantibus inhibetur proprietas hisce verbis; *Exceptis domibus S. Francisci Cappucinorum, et eorum qui Minorum de Observantia vocantur.*

qui humili patientia obarmati,

36 Istis porro et aliis improperiis confundebant et pellebant nos: sed quia fortis est ut mors dilectio, ferebant omnia pauperes Cappucini, cum singulari humilitate et patientia, propter amorem Christi qui tantum nos dilexit. Erat autem admiratione digna res, quamvis in Ecclesia usitata, quod quanto pluribus onerabamur contumeliis, tanto magis multiplicabatur Congregatio ejusque æstimatio apud majores Principes atque Reges, et imprimis apud Cæsaream Majestatem Caroli V Imperatoris: qui Algerio rediens multo libentius vidit Messanæ paupertatem nostram et excalceatam professionem, venientem cum lignea Cruce in manibus, quam turbam infinitæ nobilitatis, auro sericoque et pretiosissimis pannis opertæ.

et a Carolo V Imp. commendati

Romam autem veniens atque ex latere habens D. Ascanium Columnam, de Cappucinis sermonem habuit, plenum sancto zelo. Ac denique pedes summi Pontificis deosculatus, qui tunc erat S. D. N. Paulus Papa III, eidemque quam solicitissime commendavit novellam plantam D. N. Jesu Christi: memoratus forsitan, Deo sic volente, magni F illius beneficii, quod acceperat a Christo per Fr. Matthæum, primum ducem in expeditione Alemannica contra Landgravium; quando is ante omnes transivit impermeabile istud flumen; et post eum exercitus totus, non sine admiratione omnium, salvus et incolumis est trajectus.

primis 40 annis vehementer creverunt:

37 Denique ut cito extenderet quam latissime Deus puritatem Sinapis Evangelici, quatenus aves cœli, contemplativi inquam Fratres, requiescerent sub ramis ejus; inspiravit in omni parte Christianitatis, tam nostræ Religionis hominibus boni spiritus, quam aliis Presbyteris et Laicis secularibus, ut nostræ Congregationi nomen darent, non solum in Italia, sed etiam in Francia, Hispania, Hungaria, aliisque mundi partibus; adeo ut verificetur Propheticum istud, *Filii tui sicut novellæ olivarum in circuitu mensæ tuæ.* (Ps. 143, 12) Atque ita hoc anno MDLXXI numerat Congregatio nostra plura quam trecenta loca, et in iis ter mille trecentos Cappucinos: quamvis major ratio apud nos habeatur, ut Congregatio spiritu, quam numero crescat.

Iis se adjunctum gratulatur auctor,

38 O benigne Jesu, ago tibi gratias infinitas, quod in hanc Majestati tuæ tam gratam Societatem me transtulisti ex Ægypto, faciens me unum ex collateralibus servis, imo amicis tuis. Da mihi obsecro

A secro perseverare in ea, quia certus sum, quod *non qui inceperit, sed perseveraverit usque in finem coronabitur*. O beatos illos, qui se totos in manus tuas resignant, nihil aliud desiderantes quam ut glorificeris in ipsis, quomodo, quando, et quantum tibi placet. Ecce, Domine mi, completam prophetiam,
Ps. 135, 1 *In convertendo Dominus captivitatem Sion facti sumus velut consolati:* quia relaxata Religio conversa est in Reformationem; unde nos pauperculi, cum toto mundo, bonis exemplis pasto, consolamur: tu autem
Ps. 128, 4 ostendisti veracem te et fidelem in observanda promissione, qua dixisti: *Dominus justus concidet cervices peccatorum, convertantur et revertantur retrorsum omnes qui oderunt Sion.* Etenim conversi retrorsum
et petit donum perseverantiæ, et confusi sunt qui persequebantur Congregationem: quia quantumvis excelsus sis, tamen patienter et
Ps. 126, 8 amanter humilia respicis: adeoque sine dubio etiam complebitur promissio illa, *Cum dederit dilectis suis somnum, ecce hereditas Domini, filii; merces, fructus ventris.* Nam post mortem istorum dilectorum pauperculorum, observatorum sacri Evangelii tui, contemptorum mundi et sectatorum vitæ immaculatæ, dabis eis gloriam tuam, mercedem hereditariam promissam per merita Jesu Christi filii tui, fructus
B ventris virginalis. Quamvis autem promiseris primis istis Patribus nostris, qui nos transtulerunt per mare rubrum in desertum sanctæ Reformationis, quod pasceres nos quoad corpus et animam dulci manna cœlestis gratiæ; idque promiseris in hoc verbo, *Si*
Ps. 136, 5 *oblitus fuero tui Jerusalem, oblivioni detur dextera mea*, ut numquam obliviscamur procedere in reformatione Seraphicæ Regulæ S. Francisci; nihilominus non desinam supplicare cum Propheta et dicere:
Ps. 73, 2 *Memento, Domine Congregationis tuæ, quam possedisti ab initio.*

38 *Hactenus Joannes de Terra-nova apud Silvestrum Maurolycum; aliarum quidem omnium Religiosorum Ordinum Congregationumque principia suis verbis styloque complexum, conatu meliore quam successu; de Cappucinis vero solis nihil locutum ex se, neque ex informationibus recentioribus, ad uniuscujusque arbitrium fide non semper optima, nec certa satis scientiæ, fabricatis. Dici sane non immerito posset, in eo qualiscumque operis, mole non magni, maxima tamen argumenta complexi, veluti annulo, gemmam hanc eximii pretii solam fulgere; ita disponente forsitan Deo, ut sic in nostras manus veniret, et Latine traducta splenderet latius. Nihil illi volui de meo addere, ne Notas quidem, quas sibi unusquisque poterit ex utriusque Ordinis Annalibus*
C *sumere: solum num.* 31, *ad nomen* Ludovici Forosempronienisis, *parenthesim aliquot linearum apposui, unde intelligeretur, quare cautum voluerit auctor, ne is de quo tam præclara narraverat, in eodem quo* Matthæus *Fundatoris gradu collocaretur. Verba etiam quæ originaliter Latine scripta reperi, peculiari charactere distinxi ab aliis, ex Italico traductis; et partitionem Capitum cum Synopsi marginali, quibus carebat contextus primigenius, ex more adhibui.*

Qua fide hæc et unde accepta?

POEMA

Melchioris Lopex de Sousa Lusitani Presbyteri Algarbiensis.

De vita B. Felicis Cappucini.

Felicem in terris felicemque in æthere vitam
Felicis referam. Tu qui splendentia Cœli
Tecta colis, mecum ipse tuas edissere laudes,
Felix, fama ingens virtute ingentior heros.
Tuque adeo mundi columen, gregis optime ductor
Cantalicii natus Christianum, quondam Felix, nunc maxime Sixte,
Tu faveas, facilemque meis da versibus aurem.

2 Urbe procul, campis dextram exercebat aratro, A. MELCH. DE SOUSA. EX MS.
Cantalicæ patriæ contentus paupere tecto,
Fortunaque sua Felix: præsagia sanctæ
Cui vitæ dixisse licet vel nomina patrum
Prima, fuisse boni nec signa obscura futuri.
Æquævosque inter juvenes, non invidus ille
Alterius, legem qui alti servabat Olympi,
Sanctorum relegens vitam, et miracula Patrum,
Queis placuit vulsis vesci radicitus herbis, *asperioris vitæ desiderio*
Et saliente sitim solum restinguere fonte.
Ergo hæc est animus sectari exempla: paternis
Protinus exit agris, dilectaque culta relinquit,
Inclita Francisci miles vexilla secutus,
Bella manu barathri furiis facturus inermi,
Æternum volvens Christi sub pectore amorem.
3 Jamque urbem repetit Romam sedesque Quirini: *Romam adit:*
Non tamen aut studio Capitolia celsa videndi,
Aut celebres, antiquæ urbis monumenta, ruinas.
Majus opus movit pectus, vis major adegit.
Qualis, ubi a tergo fixit quem forte sagitta
Venantis cervus, silvas saltusque pererrat
Vulnere, multa gemens, laticesque et amica requirens E
Dictamni folia, inventa aut se proluit unda,
Aut notam cupidus solum depascitur herbam
Immemor alterius: talis cœlestibus Heros *et ad S. Francisci conventum accedens*
Impulsus monitis, magni divinitus actus
Francisci ingreditur claustrum. Notissimus urbis
Est locus, assurgens leni qua semita clivo
Alta Quirinalis conscendit culmina montis,
Religione sacer: niveus ubi candida monstrat
Virginitas, ubi per varios exercita casus
Purpureos invicta refert patientia flores,
Texturos olim cœlesti in sede coronas. *recipi impetrat:*
Huc ubi devenit, cujus provincia cura est
Alloquitur Patrem, fixumque in pectore votum
Ostendit: mox militiæ dat nomina sacræ.
4 Ecce autem Anticolum miles novus ire jubetur: *Anticolum mis sus*
Jamque viam properat, Patris mandata secutus.
Illic dum primos in religione labores
Exercet, flammantem æstum væsana per artus
Immittit febris, lentoque est igne medullas.
Quid faciat? gratum ni cœlo imploret ab alto
Auxilium? Tunc has fudit de pectore voces: *exorat absolvi a febri:*
Summe parens, qui late hominum præcordia nosti,
Ipse tibi hanc supplex animam corpusque dicavi,
Si quid id est, vovique æternum cordis amorem:
Accipio, agnoscoque libens tua munera: pro te F
Quod mihi posse pati liceat, tibi, Maxime, grates
Lætus ego: tu si qua manent contagia culpæ,
Terge animo; gemitusque pius miserere precantis.
Interea mentem nunc huc, nunc dividit illuc
Rector, et e claustro voluit dimittere morbo
Oppressum Felicem: ast inculpata per usus
Nota satis vita, et mores contraria suadent.
Tunc solitus per membra vigor venit, armaque febris
Linquit, et amissæ redeunt ad pristina vires.
5 Jamque anni Phœbus sua per vestigia cursum
Finierat, triplici votum inviolabile vinclo
Emittit Felix, æternaque fœdera sancit. *et professione facta*
O præstans Heros, felici sidere terris
Edite, nunc alta bellum est virtute gerendum.
Terribiles instant hostes: certamine aperto
Victor eris tandem, cœli cape fortiter arma.
Ergo fides galea est capiti, patientia pectus
Induit, ut nulli cupiat cessisse labori:
Tunc pietas, et religio, contentaque paucis
Paupertas, castusque pudor junguntur in unum.
Romuleam exemplo contendit missus ad urbem,

 Quo

A. MELCH. DE SOUSA. EX MS. Romam migrat :

A Quo cœli decreta vocant, multosque per annos
Olli cura fuit sociis alimenta petendi.
Numquam illum videre sui successibus ullis
Degenerem, tristemve malis, duroque labori
Cedentem : lætum sed monstrat in omnia vultum.
Nec vero ignavæ placuit terere otia vitæ :
Nunc terram intentus rastro proscindit adunco,
Divinæve parat molli deducere ligno
Signa Crucis ; nunc assidua prece sidera pulsat,
Vel petit ille stipem, totam de more per urbem.

ubi eleemosynis quærendis addictus,

6 Quid memorem exemplum cunctis mirabile [quantum
Profuerit? quantum veneranda modestia Patris?
Ut sermone loquens animos permulcet amico!
Ut fixis tellure oculis per tota viarum
Carpit iter spatia, et solum mediatur Jesum,
Cujus inexhaustum sub pectore gestat amorem!
Sæpe illum ante fores matronas dulce docentem
Nomen, et immenso repetentem ardore videres,
Cor tibi sume meum ter (dicit) dulcis Jesu,
Nec mihi redde magis. Non si convitia lingua
Fundantur rabida, non si fera personet aures
Sævis plena odiis injuria, suscitat iram :
Ridenti similem aspiceres, sed mente serena
B Semper, et inceptum sine murmure munus agen-[tem.
Nec quidquam mortale sonat : sed ut Angelus ore
Humano latitans degit sine crimine vitam.
O quoties stupefacti animi divina canentem
Sensere eloquia, et resonantem dogmata cœli!
Sanctæ senex, unde ista tibi facundia venit?
Scilicet æthereos vivo de fonte liquores
Hausisti, et summi docuit sapientia Patris
Quascumque ex alto depromis pectore voces.
Cœlestri proh! quanta viro, dum fatur in ore
Libertas, sed mixta gravi cum pondere! Verum
Dicere si sit opus, non si diadema coronet
Tempora, seu Tyrio clarus sit murice vertex,
Ille timet dictis coram facienda monere.

vultu et sermone semper sereno

omnes bene ædificat,

7 Pauca loquor. Quantum Christi meus ardet [amore!
Si puer occurrit forsan genitricis in ulnis,
Excipit amplectens, et contemplatur in illo
Infantem Christum, mira dulcedine raptus.
Ut placuit demissa humili sub tegmine virtus!
Ut niveus pudor est curæ! Servasse pudoris
Crediderim intactum per multa pericula florem.
Sæpe trahit solito mensæ sine munere luces,
Sæpe etiam orando somni sine munere noctes.
C Vestitus juvat asperitas, aliisque relictis
Sola Ceres dapibus, gelidoque et flumine lymphæ,
Et duris stratis defessa reponere membra.
Ut flagris subigit corpus, mentisque subire
Imperium cogit! Suspiria pectore ab imo
Ducentem audires, pro Christo fundere vitam
Dum cupit, et sparso prædari sanguine cœlum.
Qua pietate ægros facilis visitque, fovetque,
Mœrentesque animos dictis solatur amicis!
At vanos hominum quantum contemnit honores,
Et vitæ fastus, et, quæ mortalia tangunt
Pectora, mortales curas! Non purpura, et ostrum
Alliciunt, non regalis convivia mensæ :
Paupertas placet una, pio quam cordis amore
Rite colit, magni servans documenta Parentis.
Illum animæ cum sacra cibum parat Hostia, vultum
Grandibus aspiciens lacrymis de more rigantem,
Dulcia dum Cœli pertentant gaudia pectus.
Ast orbem nigris ubi nox amplectitur alis,
Templum adit, et solita sacrum prece Numen adorat
Suspirans, guttisque genas manantibus implens :
Nunc divina canit modulata carmina voce,
Nunc tacitus secum nullos dat corpore motus,
Multa orans Superos; dixisses morte peremptum,

totus deditus exercitiis virtutum,

pœnitentia,

et devotionis.

Usque adeo ille Dei placidum bibit ossibus ignem. D
8 Nunc age Pieriis numquam memorata sub an-[tris
Mira canam, Princeps orbis, Roma inclita, quon-[dam
Tot signis decorata Ducum, tot onusta trophæis;
Nunc palmis longe ante alias præstantior urbes
Sanctorum heroum, et majoribus aucta triumphis,
Tolle caput, dum nota tibi miracula rerum
Expedio, primumque feram quæ maximus heros
Egit, vitalem in terris cum duceret auram.
Ecce dolor cui sæpe caput sævissimus urget,
Felicis precibus firmam capit ille salutem;
Et turgens oculus nigro cui sanguine lucet,
Quemque diu flamma febris coquit intus anhela,
Cœlesti signo dextra quod fecerat heros,
Extemplo priscum sensit per membra vigorem.
At tu, tormentis rabidus cui viscera torquet
Ima dolor, certum auxilium Felicis habebis
Femina Romuleos inter non ultima cœtus.
Altera pressa malo, quod non Podalyrius herbis,
Phæbœaque ingens curaverit arte Machaon,
Instanti erepta est Herois munere leto :
Illaque Lucinæ sævos quæ passa labores
Ingemit, et querula plorans ferit æthera voce, E
Infantem dias sub luminis edidit oras,
Dum sacra signo Crucis Felix de more peregit.
O dilecte Deo, superi nove civis Olympi,
Quid de te referam? Steriles quæ duxerat annos,
Fæcundam optata vidit se prole parentem,
Cum tu nota piis cœlo das vocibus ultro.
Ast tibi, quæ virtus liquido de flumine lympha
Ignivomam subito depellere corpore febrim
Posse dedit, qua purpureus Pater anxius ardet?
Scilicet herois magni Crux edita dextra,
Discedunt tristes pedibus quæ vincla podagræ
Injiciunt, dirumque cutis nova contegit ulcus,
Quod pene effuso pervadit corda veneno :
Et qui compresso divexat gutture fauces
Morbus abit, mittit dum verba precantia Felix
In cœlum, tangitque manu languentia membra.
Nonne vides vetiti tribuit cui pocula vini,
Ad vitam ut rediit, jam jam sub morte laborans?
9 Parte alia aspicies spumantem crescere Bac-[chum,
Et largi in morem rivi decurrere, cunctis
Attonitis; Cererem et jussos liquisse voraces
Vermiculos, puramque ulla sine labe manere.
Et nunc relliquiæ Bacchi servantur in urna,
Servatur quoque trita Ceres. Quid femina cessas? F
Funde preces, fugient tristes de pectore curæ
Queis premeris; venietque polo lenimen ab alto.
Sed nec agit solum præsens miracula Divus,
Illius ad vires dat summa potentia rebus;
Nam Crucis attactu, tenui fabricaverat ille
Quam ligno, optatam multi sensere salutem.
Forte pedem sonipes cratem intra misit ahenam,
Luctatusque diu, non illam evadere liber
Posset, opem ni cœlestis vir ferret amicam.
Tu quoque vi solida corpus firmabere Clemens,
Et consueta sacro jejunia tempore duces.
Teque gravis tandem linquent fastidia morbi,
Supplicibus Felix onerat dum sidera votis.
Felicem implora mulier generosa, videbis
Crudelem lateris tibi mox cessare dolorem.
Quid non sperato fugisse e corpore febrim
Tempore miraris? Non hoc natura, sed Auctor
Efficit, æthereos, nutu qui temperat orbes,
Placatus prece Felicis. Stant poplite firmi,
Qui modo vel leviter vestigia figere terra
Haud poterant : capitisque doloribus effugit ingens
Permixtus calor, Ætnæis quem dixeris antris
Emissum : frigusque trementia deserit ossa,
Exesisque

Miraculis claret

varios infirmos Crucis signo sanans,

et alios aliis modis juvans.

A Exesisque lues discedit tabida membris,
Contrectat dum dextra Heros, cœlumque precatur.
10 Quo rapior motu? quo me jubet impetus ire
Anno 44 Religionis mortem suam præscit Per laudes, Pater alme, tuas? Non singula verbis
Contigerit memorare tuæ præconia mortis;
(Si mortem dixisse licet, quæ vita putanda est)
Quamvis hibernas superans mihi copia fandi
Esset in ore nives, et centum gutture linguæ.
Tu vatem doceas. Denos quater egerat annos.
Quatuor adjungens in relligione, labori
Haud parcens Heros, et cedere nescius ulli
Unquam operi, dum vita manet, quod sancta monebat
Seu pietas, cœlive timor: tunc cœlitus illam
Sentit adesse diem, superas qua victor in oras
Ibit ovans: claris quod fas est credere signis.
Namque ille eventus prædixerat ante futuros:
Sicut sæpe aliis, finis quos deinde secutus
Comprobat, instantem sibi sic novisse putandum est
Leti horam, dabitur cœli qua pace potiri.
Quam postquam agnovit, multos sermone salutans
et prædicit: Insolito, has fertur solvisse e pectore voces.
Æternum gens nota mihi, æternumque valete
Dilecti nati: non nostra videbitis ora
Amplius, in patriam jam nunc datur ire supernam,
B Vestibus his nostris, atque oscula figite dextræ.
Haud mora: tempus erit nostrum cum turba cadaver
Plurima visendi studio concurret, et istas
Nunc humiles vestes populus venerabitur omnis.
Pro tunc quanta meis accedet gloria rebus!
Et quanto Superum genitor cumulavit honore
Hunc famulum! Quantis hominum succurrere votis
Tunc dabitur, nostrum implorant dum nomen, et alti
Ætheris auxilium! Lacrymas adstantibus ille
Et genitum ingentem movit, dum talia fatur:
Miranturque omnes verba haud consueta locutum.
11 Tempus erat cum vere novo decus additur arvis,
et Mense Majo infirmatus, Cum virides vernant silvæ, cum floribus omnis.
Induitur late saltus, blandisque vireta
Dulce sonant avibus, Zephyrisque tepentibus halant,
Deserto et Tauro Geminos invisere fratres,
Et lustrare sua properabat lampade Titan:
Mille et quingentos postquam superaverat annos
Virginis a partu, decies atque insuper octo
Addiderat, septemque alios finire laborans
Extrema sub luce aderat fugientis Aprilis.
Letalis subito ecce viri calor occupat artus,
Et morbo oppressæ languent in corpore vires,
frustraque tentatus a dæmone, Nec firmare suis potis est vestigia plantis.
Ergo humili jacet ille thoro, dumque affore cernit
C Dilectos Socios, Cecidit, dicebat Asellus,
Nec surget magis. O sancti Patris inclita virtus,
Qui pompas hominum, et vanam sic despicit auram!
Hic vero humani generis deterrimus hostis,
Cui variæ fraudes, artes cui mille nocendi
Æternique insunt odii sub pectore flammæ,
Cœlestem tentare virum non desinit, ullam
Si forte inveniat causam: dumque arguit ipsum,
Quod lecto jaceat, surgit velociter Heros
Ter sævum aggreditur monstrum, ter fortibus ausis
Erigitur Felix, vacuumque cubile relinquit.
Quem quoties surgit, toties succedere lecto
Carus agit socius. Dirum tunc talibus hostem
Alloquitur: Quid fœda minis crudelibus instas
Bestia, et increpitas! Tibi quamvis ima dolore
Viscera rumpantur, jaceo, nec jussa recuso
Ipse mei comitis, cui me parere necessum est.
12 Post noctis tenebras sicut sol aureus exit,
recreatur aspectu Deiparæ, Luce nova, cœlum et terras pelagusque serenans:
Sic postquam monstri facies tenebrosa recessit,
Regina aligeris circum stipata ministris
Ætheris apparet, splendor quam lucidus ambit;
Affaturque virum, et grato sermone salutat.
O bone Serve, alios inter spectabilis, alto
Ardua quos virtus cœlo intulit; exue tristes D
Corde metus: tibi, ne dubites, æterna reservat *A. MELCH. DE SOUSA EX MS.*
Præmia, digna tuis meritis, Regnator olympi.
Tantum effata, animum proh qua dulcedine mulcet!
Gaudia quanta dedit! Cuncti secedite, clamat
Exultanti animo tantis hortatibus Heros,
Aspicio Christi, cinctam cœtu alite, Matrem:
Me sinite optato tandem sermone potiri.
Tunc ait, O summi Mater Regina Tonantis,
Virgo æterna, meis semper spes optima rebus;
Te duce nil metuam, sacram tu porrige dextram:
Ibo alacer, volitansque Euros et nubila vincam,
Donec olympiacas liceat conscendere sedes.
13 Bis novies roseum jam vultum ostenderat orbi
Aurora, instabatque ortu lux clara sereno *et perceptis Fer. 2. Pentec. Sacramentis,*
Post primam, qua cœlesti venientis ab arce
Pneumatis alma pio recolunt solennia ritu
Christiadæ: divina animam dape recreat Heros,
In cœlum quo carpat iter sedesque beatas.
Dumque sacras capit ore epulas, his vocibus infit:
O sacra vivificæ mensæ convivia, panis
Sub specie Christus qua sumitur, illius et mors
In mentem venit, et plenis datur aurea rivis
Gratia, et æternæ vitæ indubitabile pignus!
Atque ea dum repetit, dulcem per membra quietem
Ceu mittat somnus, clauduntur lumina leto.
Nobilis ito anima in cœlum, visura verendum E
Cœlicolis Numen: perituræ tempore nullo *emittit animam.*
Deliciæ tibi siderea servantur in aula.
Quod remanet jam vitali sine luce cadaver,
Sublimi augebit Superum Regnator honore.
Tot ditata bonis, cessas in vota Quiritum
Progenies? cessas? nec adhuc tua gaudia nescis?
14 Postera lux aderat cum jam declivis anhelos
Phœbus agebat equos, templo tunc corpus human- [dum
Sistitur, et sacros iterant socia agmina cantus *Fit ingens accursus ad mortui corpus,*
Funeris in morem. Plenis undare videres
Porticibus templum, concurrunt undique turmæ
Visendi studio: nec densior imber ab Austro
Ingruit, aut actæ sic tempestate columbæ,
Dum fugiunt crudelem hiemem, glomerantur in [unum.
Pars manibus, tactis figit pars oscula plantis;
Frusta alii rapiunt sacrato e corpore vestis,
Quæ tanti pretiosa sibi sint pignora Patris.
Ast alii obtutu tacito mirantur, et hærent
Attoniti; dum membra olim liventia, rugis *in mollitiem puerilem reductum:*
Aspera, et assiduo confecta labore, sub ipsa
Morte vident mutata novum sumpsisse decorem,
Infantis teneros artus referentia tactu. F
Sancte senex, nempe ista tui sunt signa pudoris,
Illæsique animi, castique per omnia cordis.
15 Cernere erat tunc immundus quos spiritus ur- [get *ad illud mundantur energumeni:*
Ante fores ululare: ingens it clamor ad astra,
Et sanctum corpus fremitu testantur adesse,
Extemploque abeunt furiæ: mora longa fuisset
Dicere sanatos Herois vestibus ægros.
Possessis rigidæ febres, atque horrida membris
Frigora diffugiunt, inimicaque tela dolorum,
Queisque humana aliæ cruciantur corpora pestes.
Ulcera seu tetro fuerint stillantia tabo, *curantur omnigeni morbi:*
Sanguinis aut fluxus, partusve pericula, cessant.
Et variæ morbi species variique labores
Auxilium Divi sensere in vota vocati.
Quique unquam nullas audire aut reddere voces
A primis annis poterat, vocum organa solvit
Natura mirante puer, gaudetque recepto
Auditu: et leto multis vicina diebus
Gens non speratæ fruitur spiramine vitæ.
16 Et jam ter decies surrexerat æquore natus *die 19 post mortem*
Latonæ, post exequias et funera patris.

Tunc

A
A. Melch. de Sousa ex ms.

Tunc aliis longe magis admirabile signum
Omnipotens voluit terris ostendere, servum
Quo majore suum decoraret honore. Jacebat
Forte senex horti custos, quem cognita carum
Reddit hero probitas, quod servantissimus æqui
Divorumque memor multis spectatus in annis
Ille foret; dumque extremo sub fine loquelam
Perdiderat, nullum monstrans jam corpore sensum,
Cunctatusque diu, subito, Victoria, clamat,
Atque iterum ingeminat, Victoria. Vocibus istis
Terrentur quicumque aderant. Tunc singula Thomas
Explicat : Urgebat, dicit, me pessimus hostis,
Et caligantis vidi loca fœda barathri,
Supplicia et multos cognovi dira luentes :
Continuoque mihi Divorum apparuit agmen,
Quos inter Felix niveo fulgebat amictu.
Nec non torquis erat simili per colla colore
Lucidior, meque ipse suo sperare salutem
Hortatu jussit, retulique ex hoste triumphum,
Et jam victori dat ad æthera tendere Christus.

pius hortulanus Thomas moribundus,

videt Felicem inter Sanctos.

17 Altior at solito surgit mihi carminis ordo.
Quis novus iste liquor gelido de marmore manat,
Sicut odoriferos distillant balsama succos?
Quæ virtus latet, ut saxo venerabilis humor
Exudet, multisque paret medicamina morbis?
Felicis vis ista Patris, felicia dona
Corporis ista sacri, pretiosum membra jubentur
Clausa oleum spumare cavi sub mole sepulchri
Cœlitus, optatisque piæ succurrere gentis.
Quam bene mite oleum mitis de corpore Patris
Effluit! Alma oleo signatur gratia, signum
Pacis oliva refert. Quis te neget, optime Felix,
In vita cœlo gratum? quis dicat olivæ
Dissimilem? quis pace frui non credat olympi?
Ætatis decus o nostræ, et nova gloria, Dive,
Fortunate solo, fortunatissime cœlo,
Tempus erit tua cum vastus miracula mundus
Rite colet, supplexque tuas venerabitur aras,
Annua florigeris cumulans donaria sertis :
Uberiusque tui forsan memorare liquoris
Insignes dabitur nobis ab origine laudes.
Interea nostri non immemor, ætheris inter
Dilectos cives, æterna ubi pace potiris,
Sis petimus; nostrosque leves, Pater alme, labores.

D
Deinde salutaris liquor scaturit de sepulcro.

DIES

DIES DECIMA NONA MAJI

SANCTI QUI XIV KALENDAS JUNII COLUNTUR.

SANC. PUDENTIANA seu POTENTIANA, S. PRAXEDIS, sorores Virgines Romæ.
S. Pudens Senator, illarum pater, Romæ.
S. Calocerus, S. Parthenius, Martyres Romæ.
S. Joannes Martyr Constantinopoli, translatus Venetias.
S. Paternus, S. Gallicolus, S. Urbana, S. Indicus, S. Seleucus, S. Felix, S. Clenicus, S. Crescentius, S. Calonica, S. Julia, S. Urbana II, Martyres Romani via Appia.
S. Ingenua, S. Saturnus, S. Quintus, S. Primolus, S. Fortunatus, S. Donator, S. Donator II, S. Primus, S. Dicessus, S. Indica, S. Lucusta, S. Rogata, S. Orbana, S. Romana, Martyres in Africa.
S. Æmilius, S. Basilius, S. Prætextata, S. Basia, seu Basilia, S. Partinus, Martyres in Getulia, regione Africæ.
S. Arenus Diaconus Martyr Alexandriæ.
S. Poliochus, Martyr Cæsareæ in Cappadocia.
S. Acoluthus sive Colluthus, Martyr in Thebaide regione Ægypti.
S. Philetærus, S. Eubiotus, prope Cyzicum in Mysia
S. Theodorus, Episcopus Lucensis in Hetruria.
S. Cyrillus, Episcopus Trevirensis.
S. Evonius, Episc. in Arvernia provincia Gallia.
S. Hadulfus, Episcopus Cameracensis et Atrebatensis, et Abbas Vedastinus,
B. Alcuinus Diaconus, Abbas S. Martini.
S. Dunstanus, ex Abbate Glastoniensi Episcopus Wigorniensis et Lundinensis, dein Archiepiscopus Cantuariensis in Anglia.
B. Æmiliana feu Humiliana, vidua Florentiæ tertii Ordinis S. Francisci.
S. PETRUS, COELESTINUS V, Summus Pontifex.
S. Yvo, Presb Trecorii, in Britannia Armorica.
S. Augustinus Novellus, Prior generalis Ordinis Eremitarum S. Augustini, Senis in Hetruria.
B. Bartholomæa seu Elisabeth Virgo Tertii Ord. servorum B. Mariæ, Senis in Hetruria.
B. Andreas de Pischeria, Ordinis Prædicatorum in Valle-Tellina.

PRÆTERMISSI ET IN ALIOS DIES REJECTI.

NOT. 17*** APP. VII MAJI

Sancta Wereburga Virgo, Cestriæ in Anglia, *indicatur in scriptis Additionibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum. Vitam hujus illustravimus* III Februarii.

Rabani Mauri Abbatis Fuldæ depositio *inscripta est Menologio Scotico Dempsteri. Acta ejus illustravimus ad diem* IV Februarii.

B. Bertulphi monachi et Confessoris festivitas, in cœnobio Blandinio, *indicatur in MS. Centulensi. Vitam ejus dedimus* V Februarii.

B. Sibyllina Papiensis, Soror de Pœnitentia Ordidinis S. Dominici, *memoratur in Catalogo Sanctorum Italiæ per Ferrarium, et in Gynecæo Sacro Arturi du Monstier. Illustria ejus Acta dedimus* XIX Martii.

S. Joachim, Ordinis Florensis Institutor et Abbas in Calabria, *ab Henriquez et Chalemoto relatus ad hunc diem, a nobis referendus in Martio erat, quo obiisse ipsum puto nos habere demonstratum : sed eædem causæ quæ tunc suaserunt amplum de eo tractatum cum Vita et miraculis differre ad hunc ab illis prælectum diem; etiam nunc valent ad longiorem moram eorum editioni indulgendam; idque eo facilius, quod supplementum Martii, quo ista differimus, decreverimus una cum reliquo primi semestris supplemento, componere post editum Junium. Rursus ergo* Joachimum *expecta, proprio suo natali* XXX Martii.

Gebuinus *seu* Gibuinus, *aut* Jubinus, Archiepiscopus Lugdunensis XI seculo, *memoratur a Demochare, Chenu. Roberto et Sammarthanis in suis generalibus Catalogis Episcoporum, imo et Severtio de Lugdunensibus Archiepiscopis, nusquam præposito titulo* Sancti *aut* Beati. *Addit Severtius, quia* veterem ecclesiam S. Petri Matisconensis ædificavit, in Martyrologio hujus ecclesiæ referri XIV Kalendas Junii

Junii, quo die obiit, ejusque corpus quiescere in basilica S. Irenæi. *Quæ eadem apud Chenu leguntur. Claudius Robertus addit in* dicta ecclesia S. Irenæi, ut Beatum coli; *Sammarthani* mortuam *aiunt* anno MXCII, XVII Maji, *qui est non* XIV *sed* XVI *Kalendas Junii*, alias die XVI Aprilis. *Raimundus in Indiculo Sanctorum Lugdunensium ait*, Sacris tabulis adscribi XIV Kalendas Junii, qua die feliciter migravit. Quamquam in libro obituum MS. dies obitus S. Gebuini annotatur XIV Kalendas Maji, addique fuisse virum sanctitate præclarum *Nos hactenus non reperimus ullis fastis inscriptum. Habemus Ideam seu Proprium ad usum Ecclesiæ Lugdunensis a Stephano Vernay propositum, in quo* Gebuinum *(quod in Supplemento operis poterit fieri) refert ad* XVI vel XVIII Aprilis.

Fistradus Abbas Cameronæ, Claræ-vallis et Cistercii, *refertur a Molano in Natalibus Sanctorum Belgii, absque titulo Beati. De eo egimus inter Prætermissos die præcedenti et latius* XXI Aprilis.

S. Marci Episcopi et Martyris translatio, *inserta est scriptis Additionalibus Carthusiæ Bruxellensis ad Grevenum.* S. Marci Episc. et Mart. *Atinensis Acta et historiam translationis dedimus* XXVIII Aprilis.

S. Patricius Episcopus, S. Acacius, S. Menander, S. Polyænus, Presbyter, Martyres Prusæ in Bithynia *celebrantur a Græcis in Menologio Basilii Imperatoris MS. Synaxario et aliis Menæis MSS. et excusis, ac sæpe citato Martyrologio Arabo-Ægyptio. Acta martyrii ex MS. Græco Florentino dedimus* XXVIII Aprilis.

SS. Cassius et Victorinus Martyres in monasterio Magni-loci apud Arvernos, *dicuntur hoc die coli in MS. Usuardo aucto Candracensis Prioratus. Horum Acta dedimus* XV Maji.

S. Patermius Martyr *colitur Bononiæ, apud Sanctimoniales S. Catharinæ di Cento Ordinis S. Augustini, ob corpus ejus cum capite ibidem asservatum, Roma anno* MDCXXIII *a Gregorio XV transmissum.*

Elsgina matrona *inscripta est Gynecæo Sacro Arturi, ejus virtutes et pius obitus describuntur hoc die in Actis S. Dunstani, et in priore Vita num.* 10 *et* 11 *ubi* Ætelfleda *appellatur, et in posteriore Vita cap.* 3 *ubi* Elgive *vocatur.*

S. Urbanus Papa et Confessor *memoratur a Greveno et Canisio : ast* Urbanus Confessor *in MS. Epternacensi, et sequenti die in MSS. Rhinoviensi et Richenoviensi, inter Martyres Romanos censetur, ab aliis* Urbana *dicta.*

Sanctæ sex Virgines et Martyres Nicomediæ, quarum præcipua S. Cyriaca igne cremata *inscribuntur Martyrologio hodierno Romano post S. Philetærum : ex cujus solius Actis, non magna fide dignis, ipsæ habentur. Ea Acta lectorum judicio submittimus, nec tutum esse putamus certiorum Sanctorum et Sanctarum hujus diei indiculum senarii tam dubii additione augere.*

S. Philartii certamen *inscribitur Martyrologio Arabo-Ægyptio apud nostros Maronitas Romæ : quem putamus a S. Philetæro non distinguendum.*

Richella, Virgo Hiberna, *memoratur a Mariano, Cathaldo Maguir et Martyrologio Tamlachtensi apud Colganum* 6 *Februarii in Notis ad Vitam S. Melis Episcopi num.* 7 ; *et indicantur duæ Ecclesiæ* S. Richellæ *dicatæ, quas tamen ille ad aliam ejusdem nominis Sanctam arbitratur pertinere.*

Cummenus *seu* Cuminus filius Boedani, *seu* Baedani *indicatur in MS. Tamlachtensi, item apud Gormanum et Cathaldum Maguir : qui duo ultimi proferuntur a Colgano ad* 12 *Januarii ad Vitam* S. Cumiani *Episcopi num.* 6.

Durus de Enach, Kieranus filius Colgani, Brittanus de Raith, Mochonna de Kill-Conortha, Tres filii Eugani sive Eugenii, Kierus, *Memorantur in MS. Martyrologio Tamlachtensi, de quibus nihil hactenus alibi legimus.*

Guilielmus de Monte-acuto, XXII Abbas Cisterciensis, *ut* Beatus *indicatur a Manrique, Henriquez, Bucelino, et in Kalendario Cisterciensi : ut* piæ memoriæ *a Chalemoto et Saussayo.*

Stephanus, Episcopus Leodiensis, hoc die anno DCCCCXX mortuus est, doctrina et pietate clarus, *cujus elogium ad hunc diem refert Bartholomæus Fisen in Floribus Ecclesiæ Leodiensis : sed abstinet a titulo* Sancti *aut* Beati.

Cuno, ex Abbate Sigebergensi Episcopus Ratisponensis, *refertur in Fastis Coloniensibus Gelenii, et Animabus illustribus Juliæ, Cliviæ, Montium a Theodoro Rhay editis, cum titulo* Beati : *et dicitur hoc die anno* MCXX *vita functus. At Wiguleius Hundius in Metropoli Salisburgensi, tradit Episcopum creatum anno* MCXXVI, *et mortuum anno* MCXXX, *abstinetque a titulo* Beati.

Petrus Cantor Parisiensis, electus in Episcopum Tornacensem, fugit, et monachus sacratur in Longo-ponte Ordinis Cisterciensis. *Memoratur cum titulo* Beati *ab Henriquez et Bucelino, a Chalemoto* piæ memoriæ, *a Saussayo* Piis *adscribitur. Illustria testimonia profert Manrique an.* 1197 *cap.* 2.

Gualterus Germanus Ordinis Prædicatorum, mire erga sanctissimum nomen Jesu affectus, eoque dæmones expellebat. *Is hoc die memoratur in Anno sancto hujus Ordinis. Videtur laudari a Michaele Pio lib.* 1 *cap.* 78, *et cognominari* de Meisenburgo, castro agri Luxemburgensis, qui nobilem Jolendam Ordini adjunxerit.

Lupus, S. Francisci discipulus, Burgis in Hispania circa annum 1291 mortuus, et bis decentiori loco a Guardianus depositus, *refertur cum titulo* Beati *in Martyrologio Franciscano Arturi, et a Waddingo ad dictum annum num.* 19, *ubi* beatum Patrem *appellat, sed nihil de ejus virtutibus profert.*

Conradus Spoletanus, Ordinis Minorum, *ut* Beatus *adscriptus Martyrol. Franciscano, citato Waddingo ad an.* 1294 *num.* 9, *sed hic eum censet ex iis, qui sub specie pietatis se separarunt ab obedientia Generalis.*

Joannes a Cetina Presbyter, Petrus a Duenhas Laicus, Ordinis S. Francisci, *Granatæ anno* 1397 *manu ipsiusmet Regis Mauri occisi, hoc die ut* Beati Martyres *referuntur in Martyrologio prædicto. In Notis pro'ixe citantur Auctores qui de iis agunt. Reliquias licet discerpserint Mauri, tamen* duæ craniorum partes debito cum honore asservantur in conventu S. Francisci Granatæ : residuum vero extat in Sacristia conventus S. Francisci Hispali. *Deberet nobis distinctius explicari, utrum istis Reliquiis ibi etiam habeatur annuus aliquis a populo fideli cultus : nam verba sic sonant, ut earum veneratio non videatur excedere limites privatæ ac domesticæ reverentiæ.*

Joannes Wagnerus, ex laico Ordinis Carthusiani anachoreta prope Lucernam in Helvetia, mortuus hoc die anno MDXIV, *refertur a Murero Carthusiano in Helvetia Sacra pag.* 409, *cum titulo* beati Fratris. *Vitam ibidem Germanice scriptam lector reperiet.*

Patricius et Malachias, Ordinis Cisterciensis, anno MDLXXXV in Hibernia ab hæreticis occisi, *cum titulo* Beatorum *indicantur ab Henriquez, Chalemoto et Bucelino, quod indicasse sufficit.*

Joanna

Joanna Virgo venerabilis in Hispania, Ordinis S. Francisci, *absque ulteriore notitia indicatur in Menologio Laherii.*

S. Baudelius Martyr *inscriptus est MS. Martyrologio monasterii Gemmeticensis. Ejus Acta varia damus* xx Maji.

S. Faustus Episcopus *indicatur in MS. Tamlactensi, de quo agimus sequenti die* xx Maji.

S. Ivo, Episcopus Carnotensis, *refertur a Ghinio, ejusque officium recitatur a Canonicis Regularibus Salvatoris. Verum a Canonicis Lateranensibus et aliis die, quando Vitam damus* xx Maji.

S. Bernardini, Ordinis Minorum Canonizatio, *profertur in MS. Florario. Dies natalis est* xx Maji.

S. Desiderius Episcopus et Martyr, a Wandalis occisus Carnoti in Gallia, *refertur a Galesinio, Saussayo, et Ferrario. Verum inter Episcopos Carnotenses nullus reperitur* Desiderius, *neque illius cultus indicatur in Breviario Carnotensi. Est autem Episcopus Lingonensis, qui colitur* XXIII Maji.

S. Crescentianus, Martyr Turribus in Sardinia, *indicatur in MS. Altempsiano, et apud Bellinum Parisiis editum, sed* Crestianus *scribitur, uti plenius dicetur ad diem ejus natalem* XXXI Maji.

B. Bertramus, monachus Augustinianus, natione Hispanus. Firmi in Piceno mortuus, *refertur ab Herrera in Alphabeto Augustiniano, non indicato die obitus: quem secutus Tamayus Salazar, ad hunc diem inscripsit suo Martyrologio Hispanico. et* Berteragmum *appellat. Verum quia anno* MCCCCXC *mortuus est, et forte feria tertia Pentecostes, qua corpus solenniter devotis populis ostenditur, differimus eum ad diem in quem dicto anno convenit feria ista, videlicet* I Junii.

S. Medardi Episcopi translatio *refertur in MS. Bruxellensi S. Gudulæ. Dies ejus natalis est* VIII Junii.

SS. Felix et Fortunatus Martyres *memorantur in Kalendario Capuano primo apud Michaelem Monachum; sunt hi* Aquileiæ *passi, etiamque relati* XVII *hujus: Verum potissimum coluntur* XI Junii.

S. Odonis, Episcopi Cantuariensis, depositio *celebratur in MS. Florario: ab aliis* IV Julii.

S. Theclæ Virginis et Martyris Acta Translationis brachii Turazonem, *referuntur apud Tamayum Salazar: at pridie, ut tum diximus, apud Dominecum dies natalis est* XXIII Septembris.

Theodoricus, Episcopus et Confessor, *indicatur in Kalendario MS. Carmelitarum Conventus Mechlmiensis, additis his verbis* Ordinis nostri. *Verum de eo Episcopo nihil alibi legimus. In Kalendario Breviarii ejusdem Ordinis an.* 1564 *excusi, ad* XV *Octobris refertur* Theodoricus Confessor, *sed is videtur esse* Theodoricus Alamannus Conversus in Ordine, Venetiis quiescens, *cujus aliquod elogium habet Joannes Grossus Generalis in MS. Viridario Carmelitarum; res tota poterit accuratius discuti ad dictam diem* XV Octobris.

Maria ancilla, Virgo, *inscripta est Violæ Sanctorum Hagenoæ anno* 1508 *excusæ. Est in Martyrologio Romano* I Novembri

NOT. 18 APP. TOM. VII MAJI

DE SANCTIS VIRGINIBUS ROMANIS

PUDENTIANA SEU POTENTIANA, ET PRAXEDE, AC PUDENTE SENATORE ILLARUM PATRE.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De gemino Pudente, quorum posterior Sanctarum pater: deque harum Actis, ætate, cultu, Reliquiis.

SEC. II

Inter familias Romanas, quæ temporibus Apostolorum fidem Christi fuerunt amplexæ, videtur fuisse familia S. Pudentis Senatoris, ejusque matris S. Priscillæ, et filiarum SS. Pudentianæ seu C Potentianæ *et* Praxedis *Virginum: proinde vix dubitamus, quin S. Paulus in epistola secunda ad Timotheum, quam Romæ in vinculis scripsit, designet aut hunc* Pudentem, *ut passim interpretes indicant; aut potius aliquem ex majoribus, dum capite* IV *sub finem ista adjungit:* Salutant te Eubulus, et Pudens, et Linus, et Claudia. *De* S. Eubulo *cum Græcis egimus ad diem* XVIII *Februarii:* Linus *videtur is, qui S. Petri tunc Vicarius, ac postea in Pontificatu successor, colitur* XXIII *Septembris. At* Pudentem *et* Claudiam *conjuges facit Franciscus Moncæus, in syntagmate Tornaci excuso sub hoc titulo:* Ecclesiæ Christianæ veteris Britannicæ incunabula regia. *Hujus primum argumentum desumitur ex Valerii Martialis epigrammatis, quasi hic libri secundi epigramma* XIII, *pro epithalamio in nuptiis eorum fecisset, ab hoc disticho exordiens,*

Mentio Pudentis, et Claudiæ ep. 2 ad Timotheum:

hi an conjuges et Claudia Britanna,

Claudia, Rufe, meo nubit peregrina Pudenti,
Macte esto tædis, o Hymenæe, tuis.

Varia etiam epigrammata eidem Pudenti *inscripsit Martialis: et quam supra* Claudiam peregrinam *appellat, videtur libro* XI *epigram.* 54 Britannam *ortu dicere his versibus,*

Claudia cæruleis cum sit Rufina Britannis
Edita, cur Latiæ pectora plebis habet?
Quale decus formæ? Romanam credere matres
Italides possunt, Atthides esse suam.

Guilielmus Cambdenus in sua Britannia, ubi de moribus Britannorum agit, hanc Claudiam Britannam, Pudenti *supra* ab Apostolo indicato nuptam fuisse, ab aliquibus asseri *tradit,* nec omnino refragari temporis rationem, quamvis alii contra sentiant. F *Alfordus in Annalibus Ecclesiæ Britannicæ ad annum Christi* 53 *num.* 5 *idem* obviis ulnis amplecteretur, si id cum aliorum auctorum et sacrorum diptychorum honore posset. *Porro posset, si* Pudens *et* Claudia *dicantur distingui a* S. Pudente *ejusque* conjuge Savinilla, *ac prior habeatur avus; vel saltem patruus posterioris: avus, inquam, si dictis* Pudente *et* Claudia *prognata esset* S. Priscilla, *aut hujus maritus* Punicus; *patruus vero aut avunculus, si alterutrius statuatur frater. Sed esto, hoc admittatur, non continuo absque ulteriore probatione dici potest de unis eisdemque* Pudente *et* Claudia *agi apud Paulum et Martialem poetam.*

aliisque ab his prognatus S. Pudens.

2 *Temporis ratio ad eos distinguendos hæc foret, quod prior* Pudens *a S. Paulo memoratus, habeatur passim hujus et S. Petri hospes, et quod dicantur hi in illius ædibus Sacrificium Missæ Deo obtulisse. Porro id necessario diu factum fuisset ante annum* LXV, *quando hi sub Nerone tunc Romæ præsente passi fuerunt. Atque hic* Pudens *idem esse videtur, quem Græci in Menæis, Synaxariis et Anthologio, Sirletus etiam in Menologio suo,*

prior Pudens sec. 1,

AUCTORE D. P.

A *suo celebrant ad* XIV *Aprilis, etsi* Πούδα *aut* Πούδης *ibi nominetur* sectator Pauli, et post ejus necem sub Nerone martyrio coronatus. *Ita censet Antonius Gallonius, Congregationis Oratorii Presbyter et Baronio intimus; quodque ab hoc processerit alter* S. Pudens, *qui ideo solum dicatur cum liberis* a S. Paulo edoctus et amicus Apostolorum, *quod horum memoriæ singulariter devotus fuerit; et disciplinam, quam alter* S. Pudens *avus ejus vel patruus a Paulo hauserat, per domesticam traditionem servarit. Quidquid sit de ea explicatione quæ satis violenta apparet, et præ qua placet lectio, qua* Pudens *dicitur* Timothei Frater et amicus, Apostolorum cultor, susceptor peregrinorum; *et* B. Paulus, *qui ipsum edocuit, fortassis intelligi potest Presbyter aliquis ab Apostolo diversissimus, quoniam in hoc nomen omnia MSS. conveniunt. Quidquid, inquam, sit de explicatione Gallonii,* S. Pudens, pater SS. Pudentianæ et Praxedis, *floruit seculo Christi secundo, tempore* S. Pii *Episcopi Romani, qui ab anno* CXLVI *Vicarius Hygini Pontificis fuit, ac postea ipsemet Pontifex supremus, Aniceto succedens anno* CLIII, *vixit usque ad mensem Julium anni* CLXI. *Hic ipsius* Pudentis *domum consecravit sub titulo* Pastoris: *hic eo mortuo filiarum rogatu baptisterium in eadem constituit: hic deinde mortua* Pudentiana, *cum solum explesset ætatis annum* XVI, *sororem ejus* Praxedem *solatus est. Mortuo item post annum et dies viginti octo Novato, ejusdem Praxedis rogatu Thermas, quas ille Ecclesiæ donarat, sub nomine S. Pudentianæ consecravit. Quantum deinde intercesserit temporis ut ipsius* S. Praxedis *domus in ecclesiam consecraretur cum Titulo, non invenimus expressum. Credibile est tamen, etiam hanc dedicationem peractam a Pio: siquidem duobus post eam annis facta est persecutio; et* Antoninus Imperator, *intelligens in Titulo Praxedis fieri conventus Christianorum, Symmetrium Presbyterum cum aliis* XXII *indicta causa gladio puniri præcepit; quos cum* Praxedis *sepelivisset, ipsamet mœrore confecta obiit* XXI *Julii: utique cum adhuc viveret* Antoninus, *anno primum* CLX *die* VII *Martii mortuus, adeoque adhuc vivente* Pio *Papa. Permiserat quidem* Antoninus *iste Christianos privatim degere in domibus suis, qualis censebatur Pudentis domus, etiam postquam erat in Titulum consecrata, neque publico unquam edicto persecutionem indixit. Quidni tamen, mitem alias Principem, tandem efferaverint delationes Gentilium, de nimio Christianorum incremento et conventuum formidabili frequentia, duabus novis ecclesiis jam dedicatis? sicuti haud diu postea ejus duo filii et successores persecutionem renovasse dicuntur. Certe diuturna vacatio Sedis Apostolicæ, post mortem Pii usque ad ordinationem Soteris, factam* XXI *Januarii anni* CLXII, *satis indicii præbet, quod illa utriusque Imperii et Pontificatus confinia nequaquam pacata fuerint Christianis; sed persecutio primum populariter cœpta, sub patre, filiis idcirco imputetur, quia hi suis eam edictis approbaverunt. Hoc autem posito sic ordinari posset Chronologia, ut* S. Praxedis *obierit anno circiter* CLIX, Pudentiana *quatuor vel quinque annis ante sororem:* Pudens *vero, earum pater, potuit ad initium suscepti a* Pio *Pontificatus vivendo pertigisse: sic tamen ut ejus domum consecratam fuisse dicamus a Pio, adhuc Hygini vel Aniceti Vicario.*

posterior seculo 2,

B

sub Pio Papa.

C

Praxedis obiit anno 159.

3 *Ordinata in hunc modum Chronologia, duobusque* Pudentibus *ab invicem distinctis, ne alius oporteat Virgines nostras, ac multo magis ipsarum patrem, centenariis majores facere; commode satis procedent Acta, qualia creduntur a præfato Pastore conscripta. Hæc autem damus ex insigni MS. pergameno Passionali mensis Maji, adservato in cœnobio Bodecensi Ordinis Canonicorum Regularium S. Augustini in diœcesi Puderbornensi, a Joanne Gamansio ibidem descripta: ubi hic præfigebatur titulus:* Incipit Vita sanctarum germanarum Virginum, Potentianæ, quæ est XIV

Acta scripsit S. Pastor.

D Kalendas Junii, et Praxedis cujus festum est XII Kalendas Augusti. *Eadem, sed paulo contractius, habentur in insigni MS. nostro. In aliis MSS. habentur ipsa in duas partes divisa, ut singulæ ad harum Sororum natalitia legerentur, et sic eadem habemus ex MS. Trevirensi S. Martini, et priora de* S. Potentiana *ex MSS. Trevirensi S. Maximini, et alio antiquo codice nostro, item alio Christinæ Reginæ Sueciæ numero* 482 *signato: posteriora vero de* S. Praxede *ex MSS. Fuldensi, atque Hospitalis S. Martini, quæ et apud Mombritium excusa sunt. Nos simul damus omnia, ut Lector per se æstimare possit, utrum plane sincera sint, et ab iis qui duos* Pudentes *nescierunt distinguere, non sit admixtum furfuris aliquid, haud ægre discernendum a puriori farina, si in principio vel expungas nomen* Apostolorum, *ut supervacaneum perperamque intrusum; vel ex alio MS. addas verbum legasque* Apostolorum cultor, *scilicet etiam post mortem eorum, sicuti Timotheus in suo rescripto petit commendari* memoriæ sanctorum Apostolorum: *et pro* B. Paulo, *qui omnes docuerit, legas* B. Pium. *Conjectura tamen hæc mera est, fundata in temporum ratione, quam ulterius expendendam viris eruditis proponimus.*

4 *Colitur* S. Pastor XXVII *Julii, Martyrologio Romano inscriptus: qui quod apud Anastasium Bibliothecarium aliosque dicatur* frater S. Pii *Pontificis Romani non continuo admittimus; veremurque ne sit ab iis intrusum, qui censuerunt eumdem esse Hermetem, cui Angelus in habitu pastoris apparuit; hic autem Hermes, non ipse Pastor, in Catalogo Romanorum Pontificum antiquiore, a nobis ante mensis tomum* I *Aprilis edito, aliisque pluribus MSS. dicitur* frater S. Pii Papæ: *de quo ad Vitam* S. Hermæ IX *Maji nonnulla diximus. Dubitari etiam posset quo sensu* S. Pastor, *Timotheo Presbytero scribens, statim initio epistolæ dicat,* Pudens frater noster. *Sed satis clarum mihi videtur, fraternitatem, non sanguinis, sed religionis intelligi; quemadmodum infra, de Novato loquens eidem Timotheo,* vester, *inquit,* Germanus, qui est frater noster in Domino. *Simili autem modo, et non alio, Timotheus in rescripto,* ipsi sancto Fratri Pastori Presbytero et sanctissimæ sorori Praxedi in Domino salutem *dicit. Atque hæc de sanctarum Virginum familia sufficiant: cui quod cognomen fuerit disputat Floravantes Martinelli, in primo Trophæo sanctæ Crucis sub annum* 1655 *Romæ excuso; et in eorum propendet sententiam, qui Serviliorum genti eas adscribit, propter* Servilium Pudentem, *tempore Trajani Legatum Nicomediæ a Plinio nominatum; et* Q. Servilium Pudentem *anno* CLXVII *Consulem cum* L. Fusidio Pollione. *Sed fallacem esse conjecturam probant aliarum familiarum cognomina, quibus additum* Pudentis *nomen, ac sigillatim* L. Arrius Pudens, *anno immediate præcedenti Consul cum* M. Gavio Orfito.

E

an hic frater S. Pii Papæ,

aut S. Pudentis?

F

5 *Restat ut de ecclesiis titulisque* Pastoris, Pudentianæ, et Praxedis *dicam, quoniam hic quoque obscuritatis aliquid occurrit apud Auctores, primam confundentes cum secunda; ipsa vero hæc Acta videntur primam a secunda non distinguere, cum dicitur,* quod S. Pius Episcopus Thermas Novati dedicavit Ecclesiam sub nomine beatæ Virginis Potentianæ (*alibi* Praxedis *legitur*) infra urbem Romam, in vico qui appellatur Lateranus, ubi constituit et Titulum. *Constat interim, olim hodieque diversissimas esse duarum Sororum ecclesias, alteram in capite Saburræ ad montem Esquilinum, quousque se potuit olim vicus Lateranus extendisse, versus Lateranense Palatium porrectus; alteram in monte Viminali, ubi* Novati Thermas *exstitisse extra controversiam est; distantque ab invicem ecclesiæ illæ trecentis ut minimum passibus, mediam oblique respicientes Basilicam S. Mariæ Majoris. Primam* S. Praxedis *Vallumbrosani Monachi obtinent, alteram* S. Pudentianæ *Bernardini reformati ex Gallia, Folientes dicti.*

Ecclesia S. Pudentianæ

in Thermis Novati non S. Praxedis:

Hi

A *Hi ipsam obtinuerunt ab ejus restauratore Henrico Cardinali Cajetano, sub Pontificatu Sixti V, ut scribit Pancirolius; isti suam possederunt per annos minimum quingentos, uti ex Onuphrio Panvino colligitur, suum de præcipuis Urbis ecclesiis libellum edente sub annum* 1570 *et annos quadringentos numerante.*

ad eamdem translatus titulus Pastoris,

6 *Idem Onuphrius in eodem libello agens de* S. Pudentianæ *ecclesia, asserit, quod* omnium urbis ecclesiarum, quæ modo supersunt, vetustissima est. *Atque hoc ei ceterisque id asserentibus facile concessero; non item absque restrictione, quod* hæc ecclesia antiquitus Titulus Pastoris dicebatur, de S. Pastoris Presbyteri nomine, qui primus eum Titulum tenuit. *Nam, si de prima Tituli institutione agatur ipse Pastor de* Pudente *sic loquitur:* Domum suam ecclesiam Christi consecrari cupiens, per nos peccatores ad effectum perduxit, ubi et Titulum nomini nostro constituit in urbe Romana, in loco scilicet qui appellatur vicus Patricii. *Postea agit Pastor de* Thermis Novati, *similiter in ecclesiam conversis; illiusque verba præ oculis videtur habuisse Anastasius Bibliothecarius, quando scripsit de Pio, quod* rogatu B. Praxedis dedicavit ecclesiam Thermas Novati in vico Patricii, in honorem S. Potentianæ sororis suæ.
B *Igitur dixerim, in eodem quidem vico Patricio, sed diversas fuisse ecclesias* Pastoris *et* Pudentianæ; *cum tamen prior illa vel corruisset vel desolata esset,* Titulum Pastoris *(ut sæpe alias factum ostendi potest) alteri esse unitum, incertum quando et quo auctore; nisi quod, Onuphrio teste,* Leopardus et Maximus Presbyteri sub S. Innocentio Papa, *id est initio seculi* v in sepulcro ante ecclesiam S. Pudentianæ sunt conditi: *quodque* in *ejus* parte dextera vetustissimum est sacellum, musivo opere decoratum, a quodam Maximo viro illustri conditum, in quo vulgo S. Petrum primam Missam celebrasse traditur. *Quæ si de uno eodemque* Maximo *possint intelligi, ut posse videntur; consequens haud inverosimile erit, translationem Tituli factam tempore prædicti Innocentii Papæ; ejusque translationis monumentum mansisse in sacello ad eum finem sub nomine* Pastoris *erecto (sic enim etiam hodie vocatur) novis marmoribus picturisque ab ecclesiæ restauratore Card. Cajetano exornatum. Vulgari autem traditioni ignoscendum, quod more suo tempora, personas, locaque confundens, ex superstite nomine credat ipsum fuisse veterem* S. Pastoris *Titulum; quodque eum* Pudentem, *in cujus ædibus primum est erectus, non distinguat a S. Petri hospite seu discipulo.* D

AUCTORE D. P. forte sub Innocentio I

7 *Eadem* S. Pudentianæ *ecclesia aliam postea restaurationem accepit, quam ante seculum nonum factam deberemus existimare, si crederemus Floravanti Martinelli, sigilla supra portam majorem sculpta referenti ad ætatem Hadriani primi. Sed subjecta singulis sigillis Leonini rythmi carmina talem conjecturam refellunt. Nam Leoninorum versuum initium nemo eruditus fecerit seculo* XII *antiquius; quando etiam floruit Innocentius II, similibusque exornata est absis basilicæ S. Mariæ transtiberim, qualem ad Acta S. Calepodii Presbyteri exhibuimus spectandam, die* X *Maji. Et fortasse sub hoc secundo Innocentio, non autem primo, vixerit ille* Maximus, vir illustris, *ac postmodum Presbyter; cui putamus posse tribui qui* S. Pudentianæ *ecclesiam restauraverit, fortassis et* Pastoris *Titulum ei uniendum curaverit, effictis ad hoc ipsum significandum prædictis sigillis: quorum hanc excipe expressionem, a Floravante Martinelli sumptam, et Innocentii II ævo omnino aptam.* E

aut potius secundo,






Omisit Floravantes quintum, inter quatuor sigilla medium, in quo Agnus *exprimebatur cum nonnulla ad Titulum* Pastoris *allusione, per hujusmodi versus in orbem circumscriptos.*

cum sigillis et versibus seculi 12.

C Mortuus et vivus idem sum Pastor et Agnus.
Hic Agnus mundum restaurat sanguine lapsum.
Ad dextrum Agni *latus proxima Virgo, sic compellatur.*
Protege præclara nos Virgo Puden-que-tiana.
Virgo Puden-que tiana coram stat lampade plena.
Ad sinistram, ejusdem Soror similiter invocatur:
Nos pia Praxedes, prece sanctas confer ad ædes.
Occurrit Sponso Praxedes lumine claro.
Rursum ad dextram S. Pastor *in habitu Sacerdotali, circumcurrente hoc disticho,*
Sancte, precor, Pastor, pro nobis esto rogator.
Hic cunctis vitæ Pastor dat dogmata sanctæ.
Ac denique ad sinistram S. Pudens, *in habitu, ut vult Floravantes. Lectoris sacri, vel, ut mihi potius videtur, Senatorio palliatus, cum addito:*
Terogo, Sancte Pudens, nos purga crimina trudens.
Almus et iste docet Pudes ad sidera calles.

Ecclesia S. Praxedis a variis restaurata

8 *Hactenus de* S. Pudentianæ *ecclesia ab hac autem credo alteram* S. Praxedis *ipsis in Actis satis fuisse distinctam; sed scriptorio mendo et hoc perquam vetusto, excidisse lineam, totumque locum sic esse legendum:* Eodem tempore, *scilicet post mortem Novati,* Virgo Domini Praxedis, accepta potestate, rogavit B. Pium Episcopum ut Thermas Novati, quæ jam tunc in usu non erant, ecclesiam consecraret: quod et placuit Sancto Pio Episcopo, Thermasque Novati dedicavit ecclesiam sub nomine beatæ Virginis Potentianæ [in vico Patricius: dedicavit autem etiam aliam sub nomine beatæ Virginis Praxedis] infra urbem Romam, in vico qui appellatur Lateranus, ubi constituit et Titulum. F *De hoc vero apud Bibliothecarium in* Hadriano I *legitur, quod* Titulum S. Praxedis, ex parte ruentem, in integrum renovavit. *Postea autem* S. Paschalis Papa (*uti ad ejus Vitam ex eodem Bibliothecario ad* VI *Maji diximus*) ecclesiam beatissimæ Praxedis, quæ quondam priscis ædificata temporibus nimio jam senio laxata erat, ita ut a fundamentis casura ruinam sui minaretur, in alium non longe demutans locum, in meliorem eam quam dudum fuerat erexit statum. *Addit Pancirolius* S. Carolum Cardinalem Borromæum, *huic loco pientissime devotum, plurimis modis ipsum restaurasse et exornasse, ubi et utriusque sanctæ Sororis statuas ante Tribunam erexerit, et marmor ad introitum portæ majoris in pariete, supra quod credebatur S. Praxedes, macerandi corporis causa cubasse: ac denique* Alexandrum Cardinalem de Medicis, qui postea fuit Leo XI, *novarum picturarum addidisse ornamenta. Pompeius Ugonius in Historia Stationum Urbis, agit statione*

AUCTORE D. P.

In hac utriusque sanctæ corpora cum sanguine Martyrum

A xli *de eadem Ecclesia S Praxedis; asseritque* sub majori altari asservari Corpora duarum sanctarum sororum Praxedis et Pudentianæ, et ad ingressum ecclesiæ sub cratibus ferreis in medio navis principalis esse puteum sanguinis Martyrum, a S. Praxede cum spongia collecti. *Quod idem perperam tribuitur* S. Pudentianæ *in inscriptione, in ecclesia* S. Pudentianæ *appensa, et ab Aringho lib. 4 Romæ subterraneæ cap. 43 excusa, quæ est hujusmodi.* Hoc est cœmeterium Priscillæ, in quo existunt corpora trium millium Martyrum, martyrio per Antoninum Imperarem affectorum : quos S. Pudentiana fecit in hoc suo venerabili templo sepeliri, et propriis manibus spongia colligebat sanguinem supradictorum Martyrum, et reposuit in puteo, qui est ad dexteram hujus ecclesiæ in sacello S. Pastoris. *Hæc ibi, sed perquam ignoranter sculpta. Etenim* cœmeterium Priscillæ erat via Salaria, *in quo* SS. Pudens, Pudentiana et Praxedis *fuerant sub initium sepulti.*

Memoria earumdem in Fastis,

9 *Eodem modo Martyrum sepultura, non* S. Praxedi, *sed* S. Pudentianæ *tribuuntur in Martyrologio Romano ad hunc* xix *Maji his verbis :* Romæ S. Pudentianæ Virginis, quæ post innumeros agones post B multorum Martyrum venerabiliter exhibitas sepulturas, post omnes facultates suas pauperibus pro Christo erogatas, tandem de terris ad cœlos migravit. *At* xxi *Julii de* S. Praxede *ista leguntur :* Romæ S. Praxedis Virginis, quæ in omni castitate et lege divina erudita, vigiliis et orationibus atque jejuniis assidue vacans, quievit in Christo, sepultaque est juxta sororem suam Pudentianam via Salaria. *Quod elogium æque ad* Pudentianam *spectat. Interim eadem apud Usuardum leguntur : sed prior* Potentiana *appellatur. Plura de illis ex Actis habentur apud Rabanum, Adonem et Notkerum. At de* S. Pudente, *illarum parente, ad hunc* xix *Maji ista adduntur apud Usuardum :* Eodem ipso die B. Pudentis, patris prædictæ Virginis, qui ab Apostolis Christo in baptismo vestitus, innocentem tunicam usque ad coronam vitæ immaculate custodivit et servavit. *Similia leguntur apud Adonem, Bellinum, Maurolycum, aliosque recentiores cum Martyrologio Romano, in quo appellatur* Senator.

uti et S. Pudentis.

Reliquiæ in aliis ecclesiis Romæ,

10 *Celebrantur festa* S. Pudentianæ *et* S. Praxedis *sub ritu Simplici in Breviario Romano, ast sub ritu Semiduplici* S. Pudentianæ *in ecclesia Vaticana S. Petri, quod istic habeant partem capitis illius. Caput vero* Praxedis *asservari in ecclesia S. Salvatoris ad* C *Scalam-sanctam tradit Pancirolius in Thesauro urbis Romanæ, et alias earumdem Virginum Reliquias in variis ecclesiis Romanis esse. Utriusque etiam Reliquias aliquas esse Bononiæ asserit Masinus, scilicet* S. Pudentianæ *in ecclesia S. Petri et alia Annuntiatæ dicta extra portam S. Mamoli; et* S. Praxedis *in basilica S. Stephani atque in ecclesia S. Joannis in Monte-Pragæ quoque haberi* brachium Potentianæ Virginis, ab immemorabili tempore, *scribit in Diario Metropolitanæ ecclesiæ S. Viti illius Decanus Pezzina Samadriensis in Hungaria Episcopus. Denique Ranuccius Picus in Theatro Sanctorum et Beatorum Parmensium Vitam describit, propter Reliquias, in altari majori ecclesiæ Cathedralis depositas, et dolet ignorari, quomodo et quando fuerint ex Parmam allatæ. Coloniæ nihilominus apud Carthusianos asservari* caput S. Pudentianæ Virginis Romanæ, sororis S. Praxedis, *dixit Gelenius in sua Colonia lib. 3 Syntagmate 40 § 2. Addit autem ibidem esse* caput S. Praxedis, sed ex societate Ursulana Reginæ, *quod etiam de illa* S. Pudentiana *melius dicetur, itemque de aliis eorumdem nominum Reliquiis, quæ Coloniæ in aliis ecclesiis, Cameraci, Duaci, Castellione in agro Senonensi et alibi asservari creduntur. Saturninus, cognomento ab omnibus Sanctis, Carmelita Discalceatus provinciæ Aquitanicæ, in libro sub titulo* Antiquæ Romæ post prædi- D cationem Evangelii sanctificatæ *Gallice anno* MDCLXVI *Lugduni excuso, asserit cap.* 13 eo tempore, quo ipse Romæ existebat, inventum fuisse corpus S. Pudentis, sibique datum fuisse ab Archiepiscopo Patracensi Vicesgerente, a se vero missum in Gallias ad Conventum Carmelitarum Discalceatorum Lemovicensem, in quorum templo hoc die xix Maji fidelium devotioni expositum colitur. *An illud corpus credi possit esse* S. Pudentis Senatoris, *aliis examinandum et determinandum relinquimus.*

Bononiæ, Pragæ et Parmæ,

an etiam Coloniæ, Duaci et alibi.

S. Pudentis alicujus corpus Lemovicis.

ACTA

Auctore S. Pastore, oculato teste.

Ex MSS. codicibus.

Pastor Presbyter Timotheo Presbytero salutem. *a* Pudens, frater noster *b* et amicus Apostolorum [cultor] et susceptor peregrinorum summo studio fuit. Qui post mortem conjugis suæ Savinillæ et parentum, id est, patris Punici et matris Priscillæ, qui eum uxori junxerant, mundi facultate contempta in omnibus Domini præceptis eruditus est. Defuncta E autem uxor reliquerat ei duas filias Praxedem et Potentianam : quas idem Pudens in omni castitate nutrivit, et nimio Christianitatis amore, omnem legem divinam edocuit. Hic itaque a B. Pio *c* doctus, qui et te docuit, domum suam post mortem uxoris suæ ecclesiam Christi consecrari cupiens, per nos peccatores ad effectum perduxit : ubi et Titulum nomini nostro constituit in urbe Romana, in loco scilicet qui appellatur Vicus Patricii. De hoc ergo Pudente notum tibi facio quia migravit ad omnium Dominum, et reliquit prædictas filias, castitate fultas, omnique lege divina eruditas.

a b S. Pudens constructa ecclesia obit.

c

2 Porro ipsæ beatæ Virgines, omnes facultates suas vendentes, erogaverunt pauperibus : ac sine dolo in Christi amore permanentes integræ, in virginitatis flore omni modo gloriantur, in vigiliis, jejuniis, et orationibus jugiter perdurantes. In eodem vero loco, ubi Titulum meo nomini pater earum bonæ recordationis Pudens dedicavit, hoc consilium inter me et famulas Christi Praxedem et Potentianam convenit, ut in die sancto Paschæ (quia desiderium earum nimio fidei amore urgebat) propter familiam communem, quæ Gentilis erat, in eodem Titulo fontem baptismi construere studuissemus. F Super quo consilio cum consuluissemus Pium, Sedis Apostolicæ sanctum Episcopum ; tanto desiderio placuit ei, ut summo studio hortaretur fieri baptisterium prout conveneramus : ipse etiam manu propria fontem designavit, et construxit. Et cum Dei adjutorio omnibus perfectis, convocaverunt famulæ Christi familiam suam, tam de urbe quam de possessionibus, et facientes discussionem quoscumque invenerunt Christianos, donaverunt ingenuitati ; quos *d* Gentiles applicuerunt ad credulitatem legis sanctæ Christi. Ubi tunc, inito consilio tum beato Pio Episcopo, in eodem Titulo secundum normam antiquitatis manumissio celebrata est. Ad diem vero sanctum Paschæ baptizati sunt promiscui sexus numero nonaginta sex : et cum omnia consummata fuissent, factus esse cœpit conventus in eodem Titulo, ita ut diebus ac noctibus vox hymnorum non cessaret, et multitudo Paganorum ad fidem concurreret, et cum omni gaudio baptizarentur.

Ejus filiæ SS. Praxedis et Potentiana,

baptisterium construunt :

d

multi baptizantur :

3 De qua re suggestio facta est Antonino Imperatori. Qui Antoninus piissimus Augustus auctoritate sua præcepit, ut quicumque Christum colerent, scirent sufficere sibi in habitaculis suis vivere ; et ut nulla conjunctione reliquo populo jungerentur, neque

A que publice emerent, nec in thermis publicis habitarent, sed tantum in domibus suis manerent. Hoc præceptum cum custodiretur ab universis Christianis; filias nostras Deo dicatas, et in virginitate bono testimonio confirmatas, in domo sua in Titulo supra dicto orationibus, vigiliis ac jejuniis, cum populo Dei, qui per eas crediderat, vacantes et in Christi laudibus diu noctuque insistentes, habentes necessaria sufficienter, plurimis diebus custodivimus. Sed et ipse beatissimus Pius Episcopus exultans frequenter nos visitabat, et Sacrificia Domino pro nobis offerebat.

ob edictum Imperatoris latent.

4 Concludens autem *e* sedecim annos Virgo Domini Potentiana, migravit ad Dominum. Cujus corpus nos una cum Germana ejus involvimus cum omni diligentia aromatibus, et habuimus occultum in Titulo supradicto. Post dies autem viginti et octo, detulimus noctu corpus, et posuimus juxta patrem suum Pudentem, in cœmeterio Priscillæ via Salaria *f* xiv Kalend. Junii.

e Moritur S. Potentiana,

f

5 *g* Post cujus mortem Virgo Christi Praxedes habitavit in eodem Titulo, vehementer affligens se propter transitum germanæ suæ. Ad quam cum B multi nobiles Christiani consolandi gratia venirent, una cum sancto Pio Episcopo; venerat etiam ad eam germanus vester *h* Novatus, qui est frater noster in Domino, consolans eam, et multos Christianos pauperes suis facultatibus reficiebat, et ministrabat omnibus de facultatibus suis in honorem ejudem Virginis Praxedis, petens ut orationibus suis indulgentiam mereretur; qui et vos frequenter beatissimo Pio Episcopo, ad altare Domini accessuro, commendabat. Accidit post hæc post annum et dies viginti tres, ut ægritudine detentus Novatus, absens esset a conspectu beatæ Virginis Praxedis. Pio itaque Episcopo cogitante de omnibus Christianis una cum Virgine Praxede, requiritur inter eos et Novatus: de quo cum auditum fuisset quia ægritudine detineretur; contristati sumus omnes.

g S. Praxedes invisitur a S. Novato,

h

6 Tunc dicit B. Praxedis ad patrem nostrum sanctum Pium Episcopum: Jubeat Sanctitas vestra ut eamus ad eum, si forte visitatione nostra et orationibus vestris salvet eum Dominus. Quod dictum cum placuisset omnibus nobis, et nocte surgentes perrexissemus ad eum; videns vir Dei Novatus nos omnes congregatos ad se venisse, gratias agere cœpit Deo, quia meruit a Sancto Pio Episcopo, et Virgine Domini una cum nostra devotione visitari. Et fuimus in domo ejus, diebus ac noctibus octo. In quibus C diebus placuit ei, ut nobis ac beatæ Virgini omnem substantiam suam derelinqueret. Hoc ita ordinato, tertio decimo die migravit ad Dominum. De quo facto litteras hujus textus ad vos direximus, una cum auctoritate beati Pii Sedis Apostolicæ Episcopi et Virginis Christi Praxedis: ut quod vobis placuit de substantia germani vestri nos faciatis scire: quatenus ordinatio vestra in omnibus custodiatur. Missa per Eusebium Romanæ Ecclesiæ Subdiaconum. *i*

qui æger ab aliis visitatur,

et dein moriens relinquit possessiones ad votum aliorum,

i

Rescripta Thimothei Presbyteri.

7 Timotheus Presbyter Sancto Fratri Pastori Presbytero, et Sanctissimæ Sorori Praxedi, in Domino salutem. Famulatum vobis ubicumque nostri indigueritis libentissime exhibentes, oramus Sanctitatem vestram, ut et nos humiles commendare dignemini memoriæ sanctorum Apostolorum, Sanctoque Pio Sedis Apostolicæ Præsuli, et omnibus Santis. Ego humilis gaudio repletus sum magno, audiens quid mihi scribere dignati estis. Unde noverit sanctitas vestra, meam in hac re pro qua scripsistis votivam esse conscientiam: et quod germano meo placuit, placet et nobis famulis vestris, hoc est, ut in arbitrio tuo sit et sanctæ Virginis quidquid dereliquit: et secundum quod vobis placuerit dispensare ea, potestatem habeatis. Hac epistola gaudio repleti sumus: et tradidimus eam legendam sancto Pio Episcopo. Qua ille lecta gratias egit Deo. D

quod approbat Timotheus.

EX MSS.

8 Eodem tempore Virgo Domini Praxedis accepta potestate rogavit beatum Pium Episcopum, ut thermas Novati, quæ jam tunc in usu non erant, ecclesiam consecraret: quia ædificium magnum in iisdem et spatiosum esse videbatur. Quod et placuit sancto Pio Episcopo: thermasque Novati dedicavit ecclesiam, sub nomine beatæ Virginis *k* Potentianæ [in vico Patricius. Dedicavit autem et aliam sub nomine sanctæ Virginis Praxedis] infra urbem Romam; in vico qui appellatur Lateranus: ubi constituit et titulum Romanum: in quo loco consecravit baptisterium sub die iv Idus Maji. Post duos annos facta persecutio magna Christianorum: et multi martyrio coronati sunt. Quo tempore Virgo Domini Praxedis multos Christianos occultabat in præfato titulo: quos et cibo pascebat et Dei verbo. Tunc divulgatum est Antonino *l* Imperatori, quod conventus fierent Christianorum in titulo Praxedis. Misitque statim et tenuit multos ex illis: inter quos tenuit Simetrium Presbyterum cum aliis viginti duobus: et eos sine audientia gladio puniri præcepit. Quorum corpora E noctu Beata Praxedis collegit, et in cœmeterio Priscillæ *m* sub die vii Kalendas Junii sepelivit. Deinde Virgo Domini, nimia corporis afflictione constricta, cum intimis suspiriis ad Dominum ingemuit, et ut ex hoc mundo tutius auferri mereretur oravit. Cujus orationes et lacrymæ pervenerunt ad cœlum. Nam post dies quinquaginta quinque *n* passionis prædictorum Sanctorum, die videlicet duodecimo Kalendas Augusti, migravit ad Dominum. Cujus corpus ego Pastor Presbyter sepelivi juxta patrem Pudentem, Via Salaria, in cœmeterio Priscillæ. Ubi florent orationes eorum *o* [usque hodie]: præstante Domino nostro Jesu Christo, cui est honor et imperium per æterna secula seculorum. Amen.

Thermæ in ecclesiam consecrantur:

k

l

m

n S. Praxedis obit 21 Julii.

o

ANNOTATA.

a *In aliis antiquis MSS. et apud Mombritium hoc exordium collocatur:* Omnia quæ a Sanctis gesta sunt vel geruntur, si quis voluerit studiose conquirere, et sibi et plurimis ædificationis exhibet fructum; et quasi arbor fructifera non sine causa probatur occupare terram dum vivit, cum et ipse suis pomis ornatur, et omnis qui ex eo fructum perceperit saginatur. Scribimus, ut in gestis invenimus, quid egerint, quid locuti sint, quid passi sint Sancti. Ostendite F vos esse Catholicos, qui Christi victorias semper libenter auditis, et interrogo vos, * quos tamen inter apocryphas litteras hæc vocando censetis, per quas [laudatur] Pudens, frater noster et amicus Apostolorum, quia cultor et susceptor sanctorum peregrinorum summa ambitione fuit. Qui contempto mundo et parentum facultate, Christo semper paratus, in omnibus Domini præceptis etc. *ut supra: Hoc autem exordium videri posset ætate Gelasii Papæ concinnatum, quando multus Romæ sermo de apocryphis discernendis: causa certe suppetebat de his Actis dubitandi, propter insertam mentionem* Apostolorum *et* B. Pauli, *et hinc existentem parachronismum. Aringhus Romæ subterraneæ lib. 4 cap. 28 alia MSS. Vaticana allegat, sub numeris 4 et 9, quorum initio agitur de* Antonino Imperatore; *et subditur:* hujus temporibus vir fuit in urbe Roma, nomine Pudens, genere nobilis, cujus pater vocabatur Punicus, mater autem Priscilla: quorum quidem arbitrio duxerat conjugem, nomine Sabinellam, illustribus æque ortam natalibus, de qua duas suscepit filias, pulchras specie, sed moribus pulchriores. *Hæc autem genuini styli simplicitatem*

* *an.* quare tandem.

A *citatem non sapiunt, maleque tribuuntur Pastori. Minus alteratus textus est, alteratus tamen, in codice* 1188 *ejusdem Vaticanæ Bibliothecæ, cujus ecgraphum nobis sua manu descripsit R. P. Joannes Franciscus Vannius hoc exordio.* Sanctissimo ac venerabili Presbytero, Timotheo Fratri, Pastor Presbyter. Noverit fraternitas tua, quoniam Pudens frater noster et amicus, Apostolorum cultor, et susceptor peregrinorum et contemptor mundi, in omnibus præceptis Domini eruditus fuit.

b *Ita omnino conjungenda hæc puto,* Frater noster et amicus, *vocem autem* Apostolorum *vel expungendam, vel ex Aringo et MS. Vaticano addendam ei vocem* cultor, *interpunctione correcta.*

c Pauli *nomen in* Pii *commutamus, ob rationes jam dictas : nec enim* Pauli *nomine puto hic posse intelligi ejus epistolas, quarum lectio Pudenti et Timotheo pro magisterio fuerit : et* Pius, *etiam diu antequam anno* 146 *Episcopus consecraretur, potuit adhuc Presbyter utrumque instituisse, et totius familiæ fuisse Pater spiritualis. Nisi velimus opinari, aliquem revera* Paulum, *non Apostolum, sed* Presbyterum, *uno post illum seculo floruisse, qui familiam catechizarit et baptizarit. Res* B *liquida foret, si talis Presbyteri aliquod alibi reperiretur indicium.*

d *MS. Bodecense,* Quos paganos associaverunt fidei : *sed vox* Paganus *in hac significatione multo posterior est ætate Pastoris.*

e *MS. idem,* concludens se XII annis; *sed suspectus est numerus alibi semper expressus ad longam, hoc autem solo loco litteraliter : magis etiam displicet Reclusio intra vel juxta ecclesiam, quæ vereor ut possit ea ætate usurpata credi : et denique nihil est causæ cur formidemus adeo tenera ætate mortuam dicere.*

f *MS. Bodec.* Obitus ejus celebratur XIV Kalendas Junii. *Sed potius dicenda esset* Depositio.

g *Hinc incipiunt Acta S. Praxedis in variis MSS.* *hoc modo.* Virgo venerabilis Praxedis habitabat in D Titulo supradicto : *aliis,* in Titulo patris sui Pudentis, *aut,* in Titulo Lateranensi.

h *Colitur* S. Novatus 20 *Junii, etiam Martyrologio Romano adscriptus, et dicitur* filius S. Pudentis Senatoris et frater S. Timothei Presbyteri, et sanctarum Christi Virginum Praxedis et Pudentianæ, qui ab Apostolis eruditi sunt in fide, *quorum nihil probamus, præter fraternitatem Timothei.*

i *Hactenus epistola Pastoris ad Timotheum : quæ sequuntur deinde ipse etiam Pastor ad posterorum memoriam adjunxit.*

k *Alia MSS.* Praxedis : *sed utramque nominandam fuisse jam docuimus.*

l Antoninum *hic intelligimus eumdem qui supra* Pium, *non vero ejus filium* Marcum Aurelium Antoninum *(qui ab Eusebio in Chronico et antiquo Catalogo Pontificio in Eleutherio etiam* Antoninus *simpliciter vocatur, et sub quo gravem persecutionem motam esse constat anno ejus* VII *Christi* 168) *et hoc quia nullam mutati Imperii vel Pontificatus mentionem facit Pastor; quod tamen hic locus exegisset, si post utriusque mutationem mota primum esset persecutio, de qua sermo est.*

m *In MSS. Romanis apud Aringhum ita legitur :* Quorum corpora noctu B. Praxedis colligens, sanguinem quoque spongia, quæ hactenus extat, de pavimento exhauriens, sepelivit juxta patrem ac sororem suam in cœmeterio Priscellæ, sub die VII Kalendas Junias : *quo die memoria eorum celebratur.* E

n *Totidem scilicet dies numerantur a* 26 *Maji ad* 21 *Julii : ideoque correximus MSS. in quibus solum legebantur triginta quatuor.*

o *Si tota clausula ab signo * non est alterius auctoris, quod suspicor : Pastoris certe non est illud,* usque hodie, *longiorem præteriti temporis intercapedinem denotans.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

D. P.

CALOCERO ET PARTHENIO

EUNUCHIS UXORIS DECII IMPERATORIS.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C Cultus ex Martyrologiis. Acta vetera ex MSS. Reliquiæ in Maurimontis Lotharingiæ Abbatia. F

ANNO CCL.

Memoria horum illustrium athletarum inscripta *est passim omnibus sacris fastis Latinis, ab eaque hunc diem auspicantur antiqua Martyrologii Hieronymiani apographa. Horum vetustissimum Epternacense sic habet :* Romæ natalis Caloceri, Parthenii, eunuchorum Decii Imperatoris et uxoris ejus, *aut (sicut Rabanus, Ado et Nokerus scribunt)* eunuchorum uxoris Decii Imperatoris. *In apographis Lucensi et Blumiano ista adduntur :* qui, cum esset unus ex his Præpositus cubiculi, alter Primicerius, nolentes sacrificare idolis a Decio occisi sunt, et requiescunt in cœmeterio juxta viam Appiam. *Eadem iisdem fere verbis leguntur apud Adonem, Notkerum et alios, omissaque sepultura apud Florum, Rabanum, Usuardum atque alios plures cum hodierno Martyrologio Romano : ad quod in Notis Baronius late de dignitate Primicerii seu* Primi *in variis muniis agit, quem Lector consulat. De loco sepulturæ in cœmeterio ad S. Xystum agit Aringhus, in Roma subterranea lib.* 3 *cap.* 15 *num.* 2, *et verba, quæ in Actis de horum sepultura habentur, allegat. Petrus de Natalibus lib.* 5 *cap.* 17 *de eisdem agit, et uxorem Decii appellat* Tryphoniam, *quæ postmodum fidem Christi amplexa et sancte mortua, colitur* XVIII *Octobris, inscripta Martyrologio Romano et aliis.* SS. Paternus et Calocerus *relati in MS. Leodiensi S. Laurentii et in Florario MS. ad diem* XXIX *Maji non sunt ab his distinguendi, uti nec quos genuinus Beda ex eoque Rabanus, Notkerus, Vandelbertus et Galesinius referunt* III Idus Februarii Romæ Calloceri et Parthemii : *qui forte est dies Translationis in Galliam, de qua mox. Denique iidem sunt quos Notkerus* Romæ *passos habet ad* XVIII *Aprilis : solum vero* Parthenium *reperire etiam est ad* XVII *Aprilis, in quodam auctiori Usuardo apud Christinam Reginam Sueciæ. Acta habemus descripta ex antiquis codicibus Trevirensi S. Maximini, Parisiensi Jacobi Sirmondi, et alio nostro : item ex Ultrajectino S. Salvatoris, extantque in codicibus monasteriorum S. Huberti apud Arduennates et Bodecensis in diœcesi Paderbornensi. Addidit Sirmondus, Passionem hanc desumptam ex antiquo et fido MS. Gravis sane est scriptio, et quam fere totam possis credere*

dere

A *dere desumptam ex Actis notarialibus, ita plano ac simplici modo interrogationes responsaque procedunt: in iis tamen, quæ auctor de suo addidit in principio ac fine, deceptus est nomine persecutionis Decianæ; seu potius auctoritate Actorum S. Laurentii, Decium Imperatorem nominantium, quasi sub eo passus sit ille una cum S. Sixto Papa.*

Translatis in Galliam Reliquiis

2 *Horum Martyrum Reliquias aliquas esse in ecclesia SS. Sixti et Silvestri in Campo Martio, scribit Piazza in Sanctuario Romano: sed potior pars pridem fuit ablata in Galliam. Siquidem* Mauri montis Monasterii restauratio fidem facit, horum Reliquias in Diœcesi Catalaunensi apud Mauri-montem cultas fuisse ante annum MLXXIV, *ut notat Guilielmus Marlot, ad historiam suam Remensem part. 2 lib. 2 cap. 1, producens Archiepiscopi Manassis chartam, tali anno et Indict.* XII *ipsis Kalendis Novembris notatam, in qua sic legitur.* Hæc Abbatia, a Nanceio Comite suo numero duodecim Canonicorum, assidue ibi Deo famulantium, copiose constituta, et cum omni (quæ erat multiplex) possessione ad victum Canonicorum S. Mariæ tradita, sic violentorum manibus et possessorum injuria distracta et perdita defecerat, ut esset

Abbatia Mauri montis dotatur a Nanceio Comite,

B redacta ad titulum unius Sacerdotis, qui raro accessu Reliquiis sanctorum Martyrum Caloceri et Parthenii, ibi negligenter positis, famularetur. Quorum sanctorum Martyrum negligentiæ et eorum Abbatiæ destructioni zelo pietatis compatiens filius noster Oldoricus Remensis Ecclesiæ Præpositus, cum consilio nostri Prædecessoris Gervasii et Canonicorum concessu, hanc ei loco perquisivit et fecit reparationem, ut ibi constitueret monachos, qui jugiter Deo et sanctis Martyribus deservirent. *Ad horum victum quas terras ex antiquis possessionibus restituerit Capitulum S. Mariæ, et sub quibus conditionibus, eadem charta explicat. Sed talia nihil hic attinet fusius addere; magis ex re foret scire, quis fuerit, et quando vixerit iste* Comes Nanceius; *probabile enim est ipsum esse qui prædictas Reliquias Roma attulit, fortassis Carolum Magnum aut aliquem ex posteris ejus Imperatoribus ad coronam sumendam eo proficiscentibus comitatus: a quo non inepte quis suspicetur conditum* Nanceium, *Ducatus Lotharingiæ deinde caput, Ducum ejus nomine sede sepulcrisque nobile.*

restauratur 11 sec.

3 *Certe Caroli Magni ætate notos fuisse* Abbates Canonicos, *constat ex primo ejus Capitulari cap. 32, quibus mox respondent* Abbates Regulares: *ut mirum non sit, si seculo* VIII *aut* IX *erecta fuerit istiusmodi Ab-*

ejus ex prædone defensor Guido:

C *batia, in loco vulgo* Moirmont *dicto: quæ Abbatia (ut habet sequens ibidem charta)* cuidam Monacho nomine Galtero ad providendum et ad augmentandum est commissa: qui cum totis viribus insudaret diruta restaurare, et paucos servulos famis inopia circumquaque dispersos revocare; Miles quidam de vicino castello, quod appellatur Vienna, Drogo nomine, hujus studium cœpit impedire. *Sed judicio conventus ab Odolrico, et sententia Ducis Godefridi compulsus, postquam* porrecto pignore de damnis quæ Sanctis intulerat satisfecit, idem Præpositus ei totum indulsit, ea conditione ut deinceps non deprædator sed custos loci haberetur. *Factum id fuerat sub Remensi Archiepiscopo Guidone*, cui Gervasius in regimine succedens, supradictorum Martyrum cœnobio quemdam Monachum, Joannem nomine, custodem delegavit: quem ergo Manasses (*inquit ipse hæc scribens*) Abbatem primum ipsius loci ordinavi, paupertatemque ejus in eo loco aliquantulum imminui. Qui Abbas supradictum Militem Drogonem familiarem et suæ Abbatiæ defensorem habuit..... Post cujus decessum filii ejus Raignerus et Gualterus, non servata pactione patris, loco sancto insurrexerunt, multisque rapinis afflixerunt. Quorum Raignerus, inevitabili (ut putabat) plaga vulneratus, Abbatem

et filius Raignerus, malo suo emendatus.

præfatum ut ad se veniret petiit: quo præsente mala D quæ fecerat confitendo deploravit, promittens res Sanctorum si superviveret deinceps se servaturum. Præterea, annuente fratre suo et ceteris parentibus, dedit pro anima sua sanctis Martyribus Calocero et Parthenio quidquid jure hereditatis inter Axonam et Biunnam fluvios possidebat.

AUCTORE D. P.

4 *Benedictinorum esse Abbatiam indicat Marlotus, quam licet non habeant tomo 4 Galliæ Christianæ Sammarthani, eam tamen adhuc superesse in Decanatu S. Manehildis (ubi etiam tabulæ Topographicæ nomen loci exprimunt, prope Novam-villam ad pontem Axonæ) novimus ex Generali Pullario Franciæ anni 1648, esseque juris Regii: an vero ibidem adhuc sint sanctæ istæ Reliquiæ ignoramus, crederemusque translatas Remos, nisi Marlotus hoc dubium faceret. Allegatis enim Martyrologii Gallicani verbis ubi dicitur,* Remis natalis beatorum Martyrum Caloceri et Parthenii, quorum, post gloriosum certamen in causa fidei peractum, sacra lipsana, ad cœnobium S. Remigii allata, congruum cultum acceperunt: De hac translatione silent nostri auctores, *inquit: quo videtur etiam tacitus innuere, neque hodie in isto monasterio quidquam de talibus Reliquiis sciri.*

An inde Reliquiæ Remos delatæ?

PASSIO E

Ex variis Codicibus MSS.

Igitur inter Imperatores Romanos, Christianus primus *a* Philippus fuit. Hic suum filium Philippum regni sui fecit esse consortem. Itaque, cum urbem in Thraciis Philippopolim condidisset, his duobus regnantibus Romanæ urbis millesimus annus est expletus. Hoc tempore *b* Æmilianus illustris evocatus Orientis est ex partibus: qui cum venisset Romam, edidit Consulatum. Hic itaque Æmilianus, prius quam fasces deponeret, vitæ munus invenit. Qui et superstitem filiam dereliquit nomine Calistam, cujus pronomen erat Anatolia. Philippus itaque senior Veronæ occiditur a Decio, et Philippus junior Romæ, ambo videlicet Christianissimi. Elevatur itaque Decius Imperator, homo sacrilegus, qui ambos occiderat Principes. Denique propter ipsos odium in se Christianorum concipiens, Romanæ urbis Episcopum, *c* Sixtum nomine, interfecit, et venerabilem ejus Laurentium Archidiaconum. Misit quoque in Hierosolymam, et ejusdem Ecclesiæ Episcopum Alexandrum occidi præcepit: sed et sanctum Babylam, Antiochenæ Ecclesiæ Sacerdotem: sperans insanus, quod si istos, qui erant capita Ecclesiarum, tolleret, corpus omne Ecclesiæ interiret. Sed insanus homo, vesaniæ suæ veneno saucius, Sanctorum Martyrum et Christianorum gloriam ampliabat, et suam animam crudelissimus occidebat. Sancti autem cum putabantur per occisionem vinci, melius occisi vincebant: qui contemnentes omnia temporalia, ad æternam et perpetuam, contemnentes momentaneam, vitam properabant.

a Post occisum utrumque Philippum Imperat.

b

In persecutione a Decio mota,

c

F

2 Accusantur itaque apud Regem Decium *e* Calocerius et Parthenius, eo quod ipsis suis Eunuchis commendasset moriens Æmilianus Consul filiam suam. Ad quos cum Rex misisset et suo conspectui præsentari fecisset, dixit eis: Audio vos sacrilegos Christianos effectos, omne patrimonium Æmiliani Consulis evertere: sed et filiam ejus ita decepisse, ut gaudeat divitias sibi a patre dimissas vos exhaurire, et personis vilissimis erogare. Calocerus dixit: Nobis quod imperatum est a Domino carnali, hoc fecimus: fuit enim Æmilianus Consul verus Christicola, et opes suas erogandas pauperibus dereliquit. Decius Rex dixit: Parati estote ad sacrificandum diis immortalibus, ut possit mea circa vos mitigari censura.

e SS. Calocerus et Parthenius oblati

A sura. Calocerus dixit : Non timeo censuram tuam, sed Dei : tua enim censura hodie est, et cras non erit ; Dei autem ira æternis cruciatibus punit eos, qui præter ipsum Deum alterum colunt. Decius dixit : Cum sitis juvenes elegantes et divites, ut quid vitam amittere cupitis, et mortem appetitis inhonestam? Calocerus dixit : Mortem inhonestam tu appetis, qui Deum tuum lapidem aut æramentum credis : ego autem mortem inhonestam habere non potero, qui illum Deum, qui ubique regnat et dominatur, credo. Decius dixit : Per Deos et per Deas, quoniam si sacrificaveritis, amicos meos vos faciam : si vero hoc facere contempseritis, diversis vos suppliciis puniam. Calocerus respondit : Optet amicus tuus fieri, qui non timet Deum suum et Dominum habere inimicum. Nam quantum mihi amaræ sunt amicitiæ tuæ, tantum mihi sunt inimicitiæ tuæ dulciores. Decius dixit : Partheni, tu quid dicis ? Parthenius respondit : Quod Calocerus dixit, et ego dico : una enim nobis est voluntas et fides. Decius dixit : Ergo hoc vobis placet, ut præcepta mea contemnentes morte moriamini? Parthenius respondit : Mors, quam tu nobis minaris inferre, vita nostra est, et ideo non timemus iram tuam, quia ex ipsa B nobis nascitur vita perpetua, et corona cum palma æterna.

EX MSS. minas contemnunt :

3 Tunc Decius iratus dixit Præfecto suo Libanio : Cras mane in secretario tuo diversis crucientur suppliciis, si sacrificare contempserint : si vero consenserint, et tuo eos amori copula, et meis amicitiis repræsenta. Libanius igitur Urbis Præfectus, sedens in Tellude, in secretario jussit eos singillatim intromitti. Cumque Calocerus introisset, Libanius ait ei : Ego te pro amicitia introire jussi : si placet, ut sis amicus, ego gratias ago : sin alias, legibus te puniam. Calocerus respondit : Amicitias tuas qui habere voluerit, inimicitias divinas incurrit : et ideo de tuis inimicitiis non curo, quia tantum mihi amorem Dei mei concilias, quantum odii tui fuero inimicitiis aggravatus. Libanius dixit : Dominus noster Imperator Decius jussit, ut qui non sacrificaverint diis, diversis intereant suppliciis. Calocerus respondit : Dominus noster Jesus Christus, Rex æternus et verus Deus, dixit : Omnis qui idolis sacrificaverit, eradicabitur. Libanius dixit : Appendatur eculeo. Cumque fuisset appensus et lampadibus ureretur, atque ungulis raderetur, Calocerus ait : Non tibi dixi, Libani, quoniam inimicitiæ tuæ me exaltant, et faciunt me gratiam ampliorem in conspectu C Regis mei acquirere? Tu interim excogita duriora tormenta : carnem enim laniare potes, animam vero vincere pro fide et veritate luctantem, non vales. Præfectus Libanius ait : Quoniam video hunc animo rebelli verbera et tormenta optare potius quam timere, istum amovete, et collegam ejus introducite.

jussu Libanii Præfecti varie torto Calocero,

4 Introducto itaque Parthenio, Libanius dixit : Dic mihi Partheni, quæ causa est duritiæ fratris tui, quod tantis verberibus et eculeo exsuccatus, et flammis exustus, et ungulis effossus, nullo modo consentire voluit, ut præcepta sacratissimi Imperatoris faceret? Parthenius dixit : Quoniam ista tormenta finem habent, illa autem quæ idolis sacrificantibus parata sunt, finem non habent penitus. Libanius dixit : Unde hoc nosti? Parthenius respondit : Christus filius Dei, ut hominibus subveniret, hominem assumpsit, quem virgo concepit, virgo peperit, virgo post partum permansit. Hunc primo omnium natum, et in cunabulis positum, Angeli de cœlo descendentes, laudantes et adorantes, pastoribus ovium ostenderunt. Item pastores eum adorantes, quod factum circa se viderant et audierant, in notis suis simpliciter prædicaverunt. Item Magi, per stellæ magnæ indicium a capite Orientis venientes, aurum, thus, et myrrham in suis muneribus offerentes, adoraverunt eum. Hunc Herodes Rex dum inter infantes quæreret ut occideret, et non inveniret, omnes a bimatu infantes, qui erant in civitate Bethleem, fecit occidi. Hunc pater suus Deus, qui regnat in cœlis, cœlos aperiens manifestavit dicens : Hic est filius meus dilectus, in quo mihi complacui, ipsi omnes obtemperate. Hic ergo omnia diaboli tentamenta superans ascendit montem, et advocans ad se discipulos suos, cœpit beatitudines æternas illis ostendere, et per quæ opera possent gloriam et vitam perpetuam adipisci. Post hæc vero Judæorum populo prædicare cœpit, et dicere, quoniam exeuntes de corporibus animæ, si idololatriis fuerint aut fornicationibus inquinatæ, aut humano sanguine pollutæ, æternis tradantur incendiis : quæ autem ab his criminibus vel aliis iniquitatibus mundæ fuerint, a pœnis æternis liberæ, deliciis perfruantur æternis. Tunc Judæi dixerunt : Unde probare poteris? Dicit eis Dominus : Adducite ad me cæcos et claudos, et quotquot habetis infirmos. Cumque adducti essent cæci qui erant, illuminavit, surdis auditum, claudis gressum, paralyticis sanitatem restituit, omnes infirmitates sanavit, et dæmonia ejecit ab obsessis, ita ut etiam ipsi spiritus immundi clamarent : Scimus, quia sis filius Dei, noli mittere E nos in abyssum. Imperavit quoque ventis, tempestates jussu coercuit, super undas maris siccis pedibus ambulavit, mortuos vero ita excitavit, ut etiam quatriduum habentem in sepulchro revocaret ad vitam. Qui cum hæc faceret, et hanc potestatem etiam discipulis traderet, dicebat Judæis : Si verbis non creditis, vel virtutibus credite. Illi autem non solum non crediderunt, verumetiam Deum suum, eis sæpius repromissum per Prophetas, crucifixerunt. Qui crucifixus et mortuus, die tertia resurrexit, et per quadraginta dies cum discipulis conversans, jussit etiam se palpari, ne de eo dubitarent, sed fortes et firmi in fide ejus persisterent. Sed et omnia quæ eis locutus fuerat ante passionem, eadem iteravit post resurrectionem ; et præcepit eis ut fidem ejus in omnes gentes prædicarent, et baptizarent eos omnes in nomine Patris, et Filii, et Spiritus sancti. Post quadragesimum vero resurrectionis ejus diem, videntibus omnibus suis discipulis, cœlos in potestate magna adscendit. Quibus discipulis stupentibus cum post eum intenderent, Angeli ejus apparuerunt dicentes, Quid stupentes cœlum intenditis? Hic Dominus, omnium nostrum Dominus, sicut vidistis eum euntem in cœlum, ita revertetur in fine judicare omne seculum. Hæc ergo fides est nostra in Christo, F quæ non tormentis vincitur, non flammis, non gladiis superatur.

Parthenius exponit mysterium Incarnationis et vitæ Christi,

item passionis, resurrectionis et ascensionis :

5 Libanius Præfectus dixit : Ut video, Deus meus Jovis, Deus verus est : nam Deus tuus, sicut tu ipse asseruisti, crucifixus est : Jovis vero numquam omnipotentiam suam deposuit, quinimo imperiis ampliavit. Tunc subridens Parthenius dixit : Jovis tuus more vixit barbarico, adulter uxorum, stuprator puerorum, patricida etiam extitit et fratricida, sed et germanam suam in uxorem usurpavit. Hunc tu si Deum tuum credis, cum ipso eris perpetuis exurendus incendiis. Tunc Assessor Præfecti tunicam suam scindens clamabat : Dii in nobis irati erunt, si isti non fuerint ignibus concremati.

ac Jovem contemnit :

6 Tunc Libanius Præfectus jussit eos ignibus concremari. Missi ergo in ignem, cum incolumes permanerent, iratus minister, arrepto fuste ardente capita eorum contudit : ipsi autem laudantes Deum, tradiderunt spiritum. Quos exspirasse ut vidit percussor, ut indicaret exitum eorum perrexit : statimque corpora Sanctorum a Christianis sunt asportata. Libanio autem jubente, ut inhumata projicerentur in

ab igne illæsos,

fustibusque mactatos

A in silva, revertentes qui occiderant, nullum penitus indicium de eorum corporibus se invenisse retulerunt. Tunc sancta Anatolia, cujus servi Sanctorum corpora rapuerant, ipsa per se condidit eos in crypta, in qua erat positum *f* corpus S. Sixti Papæ venerandum, quem Decius Imperator occiderat, et illic cum omni diligentia sepelivit, ita ut etiam porphyreticis columnis *g* ornaret eorum sepulchra : in quo loco beneficia martyrii eorum exuberant usque in hodiernum diem. Hi fuerunt ex Provincia Armeniæ, unius patris matrisque filii, Calocerus major, Parthenius minor ætate. Passi sunt die XIIII Kalendarum Juniarum, Decio *h* Augusto et Grato Consulibus, propitio Christo Deo et Domino, cui est honor et gloria per omnia secula seculorum. Amen.

Sepeli S Anatolia — *f* — *g* — *h*

ANNOTATA.

a *De utroque* Philippo *Christiano, eorumque baptismo et virtutibus Christianis, ac anno Urbis millesimo ab iis celebrato, late egimus* XX *Januarii ad Vitam S. Fabiani Papæ : qui eos convertit et baptizavit, et Martyr obiit anno* 250.

b Fulvius Æmilianus *fuit Consul cum Peregrino, anno* CCXLIV, *et iterum cum Vettio Aquilino anno* CCXLIX, *quo Philippus uterque occisus est.* D EX MSS.

c *Hic est* Sixtus 2 *Papa, et colitur* 6 *Augusti, uti ejus Archidiaconus* Laurentius 10 *ejusdem Augusti. Sed hi passi sunt anno* 258, *sub Valeriano et Galieno, quorum persecutio post Decianam continuata passim Decio tribuitur, etiam in illorum Actis, quod auctor hujus Vitæ imitatus est.*

d Alexandri *Episcopi Hierosolymorum Acta dedimus* 18 *Martii, et* S. Babylæ *Episcopi Antiocheni* 24 *Januarii; hi autem ab Eusebio lib.* 6 *Hist. Eccles. cap.* 23 *dicuntur sub Decio una cum S. Fabiano passi, uti ad illorum Acta pluribus est deductum.*

e *MS. Sirmundi passim* Galocerius et Partenius.

f *Imo* Sixtus *fuit postea ibi sepultus.*

g *Post necem Aureliani anno* 275 *(nam huc usque duravit cœpta a Decio persecutio) plena pace fruentes Christiani passim martyria ornare, excitare ecclesias, conventus pene publice cœperunt agere, usque ad tempora Diocletiani et Maximiani. Hoc ergo Ecclesiasticæ pacis decennio credi potest etiam istud factum.*

h *Annus is erat Christi* 250.

B E

DE S. JOANNE MARTYRE,

CONSTANTINOPOLI VENETIAS TRANSLATO,

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De apocryphis Actis S. Procopii eidem male applicatis ; Temporeque et actis Translationis, ex impresso Italico.

SUB MAXIMIANO. — *Huic nunc Venetiis celebri,*

Secundum consuetudinem Patriarchalis Ecclesiæ Venetiarum, et etiam ex indulto Sedis Apostolicæ, celebrari Officium eorum Sanctorum, quorum corpora in ecclesiis diœcesis Venetiarum requiescunt, *præscribitur* in Ordine recitandi divinum officium juxta ritum Ecclesiæ et diœcesis illius : *qualem Ordinem habemus* auctoritate Joannis Francisci Mauroceni pro anno MDCLVII *excusum : et in hoc ad hunc* XIX *Maji, nisi transferatur, præscribitur festum* S. Joannis Ducis Alexandrini Martyris *sub ritu semiduplici celebrandum; eo quod* C *sacrum ejus corpus asservetur in ecclesia S. Danielis, et omnia recitantur de Communi Martyris non Pontificis. Missa* Lætabitur, *Evangelium* si quis vult, *Oratio,* Præsta quæsumus ut intercedente.

applicata S. Procopii, Acta,

2 *Petrus de Natalibus in suo Catalogo Sanctorum (quem circa annum* MCCCLXX *composuit, tum Plebanus Sanctorum Apostolorum in urbe Veneta, dein Episcopus Equilinus prope Venetias) ad hunc* XIX *Maji eidem* S. Joanni *applicat satis accuratam epitomen Actorum* S. Procopii *Martyris, quæ apud Surium ex Græcis habentur* VIII *Julii prolixe deducta, majoremque speciem piæ tragœdiæ quam veræ historiæ præferentia. In hac epitome Martyris adhuc Gentilis nomen* Neanias, *genus maternum ex Primoribus* Æliæ, *et Christianorum exterminatio cum* Alexandrinæ *civitatis Præfectura commissa a* Maximiano, *Victoriæ relata de Saracenis post agnitum ex apparitione Christum, dissipata* Theodosiæ *matris idola, varii cruciatus tolerati sub duobus successive Præsidibus, quorum ultimus* Flavianus *dictus; plurium denique militum ejus exemplo conversorum, ipsiusque matris ac duodecim mulierum sociarum martyrium, eodem prorsus modo atque ordine describuntur, quo in Actis S. Procopii; hoc solum mutato, quod prior Præses apud Equilinum* Ultio, *apud alios vero* Justus *nuncupetur; et pro* Alexandria Syriæ, *sumi videatur* Alexandria *Ægypti; taceatur autem nomen* Cæsareæ Philippi, *in qua agonem suum dicitur consummasse* Procopius, *et Episcopatum gessisse* Leontius, *in epitome sub nomine* Joannis *fabricatæ nominatus, ac si fuisset Episcopus Alexandrinus. Denique pro eo quod S. Procopio dicitur ex sententia judicis* caput gladio amputatum fuisse; *de* Joanne *asseritur, quod* jubente Flaviano gladio in gutture et lancea in pectore transfixus martyrium consummavit XIV Kalendas Junii : *et sic integram Legendam, cujus istud compendium, invenimus sub nota diei* XIII *Martii (ubi forte scribendum erat Maji) in quodam MS. Passionario Eremi Camaldulensis; sed suppositione jam tunc animadversa describere noluimus, utilius occupati.* F

et hinc sumpta elogia.

3 *Ex Equilino breviora ejusdem* S. Joannis *elogia ad hunc diem acceperunt, primum Grevenus, in Additionibus ad Usuardum Coloniæ excusis anno* MDXV *et* XXI; *deinde Wilfordus, in Martyrologio Anglicano editionis Londinensis anni* MDXXVI. *Galesinius, quem sequitur in Catalogo generali Ferrarius, ita habet :* Alexandriæ in Ægypto S. Joannis Martyris, qui Maximiano Imperatore, acerbis exhaustis cruciamentis, præclaro pietatis testimonio, coronam tulit. *Addit in Annotationibus* se ista accepisse ex Græcis tabulis *At illæ ad hunc diem nullum habent* Joannem, *aut alium qui trahi huc possit : sed bene ad* XX *Septembris, in Menæis excusis ac manuscriptis variis, jubent commemorari* Certamen maximi inter Confessores Joannis Ægyptii, cujus libertatem et loquendi confidentiam ferre non valens impius * Maximianus, jussit illum cum aliis quadraginta occidi. *Ubinam vero? Ægyptium cum* Joannem *legis, facile credes in Ægypto quoque passum, et corpus* Alexandriæ *in honore fuisse, donec inde translatum* Constantinopolim *fuit. Verum ut hic idem ipse credatur qui Venetias postea deportatus est, oportet non solum die* XX *Septembris*

Videtur esse Ægyptius qui CP. celebratur 20 Septembr.

* an Maximinus?

A *bris ejus memoriam ibi celebrem fuisse, sed etiam die* XIII *Martii: quandoquidem ex Historia mox danda liqueat, nostro de quo agimus Joanni annuam tali die festivitatem agi solitam. Quid autem postea Venetos moverit, ut etiam isto die prætermisso, itemque die* III *Julii, quo apud eos anno* MCCXV *facta est sacri corporis collocatio, in eo ubi nunc colitur loco, assumerent* XIX *Maji haud facile dixerim. Suspicor tamen quod* ratione cujusdam fabricæ, in honorem Sancti construendæ, *uti dicitur infra num.* 8 *delatum Corpus ad monasterium præterito seculo* XVI, *tali die relatum ad locum noviter ornatum fuerit; eaque dies annuo Sancti cultui visa fuerit opportunior, quam* XIII *Martii, Quadragesimali luctu solita occupari.*

Ex MSS. illuc forte Alexandria allatus 13 Martii.

Venetias 1215, 3 Julii,

4 *Porro de omnibus certius cupiens informari, scripsi Venetias ad eum cujus fideli opera fueram usus in S. Athanasio, R. P. Danielem Simonetti; rogavique, non ut historiam passionis ex monasterio S. Danielis peteret (hunc enim nullam ibi genuinam haberi, satis jam constabat) sed historiam Translationis indagaret, simulque de præsenti sacri corporis cultu ac statu me certiorem redderet. Fecit prolixe quod rogatus fuerat optimus Pater, per virum nobilem, isto in monasterio familiarem, et cui quidlibet credi posset; desideratamque narrationem,* B *et hoc insuper ab ejus manu fidei oculatæ documentum accepit:* Venerabile corpus Divi Joannis, Venetiis in ecclesia, S. Danieli Prophetæ dicata, supinum cubat, membris omnibus integrum in altari; capite quidem ad orientem solem verso ad cornu Evangelii ejusdem altaris, pedibus autem ad cornu Epistolæ. Lapidea est arca super altare, quæ alteram arcam capit ligneam, minio deforis coloratam, in qua jacet corpus. Nullum utrique arcæ ostium: nam facies earum non versatili cardine more ostiolorum clauduntur et aperiuntur, sed per duos hinc inde canaliculos attolluntur integræ et deprimuntur. Facies arcæ lapideæ ex ebeno est, lapillis interpuncta pretiosis; facies arcæ ligneæ ex crystallis. Sanctum Caput Ducali Veneto cornu operitur; pectus zona auro acu texta, totum corpus panno serico, textoque ex auro more Indico. Pedes nudi, sed velo tantum pellucido cooperti, sicut et facies. Dentes albi nullo deficiente; et caro mollis tactu. Porro die vigesimo Julii, quando S. Danielis vigiliæ aguntur, sanctum corpus aqua odorifera lavatur a Presbytero, præsente altero Sacerdote Monialium Confessario: quæ aqua deinde ad pios usus, præsertim ad tollendas corporum ægritudines, distribuitur. Verum lapsis temporibus aqua diluta caro denigrata est, et corruptionis cujusdam maculas contrahere videbatur: C propterea modo gossipio molli tantum caro contingitur, quod in aquam deinde immissum eamdem venerabilem reddit, ac si ipsa immediate sanctum corpus abluisset. Plurima per sanctum suum miracula edidit Deus omnipotens, quæ describere longum esset: in historia translationis narrantur aliqua, et novis confirmantur, sicut tabellæ, aliaque signa aræ ejus appensa testantur. Quapropter maxima in veneratione est, et præcipue apud Sanctimoniales illas, quæ dicunt (quod et in historia narratur) admoneri se vicinæ mortis edito strepitu ex arca, in qua sanctum corpus reconditum jacet. *Hæc ille: nunc exhibeamus ipsam translationis historiam Latine redditam ex veteri impresso, absque nomine impressoris sub annum* 1516 *curato.*

usque hodie integer

et miraculis clarus.

TRANSLATIO CORPORIS

Ex impresso Italico anni circiter 1520 ad usum Monasterii S. Danielis Venetiis.

Manifestum totique orbi notissimum est, quomodo Dominus Deus noster civitatem Constantinopolitanam subjecerit Latinis: nec minus clarum est eam revolutionem imputandam esse nequitiæ Græcorum; qui spernentes azyma veritatis, præsumpserunt sacrificium conficere in fermentato, dicentes Spiritum sanctum Paraclitum ex solo Patre procedere; et sanctæ Romane Ecclesiæ negabant debitam reverentiam atque subjectionem, quamvis ea repræsentet Petrum Apostolorum Principem in terris, asserentes ipsam non esse præpositam Constantinopolitanæ: magno etiam in contemptu habebant Imperatores suos, iisque identidem rebellabant, crudelissima facinora et sceleratissima peccata ex regnandi cupidine committentes. Sed Dominus, Judex supremus ac supracœlestis, subvertit iniquitates infidelium, Reges fortissimos occidit, regnum Chanaan destruxit, stupendamque et inauditam Victoriam dedit Latinis, exiguo exercitui subjiciens infinitam populorum multitudinem, et generosæ nostrorum paupertati cedens ignavam eorum opulentiam: adeo ut dici possit, in istius urbis captivitate impleta fuisse visio *a* Danielis Prophetæ, quando civitas, collectis totius fere Græciæ sanctuariis ornata, locupletaque auro et gazis pretiosissimis, facta est in direptionem ac prædam Latinorum. *b*

D *Propter peccata Græcorum*

capta a Latinis Constantinopoli,

E

2 Veneti, qui tantæ victoriæ initium *c* dederant, urbis imperium divisere cum Francis; ecclesiasque, divitiis inæstimabilibus spoliatas atque nudatas, reliquerunt Sacerdotibus atque Ministris suis: qui earum præcipuas, æque ac palatia et loca publica civitatis, diviserunt inter se. Atque ita contigit, ut monasterium in platea quæ dicitur Pulchra situm, et Græce nuncupatum *d* Psychosostra, quasi Salvatricis animarum, obvenerit in partem duorum nobilium Venetorum, Marci et Martini Gorziorum fratrum; qui ipsum dederunt Joanni Priori S. Danielis Venetiis, nomine monasterii S. Danielis tenendum. Porro in locum Joannis constitutus est Venetiis Prior Roboaldus quidam, vir religiosus ac timens Deum: qui paulo post abiit Constantinopolim, Psychosostræ monasterium coram inspecturus. Erat in adverso dictæ plateæ latere haud procul inde ecclesia alia, Græce Theothocov, id est Deiparæ, nuncupata. Cum ergo die quodam, videlicet decima tertia Martii, idem Roboaldus in monasterii sui porta consisteret; vidit magnam hominum multitudinem summa cum devotione accedere ad ecclesiam Theothocov: populumque interrogans, quid ibi esset; audivit, quod, cum res Constantinopolitana floreret, non solum ex universa civitate, sed etiam ex circumjectis urbibus oppidisque soliti fuerint fideles tali die quotannis, singulari cum religionis affectu, accurrere ad visitandum corpus S. Joannis Martyris. Audientem hæc Priorem Roboaldum continuo incessit cogitatio, quanam ratione posset sanctum illud corpus obtinere, et transferre Venetias.

Venetis quibusdam cessit Psychosostræ monasterium.

Ex huic vicina Deiparæ ecclesia corpus S. Joannis

3 Desolatum erat monasterium, cujus fuerat ecclesia prædicta: nec ullus ibi, ad sacri istius pignoris custodiam, morabatur: sed cura ejus demandata erat cuidam senecioni, qui omni vespera claudebat ædem, seque domum propriam conferebat procul inde positam, sic ut absque ostiarii hujus conscientia nullus illuc ingredi posset. Prior nihilominus, zelo et cupidine voti sui consequendi ardens, assumptis secum quodam monacho suo alteroque Sacerdote, et famulo Græco, illuc se contulit; repertoque per fenestram aditu ingressus, aperuit ornatissimam sancti corporis capsam, ipsumque sericeo panno involvens secreto transtulit ad Psychosostræ cœnobium, capsam ipsam taliter compositam relinquens, ut rediens mane ostiarius nequaquam observaverit motam fuisse. Tempore deinde opportuno in navim transtulit acquisitum thesaurum, summæ devotionis et lætitiæ singularis

furtim aufert Prior S. Danielis

et transfertur anno 1215

A singularis affectu delibutus; sic tamen, ut quid rei esset, celaret nautas: appellensque Venetias ipsum sanctissimum corpus collocavit in *f* monasterio S. Danielis, anno Incarnationis D. N. Jesu Christi millesimo ducentesimo decimo quinto, die tertio Julii. Quo in monasterio, per merita et intercessionem gloriosi Martyris Joannis, Dominus Deus dignatus est dignaturque usque in hunc diem multa et quasi infinita miracula operari, ex quibus selectiora aliqua recensebimus.

g adhuc incorruptum,

4 Primum idemque maximum sit, quod cum sanctissimus hic Dei athleta occisus fuerit anno Christi ducentesimo octogesimo *g* nono, ad extollenda merita gloriosissimi sui Martyris nostræque fidei instructionem, voluerit Deus conservare integrum ipsius beatissimum corpus, cum admirabilis omnino odoris fragrantia, cœlestium influentiarum et planetarum vicissitudines, quibus humana corpora sæpius alterantur, cohibente Christo ne illud corrumpere valeant. Venerandæ autem monachæ hujus loci, per merita suæ ac nostræ matris gloriosæ Virginis Mariæ, divinique pugilis et Martyris Joannis, ab eodem Sancto receperunt eximium valde privilegium, et ut existimo *h* absque exemplo, quod quoties alicujus

h et solitum dare signum instantis alicui mortis.

B earum instat extremus vitæ terminus, id eis significet Miles Christi aliquot mensibus vel diebus ante, prout placuerit. Corpus siquidem ejus in ecclesia servatur in capsa deaurata, cui obtensa est cratis, instructa votivis ex argento anathematis, in testimonium miraculorum interventu Sancti patratorum. Cum ergo moritura est aliqua et animam Patri æterno reddituta, prevenit terminum constitutum gloriosus hic Sanctus, suavi quodam motu percurrens dicta ad cratem anathemata, sonitumque minime ingratum ciens: quem audiens aliqua Sororibus ceteris nuntiat, dicens: Estote paratæ: percussit cratem S. Joannes.

Novitia id credere nolens anno 1516

5 Incredibilis forsan videbitur auditoribus res adeo rara: est tamen verissima: quamque recentiori hoc exemplo possumus confirmare. Anno decimo sexto supra millesimum quingentesimum, cum puella quædam ad Ordinem recepta monasterium esset ingressa, et de S. Joanne Martyre audiret ex Sororibus, quomodo dato signo illas moneret quod aliqua ibi esset moritura; subrisit intra se, neque credere voluit affirmantibus. Anni deinde sex transierunt absque obitu alicujus; cumque jam monialis nocte quadam surrexisset ad Matutinas, et his juxta

C morem decantatis remansisset in templo (liberum enim istic loci Monialibus est velintne post officium ad quietem redire vel non) solam sese in choro præter solitum reperit, et tempore aliquanto oravit. Tandem adveniente aurora volens illa discedere, faciensque prius quam surgeret debitam sanctissimo Sacramento reverentiam, audivit strepitum quemdam, suaviter insonantem auribus. Hæsit illa, nihil de Sancto cogitans, et mox iterum simile signum percepit: neque prius e loco abiit, quin tertio audiverit percuti loculum, in quo jacebat Sanctus Martyr. Tum vero manifesto agnita veritate, conterrita est; nec absque devotionis internæ sensu cogitare cœpit, sui forsitan causa datum esse id signum: quare Deo sese commendans, veniam præteritæ incredulitatis petiit. Nec diu postea apparuit minime fallax fuisse illud signum, mortuaque est Sororum una; quo viso gratias Deo egit, qui sibi dederat oculis auribusque ipsam usurpare veritatem, nemini tamen quidquam revelavit priusquam impleta fuissent omnia. Eodem in errore versabatur Religiosus quidam ex Conventu S. Mariæ de caritate, qui die quodam sacrificans ad altare, supra quod S. Joannis corpus requiescit, percepit cratem percuti; totusque stupefactus credidit ex ea hora id de quo antea dubitaverat; et maxima cum devotione Missam finiens, Deo sanctoque Martyri gratias retulit pro consolatione sibi concessa, ex eoque tempore pientissime fuit erga Christi athletam affectus.

elapso sexennio per se ipsam experitur,

uti et Religiosus Sacerdos.

D EX MSS.

Sanatur paralytica tactu straguli ejus,

6 Matrona quædam nobilis, cum paralytica jaceret, sic ut nec pedem quidem movere posset, fecit sibi adferri stragulum, quo sanctum corpus operitur; seque ipsam eodem totam operiens cum devotissimis lacrymis, ac Sancto supplicans, ipsa (quod mireris) hora cum medico adjutorio cœpit se de lecto attollere, sequenti autem die per seipsam liberrime ambulavit, unde et Deo et Sancto Joanni gratitudinem debitam professa est. Alia paris nobilitatis mulier jacebat in extremis, tumefacta tota; cujus infirmitatem ipsimet medici ignotam sibi esse fatebantur. Audivit hoc quædam ejus consanguinea, dicti monasterii Religiosa, ipsamque commendavit sancto Martyri, vota quædam pro infirma nuncupans. Statim autem sanari ea cœpit, atque de die in diem robustior brevi convaluit. Dictum ipsi deinde est, quid pro ea fecisset sanctimonialis ista, et quomodo per votum S. Joanni factum recuperavit valetudinem. Sed denuntiationem ejusmodi cum risu excipiens, Sanctumque vilipendens, continuo sensit pristinam sibi infirmitatem cum tumefactione rediisse; et brevi

alia ipso per affinem invocato curata

E in eum est redacta statum, ut nec humanam formam referret amplius, nec inter acutissimos dolores et cruciatus gravissimos vivere se posse speraret. Talem ipsa sese considerans, cœpit indulgentiam postulare incredulitatis suæ, Deumque et Sanctum ejus exorare pro recuperanda sanitate, confirmato quod ante exploserat voto: atque illico multum se confirmatum sensit, intraque paucos dies omni malo liberam, per merita et intercessionem hujus gloriosi Martyris: quapropter Deo ipsique agendæ sunt gratiæ.

recidivam incredula patitur:

item pestilenti febri laborans,

7 Vir quidam non minus genere et officio nobilis, quam moribus et operibus inclitus, affligebatur lecto per continuam febrim, cujus malignitatem lividæ indicabant maculæ toto corpore sparsæ: extraque spem curationis esse videbatur peccans humor, eo quod debilissimus *i* stomachus nullas reciperet medicinas, quin statim eas revomeret: unde viribus omnibus destitutus, et nigricans totus, vehementerque inflatus erat, quando placuit Deo creaturam suam, intercedentibus sancti Martyris meritis, liberare. Modicum enim ad spondam *k* lecti sese convertens, meruit ipsum S. Joannem omnino pulcher-

F rimum ac splendidissimum intueri ut præsentem: eoque visu confortatus, multa cum devotione ac fide illi se commendavit, addito voto si convalesceret: et continuo levari cœpit natura, ejectis humoribus depravatis qui suffocare illum videbantur: ac deinde paulatim profecit ad integram sanitatem, in gloriam D. N. Jesu Christi et gloriosissimi Martyris sui, semper et ab omnibus glorificandi.

i

k

et Novitia expleto tirocinio ad mortem ægra,

8 Adducta est ad monasterium ubi is requiescit, adolescentula quædam religioso habitu induenda, quod etiam postea factum est. Finito autem probationis tempore, cum vellet monasterii Mater una cum suo Capitulo, ut eadem puella sacræ Professionis nexu se alligaret; invasit eam statim crudelissima et acerbissima infirmitas, febris scilicet perpetua, deinde paralysis, ad extremum denique fœtidissima plaga et visu horrenda apparuit in dorso misellæ: quæ nec digitum quidem unum movere valens, diu noctuque non cessabat cum ejulatu terribili testari cruciatuum, quibus torquebatur, vehementiam; neque poterat vel ab alio moveri levi contactu, vel ipsa sibi auxilio esse. Accidit ut eodem anno corpus S. Joannes deportaretur intra claustrum, ratione cujusdam fabricæ in honorem ipsius construendæ, quia necdum erat in decenti satis loco. Cum autem tali in

Ex MSS. partim in translatione corporis

A in statu permanens puella, ex improviso audivisset processionem et cantus sanctimonialium, sacrum corpus pie gestantium; ab iis paucis, quæ remanserant secum, petiit pro singulari favore, ut se ferrent ad portam loci ubi jacebat, quatenus commodius posset exaudire suavitatem illius cantus; vel potius ex devotione erga Sanctum, quatenus obtenta ab eo sanitate suam valeret facere Professionem. Itaque transeunte illuc sanctissimo corpore, supplicavit quam potuit devotissime, ut se tanta liberaret calamitate. Nec multo post cœpit aliquantulum ambulare, sed perquam imperfecte, ad modum infantium passus formans pedetentim, seque bacillo sustentans. Quodam igitur die, cum necdum bene sanata misella in cellula sua consisteret; intellexit, quod ea hora aperiebatur capsa S Joannis, ideoque universum collegium Sanctimonialium festinabat ad chorum, ut sanctissima illa membra conspicerent, sola ipsa remanente in cella. Sed denique increscente vehementius eadem videndi desiderio, bacillum sumpsit, debilium suorum membrorum consuetum sustentaculum; cœpitque eodem quoque tendere, quo aliæ præcesserant, non sine fiducia consequendæ integræ

partim in ejus ostensione.

B sanitatis. Cum autem venit ad ingressum chori, vidit conspicue Martyrem stantem in habitu Ducali, et facie supra radios solis splendida: unde tota tremefacta ex formidine, et inflammata amore, nullum omnino potuit verbum proferre quemadmodum cupiebat; sed cum aliquanto tempore sic constitisset, cœpit movere se atque ambulare versus sacrum depositum. Huc autem ut pervenit, disparuit sanctus Martyr; ipsaque remansit plena gaudio; et resoluta in devotissimas lacrymas, ardenter postulavit sanitatem plenam. Res mira! Surgentibus ex loco isto Sororibus, surrexit etiam puella illa; abjectoque procul bacillo, erecta gradiebatur et libera, nullum omnino dolorem sentiens. Obstupuerunt omnes præsentes, viso tam grandi miraculo; menteque in cœlum sublata immensas æterno Deo retulerunt gratias et devotissimo ejus famulo, tanta dona largienti patrocinium suum invocantibus. Ne porro ejusmodi miracula multiplicentur in infinitum (innumera enim dici possent sed cum fastidio audientium) unum adhuc narrabo et finiam.

9 Accidit nobili cuidam ut certis de causis proficisci deberet in regnum *l* Cypri, ubi cum esset uxorem duxit, et aliquanto tempore hilariter transacto cum illa omnique facultate sua reversus est in patriam. Post longiorem temporis cursum feliciter actum, quoniam nihil est in mundo stabile, mutata

l

Alia denique paralytica jam moritura servatur,

C etiam lætitia est; quia priusquam ad seniles annos pertigissent, paralysi correpta mulier, lecto affixa est; et proficiente in deterius malo, nec juvantibus quidquam medicinis, denique ad extrema deducta. Erat eis in monasterio, ubi sanctum corpus requiescit, consanguinea: hæc sumptum ab arca tapetem misit, mandans ut cum fide ponerent supra infirmam. Quod cum factum esset, paulo post vidit prædicta infirma venire ad se duos splendidissimos juvenes: quos ut melius potuit interrogavit quinam essent. Unus vero eorum respondit; Ego sum Joannes, et iste socius meus Daniel, venimusque ad te juvandum. Tum illa gratiis actis se eisdem commendavit, et intra mentem vota quædam concepit, atque inter hæc disparuit visio. Ipsa vero indies magis confirmata, accessit denique ad monasterium, narravit quæ contigerant, vota implevit, ad laudem æterni Dei, et dulcissimæ suæ ac nostræ matris Mariæ Virginis, nostrique advocati S. Joannis Martyris, et

apparentibus SS. Joanne et Daniele

patroni ac defensoris S. Danielis Prophetæ, quos D precamur ut protegant hanc civitatem et universum populum Christianum ab omni malo, et intercedant pro infidelibus, ut hi quoque cognoscant veritatem, quæ Christus est. Amen. *m*

m

ANNOTATA.

a *Nescio quam visionem indicet auctor, nisi forte respiciat ad Caput* 5, *ubi Balthasari Regi Babylonis prænuntiatur dividendum regnum ejus, et dandum Medis ac Persis.*

b *Factum id anno* 1204 12 *Aprilis.*

c *Anno scilicet præcedenti* 1203, *quando prima vice capta fuit urbs a Cruciatis die* 17 *Julii, primusque Dux Venetus Henricus Dandulus, senex et cæcus, navim suam ad muros impellens, initium victoriæ propemodum desperatæ exemplo suo dedit. Sed hac vice urbs tradita est legitimo Domino suo Isaaco Angelo, ejusque filio Alexio: his vero per impium ac parricidam Alexium Murzuphlum extinctis, nova oppugnandæ urbis occasio nata est, in qua ne natio una aliquid supra alteram sibi arrogare posset, placuit ipsas miscere.*

d *Eruditissimus vir Carolus du Fresne, Dominus* E *du Cange anno* 1680 *Parisiis edidit Constantinopolim Christianam, in eaque accuratissime egit de singulis quas apud scriptores nominari invenit Regiæ istius urbis ecclesiis; hanc tamen non invenit, et aliæ fortassis multæ eruderandæ supersunt.*

e *Idem enumerat* 49 *ecclesias ibidem Deiparæ Virgini dicatas, sed suo singulas cognomento distinctas; hoc autem deficiente, non est facile divinare quænam sit illa, quæ hic notatur sita in vico seu platea Italice dicta* Contrada Bella, *cujus ulteriorem notitiam adhuc requiro, libenter definiturus qua in regione Urbis ea fuerit.*

f *Sanctimoniales ibi hodie ad minimum octoginta degunt, teste Nicolao Doglioni in memorabilibus urbis Venetæ an* 1675 *tertium editis pag.* 340.

g *Incerta hæc est conjectura, neque scio unde acceptum: nam neque in Actis S Procopii, quæ S. Joanni male aptata dixi, talis anni indicium invenitur. Æra Diocletiani (quam Martyrum vocant) initium sumit ab Augusto anni* 284.

h *Obiit Florentiæ circa an.* 1348 *quidam vulgo dictus* B. Claritus Vogha, *fundator monasterii S. Mariæ Reginæ Cœlorum, cujus ossa venerabiliter ibi dem supra altari majori servantur in lignea capsa, et quoties moritura est Sanctimonialium aliqua, intra* F *eamdem commoveri audiuntur. Prout plenius describemus post Vitam S. Zenobii Florentini Episcopi, cujus miraculo sanatus Claritus eidem devotissimus vixit, quia non scitur proprius dies mortis. Vide etiam* 7 *Martii, inter Analecta de S. Thoma Aquinate* §. 2, *de illius in Conventu Salernitano Campanula, ultro pulsari solita, quoties ibi moriturus est aliquis.*

i *In Italico est* mal di Mazucho.

k *Ibidem* verso la Callefella: *quos duos veteris Veneticæ idiotismos per conjecturam ut potui reddidi, libenter certiora docentem secuturus.*

l *Dominatum Cypri insulæ adepti sunt Veneti circa annum* 1470, *eumque amiserunt anno* 1571, *post captam a Selimo Turcarum Imperatore Nicosiam mense Julio: intra quod tempus videntur hæc accidisse.*

m *Addebatur:* Hic finitur Legenda sancti Martyris Domini Joannis, cum Translatione ejus Constantinopoli Venetias, et paucis aliquibus ejusdem miraculis, ad laudem et gloriam ipsius. Amen.

DE SANCTIS MARTYRIBUS AFRIS

QUINTO, PRIMOLO, SALUSTIO, FORTUNATO, DONATORE, ITEM DONATORE, PRIMO, DICESSO, INDICA, LUCUSTA, ROGATA, ORBANA, ROMANA.

Ex Martyrologiis.

G.H.

XIX MAJI

Notkerus *in suo Martyrologio memoriam proponit* In Africa SS. Quinti, Salustii, et multorum Martyrum. *Ex his in MSS. Augustano, Labbeano, et Adone Reginæ Sueciæ, cum* Quinto *suggeritur* Primolus. *At reliqui indicantur in antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis, et in vetustissimo Epternacensi ita scribuntur:* In Africa Quintuli, Primuli, Salusti, Fortunati, Donatoris, item Donatoris, Primi, Dicessi, Lucusæ, Rogatæ, Orbanæ. *Quæ nomina in aliis apographis cum aliqua* B *in nonnullis varietate referuntur. Ac primo loco* Quintuli, *legitur ubique* Quinti, *uti etiam in MS. Richenoviensi; et* Primoli *in Lucensi et Blumiano: quod vero magis mirandum est loco,* Dicessi *in aliis tribus ponitur* Indicæ: *quæ cum valde discrepent, consultum videtur utrumque nomen retinere, veluti diversorum Sanctorum. Pro* Lucusæ *habetur in Corbeiensi nomen* Lugustæ *in aliis* Lucustæ. *Pro* Orbanæ *in dicto Corbeiensi est* Urbanæ, *et additur* Romanæ. *In Tamlactensi sunt nomina* Quinti, et Fortunati, *et* Decii *forsan pro* Dicesso.

E

DE SS. EMILIO, BASILIO, PRÆTEXTATA, BASIA SEU BASILIA ET PARTINO,

MARTYRIBUS IN GETULIA REGIONE AFRICÆ.

ex Martyrologio S. Hieronymi.

G.H.

XIX MAJI

Getuli *seu* Gætuli, *populi Africæ, sedes suæ habitationis sæpius mutarunt: hinc a Ptolomæo locantur in Libya interiore, ab Honorio inter Carthaginem et Numidiam, a Plinio in Mauritania Cæsariensi, ab aliis, alibi. In horum autem regione* Gætulia, *sed absque distinctiori notitia passi hi Martyres pro fide indicantur a quatuor Martyrologii Hieronymiani apographis, quorum vetustissimum Epternacense ista tradit:* In Getulia Emili, Basili, Prætextatæ, Basiæ, Partini. *In aliis apographis dicitur* Natalis *Sanctorum horum, ac loco* Emili et Basili, *in MS. Corbeiensi Parisiis excuso habetur* Emeli *et* Baseli, *ultimus autem desideratur in codice Lucensi: in quo etiam loco* Prætextatæ *scribitur* Prætestatus, *et in MS. Blumiano* Protestata. *Loco* Basiæ *in aliis est* Basiliæ: *et* Partinus *in dicto Corbeiensi est* Parthimios. *In MS. Richenoviensi sive Augiæ divitis ita legitur:* In Getulia Emelii: *ut etiam scribitur, sed omissa palæstra, in MS. Augustano S. Udalrici; et* Æmili *in MS. Parisiensi, a Philippo Labbe nobis submisso. Nomina* Emelii et Basilii *memorantur etiam in MS. Hibernico monasterii Tamlactensis.*

DE SANCTIS MARTYRIBUS ROMANIS

C

F

PATERNO, GALLICOLO, URBANA, INDICO, SELEUCO, FELICE, CLONICO, CRESCENTIO, CALONICA, JULIA, URBANA, INGENUA, SATURNO.

VIA APPIA, IN CŒMETERIO CALLISTI.

Ex Martyrologiis,

G.H.

XIX MAJI

Secundo *celebrantur hi Martyres in antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis et MS. codice Reginæ Sueciæ quem Holstenius laudat: ubi, post adductos* Calocerum *et* Parthenimum, *ita legitur:* Item in cœmeterio Callisti via Appia natalis SS. Paterni, Gallicoli, cum aliis novem. *Quos undecim suis nominibus explicant dicta Martyrologia S. Hieronymi: et MS. Blumianum eos ita indicat:* In cœmeterio Calesti via Appia natalis Paterni, Galicori, Orbanæ, Indici, Seleuci, Felicis, Clonici, Crescenti, Calonicæ, Juliæ, item Orbanæ. *Qui eodem numero et ordine indicantur in Lucensi; sed nomina trium, ex illis* Patemi, Gaĥgori *et* Incidi *scribuntur. In MS. Epternacensi, omissa palæstra martyrii, loco* Paterni *et* Gallicori *sunt nomina* Prenni, *et* Galli, Curi, *quasi essent duo distincti Martyres, tum* Urbani Confessoris *mentio fit: sed quia sub finem repetitur* item Urbanæ, *videtur aliorum lectio prævalere: præterea loco* Clonici *et* Juliæ *nominantur* Donicus *et* Julica. *In MS. Corbeiensi Parisiis excuso desideratur primo loco nomen* Orbanæ *sive* Urbanæ, *et postea* Urbani *scribitur: item loco* Clonici *et* Crescenti, *est nomen*

A *men* Ælonici *et* Christi, *sub finem adduntur nomina* Ingenuæ et Saturni, *quæ in aliis desiderantur. In MS. Tamlactensi sunt nomina,* Paterni, Galli, Curii, Urbanæ, Judicii, Seleuci, Felicis, Clorini, Crescenti, Coloniæ, Juliæ, Urbanæ. *Qui Dux et Antesignanus aliorum est* Paternus; *omissa palæstra, indicatur in MSS. Aquisgranensi, Augustano S. Udalrici et Parisiensi Labbæi; sed male adjungitur nomen Martyris* Cœlesti, *cum indicetur* cœmeterium Calisti. *Idem* Paternus *dicitur* Episcopus *in MSS. Trevirensi, duplici Leodiensi S. Lamberti et S. Laurentii, item in MS. Florario; et sub nomine* Partheni *in MS. Pragensi. In MSS. Richenoviensi et Rhinoviensi celebratur memoria* Urbani *et* Seleuci, *et in MS. Aquisgranensi, et apud Grevenum et Canisium* Urbanus Papa et Confessor *dicitur. Verum aliis* Urbana *potius, sive* Orbana, *et Martyribus hisce adjungitur. De celebri* Callisti cœmeterio *agit Aringhus lib.* 3 *Romæ subterraneæ cap.* 11; *de eodemque nobis sæpius fuit agendum. Corpus alicujus Martyris* Paterni, *a Gregorio XV acceptum, adservatur Bononiæ in templo S. Francisci, de quo consule Masinum in Bononia perlustrata.* D

DE S. ARENO DIACONO,

G H.

MARTYRE ALEXANDRIÆ.

Ex Martyrologio S. Hieronymi et aliis.

XIX MAJI

H*unc gloriosum Martyrem plura inscribunt Martyrologia, etiam antiqua S. Hieronymo adscripta: sed in vetustissimo codice Epternacensi omissa est palæstra, quæ indicatur in* B *apographis Corbeiensi, Lucensi et Blumiano, item in MSS. Romano Cardinalis Barberini, Rhinoviensi in Helvetia, Richenoviensi in Suevia, Trevirensi S. Maximini, Adone Leodiensi S. Laurentii et in MS. Florario, iisdem passim verbis:* In Alexandria natalis S. Areni Diaconi. *Notkerus ita scribit:* In Alexandria S. Irenæi Diaconi, *qui in MS. Pragensi* Herenus Diaconus *appellatur. In MS. Tamlactensi in Hibernia bis nomen* Areni *inseritur.* Irenæi *nomen Græcum, in Alexandrino Martyre magis placet, quam nomen* Areni, *nihilque facilius fieri potuit, quam ut Latinis, prius nomen cum aspiratione efferentibus, inter scribendum loco H obreperet A: numero tamen majori exemplarium, concorditer* Areni *scribentium, more nostro deferimus reverentiam potioris suffragii.* E

DE SANCTO POLIOCHO

G. H

MARTYRE CÆSAREÆ IN CAPPADOCIA.

Ex eodem Martyrologio S. Hieronymi.

XIX MAJI

P*rogredimur cum antiquis Martyrologii Hieronymiani apographis quatuor, in quibus ita exprimitur:* In Cæsarea Cappadociæ natalis S Poliochi. *Verum in MS. Lucensi legitur* Poliocli, *et in MS. Richenoviensi* Epoliochi, *omissaque palæstra martyrii in MS. Parisiensi Labbæi* Palliaci: *in MS. autem Augustano S. Udalrici* Po- C litti, *et in Hibernico Tamlactensi* Pullioli. *In hac scribendi nominis diversitate Hieronymiani Martyrologii ecgrapha, ut antiquiora et inter se consona, sequimur: suspicamur tamen et hic quoque Latinis scriptoribus, Græcorum nominum haud satis expertis, usuvenisse, ut* Poliochus *obrepserit pro* Polyeucto; *sicuti ad* XXI *Martyrum Cæsariensium Antesignanus* Polyeuctus, *in nonnullis exemplaribus* Polioctus *invenitur. Plura forsitan et certiora tempus eruderabit.* F

DE S. COLLUTHO SIVE ACOLUTHO

G H

MARTYRE IN THEBAIDE ÆGYPTI.

Ex MSS. Synaxariis Græcorum.

SUB MAXIMIANO,

Elogium ex Menol. Basilii Imp.

I*n Menologio Basilii Porphyrogeniti extat elogium, hujus Martyris, quod Græce dedimus cum aliis hujus mensis post primum Tomum Maji, Latine autem sic vertitur:* Martyr Christi Colluthus fuit sub imperio Maximiani, ex quadam urbe Thebaidos in Ægypto. Verum ob Christi confessionem comprehensus, ab idolorum cultoribus traditus fuit Præsidi regionis; et neque blanditiis illectus, neque minis perterritus, Christum summa animi fiducia profitebatur. Idcirco primum quidem ingenti lapide ejus collo alligato, capite suspensus fuit, atque a lictoribus flagellatus, dicebat: Non sunt condignæ passiones hujus seculi, ad futuram gloriam quæ revelabitur in nobis. Postea e ligno in quo suspensus fuerat, descendere coactus, templum idolorum jussus est ingredi, eisque sacrificare. At cum recusasset, ut igne combureretur condemnatus fuit; ac proinde in fornacem valde accensam injectus, hujusce mortalis vitæ est finem sortitus. *Hæc Basilius Imperator. In MS. Synaxario et MSS. Menæis Mediolanensibus bibliothecæ Ambrosianæ et Taurinensibus Ducis Sabaudiæ ista leguntur.* Certamen sancti Martyris Coluthi. Hic fuit tempore Maximiani Imperatoris in Thebaide Ægyptiaca, et ob professionem Christianæ religionis ad Arianum Præsidem adductus, primum quidem lapide cervici alligato aggravatur, deinde per ignem accepit vitæ finem et martyrium consummavit. *Synaxarium Divionense, quod Petrus*

Aliud ex variis MSS.

A *Petrus Franciscus Chiffletius nobis exhibuit describendum, simile elogium habet* sancti Martyris Acoluthi, *cum disticho alludendo ad nomen, unde et* ἀκολουθέω Sequor *ducitur, quod est hujusmodi :*

Ὁ Μάρτυς Ἀκόλουθος ὡς πρὸς παστάδα
Ἐπακολουθεῖ τοῖς ἄγουσι πρὸς φλόγα.
Martyr Acoluthus ad rogum sequitur libens,
Ceu nuptialem duceretur ad thorum. D

DE SANCTIS MARTYRIBUS

PHILETÆRO ET EUBIOTO

PROPE CYZICUM IN MYSIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De fabulositate Actorum Græcorum, coævis falso adscriptorum, per conjecturam abstergenda : deque ipsorum certiori cultu, et certitudine sociorum.

AN. CCCXI ET CCCXVIII.

Cultus Philetæri 19 et 18 Maji,

Duobus hisce Sanctis, propter gravia et iterata pro Christi fide tolerata tormenta, Martyrii *titulum adscribunt Græci, quamvis uterque morte sua naturali obierit ;* Philetærus *in itinere ad Prœconesum insulam, exilio suo destinatum locum, persecutione adhuc durante ;* Eubiotus, *quin-*
B *quennio post indulgentiam (ut loquuntur Edicta) Christianis concessam : quod ipsum hisce distichis elogio præfixis Menæa agnoscunt.*

Φιλεταῖρος πέπονθε ἀθλητῶν νόμῳ,
Κἂν οὐκ ἀπῆλθεν ὡς ἀθλητὴς ἐκ βίου.
More Philetærus passus est athletarum,
Licet ut athleta non migravit e vita.
Ἄθλησεν Εὐβίωτος ἄχρις αἱμάτων,
Βίου δὲ τέρμα εὗρε χωρὶς αἱμάτων.
Ad sanguinem usque pugnavit Eubiotus,
Sed finis expers sanguinis ei obtigit.

Priorem XIX *Maji mortuum, eodem die inscriptum reperimus triplici Synaxario MS. Parisiis, Claromontano scilicet ac Mazariniano, tertioque apud Combefisium asservato ; cum antea eumdem præcedenti die relatum invenissemus in Synaxario uno alterove Bibliothecæ Ambrosianæ Mediolani. Sirletus in Menologio suo apud Canisium, ad prædictum* XIX *Maji, pro* Philetæro Philoterum *habet, quod secutus est in Romano Martyrologio Baronius : Menæa excusa, incertum qua de causa, assignant memoriæ* S. Philetæri *diem* XXX

Eubioti 18 Decemb.

Decembris. *Eadem, et sola, seorsim habent notatum* S. Eubiotum, *die, quo dicitur obiisse,* XVIII Decembris. *Utrumque tamen hic conjungimus, tum quia communia*
C *utriusque sunt Acta, nec facile ab invicem separabilia ; tum quia communis utriusque fuit cultus in eodem in quo sibi consepulti sunt loco,* Copetum *Acta nominant, ipsumque in* Sigriana *constituunt Menæa : de Sigriana autem egimus* XII *Martii, ad Acta S. Theophanis Magni agri in Sigriana Hegumeni, ostendimusque, partem esse Mysiæ prope Cyzicum in Asia minori, quam ab Olympena disterminat* Rhyndacus *fluvius. Hunc autem* Philetærus, *Nicomedia atque Nicæa veniens, primum dicitur transiisse ; deinde* Coastam *fluvium, necdum nobis aliunde notum : et tribus quatuorve locis ignobilibus pertransitis, venisse in* villam Copetanam, *quæ hac ratione debet proxima fuisse* Cyzico ; *ubi Præfectus commorabatur, cui sistendus erat* Philetærus *priusquam trajiceretur in* Prœconesum ; *et ad quem Copeto abductus* Eubiotus *postea fuit.*

Acta coævis adscripta

2 *Acta illa Parisiis descripsimus ex MS. membraneo Regis Christianissimi, sub hoc titulo,* Martyrium sanctorum et gloriosorum Christi Martyrum Philetæri et Eubiotæ. *In fine autem, indicato die quo quisque horum obiit, sic notatur :* Nos qui universa hæc conscripsimus, Anthimus videlicet, Theodorus, atque Carterius, Nicomedienses, Philosophos habitu simulantes, ut ne patesceret quod Christiani sumus, ad Dei gloriam et audientium utilitatem hæc omnia litteris consignavimus. *Antea autem, ubi narrabatur S. Cyriacæ in ipsa Nicomediensi civitate passæ Martyrium, sic erant locuti num.* 14, Cum beatæ Martyris sanctum ac venerabile corpus flammis consumeretur, nos qui hæc ipsa litteris consignavimus, decidentes E ex ustulato corpore cineres linteis mundis latenter excepimus. *Utinam hæc, quam sunt magnifica in specie, et ad fidem incautis conciliandam apta, tam etiam possent probari vera. Quæ enim hic narrantur continuata prodigia, irrefragabilis prorsus auctoritatis egent testimonio, ut non videantur licentiam omnino Poeticam sapere, ita modum omnem historiæ verosimilis excedunt. Sed malam fidem auctoris, aliena sibi et nomina et tempora arrogantis manifeste coarguunt, quæ circa historiam Cæsaream peccat, ex obscura suo ævo confusaque memoria rerum, seculo quidem* IV *per totum orbem notissimarum, nunc vero etiam in claram lucem protractarum Stephani Baluzii beneficio, ad diem præcedentem laudato, quo dedit nobis Lactantii Firmiani Opusculum de mortibus persecutorum, annis aliquot prius conscripto, quam excessisse dicitur e vivis Eubiotus.*

contra verosimilitudinem :

3 *Etenim num.* 5 *sic dicitur :* Cum eo temporis Deus e medio sustulisset Diocletianum tyrannum, molesto et acerbo crudelique mortis genere, ejusque imperium suscepisset Maximianus ; hic ipso regiminis sui initio pacem tranquillitatemque amare visus, Principatum suum moderate satis atque humaniter auspicatus est.... verum unius necdum anni spatium fuerat elapsum, cum non absimilem Diocletiano agendi rationem secutus... regiones omnes conturbavit, persecutionem ubique renovans. *Successit quidem Diocletiano Maximianus non Herculius et senior, sed Galerius et junior, socero gener, anno* CCCV *Kalendis Maji prope Nicomediam : sed successit imperium abdicanti, seque ad vitam privatam referenti, in qua supervixit ipsimet Galerio Maximiano, mortuo Sardicæ mense Majo anni* CCCXI *usque ad finem anni sequentis ; imo Baronius aliique, a Fastis Idatianis decepti, usque ad annum* CCCXVI *vitam ejus protrahunt. Deinde mutatis Imperatoribus nihil videtur remissa esse persecutio, præsertim in Asia, cum rerum ibi potiretur is, qui Diocletiano præcipuus impulsor fuerat ad extrema quæque contra Christianos tentanda. Crudelia autem edicta crudelius executus Cæsar, præsumi non debet sine fideliori teste, jam factus Imperator, crudelitati suæ eas induxisse inducias, quæ hic narrantur.*

dum Diocletiano succedens Maximianus dicitur primo anno pacem indulsisse Christianis,

4 *Postea num.* 33 *scribitur, quod* ad impii Maximiani aures fama pervenit, Constantinum, pietate et religione insignem Imperatorem atque victoriis clarum, ab Occidente adversus ipsum bellandi causa adventare, ob impia ejus pessimaque facinora. Hunc autem veritus, edicta per omnes sui Imperii terras atque urbes misit, quibus aperiri ubique carceres,

et eamdem ablatam reddidisse metu Constantini.

AUCTORE D. P.

A ceres, et ad mortem damnatos, Christianos potissimum, si qui adhuc vinculis detinerentur, comiter humaniterque dimitti Præsidibus atque Præfectis mandabat. *Econtra prolixe narrat Lactantius, quomodo Maximianus*, insanabili plaga percussus a Deo, *et* annum perpetem *excruciatus*, tandem malis domitus Deum coactus est confiteri, per intervalla exclamans se restituturum Dei templum, satisque pro scelere facturum; et jam deficiens edictum misit (*quod originaliter recitat Lactantius*) *indulgens* ut denuo sint Christiani et conventicula sua componant. *Pependit edictum hoc Nicomediæ anno* CCCXI *pridie Kalendas Majas* : nec tamen ille hoc facto veniam sceleris accepit a Deo, sed post paucos dies, cum jam totius corporis membra defluerent, horrenda tabe consumptus est. *Quid autem Constantinus? Numquam hic contra Galerium movit, sed stabiliendo sibi Occidentis Imperio intentus, satis habuit quod ageret cum Maximiano Herculio socero suo, identidem Imperium cum purpura resumente, et cum Maxentio Romam Italiamque obtinente; interim dum in Oriente, mortuo Galerio, a Maximino et Licinio res administrantur; factus demum monarcha, quando Maximini victorem Licinium* B *vicit ipse, et cum ejus morte plenam Ecclesiæ pacem dedit.*

cum ille longe alia ex causa id mandarit ante mortem

5 *Patet ex dictis fieri non posse; ut Diocletiani Maximiani et Constantini ætate vixerit auctor, cui adeo parum notus fuit publicæ rei tunc status. Tamen inter has ipsas tenebras interlucere videtur tenuis radius, cujus ductu verosimilis aliqua conjectura formetur hoc modo. Persecutio illa gravissima Ecclesiæ, quæ ab anno* CCCIII *usque ad* CCCXI *duravit in Oriente, instigante Maximiano Galerio cœpta sub Diocletiano et Maximiano Herculeo Imperatoribus; et post horum abdicationem ab eodem Galerio continuata, vocatur passim* persecutio Diocletiani *vel etiam* Diocletiani et Maximiani, *non distinguendo inter utrumque* Maximianum, *quamvis senior fere in Occidente, junior in Oriente sævierit. Mortuo autem Galerio Maximiano, Constantinus, Licinius, et Maximinus pacem Christianorum ab illo inductam communi consensu servandam decreverunt : quam primo Imperii anno necdum exacto turbare aggressus* Maximinus, *acerrime sævit, donec Constantini litteris ab incepto deterritus, Licinii vero armis omnino est impeditus. His positis dici posset quod* Philetærus *sub Maximiano Galerio, aut etiam sub Diocletiano antea multa passus Nicomediæ, iterum sub Maximino post infidam illam anni non integri pacem, raptus sit* C *ad tormenta, eo tempore, quo idem Maximinus Bithyniam et ceteram usque ad Bosphorum Asiam ditione tenebat, anno* CCCI; *quodque biennio post, cæso fugatoque per Licinium Maximino, ac denique in fuga miserabiliter extincto, pax reddita Ecclesiæ sit, non* **a** *Maximino; sed a victore Maximini Licinio, Constantini confœderato. Atque ita dici etiam poterit* S. Philer.etus *ultimum fuisse comprehensus sub Maximino, non sub Maximiano, ab eodemque relegatus in Præconesum, obiisse in via anno* CCCXII; *captus autem hospes ejus atque curator* S. Eubiotus *adductus esse Cyzicum anno* CCCIII; *et ex Licinii decreto restitutus in libertatem, usque ad annum* CCCXVIII *vitam protraxisse, atque in plena pace quievisse. Huic autem conjecturali correctioni mire favet, quod S. Philetærus num.* 6 *profitetur se fuisse baptizatum a* sancto Martyre Luciano. *Atqui ad hujus Acta,* VII *Januarii illustrata, demonstravimus ex Eusebio, Martyrem hunc factum esse, non sub* Maximiano (*quamvis hujus quoque nomen Acta præferant*) *sed sub* Maximino : *quod iterum arguit in auctore nostro confusam valde notitiam rerum, haud facile in synchrono inveniendam.*

Si pro Maximiano scribatur Maximinus,

verosimile aliquid haberi poterit :

6 *Interim videtur mihi, rebus omnibus consideratis, dubitari non posse, quin revera* SS. Philetærus et Eubiotus, *multiplici confessione pridem illustres, magna in veneratione fuerint Cyzicenis et Sigryanæ incolis, cum Synaxaria præcitata Constantinopoli scriberentur. Inter hanc enim et Cyzicum solius Propontidis interjacet longitudo, neque in tanta regionum vicinia potuit obrepere fraus vel error, quoad rem tam facile cognoscibilem. Clarum etiam mihi videtur, hanc cultus celebritatem natam esse ex celebritate miraculorum, a Sanctis in vita aut post mortem patratorum : de quibus deque toleratis pro fide cruciatibus cum nihil vel parum admodum extaret, eorumdem qualemcumque memoriam scripto collegerit, multisque ad stuporem miraculis additis illustrare se crediderit aliquis florens seculo* VIII *vel* IX, *assumpta persona coævorum trium Nicomediensium civium, fidei majoris conciliandæ gratia. Ex Actis autem sic deductis profluxerunt compendia sive Elogia brevia, quorum supra meminimus, ut extantium in variis Synaxariis MSS. verum eorumdem Sanctorum cultum eo solum probantia, quia hunc supponunt ut causam motivam nominum tali loco describendorum, etiamsi nulla extitissent Acta. Recte igitur* Philetærum *Romano Martyrologio inscripsit Baronius, excusandus in nomine, quod apud Sirletum male descriptum reperit; non item quod* Nicomediæ *adscribat alibi mortuum,* E *et* Martyrii coronam accepisse *dicat; neutrum dicente Sirleto, sed sola quæ passus est tormenta commemorante; idque non sub solo* Diocletiano, *cujus solius meminit Baronius, sed etiam sub* Maximiano ejus genero ac successore (*pro quo, ut dixi, melius poneretur* Maximinus) *ac denique narrante, quomodo ad Prœconesum damnatus Philetærus, atque* ad S. Eubiotum profectus, post septem dies defunctus est.

interim manet certus cultus.

7 *De Actis porro ut statuere lector possit, quid et quatenus credere eis velit; ipsa, ut accepimus, sic proponimus; sub ista dumtaxat animadversione, quod oculatorum testium et coævorum scriptorum auctoritatem nullo modo debeant aut possint obtinere, nonnulla etiam omnino fabulosa censeri; puta* Theotimæ *sororis et sociarum Virginum ipso in itinere, quo deferebantur ad designatum exilii locum, disparitio, et* (*uti num.* 17 *dicitur*) receptio in paradisum. *Sirletus in suo Menologio de iis agens, cum dixisset quod* adductæ sunt ad tyrannum sex Virgines, cum quibus erat soror Martyris (*Philetæri scilicet*) *nomine* Theotima, *non* soror Martyris Theotimi (*uti perperam excusum*) *unam ex illis laudat* Cyriacam *nomine,* quæ decimum octavum annum agens Imperatorem ipsum affecit contumelia; ob idque immaniter verberata, quater suspensa, et gladio lacerata, cum adhuc viveret in ignis flammam dejecta est. *Denique* Philetærus, F *inquit* ad lapicidinam damnatus mittitur in Prœconnesum, similiter et Virgines. *Scilicet* Theotima *et quinque sociæ. Hæc ille ex Actis vel eorum compendio aliquo. Baronius solum Menologium præ oculis habuit; nec satis expendens verba Sirleti,* Cyriacam illam, *non solum* præcipuam *inter sex Virgines, sed et* Theotimi Martyris sororem *appellavit in Notis; et non ipsam solum* Nicomediæ *passam dixit, sed omnes sex eidem urbi, tamquam ibidem coronatas, adscripsit. Ipsa* Theotima, *cui potius competebat ut præcipua diceretur, deinceps in Actis nominatim nuspiam appellatur; adeoque intelligi debet, communi cum sociabus fortuna, sublata e conspectu ministrorum, ipsas abducentium. Chiffletiani tamen Synaxarii Auctor, eidem, tamquam* gladio consummatæ, *hoc distichon accinit :*

De Actis lector per se judicet,

deque sorore Philetæri Theotima ac sociabus,

Τιμὴν Θεὸς πέφυκε τῇ Θεοτίμᾳ,
Ην ἀξίαν τίθησι Μάρτυρα ξίφος
Condignum honorem dedit Theotimæ Deus,
Dignam Deo quam Martyrem gladius fecit.

8 *De* S. Cyriaca, *quam Martyrologio Romano nominatim inserendam existimavit Baronius, quid dicam? Secutus est Sirleti Menologium, ex eoque hausit, quod* cum libere Maximianum objurgasset, diutissime cæsa et dilaniata, ad ultimum igne cremata est; *eodemque*

et S. Cyriaca Nicomediæ exusta.

A *eodemque sensu Chiffletianum Synaxarium canit :*

> Αἰώνιον φεύγουσα πῦρ ἐγεφρόνως,
> Κυριακὴ πρόσκαιρον ἡδέως φέρει.
> Cyriaca fugiens provide æternos rogos,
> Brevi ustulantes tempore hilariter tulit.

Nihilominus dum considero, quod hujus S. Cyriacæ *notitia omnis originaliter fluxerit ex hisce S. Philetæri Actis, fidei (sicut supra vidimus) non magnæ; merito formido, ne quemadmodum plurium variis locis templorum atque idolorum ruina, Gentiliumque conversio et conversionem secuturi martyrium, magis ornate quam vere iisdem Actis intexuntur; sic etiam hæc* Cyriaca *citra fundamentum aliquod historicum gratis inducta sit in hanc scenam. Accepta forsitan occasio est a* S. Cyriaca Megalo-martyre, *cujus memoriam recolendam Officio ecclesiastico die* VII *Julii præscribit Typicum* D *Græcorum, elogium autem satis amplum exhibet Chiffletianum Synaxarium prælaudatum, nominans Nicomediam, certaminis palæstram; auctores, Diocletianum Imperatorem et Maximianum Cæsarem; sed fine differens : hæc enim ad gladium damnata in oratione spiritum posuisse dicitur, absque ulla mentione Philetæri aut sociorum. Ab hac tamen aliaque* Cyriaca, *cum aliis Martyribus Nicomediensibus ad* XVII *Martii nominata, diversam statuere, in solis Philetæri Actis repertam* Cyriacam, *religioni mihi duco, eamque inter prætermissos refero, donec plenior aliunde lux affulserit. Interim opto* Megalo-Martyris *jam dictæ Acta integra et originalia, quæ omnino videntur fuisse conscripta, veniant in lucem aut in manus nostras.*

AUCTORE D. P. *præ qua certius nota alia, 7 Julii passa.*

MARTYRIUM

Fabulositatis suspectum et testibus oculatis falso adscriptum,

B

ex MS. Parisiensi Regis Christianissimi,

Interprete Daniele Cardono P. M. *Societatis Jesu.*

E

CAPUT I.

S. Philetæri coram Diocletiano, dein coram Galerio Maximiano gloriosa confessio.

In sævissima persecutione Diocletiani,

Regnante impiissimo Diocletiano, multa magnaque per universum terrarum orbem sese diffuderunt mala. Cum enim, quacumque ejus extendebatur imperium, immanis adversus omnes Christianæ legis sectatores excitata esset persecutionis procella, et ad Principum Ducumque tribunalia passim raperentur fideles; alii propositam in Christi et religionis causa mortem fortiter excipiebant; alii duritiam et crudelitatem Præsidum per urbes discursantium, ac suppliciorum inventa multiplicia expavescebant, quin etiam susceptam religionem execrabantur, et communem omnium hominum Salvatorem ac Dominum Jesum Christum ejusque fidem turpiter prodebant; alii eculeorum cruciatus atque tormenta nec videre quidem sufferentes, turpi defectione simulacra deorum lapidea, lignea atque ærea cultu et adoratione prosequebantur, et misero decepti errore non verebantur sacrificia idolis offerre. Con- C turbatione igitur et confusione plena erat universa Romanorum ditio : quia Diocletiani edictis per omnes urbis missis immanem ejus furorem abunde manifestantibus, quicumque provinciis moderandis erant Præfecti jurisdictionis suæ civitates diligenter scrutari, et quos latere deprehendebant Christianos in publicum producere. Ac promptos quidem paratosque ad sacrificandum molestiis suppliciisque liberos dimittebant; quos vero constanter id abnuere observabant, miserum et crudelem in modum e vita deturbabant. Hinc factum est ut acerbissima tempestate jactarentur res Christianorum : Pagos enim atque agros circumcursabant persecutorum catervæ; in quorum cruentas manus quicumque e Christianis incidebant, horum alios igne, alios ferro perire erat necesse; fuere etiam quos membratim in frusta impii tortores conciderunt : tantum vero industriæ diligentiæque Christianorum investigationi adhibebatur, ut nec avia montium, nec solitudinum secreta a perscrutatione eorum essent libera : jurato enim veri Dei inimico Diocletiano propositum erat, ut universum Christianorum genus stirpitus exscinderet.

totum Imperium conturbantis,

Πολλὰ καὶ μεγάλα κακὰ πανταχοῦ πεφοίτηκε τῆς οἰκουμένης, ἐπὶ τοῦ Βασιλέως Διοκλητιανοῦ τοῦ μιαρωτάτου. Πάσης γὰρ τῆς ὑπ' αὐτὸν Βασιλείας κλονηθείσης κατὰ [illegible] τῶν Χριστιανῶν, ἐπί τε Ἀρχόντων καὶ Ἡγεμόνων ἀγομένων τῶν πιστῶν, καὶ τῶν μὲν τὸν [illegible] καὶ τῆς εὐσεβείας θάνατον γνησίως ὑποδεχομένων, τῶν δὲ τὴν ἀναγκὴν καὶ ὠμότητα τῶν τε κατὰ πόλεις [illegible] δεομένων, τήν τε πολλὴν τῶν βασάνων προσβολὴν δειλιόντων, καὶ ἐπιχειρησάντων ἐξαρνεῖσθαι τὴν θεοσέβειαν, καὶ τὴν εἰς τὸν κοινὸν τῶν ὅλων Σωτῆρα καὶ Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ πίστιν προδιδοῦναι, ἑτέρων δὲ μήτε ἕως ὄψεως τὰ τῶν βασανιστηρίων στρεβλωτήρια ὑπομεῖναι καταδεξαμένων, ἀλλ' αὐτομολησάντων θεοὺς λιθίνους καὶ ξυλίνους καὶ χαλκοῦς σέβειν καὶ προσκυνεῖν, καὶ τοῦ τῆς θυσίας ἐπιτελεῖν ἀπαντηθέντων, [illegible] τὰ Ῥωμαίων ἐπληρώθη ταραχῆς τε καὶ συγχύσεως. Προσταγμάτων δὴ οὖν κατὰ πᾶσαν πόλιν φοιτησάντων τοῦ Διοκλητιανοῦ, καὶ θυμὸν ἀνήμερον πλεόντων, οἱ μὲν F ἐν [illegible] ἐπαρχίας Ἄρχοντες τὰς πολεις διερευνῶντες, καὶ πάντας τοὺς λανθάνοντας Χριστιανοὺς εἰς μέσον ἄγοντες, τοὺς μὲν ἐθέλοντας τούτων προσφέρειν τοῖς θεοῖς αὐτῶν θυσίας, πάσης ἐνοχῆς καὶ τιμωρίας ἀπέλυον,, ὅσους δὲ μὴ βουλομένους τοῖς εἰδώλοις θύειν ἑώρων, ἐλεεινῶς τῆς ζωῆς ταύτης ἀπῆγον. Ὅθεν διωγμὸς ἦν πολὺς τῶν πιστῶν, κατά τε τὰς κώμας καὶ τοὺς ἀγροὺς ἐπιτρεχόντων τῶν διωκτῶν, καὶ πάντων τῶν ἐμπιπτόντων Χριστιανῶν εἰς τὰς αὐτῶν μιαιφόνους χεῖρας, τοὺς μὲν πυρί, τοὺς δὲ ξίφει παραδιδόντων, ἐστὶ δὲ οὓς καὶ μεληδὸν κατακρεουργούντων. Τοσαύτην δὲ τὴν σπουδὴν ἐποιεῖτο τῆς κατ' αὐτῶν ἐρεύνης, ὥστε μήτε τὰ ὄρη, μήτε τὰς πάνυ ἐρημίας ἀνεξερευνήτους μεῖναι. Παντελῶς γὰρ τῷ θεομάχῳ Διοκλητιανῷ διὰ σπουδῆς ἦν, ἅπαν τὸ τῶν Χριστιανῶν ἐξαλεῖψαι γένος.

2 Ταῦτα δὲ αὐτοῦ σκεπομένου καὶ ἐπιτηδεύοντος, αἱ πόλεις καὶ αἱ χῶραι πᾶσαι τῷ τῶν Ἁγίων κατεκλύζοντο αἵματι. Πανταχοῦ μέν, ὡς εἰπεῖν, καὶ ἐπὶ πᾶσιν, οὐχ οὕτως δὲ ἀλλαχοῦ ὡς ἐν τῇ Νικομηδέων πόλει ὅπου καὶ αὐτὸς διῆγεν ὁ τῆς αἱματεκχυσίας Βασιλεύς. Πολλῶν γάρ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀναριθμήτων τε καὶ γυναικῶν καὶ νηπίων ὑπομαζίων ἅμα ταῖς μητράσι τελειωθέντων, ἔδοξεν ὁ Τύραννος λοιπῶν τὴν Νικομηδείαν κεκενῶσθαι τῆς Χριστιανῶν,

EX MS. R. FRANC.

νῶν, καὶ μηδένα ὑπολελεῖφθαι τοῦ τοιούτου γένους, οὐκ εἰδὼς ὁ πανάθλιος, ὅτι ὁ Χριστὸς ἑαυτῷ τηρεῖ τοὺς Ἁγίους. Ἐν ὅσῳ γὰρ ἔδοξεν ἠρεμεῖν τῷ σκόπῳ τούτῳ, ἀναφέρει αὐτῷ Κουμβρίκιός τις Κώμης περί τινος ἀνδρὸς Χριστιανοῦ, ὅστις ἐν τοσαύτῃ ζάλῃ δεινῶν διασωθεὶς, οὐκ ἐν κρυπτῷ ἀλλ' ὑπὸ Κυρίου σκεπόμενος, διῆγεν ἐν αὐτῇ τῇ πόλει, πολλοὺς μὲν ἀπὸ τῶν εἰδώλων ἀποσπῶν καὶ προσκολλῶν τῇ εἰς Χριστὸν πίστει, πολλοὺς δὲ παραθαρσύνων ἀποθνήσκειν μᾶλλον διὰ τὸν Θεὸν, ἢ ζῆν εἰδωλομανοῦντας, καὶ εἰς τὸ μέλλον κολάζεσθαι· καὶ τοῦτο ποιοῦντα αὐτὸν ἐμπαρρησιάστως εὑρόντες προσάγουσι τῷ Κουμβρικίῳ, εἶτα αὐτὸς ἀναφέρει τῷ Διοκλητιανῷ.

3 Μαθὼν δὲ περὶ τούτου ὁ Διοκλητιανὸς ἀγριοῦται πάνυ καὶ ἀναζέσας τῷ θυμῷ προσέταξεν μετ' ὀργῆς μεγίστης ἀχθῆναι αὐτὸν, πρὸς αὐτόν. Τοῦ δὲ μετὰ σπουδῆς ἀχθέντος καὶ προσαχθέντος αὐτῷ, ὁρᾷ αὐτὸν ὁ Διοκλητιανός· καὶ τὸ παρευθὺ μὲν, μὴ ἐκχέαι τὸν ἑαυτοῦ θυμὸν οἰηθεὶς εἶναι δέον, ἀλλ' ἤπιον ἦθος σκέψασθαι ἔστη, θεωρῶν τὸν ἄνδρα ἐπὶ πολὺ, καὶ θεωρῶν ἐξίστατο ἐπὶ τῷ κάλλει αὐτοῦ. Ἦν γὰρ ὁ ἅγιος ἀνὴρ ὅλος λευκὸς ὡσεὶ χιὼν, ἢ ὡς κρύσταλλος πεπηγὼς, αἱ δὲ τρίχες τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ καὶ τοῦ γενείου ὑπῆρχον ὡσεὶ χρυσοῦ. Ὡς δὲ ἐπὶ πολλὴν ὥραν ἐνεὸς ἔμενεν ὁ τύραννος ὁρῶν τὸ κάλλος αὐτοῦ, λέγει αὐτῷ ὁ Κουμβρίκιος· Δέσποτα οὗτός ἐστιν τὸ ὑπόλειμα τοῦ μιαρωτάτου γένους τῶν Χριστιανῶν. Λέγει ὁ Διοκλητιανός· Ὄντως εἷς τῶν μεγίστων ἐστὶ θεῶν, καὶ καταπλαγεὶς τί πράξω ἐν αὐτῷ οὐχ εὑρίσκω. Εἶτα μετὰ πολλὰς ὥρας προσευξάμενος τῷ ἡλίῳ μετὰ ἐκστάσεως, καὶ ὡς εἰπεῖν δειλίας λέγει αὐτῷ· Πόθεν τυγχάνεις, αἰδέσιμε καὶ ὡραιότατε, καὶ ποίας πόλεως; Λέγει αὐτῷ ὁ δίκαιος· Τῆς Νικομηδέων εἰμὶ πόλεως πολίτης, εἰμὶ δὲ καὶ Τατιανοῦ υἱὸς, τοῦ γενομένου τρισεπάρχου τῆς πόλεως ταύτης. Πάλιν δὲ εἰς ἔκστασιν γενόμενος ὁ Διοκλητιανὸς, λέγει· Καὶ ποῦ ἦς τὸν χρόνον τοῦτον διάγων; Ὁ δὲ Ἅγιος λέγει· Οὐδέποτε ἀνεχώρησα τῆς πόλεως ταύτης, μὴ γένοιτο, ἀλλ' ἐν ταύτῃ διῆγον, καὶ πάνυ πεπαρρησιασμένος. Διοκλητιανὸς λέγει· Καὶ πῶς ξένα ἀκούω περί σου, ὅτι τοὺς θεοὺς οὐ σέβῃ τῷ πατρῴῳ σου ἔθει; ἀλλ' ὡς ἔμαθον, ὅτι τὸν κακοῦργον ἐκεῖνον Θεὸν ὁμολογεῖς, ὃν ἐπὶ σταυροῦ οἱ Ἰουδαῖοι προσήλωσαν. Τότε ὀργισθεὶς ὁ μακάριος Φιλέταιρος, λέγει τῷ τυράννῳ· Φιμώθητι καὶ φράξον σου τὸ παράνομον στόμα, καὶ μὴ τόλμα κατὰ τοῦ Δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ τοιαῦτα φθέγγεσθαι, μήπως κινηθεὶς ἀπολέσῃ καί σε καὶ τὴν ὑπό σου βασιλευομένην πόλιν. Καὶ ταῦτα εἰπὼν ἀνατείνει τοὺς ὀφθαλμοὺς εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ γίνεται βροντὴ μεγάλη παρευθὺ καὶ σεισμὸς ἰσχυρός.

4 Καὶ φοβηθεὶς ὁ Διοκλητιανὸς ἐγένετο ἔντρομος, καὶ λέγει πρὸς τὸν Κουμβρίκιον· Οὐ λέγω ἐγὼ, ὅτι εἷς τῶν θεῶν ἐστιν; Λέγει ὁ Κουμβρίκιος. Μὴ ἀπατηθῇς Αὐτοκράτορ· ἔμαθες γὰρ αὐτοῦ καὶ τὸν πατέρα καὶ τὴν συγγένειαν· ἀλλὰ κέλευσαι αὐτὸν κολάζεσθαι, διότι καὶ τὸ κράτος σου παρύβρισεν, καὶ τὴν τῶν θεῶν μεγαλοσύνην οὐχ ὁμολογεῖ. Τότε ὁ Διοκλητιανὸς, μήτε τὸ ὄνομα αὐτοῦ μαθὼν, κελεύει αὐτὸν βληθῆναι εἰς τὴν κάμινον τοῦ πυρὸς, ἥ τις ἦν οἰκοδομηθεῖσα παρ' αὐτοῦ τοῦ Διοκλητιανοῦ εἰς ἀναίρεσιν τῶν Ἁγίων· ἀναρίθμητον γὰρ πλῆθος ἐν αὐτῇ ἀναλώσας ἐκέλευσεν ἡμέραν καθ' ἡμέραν ὑποκαίεσθαι αὐτὴν, ὥστε ἄν τις φανῇ Χριστιανὸς, παραχρῆμα εἰς αὐτὴν αὐτὸν ἐμβάλλεσθαι καὶ θνήσκειν ἐσχάτως. Ὡς δὲ ἤγετο ὁ ἅγιος Φιλέταιρος εἰς αὐτὴν, οἱ ὁρῶντες ἔκλαιον καὶ ὠδύροντο, καίπερ ὄντες Ἕλληνες, λέγοντες ὅτι παράνομον γίνεται, τοιοῦτον εὐγενῆ καὶ ὡραῖον ἄνδρα, κάλλος ἔχοντα ἀξιάγαστον ὑπὸ πυρὸς μέλλειν ἀναλίσκεσθαι. Οἱ δὲ κελευσθέντες ἐμβαλεῖν αὐτὸν ἐν τῇ καμίνῳ ἐδέοντο αὐτοῦ λέγοντες· Πείσθητι, Κύριε, τῷ Βασιλεῖ, δυναμένῳ καὶ τιμάς σοι ἀπονεῖμαι καὶ ἀξίωμά σοι χαρίσασθαι, καὶ εἰς τὴν τοῦ πατρός σου ἀναγαγεῖν ἀξίαν· καὶ μὴ τὴν θαυμαστήν σου καὶ περίβλεπτον ἡλικίαν τῷ πυρὶ παραδώσεις· Ὁ δὲ μακάριος Φιλέταιρος εἶπεν αὐτοῖς· Ὑμεῖς μὲν τὸ τῆς ἀγάπης ἔργον ἀποπληροῦντες εἰς ἐμὲ μισθὸν παρὰ τοῦ Κυρίου λήψεσθε, ἀνθ' ὧν ὅλως ἐστενάξετε δι' ἐμέ· ἐγὼ δὲ πιστεύω τῷ Δεσπότῃ μου Χριστῷ, ὅτι οὐ

2 Nefarium vero istud suum consilium ut exequeretur cum nihil intentatum relinqueret, cunctæ civitates cunctæque Imperii Romani regiones sanctissimorum hominum sanguine redundabant. Ubique locorum, ut ita dicam, et contra omnes sæviebatur; sed nullibi crudelius quam in Nicomediensium urbe, in qua sanguinis fundendi cupidissimus Imperator tunc degebat. Compluribus itaque, et, si fas est dicere, innumeris viris pariter ac mulieribus, lactentibusque etiamnum parvulis una cum matribus miseranda morte sublatis; visus sibi est Tyrannus Nicomediam, quanta erat, omnibus expurgasse Christi cultoribus, nec ullum ex istiusmodi genere hominem super fuisse relictum, non considerans mortalium miserrimus, quod suos sibi sanctos atque electos Christus semper conservet. Cum namque omni quoad Christianos cura liberum sese deinceps fore arbitraretur, Cumbricius Comes de viro quodam Christiano ad eum refert, qui in tantis persecutionum fluctibus salvus persistens et incolumis, non in umbra, aut tenebris, sed Domini sui auxilio defensus, palam in ipsa degebat Nicomedia, multis ab idolorum cultu abductis, et Christo per fidem arctissime conjunctis clarus; nec paucioribus ad fortiter potius pro Deo obeundum, quam in idolorum insana superstitione et æternorum, cruciatuum reatu vivendum auctor atque hortator. Hunc adeo sanctis conatibus magna cum libertate intentum ubi repererunt emissarii satellites, Cumbricio eum Comiti, ille autem Imperatori Diocletiano defert.

præsertim Nicomediæ,

delati ad se Philetæri

3 Hic de eo inaudiens, vehementi rabie commotus est; et ira exæstuans, comprehensum ad se adduci præcepit. Quo absque mora in medium producto, et ante Imperatorem collocato, oculis in eum defixis Diocletianus, non putavit continuo suam in eum iram effundendam, sed induendam sibi mansuetudinis speciem. Igitur non exiguo tempore hominem intuitus, ob magnam ejus formositatem præ stupore apud se non fuit: toto quippe corpore, nivis instar aut in modum crystalli compactus, pulcherrimum candorem præferebat, capitis ac barbæ pilis in morem auri rutilantibus. Postquam autem pulchritudini tantæ contemplandæ multum intendisset obstupefactus tyrannus, ait ad eum Cumbricius; Domine ac Imperator, quem coram aspicis, e nefario Christianorum genere adhuc superest. Cui Diocletianus; Vere Deorum unus hic est, ideoque quid eo faciendum sit non reperio. Inde adorato diu sole, manenteque interim consternatione, et quodam, ut ita dicam, religioso timore, sciscitatur e captivo: Unde tandem, vir supra modum venerande et formosissime, nobis ades? qua urbe oriundus? Cui homo sanctissimus; E Nicomediensibus, inquit, civibus unus, ac Tatiani, hujus quondam urbis tertium Præfecti, filius sum. Rursum in stuporem raptus Diocletianus; Ubi autem, dixit, eras hoc tempore? Ad quem Sanctus; Equidem ex hac urbe numquam recessi; absit; sed hic manebam, idque valde confidenter. Tum Diocletianus; Quam vero insolita de te auditu accepi? quod videlicet patrio ritu Deos minime colas, sed (quemadmodum intellexi) scelestum illum, quem Judæi cruci affixerunt, Deum esse confitearis. Tunc justa iracundia excandescens S. Philetærus ad tyrannum; Tace, inquit, sis, et impium tuum os occlude, nec talia adversus Dominum meum Jesum Christum effutire præsume, ne forte ad iram concitatus tam teipsum quam hanc imperio tuo subjectam urbem funditus deleat. Quo dicto, et oculis in cœlum sublatis, ingens repente audiri tonitru, et magnus terræ motus fieri.

speciem demiratus Imperator,

genus suum

et fidem confessum,

4 Perculsus rei novitate Diocletianus, timorem dissimulare non valuit, et ad Cumbricium conversus; Nonne, inquit, dixi e Deorum numero eum esse unum

jubet in fornacem ardentem conjici:

A unum quempiam? Ac Cumbricius; Ne decipiaris vide, o Imperator: jam quippe et quo patre, et qua prosapia ortus sit, ipsemet didicisti. Quin illum potius tormentis trade excruciandum, propterea quod Imperatoriam tuam majestatem contumeliis impetiit, et Deorum nostrorum magnitudinem fateri non vult. Tunc Diocletianus, ne quidem quo nomine vocaretur requirens, in fornacem, quam ad Sanctos Christi cultores e medio tollendos construi fecerat, ut conjiciatur imperavit. Cum namque innumerabilem Christianorum multitudinem fornacis hujus igne absumptam necasset, singulis eam diebus denuo accendi voluerat; ut si quis uspiam adhuc appareret Christianæ religionis studiosus, in flammas conjectus extingueretur. Ad hanc igitur fornacem ut adductus est Philetærus, quicumque mortis ejus futuri erant spectatores, gemitum planctumque non continuerunt, quamvis essent Gentiles; contra jus quippe ac fas esse dicebant, spectabili adeo forma atque animo virum ignibus absumendum tradere. Qui autem mandatum acceperant in flammas eum conjiciendi, vocibus hominem supplicibus obsecrabant; Sinas tibi, Domine, persuaderi a Rege, qui honoribus te et dignitatibus potest augere, et ad parentis tui de-B cora evehere; neque admirabilem illam tuam atque conspicuam corporis pulchritudinem igni objice. Ad quos B. Philetærus; Vos quidem istius, quo erga me estis, amoris præmium a Domino aliquando consequemini, quod ita de salute mea sitis soliciti; ego interim certam hanc in Domino meo Christo spem habeo repositam, fore ut fornacis istius flammæ propius me non attingant. Simul igitur atque propius ad fornacem admoverunt virum sanctum, in cœlum ille suspiciens ac ingemiscens, ex imo pectore in camini machinam sufflavit, quamvis adinstar ignis candesceret; atque confestim sic in solum concidit et comminuta est, ut de ejus structura nec tantilla quidem particula superfuerit quanta est unius palmæ: qui vero ignem machinæ subjiciebant ministri, fuga vix salutem consecuti sunt. Tunc universa civitas Nicomediensis ad illum locum concursu facto, ut rem stupendam oculis ipsa suis est intuita, viri, mulieres, pueri in vehementem stuporem sunt abrepti. Miraculo intellecto Diocletianus, eumdem sese in locum ipse transtulit (non enim quod factum fuerat persuadere sibi poterat fieri potuisse) utque rem ita se habere perspexit, insolita prodigii novitate perterritus, nihilque amplius de homine illo inquirendum ratus, liberum dimitti, ac sine metu ubicum-C que vellet degere permisit.

quæ cum ad ejus præsentiam corruisset,

ipsum salvum dimittit

5 Porro cum eo temporis e medio Deus sustulisset Tyrannum Diocletianum, molesto et acerbo, crudelique mortis genere *a*, ejusque imperium Maximianus suscepisset; hic ipso regiminis sui initio pacem tranquillitatemque amare visus, principatum suum moderate satis atque humaniter auspicatus est; ita ut imposterum pax profunda videretur orbem et potissimum Christianos complexura. Ita se ex composito gerente Maximiano, et tali rerum actionumque specie hominum oculos animosque fallente, ubicumque erant Christiani, sive in spelæis abditi, sive in montibus et nemoribus oberrantes, tuto agere, ac ipsa etiam oratoria aperire, et suas ad Deum preces fundere absque periculo posse videbantur. Verum unius necdum anni spatium fuerat elapsum, cum non absimilem Diocletiano agendi rationem secutus Maximianus, non solum eos qui Nicomediæ adhuc supererant Christianos interfecit, sed per diabolica sua rescripta, perque eos quos ubique habebat locorum Præfectos, universi Imperii civitates ac regiones omnes turbavit, persecutionem ubique renovans, et omni ratione contendens, ut ne quisquam e Christianis vivere sineretur.

a sed Galerio Maximiano post simulatam pacem

persecutionem continuante.

D συγγνωρήσει μου ἔγγιστα γενέσθαι τῆς καμίνου τὸ πῦρ. Ὡς δὲ ἀπήγαγον αὐτὸν πλησίον τῆς καμίνου, ἀναβλέψας εἰς τὸν οὐρανὸν καὶ στενάξας ἰσχυρῶς, ἐνεφύσησε τῷ οἰκοδομήματι τῆς καμίνου, καίπερ οὔσης αὐτῆς ἔξωθεν ὡς πῦρ· καὶ συνέπεσεν καὶ ἠδαφίσθη παραχρῆμα, ὥστε σπιθαμῆς μιᾶς μὴ μεῖναι μέρος τῆς οἰκοδομῆς· οἱ δὲ ὑποκαίοντες αὐτὴν ἔφυγον καὶ μόλις σωθῆναι ἠδυνήθησαν. Τότε πᾶσα ἡ Νικομηδεία ἐπὶ τὸν τόπον φθάσασα, καὶ τὸ παράδοξον θεάμα θεασάμενοι, ἄνδρές τε καὶ γυναῖκες καὶ νήπια, ἐξεπλήσσοντο ἐπὶ τῷ γεγονότι. Μαθὼν δὲ τοῦτο καὶ ὁ Διοκλητιανὸς, καὶ φθάσας ἐπὶ τὸν τόπον (Ἠπίστει γὰρ τοῦτο γεγονέναι) καὶ θεασάμενος καὶ ἐκπλαγεὶς ἐπὶ τῷ παραδόξῳ θαύματι, μὴ ἀνακρίνας αὐτὸν τοῦ λοιποῦ, ἐκέλευσεν ἀπολυθῆναι, καὶ ἀδεῶς διάγειν ὅπου καὶ βούλεται.

EX MS R FRANC.

5 Ἐν τούτῳ τοίνυν τῷ χρόνῳ ἀνῃρέθη ὁ τύραννος Διοκλητιανὸς, ὑπὸ Θεοῦ χαλεπῷ καὶ πικρῷ καὶ ἀνελεήμονι παραδοθεὶς θανάτῳ, διαδέχεται δὲ τὴν βασίλειαν αὐτοῦ, ὁ Μαξιμιανὸς. Δεξάμενος δὲ οὗτος τὸ κράτος, ἡσυχίαν ἠσπάσατο ἐν ἀρχῇ τῆς βασιλείας αὐτοῦ, καὶ ἤρξατο ἠπίως διέπειν τὰ πράγματα, ὡς λοιπὸν δοκεῖν βαθεῖαν εἰρήνην κατειληφέναι τὴν οἰκουμένην, καὶ μάλιστα τοὺς Χριστιανούς· λοιπὸν γὰρ οὕτω θωπεύοντος τοῦ τυράννου Μαξιμιανοῦ, καὶ ἐπὶ σχήματος τοῦτο διοπραττομένου, ὅπου ἂν ἦν Χριστιανὸς, κἂν τε ἐν σπηλαίῳ κατακρυπτόμενος, κἂν τε ἐν ὄρει ἢ ἐν νάπαις, ἐν παῤῥησίᾳ E διάγειν ἐδόκει, ὡς καὶ τοὺς εὐκτηρίους οἴκους ἀνοίγεσθαι, καὶ τὰς εὐχὰς ἐν αὐτοῖς τῷ Θεῷ ἀποδίδοσθαι γνησίως. Τοῦτο δὲ ἐγένετο. Οὔ τε ἐπὶ ἐνιαυτὸν ὅλον, καὶ ἀκόλουθα πράττων τῷ Διοκλητιανῷ Μαξιμιανὸς, οὐ μόνον τοὺς ἐν τῇ Νικομιδείᾳ ὑπολειφθέντας ἀνεῖλεν, ἀλλὰ καὶ διὰ προσταγμάτων αὐτοῦ διαβολικῶν τὰς ὑπ' αὐτῷ ἁπάσας ταράσσει πόλεις, διὰ τῶν κατὰ τόπον Ἀρχόντων, ὁμοίως δὲ καὶ τὰς χώρας καὶ ἐξανανεοῖ τὸν διωγμὸν πανγενῆ, καὶ αὐτὸς τὸ τῶν Χριστιανῶν ἀπολέσαι σπουδάζων γένος.

6 Ἐν τούτῳ δὲ ὄντος αὐτοῦ, ἀναφέρεται αὐτῷ περὶ τοῦ τιμίου καὶ θεοφιλοῦς ἀνδρὸς Φιλεταίρου, καὶ πῶς τὸ παράδοξον θαῦμα ἐπὶ τῇ ἀναλύσει τῆς καμίνου εἰργάσατο. Ὡς δὲ ἐκέλευσεν αὐτὸν παραστῆναι, ὁρᾷ αὐτὸν χάριτος πλήρη ὄντα, καὶ δόξαν ἀναστράπτουσαν τοῦ προσώπου αὐτοῦ, καὶ ἐθαύμασεν ἐξιστάμενος καθ' ἑαυτὸν, καὶ λέγει αὐτῷ· Τί τὸ ὄνομά σου, αἰδεσιμώτατε; Ὁ δίκαιος λέγει· Φιλέταιρος. Μαξιμιανὸς λέγει· Ξένον τὸ ὄνομα, καὶ τῆς πατρίδος ἀλλότριον. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Ἐγὼ Τατιανοῦ, τοῦ Τρισυπάρχου γενομένου τῆς πολέως ταύτης εἰμὶ υἱὸς, καὶ φιλοτιμίας διδόντος τοῦ πατρός μου τῇ πόλει, ᾗ ἐγεννήθην ἐγὼ, Φιλότιμόν με καλεῖσθαι ἐκέλευσεν· Λουκιανὸς δὲ ὁ ἁγιώτατος Μάρτυς, μετὰ τὴν ἀποβίωσιν τοῦ πατρός μου, τὸ λουτρὸν τῆς παλιγγενεσίας μοι διδοὺς, Φιλέταιρόν με προσηγόρευσεν. Μαξιμιανὸς λέγει· Τί ἐστιν λουτρὸν παλιγγενεσίας, Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος F λέγει. Οὐκ ἔξεστίν σοι ἀκοῦσαι τοῦτο, εἰδώλων νεκρῶν ὄντα σε θεραπευτήν· ὅμως λέγω ἐπικαλούμενος. Παλιγγενεσία ἐστὶν βάπτισμα σωτηρίας εἰς ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, δεδόμενον τοῖς μετὰ πίστεως λαμβάνουσιν. Μαξιμιανὸς λέγει· Μὰ τοὺς θεοὺς ἅπαντας, καὶ τὸν μεγαλοφεγγῆ ἥλιον, τέρπομαι ἐπὶ τῷ κάλλει σου καὶ πάνυ ἥδομαι τῇ τε ἡλικίᾳ καὶ ῥώμῃ τοῦ σώματός σου· ἐὰν δὲ ἄρξῃ τοὺς θεοὺς βλασφημεῖν καὶ παρυβρίζειν, μεληδὸν σε κατακόψω, καὶ τὰ κῶλά σου σὺν ὅλῳ τῷ σώματι κυσὶ βρῶμα παραδώσω. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Πιστεύω τῷ Κυρίῳ μου Ἰησοῦ Χριστῷ μὴ ἐγγύσαι τῷ σώματί μου μάστιγα, κἂν λεόντειον κατ' ἐμοῦ βρυχήσῃ. Μαξιμιανὸς λέγει· Μετάλαβε, Φιλέταιρε, τὸν μάταιόν σου σκοπὸν, ὅνπερ ἔχεις εἰς τὸν ἐσταυρωμένον, καὶ προσκύνησον τοῖς θεοῖς, καὶ ποιήσω σε μέγιστον ἐν τῷ οἴκῳ τῆς βασιλείας μου, ἀποδοὺς σοι τὸ πατρῷον ἀξίωμα. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Ἀξιώματος μὲν ἀνθρωπίνου, Βασιλεῦ, οὐδ' ὅλως χρήσω· μέγα δὲ ἔχω ἀξίωμα τὸ Μάρτυς δειχθῆναι τοῦ Κυρίου μου Ἰησοῦ Χριστοῦ. Μαξιμιανὸς εἶπεν· Παῦσαι, ἄθλιε, τοῦ ἐπιφέρειν τὸ ὄνομα τοῦ ἐσταυρωμένου ἐπ' ἐμοῦ, ἐπεὶ ἀπάρξωμαι τῶν εἰς σε βασάνων καὶ ἀναλώσω σε. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Οὐ παύσομαι τότε τὸ ἅγιον τοῦτο ἐπικαλούμενος ὄνομα, κἂν μυρία μοι ἀπειλῆς

EX MS. R. FRANC.

A 7 Τότε ὁ Μαξιμιανὸς κελεύει πάντα τὰ βασανιστήρια προτεθῆναι ἔμπροσθεν αὐτοῦ, πρὸς τὸ φοβηθῆναι τὸν ἀήττητον ἀθλητὴν τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἐπιθῦσαι. Θεωρήσας δὲ ὁ μακάριος Μάρτυς ὅλην ὁμοῦ τὴν κατασκευὴν τῶν βασανιστηρίων προτιθεμένην, λέγει αὐτῷ· Διὰ τούτων, Τύραννε, τῶν εὐτελῶν, δοκεῖς φοβηθῆναί με; ἐὰν δέ σοι θεάσῃ τὰ βασανιστήρια τοῦ οὐρανικοῦ Βασιλέως, ἆρα ὑπομείνῃς; Μαξιμιανὸς λέγει· Ταλαίπωρε, αἰδοῦμαί σου τὸ κάλλος καὶ τὸ εὐγενὲς, καὶ σὺ, ὡς ὁρῶ, ἀντιπράττειν μοι διὰ λόγων δοκεῖς. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Σὺ εἶ ταλαίπωρος, ὅστις πολλοὺς μὲν θεοὺς ἀφανεῖς σέβεις, ἕνα δὲ Θεὸν ἀληθινὸν καὶ τὸν τούτου παῖδα Θεὸν καὶ Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν οὐ γινώσκεις. Μαξιμιανὸς λέγει· Ὡς ὁρῶ, Φιλέταιρε, ἀνοίας πεπλήρωσε πολλῆς. Ἔστι Θεὸς ἔχων υἱόν; νῦν οὖν εὔδηλον τὴν μωρίαν σου ἐποίησας, δείξας ὅτι εἰκῆ καὶ μάτην χρήματα ἀνηλώθη ἵνα σὺ παιδευθῇς· πάντως γὰρ Τατιανοῦ ὑπάρχων υἱὸς, οὐ μικρῶς ἐπαιδεύθης. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Κἀκείνης μὲν, Βασιλεῦ μετείληφα τῆς παιδίας, τῆς δὲ τοῦ Κυρίου μου ὁλοκλήρως μετέλαβον. Μαξιμιανὸς λέγει· Τί οὖν δοκεῖ σοι λοιπόν; λέγε συντόμως. Θύσεις προθύμως, ἢ τὸ σῶμά σου αὐτὸ, ὃ δοκεῖς ἔχειν εὐήλικον καὶ ὡραῖον, ἀφανίσω ταῖς μάστιξι; Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Τὸν Χριστὸν Ἰησοῦν τὸν Κύριον καὶ Θεὸν σέβομαι μόνον καὶ αὐτὸν προσκυνῶ, B ὡς ἐξαγορασάμενόν με τῆς φθορᾶς, τοὺς δὲ θεούς σου μισῶ καὶ ἀποστρέφομαι.

8 Τότε θυμωθεὶς ὁ Μαξιμιανὸς ἐκέλευσεν ἀποδυσθέντα αὐτὸν ξύλοις τύπτεσθαι, ταθέντα εἰς τέσσαρα. Ὡς δὲ ἐδέθη ἐν τοῖς πάλλοις τεινόμενος ἐν τοῖς τέσσαρσι μέρεσιν, ὥρμησαν οἱ κελευσθέντες τύπτειν αὐτόν· καὶ δὴ ἀναβλέψαντος τοῦ δικαίου Φιλεταίρου εἰς τὸν οὐρανὸν, ὕπτιοι πεσόντες οἱ μέλλοντες αὐτὸν βασανίζειν, ἔμειναν ἡμιθανεῖς. Θαμβηθεὶς δὲ ὁ τύραννος, λυθῆναι μὲν αὐτὸν ἐκέλευσεν, πάλιν δὲ κρεμασθέντα ξέεσθαι αὐτὸν προσέταξεν. Ὡς δὲ ἐκρεμάσθη ἐπὶ τοῦ ξύλου, ἄνδρες φοβεροὶ ὤφθησαν διαβαστάζοντες αὐτὸν, καὶ ὅσοι ἐκελεύσθησαν ξέειν αὐτὸν, ἔπεσον οἱ ὄνυχες ἐκ τῶν χειρῶν αὐτῶν, καὶ αὐτοὶ ἔστησαν ἐνεοὶ μὴ ἰσχύοντες μήτε λαλεῖν. Κατελθόντος δὲ αὐτοῦ ἀπὸ τοῦ ξύλου ὑπερζέσας τῷ θύμῳ ὁ Μαξιμιανὸς θηριομαχῆσαι αὐτὸν προστάττει. Καὶ δὴ ἀχθέντος αὐτοῦ εἰς τὸ θέατρον ἀπολύεται αὐτῷ ἄρκτος, ἥν τινα ὁ Μαξιμιανὸς, ὡς δεινοτάτην, κελεύει αὐτῷ ἀφεθῆναι. Τοῦ δὲ ζώου παμμεγέθους ὄντος οὐκ ἐδειλίασεν ὁ Μάρτυς, ἀλλὰ μειδιῶν ἑώρα τὸ θηρίον ἐρχόμενον πρὸς αὐτόν. Ὡς δὲ ἔφθασεν ἕως αὐτοῦ βρυχομένη, τῶν ἱματίων αὐτοῦ ἀψαμένη, καὶ τῇ γλώσσῃ ἐκλείξασα, ἀνέπεσεν παρὰ τοὺς πόδας αὐτοῦ, καὶ πολλῆς ὥρας διαγενομένης οὐδεὶς ἐτόλμα δῆσαι τὸ θηρίον. Τότε γνοὺς τὸν σκοπὸν αὐτῶν ὁ Ἅγιος τοῦ Χριστοῦ ἀθλητὴς Φιλέταιρος, λέγει τῇ C ἄρκτῳ· Πορεύου, ὦ θηρίον, ἡσυχῶς ὅθεν ἦλθες, καὶ μὴ βλάψῃς τινὰ παραγγέλλω σοι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ τοῦ Κυρίου μου. Μετὰ δὲ ταῦτα πάλιν ἀπολύουσιν αὐτῷ λέοντα δεινότατον, ἔτι ὄντι ἐν τῷ θεάτρῳ. Ὁμοίως δὲ καὶ ὁ λέων δραμὼν εὐθέως καὶ αὐτὸς ἔπεσεν πρὸς τοὺς πόδας αὐτοῦ. Ὁ δὲ Ἅγιος Φιλέταιρος κατασφραγισάμενος καὶ ἐπινεύσας, ἤρξατο αὐτὸν ὡς ἀμνὸν ψήχειν τῇ χειρί. Τότε πᾶσα ἡ Νικομηδεία ἐκθαμβηθεῖσα, ὡς ἐξ ἑνὸς στόματος εἶπον· Οὐδέποτε τοιαῦτα παράδοξα ὤφθη ἐν τῇ πόλει ἡμῶν· ὄντως ὁ ἀνθρώπου τούτου ὁ Θεὸς μέγας ἐστίν

9 Ἀκούσας δὲ ὁ Μαξιμιανὸς ταῦτα τὸν δῆμον κράζοντα, κελεύει τὸν Ἅγιον αὐτὸν ἀποκεφαλισθῆναι. Ὡς δὲ εἰς τοῦτο οἱ τεταγμένοι ἦλθον τοῦ παραλαβεῖν αὐτὸν καὶ ἀπαγαγεῖν εἰς τὸν ὁρισθέντα τόπον, οὐκ ἠδύναντο αὐτῷ ἐγγίσαι, διὰ τὸ μὴ ἀναχωρεῖν ἀπ' αὐτῷ τὸν λέοντα τὸ σύνολον. Πάντων δὲ ἐκπληττομένων ἐπέταξε τῷ λέοντι ὁ ἅγιος Μάρτυς, καὶ μόλις ἀνεχώρησεν ἀπ' αὐτοῦ, καὶ ἀπῆλθεν εἰς τὴν γαλεάγραν. Τότε παραλαβόντες τὸν ἅγιον Μάρτυρα ἤγαγεν αὐτον τοῦ ἀποτεμεῖν τὴν κεφαλὴν αὐτοῦ. Ὡς δὲ ἦλθον ἐπὶ τὸν τόπον, κλίνει ὁ Μακάριος τὰ γόνατα, καὶ προσευξέμενος λέγει τῷ σπεκουλάτορι· Ἐάν σοι συγχωρηθῇ ποίει τὸ προσταχθέν σοι. Τοῦ δὲ ἐκτείναντος τὴν χεῖρα ἐπὶ τὸ κροῦσαι, ἄφνω ἡ χεὶρ αὐτοῦ

6 In hoc cum totus versaretur, accidit ut de venerando et religiosissimo viro Philetæro apud illum mentio fieret, et quo is modo insolitum cunctis in fornacis candentis, destructione spectaculum edidisset. Hunc ad tribunal suum constitutum diligenter intuitus, omnium gratiarum donis refertum, et excelsum quiddam e vultu ipso spirantem observat. Admiratione igitur hominis captus sic eum alloquitur; Quod tibi, venerande, nomen? Cui Sanctus; Philetærus, inquit, vocor. Ac Maximianus; Peregrina sane, dixit, appellatio, et in patria tua minime *b* usitata. Cui rursum Philetærus; Tatiani, ait, qui tertium huic urbi cum potestate præfuit, filius sum: cumque tam amplos in urbe hac mea natali honores parens meus gesserit, Philotimum me, quando nascebar, vocari jussit: sed *c* Lucianus, Martyr sanctissimus, post patris mei obitum sacro regenerationis lavacro me abluens, Philetæro nomen fecit. Quod istud, ait Maximianus, regenerationis lavacrum est? Non decet, inquit Sanctus, tanta tibi arcana revelare, qui idolis mortuis cultum exhibes. Interrogatus tamen sic respondeo: Regeneratio est ablutio seu baptisma salutis, quod cum fide illud recipientibus datur in remissionem peccatorum. Tunc Maximinus; Deos, ait, omnes et solem istum lucidissimum testor, quod admirabiliter me afficiat ista oris tui forma egregia, quodque corporis tui statura ac robur non parum me delectet. Quod si Deos nostros blasphemiis et contumeliis proscindere inceperis, membratim te jubebo conscindi, ac frusta corporis tui omnia canibus objici devoranda. Cui S. Philetærus, respondit, In Domino meo Jesu Christo spem habeo firmissime collocatam, fore ut flagellum mihi non appropinquet quamvis instar leonis contra me rugires. Quin imo, subjungit Maximianus, vanam istam animi tui fiduciam quam in Crucifixo habes, Philetære, commuta, ac diis potius nostris adorationem cultumque exhibe; quod si feceris, magnis te in familia mea imperatoria augebo honoribus, paterna dignitate restituta. Cui S. Philetærus; Ea quæ inter homines acquiritur gloria nequaquam, o Imperator, opus habeo: summum vero duco atque præcipuum, si me Domini mei Jesu Christi Martyrem palam ostendero. Maximinus respondit; Tace sis, hominum miserrime, Crucifixi istius nomen altius apud me efferre, ne mea in te tormenta experiri, teque in certam perniciem præcipitare incipiam. Ad quæ S. Philetærus; Non cessabo, inquit, nomen istud mihi invocare propitium, quamvis innumeros mihi cruciatus invenires.

D

eidem adductus Philetærus

b

c

nomen et baptisma suum exponit,

E

nec terretur illius minis:

F

7 Tunc Maximianus universum suppliciorum apparatum ante Philetæri oculos explicari jussit, ut invictum Christi pugilem vel solo eorum conspectu perterrefaceret, et ad sacrificandum idolis impelleret. Sed beatissimus Martyr omnem illam torquendis hominibus destinatam supellectilem ut aspexit, ita Imperatorem affatus est, Rebusne istis adeo contemnendis metum mihi incutere, Tyranne, cogitasti? Tu vero, quæ cœlestis Imperator parata habet impiis supplicia si spectares, putasne ea vel intueri valeres? Ac Maximianus; Tua me, infelix, pulchritudo, tua generositas plurimum commovet; cum tu econtra, quantum video, dictis factisque adversari mihi non desinas. Tu ipse, reponit Philetærus, hominum es infortunatissimus, qui Deos quidem, qui nullibi sunt, colere non dubitas, unum autem ac verum Deum, ejusque filium similiter Deum ac Dominum Jesum Christum minime agnoscis. Maximianus respondit; Magna, video, Philetære, amentia tuum occupavit animum. Deone quisquam filium *d* esse affirmare audeat? Nunc equidem cunctis manifestam insaniam tuam esse voluisti, clare ostendens quam temere ac frustra labores fuerint

aut expositis ante oculos instrumentis cruciatuum

d

Constans in sua confessione

A fuerint pecuniæque collocatæ ut meliora edocereris : Tatiani namque cum sis filius, non mediocribus, credo, expensis institutus es. S. Philetærus dixit : Illam sane quam dixisti educationem sortitus sum, sed Domini quoque mei doctrinam tota mente et voluntate accepi. Tum Maximianus; Quid igitur facere imposterum statuis? edic breviter. Sacrificasne Diis, an corpus, quod egregium pulchrumque a natura nactus es, tormentis conficiendum trado? Ad quem B. Philetærus; Christum Jesum, Deum ac Dominum, solum religiose colo et supplex adoro, qui ab omni me corruptione liberum præstabit; Deos vero tuos odio habeo et execrationi.

D ἅμα τῷ ξίφει ἐκρεμάσθη εἰς τὸν ἀέρα· ἔστη δὲ ὁ ἄνθρωπος παραπλὴξ, καὶ ἤρξατο βοᾶν καὶ λέγειν, Ἄνθρωπε τοῦ Θεοῦ ἐλέησόν με τὸν ταπεινὸν, καὶ οἴκτειρον ἐμὲ καὶ τέκνα μικρά μοι προσόντα. Τότε λέγει αὐτῷ ὁ δίκαιος· Πίστευσον τῷ Χριστῷ καὶ μετὰ φωνῆς μεγάλης κράξον, Χριστὲ, ὁ Θεὸς, σῶσόν με. Καὶ τοῦτο εἰπόντος τοῦ ἀνθρώπου ἰάθη παραχρῆμα, καὶ ἀφείθη τοῦ ἀοράτου δεσμοῦ.

EX MS. R. FRANC.

divinitus liberatur a tormentis :

8 Tunc furore incensus Maximianus, Philetærum vestibus exspoliatum, et per quatuor partes extensum, fustibus crudeliter verberari mandavit. Ut igitur manibus pedibusque ad quatuor palos extensus jacuit, protinus accesserunt, quibus eum cædere, imperatum fuerat : sed Philetæro sublatos in cœlum oculos intendente, proni in terram prostrati sunt lictores, ac semianimes jacuerunt. Terrore eodem perculsus tyrannus, tum quidem solvi eum, sed paulo post in eculeum tolli, ungulisque ferreis discerpi, præcepit. Simul autem atque e sublimi suspensus fuit, viri quidam visu terribiles apparuerunt, qui sanctum Martyrem sustentare visi sunt : et quicumque eum excruciare jussi erant, ungulas sibi e manibus labi senserunt, et quasi in amentiam versi ne vocem quidem proferre ullam valebant. Martyre vero e catasta descendente, ira effervescens Maximianus, bestiis ut objiciatur mandat. In theatrum igitur postquam fuit perductus, ursa in eum immittitur, quam Imperator, velut omnium ferocissimam, in sanctum Martyrem concitari jusserat. Erat sane insolitæ magnitudinis bellua, nihil tamen ea territus Martyr, contra se venientem exspectabat subridens. Illa autem magno impetu et barritu horrifico ad Martyrem progressa, vestes ejus innoxia attingere atque lambere, ac demum ad pedes Philetæri tranquille procumbere: quo in

frustraque objectus feris,

B statu cum longo tempore perseverasset, nullus fuit repertus qui eam vinculis adstringere rursum auderet. Sed mentem eorum perspiciens sanctus Christi athleta Philetærus, ad belluam dixit; Redi quiete E unde huc venisti, in nomine autem Domini mei Jesu Christi impero ne cuipiam noxæ aliquid inferas. Paulo post cum adhuc in theatro versaretur sanctus Martyr, leonem in eum solvunt ferocissimum : sed et ipse similiter ut ursa, postquam usque ad hominem sanctum pervenit, ante ejus pedes se abjecit in terram. Tunc S. Philetærus, signo crucis ante formato, et leoni annuens, manu eum, sic quasi agnum, mulcere cœpit. Spectaculo perculsa universa Nicomediensium civitas, uno quasi ore exclamavit; Nullis retro temporibus tanta apud nos prodigia fuere patrata : Magnus profecto Deus est quem homo ille veneratur.

capitis damnatur :

9 Hasce populi voces excipiens Maximianus, virum sanctum capite minui confestim mandat. Cum itaque ad jussum perficiendum destinati lictores, corripere Philetærum et ad supremi supplicii locum vellent ducere, propius ei appropinquare non sunt ausi, propterea quod hominem leo omnino non desereret. Stupescentibus ergo omnibus, sanctus Martyr leoni ut abiret præcepit : cujus mandato, quamvis ægre, attamen obtemperans bellua, e theatro ad caveam suam est regressa. Correptum deinde sanctum Martyrem ad locum ubi caput amitteret deducunt. Quo ut pervenerunt, positis Christi pugil in terra genibus, et fusa oratione, ad spiculatorem conversus; Si, inquit, tibi id fas perficere, age quod jussus es. Cumque sublata in altum manu verticem Martyris dejicere lictor putaret, ejus repente dextra, ita ut erat, cum gladio sursum erecta diriguit. Obstupuit homo et clamare cœpit, Dei famule, mei precor, hominis vilissimi, miserere mei, inquam, et liberorum meorum adhuc tenerorum. Cui Sanctus; Crede, ait, in Christum, ac magna voce ita eum invoca; Christe Deus, mei oro miserere. Quæ cum ille inclamasset, confestim sanitatem recuperavit, et vinculo quo tenebatur solutus est.

sed obrigescente lictore servatur.

ANNOTATA.

a *Magis hæc congruunt Galerio* Maximiano, *et hunc secuto* Maximino, *ut jam docuimus.* b *Non capio, quomodo nomen* Philetæri, *quod Græcum est et* Socii amantem *significat, dicatur Nicomediæ inusitatum ac* C *peregrinum, veluti ex nescio qua barbara lingua sumptum.* c S. Lucianus Presbyter Martyr *a Latinis* 7 F *Januarii, a Græcis* 15 *Octobris colitur, anno* 312 *fame enectus in carcere.* d *Parum apte hæc dici finguntur ab homine Gentili, in sua polytheia tot filios filiasque diis suis tribuenti, quem proinde offendere non poterat nomen* Filii Dei.

CAPUT II.

S. Philetæri novæ de idolis victoriæ, et deportatio in Prœconesum : sororis Theotimæ confessio, Cyriacæ puellæ martyrium.

Philetærus petit ad idola deduci

Audito prodigio Maximianus in furorem actus dentibus infrenduit, quod sanctum Martyrem Philetærum superare minime valeret. Magna quoque solicitudine agitatus in morbum incidit, ac prodigiorum insolentia consternatus, sine voce jacuit. Quem invisens Eutarsius Præfectus; Tantasne, inquit, tibi, Domine, curas injecit veneficus ille, qui præstigiis feras belluas, cruciatus, et gladii supplicium irritum reddidit? Illum potestati meæ tantummodo committe, et faxo ut intra duarum dumtaxat horarum spatium male pereat. In proximum urbi montem

Ταῦτα δὲ ἀκούσας ὁ Μαξιμιανὸς ἐμαίνετο πάνυ καὶ ἔθριξεν τοὺς ὀδόντας αὐτοῦ, μὴ περιγενόμενος τοῦ δικαίου Μάρτυρος Φιλεταίρου. Ἀπὸ δὲ τῆς πολλῆς φροντίδος εἰς νόσον περιπεσὼν, ἐκπληττόμενος ἐπὶ τοῖς θαυμασίοις τοῖς γενομένοις, ἔκειτο ἄφωνος. Προσελθὼν δὲ αὐτοῦ Εὐτάρσιος λέγει, Δέσποτα, πεφρόντικας περὶ τοῦ γόητος ἐκείνου, ὅστις ταῖς γοητείαις καὶ τὰ θηρία καὶ τὰς βασάνους καὶ τὰ ξίφη ἐνίκησεν; Δός μοι οὖν τὴν κατ' αὐτοῦ ἐξουσίαν, καὶ ἀναλίσκω αὐτὸν εἰς δύο ὥρας· ἀνάξω γὰρ αὐτὸν εἰς τὸ πλησίον ὄρος, καὶ ἀγρίοις ζῴοις τὸ σῶμα αὐτοῦ ἀναλίσκω. Τότε ὁ Μαξιμιανὸς εὐφρανθεὶς ἔδωκεν

EX MS. R. FRANC.

A ἔδωκεν αὐτῷ ἐξουσίαν λέγων. Ἐὰν μὴ οὗτος ὁ ἄνθρωπος ἀποθάνῃ ἐν τάχει, ἐγὼ ἐμαυτὸν διαχειρίσασθαι ἔχω, μὴ φέρων τὸ ὄνειδος ὅτι ἕνα οὐκ ἰσχύω ἀναλῶσαι πλάνον. Τότε παραλαβὼν αὐτὸν ὁ Εὐτάρσιος λέγει αὐτῷ· Θύεις τοῖς θεοῖς, ἢ σήμερον ἀποθνήσκεις; Ὁ δίκαιος λέγει, Εἰ θέλεις με θῦσαι, προσάγαγόν με πρῶτον τοὺς θεούς σου καὶ ὑπόδειξόν μοι τινὶ αὐτῶν ὀφείλω προσελθεῖν, ὅτι πολλοί εἰσιν. Ἐχάρη οὖν ὁ Ἔπαρχος πάνυ, καὶ εὐθέως ἀνήνεγκεν τῷ Βασιλεῖ, ὅτι βούλεται Φιλέταιρος θῦσαι τοῖς θεοῖς. Πανὺ οὖν εὐφρανθεὶς ἐπὶ τούτοις ὁ Μαξιμιανὸς, καὶ ὡς ἐδόκει ἀπὸ τῆς νόσου αὐτοῦ χαρὰν μεγάλην ἀναλαβὼν, κελεύει αὐτὸν εἰς τὸν ναὸν εἰσελθεῖν ἔνθα πάντες οἱ θεοὶ ἐστήκεισαν. Τοῦ δὲ εἰσαχθέντος λέγει αὐτῷ ὁ Ἔπαρχος· Ἴδε οἱ θεοί, νεώτερε, ὧνπερ εἷς εἶναι τυγχάνεις, καλὸς ἔχων τοιοῦτον· πολὺ δὲ ὡραιότερος τοῦ λοιποῦ ὀφθήσῃ, ἐὰν ἀποπληρώσῃς εὐμενῶν τὰς εἰς αὐτοὺς θυσίας. Ταῦτα δὲ εἰπόντος τοῦ Ἐπάρχου, παρίσταται ὁ δίκαιος Φιλέταιρος ἔγγιστα τῶν εἰδώλων, καὶ λέγει αὐτοῖς· Εἴπατέ μοι, πνεύματα ἀκάθαρτα, τὰ ἐν τοῖς εἰδώλοις τούτοις οἰκοῦντα, οὐκ οἴδατε ὅτι ἐγώ εἰμι Φιλέταιρος, ὁ τὸ τοῦ Χριστοῦ ἐπιφερόμενος ὄνομα; καὶ πῶς ἐτολμήσατε περιμένειν με ἐνταῦθα, καὶ οὐχ ὑπηντήσατέ μοι ὡς τοῦ μεγάλου Βασιλέως στρατιώτην; τότε κινηθέντες οἱ ἐν τοῖς ἀγάλμασι κατοικοῦντες δαίμονες, ἔρριψαν τὰ εἴδωλα πρὸ τῶν ποδῶν
B τοῦ δικαίου, καὶ αὐτοὶ μετὰ φόβου πολλοῦ ἀποφεύγοντες ἔκραζον, Κατακαιόμεθα οἱ ἄθλιοι, ὑπὸ σου παραδειγματισθέντες καὶ διωχθέντες, ὦ Φιλέταιρε.

deduci eum faciam, et feris bestiis objiciam devorandum. Tunc Maximianus gaudio exultans, Philetærum roganti tradidit, hæc addens : Si non confestim homo iste mortem oppetat, ego mihimetipsi manus afferam : nec enim ferendum puto, quod unum illum impostorem e medio tollere nequeam. Comprehensum igitur Philetærum ita affatur Eutarsius; Diis sacrificium, an te ipsum hodie morti tradere statuis? Cui Sanctus; Si vis ut sacrificem, age, ad Deos tuos jube me deduci, et cui illorum (plures enim sunt) sacrificare debeam ostende. Vehementer ob hæc lætatus Præfectus, Imperatori renuntiat, paratum esse Philetærum ad sacrificandum diis. Quo nuntio mirifice recreatus Maximianus, et ut videbatur ex ipso suo morbo lætitia quadam nova affectus, in illud hominem delubrum duci voluit, in quo omnium Deorum simulacra cernebantur efficta. Quod ut ingressus est Philetærus; Ecce, inquit ad eum Præfectus, hi illi sunt Dii, e quorum numero tu aliquando unus es futurus, qui forma modo es adeo eleganti : quam elegantiam tanto magis a te augendam puta, quanto promptiorem te hodie ad sacrificandum Diis exhibueris. Dicente ea Præfecto, propius ad idola accedens S. Philetærus; Dicite, inquit, mihi, spiritus impuri, qui simulacra ista inhabitatis, E
vosne ignorare potestis, Philetærum esse me, qui Christi nomen ubique circumfero? Quo modo igitur ausi estis immoti me ingredientem expectare; nec mihi, Regis maximi adscripto militiæ, processistis obviam? Tunc intra sua se simulacra commoventes dæmones, idola omnia ante viri justi pedes projecerunt, ac ipsimet magno cum metu fugam arripientes exclamarunt; Ob hoc miserrimi affligimur, quod ita palam infamia nos affeceris, eque templo et idolis, in fugam Philetære, conjeceris.

eaque subvertit.

11 Γενομένου δὲ τούτου, καὶ πάντων τῶν εἰδώλων ἀφανισθέντων, ὀργὴ σχεδὸν ὅλον τὸ ὄρος κατέλαβεν, ὡς πλῆρες γενέσθαι πυρός, καὶ πάντες ἔφυγον καταδιωκόμενοι ὑπὸ τοῦ οὐρανίου πυρός· Προσπεσὼν δὲ ὁ μακάριος ἐδεήθη τοῦ φιλανθρώπου Θεοῦ τοῦ μηδένα ἀποθανεῖν. Ὁ δὴ καὶ γέγονεν· Μόνος γὰρ ὁ Εὐτάρσιος ὁ Ὕπαρχος, παράπληξ γενόμενος, ἐπὶ τὸν τόπον ἀπέθανεν, οἱ δὲ λοιποὶ πάντες ἐπίστευσαν ἐπὶ τὸν κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν, καὶ ὕστερον διὰ μαρτυρίου ἐτελειώθησαν. Κατελθόντος δὲ τοῦ δικαίου ἐν τῇ πόλει, μαθὼν ὁ Μαξιμιανὸς τὸ γεγονὸς, καὶ τὸν θάνατον τοῦ Ἐπάρχου; τυφλωθεὶς τε ἐπὶ πλοῖον τὴν διάνοιαν ὑπὸ τοῦ ἐνεργοῦντος αὐτῷ δαίμονος, καὶ εἰς λήθην ἀγαγόντος ὧνπερ πεῖραν εἰλήφει θαυμασίων τοῦ Ἁγίου, πάλιν κελεύει ὁ ἀλιτήριος ξίφει τὴν κεφαλὴν ἀποτμηθῆναι
C τοῦ μακαρίου Φιλεταίρου. Ὡς δὲ καὶ ἐπὶ τοῦτο τεθαρρηκὼς ἦλθεν καὶ γεγηθὼς ὁ τοῦ Χριστοῦ ἀθλητὴς Φιλέταιρος, ἔτεινεν τὸν τράχηλον· καὶ μετὰ ὀξύτητος πολλῆς, ὁρμήσας ἐπὶ τοῦτον ὁ σπεκουλάτωρ, πίπτει ἐπὶ πρόσωπον, καὶ ἔκειτο ἡμιθανής· δοὺς αὐτῷ χεῖρα ὁ Μακάριος, ἀνέστησεν αὐτὸν εἰπὼν, Μὴ σπεῦδε, τέκνον, ἐπὶ τῷ ἄλλου θανάτῳ, ἐπεὶ σὺ πρῶτος αὐτὸν ἐπισπάσῃ.

Cœlesti flamma absumpto Præfecto,

11 Hoc facto, et universis idolis in nihilum redactis, ipse mons, quasi irasci hominibus visus, apparuit undique repletus igne, ita ut fugam quot quot aderant circumspicerent, immissa divinitus flamma vestigia fugientium persequente. Precibus vero beatissimus Martyr conceptis hoc a Deo oravit, ut ne quis ab igne noxam pateretur : quod et impetravit. Solus namque Eutarsius Præfectus, igne cœlesti percussus, ipso in loco exspiravit : qui vero supererant omnes in Dominum Jesum Christum se credere sunt professi, pro quo sanguinem vitamque suam et ipsi ad extremum fuderunt. Reverso deinde in urbem Martyre, ubi quæ acciderant ac mortem sui Præfecti Maximianus didicit, a familiari sibi dæmone amplius etiam mente excæcatus, et quasi in oblivionem adductus omnium quorum testis et particeps fuerat prodigiorum Imperator scelestissimus, F
B. Philetæri caput gladio ut abscindatur rursum imperat. Ad hoc supplicium subeundum athleta Christi Philetærum fidenti lætoque animo in medium progressus, collum accipiendo ictui intrepide extendit : sed hunc cum magna usus celeritate spiculator pararet inferre, pronus in faciem concidit, vivo non magis quam mortuo similis. Tum Sanctus, manu ad jacentem porrecta, in pedes eum erexit, dicens; Ne, quæso, imposterum, fili, tam promptum te exhibe ad mortem alteri inferendam, quam ipsi tibi prius accerses.

et lictore ne feriat cohibito,

12 Μαθὼν δὲ καὶ ταῦτα ὁ Μαξιμιανὸς, ἐκλυθεὶς τὰς φρένας, ἀπορῶν τί διαπράξεται τοῦ λοιποῦ εἰς τὸν Μάρτυρα τοῦ Χριστοῦ· οὐ μὴν δὲ ἀλλὰ καὶ τῶν συμβούλων αὐτοῦ περὶ τούτου ἀπορούντων πάσης βουλῆς, ἐκέλευσεν ἐγκλεισθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ φυλακῇ, ἕως ἂν σκέψηται τὰ περὶ αὐτοῦ. Μετὰ δὲ ἡμέρας πέντε κελεύει αὐτὸν ὁ Μαξιμιανὸς ἀχθῆναι πρὸς αὐτόν. Τοῦ δὲ ἀρθέντος ἀπὸ τῆς φυλακῆς καὶ ἀχθέντος ἐπὶ τοῦ βήματος, λέγει αὐτῷ ὁ Βασιλεύς· Φιλέταιρε, πῶς τέρπομαι ἐπὶ τὸ κάλλος σου, καὶ πῶς εὐφραίνομαι τῇ νεότητί σου, οἱ θεοὶ ἐπίστανται

post dies 5 in carcere actos

12 Rem, ut facta erat, Maximianus intelligens, mente sua vix constitit, nescivitque quodnam deinceps adversus Martyrem experiretur tormenti genus. Neque istud modo, sed ii etiam omnes quorum uti consiliis erat assuetus, cum nihil amplius suggererent, Martyrem Christi denuo in carcerem detrudi mandavit, donec quid eo faciendum esset dispiceret. Quinque vero diebus elapsis, e custodia eductum sisti coram se Maximianus voluit; ad cujus ubi tribunal Philetærus constitit, ait ad ipsum Imperator;

Quantopere

A Quantopere præstante illa tua forma, Philetære, gaudeam, tuaque adolescentia delecter, soli norunt Dii immortales. Tu autem mihi vel, patris instar, hortanti, vel, ut Regem decet, imperanti aures hactenus atque animum negas. Sed vel ex hac hora persuaderi tibi si non abnuis, in filii te primogeniti nomen locumque mihi adopto. Satis enim superque Dii nostri erga homines benignissimi declararunt, quam illis curæ sint res tuæ. Unde factum est ut neque tormenta, neque gladius, neque feroces belluæ quidquam contra te efficere valuerint. Nunc igitur, ut par est, Deos adora, beneficia agnosce, et sacrifica : tum ego me tibi excusabo de omnibus quæ contra te commisi. S. Philetærus dixit : Talia sentire, loqui, et facere hominum est eorum qui animum habent nimis excæcatum, quorum tu, Imperator, primus es, qui ista et sentis et loqueris. Etenim qua ratione alteri, quod aiebas, elargiri illi possunt, qui ipsis sibi opitulari nequeunt, sed e conspectu se subducere et infirmitatem suam fateri coguntur? Solus profecto summam sempiternamque habet potestatem Deus, Deique filius unigenitus, et sanctus ac vivificus Spiritus.

Philetærus iterum tentatur blanditiis sed frustra :

μόνοι· καὶ σύ, οὔτε ὡς πατέρι παραινοῦντί μοι ἐπείσθης, οὔτε ὡς Βασιλεῖ ἀντιποιουμένου σου ὑπεῖξας μέχρι τοῦ νῦν. Θέλησον οὖν κἂν ἀπὸ τοῦ νῦν πεισθῆναί μοι, καὶ υἱόν πρωτότοκόν σε ἐμαυτοῦ ἀναγορεύω· ἔδειξαν γὰρ οἱ φιλάνθρωποι θεοί, ὅτι ἀντιποιοῦνταί σου πάνυ, καὶ διὰ τοῦτο οὔτε βάσανός σου κατίσχυσεν, οὔτε ξίφος, οὔτε τι τῶν θηρίων. Προσκύνησον οὖν τοῖς θεοῖς, ὁμολόγησαι αὐτοῖς, καὶ θῦσον· καὶ ἀπολογοῦμαί σοι τὰ μέγιστα ὑπὲρ τῶν πρώην τετολμημένων εἰς σε. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος εἶπεν. Ταῦτα ἐννοεῖν καὶ λαλεῖν καὶ ποιεῖν τυφλῶν τὴν καρδίαν ἐστίν, ὧν πρῶτος τυγχάνεις σύ, ὁ ταῦτα νοῶν καὶ λαλῶν· Πῶς γὰρ οὗτοι δύνανται παρασχεῖν ἄλλῳ ὅπερ ἔφης, οἱ ἑαυτοῖς βοηθῆσαι μὴ δυνάμενοι, ἀλλὰ ἀφανισθέντες παντελῶς ἐμειώθησαν· μόνος γὰρ εἷς ἐστιν ὁ τὸ κράτος ἔχων αἰώνιον καὶ ὁ τούτου υἱὸς ὁ μονογενής, καὶ τὸ ἅγιον καὶ ζωόποιον Πνεῦμα. D

EX MS. R. FRANC.

13 Tum Maximianus; Ubi, inquit, sunt universa
B patris tui bona? Ac S. Philetærus; Quamvis, ait, sciscitanti tibi super ea re minime tenear respondere, dicam tamen, ut qui me audituri sunt, factum meum æmulentur imitenturque. Quæcumque igitur parens meus bona possedit, pauperibus scito esse concessa, ut per ipsos gratiam et indulgentiam apud Deum inveniat; *a* siquidem a veri Dei cognitione prorsus alienus fuit. Imperator dixit : Unicane patris tui tu proles? Cui S. Philetærus; Nequaquam; Soror enim mihi est, eaque admiranda prorsus et supra modum formosa. Maximianus rursum : Adhucne superest, an jam obiit? Superest etiamnum, respondit vir sanctus, quæ Dei erga nos est gratia, et commorationem habet in monte, tuam fugiens immanitatem, ibique cum aliis nonnullis virginibus divino sese famulatui addixit. Priorne te, interrogat Imperator, an secus, in lucem edita est? Post me, reponit Sanctus, incepit vivere; sed toto animo atque arctissime Deo sese conjunxit. Quod, inquit Imperator, virgini nomen? Tum Christi Martyr : Theotimæ pater nomen imposuit, quod ne vanum esset, totam se ad Deum colendum transtulit. Eam deinde cum omnibus suis virginibus ad se perduci Maximianus jussit : adductas vero numero sexaginta, multis blanditiis aggressus; Sinite, inquiebat, clarissimæ adolescen-
C tulæ, vobis persuaderi, ac Diis sacrificia ne negate, ut in summo honoris culmine a me collocemini, et vos affectu paterno complectar. Respondens autem beata Theotima; Quanam, dixit gloria tu quæso, nos augere potes, qui hominibus, Dei timorem ante oculos habentibus, nullo honore dignus es et execrabilis? Furore incensus Maximianus, in faciem ignominiose eam cædi imperavit.

a

soror ejus Theotima, cum 6 sodalibus adducta

in facie cæditur :

13 Μαξιμιανὸς εἶπεν, Ποῦ εἰσιν τὰ χρήματα τοῦ πατρός σου. Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος εἶπεν, Οὐκ ἔδει μέ σοι περὶ τούτων ἀπολογήσασθαι, ὅμως λέγω ἵνα οἱ ἀκούοντες ζηλώσωσιν καὶ μιμήσωνται· Τὰ χρήματα τοῦ πατρός μου πάντα διέδωκα πένησιν, ὅπως διὰ τούτων ἄνεσιν εὕρῃ ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, ἐπειδὴ τῆς εἰς αὐτὸν γνώσεως ἀλλότριος παντελῶς ἐγενήθη. Ὁ βασιλεὺς λέγει· Μονος αὐτῷ ἐγεννήθης; Ὁ ἅγιος Φιλέταιρος λέγει· Οὔ ἀλλὰ καὶ θυγάτηρ μία πάνυ θαυμαστὴ καὶ ὡραία. Μαξιμιανὸς λέγει· Περίεστιν ἢ ἐτελειώθη; Ὁ δίκαιος λέγει· Περίεστιν χάριτι Θεοῦ, καὶ ἐν τῷ ὄρει οἶκον ποιήσασα διὰ τὴν σὴν ἀπήνειαν μετὰ καὶ ἑτέρων τινῶν διάγει, ἐκεῖ τῷ Χριστῷ δουλεύουσα. Ὁ Βασιλεὺς λέγει· Πρώτη σου ἐτέχθη ἢ ἐσχάτη; Ὁ δίκαιος λέγει, Ἐσχάτη, πολὺ δὲ τῷ Κυρίῳ τῶν ὅλων κεκόλληται. Ὁ Βασιλεὺς λέγει· Τίς καλεῖται αὕτη; Ὁ Μάρτυς λέγει, Θεοτίμα παρὰ τοῦ πατρὸς κέκληται, καὶ ὡς ὄντος Θεοτίμα ἑαυτὴν Θεῷ τῷ ἐπουρανίῳ ἀνέθηκεν. Τότε κελεύει ὁ Μαξιμιανὸς ἀχθῆναι καὶ αὐτὴν πρὸς αὐτόν, ἅμα ταῖς σὺν αὐτῇ οὔσαις παρθένοις. Τῶν δὲ ἀχθέντων τὸν ἀριθμὸν ϛ' ἤρξατο ὁ Μαξιμιανός, κολακευτικοῖς ἀποκεχρημένος ῥήμασιν, λέγειν αὐταῖς· Πεισθητέ μοι, νεανίδες εὐγενέσταται, καὶ τοῖς θεοῖς προσκυνήσατε, καὶ ἐν δόξῃ πολλῇ καταστήσω ὑμᾶς, καὶ πατὴρ γνησιώτερος γενήσομαι ὑμῖν. Ἡ δὲ μακαρία Θεοτίμα ἀποκριθεῖσα λέγει αὐτῷ· Σὺ ἐν ποίᾳ ἡμᾶς ἔχεις τιμῇ ποιῆσαι, ὅλως ἄτιμος καὶ βδελυκτὸς ὑπάρχων, παρὰ πᾶσιν ἀνθρώποις φοβουμένοις τὸν Θεόν. Τότε θυμωθεὶς ὁ Μαξιμιανὸς ἐκέλευσεν τύπτεσθαι αὐτὴν εἰς τὰς ὄψεις. E

14 Cumque ea cæderetur, e pluribus quæ adductæ fuerant virginibus una aliqua, cui Cyriacæ nomen et ætas octodecim omnino annorum. Maximianum compellans; Erubesce, aiebat, mortalium miserrime, et mortuorum idolorum cultor ac vindex, qui sanctam ac beatissimam Virginem, veluti impietatis ream, in castissimo vultu verberari jubes. At Imperator contra tenellam virginem immaniter excandescens, tamdiu virgis eam præcepit percuti, donec vocem proferre beata adolescentula nullam amplius posset. Adstans autem B. Philetærus Deum pro ipsa precabatur dicens : Domine Jesu Christe, magnum nobis et laudandum nomen; victoriam, oro, et tolerantiam beatæ sacræque huic virgini Cyriacæ concede. Philetærum orantem, et virginem novas vires accipientem ut observavit Maximianus, sancto

pro qua tyrannum increpans S. Cyriaca,

14 Τυπτομένης δὲ αὐτῆς ὑπὸ πλειόνων, μία τις κόρη ἐξ αὐτῶν, Κυριακὴ τοὔνομα, ἄγουσα τὴν ἡλικίαν ὀκτωκαίδεκα τὸ ἔτος, ἀποκριθεῖσα λέγει τῷ Μαξιμιανῷ· Αἰσχύνθητι, ταλαίπωρε, εἴδωλα νεκρὰ ἐκδικῶν, ὁσίαν καὶ μακαρίαν παρθένον, ὡς ἀνομήσασαν, ἐπὶ τοσοῦτον τύπτεσθαι προστάττεις ἐπὶ τῶν παναγνων ὄψεων. Ὁ δὲ Βασιλεύς, ὡς ὗς ἄγριος, κατὰ τῆς νεανίδος ἀγριωθείς, τοσοῦτον αὐτὴν ἐκέλευσεν ῥαβδισθῆναι, ἕως ὅπου μὴ δὲ λαλεῖν ἡ μακαρία ταύτῃ ἠδύνατο. Ὁ δὲ μακάριος Φιλέταιρος ἑστὼς ηὔχετο περὶ αὐτῆς λέγων· Κυριε Ἰησοῦ Χριστέ, τὸ μέγα καὶ ὑμνητὸν ὄνομα, χάρισαι τὸ νῖκος καὶ τὴν ὑπομονὴν τῇ μακαρίᾳ καὶ θεσπεσίᾳ κόρῃ ταύτῃ Κυριακῇ. Ἀκούσας δὲ ὁ Μαξιμιανὸς προσευχομένου αὐτοῦ καὶ ὁρῶν τὴν κόρην νευρουμένην, ἐκέλευσε τῷ μὲν ἁγίῳ Φιλεταίρῳ σίδηρα βαρέα περιτεθῆναι εἰς τὸν τράχηλον αὐτοῦ, καὶ εἰς τὰ χεῖρας καὶ εἰς τὰς πόδας, καὶ ἀποκλεισθῆναι

EX MS R. FRANC.

A κλεισθῆναι αὐτὸν εἰς φυλακήν· τὴν δὲ ἁγίαν Κυριακὴν τετράκις κριμάσας ἀπὸ τῆς μιᾶς χειρὸς καὶ σπαθίσας, ἐκέλευσεν σῶσαν αὐτὴν καῆναι. Ὅλον δὲ τὸν θυμὸν εἰς τὴν νεᾶνιν ταύτην κενώσας ὁ τύραννος, τὰς λοιπὰς ἅμα τῷ θεσπεσίῳ Μάρτυρι εἰς τὴν φυλακὴν κατέκλεισεν. Ὡς οὖν ἐκάη τὸ ἅγιον καὶ θεσπέσιον σῶμα τῆς μακαρίας Μάρτυρος Κυριακῆς, ἡμεῖς, οἱ καὶ γράψαντες ταῦτα, τὴν κονὶν τοῦ σώματος αὐτῆς ἐν ὀθόναις λαμπραῖς λαθόντες ἐλάβομεν.

15 Τοῦ δὲ Ὑπάρχου Εὐταρσίου θεηλάτῳ ἀναλωθέντος πυρὶ, Καστρίκιόν τινα ὀνόματι, τῆς Κυζίκου πόλεως ὁρμώμενον, διάδοχον αὐτοῦ καθιστᾷ ὁ Μαξιμιανός. Τῶν οὖν σεμνῶν παρθένων καὶ τοῦ καλλινίκου Μάρτυρος κατακεκλεισμένων ἐν τῇ φρουρᾷ, δίδωσι γνώμην ὁ Καστρίκιος τῷ Μαξιμιανῷ τοιαύτην· Ἐπειδὴ, Δέσποτα τῆς οἰκουμένης, ἠτύνησας μετ᾽ ἐκείνου τοῦ δυσσεβοῦς διαλεγόμενος, λέγω δὴ Φιλεταίρου, καὶ κολακείαις πείθων οὐ μετήνεγκας, καὶ βασάνοις ἀποστῆναι αὐτὸν τῆς ἀπονοίας, κέλευσον αὐτὸν τῇ καλουμένῃ Προικοννήσῳ ἐξορισθῆναι· ἐν γὰρ τῇ Προικοννήσῳ ἐκείνῃ ἐπενοήθη παρὰ τῶν παλαιῶν Βασιλέων ἔργον ἄξιον καταδίκων, λίθους τέμνειν B καὶ κόρακα ἐπιθεῖσθαι σιδήρεον τῷ νώτῳ τῶν ἐξοριζομένων, καὶ οὕτως κατὰ μικρὸν τὰ τῶν κατακρίτων τέμνεσθαι μέλη. Εἰ οὖν τοῦτο ποιήσει τὸ κράτος σου, μεγάλης σεαυτὸν ἀπαλλάξεις φροντίδος. Ταῦτα ἀκούσας ὁ μιαρώτατος Βασιλεὺς καὶ ὑπερεπαινέσας τὸν Καστρίκιον, ἐκέλευσεν τὸν ἅγιον Μάρτυρα Φιλέταιρον, ἅμα ταῖς θεοφιλέσι παρθένοισ ἐξορισθῆναι ἐν τῇ Προικοννήσῳ, κελεύσας ἐπὶ τοῦτο Ἀριστείδην τινὰ Κώμητα, καὶ ἄλλους ἓξ ἄνδρας αἰδεσίμους ἅμα τῇ ὑπηρεσίᾳ αὐτῶν ἀπελθόντας ἀποκαστῆσαι αὐτοὺς ἐν τῇ νήσῳ. Ἐκέλευσεν δὲ ὁ Βασιλεὺς ἵνα ὁ μακάριος Φιλέταιρος μετὰ τῶν δεσμῶν καὶ τοῦ κλοιοῦ ἀκολουθῇ, παραγγείλας καὶ τοῦτο ὅτι εἰ φοβηθῇ καὶ ὁμολογήσῃ τοὺς θεοὺς ἀνεθῆναι αὐτὸν τῶν δεσμῶν· εἰ δὲ ἐπιμείνῃ τῇ πονηρίᾳ, οὕτως σεσιδηρωμένον ἀκαταστῆσαι τῇ νήσῳ.

16 Καὶ δὴ ἐξελθόντων αὐτῶν τῆς Νικομηδείας, ἔρχονται ἐπὶ τὴν Νικαίαν, καὶ ἦν ἑορτὴ μεγίστη τῶν ἑλλήνων ἐν τῷ ναῷ τῶν εἰδωλομανούντων. Ἐγένετο οὖν αὐτοῖς πλησίον τοῦ ναοῦ παρέρχεσθαι, ἔνθα ἑστήκει αὐτῶν πᾶν εἴδωλον. Πολλοῦ δὲ πλήθους ἐξελθόντος εἰς C ἀπάντησιν τοῦ Κόμητος τῆς Νικαέων πόλεως, τῷ σιδήρῳ τῷ τῇ χειρὶ αὐτοῦ κρούσας ὁ Ἅγιος τὸν τοῖχον τοῦ ναοῦ, λέγει οὑτωσὶ πρᾴως· Κύρι ὁ Κόμης, οὗτος ὁ οἶκος εἰ πεπτώκει πόσαι εἶχον ψυχαὶ διασωθῆναι; πεπληρωμένος γὰρ ἦν ὁ ναὸς τῶν ἑλληνιστῶν· καὶ τοῦτο εἰπόντος αὐτοῦ ἐγένετο σεισμὸς μέγας, ἐκπηδησάντων δὲ πάντων ἔξω συνέπεσεν ὁ ναὸς, καὶ ὅλα συνετρίβη τὰ ἀγάλματα αὐτων. Τότε ἐμμανεῖς γενόμενοι ὁρμῶσιν πάντες ἐπὶ τὸν δίκαιον τοῦ ἀναλῶσαι αὐτὸν, κελεύσαντος οὕτως τοῦ Κόμητος, ἐστράφη γὰρ αὐτῶν ἡ ἑορτὴ εἰς πένθος, οὐ μέντοι δὲ ἀνθρώπων ἀπέθανέν τις. Ἐπιβαλλόντων οὖν αὐτῶν χεῖρας τοῦ ἀνελεῖν αὐτὸν, βροντὴ ἐξ οὐρανῷ ἐξαπίνης ἐγένετο, καὶ χάλαξα μετὰ ἀπειλῆς μεγάλης· καὶ λοιπὸν οὐδεὶς ἠδυνήθη κακοποιῆσαι τὸν Μάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Φιλέταιρον· ἐπίστευσαν δὲ τῷ Κυρίῳ τῆς πόλεως ἐκείνης ὀνόματα διακόσια. Ἔκτοτε δὲ λοιπὸν ὁ Κόμης οὔτε διὰ πόλεως, ἀλλὰ τῇ λεωφόρῳ ὥδευσεν. Διελθόντων δὲ αὐτῶν τὸν Ῥίνδακον ποταμὸν, ἠκολούθει ὡς δέσμιος τὰ σίδηρα φορῶν ὁ Μακάριος.

quidem Philetæro ponderosissimis manus pedesque D vinculis constringi, et custodiæ reddi; sanctam vero Cyriacam quater e manu altera suspensam, et toto corpore luxatam, etiamnum vegetam ustulari crudeliter jussit. Omni itaque animi sui furore in unam adolescentulam converso Tyrannus, reliquas omnes eadem cum sacratissimo Martyre custodia teneri voluit. Cum itaque beatæ Martyris Cyriacæ sanctum et venerabile corpus flammis consumeretur, nos qui hæc ipsa litteris consignavimus, decidentes ex ustulato corpore *b* cineres linteis mundis latenter excepimus.

graviter torquetur,

et exuritur.

b

15 Eutarsio autem Præfecto, divinitus immisso igne e vivis sublato, successorem constituit Maximianus Castricium quemdam, Cyzicena urbe profectum. Hic ergo Castricius, cum fortissimas virgines fortissimumque Martyrem custodia teneri non ignoraret, tale Maximiano consilium suggessit: Quandoquidem, orbis totius Imperator, cum impio illo homine, Philetæro inquam, verba frustra consumpseris, et blanditiis utens atque tormentis efficere tamen minime potueris ut ab amentia sua tandem velit desistere, cum in insulam quam Prœconesum *c* nominant, relegari jube. In hac siquidem insula, hominibus ob scelera damnatis, laborandi modum dignissimum excogitarunt Imperatores qui antehac fuerunt, ut videlicet lapides cæderent et ferreum *d* E uncinum quicumque in locum illum relegabantur, dorso cogerentur gestare; itaque eorum corpora laboribus et cruciatu paulatim dissolverentur. Hoc si facere, o Imperator, cogitas, næ magna te molestia hoc pacto liberum effeceris. Audito consilio impiissimus Maximianus, et Castricio magnopere laudato, sanctum Martyrem Philetærum, una cum dilectis Deo virginibus in Prœconesum relegavit; Aristidi cuidam Comiti et sex aliis viris illustribus id negotii demandans, ut sumpto secum qui ad rem sufficeret comitatu, damnatos Martyres in insulam eam deportaret. Beatum autem Philetærum vinculis quoque et numella collo inserta onustum sequi voluit; ita tamen, ut si animis deficeret, et idolorum suscipere vellet cultum, vinculis et molestiis eximeretur; sin persisteret in impietate, ferro gravis in modo dictam exponeretur insulam.

Castricius Præfectus suadet in Prœconesum deportandum Sanctum,

c

d

16 Nicomedia itaque digressi, Nicæam tandem tenuerunt, ubi Gentiles idololatræ in templo quodam Deorum suorum memoriam festive agebant. Accidit autem ut propius ad templum illud accederent, quod omnium idolorum statuis erat refertum. Cumque ingens hominum multitudo e Nicæna civitate advenienti Comiti honoris causa obviam procederet, templi, quod dixi, parietem ferro quo vinciebatur per- F cutiens Philetærus, ita suaviter ad Comitem; Domine Comes, hoc templum si forte in solum concideret, quot, putas, homines evadent incolumes? plenum siquidem Gentilibus erat fanum. Vix sermonem homo sanctus finierat, cum magnus repente terræ motus extitit, cunctisque in apertum aerem provolantibus, templum in terram prolapsum est, et omnia Deorum simulacra comminuta. In furorem acti idololatræ impetum faciunt in virum sanctissimum, ita jubente Comite. Gentilium namque celebritas et gaudium in magnum mœrorem erat conversum, quamvis ex iis nullus ruina fuisset oppressus. Irruentibus igitur Gentilibus ut sanctum Martyrem momento conficerent, tonitrua subito et fulgura aliæque e cœlo minæ fecerunt, ut nemo deinceps quidquam noxæ inferre posset Christi fortissimo Martyri, Philetæro: ducenti vero urbis ejus incolæ fidem Christi volentes admiserunt. Comes itaque non amplius per urbes transeundum sibi ratus, viam deinde publicam in proficiendo tenuit. Transeuntibus vero illis fluvium Rhindacum, vinctus ac ferro gravis eumdem transmittere coactus est vir sanctus.

qui Nicæa transiens fanum subruit:

17

A *et Virginibus in via sublatis,*

17 Ad illum inde progressi locum ubi a septemtrionali saxosa erat via, quæ Maleorum nominatur, religiosissimæ Virgines supplices sese ad Comitis Aristidis pedes abjecere, ita obsecrantes : Naturæ, rogamus, muliebris, ejusque admodum infirmæ, aliqua te miseratio capiat. Tum illud concede, ut vinculis solutæ sequi te deinceps possimus; nec enim fieri jam potest ut tuæ nos eripiamur potestati. Quarum voluntati cum morem geri Comes imperasset, ac modicum viæ spatium Sanctæ confecissent, repente ac divino plane nutu ex oculis omnium illæ evanuere, nec unquam amplius ab ullo eorum sunt conspectæ ; ita ut Comes vehementi mœrore affectus, et Maximiani furorem non parum extimescens, per omnes circumcirca regiones et provincias Virgines requiri jusserit; neque terras modo sed et fluvii ipsius fundum explorari : nihil autem proficiens, non sine magna animi molestia, cum universo suo satellitio iter prosecutus est. Hic tamen Comitem allocutus Martyr Philetærus; Non ita, inquit, Domine Comes, infelicem te existima aut in arcto positum. Illæ videlicet jam non amplius inter homines versantur, sed ob irreprehensibilem et integerrimam vitæ rationem in paradisum Dei sunt B receptæ, ubi te quoque ipsum expectant, utpote futurum aliquando sectatorem Domini Jesu Christi.

idola Serucomes in pulverem redigit :

18 Progredientibus deinde in ulteriorem regionis istius partem quæ Serucome dicitur, templum Philetærus ad huc in via positus conspicit, magnitudine et idolorum copia visendum. Quo viso, ita vir sanctus oravit : Domine Jesu Christe, tua sancta gratia me præveniat ; perterrefiant, rogo, idola ista, et ex aris suis in solum dejecta corruant. Cumque sat magno viæ spatio adhuc a templo abesset S. Philetærus, continuo idola omnia cœpere concuti, ita ut quicumque in fano eo tum versabantur Gentiles, ex illo sese consternati eriperent. Simulacra deinde corruerunt omnia, et in tenuissimum pulverem comminuta sunt, sic ut Gentiles, qui e flumine in terram excendebant, et factum intuebantur, tamquam vinculo adstricti hærerent, mulieresque cum illis ascendentes ad choream dæmonibus instituendam ; Comes vero Aristides illiusque milites prodigia tanta attentius contemplati corde compungerentur, et in Dominum nostrum Jesum Christum credere essent parati. Tunc commiseratione erga Gentiles commotus Philetærus, Dominum obsecravit ut eos solvere dignaretur (similes namque erant stirpibus in terra radicatis, neque omnino C commovere se poterant) utque deinceps illi quoque vestigiis suis insisterent, quemadmodum et aliæ turbæ plurimæ, quæ divina virtute res admirabiliter patratas, oculis suis perspexerant.

alibi eorum Sacerdotem energumenum curat,

19 Pervenerant jam ad vicum quemdam exiguum, haud procul a flumine Koasta situm, cum ecce mortuum per viam illam hominem deferri vident. Erat hic Artemas, idoli quod eo in pago colebatur Sacerdos præcipuus. Spectaculum intuitus Philetærus, ad Comitem ejusque satellites conversus; Si, inquit, mortuum illum in nomine Christi mei in vitam revocatum ambulare conspexeritis, fidemne Christo præstabitis? Cunctis quod petebatur promittentibus; magna voce, nec absque lacrymis, orationi intendens Philetærus; Domine, aiebat, Jesu Christe, magnum et vivificum nomen, exaudi me famulum inutilem, et hunc in vitam hominem redire sinas ; ut eo resuscitato, hi omnes perfecta ad te fide convertantur. Finita viri sancti precatione, defunctus paulo ante Artemas, nova jam vita donatus, e grabato confestim, exiliit, ac celeriter ad Philetærum procurrens, catenas ejus religioso osculo veneratus est. Comes igitur Aristides, cum suis ipse oculis hoc quoque insolitum adeo prodigium a Martyre vidisset

D *Ex MS. R. Franc.*

17 Ὡς δὲ ἦλθον εἴς τινα τόπον, ἐν ᾧ ἦν ἐκ τοῦ βορείου μέρους τραχωνίτης ὁδὸς, ἥτις ὠνόμαζετο Μαλεῶν, αἱ θεοσεβεῖς παρθένοι προσπίπτουσι τῷ Κόμιτι Ἀριστείδῃ λέγουσαι, Δεόμεθά σου συμπάθησον τῇ γυναικείᾳ φύσει καὶ ἀσθενεῖ, καὶ κέλευσον ἡμᾶς ἐν ἀνέσει ἀκολουθεῖν σοι, ἐπεὶ οὐ δὲ ἑαυτῶν γενέσθαι δυνάμεθα. Τοῦ δὲ οὕτως κελεύσαντος ὀλίγον προβᾶσαι, ἀφανεῖς ἐγένοντο παρὰ χρῆμα ἐξ ὀφθαλμῶν αὐτῶν κατ᾽ οἰκονομίαν Θεοῦ, καὶ οὐκ ἔτι εἶδον αὐτάς· ὡς λοιπὸν πολλὰ λυπηθέντα τὸν Κόμητα, καὶ φοβηθέντα τὴν Μαξιμιανοῦ ὀργὴν, ὅλας διερευνῆσαι τὰς κύκλῳ χώρας καὶ πατρίδας, καὶ οὐ μόνον ταύτας, ἀλλὰ καὶ αὐτὸ τὸ ὕδωρ τοῦ ποταμοῦ ἐξεχνίασεν, ἤτοι ἐξερεύνησεν· καὶ μηδαμοῦ εὑρὼν αὐτὰς, διῆγεν πάνυ σκυθρωπὸς ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ στρατιώταις. Τότε λέγει αὐτῷ ὁ ἅγιος Φιλέταιρος· Μὴ οὕτως ἀδημονεῖ καὶ ἀγωνία, Κύρι ὁ Κόμης, οὔτε γάρ εἰσιν ἐν τῷ κόσμῳ αὗται, ἀλλὰ διὰ τὸν ἄμεμπτον αὐτῶν βίον καὶ καθαρὸν μετέστησαν εἰς παράδεισον τοῦ Θεοῦ, κἀκεῖ καί σε περιμένουσι, μέλλοντα πιστεύειν ἐπὶ τὸν Κυρίον Ἰησοῦν Χριστόν.

E

18 Ὡς δὲ παρεγένοντο εἰς τὴν ἔμπροσθεν πατρίδα, τὴν λεγομένην Σερουκώμην, ὁρᾷ ὁ μακάριος Φιλέταιρος, ἐν τῇ ὁδῷ ἔτι τυγχάνων, μέγαν ναὸν, πλήρη ὄντα εἰδώλων καὶ λέγει· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, προλαβέτω μοι ἡ χάρις σου, καὶ τάραξον τὰ εἴδωλα, καὶ πεσέτωσαν ἀπο τῶν βωμῶν αὐτῶν. Ἔτι δὲ ὄντος ἀπὸ ἱκανοῦ διαστήματος δικαίου Φιλεταίρου, ἤρξαντο τινάσεσθαι τὰ εἴδωλα, ὡς τοὺς ἐν τῷ ναῷ εὑρεθέντας Ἕλληνας ἐκπηδῆσαι ἔξω τοῦ ναοῦ, καὶ συμπεσεῖν τὰ ἀγάλματα πάντα, καὶ γίνεσθαι κονίν λεπτήν· τούστε ανίοντας Ἕλληνας ἐκ τοῦ ποταμοῦ στῆναι ὡς ὑπὸ δεσμῷ κατεχομένους, καὶ τὰς συνανιούσας γυναῖκας ἐπιχορεῦσαι τοῖς δαίμοσιν, καὶ τὸν Κόμητα ἐντεῦθεν Ἀριστείδην ταῦτα θεώμενον καὶ τοὺς συν αυτῷ κατανυγῆναι τὴν καρδίαν, καὶ πιστεῦσαι καὶ αὐτοὺς εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Κατελεήσας δὲ ὁ μακάριος τοὺς Ἕλληνας, παρεκάλεσεν τὸν Κύριον τοῦ ἀπολυθῆναι αὐτοὺς, ἦσαν γὰρ ὡς φύτα ἐῤῥιζωμένοι ἐν τῇ γῇ, μὴ δ᾽ ὅλως μετακινούμενοι, ὡς λοιπὸν ἀκολουθεῖν καὶ αὐτοὺς τῷ δικαίῳ μετὰ καὶ ἄλλων ὄχλων ἱκανῶν, βλεπόντων τὰ θαυμάσια τοῦ Θεοῦ.

F

19 Ἐκεῖθεν δὲ ἐλθόντες ἐν κωμαγιδρίῳ τινὶ, πλησίον τυγχάνοντι ποταμοῦ καλουμένου Κοάστας, βλέπουσι νεκρὸν ἐκκομιζόμενον· οὗτος δὲ ἦν Ἀρτεμᾶς. Ἀρχιερεὺς τοῦ κατὰ τὸν τόπον εἰδώλου· καὶ θεασάμενος ὁ ἅγιος Φιλέταιρος τὸ πτῶμα, λέγει τῷ Κώμητι καὶ τοῖς σὺν αὐτῷ. Ἐὰν θεάσησθε τοῦτον ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ μου ζῶντα καὶ περιπατοῦντα, πιστεύσετε εἰς αὐτόν; Τῶν δὲ συνθεμένων, μεγάλῃ φωνῇ λέγει προσευχόμενος μετὰ δακρύων ὁ ἅγιος Φιλέταιρος· Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, τὸ ἅγιον καὶ ζωοποιὸν ὄνομα· ἄκουσόν μου τοῦ ἀχρείου, καὶ ἐξύπνισον τοῦτον, ἵνα ἀναστάντος αὐτοῦ ἐπιτρέψουσιν οὗτοι τῇ εἰς σὲ πίστει τελείως. Καὶ εἰπόντος αὐτοῦ ταῦτα, εὐθέως ἀναπηδήσας ὁ νεκρὸς Ἀρτεμᾶς ἀπὸ τοῦ κραβάττου, ζωοποιηθεὶς ἔδραμεν πρὸς τὸν Ἅγιον, καὶ κατεφίλει τὰς αλύσεις αὐτοῦ. Ὁ οὖν Κώμης Ἀριστείδης ἰδὼν καὶ τοῦτο τὸ παράδοξον σημεῖον τοῦ Μάρτυρος, ἐπίστευσεν τελείως τῷ ζωοποιοῦντι τοὺς νεκροὺς Ἰησοῦ Χριστῷ, ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ ἓξ ἀνδράσιν, καὶ οὐ μόνον οὗτοι, ἀλλὰ καὶ ἐκ τῶν συναχθέντων ἐν τῷ αὐτῷ κωμαγριδίῳ ὀνόματα ὀγδοήκοντα ἐπίστευσαν· οὕσπερ καὶ ἐβάπτισεν Μαξέντιος

EX MS. R FRANC.

A ξέντιος Πρεσβύτερος, κατὰ κέλευσιν τοῦ Κώμητος Ἀριστείδου.

patrari, quique eum comitabantur viri sex præcipui, D in eum qui mortuos ad vitam revocare valet, Christum Jesum perfecte crediderunt. Neque hi tantum, sed etiam qui ex eo ipso pago in unum convenerant, homines omnino octoginta, credendi gratiam adepti sunt : quos omnes, Aristide Comite sic jubente, Maxentius Presbyter aqua salutis abluit.

et ex ethnicis 80 convertit.

20 Τούτου δὲ γενομένου, καὶ πάντων θαυμαζόντων τὸν Θεὸν, γυνή τις ἐκ τοῦ αὐτοῦ τόπου, ἔχουσα υἱὸν μονογενῆ, ἀπὸ διαβολικῆς τυφλωθέντα ἐπινοίας ἔτη δεκατρία, προσέπεσε τῷ ἁγίῳ Φιλεταίρῳ λέγουσα, Ἐλέησόν με δέσποτα, καὶ χάρισαι τῇ χήρᾳ καὶ πτωχῇ γυναικὶ υἱὸν, φθόνῳ διαβόλου τυφλωθέντα. Ὁ δὲ Ἅγιος, ἰδὼν τὸ γύναιον μετ' ὀλολυγῆς πολλῆς κατατρυχόμενον, καὶ προσπίπτον αὐτῷ, καὶ ζητοῦν τοὺς τοῦ Θεοῦ οἰκτιρμοὺς, ἐπιστενάξας καὶ προσευχὴν τῷ Θεῷ ἀναπέμψας, λέγει πρὸς τὸ γύναιον, Πορεύθητι καὶ εἰπὲ τῷ υἱῷ σου, Ὀλυμπᾶ, ὅτι καλεῖ σε Φιλέταιρος, ὁ τὰς ἁλύσεις καὶ τὰ κλοιὰ διὰ τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου ἐπιφερόμενος. Τὸ δὲ γύναιον πλεῖον ἐκπλαγὲν ἀπὸ τοῦ καὶ αὐτὸ τὸ ὄνομα εἰρηκέναι τοῦ παιδὸς τὸν Ἅγιον, πίστει τελείᾳ δραμοῦσα πρὸς τὸν ἑαυτῆς υἱὸν, ὄντα ἐπὶ κραβάτου, εἶπεν αὐτῷ τὰ ῥηθέντα ὑπὸ τοῦ Μάρτυρος ῥήματα. Ὁ δὲ παρ' εὐθὺ ἀναπηδήσας ἀπὸ τῆς κλίνης, ὥρμησε τοῦ ἐλθεῖν πρὸς τὸν Ἅγιον· καὶ εὐθέως ἀπέπεσον ἀπὸ τῶν ὀφθαλ-
B μῶν αὐτοῦ ὥσει μόλιβδος αἱ τυφλώσεις. Δρομαίως δὲ ἐλθὼν καὶ προσπεσὼν τῷ δικαίῳ ἀνδρὶ, ηὐχαριστεῖ τῷ Θεῷ, πρότερον μὲν ὑπάρχων Ἕλλην, πιστεύσας δὲ τῷ διὰ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος καθαρὸν αὐτῷ τὸ βλέπειν χαρισαμένῳ Χριστῷ, καὶ βαπτισθεὶς καὶ αὐτὸς μετὰ παὶ τῶν λοιπῶν, ἦν προσκαρτερῶν τῷ ἁγίῳ μάρτυρι Φιλεταίρῳ.

20 Hisce perfectis, et omni multitudine admirationem præ se ferente, ac meritas in Deum rejiciente laudes, quædam ex eo ipso pago mulier, cujus filius unigenitus diabolica machinatione decimum tertium jam annum oculorum usu privatus fuerat, ad S. Philetæri pedes supplex accidit; Miserere mei, inquiens, o Domine, et viduæ mihi ac mendicæ mulieri filium, invidia diaboli cæcitate laborantem, salvum restitue. Vir sanctus, conspecta ante pedes suos muliere, quæ tanto cum ejulatu suam exhibebat afflictionem, et Dei misericordiam implorabat, ipse etiam ingemuit, fusisque ad Deum precibus ; Vade, ait, o mulier, et filio tuo dicito ; Olympa, vocat te, Philetærus, qui pro Domini sui gloria catenas et numellas circumfert. Tunc magis etiam consternata mulier, quod filii sui nomen a sancto Martyre proferri audivisset, curriculo ac firma fide suam sese domum confert, et quæcumque Martyr dixerat, filio suo, ubi in grabato jacebat, repetit. Qui sine mora E e lecto exiliens ad sanctum Martyrem festinare contendit; statim ab oculis ejus, instar plumbi, amota sunt videndi obstacula. Celeri ergo cursu ad hominem sanctum perveniens, et ande eumdem se prosternens, meritas Deo laudes persolvit : et qui prius Gentilis fuerat, in Christum, qui per sancti Martyris intercessionem oculorum usum perfectum ei restituerat, credere incepit ; pariterque cum aliis omnibus sacro baptismate suscepto, Martyri sanctissimo Philetæro constanter adhæsit.

Illuminat puerum triennio cæcum,

21 Πολλῶν δὲ φθασάντων εἰς τὴν θέαν ταύτην, τὴν ξένην καὶ παράδοξον, Θεόκτιστός τις ἀνὴρ, δυνατὸς καὶ πλούσιος σφόδρα, κατοικῶν ἐν τῷ λεγομένῳ Κασταλλει, παρεκάλεσε τὸν Κώμητα διὰ τὸν ἅγιον Φιλέταιρον, τοῦ μεῖναι εἰς τὸν οἶκον αὐτοῦ· Ὡς δὲ ἐπυρεύοντο σὺν αὐτῷ ἀναφαίνεταί τι χωρίον ἐκ τοῦ βορείου μέρους τῆς ὁδευομένης, καὶ ἠρώτα ὁ Ἅγιος, Τὸ χωρίον τοῦτο τί λέγεται; Λέγουσιν αὐτῷ Νικολόχου· Λέγει αὐτοῖς ὁ Δίκαιος· Ἔστιν ἐκεῖ γυνὴ, καταπονουμένη ὑπὸ δαίμονος καὶ χρήζει μου. Λέγει ὁ Θεόκτιστος, Καταλύσατε εἰς τὸν οἶκόν μου, καὶ εἰ βούλει, Δέσποτα, ζητοῦμεν τὴν καταπονουμένην, καὶ προσκομίζομέν σοι. Ὡς δὲ ταῦτα ὡμιλεῖτο μεταξὺ αὐτῶν, ἁρπάσας τὸ γύναιον ὁ δαίμων, ἤγα-
C γεν αὐτὴν εἰς ἀπάντησιν τοῦ Ἁγίου. Ἤδη δὲ ἐγγιζόντων αὐτῶν τῇ οἰκίᾳ τοῦ Θεοκτίστου ἐμβριθῶς πάνυ ἐπετίμησεν τῷ δαίμονι ὁ ἅγιος Φιλέταιρος, ἐξελθεῖν ἐκ τοῦ γυναίου· καὶ οὕτως ἐνώπιον πάντων, ὀλολυγὴν μεγίστην ποιῆσαν, ἀπῆλθεν ἀπ' αὐτῆς τὸ ἀκάθαρτον πνεῦμα. Παρεκάλει οὖν λοιπὸν ὁ Κώμης τὸν ἅγιον Φιλαίτερον, περιελεῖν αὐτοῦ τὰ δέσμα καὶ τὰ κλοιὰ, βουλόμενος εἶναι αὐτὸν ἐν ἀνέσει· ὁλοκλήρως γὰρ πεπίστευκεν ἐπὶ τὸν Κύριον Ἰησοῦν Χριστὸν καὶ οὐκ κατεδέξατο, ἀλλ' εἶπεν αὐτῷ· Τοῦτο δόξα μοι καὶ στέφανος καὶ τιμὴ ὑπάρχει. Καὶ ἀκούσαντες ταῦτα ἡσύχασαν ἅπαντες, μὴ τολμῶντες κἂν ἀντοφθαλμεῖν τῷ δικαίῳ ἀνδρί.

21 Concurrentibus autem magno numero hominibus ad novum et plane insolitum spectaculum, oculis ipsis usurpandum, Theoctistus quidam, auctoritate et opibus pollens, et in loco quem Castallin dicunt domicilium habens, per ipsum S. Philetærum a Comite impetrare contendit, ad domum suam divertere tantisper ne gravaretur. Quod cum facerent, prædium quoddam ad viæ latus septemtrionale apparuit, quo viso, Quodnam, interrogat vir sanctus, prædio isti nomen? Acceptoque responsum Nicolochum appellari ; In ea, subjicit, mulier versatur, cui ingentes molestias dæmon exhibet ; hæc operam meam necessario requirit. Ad quæ Theoctistus ; Tu modo in domum meam, Domine mi, si placet, diverte ; feminam vero istam diligenter quæsitam adduci ad te curabimus. Hæc cum inter se loquerentur, afflictam mulierem cacodæmon ipse arripiens, F in occursum egit viri sancti, cum haud procul a Theoctisti domo abesset. Minaciter enimvero dæmonem S. Philetærus increpuit, et ut mulierem vexare desisteret mandavit : atque ecce, omnibus qui aderant spectantibus, impurus genius magno cum ejulatu ex insesso a se corpore avolavit Tunc Comes enixe a S. Philetæro postulavit, ut vincula sibi et numellas demi pateretur; plena quippe virum sanctum libertate gaudere volebat, cum in Domini Jesu Christi fidem ipse jam totus transisset. At Philetætus nequaquam quod offerebatur admisit, In vinculis, inquiens, hisce omnis mea gloria, corona et honor sita sunt. Quibus auditis siluere universi, in virum sanctissimum ne oculos quidem ob reverentiam ausi intendere.

liberat energumenam,

22 Ὀψίας δὲ καταλαβούσης καὶ ὄντων αὐτῶν ἐν τῷ οἴκῳ, παρεκάλουν τὸν Δίκαιον μεταλαβεῖν ἄρτου καὶ ὕδατος· ταῦτα γὰρ βρῶσις καὶ πόσις τοῦ δικαίου ἀνδρὸς ἐτύγχανεν, καὶ τούτων κατὰ δύο ἡμέρας μετεῖχε. Ὡς οὖν ἐπείσθη, λέγει ὁ Μάρτυς τῷ Θεοκτίστῳ. Ἔστιν σοι

22 Imminente jam vespertino tempore cum Theoctisti domum essent ingressi, Philetærum ut pane et aqua se paululum reficeret orarunt: non enim alio cibo aut potu homo sanctus utebatur, idque secundo dumtaxat die. Cui consentiens Martyr sic deinde Theoctistum

A Theoctistum compellat; Filia tibi est aliqua? Est, Domine, respondet Theoctistus; sed languida admodum et membris omnibus soluta, idque nonum jam annum. Tunc Dei famulus Philetærus; Dic illi, subjecit, ut mihi ministret, non enim aliter in domo tua pane vescar. Cui Theoctistus; Quanam vero ratione ministerium illa quodpiam exhibere tibi, Domine poterit, quæ sibi ipsa nulla in re potest esse utilis? sola enim loquela vivere se testatur, cum revera potius habenda sit mortua, luti instar dissoluta. Dixit ei Philetærus; Si toto animo credis in Dominum meum Christum, ad grabatum ejus propius accede: itaque loquere: Ait tibi Philetærus, Christi vinctus et testis, ut sine mora assurgas, eique comesturo necessaria administres. Quæ simul ac magna cum fide pronuntiavit Theoctistus, protinus e grabato filia ejus exiliens; Ubi, inquit ad patrem, homo ille est qui me vocat? At ille filiam in conclave deduxit, in quo B. Philetærus, ferreis catenis vinctus et orationi intentus, toto corpore in pavimentum pronus jacebat. Ad quem propius accedens puella, catenas hominis sancti reverenter exosculata est, et panem ac aquam subministravit, atque ex eo tempore plenam adepta est sanitatem.

sanat paralyticam.

B

θυγάτηρ; Ὁ δὲ λέγει, Ναί, Κύριε, ἀλλὰ πάρετός ἐστι D καὶ παράλυτος ἔτη θ'. Λέγει ὁ τοῦ Θεοῦ ἄνθρωπος Φιλέταιρος, Ἐκείνη εἰπὲ ἵνα μοι διακονήσῃ, ἐπεὶ οὐ γεύσομαι ἄρτων τοῦ οἴκου σου. Λέγει αὐτῷ ὁ Θεόκτιστος, καὶ πῶς δυνήσεται, Δέσποτα, τοῦτο πρᾶξαι, ἥτις οὐ δὲ ἑαυτῇ διακονῆσαι ἰσχύει; μόνῳ γὰρ τῷ λαλεῖν ζῇ, ἐπεὶ τῇ ἀληθείᾳ ἀπέθανεν ὅλη, πηλοῦ δίκην διαλελυμένη. Λέγει αὐτῷ ὁ ἅγιος Φιλέταιρος, Εἰ πιστεύεις ἐπὶ τὸν Δεσπότην μου Χριστὸν ὁλοψύχως ἔγγισον τῷ κραβάτῳ αὐτῆς, καὶ εἰπὲ αὐτῇ, Λέγει σοι Φιλέταιρος, ὁ δέσμιος τοῦ Χριστοῦ καὶ Μάρτυς, Ἀναστᾶσα ταχέως διακόνησόν μοι, μέλλοντι ἐσθίειν. Τοῦ δὲ ἀπελθόντος καὶ ταῦτα μετὰ πίστεως λαλήσαντος τῇ νεάνιδι, ἀκούσασα εὐθέως ἀναπηδᾷ τοῦ κραβάτου αὐτῆς, καὶ λέγει τῷ πατέρι, Ποῦ ἐστιν, Δέσποτα, ὁ καλῶν με. Ὁ δὲ ἤγαγεν αὐτὴν ἔνθα ἦν ὁ μακάριος Φιλέταιρος ἐν κουβουκλείου, φορῶν τὰ σίδηρα καὶ κείμενος ἐπὶ τὸ ἔδαφος καὶ προσευχόμενος· καὶ προσπέσουσα αὐτῷ κατεφίλει τὰ δέσμα αὐτοῦ, καὶ διακονήσασα αὐτῷ τὸν ἄρτον καὶ τὸ ὕδωρ ἐγένετο ὑγιὴς ἀπὸ τῆς ὥρας ἐκείνης.

EX MS. B FRANC:

ANNOTATA.

E

a *Phrasis hæc, seu verius error, medii omnino ævi ignorantiam sapit; quo videtur vulgo obtinuisse opinio, quod usque ad extremum judicii diem suspensa maneret definitiva circa peccatores sententia: quo errore capta etiam S. Theodora Imperatrix, sanctis Confessoribus molesta fuit, ut pro anima viri sui Theophili Imperatoris, Iconomachi pertinacissimi, Deum exorarent: ut obiter dictum* 11 *Febr. quando de ea egimus num.* **15.**

b *Græce κονίν quod aliter quam* cinerem *nequeas interpretari: aptius dicerent, stillantem adipem cum sanguine excepisse se: sed quomodo hoc qualecumque officium impendi* latenter *potuit ei, quæ coram ipso Imperatore sic torquebatur? Certe parum apte personam assumptam hic Auctor sustinet.*

c Proconesus *vel* Præconesus *insula Propontidis, inter Cyzicum et Hellespontum.*

d *Græce κόραξ, quod forte reddi posset* Malleus *seu* Marculus, *qualis scilicet in usu latomorum est, capitibus præacutis corvini rostri similitudinem habens: ita marculus ostiarius, quo pulsantur fores,* cornix *appellatus, teste Hadriano Junio.*

CAPUT III.

S. Eubioti, post tumulatum S. Philæterum, confessio, miracula, pius obitus.

Pluribus autem in eadem mensa pariter cum restituta sibi puella vescentibus, suumque, ob ea potissimum quæ vir sanctus prodigia patrarat, gaudium testantibus, narrationem de quodam Eubioto super mensam instituere cœpit Theoctistus, hoc C modo exordiens; Est et in hac regione, nec longo adeo a nobis intervallo, vir quidam, cui nomen Eubioti, qui et dæmones ex hominum fugavit corporibus, et multos variis oppressos morbis mirabiliter curavit, gratia et virtute Christi tanta perficiens. Præter alia autem complura, tale orationis auxilio miraculum edidit: Duo leprosi, accepta de jam dicto Eubioto fama, ex urbe Troade ad ipsum perrexere. Eubiotus vero suas calamitosis manus imponens, utrumque continuo sanum reddidit. Qui in urbem suam reversi incolumes, Deo gloriam et laudem dederunt, qui per electum suum famulum eos adeo prodigiose purgaverat a lepra. Gravissimas porro molestias a Gentilibus sustinuit, vinculis et ærumnis gravatus; superest tamen ac vivit, et acerbitates istas omnes generose perfert; multos quoque per eum morbos auferre Dominus quotidie non dedignatur. Ante dies autem non ita multos, Gentiles magna incensa pyra, cum nullis virum tormentis conficere valerent, in ignem eum conjecerunt. Quo facto, ipsa repente pyra divinitus fuit extincta, et homo sanctissimus ex ea salvus atque incolumis egressus est. Quod miraculum cum e Gentilibus non pauci

Philetarus audiens de S. Eubioto thaumaturgo,

Confessore

Γενομένων δὲ πάντων ἐπὶ τραπέζης, ἅμα καὶ τῆς ὑγιασθείσης κόρης, καὶ εὐφραινομένων πάντων μάλιστα ἐπὶ τοῖς θαυμασίοις τοῖς γενομένοις ὑπὸ τοῦ Δικαίου, ἤρξατο ὁ Θεόκτιστος διηγεῖσθαι ἐν τῷ δείπνῳ περὶ Εὐβιώτου τινὸς, λέγων, Ὅτιπερ καὶ ὧδε ἀπὸ διαστήματός τινος ὀλίγου, ἐστὶν ἀνὴρ καλούμενος Εὐβίωτος, ὅστις καὶ δαίμονας ἀπήλασεν, καὶ νόσους πολλὰς καὶ ποικίλας ἐθεράπευσέν τε καὶ θεραπεύει χάριτι Χριστοῦ, καὶ οἷόν τι παράδοξον μετὰ F πολλὰ εὐξάμενος πεποίηκεν σημεῖον. Δύο τινὲς λεπροὶ, ἀκούσαντες περὶ τούτου, ἐκ τῆς πόλεως Τρωάδος ἦλθεν πρὸς αὐτὸν, καὶ παραυτίκα ἐνώπιον πάντων ἐπιθεὶς αὐτοῖς τὰς χεῖρας ἰάσεν αὐτοὺς, καὶ ἀπῆλθον ἐν τῇ πόλει αὐτῶν, αἰνοῦντες καὶ δοξάζοντες τὸν Θεὸν, τὸν διὰ τοῦ ἐκλέκτου θεράποντος αὐτοῦ ἰασαμένου αὐτούς. Πολλὰ δὲ ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων δεινὰ ὑπέμεινεν, δεσμούμενος, κακουχούμενος, καὶ ἔστιν καὶ ζῇ ὑπομείνας ἐκεῖνα πάντα, καὶ διαφόρους ἰάσεις καθ' ἡμέραν ὁ Κύριος πολλοῖς δι' αὐτοῦ χαρίζεται. Ὅμως καὶ πυρὰν ἀνάψαντες οἱ Ἕλληνες πρὸ ὀλίγων τούτων τῶν ἡμερῶν, ἁρπάσαντες αὐτὸν μετὰ τὸ πολλὰ βασανίσαι, καὶ μὴ δυνηθέντες αὐτὸν ἀποκτεῖναι ἐνέβαλον εἰς τὸ πῦρ, καὶ ἐμβληθέντος αὐτοῦ εὐθεὼς ἐσβέσθη ἡ πυρὰ, καὶ ἐξῆλθεν ὁ Ἅγιος σῶος καὶ ἀσινής. Πολλοὶ οὖν ἐξ αὐτῶν τῶν Ἑλλήνων, ἰδοντες τὸ θαυμάσιον τοῦτο, ἐπίστευσαν εἰς τὸν Θεὸν αὐτοῦ. Ἔστιν δὲ ἐκεῖ ἐν τῷ αὐτῷ τόπῳ ἐκκλησία, ὅπου ἔθος τοῖς Χριστιανοῖς συνάγεσθαι ἥνπερ οἱ πρὸ αὐτῶν ἔφησαν ἐγκαινίσθαι ὑπὸ Παύλου τοῦ Ἀποστόλου καὶ Σίλα ἀνερχομένων αὐτῶν ἐπὶ Τρωάδα. Ἀπελθόντες οὖν οἱ πιστεύσαντες τῶν Ἑλλήνων ἐν τῇ ἐκ-

EX MS. R. FRANC.

A κλησία πρὸς αὐτὸν, προσέπεσον αὐτῷ καὶ εὐξάμενος ὑπὲρ πάντων, ἐβάπτισεν αὐτοὺς ταῖς ἰδίαις χερσί, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ, καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Λέγει αὐτῷ ὁ Κόμης· Εἰπέ μοι Πρεσβύτερός ἐστιν, ὅτι δι' αὐτοῦ ἐβάπτισε τοὺς πιστεύσαντας Ἕλληνας; οὗτος γὰρ ὁ ἐκλεκτὸς τοὺς ἐν ᾧ παρήλθομεν κτήματι Κωαστῶν Ἕλληνας πιστεύσαντας οὐ κατεδέξατο παρακαλούμενος βαπτίσαι, λέγων μὴ ἐξεῖναι αὐτῷ τοῦτο, ὅθεν προσέταξεν ζητηθῆναί τινα Πρεσβύτερον, ὡς καὶ αὐτὸς ἐπίστασαι· εὑρεθεὶς οὖν ἐκεῖνος, αὐτοὺς ἐβάπτισεν. Λέγει αὐτῷ ὁ Θεόκτιστος, Ἐκεῖνος, Δέσποτα, Πρεσβύτερός ἐστιν, καὶ μετὰ τοιαύτης χάριτος ἐντὸς εἶναι ἐξῆν αὐτῷ καὶ τοὺς ὑπ' αὐτῷ πιστωθέντας βαπτισθῆναι.

conspexissent, in Deum Eubioti sponte crediderunt. D Eodem etiam loco ecclesia visitur, in quam de more convenire solent Christiani, quamque majores natu a Paulo Apostolo et Sila, cum in Troadem descenderent *a*, dixerunt fuisse dedicatam. Ad hanc igitur Ecclesiam quicumque e Gentilibus crediderant ut abierunt, ad hominis sancti pedes se prostravere; quos ut baptizarentur orantes, suis ipse manibus salutari lavacro abluit, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Tunc Comes ex Theoctisto interrogat; Dic mihi, num is de quo loqueris, Presbyter est, quoniam credentes in Christum Gentiles ipsemet baptizavit? Hic siquidem electus Dei famulus, cum in Coastorum regionem pervenissemus, conversos ad Christum Gentiles, multis licet rogatus, baptizare renuit, dicens id sibi nequaquam licere. Quapropter Presbyterum quemdam, ut ipse nosti, diligenter jussit investigari, qui tandem repertus, ritu Christiano Gentiles abluit. Ac Theoctistus; Presbyter est de quo aiebam, Domine, et cum tanta homini inesset gratia, fas ei erat, a se ad fidem suscipiendam adductos baptizare.

a *et Presbytero.*

24 Ὡς δὲ ταῦτα διήγητο ὁ Θεόκτιστος, ἐξῆλθεν τοῦ κουβουκλείου ὁ ἅγιος Φιλέταιρος, καὶ ἀκούσας αὐτῶν τὰ B περὶ τοῦ μακαρίου Εὐβιώτου ὁμιλούντων, ἔρχεται ἔγγιστα τῆς τραπέζης, ὃ πρότερον παρακληθεὶς καὶ μὴ καταδεξάμενος τοῦτο ποιῆσαι, καὶ ἤρξατο λαλεῖν τὸν Κόμητα Ἀριστείδην εἰς θέαν φθάσαι τοῦ ἀνδρός. Τοῦ δὲ εἰπόντος, Ὅτι μὲν ἐπίστευσα εἰς τὸν Χριστόν σου ὁλοψύχως, τοῦτο γίνωσκε ἀκριβῶς, καὶ οὐκ ἂν μεταπεισθῶ ποτε· ὅτι δὲ καὶ παρὰ τὸ πρόσταγμα τοῦ Βασιλέως ποιῆσαι οὐ δύναμαι, ἀλλὰ δεῖ με ἀποκαταστῆσαί σε ἐν τῇ Προικοννήσσῳ, καὶ τοῦτο ὀφείλεις εἰδέναι. Ὡς δὲ παρεκάλει καὶ ὁ Θεόκτιστος σὺν αὐτῷ, καὶ οἱ αἰδέσιμοι ἓξ ἄνδρες, ἔπεισε μόλις ὁ Θεόκτιστος τὸν Κώμητα λόγῳ τοιούτῳ. Ὅτι Δέσποτα καὶ ἐκεῖθεν ἐπὶ τὴν Κύζικον ἡ αὐτὴ ὁδός ἐστιν, πάντως γάρ σε δεῖ πρῶτον ἐμφανῆσαι τὰ προστάγματα τῷ κατὰ τὸν τόπον Ἄρχοντι, καὶ οὕτως ἐπὶ τὴν Προικόννησον περάσαι. Εὐεργετηθεὶς οὖν καὶ αὐτὸς τὰ εἰς Χριστὸν, ἴδε καὶ αὐτὸς τὸν ἅγιον καὶ θεοφιλῆ ἄνδρα ἐκεῖνον, καὶ τῷ Ἁγίῳ δὲ τούτῳ τὸ ποθούμενον πάρασχε, ὅνπερ μέγαν εὐεργέτην ἐμοὶ καὶ πᾶσι τοῖς ἐνταῦθα, ἡ παρουσία σου ἤγαγεν, Κύριέ μου· καὶ τοῦτο παρασχὼν τὸ προσταχθέν σοι τότε παρὰ τοῦ Βασιλέως ποιήσεις.

24 Postquam hæc omnia enarrasset Theoctistus, cubiculo suo egressus S. Philetærus, cum quæ de B. Eubioto dicta erant audivisset, propius a mensa constitit, quod antea rogatus facere nihilominus abnuerat, cœpitque Comitem Aristidem monere, ut ad E viri istius conspectum festinaret. Affirmante Comite, in Christum se toto animo credidisse, neque unquam fore ut susceptam semel fidem mentemque mutaret; sed neque contra Imperatoris mandatum agere sibi quidquam fas esse sciret, itaque ipsum necessario in Præconesum sua opera esse deportandum. Cumque enixe obsecrarent Comitem tam Theoctistus, quam viri sex illustres, vix tandem hac ratione Comitem permovit Theoctistus; Quoniam, Domine mi, et isto itinere facilis tibi est in Cyzicum via: omnino siquidem necesse est ut quæ ab Imperatore habes mandata, loci Præfecto primum exhibeas, atque hoc modo in Præconesum transmittas. Cum itaque tot ac tanta in Christo beneficia acceperis, age et tu quoque viri sanctissimi Deoque acceptissimi conspectu fruere, et huic etiam homini sancto gratiam istam ne denega, quem ut insignem prorsus benefactorem, tuus, mi Domine, in domum meam adventus mihi familiæque meæ universæ exhibuit: hoc mihi benigne præstiteris, tum quæ ab Imperatore mandata tibi sunt, ut volueris, exequere.

exorat ut ad ejus alloquium ducatur:

C 25 Ταῦτα δὲ ἀκούσας ἐπείσθη ὁ Κόμης, καὶ λαβόντες παρὰ τοῦ Θεοκτίστου ἄνδρα, καθιστῶντα αὐτοὺς ἐν τῷ λεγομένῳ Πωκετῷ, ἐν ᾧ χωρίῳ διῆγεν ὁ ἅγιος Εὐβίωτος, ὄρθρου ἐξάραντος ἔρχονται πρὸς τὸν μακάριον Εὐβίωτον ἐν τῷ Ποκετῷ. Ὀλίγον δὲ αὐτῶν προβάντων φθάνουσιν εἰς χωρίον μικρὸν καλούμενον καὶ αὐτὸ Κλεώδους κώμη, καὶ ἦν ἐκεῖ ναὸς ἐν ᾧ ἦν εἰκὼν μὲν τοῦ Διός, ἀνδριὰς δὲ τῆς Ἀρτέμιδος, ὅνπερ ἦν ἀναστήσας Αὐτοκλῆς τοπάρχης. Ὁ δὲ ἀνδριὰς τῆς Ἀρτέμιδος ἐξ ἑνὸς λίθου παραδόξου κατεσκευασμένος ἦν, ὡς καθ' ἑκάστην ὥραν τῆς ἡμέρας ἕτερον εἶδος ἀλλοίων τῆς ὄψεως προύβαλλεν, ὥστε πολλοὺς ἐκ τούτου πλέον πλανᾶσθαι καὶ δυσηδαιμονεῖν, καθὼς καὶ αὐτοὶ οἱ Ἕλληνες μετ' ἔπειτα πιστεύσαντες περὶ τοῦ εἰδώλου ἀνήγγειλαν. Ὡς δὲ παριὼν ὁ μακάριος Φιλέταιρος εἶδεν τὸν ναὸν, ἔρχεται δρομαίως πρὸς αὐτὸν, καὶ λέγει τῷ ἀνδριάντι τοῦ δαίμονος τῆς Ἀρτέμιδος, Εἰπέ συ πῶς ἐδραπέτευσας Ἐφέσου, διωχθεῖσα ὑπὸ τοῦ μεγάλου Ἰωάννου τοῦ μαθητοῦ τοῦ Κυρίου, καὶ ὧδε ἀναισχυνθήσασα ἕστηκας οὕτως. Καὶ εὐθέως τρομάξαν τὸ εἴδωλον τῆς Ἀρτέμιδος, λαλοῦντος αὐτοῦ, ἐκινήθη ἀπὸ τοῦ βωμοῦ, καὶ πεσὸν γέγονε κονὶς λεπτοτάτη, ὡς μὴ μεῖναι μήτε αὐτὴν τὴν κονὶν ἐν τῷ ναῷ, ἀλλ' ὑπὸ τῆς ζάλης τοῦ δαίμονος φεύγοντος αὐτοῦ, καὶ αὐτὸν τὸν χοῦν, τὸν γενόμενον ἐκ τοῦ ἀγάλματος, ἐπὶ τοῦ ἀέρος συνεκτινασθῆναι τῷ δαίμονι· καὶ πάντας ὁμοθυμαδὸν τοὺς εὑρεθέντας Ἕλληνας,

25 Quibus auditis, persuasus est Comes, acceptoque a Theoctisto viæ duce, qui recta eos in villam quam Copetum dicunt, et in qua S. Eubiotus morabatur deduceret, sub diei initium illuc perrexerunt. Paululum deinde progressis objectum est modicum terræ spatium, in quo pagus cui nomen Cleodo. Hic templum visebatur, in quo imago Jovis et Dianæ simulacrum, cura Autoclis qui loci Præfectus fuerat istic collocatum. Istud porro simulacrum, ex uno eoque supra modum mirabili lapide confectum, in singulas horas aliam aliamque sui præbebat speciem, ita ut plurimos in errorem infeliciter adduceret, quemadmodum ipsi Gentiles ad fidem postea conversi narrarunt. Circa templum igitur præteriens S. Philetærus, curriculo ad illud contendit, et Dianæ simulacrum inhabitantem dæmonem allocutus; Dic, ait, qua ratione factum est, ut a magno Joanne Domini discipulo urbe Ephesina profugere compulsus, in hunc locum nil erubescens concesseris? Tum repente idolum contremiscere visum, et loquente Sancto ab ara sua avulsum, inque tenuissimos solutum est cineres; qui ne ipsi quidem in templo permanserunt, sed cum dæmon motu simulacri territus ex eo profugeret, omnem qui ex eodem deinde confracto superfuit pulverem colligens, per aerem dispersit; ita ut

F *in via statuam Dianæ comminuit.*

A ut universi Gentiles, qui occasione occurrendi misso ab Imperatore Comiti, idoli sui comminutionem spectaverant, absque mora crederent in Dominum, qui adeo manifeste per sanctum Martyrem illis sese declararat; Comes vero et qui eum comitabantur, insolentia miraculi obstupescentes, vehementer in fide confirmarentur.

Eubiotus obviam Philetæro factus, *b*

26 Inde profecti in Stribum pervenerunt, cumque Bunis facti essent propriores, præcedens cum suis Comes ad Boreale itineris latus deflexit. Tunc versus occiduam orbis partem respiciens S. Philetærus, ad Comitem ait: Hac abeamus, Domine mi. Sic namque existimo, altissimam illam terræ partem in requiem nobis esse constitutam. Philetæro ista monente, sanctus illis Eubiotus *b* occurrit, amictus pallio, quem duo comitabantur adolescentes, ejusdem discipuli. Is igitur ut S. Philæterum primum conspexit, ad ejus prostratus pedes, tam hos quam hominis sancti vincula exosculatus est. Ut vero invicem arctius sunt complexi, in osculo sancto inter se consalutarunt, laudantes et glorificantes Dominum erga homines benignissimum. Quibus ita factis, Philagathus quidam; Sacerdos idoli quod eo loco in B veneratione erat, subito apparuit insessus a dæmone, et S. Eubiotum a tergo sequebatur. Ait itaque S. Philetærus ad venerabilem virum Eubiotum; Quo modo, cum tanta divinitus virtute polleas, impurus iste canis coram te, Domine, ausus est oblatrare? Ac B. Eubiotus; Tuum ego, Domine mi, ad nos adventum ignorabam, quando oranti mihi Angelus Dei adstitit, sic jubens; Abi sine mora Orientem versus, tuoque in spiritu fratri et commartyri obvium te exhibe. Cum ergo hic festinanter descenderet ad fluvium, ubi habitat, prope assistens meque prætereuntem intuitus; Quo, inquit, rursus mancipium hoc fraudulentum tanta cum festinatione? Vix verba finierat, cum hominem subito invasit dæmon. Ut vero mutuo rursum se complexu homines sancti strinxere, inter colloquendum flumini appropinquarunt. Tum B. Eubiotum compellans S. Philetærus; Miserum, dixit istum, Domine, ab infesti genii vexatione liberum effice; futurus quippe est fidelis Christi nostri Sacerdos. Ad fluminis itaque ripam ubi constiterunt, et precationi tantisper vacarunt, Philagathum dæmon deseruit clamans ac dicens: Væ mihi misero; unum solum e vobis mihi adversantem sustinerem minime, cum vero uterque vires conjunxeritis, eccujus dæmonis tanta est potestas ut resistere valeat? Tunc Philagathus, a malo C genio liber, sanctum utrumque sequi deinceps instituit.

eo rogante energumenum liberat;

et in æde olim a S. Paulo consecrata,

27 Via cœpta cum progrederentur, ita ex B. Eubioto sciscitatus est S. Philetærus; Qua, oro, parte, Domine mi, ecclesia visitur Domino meo Jesu Christo sacra, ut requiem inveniat anima mea, non mediocri gaudio perfusa? siquidem a Theoctisto, homine Christiano et viro probo, in cujus domo aliquamdiu hospitatus sum, intellexi, famam esse ab ipsomet S. Paulo, Domini Apostolo, ecclesiam illam fuisse Deo consecratam: Quod ego audiens, Dominum obsecravi, ut ne indignum me haberet, qui memoratum sanctæ illius ecclesiæ locum gratias agendi causa accederem. Hæc cum diceret, in altiora paulatim evaserunt, ac B. Eubiotus: Vide, ait, Domine mi, ecclesiam Christi, quam tantopere videre exoptabas, voti tui compotem Salvator noster celerrime te effecit. Hæc est, Domine mi, ecclesia illa, de qua intellexisti, ab ipso Apostolo Paulo consecrata. Ingredientes igitur ecclesiam, et tres ac plures etiam horas in oratione, positis in terra genibus persistentes, non sine lacrymarum multarum effusione B. Philetærus grates Deo persolvit maximas, quod in locum illum quo anhelabat dignatus esset se perducere. Postero die

baptizat custodes Philetæri,

προφάσαι τοῦ ἀπαντῆσαι ὡς ἐκ Βασιλέως πεμφθέντι τῷ D Κώμητι, θεωρήσαντας τὴν τοῦ εἰδώλου αὐτῶν ἕως χνοὸς ἐκμείωσιν, πιστεῦσαι παρ' εὐθὺ ἐπὶ τὸν Κύριον, τὸν διὰ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος ἐμφανίσαντα αὐτοῖς ἑαυτόν· τόν τε Κόμητα καὶ τοὺς σὺν αὐτῷ ὑπερθαυμάσαντας καὶ ἐκπληττομένους ἐπὶ τῷ γεγονότι πλεῖον στηριχθῆναι τῇ εἰς Χριστὸν πίστει.

EX MS. B. FRANC.

26 Ἀναχωρήσαντες δὲ ἐκεῖθεν ἀνῄεσαν ἐπὶ τὸν Στρίβον, καὶ γενομένων αὐτῶν πλησίον τῶν Βουνῶν, ὁ Κώμης προάγων ἅμα τοῖς σὺν αὐτῷ ἐπὶ τὸ βορεῖον μέρος τῆς ὁδοῦ ὑπείγετο. Τότε περιβλέψαμενος ἐπὶ τὸ δυτικὸν μέρος ὁ ἅγιος Φιλέταιρος, λέγει τῷ Κώμητι· Ἐντεῦθα ἀπέλθωμεν, Κύριέ μου· νομίζω γὰρ ἐκεῖνο τὸ ὑψηλότατον μέρος ἡτοίμασθαι ἡμῖν ἡ κατάπαυσις. Ὡς δὲ ταῦτα ὡμιλεῖτο, ὑπαντᾷ αὐτοῖς καὶ ὁ μακάριος Εὐβίωτος, παλλίον ἀναβεβλημένος, καὶ δύο τινὲς νεώτεροι μετ' αὐτῷ, μαθηταὶ αὐτοῦ ὑπάρχοντες. Καὶ ὡς εἶδεν τὸν ἅγιον Φιλέταιρον, πίπτει εἰς τοὺς πόδας αὐτοῦ καὶ ἤρξατο καταφιλεῖν αὐτοὺς καὶ τὰς ἁλύσεις αὐτοῦ. Ὡς δὲ ἐπέπεσον ἐπὶ τοῖς τραχήλοις ἀλλήλων, κατέφιλουν ἀλλήλους ἐφ' ἱκανὸν ἐν φιλήματι ἁγίῳ, αἰνοῦντες καὶ δοξάζοντες τὸν φιλάνθρωπον Κύριον. Τούτων δὲ γενομένων, Φιλάγαθός τις ὀνόματι, Ἱερεὺς τυγχάνων τοῦ κατὰ τὸν τόπον εἰδώλου, ἄφνω ὤφθη δαιμονιζόμενος, καὶ ἦν ἀκολουθῶν ὀπίσω τοῦ ἁγίου Εὐβιώτου. Λέγει οὖν ὁ θεσπέσιος Φιλέταιρος τῷ τι- E μίῳ ἀνδρί Εὐβιώτῳ. Πῶς, Δέσποτα, τοσούτου γὰρ ὑπάρχοντος ἐν δυνάμει Χριστοῦ, ἐτόλμησεν ὁ κύων οὗτος ὁ μιαρὸς ἐνώπιόν σου λαλεῖν. Ὁ δὲ μακάριος Εὐβίωτος λέγει, Τὴν παρουσίαν σου, Κύριέ μου, τὴν ἐνταῦθα ἠγνόουν, καὶ εὐχομένῳ μοι παρέστη Ἄγγελος Θεοῦ λέγων, Ἔξελθε τάχιστα, Εὐβίωτε, ἐπὶ τὸ ἀνατολικὸν μέρος, καὶ ὑπάντησον τῷ πνευματικῷ σου ἀδελφῷ καὶ συμμάρτυρι. Ὡς δὲ κατῄει, σπεύδων οὗτος παρὰ τὸν ποταμὸν, ἔνθα οἰκοῖ, πλησίον ἑστὼς καὶ ἰδών με παριόντα, λέγει, Πάλιν τὸ ἀνδράποδον καὶ ἀπατηλὸν τοῦτο ποῦ ἀπέρχεται σπεῦδον; Καὶ ἐν τῷ λαλῆσαι αὐτὸν ταῦτα, εὐθέως ὤφθη δαιμονιζόμενος. Ὡς δὲ περιπλακέντες ἀλλήλους οἱ μακάριοι καὶ ὁμιλοῦντες ἦλθον ἕως τοῦ ποταμοῦ, λέγει ὁ ἅγιος Φιλέταιρος τῷ μακαρίῳ Εὐβιώτῳ· Ἐλευθέρωσον, Δέσποτα, τοῦτον τοῦ δαίμονος, μέλλει γὰρ πιστεύσας ἱερεὺς γενέσθαι τοῦ Χριστοῦ. Στάντων δὲ αὐτῶν πλησίον τοῦ ποταμοῦ, καὶ προσευξαμένων ἐκπηδᾷ ὁ δαίμων τοῦ Φιλαγάθου, βοῶν καὶ λέγων, Οὐαί μοι τῷ ἀθλίῳ! ἕνα ἕκαστον ὑμῶν καθ' ἑαυτὸν ὄντα οὐκ εἷς ὑπομεῖναι δαιμόνων δυνήσεται. Τότε ὁ Φιλάγαθος ἐλευθερωθεὶς ἀπὸ τοῦ ἀκαθάρτου δαίμονος, ἠκολούθησεν τοῖς Ἁγίοις.

F

27 Ἀφερχομένων δὲ αὐτῶν, ἠρώτα ὁ ἅγιος Φιλέταιρος τὸν μακάριον Εὐβίωτον λέγων, Ποῦ ἐστιν, Κύριέ μου, ἡ τοῦ δεσπότου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία, ἵνα ἀνάπαυσιν δέξηται ἡ ψυχή μου πολλῆς χαρᾶς ἐμπλησθεῖσα· ἠκούσθη γάρ μοι παρὰ Θεοκτίστου τινός, ἀνδρὸς πιστοῦ καὶ ἐναρέτου, ἐν ᾧ παριόντες κατεμείναμεν, ὅτι λέγεται Παῦλον τὸν ἅγιον τοῦ Κυρίου ἀπόστολον ἐγκεκαινικέναι αὐτήν· καὶ ἀκούσας ἐδεήθην τοῦ Κυρίου ἡτῶν ἵνα με ἄξιον κρίνῃ εἰς τὸν μνηθέντα ἅγιον τῆς ἐκκλησίας τόπον εὐχαριστῆσαι φθάσαντα. Ἐν δὲ τῷ λέγειν αὐτὸν ταῦτα, ἔφθασαν ἐν τῷ ὑψηλῷ, καὶ λέγει ὁ μακάριος Εὐβίωτος, Ἴδε, Κύριέ μου, ἡ τοῦ Χριστοῦ ἐκκλησία ἣν ἐπεπόθεις ἰδεῖν, καὶ τάχιστά σοι τὸ θέλημα πεπλήρωκεν ὁ Σωτὴρ ἡμῶν· αὕτη ἐστὶν, Δέσποτά μου, ἡ ἐγκαινιασθεῖσα παρὰ τοῦ ἁγίου ἀποστόλου Παύλου, περὶ ἣν καὶ ἤκουσας. Εἰσελθόντων δὲ αὐτῶν ἐν τῇ ἐκκλησίᾳ καὶ ἐπὶ ὥρας τρεῖς ἢ πλείω κεκλικότων τὰ γόνατα αὐτῶν, καὶ εὐχομένων πολλὰ σὺν πλήθει δακρύων, ηὐχαρίστει τῷ Θεῷ ὁ μακάριος Φιλέταιρος, καταξιωθεὶς παραγένεσθαι ἔνθα καὶ ἐσπούδαζεν. Μετὰ δὲ τὴν ἡμέραν ἐκείνην, προσπεσὼν ὁ Κώμης καὶ οἱ σὺν αὐτῷ ἓξ ἄνδρες ἅμα τῷ Φιλαγάθῳ τοῖς ποσὶ τοῦ μακαρίου Εὐβιώτου, παρεκάλουν αὐτὸ

EX MSS. R. FRANC.

A τὸν λαβεῖν τὴν ἐν Χριστῷ σφραγίδα. Ὁ δὲ ἐπευξάμενος ἅμα τῷ ἁγίῳ Φιλεταίρῳ, ἐβάπτισεν πάντας αὐτοὺς εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Ἀμφότεροι δὲ διάγοντες, ἅπαντες σὺν τοῖς ἁγίου αθληταῖς τοῦ Χριστοῦ συνεχῶς ἀπιόντες, ἐν τῇ ἁγίῳ ἐκκλησίᾳ εὐλόγουν τὸν Θεόν, τὸν διὰ τῶν Ἁγίων αὐτοῦ ἐλεήσαντα αὐτούς.

28 Ὡς δὲ ἦλθεν ὁ μακάριος Φιλέταιρος εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἐνδόξου Εὐβιώτου, ζήσας ἡμέρας ἑπτά, κοινῷ φύσεως νόμῳ ἐτελειώθη, ἐν Κυρίῳ παραδοὺς τὴν τιμίαν καὶ ἁγίαν αὐτοῦ ψυχὴν εἰς χεῖρας Θεοῦ ζῶντος· καὶ οὗτος ἐκηδεύθη ταῖς χερσὶν τοῦ θεοφιλοῦς Εὐβιώτου, καὶ τῶν συμβιωτῶν αὐτοῦ, Ἐράστου Διακόνου καὶ Εὐγενίου Ἀναγνώστου, εἰς τὸ ὑψηλότατον μερὸς τῆς πατρίδος αὐτῶν πάνυ κοσμίως καὶ παραδόξως. Ὁ δὲ Κώμης καὶ οἱ σὺν αὐτῷ, παρόντος καὶ τοῦ Φιλαγάθου, παρέκλασαν τὰ ἀγάλματα πάντα τοῦ κατὰ τὸν τόπον εἰδώλου, καὶ αὐτὸν τὸν ναὸν κατέτρεψαν, τὰ δὲ δένδρα τὰ ἀπὸ ἀνατολῆς ἑστῶτα τῶν κυπαρίσσων μέγιστα ὄντα ἐξέκοψαν, διὰ τὸ μάλιστα τοὺς Ἕλληνας ἐν ἐκείναις ταῖς κυπαρίσσοις τὰς πλεῖον θυσίας ἐπιτελεῖν. Ὁ δὲ Κώμης Ἀριστείδης καὶ οἱ
B σὺν αὐτῷ ἓξ ἄνδρες, εἰς ἕνδεκα ἡμέρας ἐτελειώθησαν ἐν Κυρίῳ, καὶ ἐκηδεύθησαν πλησίον τῆς θέσεως τοῦ ἁγίου, Φιλεταίρου, ἐν τῷ βορείῳ μέρει ποιήσαντες αὐτοῖς σεμνὸν κηδευτήριον· ἐν ᾧ μνημονίῳ τιμίως καὶ εὐλαβῶς κατέθεντο τοὺς ἕπτα· ὁ δε Φιλάγαθος κατὰ τὴν προφητείαν τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς Φιλεταίρου, μέγας ἐγένετο διδάσκαλος καὶ ὁδηγὸς πολλῶν, τὴν εἰς τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστὸν πίστιν διδάσκων.

29 Τελειωθέντος δὲ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Φιλεταίρου, καὶ πολλῶν ὡς εἰπεῖν καὶ ἀναριθμήτων τῶν θαυμάτων καθ᾽ ἑκάστην ἡμέραν ἐν τῷ τάφῳ αὐτοῦ γενομένων, θεωρήσαντες οἱ ἐν τῷ Ποκετῷ καταλειφθέντες ἄθεοι Ἕλληνες, ὅτι καὶ ὁ ναὸς αὐτῶν ἠφανίσθη, καὶ τὰ εἴδωλα αὐτῶν συνετρίβη, καὶ τὰ ὡραῖα καὶ περικαλλῆ αὐτῶν δένδρα ἐξεκόπη, ἀναφέρουσι τῷ Ἡγεμόνι τῆς Κυζίκου Λεοντίου τοὔνομα κατὰ τοῦ ἁγίου ἀνδρὸς Εὐβιώτου, λέγοντες, ὅτι οὐ μόνον αὐτὸς ἐνεπόδισεν ἡμῖν πολλάκις ἐπιτελοῦσι τὰς θυσίας, αλλὰ καὶ ξένους εἰσδεξάμενος τὸν κατὰ τόπον ναὸν ἠφάνισεν, καὶ ἐλλέπτυνεν τοὺς θεοὺς ἡμῶν, ἐμπόδιον ἡμῖν γενόμενος τοῦ ἐπιτελεῖν τὰς θυσίας αὐτῶν. Ἀκούσας δὲ ταῦτα ὁ Λεόντιος, ἐκέλευσεν αὐτὸν μετὰ σπουδῆς πολλῆς
C παραστῆναι αὐτῷ. Ὡς δὲ ἤχθη ὁ μακάριος Εὐβίωτος ἐν τῇ πόλει Κυζίκῳ, καὶ ἔστη πρὸ τοῦ βήματος τοῦ Ἡγεμόνος, λέγει αὐτῷ ὁ Λεόντινος· Λέγε μοι, σὺ ἄγροικε, ἀλλότριε καὶ ξένε τῶν μεγίστων θεῶν, πῶς ἠφάνισαι τὸν ναὸν τοῦ Διὸς καὶ πάντας τοὺς ἐν αὐτοῦ ὄντας θεούς; Ὁ ἅγιος Εὐβίωτος λέγει· Μιαρὲ καὶ ἀσεβέστατε, ἐκ τῶν λόγων σου μάθε εἰ ἔχεις φρόνησιν, ὅτι εἰς μάταια καὶ ἀνωφελῆ εἴδωλα ἔδωκας τὰς ἐλπίδας σου. Ἔστι Θεὸς ἢ Θεοί, ὑπὸ ἀνθρώπων ἀφανιζόμενοι; καὶ ποῦ ἡ δύναμις αὐτῶν; Ἐγὼ δὲ σοι λέγω παῤῥησίᾳ, ὅτι ἐν τῷ ὀνόματι Ἰησοῦ Χριστοῦ κατελύθησαν καὶ ἐγένοντο ἀφανεῖς. Ὡς δὲ ἤκουσεν ὁ Ἡγεμὼν Λέοντιος τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ, ἐμφορεῖται ὑπὸ τοῦ ἐνοικοῦντος ἐν αὐτῷ δαίμονος, και κελεύει τύπτέσθαι αὐτὸν εἰς τὸ στόμα. Ὁ δὲ ἅγιος ὑπέμενεν, ἐπικαλούμενος τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ. Καὶ πάλιν ἐκέλευσεν λίθους ἄραντας τοὺς δημίους, οὕτως αὐτοῦ τὸ πρόσωπον τύπτειν, ὡς ἀπὸ τῶν λίθων καὶ τὰς σιαγόνας αὐτοῦ πατεῖν, καὶ τὸ πρόσωπον ἀλλοιωθῆναι.

30 Τούτου δὲ γενομένου οὐκ ὀλιγοψύχησεν ὁ Δίκαιος,

Comes et sex cum eo viri, una cum Philagatho ad B. Eubioti pedes abjecti, summis precibus flagitarunt, ut sacrum Christianismi characterem ejus opera consequerentur. Ac Eubiotus, fusis prius pariter cum S. Philetæro precibus, cunctos baptizavit in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Qui deinceps cum utroque viro sancto et Christi Martyre vitam agentes, in sanctam Dei ecclesiam persæpe ingrediebantur grates persolvendi causa, quod per sanctos suos Martyres tantam eis misericordiam exhibere fuisset dignatus. D

ipsumque apud se mortuum tumulat,

28 Postquam autem illustris Eubioti domum ingressus est Philetærus, septem tantummodo dies superfuit, et communi mortalium omnium lege, in Domino vivere desiit, gloriosa sanctaque sua anima in Dei vivi manus consignata. Sepultus vero est manibus Deo acceptissimi Eubioti, et cum Eubioto viventium, Erasti Diaconi et Eugenii Lectoris, in altissimis regionis istius partibus, perquam splendide atque magnifice. Tunc Comes, et qui cum eo erant Christiani, nec non et ipse Philagathus universa loci illius simulacra diabolica confregerunt, ipso etiam templo funditus everso. Omnes etiam, quæ ad Orientem visebantur Cupressi altissimæ, iisdem agentibus excisæ sunt, propterea quod prope eas arbores impia sua sacrificia Gentiles ut plurimum perficerent. Tandem vero Aristides Comes et sex cum eo viri illustres, post dies omnino undecim, vivendi finem fecerunt, qui haud procul a Philetæro sepulturam nacti sunt, ad plagam septemtrionalem, ubi insigne monumentum septem illi viri illustres, magna sepelientium pietatis commendatione, obtinuerunt. At Philagathus, secundum quod prædixerat sanctissimus Philetærus, in magnum evasit magistrum et ducem complurium, ad fidem Christi Jesu Domini nostri animum adjicientium. E

una cum recens baptizatis

Postea ad Cyzici Præfectum ductus,

29 Mortuo autem sancto Martyre Phyletæro, et plurimis, imo, ut sic dicam, innumeris quotidie ad ejus tumulum patratis prodigiis, cum qui in Copeto adhuc supererant Gentiles impii idololatræ viderent, quod et templa eorum in nihilum abirent, et idola contererentur, pulcherrimæque eorum arbores essent excisæ; ad Cyzici præfectum Leontium de S. Eubioto querelas detulerunt, quod, ut inquiebant, non ipse solum frequenter impedimento esset, quo minus sua idolis peragerentur sacrificia, verum etiam, susceptis quibusdam hominibus peregrinis, templum eorum demolitus esset ac Deorum evertisset statuas, ita impediens solitas Diis offerri libationes. His Leontius auditis, confestim ad se adduci hominem imperat. Ut igitur Cyzicenam in urbem pertractus B. Eubiotus atque ante tribunal constitit, sic a Leontio compellatus est; Dic mihi, inhumane, peregrine, et a Diis nostris aliene, quo modo ausus es templum Jovis, ac omnes in eodem templo collocatas Deorum statuas evertere? Ad quem B. Eubiotus; Impure ac impiissime quotquot sunt mortalium, vel ex ipsa tua oratione addiscas licet, quam parum tibi sanæ mentis supersit, qui in vanis et nullius utilitatis idolorum simulacris spes tuas habes defixas. Deusne aut Dii uspiam sunt, quos valuerunt perdere homines? Ubi igitur Deorum istorum potentia? Hoc ergo habe responsum plane liberum, quod in nomine Jesu Christi Dii tui omnes repente evanuerint. Audito Leontinus Præfectus nomine Jesu Christi, abreptus a malo qui eum agitabat spiritu, Eubioti os verberibus contundi jussit. Quæ omnia vir sanctus fortiter sustinuit, invocato continenter nomine Jesu Christi. Quamobrem lictoribus imperavit Leontius ut lapidibus tamdiu vultum ejus verberare non cessaret, donec et genæ et tota sacris plane deformarentur. F

idolorum vanitatem redarguit;

facie contusus,

30 Hoc cum illi impigre exequerentur, non animis

A mis cadere, non Christi causam prodere visus est Martyr; verum constanter omnia perferens, magna voce Dominum invocabat, hoc modo orans; Domine Jesu Christe, mihi famulo tuo, precor, opitulare. Leontius Præfectus dixit: Desine invocare Crucifixum illum, alioquin, per illustrem Deam Junonem, in crucem similiter tolli te faciam, ut cœli volucribus in escam fias. Cui S. Eubiotus; Diaboli soboles, jam nunc tu quidem factus es satanæ cibus; numquam vero vel tu, vel Imperatoris tui infanda crudelitas mihi persuaserit, ut vel Christi ac Dei mei nomen invocare cessem, vel ipsum palam non confitear. Certus siquidem ad salutem ille dux est omnibus, qui integra eum fide agnoscere non erubescunt. Tunc Præfectus Leontius, vehementi ira accensus, hominem sanctum vel invitum in Fortunæ fanum deduci præcipit, hæc addens; Fortunæ civitatis absque mora sacrifica, mortalium infelicissime. S. Eubiotus respondit; Certe equidem ipse tu miser es et infelix, qui Fortunæ numen aliquod esse putas, eique litare non dubitas; quia alios quoque in eumdem errorem pertrahere niteris, ac tecum cogis perire: sed nihil contra me conatus ille tuus unquam efficiet. Visne autem ut in sancto ac tremendo Chri- B sti mei nomine Fortunam, quam jactas, destruam, et civitatem reddam infortunatam? Resipisce potius, o miser, et in cœlum suspice, ac supra cœlos omnes constitutum Deum, rerum omnium creatorem, religiose crede.

Christum constanter invocat.

In ædem Fortunæ raptus.

οὔτε ὅλως ἐνέδωκεν, ἀλλὰ καρτερῶς πάνυ πάντα ὑποφέρων, μετὰ φωνῆς μεγάλης τὸν Κύριον ἀπεκαλεῖτο, εὐχόμενος καὶ λέγων, Κύριε Ἰησοῦ Χριστὲ, βοήθει μοι τῷ δούλῳ σου. Πάλιν λέγει αὐτῷ ὁ Ἡγεμὼν Λεόντιος Παῦσαι ἐπικαλούμενος τὸν ἐσταυρωμένον, ἐπεὶ, μὰ τὴν περίβλεπτον θέαν Ἥραν! ἐπὶ ξύλου σε ἔγω ἀνασκολοπίσαι, ἵνα γένῃ πετεινῶν κατάβρωμα. Ὁ ἅγιος Εὐβίωτος λέγει· Υἱὲ διαβόλου, κατάβρωμα μὲν αὐτὸς τοῦ σατανᾶ καὶ γέγονας καὶ εἶ· σὺ δὲ ἐμὲ γὰρ ἂν ποτε πείσειας οὔτε ἡ τοῦ Βασιλέως σου παμπόνηρος ἀγριότης, μὴ ὀνομάζειν με τὸ ὄνομα τοῦ Χριστοῦ μου καὶ Θεοῦ, ἢ μὴ ὁμολογεῖν αὐτῷ, μεγάλης γὰρ σωτηρίας ὑπόστασις ὑπάρχει τοῖς μετὰ ἀδιακρίτου πίστεως ὁμολογοῦσιν αὐτῷ. Τότε Λεόντιος ὁ Ἡγεμὼν, θυμωθεὶς σφόδρα, κελεύει καὶ μὴ βουλόμενον αὐτὸν ἀχθῆναι εἰς Τυχαῖον· καὶ λέγει αὐτῷ, Θῦσον, δυστυχέστατε, τῇ Τύχῃ τῆς πόλεως. Ὁ ἅγιος Εὐβίωτος λέγει· Ὄντως δυστυχὴς, μᾶλλον δὲ καὶ ἀτυχὴς καὶ ταλαίπωρος σὺ τυγχάνεις, Τύχῃ προσέχων καὶ θυσιάζων αὐτῇ, καὶ θέλεις καὶ ἄλλους ἀπατᾷν καὶ βιάζειν τοῦ συναπωλέσθαι σοι· ἀλλ᾽ οὐ μέχρις ἐμοῦ προχωρήσει σοι τοῦτο. Θέλεις δὲ ἐν τῷ ὀνόματι τῷ ἁγίῳ καὶ φοβερῷ τοῦ Χριστοῦ μου καὶ τὴν Τύχην σου καταλύσω, καὶ τὴν πόλιν σου ἀτυχῆ ἀποτελέσω; Ἀνάνηψον, ἄθλιε, καὶ βλέψον εἰς τὸν οὐρανὸν, καὶ πιστεῦσον τῷ ἐπάνω τῶν οὐρανῶν Θεῷ ἀληθινῷ ὄντι καὶ ποιητῇ τῶν ἁπάντων. F

D EX MS R. FRANC.

31 Tunc summopere excandescens Leontius, suspensum e trabe Martyrem ungulis discerpi jussit. Postquam autem ipsum toto corpore lictores fœde lacerarunt, rursus de ligno tyrannus eum voluit deponi. Quod ut factum fuit, ait ad Martyrem Præfectus; Nunc certe Fortunæ civitatis lita, atque ego absque mora liberum te dimittam. Vix ista dixerat Præfectus, cum suas in cœlum manus protendere cœpit B. Eubiotus. Suspicatus Leontius, fore ut per orationem beati Martyris præclara Fortunæ statua in solum corrueret (quod absque dubio futurum erat) e vestigio illum abripi et in theatrum pertrahi mandavit. Hic cum suspensus iterum et ungulis fuisset excarnificatus, accedentes noctu e fidelibus nonnulli, defluentem e sancto Martyris corpore sanguinem linteis pretiosis excepere: qui deinde in salutem multorum et incolumitatem fuit adhibitus. Quicumque enim seu morbis seu aliis laborabant malis, quicumque etiam ab impuris occupabantur spiritibus, sanguinis illius virtute omnes curaban- C tur; ita ut e Gentilibus ipsis non pauci, sanitatem a multis diversisque morbis consecuti, in Dominum nostrum Jesum Christum ultro crederent. Ut vero Sanctus iterum in theatrum productus est, lacer totus, et vulneribus per ungulas illatas plenus, ursam ferocissimam in eum concitari pessimus et crudelis Leontius jubet. Postquam autem e cavea dimissa est bellua, festino ad Martyrem cursu contendit, eique supplex visa est accidere. Tum erecto in altum corpore consistens, vulnera corpori ejus inflicta lambere incœpit; ita ut eo officio non parum lætatus sanctus Christi Martyr Eubiotus, suas belluæ manus imponeret, suaviterque eam demulceret. Cumque hoc modo temporis haud parum effluxisset, satellitem mittit Præfectus, qui belluam vinciat. Hic vero ut propius accessit, continuo hominem bellua invadens, discerpsit: quin et in confertam populi turbam se immisit, plures datura neci. Verum S. Eubiotus; In Christi mei nomine, ait ad ferocientem belluam, ne ultra sævias, jamque ad tuam te caveam sponte confer. Ac repente, ferocia omni deposita, instar agni, sine ullius noxa et quasi mansueta, caveam suam ultro est ingressa.

et ungulis laceratus,

post varia miracula in carcere,

objicitur ursæ: a qua nihil læsus,

31 Τότε τυμωθεὶς ὁ Λεόντιος πάνυ, ἐκέλευσεν αὐτὸν κρεμασθέντα ἐπὶ τοῦ ξύλου ξέεσθαι εὐτόνως καθ᾽ ὅλου τοῦ σώματος. Ὡς δὲ ὅλον αὐτοῦ τὸ σῶμα διέρρηξαν βασανίζοντες, κελεύει κατενεχθῆναι αὐτὸν ἀπὸ τοῦ ξύλου· καὶ τούτου γενομένου, λέγει αὐτῷ· Κἂν νῦν προσκύνησον τῇ Τύχῃ τῆς πόλεως, καὶ παρευθὺ ἀπολύω σε. Καὶ ὡς ταῦτα διελέγετο ὁ Ἡγεμὼν, καὶ ἔμελλεν ἐκτείνειν τὰς χεῖρας ὁ μακάριος Εὐβίωτος εἰς τὸν οὐρανὸν, ὑπονοήσας ὁ Λεόντιος, μήποτε εὐξάμενος ὁ Δίκαιος καὶ τὸ περίβλεπτον ἄγαλμα τῆς Τύχης καταστρέψῃ, ὅπερ καὶ ἔμελλεν γίνεσθαι, κελεύει ἀπαχθῆναι αὐτὸν, καὶ βληθῆναι εἰς τὸ θέατρον. Ὅπου δὲ ἐκρεμάσθη ὁ Δίκαιος καὶ ἐξέσθη, τινὲς τῶν πιστῶν πορευθέντες νυκτὸς, ὀθόναις λαμπραῖς συνελέξαντο τὸ ἀποστάζον αἷμα ἀπὸ τοῦ ὁσίου σώματος αὐτοῦ, καὶ εἰς θεραπείαν πολλοῖς προσήνεγκον· καὶ ὅσοι μὲν προσηνέχθη ἢ νοσοῦσιν ἢ πάσχουσιν ἢ ἐνεργουμένοις ὑπὸ πνευμάτων ἀκαθάρτων, ἐθεραπεύθησαν ἅπαντες· ὡς καὶ Ἕλληνας πολλοὺς, θεραπευθέντας ἐκ ποικίλων καὶ παντοδαπῶν νόσων, πιστεῦσαι ἐπὶ τὸν Κύριον ἡμῶν Ἰησοῦν Χριστόν. Ὡς δὲ ἤχθη ὁ Δίκαιος ἐν τῷ θεάτρῳ, ὅλως κατεξεσμένος καὶ τετραυματισμένος ὑπὸ τῶν ξυστήρων, κελεύει ὁ δεινὸς καὶ κάκιστος Λεόντιος ἀπολυθῆναι ἐπ᾽ αὐτὸν ἄρκτον δεινοτάτην σφόδρα. Ὡς οὖν ἀπαφείθη τὸ θηρίον τῷ Μάρτυρι, ἔδραμεν πρὸς αὐτὸν καὶ προσεκύνησεν αὐτῷ. Εἶτα στᾶσα ὀρθίως ἡ ἄρκτος ἤρξατο τὰ τραύματα ἀποσμήχειν τοῦ σώματος αὐτοῦ, ὡς ἐκ τούτου τὸν ἅγιον Μάρτυρα τοῦ Χριστοῦ Εὐβίωτον ἡδυνόμενον, τὴν χεῖρα ἐπιθῆναι ἐπὶ τὸ θηρίον καὶ κολακεύειν αὐτῷ. Ὡς δὲ πολλὴ ὥρα διήρχετο, κελεύει τινα ὁ Ἡγεμὼν κατελθόντα δῆσαι τὸ ζῶον· ὡς δὲ κατῆλθεν ὁ ἄνθρωπος ἐπ᾽ αὐτὴν, εὐθέως ἡ ἄρκτος ἀνεῖλεν αὐτόν· ὥρμησε δὲ καὶ ἐπὶ τὸν δῆμον, τοῦ καὶ αὐτῶν ἀναλῶσαί τινας. Λέγει δὲ αὐτῇ ὁ ἅγιος Εὐβίωτος, Ἐν τῷ ὀνόματι τοῦ Χριστοῦ μου, ἡμερώθητι θηρίον, καὶ εἴσελθε εἰς τὴν γαλεάγραν σου· καὶ παρευθὺ παυσάμενον τῆς ὀργῆς τὸ θηρίον ὡς ἀμνὸς, ἡσυχῶς καὶ ἠρέμα εἰσῆλθεν εἰς τὴν γαλεάγραν αὐτοῦ·

32 Tunc pœnitudine veluti ductus Præfectus,

32 Τότε κατανυγεὶς ἐν μέρει ὁ Ἡγεμὼν κελεύει παραδοθῆναι

EX MS. R. FRANC.

A ῥοθῆναι αὐτὸν Ἀστερίῳ τινὶ προτοπολίτῃ, καὶ εἰσελθεῖν πρὸς αὐτὸν ἰατρούς, καὶ θεραπεῦσαι αὐτόν. Ὡς δὲ εἰσῆλθεν ὁ μακάριος Εὐβίωτος εἰς τὸν οἶκον τοῦ ἀνδρός, οὐδ' ὅλως συνεχώρησεν ἐγγίσαι αὐτῷ ἰατρόν, λέγων τῷ Ἀστερίῳ· Ὁ Κύριός μου καὶ Θεός, ἀγαθὸς ὢν καὶ πολυέλεος, δι' ἐμοῦ ἄλλους πολλοὺς ἐθεράπευσεν, καὶ ἐμὲ οὐ θεραπεύσει; Ἐγένετο δὲ ἑσπέρα, καὶ πολλὰ παρακαλούμενος ὑπό τε τοῦ Ἀστερίου καὶ τῶν ἰατρῶν, οὔτε κἂν βρώματός τινος κατεδέξατο μεταλαβεῖν. Διὰ δὲ τῆς νυκτὸς παράστασις γίνεται ἁγίων Ἀγγέλων ἐν τῷ οἴκῳ ὅπου ἦν καταλύσας, καὶ φόβητρα ἐξαίσια καὶ φωναὶ ἥδυται καὶ παναρμόνιαι ὑμνούντων ἠκούσθησαν, ὡς ἀπὸ τοῦ ἐξαισίου καὶ παραδόξου τούτου πιστεῦσαι τῷ Χριστῷ τὸν Ἀστέριον καὶ ὅλον τὸν οἶκον αὐτοῦ· καὶ τῇ ἑτέρᾳ νυκτὶ ἐβάπτισεν αὐτοὺς πάντας ὁ ἅγιος Μάρτυς τοῦ Χριστοῦ Εὐβίωτος, εἰς τὸ ὄνομα τοῦ Πατρὸς καὶ τοῦ Υἱοῦ καὶ τοῦ ἁγίου Πνεύματος. Τῇ οὖν ἕωθεν κελεύει ἀχθῆναι αὐτὸν ὁ Ἡγεμὼν Λεόντιος· τοῦ δὲ παραστάντος ἐπὶ τοῦ βήματος λέγει αὐτῷ ὁ μιαρώτατος, τὰς φρένας ἀλλοιωθείς, Τί σοι ἔστιν, ἄγροικε; θύεις τοῖς θεοῖς, ἢ ἀποφαίνομαι λοιπὸν κατά σου. Ὁ ἅγιος Εὐβίωτος λέγει· Ἀπαφαίνου ἐντάχει τύραννε, ἐγὼ γὰρ οὐκ ἠλλοίωμαι, οὔτε μὴν τοῖς θεοῖς σου θύω ποτέ. Λεόντιος Ἡγεμὼν εἶπεν· Εἰκῆ οὖν ἐμφρόντισα, ἵνα θεραπευθῇς; Ὁ ἅγιος Εὐβίωτος B λέγει· Ἐρώτησον τοὺς ἰατρούς σου καὶ μάθε παρ' αὐτῶν, ὅτι οὐδενὸς αὐτῶν χρείαν ἔσχηκα, ἐμὲ γὰρ ἐθεράπευσεν Χριστὸς ὁ Κύριός μου καὶ Θεός. Λεόντιος λέγει· Καὶ πῶς ἐκεῖνός σε ἐθεράπευσεν, ὅστις, ὡς ἔμαθον, ὑπὸ Ἰουδαίων τραυματισθεὶς ἑαυτὸν θεραπεῦσαι οὐκ ἴσχυσεν, ἀλλ' ἀπέθανεν κακῶς; Ὁ ἅγιος Εὐβίωτος λέγει· Παράνομε καὶ ἀσεβέστατε, μὴ τόλμα τοιαῦτα λαλεῖν κατὰ τοῦ σωτῆρος ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, μή σε πυρικαυστὸν ποιήσῃ.

33 Ἰδὼν δὲ ὁ Ἡγεμὼν ὅτι οὐ μεταβάλλει τὸν Δίκαιον, ἀλλὰ τοὐναντίον μᾶλλον καὶ ὑβρίζει αὐτόν, κελεύει ἀχθῆναι αὐτὸν εἰς τὸ στάδιον, καὶ ἔχων ταῦρον φοβερὸν κελεύει ἀπολυθῆναι αὐτὸν κατ' αὐτοῦ, ὃς οὐ τοσοῦτον βρώμασιν ἑτέροις ἐτρέφετο ὅσον τοῖς τῶν φονευομένων αἵμασιν, οὓς αὐτὸς ἐθανάτου· μετὰ γὰρ τὸ ἀνελεῖν τὸν καταδικασθέντα, ὁ ταῦρος ὡς κύων τὸ χυθὲν αἷμα ἐπὶ τῆς γῆς τῇ γλώσσῃ ἐξέλειχεν. Φόβος δὲ εἶχεν μέγας τοὺς θεατάς, ἀκούσαντας ὅτι μέλλει ὁ ταῦρος ἀπολύεσθαι κατὰ τοῦ Μάρτυρος. Τότε ἐμβλέψας τῷ πλήθει τῶν θεορούντων, ὁ ἅγιος Εὐβίωτος λέγει αὐτοῖς, πιστεύσατε τῷ C Θεῷ μου, ἀδελφοί, καὶ ὄψεσθε τὴν δύναμιν αὐτοῦ. Καὶ εὐθέως ἀπολύεται ὁ ταῦρος κατ' αὐτοῦ, καὶ μυκησάμενος καὶ βρύξας ὥσπερ θηρίον, καὶ ἀφρὸν μέγιστον ἀπερρίψας τοῦ στόματος αὐτοῦ, ὡς καὶ πάντας τρομάξαι τοὺς θεατάς, ἔδραμεν πρὸς τὸν Δίκαιον· ποιήσαντος αὐτῷ τοῦ ἁγίου Μάρτυρος Εὐβιώτου τὸν τοῦ Κυρίου σταυρὸν ἄντικρυς αὐτοῦ ἐρχομένου, πεσὼν παραχρῆμα διερράγη ὁ ταῦρος· καὶ φωνὴ τοσαύτη ἐγένετο εἰς τὸν ὄχλον ὡς νομίζειν ὅλον ὑπὸ σείσμα σαλεύεσθαι τὸ στάδιον. Τότε ἐπὶ πλεῖον θυμομαχήσας ὁ Λεόντιος ἐκέλευσεν μονομάχους κατελθόντας κατασφάξαι αὐτόν. Τῶν δὲ κατελθόντων ἐπὶ [illegible], ἄφνω ἐγένετο σκότος καὶ θύελλα, καὶ ἀλλήλους [illegible] συντήσαντες ἀνεῖλον· καὶ περιαιρεθέντος τοῦ σκότους [illegible] κείμενοι νεκροὶ ἐπὶ τὸ ἔδαφος μετὰ τῶν ξιφῶν [illegible]. Ὁ δὲ Δίκαιος ἦν ἑστὼς καὶ προσευχόμενος. Ἐμ[illegible] γενόμενος πάνυ ὁ παράνομος Λεόντιος, διὰ τὸ μὴ [illegible]θῆναι αὐτὸν ἀποκτῆναι τὸν ἀήττητον τοῦ Χριστοῦ [illegible] Εὐβίωτον, ἐκέλευσεν ἐγκλεισθῆναι αὐτὸν ἐν τῇ [illegible]. Ὡς δὲ ἐνεκλείσθη, ἐποίησεν ἡμέρας εἴκοσι καὶ δύο ἐν τῇ φυλακῇ.

Asterio cuidam, inter cives suos primario, Martyrem tradi mandat, et homines advocari qui eumdem curent. Ut vero domum Asterii ingressus est S. Eubiotus, nequaquam passus est medicos accersiri qui eum curarent, ita ad Asterium loquens; Dominus Deus meus, bonus et misericors, cum multos adeo per me dignatus sit sanare, me, putatis, minime sanabit? Ingruente dein vespere multis ab eo precibus contenderunt Asterius et medentium turba, ut cibi tantillum sumere ne abnueret. Nocte insecuta sanctorum Angelorum præsentia domum, in qua degebat Eubiotus, illustrem reddidit: inusitata se obtulerunt spectacula, voces harmonicæ, eæque suavissimæ hymnos decantantium auditæ sunt; sic ut rei insolentia commoti tam Asterius quam omnes ejus domestici in Christum crederent. Quos nocte altera Sanctus Christi Martyr Eubiotus sacris undis abluit, in nomine Patris et Filii et Spiritus sancti. Mane postero adduci ad sese Martyrem Leontius denuo præcipit. quem ut ad tribunal suum conspexit, ita homo impiissimus et mentis suæ minime compos, effatus est; Quid tibi consilii est, hominum ferocissime? Diisne sacrificare, an mortis a me sententiam expectare mavis? Cui S. Eubiotus; absque mora capitis me condemna, Tyranne, neque enim ego consilia mea muto, neque Diis tuis sacrificare in animum induco. Ac rursum Leontius Præfectus; Frustra igitur fui, cum vulnera tua curari præcepi. S. Eubiotus ait: Medicos tuos ipsos interroga, atque ex iis disce quam non indiguerim eorumdem opera. Etenim Christus, Deus ac Dominus meus sanum me fecit ac vegetum. Rursum Leontius; Qua, inquit, is te ratione sanare potuit, cum, quemadmodum intellexi, ipsemet a Judæis vulneratus, seipsum curare non valuerit? S. Eubiotus respondit: Sacrilege et impie mortalis, cave sis talia de Jesu Christo Salvatore meo loquaris, ne repentino igne in cineres ille te redigat.

D *et divinitus a vulneribus acceptis curatus,* E

33 Cum igitur animadverteret Præfectus frustra a se laborari, ut virum sanctum ad Deos suos adduceret, sed contra graviores capiti suo contumelias accersi; in arenam eum deduci, ac taurum quem habebat ferocissimum, nullis fere aliis pastum escis, quam miserorum hominum ab eo occisorum carnibus ac sanguine, in Martyrem immitti imperat. Postquam enim ad mortem condemnatos taurus ille fœde laceraverat, eorumdem sanguinem, canis instar, lingua sua lambere et haurire consuerat. Magnus profecto metus universos spectaculo præsentes invasit, ubi percrebuit taurum in Martyrem emittendum. Sed conversis ad multitudinem oculis S. Eubiotus ita loquitur; Deo, Fratres mei, credite, et potentiam ejus mox videbitis. Quibus dictis repente taurus emittitur. Is ingenti tumultu atque mugitu, progressus, et belluæ instar immanissimæ, multamque spumam de ore suo mittentis, omnes qui ad spectandum convenerant timore replevit, rectaque ad destinatam sibi prædam perrexit. Advenienti sanctissimus Christi Martyr sacrosanctum Crucis signum objecit, quo facto taurus e vestigio disruptus in solum concidit. Tunc enimvero tantus circumfusæ multitudinis exortus est clamor, ut quasi terræ motu locus universus contremisceret: at Leontius vehementiori incensus ira gladiatoribus mandat, in arenam descendant Sanctumque conficiant. Quod cum illi aggrederentur, subitæ ingruerunt tenebræ, magnaque exorta est tempestas, qua durante, depugnantes inter se gladiatores mutuis vulneribus c interierunt. Sublatis paulo post tenebris mortui omnes suisque ipsi mucronibus confecti, in solo jacere conspecti sunt, Sancto interim Martyre precibus ad Deum fundendis intento. Furore autem amens sceleratus Leontius, ubi invictum Christi

taurum in se emissum F *signo Crucis prosternit,* c

Christi athletam Eubiotum desperavit a se posse occidi, custodiæ illud reddi mandavit, in qua duos et viginti dies vir sanctus traduxit.

Ad famam venientis Constantini liberatus,

34 Fama deinde ad Maximiani impii aures pervenit Constantinum, pietate et religione insignem Imperatorem atque victoriis clarum, ab Occidente adversus ipsum, ob impia ejus pessimaque facinora, bellandi causa adventare. Hunc summopere veritus ille, litteras atque edicta per omnes Imperii sui terras atque urbes misit, quibus aperiri ubique carceres, et ad mortem damnatos, Christianos potissimum, si qui adhuc in vinculis detinerentur, comiter humaniterque liberos dimitti, Rectoribus et Præfectis mandabat. Hæc ubi edicta in Cyzicum delata sunt, custodiis ubique apertis, vincti omnes, inter quos venerandus et magnus Christi athleta Eubiotus, libere abire sunt permissi. Carcere igitur Eubiotus liber, ac Cyzico abiens, in Copetanam villam patriam suam, reversus est, ubi in gratia Christi Salvatoris non parvos habuit progressus. Cumque annos omnino quinque fuisset super, et prodigia multa, signaque prioribus magis miranda perfecisset, ad Dominum gloriose migravit; venerabilem et sanctam suam animam in Dei viventis manus consignans, et appositus est ad sanctum suum Philetærum; pietatis ac bonorum suorum temporalium heredem scribens Erastum Diaconum, propinquum suum, virum omni honore dignum et Dei caritate conspicuum; itemque Eugenium Lectorem; qui in his quæ ad divinum cultum spectant, iisdem cum ipso vivebant institutis. Sancti autem et gloriosi Christi Martyres diem extremum obierunt, Philetærus quidem nono ac decimo mensis Maji, venerandus vero et insignis Eubiotus d decimo octavo die Decembris.

quinto post anno moritur 18 Dec.

et apud S. Philetarum sepelitur.

Conclusio auctorum.

15 Nos vero qui universa hæc conscripsimus, Anthimus videlicet, Theodorus, atque Carterius, viri Nicomedienses, habitu Philosophi, ne Christianismum profiteri agnoscamur, hæc, majori Numinis honori et audientium utilitati futura, ad posteros tradidimus, gratia et benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui cum Patre et sancto Spiritu gloria et imperium, nunc et semper, ac in omnia secula seculorum. Amen.

EX MS. R. FRANC.

34 Τότε φήμη ἔφθασεν εἰς τὰ ὦτα τοῦ θεοστυγοῦς Μαξιμιανοῦ, ὅτιπερ Κωνσταντῖνος ὁ Εὐσεβὴς καὶ θεοστέπτος Βασιλεὺς καὶ ἐν πᾶσι νικητὴς, ἄνεισιν ἀπὸ τῆς Δύσεως, πολεμίζων τῷ Μαξιμιανῷ, διὰ τὰ ἀσεβῆ καὶ πονηρὰ αὐτοῦ τολμήματα. Φοβηθεὶς οὖν ὁ Μαξιμιανὸς πάνυ, προστάγματα καὶ διατάγματα ἀποστέλλει πρὸς τοὺς κατὰ πᾶσαν πόλιν καὶ χώραν τῆς βασιλείας αὐτοῦ Ἄρχοντας, ἀνοῖξαι μὲν τὰς φυλακὰς κελεύων, καὶ ἀπολῦσαι τοὺς καταδίκους πάντας· εἰ δὲ καί πού τις Χριστιανὸς ἦ κατακεκλεισμένος, μετὰ πολλῆς κολακείας καὶ ἡμερότητος ἀπολυθῆναι αὐτόν. Ἐλθόντων δὲ τῶν διαταγμάτων τούτων καὶ ἐν Κυζίκῳ, ἀνοίγονται αἱ φυλακαί, καὶ πάντες οἱ δέσμιοι ἀπολύονται· ἐν οἷς καὶ ὁ τίμιος καὶ μέγας ἀθλητὴς τοῦ Χριστοῦ Εὐβίωτος ἐλευθερωθεὶς τῆς φυλακῆς, καὶ ἐξελθὼν τῆς Κυζίκου, ἦλθεν ἐν τῷ χωρίῳ αὐτοῦ Ποκετῷ, ὅπου καὶ ἐγεννήθη καὶ αὐξηθεὶς ἐδοξάσθη, ἐν χάριτι τοῦ Χριστοῦ καὶ Σωτῆρος ἡμῶν. Ἐπιβιώσας δὲ ὁ μακάριος Εὐβίωτος καὶ ἕτερα ἔτη πέντε, καὶ πλείστας δυνάμεις καὶ σημεῖα ἐπιτελέσας, παραδοξότερα τῶν προτέρων, ἀνέλυσεν ἐντίμως πρὸς τὸν Κύριον, παραδοὺς τὴν τιμίαν αὐτοῦ καὶ ἁγίαν ψυχὴν εἰς χεῖρας Θεοῦ Ζῶντος· καὶ κατετέθη μετὰ τοῦ ἁγίου Φιλεταίρου, καταλείψας κληρονόμον καὶ τῆς χάριτος καὶ τῶν προσόντων αὐτῷ κατὰ κόσμον Ἔραστον Διάκονον, συγγενεῖ ὄντα αὐτῷ, ἄνδρα τίμιον καὶ θεοφιλῆ πάνυ, καὶ Εὐγένιον ἀναγνώστην, οἵτινες καὶ ἐγένοντο αὐτῷ συμβιωταὶ τῆς κατὰ Χριστὸν πολιτείας. Ἐτελειώθησαν δὲ οἱ ἅγιοι καὶ ἔνδοξοι Μάρτυρες τοῦ Χριστοῦ, ὁ μὲν ἅγιος Φιλέταιρος ἐννέα καὶ δεκάτῃ τοῦ Μαΐου μηνός· ὁ δὲ τίμιος καὶ ἔνδοξος Εὐβίωτος Δεκεμβρίου μηνὸς ὀγδόῃ καὶ δεκάτῃ.

35 Ἡμεῖς δὲ οἱ καὶ συγγραψάμενοι ταῦτα, Ἄνθιμος, Θεόδωρος καὶ Καρτέριος, ἄνδρες Νικομηδεῖς, σχηματισθέντες Φιλοσοφικῷ εἴδει διὰ τὸ μὴ γνωσθῆναι ἡμᾶς, ὅτι ἐσμὲν Χριστιανοί, πάντα ταῦτα συνεγραψάμεθα, εἰς δόξαν μὲν Θεοῦ, ὠφέλειαν δὲ τῶν ἀκουόντων, χάριτι καὶ φιλανθρωπίᾳ τοῦ Κυρίου ἡμῶν Ἰησοῦ Χριστοῦ, ᾧ ἡ δόξα καὶ τὸ κράτος, ἅμα τῷ Πατρί, σὺν τῷ ἁγίῳ Πνεύματι, νῦν καὶ ἀεὶ καὶ εἰς τοὺς αἰῶνας τῶν αἰώνων. Ἀμήν.

ANNOTATA.

a *Descensus hujus meminit Lucas Act.* 16, 8. Cum autem pertransissent Mysiam, descenderunt Troadem. *Potuerunt oratorio locum designasse transeuntes illac Apostoli, et hinc occasio posteritati data esse ædificandæ ecclesiæ.* b *Menæa cum dixissent, quod S. Philetæro*, in partes Sigrianes venienti, illius regionis incolæ nuntiarunt de S. Eubioto; *hic addunt, quod Eubiotus* descendit de monte Sigrianes in occursum illius. c *Hoc quoque valde fabulosum videtur.* d *Menæa præcitata ad hunc diem*, S. Eubioti, *elogium ordiuntur dicendo, quod fuit* ἐν θέματος Ὀψικίου ἐκεῖσε γεννηθείς, Ex Themate Obsicii, ibidem natus. *Et* Thema *quidem medio ævo pro* Legione *usurpari, notum est : neque mirum si hæc nomen suum a Tribuno suo sortiatur, hoc enim et hodiernus usus habet : minus notum est, quomodo Regio aliqua nomen sortiatur a Tribuno ipsi cum sua Legione ad custodiam imposito.*

DE SANCTO THEODORO

EPISCOPO LUCENSI IN HETRURIA.

S. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS

De ejus cultu ex variis, et Vita ex MSS.

SECULO IV

Cultus sacer

F*ranciscus Maria Florentinius, post Martyrologium Hieronymianum a se illustratum, edidit parvum Hieronymianum Martyrologium seu potius Kalendarium, ex pervetusto membranaceo libro bibliothecæ Canonicorum Lucensium : in quo ad hunc* XIX *Maji ista leguntur :* XIV Kalendas Junii Pudentianæ Virginis. In Luca Theodori Episcopi. *De* S. Pudentiana *hoc die egimus. De* S. Theodoro *Episcopo*

A *Episcopo agit Ferdinandus Ughellus tomo* 1 *Italiæ sacræ in Episcopis Lucensibus, et hoc addit elogium* : III Episcopus S. Theodorus, qui aliquibus Theodomus est, nonnullis etiam Theodolus, electus est circa annum CCCXXIV. Ecclesiam sibi commissam pie sancteque per aliquot annos administravit, requievitque in Domino, tum vivus tum vita functus, clarus miraculis : cujus festum Lucæ recolitur die XIX mensis Maji. Ejus sacrum corpus ex ecclesia S. Donati in Paulinianum templum transtulerunt, deinde in altare ejusdem nomini consecratum, ubi hæc incisa leguntur : Hic est corpus S. Theodori de Dombebrigis, qui fuit Episcopus Lucensis : de quo Franciottus in ejus Vita Ferrariusque in Catalogo, *scilicet Sanctorum Italiæ, in quo ista scribit* : Theodorus III Episcopus Lucensis (quem ex Turringhellorum familia progenitum ferunt) ad eam dignitatem ob eximias ejus virtutes evectus fuit. Is factus Episcopus, adversus Arianam perfidiam, quæ Italiam pervagabatur, strenue certavit, ab eaque peste commissum sibi gregem incolumen servavit. Cum vero diu Ecclesiæ suæ sanctissime præfuisset, meritis cumulatus ad cœlestem patriam VI Idus Augusti B evolavit. Cujus corpus postea in ædem S. Paulini hac die, qua ejus festivitas celebratur, translatum fuit. *Idem Ferrarius ejus meminit in Catalogo generali Sanctorum, annotans* de eo etiam ab aliis agi die VIII Augusti : *ad quem in nullis plane fastis, ne quidem Lucensibus, aut apud ipsum Ferrarium ejus nomen reperimus. In MSS Florentinis Magni Ducis et Caroli Strozzi Senatoris ista leguntur* : Lucæ depositio S. Theodori Episcopi, qui sepultus est in basilica S. Donati, in qua dudum ille Præsul extiterat, mirifice regendo.

Elogium ex Ughello,

et Ferrario :

2 *Franciottus in Historia Lucensi, quæ hic dicta sunt latius deducit, post narratam miraculosam liberationem Ansaldi Presbyteri, de qua infra* : Olim, inquit, solebat, ob singularem devotionem erga hunc Dei famulum Protectorem suum, civitas Lucensis, quotannis in Vigilia ejus festi, exponere luminaria : ad cujus expensas Episcopus, Præfectus fabricæ, ac vicinia tota pecuniam conferebant Anno MCCCXC, cum esset in numerum Sanctorum relatus, corpus ejus fuit die XIX Maji translatum ad ecclesiam S. Paulini, in qua hactenus asservatur, ejusque festum solenni cum devotione in hac urbe celebratur. *Acta aliqua S. Theodori, per modum sermonis in ejus festo annue recitandi reperimus Florentiæ in* C *MS. Legendario bibliothecæ Mediceæ Magni Ducis Hetruriæ pluteo* XX, *ac descripsimus : quæ eadem antea acceperamus ex MS. Legendario Ecclesiæ Lateranensis, gratia Illustris Domini Julii Cini. Ea hic damus, licet, a quo aut quando fuerint composita, nusquam addatur : quia tamen nulla fit mentio translati Corporis ad basilicam S. Paulini, vel inde videtur colligi posse, ante illud tempus, et forte valde diu, fuisse conscripta. Canonizatio autem, si est a Romano Pontifice facta more illius ævi, incidit in primum annum Bonifacii IX, cujus aliquam de ea re Bullam oportet olim extitisse. Discrepantes Ughellum et Ferrarium circa nomen familiæ ridebit Lector, sciens quam nullo fundamento talia definiuntur.*

luminaria ei olim oblata.

Corpus translatum.

VITA

Ex MSS. Florentino et Romano.

Sancti Theodori, Confessoris atque Pontificis, hodierna festivitas memoriæ traditur, cui secure in ejus meritis laudibus tota concio populi Lucanæ civitatis exornatur. Post gloriosos namque Apostolorum et Martyrum triumphos insuperabiles, præcelsa refulgent Confessorum merita. Nempe sui agonis D cursum ita libere persecutus est, ut nec lascivias, infantum ut solet ætas, passim jungeret; sed omnibus modis Deo placere gestiret, nec ulli maledicto daret gratiam. Quamvis enim persecutionis tempora deessent, tamen a spirituali nequitiæ caterva interius semper bella exercebantur. Sanctus igitur Theodorus ita pervigili mente sese ad custodiam mandatorum traxit, ut nihil de eo noxium diffamaretur. Erat namque miræ simplicitatis gratiæ deditus, caritatis vinculo adstrictus, ut omnes gradus sui Ordinis ac si filios diligeret. Popularibus vero ordinibus ita erat solicitus, ut omnes eum nimio affectu quasi patrem colerent. Tanta namque erat illi vis continentiæ, ut in membris suis quid a tale minime sentiret. Parsimoniarum quoque vigiliis et orationibus ita erat intentus, ut numquam ab ejus ore laudes Christi cessarent. Quotidie enim populum prædicare non desinebat, ne ab ovili Domini excluderetur, semper illud mente æstuans, quatenus pro accepto talento lucrum animarum Domino offeret; ne vacuus ante conspectum Dei appareret. Pauperum solicitudo tanta illi inerat, ut hospitandi gratia omnes advocaret; illam B. Job sententiam in corde versans, dicentis : Pater eram pauperum, et cor viduæ consolatus sum : ostium meum viatori patuit, et non comedi buccellam meam solus.

Castus ab adolescentia,

pervigil in custodia mandatorum ;

solicitus pro pauperibus

Job 29, 16 et 31, 17

E 2 Operabatur enim Dominus per servum suum mira, qui nostri gratia carne indutus, discipulis suis contulit receptacula multa, tribuendo eis charismatum dona, insuper et potestatem conferens omnibus infirmitatibus et omnibus doloribus mederi, illorum sane qui ad ejus notitiam puro corde et integra fide pervenire voluerint. Horum itaque dogma sancti Martyres consecuti sunt, qui velut Oriones b jugulo cervicem præbentes, roseum pro Christo sanguinem fuderunt. Horum namque Confessores sancti imitatores extiterunt : qui quasi Hyades pluviis erumpentes, doctrinam suam totis climatibus mundi sparserunt : et animas pereuntium, quæ diabolica fraude erant deceptæ, ubertim iis irrigaverunt; modo terrendo aspera supplicia, modo promittendo gaudia sempiterna; quasi de quodam vehiculo fæcis ad superna regna polorum traxerunt, de quorum collegio arbitrandum est esse B. Theodorum Præsulem. Recte enim nomen dignitatis adeptus est : Theodorus enim Æolice, Latine a Deo datus dicitur: videtis enim cujus vere meriti sit, qui nomen Domini habere in se meruit. Vere enim vitis fructificans in domo Domini, extensis palmitibus fructus suaviter carpere demonstravit. Novarum frugum F ubertatem, qua ut sitientes inebrientur, instituit : atque agricolarum animos ad nanciscendam perennitatis vitam capaces ostendit. Sed nec prætereundum est, quod de ejus immaculata vita aliquid studio caritatis silere debeamus, ut patenter detur intelligi, quantum vir iste simpliciter vixerit quantive meriti fuerit, ut in subjecto indicat miraculum : quia (ut superius jam præfati sumus) sancta Ecclesia, si tempus persecutionis non imminet, habet in pace lilia, in bello rosas : quia non desunt sanctis certamina, et omnes qui pie volunt vivere in Christo persecutionem patiuntur.

imitatus discipulos Christi et Martyres

magnos fructus protulit :

2 Tim. 3, 12

3 Quidam enim Rabiolus nomine, dum sancti Viri aream locupletem aspiceret, diabolus per tentamenta suæ fallaciæ cor ejus ita acriter inflammavit, ut ignem copiosum segeti supponeret, ut omne subsidium Dei famulo eique militantibus auferret; hoc moliens antiquus hostis, ut sancti Viri mentem traheret ad perniciem per detrimentum damni, qui interius custodiebatur per præsentiam Spiritus sancti. Ruricolæ autem ut ignem copiosum in circuitu areæ appositum aspiciunt, gravi cum mœrore venerabili Patri studuerunt nuntiare, dicentes : Heu Pater, actutum

Messis suæ incendium

A actutum propera, quia omne subsidium nostrum cunctaque segetes concrematæ sunt. Vir autem Domini hoc audiens, concito gradu perrexit ad aream, non satis mœrore confectus, quia confidens erat Domini de pietate sui. Mox vero ut aream conspexit, elevatis sursum oculis, mundi deprecatus est Conditorem; ut qui tres pueros in camino ignis positos ab incendio eruere valuit, ita ut nec *c* sarabara eorum essent adusta, ita ab hoc igne suum triticum illæsum custodire dignaretur. Cujus protinus assecutus est desiderabilis effectus: nam ignis, qui videbatur segetes comburere, meritis viri Dei nec paleas nec triticum valuit contaminare. Qui protinus in terram se dedit, omnipotenti Deo gratias retulit, suisque famulis præcepit, ut omne triticum per vehicula ad suum domicilium deferrent. Vir autem Domini non humana jactantia elatus, sed humili spiritu et attrito corde, ut assuetus fuerat, cuncta quæ erga egenos necesse erant subministravit, illud implens Propheticum dictum: Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Vere beatus qui justitiam operando cœlicas sedes promeruit, et rectitudinis normam in posteris reliquit.

oratione sistit:

Ps. 111, 9

B 4 Igitur cum sancti viri fama longe lateque crebresceret, multi ad eum circumquaque veniebant, ut ejus benedictionibus tuerentur; atque melliflui eloquiis edocti, salubriter ad propria remearent. Infirmi vero multi ex vicinis partibus ad eum confluebant medendi causa, atque ille singulis manus imponens, Domino largiente, per orationis studium curabat eos. Hic etenim Sanctus de collatis sibi talentis animas Deo lucrari non destitit, quatenus per torporis ignaviam nil præfidenti judicio offenderet, sed desiderabilem audiret vocem cum fructibus offerentem, implens illud Propheticum vaticinium quod ait: Venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos. Vere enim hic cum lacrymis sementem jactavit fidelium cordibus, ut illud meteret cum gaudio mansuro: illud satagens duplicari, quod simplum acceperat; ut merito mercedem accumulationis adipisceret ejus, quod libenter erogavit. Hinc profecto liquet; quod vir iste sanctus lucernas ardentes in manibus contulit, quæ non in clanculo sed in propatulo lucem bonæ operationis præbent: quatenus ejus gloriosam vitam imitarentur hi, qui in domo Domini copiosum gratiæ munus adipisci conantur. Prius enim optimis moribus se exercuit, postmodum aliis prædicavit. Sic enim egregius prædicator Paulus ait: Castigo corpus meum et in servitutem redigo; ne dum aliis prædicaverim, ipse reprobus efficiar. Indignum erat valde tanto oneri se succumbere, nisi et aliis fortia quæque subministraret. Idcirco B. Jacobus Apostolus ait: Estote factores verbi et non auditores. Vir enim iste sanctus contemptorem mundi se præbuit, et factorem se legis ostendit. Sic enim alias per Prophetam dicitur: Justitiam tuam non abscondi in corde meo, veritatem tuam et salutare tuum dixi. Vir autem Domini operando et annuntiando justitiam, promeruit illud habitaculum, quod David proclamans ait: Domine quis habitabit in tabernaculo tuo, aut quis requiescet in monte sancto tuo? Pronuntiatione sancti Spiritus: Qui ingreditur sine macula et operatur justitiam, subauditur: Iste talis ingreditur in tabernaculum Domini. Nam qui vocis auditor est et non factor, foras repellitur, sicut Dominus in Evangelio ait: Amen dico vobis, nescio vos unde sitis. Non quod Dominus ignoret, qui omnia scit antequam fiant: sed reprobos minime agnoscit, quia in fide et opere bonæ actionis illos non invenit.

impositione manus pellit morbos:

Ps. 125, 6

quod docet alios opere ipse complet

C

1 Cor. 9, 27

Jac. 1, 22

Psal. 39, 11

Psal. 14, 6

Matth. 25, 12

mortuus 19 Maji

5 Vir autem Domini Theodorus, ab ineunte ætate usque ad decrepitam senectutis vitam, semper opimis operibus pollens, servitiaque Dei peragens, D feliciter agonem sui cursu consummans, migravit ad Dominum: cujus natalitius dies recolitur XIV Kal. Junii. Reconditum est vero ejus venerabile corpus in *d* basilica B. Donati Episcopi, in qua dudum ille Præsul exstiterat mirifice regendo: cives vero ob beneficiorum suorum auxilia flagitanda, supra beati Viri corpus altarium construxerunt, quatenus beatus Confessor suis precibus apud Dominum eos adjuvare dignaretur.

Ex MS.

d altari honoratur:

6 Sed nec prætereundum de tanto ac venerabili Viro aliquod miraculum retexere, quod post ejus obitum gestum est. Quorumdam enim venerabilium relatu compertum est, de quodam religioso Presbytero, Ansualdo nomine, commorante in agello cujus vocabulum est Villa-nova. Hic etenim præfatus Sacerdos, valde Deum diligens, noctibus ac diebus ecclesiam B. Theodori Confessoris suis frequentabat obsequiis. Quadam autem nocte gravi sopore depressus, imbribus erumpentibus tanta inundatio *e* Auseris fluvii extra solitum sui alvei cursum excrevit, ut totam planitiem Lucanæ civitatis cum furibundis undis perlustraret. Religiosus autem Presbyter, postquam soporem altæ et quietæ noctis E a se excussit, nihil quod actum fuerat agnoscens, illuc quo mente pervigili insistebat, arrepto itinere pergere conabatur. Sed cum pedetentim gressus figere cepisset, respexit eminus: viditque se circum septum undis, ita ut progredi minime auderet. Qui nimio terrore perculsus, quid ageret penitus nesciens, elevatis sursum oculis mundi deprecatus est Conditorem, ut precibus B. Theodori ab illa mole aquarum progredi mereretur. Cui protinus B. Theodorus inter collisiones aquarum apparuit, eumque humeris suis superposuit: et per totam illam inundationem gurgitis libero gressu pergens, ante ostium ecclesiæ, cui devotis mentibus obsequium præbebat, posuit. At ille pedibus ejus provolutus, immensas gratias, pro tot beneficiis quæ ei contulerat, reddidit: sed vi amoris intimo pectore exaggerans, percunctari cœpit, quisnam esset qui talia sibi salutifera auxilia præbuisset. Cui illico is qui eum detulerat ait: Ego sum Theodorus, qui tibi adminiculum præbui pro tuis fidelibus frequentationibus et precibus, quas sinceriter exhibuisti. Et his dictis evanuit. Præfatus autem Presbyter protinus se in orationem dedit, spondens Deo, numquam se amplius militaturum pompis hujus seculi, neque ulterius commercia domui suæ profutura. Domicilium namque juxta ejusdem ecclesiam sibi statuens, ibique diebus F ac noctibus [orationi] vacans, usque dum temporis ævitas permansit, post vero abjecto pondere carnis migravit ad Dominum Christum.

e in aquarum inundatione:

pius Sacerdos a S. Theodoro apparente defertur ad ecclesiam:

7 Veneremur itaque omnes festivitatem B. Theodori Præsulis ejusque auxilium imploremus, ut pro nobis interventor existat apud Dominum, cui digne ut viveret præbuit famulatum, ejusque intervenientibus meritis omnium piaminum squallore mereamur purgari, quod ipse præstare dignetur, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum. Amen.

Conclusio.

ANNOTATA.

a *An* carnale? *Aut certe id subintelligi auctor maluit, quam exprimere.*

b *Potius* gladio cervices præbentur. *Sed* jugulum *pro* jugulatione *accipitur.*

c *Danielis* 3 *ver.* 94 Sarabala, *vox Chaldaica, quam S. Hieronymus ante ver.* 21 *vertit braccas. Paganinus vestes, Tirinus explicat* caligas laxas et longas ad talos usque porrectas.

d *Erat hæc basilica S. Donati foris ultra muros civitatis,*

A *vitatis, unde anno* 1390 *corpus intra urbem, ad ecclesiam S. Paulini delatum fuisse supra diximus.*

e Aseris *sive* Auseris *fluvius perluit urbem, et influit in* Serchium, *quem Franciottus indicavit, idem miraculum commemorans.* D

DE SANCTO CYRILLO

G. H.

EPISCOPO TREVIRENSI.

Memoria de ejus Episcopatu et cultu, ex variis.

CIRCA AN. CCCCLVIII

Antiquis cultus :

Antiquus codex membranaceus *Martyrologii, sub nomine Usuardi in Alsatia conscriptus, ad hunc* XIX *Maji ista sub finem habet :* Treveris Cyrilli Episcopi et Confessoris. *Quæ plane eadem leguntur in MS. Trevirensi Martyrologio et Kalendario, item in Pragensi MS. et in Martyrologio Coloniæ et Lubecæ anno* MCCCCXC *excuso, uti apud Grevenum et Molanum in Additionibus ad Usuardum, et apud Canisium, Galesinium et Ferrarium. Ejus Elogium in MS. Florario Sanctorum hu-*B *jusmodi habetur.* Apud Treverim depositio S. Cyrilli, ejusdem urbis Episcopi. Hic cellam S. Eucharii incensam et desertam reparavit, monasteriumque non longe a priore loco constituit, et illuc corpora SS. Eucharii et successorum ejus transtulit, juxta quæ et ipse requiescit, anno salutis CCCCLVIII. *Hæc ibi.*

Restaurationi ecclesiarum incubuit :

2 *Decessor* S. Cyrilli *in Episcopatu fuit* S. Severus, *cui traditur sacer esse dies* XV *Octobris. Browerus lib.* 5 *Annalium Trevirensium ad annum* CCCCLV, *relato S. Severi obitu, addit ista :* Pro eo magistratum iniit Cyrillus, spectata morum innocentia Pontifex, quem itidem post urbis interitum, reliquias Belgici populi, nec non Francorum gentis nova plantaria, Christianis excoluisse sacris vel ex eo didicimus, quod publicis custoditum propagatumque sit monumentis, eum post urbis excidium, sacrarum ædium damna suscepisse resarcienda, et ad tectorum jacturam quoquo modo reparandam omne suum contulisse studium : quare S. Eucharii oratorio restituto, non pristinum modo decorem ei reddidisse, sed et monasterium haud procul inde faciundum locandumque curasse. Cui Pontifex eam quoque dignitatem ac venerationem addidit, ut sacris istic decessorum suorum, Eucharii, Valerii et Materni pignoribus illatis, augustus deinceps locus et religione visentium colentiumque celebratior esset ; indidem et ipse, id C quod superstes in votis habuerat, cum decimo nono Maji purissimam sanctamque Conditori suo reddidisset animam, sepulturam adeptus. *Joannes Scheckmannus in Epitome seu Medulla Gestorum Trevirensium, ex Germanico Joannis Enen Latine reddito et anno* MDXVII *excuso, lib.* 2 *cap.* 7 *ista de Cyrillo habet :* Hic reparavit cellam S. Eucharii, quæ nunc S. Mathiæ basilica appellatur, combustam et desolatam, translatis in eamdem corporibus SS. Eucharii, Valerii et Materni, Episcoporum, apud quos et ipse sepultus quiescit. *Idem libro* 3 *agens de monasterio S. Mathiæ,* Ignis, *inquit,* concrematione post dirutam et lapsam ecclesiam, beatus Archipræsul Cyrillus, haud longe a priori, aliam erexit et sacravit. *Vitam S. Mathiæ dedimus* XXIV *Februarii, et una historiam* E *Corporis translati Trevirim, ibique capite* IV *Reliquias in dicta ecclesia ex MS. Trevirensi enumeravimus. In* altari *autem* majori *dicuntur esse* Reliquiæ Episcoporum Confessorum Eucharii, Valerii, Materni, Agricii, Cyrilli..... Sanctorum Trevirensium Episcoporum. *Celebratur* S. Eucharii *natalis* VIII *Decembris*, S. Materni XIV *Septembris, et* S. Valerii XXIX *Januarii ; ad quem diem Acta horum Episcoporum illustravimus, uti et* S. Agricii *ad diem* XIII *ejusdem mensis Januarii.*

cum aliis Sanctis sepelitur

in ecclesia S. Mathiæ:

3 *Browerus supra laudatus profert perantiquos versus, quibus veteris basilicæ et a S. Cyrillo reparatæ monumenta fuisse illustrata interpretatur, quos hic subjungere fit operæ pretium.*

Antiquitus versus,

Quam bene concordes Divina potentia jungit !
Membra sacerdotum, quæ ornat, locus iste, duorum;
Eucharium loquitur, Valeriumque simul.
Sedem victuris gaudens componere membris,
Fratribus hoc Sanctis ponens altare Cyrillus,
Corporis hospitium sanctus metator adornat.

Arbitratus Browerus, S. Maternum omissum esse, forsan quia seorsim conditus. *Formarunt aliqua ejus elogia Ghinius in Natalibus Sanctorum Canonicorum, et Saussayus in Martyrologio Gallicano : sed quæ omnibus et singulis Sanctis Episcopis videntur posse attribui.* Partem insignem Reliquiarum S. Cyrilli Episcopi, Treviris Pragam a Carolo IV Imperatore anno MCCCLXXII allatam fuisse, *scribit in Diario Pragensi Thomas Joannes Pessina.* F

Reliquia Pragæ.

DE S. EVONIO EPISCOPO

G. H.

IN ARVERNIA PROVINCIA GALLIÆ.

Cultus antiqui argumenta: dubia circa personam.

XIX MAII

Prope Issorium,

Issorium *sive* Issodorum, *aut* Iciodorum, *urbs Galliæ in Arvernia inferiore ad Elaverem fluvium, vulgo* Issoire, *distat versus Austrum quinque leucis a Claromonte, in cujus est diœcesi, et continet in suo districtu* parochiam S. Evonii, *sive* Ivonii *vulgo* Cure de Saint-Ive, *cujus Pastor denominatur ab Abbate Issoriensi. Joannes Savaro edidit tractatum de sanctis Ecclesiis et monasteriis Claromontii auctore anonymo, quem censet floruisse circa annum* DCCCCL. *Hic auctor lib.* 2 *cap.* 15 *ista scribit :* In ecclesia S. Evonii altare S. Evonii, altare S. Martialis, altare S. Petronillæ. *Ad quod caput ista annotat Savaro.* Ecclesia diruta, quæ nomen retinet in suburbano Rubiaci, et vulgariter appellatur de S. Igoni, de S. Ivonio. Vetus liber Mauriensis MS. ubi de S. Austremonii translatione, a prædicto castro, Petra-incisa scilicet, quod nunc S. Ivonius appellatur, apud Iciodorum delatum est etc. cujus festum celebratur in hoc castro S. Ivonii non procul ab Iciodoro, ejusque statua insigniis Episcopalibus effingitur : cumque ejus historia

ecclesia et altare S. Evonii.

A historia non extat, S. Ivonis Acta leguntur quod absonum est, ne dicam irreligiosum. Eonii Episcopi Leontii successoris meminit Ruricius lib. 1 cap. 15 et lib. 2 cap. 15.

statua cum insignitis Episcopi.

2 *Hæc Savaro.* De S. Ivone Presbytero Trecorensi in Armorica, *vulgo* Pauperum Advocato, *infra hoc die agimus, ut videatur occasione hujus hic etiam dies pro cultu et veneratione* S. Evonii *electus, de quo ista habet Saussayus in Martyrologio Gallicano :* Prope Icciodorum in Arvernis S. Evonii Episcopi et Confessoris, summarum virtutum cœlestiumque charismatum gloria celebris : cujus in suburbiis urbis Arvernorum sacræ memoriæ dicata vetustissima visitur ecclesia. Castrum vero nomine ejus insignitum in prædicto tractu, perpetuis ut patrociniis gaudet, sic festa ejus dignis hodie colit solenniis. *Hæc Saussayus, verbis Savaronis amplificatis.*

Cultus 19 Maji.

3 *Prædictus S. Austremonius Episcopus colitur Kalendis Novembris, cujus translatio corporis Mauziacum facta est sub Pipino Rege anno* DCCLXIV. *At* S. *Æonius, sive* Eonius, *successor Leontii, videtur esse Arelatensis Episcopus, cujus festum agetur* XXX *Augusti. Quod hic unus idemque censeri possit, cum eo qui hic* Evonius *dicitur, haud est facile statuere ex sola Savaronis præfati suspicione. Nobis cum olim Acta S. Projecti Episcopi Claromontani ad* XXV *Januarii illustraremus, etiam incidit cogitare quod* Evonius *hic forsan esset* Evodius *ibidem laudatus, de quo in Actis prioribus num.* 2 *ista traduntur :* Habebat Præjectus tunc temporis socium sacræ religionis sagacissimum perspicuæque sanctitatis virum Evodium, qui multos Arvernorum, vicinarumque urbium populos antiqui anguis irretitos habenis, ad sanctæ Ecclesiæ Catholicæ gremium per pœnitentiæ salubris antidotum revocavit. *In posterioribus Actis hæc ita leguntur num.* 13. Cum sanctis polleret moribus, quemdam religiosum virum, Evodium nomine, socium sibi elegit, per quos multarum animas sancta prædicatio ad cœlestia desideria invitavit.

An credi possit S. Eonius Ep. Arelatensis? D AUCTORE G. H. *aut S. Evodius socius S. Præjecti Ep. Claromontani?*

B

DE SANCTO HADULFO

E

EPISCOPO CARMERACENSI ATQUE ATREBATENSI ET ABBATE VEDASTINO IN BELGIO.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

G. H.

De ejus miraculis, translationibus, cultu et Reliquiis.

ANNO DCCXVIII

Inter antiquos *Ecclesiæ Cameracensis et Atrebatensis Episcopos octavus numeratur* S. Vindicianus, *cujus Acta illustravimus ad diem* XI *Martii. Successores ejusdem in Chronico Cameracensi et Atrebatensi lib.* 1 *cap.* 34 *ita recenset Baldericus* : B. Vindiciano Hildebertus in Episcopium successit : cui Hunoldus. Hoc defuncto ad Episcopale solium Hadulfus eligitur : quem asserunt quidam filium fuisse S. Ragnulfi Martyris : de quo hi, qui nostris superfuere temporibus fideles, testati sunt multa se ad sepulcrum ejus vidisse miracula *Hæc ibi. De* S. Ragnulfo *agimus infra* XXVII *Maji. At de* S. Hadulfo *ista cap.* 35 *prosequitur Baldericus :* Hic Hadulfus in ecclesia S. Petri Apostoli, quæ intra muros castelli Atrebatensis est juxta monasterium S. Vedasti, sepultus est. Hujus vero sanctitas procedente tempore multis mirisque portentis ostensa est : quorum præcipuus testis æditus monasterii S. Vedasti, Engrano Cameracensi Episcopo visiones quas plerumque viderat, propalavit. Qui ergo testem idoneum animadvertens, sanctum corpus levavit. In qua elevatione, ad declaranda sancti viri merita, mulier quædam ab immundo spiritu mirifice liberata est. Unde Episcopus lætus, verbo facto ad populum, B. Hadulfi solennia in numero Sanctorum notificavit. *Hæc ibi. Dictus* Engranus, *aliis etiam* Enguerranus *et* Ingelranus *præfuit Episcopus, utrique Ecclesiæ ab anno supra nongentesimum quinquagesimo septimo ad sexagesimum.*

Claret miraculis ; *in elevatione Corporis dæmoniaca liberatur.* C

2 *Habemus pervetustum MS. Martyrologium Ecclesiæ Cathedralis Atrebatensis, dono Dominorum Canonicorum anno* MDCLXII *nobis tunc Atrebati existentibus acceptum : in quo ad hunc* XIX *Maji primo loco ista leguntur :* XIV Kalendas Junii Atrebatæ depositio sancti Hadulfi Episcopi, *quæ plane eisdem verbis leguntur in MSS. Aquiscinctino et Corbeiensi : verum in MSS. Albergensi Canonicorum Regularium, Ultrajectino Clericorum S. Hieronymi, Leidensi S. Cæciliæ, Lovaniensi Societatis Jesu, et variis aliis cum MS. Florario ista habentur* : Eodem die natale S. Adulfi, Confessoris Episcopi Cameracensis. *Eadem etiam habet Grevenus in Additionibus Usuardi et satis consentiunt Maurolycus atque Felicius. At Molanus in Auctario Usuardi hoc eum elogio exornat* : Nobiliaco monasterio depositio S. Hadulphi, Episcopi et Confessoris, apud Atrebatum in ecclesia S. Vedasti quiescentis : *quod idem inde transtulit Canisius in Martyrologium Germanicum. Menardus aliquas inde contraxit. Verum ab eodem Molano in Natalibus Sanctorum Belgii ista adduntur* : Successit in dicto monasterio Hattæ primo Abbati, anno septingentesimo decimo, et rexit eam Ecclesiam annis novemdecim. Anno vero septingentesimo decimo septimo, acclamatione populi, favore Cleri, et jussu Chilperici Regis assumptus est ad Episcopatum Cameracensem sive Atrebatensem, undecimus a B. Vedasto. Voluit tamen Episcopus a Fratribus suis tantum Abbas vocari *Annum mortis signant Annales Francorum vetusti ex codice Masciacensi, editi a Labbæo tomo* 2 *Bibliothecæ novæ pag.* 733, *his verbis*: Anno DCCXXVIII Carolus fuit in Saxonia, et Adulfus Episcopus mortuus est. Fuit autem de Camaraco, et habuit Abbatiam S. Vedasti. *Hinc Annales itidem Francorum, ex MSS. Tiliano et Petaviano, tomo* 2 *Andreæ du Chesne pag.* 7 *excusi, optime explicari possunt ad hæc verba.* Anno DCCXXVIII Karolus fuit in Saxonia, et Hadulphus Episcopus mortuus est.

Memoria 19 Maji in MSS. Fastis, *et aliis excusis* *Tempus Sedis in Abbatia et Episcopatu,* F *et obitus anno 728.*

3 *Post gloriosam conversationem ac vitam omni sanctimonia ornatam, cœlis reddita anima est, et corpus, ut supra dictum, sepultum est in ecclesia S. Petri, in sacello beatis Virginibus Barbaræ et Catharinæ sacro, ubi vicino in pariete depicta conspicitur* S. Hadulfi *effigies, cum hoc epitaphio.*

Epitaphium olim appositum

Hic jacuit Sanctus, speculum pietatis, Hadulphus :
Qui vigil Atrebatum rexit ad astra chorum.
Dulcis ave, nostris veniam, Pater, objice culpis,
Grataque dilecto dona repende gregi.

4 *Est sacrum corpus ex dicta S. Petri ecclesia postea relatum ad digniorem Ecclesiam, quæ est S. Vedasti, et inde anno* MXXX *ad cohonestandam* die XVIII Octobris dedicationem novæ Ecclesiæ Cameracensis, a Gerardo Episcopo reædificatæ, *Cameracum delatum,*

Corpus Cameracum an. 1030 delatum.

A AUCTORE G. H. *tum, ac* juxta S. Gaugericum circa altare positum, cum corporibus SS. Autberti, et Vindiciani, qui omnes ejusdem altaris comministri fuerant, interposito etiam baculo S. Vedasti cum reliquiis suis, *sicut legitur apud citatum Baldericum lib. 3 cap.* 49. *At sub finem seculi* XII *idem sacrum corpus thecæ argenteæ impositum fuit, cum hac inscriptione* : Anno verbi Incarnati MCXCVII, Indictione XV, Epacta nulla, Concurrente II, sanctæ Romanæ Ecclesiæ præsidente Cœlestino Papa III, Willelmo autem Remorum Archiepiscopo, imperante glorioso Romanorum Imperatore Henrico, apud nos vero regnante fortissimo Francorum Rege Philippo, pugnante item contra nos potentissimo Anglorum Rege Richardo ; reconditum est in isto feretro, ligatumque in duobus pannis corpus beatissimi Confessoris Christi Hadulfi, Cameracensis et Atrebatensis Episcopi, a D. Henrico Abbate S. Vedasti, ipso die depositionis ejus, scilicet XIV Kalendas Junii feliciter. Amen. *Hactenus illa inscriptio, inventa anno* MDCII, *quando Philippus Caverelius, dignissimus S. Vedasti Abbas, Reliquiarum* S. Hadulfi *scrinium reseravit, et loculum argento affabre elaborato decenter exornavit, ac pone majus* B

an. 1597 thecæ impositum,

reseratum an. 1602 et alteri inclusum,

altare una cum Reliquiis SS. Vedasti ac Ragnulfi D *collocari curavit.*

5 *In ecclesia et diœcesi Atrebatensi colitur idem Sanctus* XXXI *Augusti, et in antiquis dictæ Ecclesiæ Breviariis officium Ecclesiasticum recitatur de SS.* Paulino Trevirensi et Hadulpho Episcopis et Confessoribus. *Verum in Officiis propriis dictæ Ecclesiæ, anno* 1632 *excusis, omisso* Paulino *colitur* S. Hadulphus, *addita lectione tertia propria, ex Baldrico et aliis jam relatis. Ipso die in MS. Martyrologio Centulensi sive S. Richarii ista leguntur :* Atrebas S. Hadulphi Episcopi et Confessoris. *In Auctario Usuardi per Grevenum et Molanum refertur, et ab hoc dicitur* Translatio. *Molanum sequuntur Galesinius et Canisii continuator. At Saussayo appellatur* Elevatio corporis, *uti etiam* XX *Maji cum satis longo encomio. Ferrarius* XVII *Aprilis, in Catalogo generali eorum qui in Romano Martyrologio non sunt, refert eumdem; sed æque male appellat* Hodulphum, *quam allegat Molani additiones ad Usuardum, quasi tali die in iis habeatur. Idem æque vitiose transcripsit Democharem, quasi* Adelphum *nominet, quem expresse ibi invenies* Adulfum *scribi.*

Cultus 31 Augusti,

ob translationem.

G. H. E NOT. 19*** APP. TOM. VII MAJI.

DE B. ALCUINO LEVITA

ABBATE IN GALLIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Vita a coævo scripta, anno mortis, et Arnone Salisburgensi an fuerit Alcuini frater ?

ANNO DCCCIV

Scripta ejus edita.

F*loruit in Anglia, ac dein in Gallia, seculo Christi octavo et initio sequentis* Beatus Alcuinus, *sive* Flaccus Albinus, Levita et Abbas : *cujus eximia doctrina, zelus fidei, et sincera morum integritas elucet in libris et epistolis ab eo scriptis, ab Andrea du Chesne seu Quercetano collectis, et uno satis crasso volumine Parisiis anno* MDCXVII *vulgatis. Hisce nonnulla opuscula, postmodum ex manuscriptis eruta, adduntur in Spicilegiis Lucæ Acherii, et ejusdem et Mabilloni in opere de Actis Sanctorum Benedictinorum seculo quarto, ubi cap.* 16 *Elogii ad Vitam ejusdem* Alcuini, *profertur judicium de ejus scriptis, quod conferri potest cum judicio Cardinalis Bellarmini et Philippi Labbe de Scriptoribus Ecclesiasticis.* C

2 *Vita ejusdem* B. Alchuini *scripta est ab Auctore fere coætaneo, et potissimum ex fideli narratione (ut ipse in Prologo testatur) Sigulfi, Alcuini discipuli, eo tempore, quo Ludovicus Pius, ut num.* 18 *dicitur, Imperium tenebat, et S. Aldricus præerat Abbas Ferrariensi monasterio, uti constat ex num.* 19, *ac proinde ante annum* DCCCXXIX, *quo dictus S. Aldricus factus est Archiepiscopus Senonensis. Inscripsit eam Vitam Auctor* reverentissimo Patri æque et amantissimo, *forsan Abbati suo, dicto Aldrico, etiam Sigulfi discipulo et subdito, uti insinuatur num.* 3 *dictus* Pater *fuisse. Vita S. Aldrici danda erit ad diem* IV *Junii qua hic dicitur* sub Alcuino Abbate Magistro litterali (cui cœnobii Ferrariensis administratio tunc temporis erat commissa) monachalis disciplinæ suscepisse insignia. Quo defuncto *(sive* oneribus in discipulis, *ut infra num.* 14 *dicitur,* dispertitis) ad curam ejusdem loci gerendam substitutus est Singulfus, natione Anglicus, nobili prosapia ortus, morum honestate præditus, et religiosæ conversationis prærogativa præclarus. Hic Aldrici perpendens futuram præeminentiam... eum piis eruditionibus assidue instituebat... At senio debilitatus Adalbertum sibi substituerat; *sed huic* post quartum annum suæ administrationis a carnis ergastulo absoluto *successit* Aldricus, *cui tunc auctor Vitam Alcuini a se descriptam potuit obtulisse. At memoratus Sigulfus, quia* senio debilitatus, *infra num.* 19 Vetulus *appellatur, necesse est ut a duobus ejusdem nominis distinguatur, quorum alter* Sigulfus Presbyter, custos Heboricæ, *sive* Eboracensis civitatis ecclesiæ, et Alcuino sociatus *dicitur num.* 11; *alter* Benedicti Abbatis Anianæ monachus *memoratur num.* 20.

Vita auctoris coævi,

an S. Aldrico inscripta,

suggerente materiam Sigulfo :

3 *Quanta sit hujus Vitæ auctoritas, ex ætate scriptoris, et Sigulfi Aldricique colligi potest. Eam prælaudatus Andreas du Chesne seu Quercetanus ante opera Alcuini primus edidit,* ex MS. codice Ecclesiæ S. Mariæ Remensis vetusto, *præposuitque Præfationem ad eadem illius opera, in qua plurima ejus gesta ex ipsis ejus scriptis eruit, et subjunxit testimonia variorum auctorum de ejus doctrina ac virtute. Eamdem Vitam ex Chesnæo ediderunt Acherius et Mabillon supra indicati, Elogio pluribus capitibus distincto. Nos eamdem damus more nostro in capita et numeros distinctam, et variis Annotatis illustratam, relictis aliorum testimoniis et elogiis. Quoniam vero originarius textus ita habetur in utraque editione jam dicta, ut ipsa quoque libraria sphalmata fidelissime inveniantur repræsentata, non sine magna perturbatione sensus, quandoque inintelligibilis, nisi remedium prudens conjectura adferat; existimavi, quod in hac tertia editione uti possem aliqua liberate, et lectoris tædio laborique consulere, correctionem adhibendo mutatis subinde litteris pauculis, aut verbi unius transpositione, vel etiam omissione alicujus omnino redundantis : quod tamen non aliter indicavi quam apposito asterisco : ut qui veterem lectionem scrutari volet, possit ad alterutram præfatarum editionum recurrere. Quod autem attinet interpunctiones, eas ut alibi semper, sic etiam hic liberas esse putavi, nec parum ad claritatem contulisse me existimo, quod aliorum exemplo me non adstrinxerim.*

F *edita a Chesnæo*

et Mabillone.

4 *Hallucinatum esse Auctorem, in ætate et anno mortis*

A *mortis Venerabilis Bedæ recte ordinandis, infra ad Caput primum annotatur. Ast eumdem certissimis characteribus stabilivisse annum obitus B. Alcuini testimonio aliorum cognoscimus. Infra num.* 28 die Pentecostes, peracto matutinali officio, eadem hora qua ingredi consueverat ad Missas, aurora patente, sancta Alcuini anima carne solvitur, *et num.* 29 *additur* discessisse XIV Kal. Junii anno ab Incarnatione DCCCIV; *quando cyclo Solis* 1, *Lunæ* 7, *litteris Dominicalibus* G F, *Pascha celebratum fuit die* XXXI *Martii, ac consequenter dies Pentecostes incidit in* XIX *Maji, sive* XIV *Kalendas Junii. Philippus Labbe tomo* 2 *Novæ bibliothecæ Manuscriptorum librorum edidit pagina* 733 *Annales Francorum, ab anno* DCCXXVI *usque ad annum* DCCXCVI, *ex codice pervetusto S. Martini Masciacensis, cui sub finem* manu perinde antiqua *ista scribit adjuncta:* Obiit Alchuinus XIV Kalendas Junii feria 1 Pentecostes, illucescente die, Luna VI, anno Incarnationis Domini DCCCIV, Indictione XII, anno XXXVI regnante Domino Carolo, accidente paralysis, VII Idus Maji, feria V ad vesperum post solis occasum, Luna XXV. *Quæ mox post obitum Alcuini adjuncta arbitramur, saltem ante obitum Caroli Magni:*

Obitus adscriptus anno 804

B *cujus res gestæ quia per singulos annos in dicto Chronico narrantur, ejus obitus non fuisset omissus. Eumdem annum* DCCCIV *signant Chronicon Andegavense, editum tomo* 1 *dictæ novæ bibliothecæ pag.* 284, *Chronicon ex vetusto codice Petaviano tomo* 3 *Scriptorum Historiæ Francorum a dicto Chesnæo editum pag.* 350, *Chronicon Hildesheimense et Turonense, Odorannus monachus in Chronico S. Petri Vivi Senonensis, et passim alii: neque potuimus reperire ullum antiquum scriptorem, qui annum obitus* Alcuini *aliter notaverit.*

5 *Interim Mabillon omnino affirmat annum corrigendum, idque propter tria argumenta deducta in Elogio cap.* 15. Ac primum argumentum, *inquit,* petitur ex carmine 54, quod de S. Amandi corporis elevatione scripsit Alcuinus, *quam factam asserit ab* Arnone Sacerdote Præsule *sive Abbate: qui (ut habetur in Chronico Elnonensi apud ipsum Mabillonem pag* 65 *ejusdem tomi, ubi de secunda elevatione S. Amandi novam dissertationem hac de causa assumpsit)* qui, *inquit sub finem paginæ,* ex Abbate post in Archiepiscopum, *scilicet Salisburgensem,* electus est. Ejus *scilicet Abbatis* tempore floruit venerabilis Lotharius ædituus ecclesiæ, qui propter aquarum absentiam corpus B. Amandi anno circiter CL a depositione ipsius, anno vero Incarnationis DCCCX, XII Kalendas

non serius collocandus ob tempus Arnonis Abbatis Amandini

C Octobris elevavit. Obiit tandem venerabilis Arno Archipræsul anno DCCCXXI, et in Ecclesia S. Petri sepelitur. Quo Episcopo consecrato, fit Abbas Adalricus: quo defuncto anno DCCCXIX successit Rotfridus: cui anno DCCCXXVII successit Adaleodus venerabilis memoriæ. *Hæc ibi: in quibus Mabillon loco* DCCCX, *quo corpus elevatum est, mallet legi* DCCCIX. *Sed respectu anni* DCLXI, *cui isto tempore per maximum et nunc confessum cunctis errorem assignabatur mors S. Amandi, aptius numeratur annus* DCCCX, *quando erat ab obitu sic numerato annus* CL. *Nolim tamen hoc argumento uti, quia non video quomodo ex numeris annorum prorsus confusis et procul a vero abductis, vera aliqua supputatio possit emergere. Ipse Mabillon seculo* 2 *et pag.* 723, *cum num.* 6 *obitum B. Amandi* ad annum DCLXI *ex sensu Auctoris retulisset, ista annotat:* Hic calculus, quamvis studiose ab autore indagatus, stare haudquaquam potest. *Ipse vero retulit eumdem obitum* ad annum DCLXXIX; *nos etiam serius, anno* DCLXXXIV. *Proinde ex computu Mabillonis corpus elevatum foret anno a depositione non* CL *sed* CXXXII, *si ea elevatio facta foret anno* DCCCX, *aut etiam præcedente. Sed et hunc tertium numerum mendosum esse scimus ex promotione Arnonis ad Archiepiscopatum Salisburgensem, quam circa annum*

dein Archiepiscopi Salisburgensis:

DCCXCV *factam arbitramur: quia Leonem III Papam* D *anno Pontificatus tertio, Christi* DCCXCVIII *pallium ei submisisse legitur apud Wiguleum Hundium in Metropoli Salisburgensi pag.* 4. *Jam vero consecrato eo factum esse Adalricum Abbatem, Chronicon confirmat; unde colligimus jam dictam elevationem antea factam, cum adhuc esset Abbas* Arno *sive* Arnonus. *Videtur ergo numeris transpositis, loco anni* DCCCX, *statuendus annus* DCCXC: *atque in hoc libenter corrigimus nosmetipsos, qui hanc elevationem etiam retuleramus ad annum* DCCCIX, *et sic dictum Mabillonis argumentum non eluditur (quod non videbat posse fieri) sed plane evertitur. Hic porro addendum, quod dictus* Arno *videatur Belgis* Arnt *nominatus, et inde* Aquila *Alcuino, qui epistolam* 66 *illi inscribit his verbis:* Carissimo germano meo Aquilæ Antistiti Albinus salutem. *Et in contextu,* Tu meam, *inquit,* fraterna diligentia socordiam castiga..... ut fraterna dextera ducatu non lassescat in via veritatis. *Scripta autem est epistola cum ad Episcopatum* Arno *discessisset. Aliam postea epistolam eidem* dilectissimo fratri et sanctissimo Præsuli Aquilæ *inscripsit num.* 104 *relatam, unde et frater ejus a Mabillone æstimatur. Ad differendam porro Alcuini mortem afferuntur alia argumenta minoris ponderis: quod scilicet* E *ille adhuc vixerit cum S. Ludgerus anno* DCCCIX *moreretur: sed hoc reticuit in ejus Vita Altfridus successor, estque a posteris absque probatione assertum. Potuit etiam Rabano discipulo suo ante annum* DCCCIV, *quo obiit, suasisse Alcuinus, ut librum de Cruce scriberet, licet Rabanus eum librum diu postea perfecerit: quod tertium erat argumentum Mabillonis.*

AUCTORE G. H.

an hic frater Alcuini?

6 *Dicimus ergo, cum supra indicatis auctoribus, nobis videri* B. Alcuinum *discessisse anno* DCCCIV, *et die* XIX *Maji. Ad quem Rabanus ejus discipulus ista scripsit in suo Martyrologio,* Depositio Domini Alcwini. *Eadem leguntur inserta Martyrologio, quod sub nomine Bedæ hactenus habebatur, suppositium autem esse etiam hinc constat, cum Beda fere annis* LXX *citius obierit, quam ipse* Alcuinus. *Secuti sunt Grevenus et Molanus in Auctario Usuardi. Ghinius eum inter Canonicos numerat: Wion, Dorganius, Menardus, Bucelinus in Fastis Benedictinis, eum suo Ordini adscribunt cum Trithemio: Mabillonus, qui capite* 3 *Elogii pro ejus monachatu prolixe certat, varia, ex hac ipsa Vita sibi objicit loca, ubi Canonicis adscribendus indicari videtur: quæ nolo scrupulosius excutere singula. Videri potest Carolus le Cointe tom.* 6 *Annalium ad annum* 802 *num.* 95, *succincte perstringens quæ operose sibi hic sumit Mabillonus dissolvenda, proximo ab istius tomi editione anno, Christi* 1677 *suum seculum* 4 *exorsus vulgare: vicissim forsitan refutandus a Caroli jam mortui successore proxima aliqua occasione. In Annalibus Fuldensibus ad* annum DCCXCIV Alcuinus sanctitate et doctrina clarus habetur. *In brevi Chronico Turonensi:* Anno DCCCIV Sanctus Alcuinus obiit: *non tamen scimus ipsum officio Ecclesiastico coli.*

Memoria in Fastis

VITA

Auctore fere coævo.

Ex pervetusto MS. Remensi ab Andrea Chesnæo edito.

PROLOGUS.

Superna Christi rorante dextera ac juvante gratia, reverentissime Pater æque et amantissime, jubes ut tibi de admirandæ vitæ initio fineque Patris Alchuini, quæ ejus nosse potui narrante fidelissimo Sigulfo discipulo, sermone licet inculto et parvo, tamen veritate referto, scribam, ædificationi nonnullorum profutura; asserens te diu super hac re non

Vita scripta mandato Abbatis.

AUCTORE COÆVO

A non modicam ferre sitim: non quia calore ignita superno tua viscera, Sanctorum innumerabilium vita, gestis piis, et studiis nequeant refici, quos sanguine proprio vel seculi suarumque abrenuntiatione voluptatum, Agni cœlestiumque constat virtutum consortia mercari: quibus una suavi cum canore felicibus fruentes jubilo insatiabili vestimentis sive palmarum frondibus (mens quibus luminis ornatur ferax) * viam quæ arcta exstat et angusta Hebræorum pueris asinæque terga Christo sessore premente * humili, planam et meabilem reddidere. Sed quoniam, mundo fluide cum suis senescente, vix admodum pauci reperiri queant, priscorum in omnibus ardua sequi vestigia qui possint; qui capiti summo quanto viciniores, tanto actuum immensitate fuisse probantur illustres, Domini tabernaculum instar columnarum firmissime sustinentes, * ut aquarum inundatione atque ventorum impulsione numquam labi neque moveri possit; * ideo necesse valde esse asseris, ut si aliquem nostris temporibus imitatione pia sequendum Christi nobis gratia contulerit, hujusmodi lucerna non sub modio, neque sub lecti quiete, sed supra candelabrum ponatur, ut ingredientes Ecclesiam lumine illustrentur claro. Ipse siquidem familiæ pater qui prima hora, idem et undecima vineæ operarios conduxit, quibus et unam mercedem dare jussit. Neque enim si manus, aut circa Christi os barba pendens, niveive dentes, qui queant panis crustam parvulis masticare, vel oculi pulchriores vino quo nutriuntur virgines, esse nequimus; ob hoc a corporis Domini compagine separabimur optabili, in eadem tantum fide, spe et caritate juxta Apostolum radicati et fundati, ut multi unum efficiamur corpus Domini, manente caritatis * [unitate in] differentia stellarum.

optantis proponi exemplum recens,

B

Ephes. 3, 17

2 Nempe oculi fuerunt Apostoli, Solis æterni splendorem mentis puritate utcumque contemplantes, sicut Apostolorum princeps Petrus, virgoque Joannes: quorum alter hæresium plurimarum devitans opiniones, ex duabus consistentem substantiis Filii Dei unam viventis confessus est personam, dicens, Tu es Christus filius Dei vivi; alter in seipso animam effundens suam, et cuncta creata transcendens, ad eum per quem sunt omnia facta conscendit, ac ejus portatus uberibus inauditum seculis eructavit arcanum, dicendo. In principio erat Verbum. etc. Fuere pectus æreum clare prædicando Martyres beati, ferreumque grassantium ignes persecutorum ferendo, ut Cyprianus, Laurentius, Dionysius, Mauritius Extiterunt sancti Confessores atque Doctores doctrinarum, quo cibi conderentur, venter, Martinus, Hilarius, Benedictus Monachorum Pater eximius, Ambrosius, Gregorius, Hieronymus, Augustinus. Hi ergo omnes duobus Samaritæ munerati denariis, quidquid proprio valuere sudore, * intra stabulum vulnerato impenderunt, nunc expectata gloriose ditati mercede. At modo abundante iniquitate, juxta Apostoli prophetiam, et refrigescente caritate multorum, quasi pupilli absque patre facti, matris residentes in genibus, quæ amarissimis hinc inde quatitur fluctibus; stans in medio mari, priorum nos Patrum muniri egemus suffragiis, eorumque nutriri vitalibus stipendiis, ne fame periclitemur in via cursus nostri laboriosa: quin potius relinquamus navem, seculi onustam mercibus, ut vero hæreamus capiti, dicamusque, Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum. Qui enim mons cervis amœnus celsa petentibus, dignatus est et herinaciis humilibus refugium patefieri, salvans homines simul et jumenta, noverunt qui se esse apud eum.

Matth. 12, 15

post Apostolos;

C

Martyres et Confessores,

Matth 24, 12

Cant. 1, 4

3 Ergo quos et ævi nimium et propria gravat valetudo, antiquorum ad plenum quia nequeunt sequi, saltem illorum vestigia sequentur, quos secum convixisse suo in tempore, et evidentibus indiciis Christo placuisse certissime probarunt, Benedicti scilicet Monachis, et Alcuini per omnia Canonicis, imitatione digna. Cujus, tuis devote parens sanctissime Pater jussis, aggrediar calamo, non secularis eloquentiæ redolente stemmate, sed sicut corporis ita sensus balbutie scriptitare vitam: testans Deum Jesum, non elationis me fastu hoc arripere tentasse, sed multorum animabus prodesse cupisse. Scribam igitur fideliter quæ ab ejus fidelissimo tantum didici discipulo, Sigulfo scilicet institutore meo, dilectissimum quem tu quoque habuisti Patrem, qui præ cunctis mortalibus post sancti Edberti discessum solus ipsius meruit nosse secreta eximia. Te ergo, Domine, te deprecor, Pater venerande, tua ut sim hoc in sudore pia fultus intercessione, qui me hactenus illa silentem aperto imperas jam sonare ore.

D

imitatione dignum,

CAPUT I.

Pueritia. Studia sub Egfrido Archiepiscopo Eboracensi.

E

Vir Domini Albinus, nobili gentis Anglorum exortus prosapia, nobilior Christi Jesu regeneratus undis extitit vitalibus: qui cum matris ablactaretur carnalibus, *a* Ecclesiæ traditur mysticis imbuendus uberibus. Cujus jam tunc Jesus sua possidens dignatione corpusculum, non hoc fœtidis ab antiquo permisit hoste pollui lusibus, obscœnisve actibus: quippe qui suam antequam nasceretur in eo prædestinaverat consecrare sedem.

Deo a pueritia consecratum,

a

5 Dumque adhuc esset parvulus, diurna sub luce per canonicas cum aliis sæpe frequentabat ecclesiam Horas, nocturnis autem perraro temporibus. Cumque alter eum a decimo annus teneret, contigit nocte quadam eum, cum uno simplici et tonsorato rustico, separatim una jacere in domo. Postulaverat siquidem rusticus ille simplex magistrum illustris pueri, ob suæ solitudinis nocturnæ solamen, ut una nocte quemlibet ex schola puerum secum sua juberet in cella dormire, eo quod quempiam suorum non haberet ad præsens: cui nutu Dei, Virgilii amplius quam Psalmorum amator, conceditur puer Albinus. Ecce vero circa galli cantum solito more pulsatur a custode signum nocturnarum vigiliarum: debitum a Fratribus persolvitur officium: sed rusticus ille simplex, latus se vertens in alterum, quippe nimium * circa hujusmodi negligens, dormiendo stertebat. Cumque jam Invitatorius fuisset ex more cantatus cum Antiphona Psalmus, subito domus illa vere rustici spiritibus repletur tetris, qui ejus cingentes stratum dicunt: Bene quiescis, Frater. Quo repente expergefacto inculcant eadem: Cur, inquiunt, Fratribus in ecclesia vigilantibus, tu hic solus stertis? Quid multa? Verberatur utiliter in tantum, ut sua cunctis ex mutatione salubri præstaret cautelam et canticum: Hæc mutatio dexteræ Excelsi, dum anticiparent oculi ejus nocturnas vigilias. Dumque is verberaretur, puer nobilis tremiscens, ne sibi eadem fierent hæc, ut ipse post testatus est, corde dicebat imo: O Domine Jesu, si me nunc istorum eruis manibus cruentis, et post hoc solicitus erga Ecclesiæ tuæ vigilias ministeriaque laudum non fuero, plusque ultra Virgilium quam Psalmorum modulationem amavero; tunc tale sortiar castigationis flagellum: tantum obnixe precor, nunc, Domine, libera me. Denique arctius menti ut hoc imprimeretur ipsius, posteaquam a verberatione rustici cessatum jubente Domino est; spiritus nequam huc illuc oculos vertentes, vident diligentissime corpus pannis et caput pueri

sed Virgilii quam Psalmorum studiosiorem,

F

terrent dæmones, qui socium ejus castigaverant;

A pueri involutum omne, penitus inscium anhelitus. Princeps autem illorum interrogat suos, Quis hac alter quiescit in domo? Est, inquiunt, Albinus hic absconsus puer in lecto. Puer vero ubi se latere non posse persensit, lacrymarum nimio perfusus imbre, quanto prius pavore suppressus, tanto magis ut puer redditur perstrepens clamoribus. Ille vero immisericorditer hunc volentes et non prævalentes [pœna] afficere, pertractant quid super eo agere debeant. Sed sententia Domini constricti, ne voto satisfacerent suo, aiunt imprudentes, prudenter tamen: Non istum verberibus, quia rudis adhuc est, * acribus, pedum tantum, in quibus duritia inest calli, tonsione cultelli castigemus, et emendationem sponsionis nunc suæ confirmabimus. Jamque nudatis vestimento pedibus malorum manibus, Crucis se muniens Albinus velociter signo, Psalmumque decantans duodecimum affectu omni, malorum subito disparuit turba. Et rusticus semivivus, una cum puero agili se præcedente gressu, Sanctorum in basilicam confugit ad præsidia.

6 O insidiator calcanei, cujus est panis pulvis, B non frumentum Domini, qui capite contereris: O inimice piis! num tu demens, qui quondam cœli quærebas indebite fieri sessor celsissimi? Si Altissimo, ut jactabaris, similis incomprehensibili claritatis luce in monte Dei fueris, quid obscura sub nocte actus niteris diligenter mala tua cum accensione scrutari humanos? Nempe fatebor, tuorum ut docent consequentia, tenebrarum te juste factum judicas principem propria præsentia. Nam etsi in Angelo appares lucis, lucem nobis conaris auferre intimam pulvere tuo fœtido. At si, ut es Æthiops, claritatem spei, pavorem incutiendo minium, hoc in Albino agere tentasti puero, vinceris * humili ab homine, altum qui viceras hominem. Vere si cognovisses, Christum gloriæ non crucifixisses, neque Christicolæ Albini * .... callosas tundere plantas quæsisses. Abscondisti pedibus ejus rete captionis; et ipse, quasi avis pennis sustentatus columbæ, pedibusque cervi instar firmatis ac in excelsa constitutis, cum David a facie Saulis fugit, in solitudine commorari gaudens. Lacum aperuisti et effodisti, inque illum confusus cecidisti optata sine præda. Sagittæ tuæ in te * retorquentes acumen, inæstimabili dolore afficiunt: cecidisti in terram vulnerator gentium Sanctorum, conculcatis cum Albini pedibus, amato projiceris e tumulo, quia fortis a fortiore victus. C Grave sceptrum tuum, o exactor, et jugum humeris nostris impositum, superatur a puero, patrem adhuc ignorante vocare suum et matrem. Spoliis tuis, oblivicens te et populum suum mater ornatur Ecclesia, spiritalium fœcunda charismatum, insignia cœlorum cum virtutibus Domino concelebrans laudum cantica. Gratias semper tibi, Domine, referimus, bone Jesu, una cum Patre, sancto et Spiritu per secula, cujus est boni quidquid agimus, inchoamus et perficimus. Juxta eum, qui tuam docens nos gratiam ait, Deus est autem qui operatur in vobis et velle et perficere; et Psalmista, Deus meus misericordia ejus præveniet me, et item alibi, Et misericordia tua subsequetur me omnibus diebus vitæ meæ; et tu ipse dixisti, Sine me nihil potestis facere.

verum confusi discedunt

Philip. 1, 13 Ps. 36, 11 Ps. 22, 6. Joan. 15, 5

7 Hæc ita se de initio pueri incipientis supradicti habentibus, cœpit hinc, sui quamdam ad similitudinem Domini, ætate, sapientia, cum vera et viva proficere philosophia, arctius ejus obsecundans jussis. Postque memoriter lectionem recitatam psalmorum, beati gentis Anglorum Bedæ doctissimi discipulo *b* Hechberto Præsuli, meritis magistro simili, traditur, quasi lactis inscius fortibus jam alendus panibus. Qui præcelsam in puero gnaviter, utpote oppido prespicuus, fulgere Christi conspiciens gratiam, D cœpit paulatim ei secretius secreta demonstrare sua: quippe quem imitatorem compertissime gaudebat fore sui. Erat siquidem ei ex nobilium filiis grex scholasticorum, quorum quidam artis Grammaticæ rudimentis, alii disciplinis erudiebantur artium * liberalium, nonnulli divinarum Scripturarum, hordeacias quinas, triticiasque septenas post istas manibus confricatas Patris, pectus in suum trajiciebant una gemino cum pisce spicas. Omnes vero fide, spe, caritate, humilitate, jejuniis, castitate, obedientia, et circa Ecclesiæ officia devotissima æque et honestissima cura omni cum circumspectione imbuebantur, verbis non tantum, quantum sancti Patris Hechberti exemplis, digni per omnia Christiani Præsulis, in quo ea, suis quæ in præceptoribus fulserat, doctrina non mediocriter enituit, in sancto videlicet Anglorum Apostolo *c* Gregorio, Augustino ejus discipulo, Benedicto sancto, Cutbertoque simul et Theodoro primi Patris et Apostoli per omnia sequentibus, et in viro Domino nimium amabili Beda Presbytero proprio * præceptore suo: qui ab ineunte ætate quasi Samuel Domino consecratus, E inscius coinquinationis ullius vestimenti, monasticis traditus a parentibus regulis, quidquid verbo docuit exemplo roboravit: qui postquam bonum certamen certavit, cursum consummavit, fidem servavit, talentumque sui Domini cum usuris duplicavit; die quo voluit et petiit, eo scilicet quo Rex gloriæ Christus triumphator super omnes ascendit cœlos, ab incarnatione Domini *d* DCCXXI, VII Kal. Junii, a sancti obitu vero Gregorii CXXVII anno consummatus, ad Dominum migravit *e* nonagenarius, sicut quorumdam affirmatio est. Nam nonodecimo ætatis suæ anno Levita, trigesimo vero Sacerdos efficitur: a quo tempore quæ ante per triginta annos didicerat Ecclesiæ profutura, usque quinquagesimo nono cum sudore non inerti dignis memoria libris inserere proprio stylo studuit. Per alios autem triginta annos ferunt ea quæ scripserat correxisse; discipulos quoque non mediocriter omnium liberalium artium studiis erudisse: hanc antequam ægrotaret, antiphonam ipsi festivitati valde convenientem *f* dictans componensque sua cum melodia. O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie super omnes cœlos ascendisti, ne derelinquas nos orphanos, sed mitte promissum Patris in nos spiritum veritatis. Alleluia. Cujus jam, ut dictum est, sequens Hechbertus vestigia, totum thesaurum suum Domini deputavit eloquia, Scripturarum rimando penetralia. F Nam a luce diei surgente, si inevitabilis non obstitit præpeditio, vel ulla solennitas præcellens, aut festivitas magna Sanctorum, usque ad horam quasi * sextam, sæpissime et nonam, suo residens in lecto, discipulis cuique convenientia Scripturæ pandebat arcana. Inde vero surgens, secretissimamque ad orationem confugiens, holocausta medullata cum * incenso arietum offerens prius Domino, ac post, juxta exemplum beati Job, ne forte filii ejus in benedictionis laberentur foveam, sanctificabat eos, offerens corpus Christi et sanguinem pro omnibus. Et sic tandem vespertina propinquante hora, præter Quadragesimam * maximam, omni tempore tam æstatis quam hiemis, parcum cum suis, digne tamen præparatum sumebat cibum: linguæ non parcens lectoris, utroque ut reficeretur pane. Videres ergo tunc ante Patrem pueros præparatis se conterebrare telis, discutientes in secreto quid post ordinabiliter protelarent in publicó. Nonne videtur tibi de hoc etiam posse dici: Sicut aquila provocat ad volandum puellos suos, et super eos volitat expandens alas, assumensque eos, et portans in humeris?

Traditur disciplinæ Egberti. *b*

AUCTORE COÆVO.

c Discipuli Bedæ, *d* *e* *f*

F viri religiosissimi.

Job. 1, 5. Deut. 32, 11.

8 Hos autem omnes, florida decoratus adolescentia

AUCTORE COÆVO.

A tia Alcuinus, humilitatis sub lectione præibat. Is denique pater pauperum, Christi multus amator atque adjutor, bis in die secretissimam orationem erat solitus fundere, purissimi cum irrigatione fontis, genu utroque in terram flexo, manibusque diutius instar crucis in cœlum erectis : ante scilicet quam cibum sumeret, et priusquam Completorium cum suis omnibus celebraret : quo celebrato nullus discipulorum ipsius, sine ejus benedictione capiti suo data, ullo unquam tempore membra audebat committere stratui. Qui omnes quidem diligebat, maxime tamen Albinum fidelissimum suorum actuum sequacem, propter meritorum distantiam. Cui, virtutes inter alias hoc erat datum specialius, ut nihil per se eligeret agere, quod magistri auctoritas probans non * condiret; nullasque unquam hostis machinas insidiasve pertulit interius, quas absque ulla verecundia magistro celaret exterius. Qua de re actum est, ut stimulum, quem aliquando senserat, libidinis indomabilem, arte hac mirifica vinceret gloriosissime, dum parvulos ad petram Babylonicos elisit, conterens caput serpentis insidiantis calcaneo. Cavebat enim ne super illo verba * dicerentur Christi,

religiose vivit:

arcana cordis præceptori detegit:

Joa 3, 20

B quia omnis qui male agit, odit lucem, et non venit ad lucem, ut non arguantur ejus opera; sed potius illorum in sortem veniret, de quibus subnectitur : Qui autem facit veritatem venit ad lucem, ut manifestentur ejus opera, quia in Deo sunt facta. O vere monachum monachi sine voto, cujus exempli sequax perraro reperitur monachus ex debito. Imitemur ergo Albinum pium adolescentem Domini, fugiendo tenebras Pharaonicas palpabiles; vertamusque noctem in diem, et post tenebras speremus lucem, carcere principis tenebrarum evaso. Recordemur squammarum Behemoth sedulo, quibus corpus ejus, se invicem prementibus, compactum redditur. Una enim conjungitur, et ne spiraculum quidem incedit per eas : una alteri adhæret, et tenentes se nequaquam superantur : cujus fortitudo in lumbis, cujus sunt nervi testiculorum perplexi, qui dormit sub umbra et secreto calami et locis humentibus. Gaudemus tuam, Albine, correctam pueritiam ex hostis antiqui crudelitate, dum in bonum tuum malitia illius utitur Deus. Veneramur mentis in adolescente puritatem atque constantissimam firmitatem magno in certamine : in quo duellionis spiritu sæpius agitata caro * in multis quæ nequeunt in pace frui quieta, ossa Domino custodiente * intus manent illæsa. Me-

C ruisti Dominum Christum mentis tuæ habere hospitem, quo te protegente aiebas : In te eripiar, Domine, a tentatione, et in te transgrediar murum, qui posuisti immaculatam viam meam, brachiaque mea ut arcum æreum. Miles igitur iste videamus quibus ex adverso rursum laniari queritur spiculis, in modumque exercitus Judæ Machabæi antiquis Patrum de victoriis armemur armis invictissimis.

ANNOTATA.

a Ecclesiæ *scilicet* Eboracensi, *uti constat ex Epistola* 98 *ipsius, ad Fratres hujus Ecclesiæ : ubi ista habet columna* 1627. Vos fragiles infantiæ meæ annos materno fovistis affectu, et lascivum pueritiæ tempus pia sustinuistis patientia, et paternæ castigationis disciplinis ad perfectam viri edocuistis ætatem, et sacrarum eruditione disciplinarum roborastis.

b Egbertus, regali stirpe creatus *dicitur in Poemate de Pontificibus Eboracensibus, scilicet* Eadberti Regis frater. *Hic in Archiepiscopatu Eboracensi S. Wilfrido secundo, ad vitam contemplativam secedenti, successit anno* 743, *uti habetur in hujus Vita* 29 *Aprilis num.* 3.

c *Coluntur hi Sancti,* Gregorius 12 *Martii,* Augustinus 26 *Maji,* Benedictus (*ut videtur*) Biscopius D 12 *Januarii.* Cuthbertus 20 *Martii,* Theodorus 19 *Septembris, et* Beda 26 *Maji. Consule Acta singulorum.*

d *Imo anno* 735, *uti ad ejus Vitam clare ostendimus Quo tempore Alcuinus necdum videtur natus fuisse.*

e *Ad cap.* 2 *Vitæ litt. d. colligimus natum sub initium anni* 677, *mortuum anno* 735, *adeoque solum egisse annum* 58 *ætatis suæ : unde et sequentia non satis subsistunt.*

f *Mabillon arbitratur estque credibile valde, hanc Antiphonam ante ab Ecclesia receptam fuisse; eam autem S. Beda morti proximus frequentasse memoratur in epistola Cuthberti discipuli sui,* secundum nostram, *inquit Cuthbertus,* consuetudinem et sui.

CAPUT II.

Alia ejusdem Acta in Anglia sub Ælberto Archiepiscopo. Discessus in Franciam. Felix hæreticus confutatus.

E Decimo tertio Kal. Decembris igitur amissione orbatus Patris *a* Hechberti Alcuinus, munere divino *b* Elbertum, virum beatum et clarum, loco amissi excepit, magistro per omnia similem. Cum ergo non modo sapientiæ venustate, verum aliis etiam pollens virtutibus socios præcederet, nulli secundus apparens; sentit multis in rebus suo de profectu invidiæ spiritu eorum corda turbari, in tantum ut eum claro nequaquam oculo aspicere, neque dulcibus verbis alloqui quirent. Sciscitans vero magistri super hac re consilium, hortatur beneficiis carbones ignis congerere super capita eorum. Audiens denique Patris saluberrimum consilium, non ante ab intentione rationis cessavit, considerans ne aliquod sibi contrarium ex ore ejus verbum audirent, eorum sæpius substernens se vestigiis, * cum injuste ab eis argueretur, quam evidentem Domino mentis sanitatem illis impetraret; adeo ut repente mutati secundum eum a magistro omnimodis habere gauderent : trahiturque regulus manu ablactati pueri de sua qua cubabat caverna, et blandi columbarum illic statuuntur amplexus. Magnæ sunt certe Sanctorum virtutes, per quas corpora sanantur; et non minoris admirationis ac venerationis æstimari debent, quibus medentur animæ. Hac autem insignitum virtute Al-

Invidia sociorum superata,

F binum mira cum pietate veneremur, qui noluit absinthium secularis litteraturæ nosse, quatenus intraret in potentiam Dei. Enimvero sprevit mundum in maligno positum, altior ut mundo factus jungeretur illi, excelsior qui est cœlis factus. Legerat in Apostolo, quia prudentia carnis inimica est Deo : legi enim Dei non est subjecta; quam sequi si vellet illorum omnium generosissimus Albinus, pro talibus ausis non diu procrastinata vindicta eos percelleret. Jam autem lubricos adolescentiæ calles digno cum præconio transiliens, quasi sol in cœli arce media magno juventutis calore figitur. Jam quoque cum Moyse, Ægyptiaca doctus sapientia, cujus amputaverat crines et ungulas, montem, quo Deus videri posset, conscenderat; videratque virgam in colubrum, rursumque colubrum cauda tactum in virgam versum, abyssumque noverat invocantem abyssum. Hærens illius vestigiis stat, qui supra montes evangelizat, annuntians bona, quatenus speculatorum levatam posset audire vocem.

Rom. 7, 8

10 Legens igitur Joannis Evangelium ante magistrum una suis cum condiscipulis, pervenit ad eam partem quam soli norunt mente comprehendere mundicordes, quæ est ab eo loco, quo ipse supra pectus Domini recubuisse se dicit, usquequo cum discipulis

coram iis et magistro rapitur in ecstasin,

A discipulis suis trans torrentem Cedron Jesum egressum fuisse recolit. Hac ergo evangelica cum debriaretur lectione Albinus mystica, sedens ante magistri lectulum, subito ejus spiritus in extasi ducitur: ac idem, qui quondam sub solis radio ante sanctissimi Patris Benedicti, nunc ante hujus oculos, * sub uno parco sive curte equarum omnis mundus collectus ostenditur. Qui dum in hoc quod cernebat attentam oculorum figeret aciem, vidit totam per gyrum hancclausuram quasi sanguine circumseptam. Cumque hac teneretur visione miraculi, sui in eum oculos vertentes nimia cum admiratione condiscipuli, nempe qui nihil videbatur habere sanguinis, conantur quasi dormientem excitare: ad quorum sonitum oculos in Albinum beatus Elcbertus dirigens, eum diutius tacite conspicit, dicens: Legite filii, et istum nolite excitare, paullulum ut somno indulgens efficacius me post audire queat tradentem. Jam vero ad seipsum Albino reverso, lectione accepta, jubente Patre omnes egrediuntur foras, Albinum solum retinens secum. Cui Pater idem ait: Quid vidisti, rogo ne me celes. Volens autem omnino secretum habere quod viderat, timens ne forte elationis foveam incideret, respondit: Quid? mi domine Pater. Ad quem rursus vir beatus: Noli fili, noli occultare mihi: neque enim curiositate illud a te requiro vana, sed utilitate tua. Videns autem Albinus se celare non posse, humiliter quemadmodum mundum omnem viderat indicavit. Tunc Pater idem dixit sibi: Vide, fili mi, vide ne præter uni quem post meum discessum fidelissimum habebis super tua persona, hoc indices vidisse: ipsi etiam interdicito, ut usque post tuum obitum secretum habeat. Cujus ille obtemperans consiliis, Sigulfo tantum super se sua indicavit in vita. Qui igitur scire desiderat, quomodo una sub clausura totum mundum conspicere quiverit, ad Dialogorum S. Gregorii recurrat librum. Interim tamen noverit, in visione mundi non cœlum et terram fuisse contractum, sed videntis animum dilatatum: qui in Domino raptus, videre sine difficultate potuit omne quod infra Deum fuit. Fortassis etiam quæret aliquis studiosius, cur hac sub figura, curve circumdatum sanguine viderit. Noverit ille Christi sanguine totum sanctæ Ecclesiæ ovile circumdatum, ita ut a solis ortu usque ad occasum redempti de manu inimici ejus passione, quæ tunc sine dubio ardentius Albini supersidebat animum, cum hanc ante magistrum legeret, dicere possint: Confitemini Domino quoniam bonus, etc. Omnis ergo mundus, sanguine Christi circumdatus, una sub clausura cernitur; quando omnia quæcumque a sanctis Patribus significative sunt gesta, et ab initio mundi scripta, sola Christi passione reserantur, qui est Leo de tribu Juda, radix David. Si autem per clausuram gyratam, vitam carnalium suorum criminum circumdatam sanguine velit intelligi, quæ ob hoc sit ei ostensa, ut ab eo calcata contemneretur; proprio relinquatur judicio.

unoque sub adspectu mundum videt,

B

sanguine circumfusum. Greg. l. 1. Dial. c. 35,

C

11 Post hæc de virtute in virtutem succrescens, die Purificationis S. Mariæ Levita sacratur: nam dudum eadem die comam capitis amiserat. Cumque jam beatum Elcbertum Patrem suum infirmitate prænuntiata celerius ad Christum transire nosset (qui cuncta; sicut supra dictum est) cum ejus faciebat consilio, studuit illum diligenter sciscitari, quid postquam sola separarentur morte, ipsum vellet juberetque agere. Cui, ut jam claret, Domini dedit responsum: Romam volo venias, indeque revertens visites Franciam: novi enim multum te ibi facere fructum: eritque Christus dux tui itineris, perducens ac gubernans te illuc advenam, sis ut expugnator nefandissimæ hæresis, hominem Christum quæ conabitur *c* adoptivum adstruere, et fidei sanctæ Trinitatis firmissimus defensor clarissimusque prædicator. Perseverabis ergo in terra peregrinationis, multorum illuminans animas. Benedicens autem illum Patrum suorum superius memoratorum benedictionibus, ac Christo Jesu commendans servaret ut ipse eum, lætus sic Pater Elcbertus Episcopus migravit ad Deum VI Idus Novembris *d*. Quem pius Albinus ut matrem deplorans lacrymis, nolebat tamen consolationem recipere. Levita vero sanctis benedictionibus Patrum hereditario ditatus jure, dedit curam magnopere, talentum sui Domini multiplicare egregie. Docuit *e* multos in Britannia, et non *f* paucos post in Francia. Quo in tempore sociatur illi vir Deo amabilis, animi carnisque nobilitate insignis, Sigulfus Presbyter, custos Heboricæ civitatis ecclesiæ, perpetuo ut illi jam hæreret, qui suo cum avunculo Autberto Presbytero puer partes has petierat, Romamque ad ecclesiasticum ordinem discendum ab eo ductus fuerat, necnon Mettas civitatem causa cantus directus. In quo cum nimia panis penuria aliquo desudavit tempore, ac multo cum fructu (postquam suum transmisit avunculum sanctum virum ad Dominum) patriam repedavit ad propriam. Hi ergo tantum se dilexere mutuo, ut cerneres Rebeccam Isaac, et Annam Tobiæ copulatam. Cumque jam omnipotens Deus Franciam spiritualibus divitiis, ut pridem terrenis, glorificare vellet; dans ei Regem secundum cor suum, fide, fortitudine, ac amore sapientiæ, et corporis ineffabilis pulchritudine in his præclarissimum Carolum; * movit mentem Albini, consilium et jussionem sui Patris ut impleret.

Levita ordinatus,

et ab Ælberto futura edoctus,

c

D

AUCTORE COÆVO

d

ef

ac socium Sigulfum nactus,

E

12 Jussus igitur ab Eanbaldo Archiepiscopo, successore Elcberti, ut sibi Pallium impetraret ab Apostolico, venit Romam. Cumque reverteretur accepto Pallio, habuit Regem Carolum *g* Parma civitate obvium. Quem magnis Rex alloquens suasionibus et precibus postulavit, ut ad se post expletionem missatici in Franciam reverteretur. Noverat enim eum, quia olim a Magistro suo ad ipsum directus fuerat. Fecit autem Alcuinus, aliorum deservire cupiens profectui, ut sibi rogaret eum auctoritate Regis sui proprii et Archiepiscopi, eo tantum jure, ut iterum ad eos reverteretur: pervenitque, Christo ducatum præbente, ad Regem Carolum, quem tenens Rex loco patris amplectitur, a quo artes introductus in liberales, refrigerari paullulum noverat, sed exsaturari ob fervorem satis nimium nequibat. Tempore vero aliquanto cum eo peracto, dedit illi duo monasteria, Bethleem scilicet, quod altero nomine *h* Ferrarias vocatur; et *i* S. Lupi apud Trecas. At denique Albinus, nolens sine auctoritate Regis sui et Episcopi proprium deserere locum, quo educatus, quoque capitis comam amiserat, ac in Levitam consecratus fuerat; postulavit magnum Regem, ut daret ei licentiam remeandi in patriam. Quem Carolus voce blandientis alloquitur: Sunt nobis, Magister eximie, terrenæ divitiæ sufficienter, quibus te ut patrem honorare gaudemus: tuis nos oramus diu desideratis, et vix aliquando inventis, tua cum pietatis merce, illustrari. Cui Albinus: Domine mi Rex, tuæ non dispono voluntati renuere, auctoritate Canonum firmata cum fuerit. Libenter etiam paterna in regione mea non modica hereditate ditatus, hac spreta tibi ut prodesse possim, hic pauper stare delector: tuum est tantum hoc a meo Rege et Episcopo impetrare. Tandem igitur ratione victus, consentit ut iret: requiem non dans animo, * nisi a secundo ad eum * reversuro firmiter impetraret, secum perpetuo ut duraret. Evolnto vero non parvo tempore, postquam Albinus secundo ad Carolum reversus est, *k* S. Martini apud Turones præficitur Pastor idem monasterio: qui digne Deo istud cum aliis regens monasteriis,

g a R. Carolo invitatur in Franciam:

monasteriis duobus præficitur,

F

h

i

itemque Martiniano.

k

monasteriis,

AUCTORE COÆVO.

A monasteriis, vitam subjectorum, quantum valuit, corrigere studuit; ac quos indomitos accepit, rationabiles honestisque moribus ut essent et sapientiæ inquisitores, sategit.

Felicem hæreticum refutat Aquisgrani.

l 13 Interea *l* hæresis inimica Deo, partibus quæ pullulabat Hispaniæ, asserens adoptivum filium Dei esse secundum carnem, ad aures perducitur Caroli. Quod ut experimento novit Rex Magnus et per omnia Catholicus, totis nisibus decertavit, ut destrueretur semen diaboli, zizaniaque de frumento Dei funditus eradicarentur. Advocans namque Albinum institutorem suum Turonis, et miserum Felicem hæresis hujus adstructorem de Hispaniæ partibus, congregavit Synodum magnam Episcoporum in Aquisgrani Imperiali palatio : in quorum ipse sedens medio, Felicem, licet valde repugnantem, de natura Filii Dei secundum carnem cum Albino doctissimo disputando rationabiliter confligere jussit. Tum quantum Episcoporum tunc exstitit silentium ! O quam clara et inexpugnabilis Caroli cum auctoritate magistri sui fidei confessio atque defensio! Per plura autem Felix fugiens latibula, plurioribus ab Albino
B confossus est spiculis, in tantum ut pene omnes civitates Israel consummaret, quousque Filius hominis veniret. Nam a secunda usque ad septimam sabbati parum aliud gestum est. Omnibus denique ejus patefacta socordia, atque ab universis Apostolica auctoritate hæresi confutata, soli sibi latuit deformiter, usque dum dicta Cyrilli Martyris ab Albino
m sibi directa legit lamentabiliter : *m* Ea natura, quæ per diabolum vitiata est, super Angelos exaltata est propter triumphum Christi, atque ad dexteram Patris collecta. Hanc ergo legens sententiam, tandem se recognovisse, et impie egisse voce et nimio fletu testatus est. Sed quod ad aliud tendens pauca super hac re prælibavi, qui perfectius hanc scire sitit, le-
n gat ejus epistolas *n* ad Felicem et Elipantum, et ipsorum ad illum ; et nosse incunctanter poterit quod desiderat. Largiente Christo hactenus paullulum de vitæ Albini initio, quæ cunctis non esse cognita putavi, non ut volui, sed fideliter quemadmodum potui, scripsi. Hinc jam calamum labris quassatum (neque enim judicavi, noverunt quæ super, eo cuncti, parvo isti inserere operi) ad finem ejus despicate crepitando licet, pertrahere conabor.

ANNOTATA.

C a Annum 766, Episcopatus sui 34 *addunt Simeon Dunelmensis in Historia de Regibus Anglorum et Rogerius Hovedenus par.* 1 *Annalium. Hic morti proximus bibliothecam ecclesiæ Eboracensis commendavit Alcuino*, ut præesset thesauris Ecclesiæ. *Ita Mabillon in elogio num.* 6.

b *Hujus virtutes præclare depinguntur in dicto Poemate, ab ejus discipulo scripto ubi* Æbbertus *appellatur, ab aliis* Albertus *et* Ethelbertus.

c *De quo infra num.* 13 *dicitur.*

d *Dictus Simeon Dunelmensis ad annum* 780. Alberchtʼ Archiepiscopus ex hac luce migravit ad æternæ lucis beatitudinem, Eanbaldo, se adhuc vivente, ad eamdem Sedem ordinato.

e *Inter hos S. Ludgerum Episcopum Mimegardifordiensem, sive (ut jam loquimur) Monasteriensem in Westphalia in cujus Vita ab Altfrido Episcopo scripta* 26 *Martii a nobis edita lib.* 1 *num.* 9 *ista leguntur :* Alchuinus etiam illo in loco Magister erat... cui statim vir prudens Liudgerus sedulo jungebatur ; hauriendo ab eo spiritalia dogmata.

f *Ex his varii infra num.* 14 *memorantur.*

g Carolus Magnus *celebravit Papiæ anno* 780 *Natale Domini, inde discedens versus Romam, Parmæ eum obviam habuit Alcuinus anno* 781.

h Ferrariæ *in diœcesi Senonensi, et territorio Vastinensi, uti latius dicetur* 6 *Junii ad Vitam* S. Aldrici, *qui, ut habent Acta*, sub Alcuino Abbate magistro litterali, cui dicti cœnobii administratio tunc temporis erat commissa, monachalis disciplinæ suscepit insignia. *Hic postea ibidem Abbas, ac dein Archiepiscopus Senonensis fuit, successoremque in utroque munere habuit Wenilonem. Weniloni successit* Lupus Ferrariensis *in regimine Abbatiæ simul et* Cellæ S. Judoci, *quam, inquit, epistola* XI Carolus Magnus Alcuino ad exhibendam peregrinis eleemosynam commiserat. *Fuisse eam Cellam postea auctoritate Ludovici Pii subjectam Ferrariensi monasterio liquet ex ejusdem Lupi epist.* 55 *et* 71. D

i *Colitur* S. Lupus Episcopus Trecensis 29 *Julii, sed hoc monasterium, sub ejus nomine extra urbem Trecensem conditum, fuit postea a Normannis destructum, ac sic videntur antiqua ejus monumenta periisse. De illo restaurato passim alii agunt. Meminit Alcuinus epistola* 66. S. Lupi, *ejusque patrocinii et forsan monasterii hujus.*

k *Est hoc celeberrimum per Gallias monasterium de quo Alcuinus epist* 23 *ad Carolum Magnum ita scribit :* E
Vestræ piæ providentiæ consilio translatus sum in servitium S. Martini, fidei Catholicæ et Ecclesiasticæ donante Deo proficuum. *Ibidem Alcuinum publicas aperuisse scholas constat ex epistola ejus prima : imo et ædes Sacras ab eo ibidem refectas fuisse habetur epigrammate* 211. *Præterea eum obtinuisse a Carolo Magno ut monachos introduceret in Cormaricense monasterium, in agro Turonensi situm, deducit Mabillon cap.* 10 *Elogii, ubi et litteras ejusdem habet de xenodochio in pago Tricassino ad Sequanam erecto.*

l *De hac hæresi ante actum fuerat in Concilio Francofurtensi, an.* 794 *habito, ubi in decreto ultimo* Alcuinus, ex admonitione Caroli Magni, in Patrum consortio sine orationibus receptus *dicitur. Successit Aquisgranense anno* 799.

m *Non vacavit locum hunc requirere ; requirendum autem puto in operibus*, S. Cyrilli Alexandrini, *qui hic appellandus* Martyr *videri potuit propter multa quæ fidei causa sustinuit disputando scribendoque.*

n *Imo sunt libri septem contra Felicem Urgelitanum Episcopum, et quatuor adversus Elipantum, præter mutuas Epistolas.*

CAPUT III.

Acta in senectute. Varia cœlitus præscita. Incendium restinctum. Infirmi sanati. F

Frustra optato secessu Fuldam,

Cum igitur senectute unaque infirmitate plus solito se sentiret affectum, diu ut secum tractaverat, velle se significavit Regi Carolo *a* seculum relinquere, *a*
postulans licentiam apud *b* S. Bonifacium monasticam vitam secundum Regulam S. Benedicti ducere, *b*
monasteriaque sibi commissa suos ut inter discipulos divideret, si fieri posset. Sed Rex terribilis et pius, unum cum omni postulationis affectu denegavit; alterum libenter audivit, flagitans, *c* quietissime Turonis atque honorificentissime ut resideret, sibique *c*
et omni sanctæ Ecclesiæ commissæ [curam impendere] non detrectaret : onera vero seculi, quæ ipse habuerat, discipulis ut petierat libentissime dispertiit. Fecit ergo et ipse Albinus ut Rex sapientissimus rogaverat, non quærens quod sibi foret utile, sed quod multis ; ac Turonis, diem novissimum præstolatus fuit. Vita denique ejus non monasticæ inferior fuit. Nam qualis in Patribus superius nominatis præcesserat, talis et in illo durabat ; in jejuniis scilicet, in orationibus, in carnis mortificatione, in eleemosynis, in Psalmorum et Missarum multa celebratione, et in aliis virtutibus, quibus possibile est humanam

Turonis retinetur, degitque religiose

A humanam ornari naturam. Præter enim dies Resurrectionis ac Festivitatis, jejunium protelabat in vesperum, parcens cibo quo amplius delectabatur: quocirca tantam sæpissime ori suo cœlitus datam gaudebat habere dulcedinem, quantam nequit huma-
Ps. 118, 127, nus sermo fari. Tunc vero quidquid volebat, labore sine ullo, velocissime dictare quibat; ita ut dicere posset, Dilexi, Domine, mandata tua super aurum et topazium: quam dulcia sunt faucibus meis eloquia tua! super mel et favum ori meo * Qui juvenis Psalmorum modulationem secretam non tantum, quantum aliam lectionem amaverat; modo jam senex nullatenus eorem decantatione saturari poterat, Secretissimam orationem semper in die, sicut supra de Magistro ejus taxatum est, cum manuum diutina crucis extensione, eodem modo multis cum gemitibus (nam lacrymas perraro habere poterat) fundebat. Discipulis similiter tradebat, quorum nobilissimus Sigulfus erat Vetulus, magnanimusque Withso,
ubi varios discipulos habuit. post hos Fredegisus et ejus socii. At tempore jam ultimo hærebant ei assiduo Raganardus, Waldramnus, qui adhuc supersunt; Adalbertus quoque beatæ memoriæ, quantum poterat, Sigulfi tunc filius,
d post autem venerandus Pater, et *d* multi alii, quorum omnium utinam noverit Christus nomina. Hi vero omni se circumspectione prævidentes, studebant solicite, ne quid coram eo reprehensionis agerent; multoties etiam et absque eo. Noverant enim eum vinctum esse Deo, Spirituque ejus illustratum; licet corporalibus oculis, senectute atque infirmitate resistente, jam clare videre nequiret; ac ideo timebant actus suos eum latere non posse.

15 Spiritu siquidem repletus prophetiæ, quibusdam quæ eis essent ventura prædixit, sicuti fecit
e Cœlitus discit Osulfi lapsum, Raganardo de *e* Osulfo. Nam idem Raganardus quamdam horribilem sopori deditus videns visionem, quam bonum est silere, eidem Patri sequenti die cum pavore retulit, timens ne de se ageretur. At ipse Pater magno cum dolore respondit: O Osulfe, tu miser, quoties te monui? quoties corripui? Multum denique laborem in avunculum tuum habui, ut se corrigeret, et viam mandatorum Dei operari cœpisset; prædixique ei, quia nisi fecisset, priusquam de seculo migraret plaga lepræ percuteretur: sicque factum est. Prædico ergo et tibi, fili mi, de Osulfo, super quo est hæc visio, quoniam neque in hac regione, neque in qua natus est, morietur: quod postea probavit eventus, mortuus est enim in Longobardia.

C Idem quoque Raganardus tentavit se nimiis vigiliis
Raganardi nimias vigilias et abstinentiam, et abstinentiæ nimia superfluitate, ignorantibus omnibus, affligere, ita ut pro hac intemperantia gravissimæ succumberet febri: ad quem visitandum Pater veniens Albinus, jubet omnes præter Sigulfum exire de domo ejus, quem increpans ait: Cur sine cujusquam consilio tam intemperanter agere tentasti? Nam ego considerans te velle hoc agere, in domo, in qua dormio, te quoque dormire jussi: tu vero statim ut omnes dormire noveras, candelam latenter accendens in laterna celabas, ac ad locum illum pergens tota nocte vigilabas: et quidquid occulte ibi faciebas (noverat quod Deus solus) * ipse ei indicavit, addens: Quando mecum quoque ad mandatum pergebas, et te vinum bibere jubebam; arte callidissima dicebas: Bibi, domine Pater, meo cum avunculo sufficienter. Cum autem ad tuum venires avunculum, et ipse quoque hoc te juberet, aiebas mecum te bibisse. Voluisti nos deludere, et deceptus es. Cave ergo ista postquam surrexeris de febri, ne tale aliquid indiscrete unquam coneris agere.

16 Audiens igitur ista Raganardus ab ipso, qui vocabatur Vetulus, erubuit, multumque expavit, sciens se deprehensum, suaque occulta latere Albinum non posse; et admirans dicebat: Quomodo palam istud factum est? Testatur hodieque ipse coram D Deo nullum cognovisse hominem, hoc antea homine *AUCTORE COÆVO.* revelante, præter solum Deum. Pœnitens denique quod egerat stulte, per omne post tempus vitæ Albini nihil tale sine illius egit consilio atque imperio.

17 Sæpissime etiam ad eum Missi venientes Regis, aliorumque amicorum, cum adhuc ab eo longe essent, eorum prædicebat adventum, causamque ad- *Benedicti Ab. Anianensis adventum,* ventus, quid quoque adferrent, quidve secum vehere quærerent. Audientes autem ista discipuli quidam, usque dum probarent, senectutem ejus quasi desipientem culpabant. Vir quoque [venerabilis] *f* Be- *f* nedictus, ei præ omnibus monachis familiaritate junctus, ad eum, gratia consilii salutis suæ et suorum accipiendi, sæpius Gothiæ de partibus properabat. Quadam vero vice voluit taliter venire Turonis, nemo ut hoc agnosceret, quousque ad ostium assisteret domus Albini. Cumque adhuc haud prope esset, vocans Albinus unum suorum, ait: Festina occurrere Benedicto Abbati in loco tali, et dic ei, velociter ad me perveniat. Fecit missus Patris Albini ut sibi præceptum fuerat; pervenitque post triduum ubi ei dixerat, et Benedictum reperit, eique quod sibi jussum fuerat nuntiavit. Stupens autem suum deprehensum conatum, cum velocitate pervenit Tu- E ronis ad eum. Cumque se alterutrum tripudiantes deoscularentur, infit Benedictus Pater reverendus suppliciter: Domine Pater, quis meum vobis prædixit adventum? Respondit ei: Nullus homo verbis mihi innotuit. Cui idem: Quis tum, Domine? forsitan litteris cujusquam audistis? At ille: Vere, inquit, nullis. Ad quem vir idem [sanctus] rursum: Si neque ab homine ullo dicente, neque litteris cujusquam præscistis, precor, mi Pater, quonam modo illud noveritis, edicite. Cui Albinus: Noli amplius hoc me interrogare. Cum vero venerabilis vir Benedictus jam reverti vellet, petiit eum, ut quemadmodum speciali oratione pro se orabat, ei panderet. At ipse ait: Hoc namque Christum rogo. Domine, *eique suum modum orandi indicat;* da mihi intelligere peccata mea, et veram confessionem facere, et dignam pœnitentiam agere, et da mihi remissionem peccatorum meorum. Cui vir Deo dignus Benedictus ait: Addamus, mi Pater, huic orationi unum sermonem: Et post remissionem salva me. At Albinus gaudens, dixit: Fiat, reverentissime fili, fiat. Iterum autem vir idem flagitabat, ut sibi diceret, quando Crucem videns se contra eam inclinabat, quæ verba labris silenter depromeret. Ille vero hoc inquit: Tuam crucem adoramus, F Domine, tuam gloriosam recolimus passionem; miserere nostri, qui passus es pro nobis. Post hæc deducens eum aliquantulum, remisit gaudentem Albinus ad sua suosque.

18 Rex siquidem magnus, * jamque Imperator potens, Carolus orationis gratia unaque desideratæ collocutionis mutuæ cum Albino, sepulcrum S. Martini suis cum filiis, *g* Carolo, Pippino, ac Ludovico visitare studuit: quo in loco tenens manum Albini, *g prædicit Ludovici principatum,* ait secrete: Domine Magister, quem de his filiis meis videtur tibi in isto honore, quem, indigno quamquam, dedit mihi Deus, habere me successorem? At ille vultum in Ludovicum dirigens, novissimum illorum, sed humilitate clarissimum, ob quam a multis despicabilis notabatur, ait: Habebis Ludovicum humilem, successorem eximium. Hoc tunc solus audivit Carolus. Sed cum eosdem Reges erecta cervice, et Ludovicum humili * passu orationis gratia in ecclesiam S. Stephani incedere cerneret; sedens in loco quo sepeliri volebat, infit sibi assistentibus: Cernitis Ludovicum fratribus suis humiliorem? certe videbitis hunc patris celsissimum successorem. Nec non, cum post communionem corporis Christi et sanguinis manu propria eis misceret, idem Ludovicus

AUCTORE COÆVO.

A cus humilitate clarissimus præ omnibus Patri sancto se inclinans, ejus osculatus est manum. Tunc vir Domini assistenti sibi ait Sigulfo : Omnis qui se exaltat humiliabitur, et qui se humiliat exaltabitur, certe istum post patrem Francia gaudebit habere Imperatorem. Hoc nos jam factum et videmus et gaudemus. Depositi sunt qui videbantur cedri, et exaltata est oliva fructificans in domo Domini. Ipse denique Pater Carolum multa erudivit * cura, artibus liberalibus scripturisque divinis; adeo ut sapientissimus omnium Francorum efficeretur Regum, qui fuerunt ab adventu Christi. Docuit etiam eum per omne vitæ suæ tempus quos psalmos pœnitentiæ, cum letania et orationibus precibusque, quos ad orationem specialem faciendam, quos in laude Dei, quos quoque pro quacumque tribulatione, quemque etiam ut se in divinis exerceret laudibus decantaret : h quod nosse qui vult, legat *h* libellum ejus ad eumdem de ratione orationis.

19 Legerat idem vir Domini libros juvenis antiquorum Philosophorum, Virgiliique mendacia, quæ nolebat jam ipse nec audire, neque discipulos suos legere : Sufficiunt, inquiens, divini Poetæ vobis, nec egetis luxoriosa sermonis Virgilii vos pollui facundia. Contra quod præceptum tentavit *i* Sigulfus Vetulus secrete agere, unde post erubuit publice. Advocans namque suos, quos tunc filios nutriebat, Adalbertum et Aldricum, jussit coram se secretissime Virgilium legere, interdicens eis, ne quis ullo modo sciret, ne forte ad Patris Albini notitiam perveniret. Albinus autem solito more ad se vocans, ait : Unde te habemus, Virgiliane? cur cœpisti ac voluisti contra meam voluntatem et consilium me ignorante agere, ut Virgilium legeres? Sigulfus vero se ad pedes ejus projiciens, stultissime se egisse confessus, humiliter pœnituit. Cujus satisfactionem benigne pius Pater post increpationem recepit, monens eum ne ultra tale aliquid ageret. Testatur vir Deo dignus adhuc superstes Aldricus *k* Abbas, nec se nec Adalbertum cuiquam hoc innotuisse; sed usque tunc, sicut eis præceptum fuerat, omnimodis siluisse.

Virgilium a suis discipulis furtim lectum, B

20 Fratribus Cormaricensibus, quos valde diligebat, jusserat ipse Pater centum modia vini dari. Cumque ad monasterium ducerentur, mandavit per Sigulfum Benedicti Abbatis monachum provisoribus monasterii, ut tenerent interim ductores vini, quo usque coram eis de vasculis, in quibus ipsum vinum adduxerant, in alia mutaretur : quia aliqui C ex eis inde furtive sumentes, in vascula, quatenus plena essent cum ad monasterium pervenirent, sabulum aquæ miscuerant : quod ita factum Fratres certissime probarunt.

fraudem in vino factam,

21 Aigulfus præterea Presbyter Engelsaxo, et ipse ad eumdem Patrem visitandum Turonis venit. Cumque ante januam ejus domus cœpisset assistere, ecce quidam Turonensium Fratrum simul, videlicet quatuor juncti, hunc respicientes, putantesque nihil eum illorum de locutione scire, colloquebantur ad invicem; Venit iste Britto vel Scotto ad illum alterum Brittonem qui intus jacet : o Deus, libera istud monasterium de istis Brittonibus : nam sicut apes undique ad matrem revertuntur, ita hi omnes ad istum veniunt. Ingressus autem idem Presbyter domum Albini : post nonnulla alia retulit ei quæ audierat. Cui Albinus : Nosti, inquit, qui sunt? At ille : Vere neque novi, neque eos respicere quæ verecundia quivi, quando ista dicebant. Pater vero Albinus ait : Certe ego novi qui sunt. Vocans ergo eos ipse propriis nominibus, ad se venire jubet, dicens : Isti sunt. Condolens itaque eorum stultitiæ, pepercit eis dicens : Parcat illis Christus Filius Dei. Dans autem eis singulos vini calices bibere, iterum foras leniter exire jubet : Aigulfus vero postea id D diligentissime per alios sciscitans, eosdem fuisse probavit.

et auctores convitii cujusdam.

22 Neque illud silentio prætereundum ratus sum quod multi noverunt. Custos sepulcri S. Martini, qui providebat ceram et vestimenta omnia quæ ad ipsam basilicam pertinebant, intrans cum candela accensa secretarium quo ista servabantur, infixit eamdem stipiti : quam cum egrederetur oblitus est accipere. Firmans itaque ostium sera, abiit : candela vero ardens cecidit super ceram; cera quoque magnas dans flammas ad vestimenta, quæ perticis hærebant, multa cum vi ignem emisit; vestimenta porro usque ad tectum : quod custos sentiens, cum clavi statim ad aliud *l* monasterium fugit. Fit undique concursus, pulsatur ostium, nec ullo aperitur sudore. Clerici pretiosum quicumque aliquid in domo suo habebant, foras mittebant : ecclesia S. Martini vestimentis quibusdam nudabatur : nec aliud quisquam sperare poterat quam totius Monasterii concremationem : nudabatur plumbo tectum. Aderat Albinus, oculis jam non videns. Interrogat ergo quid agatur. Cui unus discipulorum suorum vetulus; Perge, inquit, hinc, mi domine Pater, ne forte E aut plumbo superius projecto usque ad mortem percutiaris, aut igne cremeris : * certus enim interitus manet. Cumque Albinus voluisset ire, iterum ad eum vetulus; Mi, inquit, domine Pater, vade ad sepulcrum Domini Martini, et pro nobis intercede. Fecit itaque ita Albinus. Cumque illuc pervenisset, extendit se super terram in cruce, gemitum emittens ad cœlum. Miro igitur modo ac incredibili, statim ut Albinus se projecit in terram, totus ille ignis ita extinctus est, ac si immenso necaretur fluvio. Hoc cernentes Clerici, magno cum stupore exultantes ad locum illum festinato perveniunt, ubi Albinus ante sepulcrum S. Martini prostratus in cruce, pro eis jacens Deum precabatur. Elevantes autem eum humo, benedicunt Deum, qui per Albini preces totam fabricam monasterii S. Martini igne ne consumeretur salvavit. Hæc tua sunt, S. Martine, digna exempla, qui ignes quondam cum quæreres fugere, non poteras; ad Deum conversus oratione, ignes illos extinxisti minaces. Vere celsa fides, quæ suo calore igneos potuit extinguere globos. Nec mirum si elementa precibus ac jussis Albini propriam vim linquant, cum ipse in corde requiescat ejus, qui diligentes se diligit, ambulantesque in igne, F flamma non permittit fuscari. Te in his adoramus, te glorificamus, teque laudamus, qui * sicut dignatus es polliceri servis tuis tua servantibus mandata, operibus etiam in Albino tuo ostendisti evidentissime. Tu * si quidem dixisti, Christe Jesu : Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam; videlicet Joa. 14, 14 ut glorificetur Pater in Filio.

Incendium in sacrario S. Martini exortum l

prostratus ante ejus sepulcrum restinguit.

ANNOTATA.

a *Secessum ex palatio Caroli Magni, ad quod sæpius cogebatur accedere, indicat se expetisse epistola* 17, 19, 92 *et aliis.*

b *Hic est* S. Bonifacius, *Archiepiscopus Apostolicus et Moguntinus, fundator monasterii Fuldensis, ibidemque post martyrium depositus, et anno* 819 *in novam ecclesiam translatus : uti ea omnia latissime deducta paravimus, ad diem* 6 *Junii edenda.*

c *Secessum obtinuisse in Turonicum monasterium innuit ipse epistola* 99, *ubi col.* 1630 *tandem ait se ad portum dejectum quietis.*

d *Ex his sunt* Onias Sacerdos, Candidus Presbyter, et Nathanael Diaconus, *quibus dedicavit Alcuinus Commentaria sua in Ecclesiasten;* Daphinus, *cui explanat aliqua in Cantica Canticorum;* Odwinus Presbyter,

A byter, *cui inscriptus est tractatus de Baptismi Ceremoniis : imo et* B. Rabanus Maurus, Archiepiscopus *dein* Moguntinus, *uti late deduximus 4 Februarii ante ejus Vitam* § 3. *Nam hic quoque, in epistola Commentariis Regum præfixa*, beatæ memoriæ Albinum Magistrum *suum appellat*.

e *De hujus* Osulfi *lapsu videntur accipiendæ epistolæ* 103 *et* 114, *hæc inscribitur* filio, quem sero genuit et cito amisit, *illa* filio prodigo.

f *Hic est* B. Benedictus, *Anianæ et Indæ Abbas, cujus Vitam dedimus* 12 *Februarii, et hæc verba ante illam num.* 10 *et* 11 *protulimus. Est autem Anianæ monasterium in* Languedocia, *hic* Gotthia *dicta a possessoribus antiquis*.

g *Hi duo mortui sunt vivente patre Carolo Magno*, Carolus *anno* 811, Pippinus *anno* 810.

h *Hic est libellus de Psalmorum usu, cum variis precandi formulis ad res quotidianas accommodatis, inter opera Alcuini a columna* 123 *ad* 178.

i Sigulfus *ab Alcuino substitutus Abbas Ferrariensis, cui ob senectutem successit* Adalbertus, *et huic* S. Aldricus, *de quibus hic agitur. Consule supra indicata ante Vitam.*

B k *Ergo ante annum* 829, *quo* S. Aldricus *creatur Archiepiscopus Senonensis*.

l *Notat Mabillon ipsas Basilicas non raro vocari monasteria; et sic existimat in aliam ejusdem Martiniani monasterii basilicam (plures enim indicantur num.* 28 *fuisse) Custodem fugisse : crediderim potius timore pœnæ commeritæ ad aliud revera monasterium fugisse hominem.*

CAPUT IV.

Libri scripti. Exercitia pia. Morbus, obitus, sepultura, epitaphium.

Infirmos sanat, Illud quoque ad laudem Domini commemorandum est, quod multi sæpius ad Albinum venientes infirmi, bene lictione ejus cum fide accepta sospitatem recepere corpoream. Quodam etiam tempore, fertur ut a nonnullis præcipuis, quidam pauper, oculorum lumen gravi habens obductum caligine, ad januam exterioris domus veniens Albini, flagitabat dari sibi aquam, ejus qua loti forent oculi. Aiebat enim revelatum illi fuisse, quod si ex ea oculos suos ablueret, visum reciperet. Ignorante ergo Albino colligitur
C aqua, qua faciem et oculos laverat, daturque occulte poscenti pauperi. Lavans igitur pauper ille aqua illa oculos cum plena fide, caliginem fugavit, ac clarum lumen recepit. Illustramur et nos tuo, Pater, sudore, lavanturque tua pia doctrina animarum nostrarum crimina, nesciente te ultra jam fatigari labore oculorum; tu quoque corporali visu minime cernebas, et aliorum [mentes] semper illuminare satagebas : quosque præsentialiter non poteras, litteris absentialiter erudiebas, scribens multa omni Ecclesiæ utilia.

24 Postulante namque Imperatore Carolo scripsit librum de sancta Trinitate utilissimum, nec non *opera varia scribit.* de Rhetorica, Dialectica et Musica. Scripsit ad Gundradam *a* de animæ ratione. Postulantibus feminis honestissimis, *b* Gisla et Richtrude, super Evangelium Joannis partim de suo, partim de sancto Augustino mirabile opus composuit. Scripsit et in quatuor Epistolas Pauli, ad Ephesios scilicet, ad Titum, ad Philemonem, et ad Hebræos; ad *c* Fredegiscum in Psalmis; ad Widonem Comitem Homelias de principalibus vitiis et virtutibus; ad Sigulfum suum quæstiones in Genesi perutiles, in Proverbiis Salomonis, et Ecclesiaste, in Canticisque canticorum luculenta sub brevitate ineffabiliter; sub nominibus Franci et Saxonis, de Grammatica, cum interrogatione et responsione, facundissimum libel- D lum composuit. Collegit multis de Patrum operibus *Auctore coævo.* Homeliarum duo volumina. Scripsit de Orthographia. In centesimo quoque octavo-decimo Psalmo stylo usus est aureo. Sunt et alia multa, quæ quisquis legerit, et diligenter scrutatus fuerit, non modicam sui ædificationem reperiet, sicut in epistolis ad multos directis. In his ergo et hujusmodi reliquum vitæ suæ ducens tempus, cœlestem in terris duxit vitam, præstolans in novissima positus vigilia Filii hominis adventum. Intraret ut cum eo ad nuptias, lavabat singulas per noctes lectum suum lacrymis, Sanctorum semper se muniens intercessionibus, quorum omni die celebrabat solennia; hostis ne ullis antiqui confoderetur jaculis, qui nequaquam ejus irrumpere domum tam occulte poterat, ut ab ipso repente non deprehenderetur, Crucisque signo pelleretur.

25 Quadam igitur nocte solito orationem cum psalmorum decantatione volens secretim fundere, *Somno gravatus diabolum sibi insultantem,* aggravatur immenso somno. Surgens vero e lectulo, tulit cappam desuper se. Cumque iterum aggra- E varetur somno, exspoliavit se omnibus vestimentis præterquam sola camisia et femoralibus. Nihilominus vero perseverante somno, accepit thuribulum; et pergens ad locum, quo erat ignis tutatus, implevit prunis illud, ac desuper thymiama posuit, totamque cameram odore suavi perfudit. Qua in hora corporali se specie diabolus præbuit ei visibilem; homo quasi magnus, nigerrimus ac deformis, barbatusque, blaphemiæ in eum aggerens jacula : Quid, inquit, hypocrita agis, Alchuine? Cur coram hominibus justem te videri conaris, cum deceptor sis magnusque simulator? Tu putas his tuis flexionibus acceptabilem posse te habere Christum? Sed miles Christi ineluctabilis stans cum David in turre, quæ est ordinata omni armatura fortium et mille pendentibus clypeis, cœlesti dicebat voce : Dominus lux mea et salutare meum, quem timebo? ipse fortitudo vitæ meæ, quem formidabo? Intellige, Domine, murmur meum, adverte vocem clamoris mei, Rex meus et *oratione vincit* Deus meus : quia te deprecor, Domine. Mane audies vocem meam, mane præparabor ad te, et contemplabor, surgens medio noctis ad confitendum tibi. Applicant mihi mendacium superbi : ego autem in toto corde scrutabor præcepta tua. Fiat cor meum perfectum in præceptis tuis, et confundantur qui inique conterunt me, dum non confundar ego, quando adspiraverit dies et fuerint inclinatæ umbræ. F Fugatus denique hostis, et ipse completa oratione quiescit. Hac in hora unus solummodo discipulorum ejus, Waldramnus nomine, adhuc vivens, vigilabat, occulte cernens hæc omnia, testis scilicet hujus rei quæ fieret.

26 Utebatur idem Pater, Apostoli juxta consilium, non propter gulæ desiderium, sed propter carnis infirmitatem, vino modico. Fugiebat modis omnibus otiositatem. *1 Tim. 3, 5* *Exercitiis pius vacat:* Nam aut legebat, aut scribebat, aut discipulos erudiebat, aut orationi vacabat et Psalmorum decantationi, inevitabilibus tantummodo corporis indulgens necessitatibus. Erat pauperum pater, humilibus humilior, divitum ad pietatem invitator, superbis superior, discretor quoque omnium egregiusque liberator. Celebrabat omni die Missarum solennia multa cum honestatis diligentia, habens singulis hebdomadæ diebus Missas deputatas proprias. Dominica porro die, nullo unquam tempore, postquam lux inchoasset apparere auroræ, se tradebat sopori : sed velociter Levitice se præparans, suo cum Sigulfo Presbytero Missarum celebat solennia specialium usque horam tertiam : et tunc nimia cum reverentia publicam intrabat ad Missam. Discipuli vero ejus aliis soliciti cum in locis essent,

AUCTORE COÆVO

A essent, maxime ad opus Dei cum assisterent, studebant ne quid reprehensionis in eis ab illo cerneretur.

optat mori die Pentecostes,

27 Jam ergo Albinus corpore dissolvi cupiens, et cum Christo esse desiderans, exorabat eum votis omnibus, ut die quo in linguis igneis Spiritus sanctus super Apostolos venisse visus est, et eorum corda replevit, si fieri posset, migraret e mundo. Vespertinum siquidem pro se agens officium, in loco quo elegerat post obitum quiescere, juxta videlicet ecclesiam S. Martini, hymnum S. Mariæ evangelicum cum hac Antiphona decantabat : *d* O clavis David, et sceptrum domus Israel, qui aperis et nemo claudit, claudis et nemo aperit ; veni, et educ vinctum de domo carceris, sedentem in tenebris et umbra mortis. Dicens post orationem dominicam hos versus : Quemadmodum cervus desiderat ad fontes aquarum, etc. Quam dilecta tabernacula tua, Domine virtutum ! Beati qui habitant in domo tua, etc. Ad te levavi oculos meos. Unam petii a Domino. Ad te, Domine, levavi animam meam, et reliqua hujusmodi.

d eoque se disponit,

in Quadragesima,

28 Quadragesimæ igitur tempus, sicut semper consueverat, dignissime omni cum contritione carnis et spiritus mundationeque habitus celebrans, Sanctorum basilicas, quæ sunt intra S. Martini monasterium, cunctis noctibus frequentabat, lavans se a [culpis] suis multis gemitibus. Cum vero Resurrectionis Domini perageretur solennitas, nocte ejus Ascensionis *e* decidit in lectum, gravi fatigatus languore usque ad mortem, nec poterat loqui. Tertia tandem antequam migraret die, solitam exultationis voce decantavit Antiphonam, O clavis David, versusque superius memoratos recitavit. Die autem Pentecostes, peracto matutinali officio, eadem hora qua ingredi consueverat ad Missas, aurora patente, sancta Albini anima carne solvitur, ministerioque Levitarum cœlestium, beatum habentium secum Protomartyrem Stephanum et Laurentium Archidiaconum, Angelorum cum exercitu, ad Christum, quem amavit, quem quæsivit, perducitur ; et fruitur ejus gloria in cœlo per omnia secula feliciter, cui servivit in mundo fideliter.

B

e et voto potitur,

f anno 804, splendore apparente

29 Discessit igitur dierum plenus numero XIV Kal. Junii, *f* anno ab Incarnatione Domini DCCCIV. Eadem vero nocte super ecclesiam S. Martini inæstimabilis visa est splendoris claritas, in tantum ut putaretur a longe positis tota igne cremari. Quibusdam denique per totam illam noctem ipse splendor visus est, nonnullis tribus apparuit vicibus. Aurora autem surgente globus ille, jam amplissimus, super eum venisse locum visus est, quo Albinus jacebat, animaque ejus egrediente cœlum penetrasse. Testatus est siquidem Joseph Archiepiscopus, per totam noctem ab eo et a suis visum fuisse : testantur multi et nunc corpore valentes. Plurioribus siquidem non ea nocte, sed præterita, Dominica prima scilicet post Ascensionem Domini, ipsa claritas eodem, ut dictum est, modo apparuit.

C

Mors ejus Eremitæ Italo innotescit.

30 Eadem quoque hora cuidam Solitario in Italia posito cœlestium Levitarum ostensus est exercitus, laudes Christo ineffabiles in aere resonans : in quorum medio Alchuinus, splendidissima indutus Dalmatica adstans, cœlum cum eis ingressus est, Pontifice æterno ut ministraret cum perenni gaudio: quod idem solitarius Fratri cuidam Turonensi, Apostolorum solito frequentare limina, ad se venienti, eodem Pentecostes die indicavit. Interrogans namque eum ait : Quis est ille Abbas, qui apud Turones in Monasterio S. Martini conversatus est ? quo vocatur nomine ? vel si valebat, quando inde existi, corpore ? Ad quem Frater ille : Vocatur Alchuinus, estque Magister optimus in tota Francia. Quando huc iter arripui, sanum eum reliqui. Respondens vero Solitarius ille, ait cum lacrymis : D Vere felicissima fruitur sanitate. Indicavit ei quid eodem die viderat aurora clarescente. Ipse autem Frater reversus Turonis, quæ audierat retulit.

Sigulfus liberatur dolore capitis,

31 Pater denique Sigulfus, corpus Patris cum quibusdam aqua honorifice lavans, posuit super feretrum. Habebat nempe et ipse tunc magnum dolorem capitis : sed fide animo sanus, etiam repetit sanitatem capitis. Oculos namque super magistri lectulum elevans, cernit pecten, quo ipse suum solebat pectinare caput. Istum ergo manibus sumens, ait : Credo, Domine Jesu, quia si isto magistri mei pectine meum pectinavero caput, meritis illius statim sanabitur. Ubi igitur prima vice pecten duxit per caput, quantum de eo tetigit, totum sanum habuit : sicque totum pectinando gyrans, omnem dolorem amisit. Alter discipulorum ejus Eangist nomine dentium immenso graviter afflictus dolore, hortatu Patris Sigulfi eodem pectine dentes tetigit : et continuo, quoniam cum fide fecit, sanitatem meritis Alchuini recepit. Audiens vero civitatis Turonis Joseph Episcopus, vir bonus et Deo amabilis, beatum obiisse Alchuinum, advenit celerius illuc suo cum Clero, oculosque ejue propriis rigans lacrymis deosculabatur diutius. Præcepit autem sapienti usus consilio, ne in eo sepeliretur loco, quo idem Pater foris *g* voluerat ; sed intra S. Martini basilicam honorificentissime : ut quorum in cœlis junctæ sunt animæ, una sint corpora domo in terris posita : sicque *h* factum est. Super cujus tumulum positus est, sicut ipse jusserat, titulus, quem ipse vivens dictaverat, lamina scriptus in ærea, parietique insertus.

alter dentium.

E

g

h

Epitaphium ejus.

32 Hic, rogo, pauxillum veniens subsiste, viator,
Et mea scrutare pectore dicta tuo :
Ut tua deque meis agnoscas fata figuris,
Vertatur species, ut mea, sicque tua.
Quod nunc es, fueram, famosus in orbe viator :
Et quod nunc ego sum, tuque futurus eris.
Delicias mundi casso sectabar amore :
Nunc cinis et pulvis, vermibus atque cibus.
Quapropter potius animam curare memento,
Quam carnem : quoniam hæc manet illa perit.
Cur tibi rura paras ? quam parvo cernis in antro
Me tenet hic requies : sic tua parva fiet.
Cur Tyrio corpus inhias vestirier ostro,
Quod mox esuriens pulvere vermis edet ?
Ut flores pereunt vento veniente minaci,
Sic tua namque caro, gloria tota, perit.
Tu mihi redde vicem, lector, rogo carminis hujus,
Et dic : Da veniam : Christe, tuo famulo.
Obsecro nulla manus violet pia jura sepulcri,
Personet Angelica donec ab arce tuba :
Qui jaces in tumulo, terræ de pulvere surge,
Magnus adest Judex millibus innumeris.
Alchwin nomen erat sophiam mihi semper amanti,
Pro quo funde preces mente, legens titulum.

F

Hic requiescit beatæ memoriæ Domnus Alchwinus Abbas, qui obiit in pace XIV Kalend. Junias. Quando legeritis ; o vos omnes, orate pro eo et dicite : Requiem æternam donet ei Dominus.

ANNOTATA.

a *Extat hic tractatus a columna* 769, *et inscribitur* Carissimæ in Christi caritate Sorori Eulaliæ Virgini. *An eadem quæ hic* Gundrada, *et binonimis* Eulalia ? *an diversis in Palatio existentibus inscriptus hic tractatus? dubitari potest.*

b *Extat hic tractatus a col.* 337, *et dicuntur* Deo dicatæ Virgines, in Christianæ religionis sanctitate et in sapientiæ studiis devotissimæ. *Inter filias Caroli*

A *roli Magni est* Gisla, *matre Hildegarde nata, uti et* Rotdrudis, *an hic* Richtrudis, *non definio : potuit librario negligenti unum nomen pro altero obrepsisse.*

c *Imo ad Fredegisum extat col.* 759 *liber de Trinitate. Ast Expositio septem Psalmorum pœnitentialium, edita tomo* 9 *Spicilegii Dacheriani, inscripta* Arnoni Episcopo *Salisburgensi, de quo supra actum.*

d *Est hæc ex celebribus Antiphonis, quæ septem diebus ante Natalitia Domini ad Vesperas recitantur, et hæc refertur ad* 20 *Decembris.*

e Accidente paralysis VII Idus Maji feria V ad Vesperum post solis occasum; *supra diximus in quem diem anno* 804 *incidit festum Ascensionis.*

f *Quam apte omnia congruant, supra diximus.*

g *Alcuinus epist.* 30 De sepulcro, *inquit,* cogitamus ornando : hæc vanitas vanitatum est.......... Quid D mihi ubi vermi putrescat esca? Tantum ut anima requiem habeat studendum est, ut illa vivat feliciter, quæ mori non potest.

h *Non est refutandus error ultra corruens Malmesburiensis Angli, scribentis* in Cormariensi monasterio sepultum, *non etiam Germanorum in Chronico Hessico et Mindensi, aut Christophori Broweri lib.* 1 *Antiquitatum Fuldensium cap.* 10 *asserentis, sepultum esse in celebri Hersfeldensi monasterio, et allegantis epitaphium quod potius est* Albuvini Præpositi Hersfeldiæ, in philosophica arte eruditissimi, et antea scholæ Magistri famosissimi, *uti de eo legitur in Chronico Hildenashemensi ad annum* 1034.

NOT. 20 *** APP. TOM. VII MAJI

DE SANCTO DUNSTANO

EX ABBATE GLASTONIENSI, G.H.

B EPISCOPO WIGORNIENSI ET LONDINENSI, DEIN ARCHIEPISCOPO CANTUARIENSI. E

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De quintuplici Vita, unde prima et tertia datur : deque translatione et cultu festivo.

AN. DCCCCLXXXVIII

Floruit seculo Christi decimo S. Dunstanus, *inter celeberrimos et nominatissimos Angliæ Sanctos merito habitus : cujus insignem pietatem, prudentiam, aliasque egregias animi dotes et facta præclara prædicant omnes, qui ejus seculi Anglicanæ Ecclesiæ historiam attigerunt : inter quos Cardinalis Baronius ad annum* 988 *num.* 3 *de ejus obitu agens, asserit eum esse, quem* egregia vitæ sanctitas, sacerdotalis immota constantia, claritudo miraculorum, et omnia Spiritus sancti charismata illustrarunt. *Plures iique illustres scriptores Acta ejus conscripserunt, quæ indefesso labore conati fuimus nancisci. Ex his antiquissima sunt, quæ aliquis* Saxonicus apud Anglos Sacerdos, *qui nomen suum littera* B *solum signavit, inscripsit* Alfrico Archiepiscopo Cantuariensi, *anno post obitum* S. Dunstani *octavo ad eam Sedem promoto, ac dein anno* MVI *vita functo. Hic in Prologo asserit se scribere,* quæ vel videndo vel audiendo ab ipso didicerat, vel etiam ex ejus alum- C nis, quos a tenella juventutis ætate ad viros usque perfectos, doctrinarum pabulis decenter instructos, ipsemet educando deduxit. *Et num.* 39 *acturus de ejus obitu,* Arbitror, *inquit,* æquum esse ut ea quæ vel egomet vidi vel audivi, justa Dei admonitione stimulatus, pro posse caritatis enodem. *Sed, quod dolendum est, quando deventum est ad exhortationem triduo ante obitum in festo Adscensionis factam, reliqua deerant in pervetusto MS. codice, quem nos Roma anno* MDCLXII *reduces in celeberrimo S. Vedusti Atrebatensi cœnobio reperimus et descripsimus. Forsan excitabuntur aliqui, ut eadem Acta alibi reperta indicent, et quæ hic desunt nobis submittant, postmodum in Supplemento edenda.*

Prima Vita auctore B. Sacerdote oculato teste,

ex MS. datur

2 *Dicto Archiepiscopo Alfrico successit* S. Elphegus, *postmodum anno* MXII *a Danis martyrio coronatus : cujus jussu* Adalardus monachus Blandiniensis, *ut præfatur, Vitam* S. Dunstani *conscripsit, in duodecim lectiones ad Matutinum recitandas distinctam; ubi addit,* Responsoria Lectionibus suis, et Lectiones respondere Responsoriis tuis. *Hanc Vitam, sed absque Responsoriis, in eodem itinere ad antiqua monasteria Normannica deflectentes reperimus in celebri Beccensi supra Rotomagum monasterio. Et hæc quidem ita est prioris compendium, ut etiam addat aliqua ibidem prætermissa. Non tamen propterea visa est edenda : quia quidquid hinc haberi posset plenius habetur ex Osberno, qui eodem seculo* XI *floruit, et a sua adolescentia in Ecclesia Cantuariensi apud sacras* S. Dunstani *Reliquias educatus, ejusdemque Ecclesiæ postmodum Præcentor et B. Lanfranco Archiepiscopo Cantuariensi familiaris, atque consiliorum particeps fuit. Hic enim teste Guillelmo Malmesburiensi, lib.* 1 *de Gestis Pontificum Anglorum, ubi de* S. Dunstano *agit,* Romana eloquentia scripsit Vitam S. Dunstani, *hactenus ineditam ; quam damus ex duplici MS. codice, altero nostro, quem ne periret ipsi redemimus, altero ex monasterio S. Mariæ Bonifontis ad nos transmisso, invenimus autem eamdem etiam in MSS. Bodecensibus in Westphalia. Habuit porro Osbernus cum scriberet, duas supradictas Vitas, quarum alteram ait,* satis quidem eleganter, non tamen satis diligenter *scriptam* sed quantum *ad nocturnum Officium sufficiebat ; in altera desiderari elegantiam, dum auctor* nimium diligenter, quemadmodum res quæque acta sit, explicare conatur, stylo suffulto. *Habuit etiam quædam* Anglico sermone translata, *ex Vita tertia,* festiva pariter ac bene ordinata, *quæ (dolor) cum aliis pluribus scriptis incendio Dorobernensis ecclesiæ consumpta sit. Adjungit Osbernus alterum librum, de Miraculis post obitum* S. Dunstani *patratis : quorum plurima coram se, et in B. Lanfranco, et in ipsamet etiam propria persona sua asserit patrata.*

Alia Vita auctore Adalardo Blandiniensi omittitur;

tertia Vita auctore Osberno,

datur ex MSS.

3 *Alius seculo duodecimo vixit in Anglia scriptor variarum Vitarum Sanctorum in Comitatu Suffolcensi natus, postea in Westmonasterio apud Londinenses monachus,* Osbertus *nomine, et ob nominis cum Osberno vicinitatem apud aliquos auctores non satis distinctus. Sub hujus nomine habetur Vita* S. Dunstani *in nostro quodam insigni Legendario MS. Acta Sanctorum Maji ac Junii continente, extatque impressa apud Laurentium Surium, et pleraque habet ex Actis ab Osberno scriptis contracta, nonnullis hinc inde adjunctis, quæ nos ad alia Acta annotamus. Cetera omittimus, cum apud dictum Surium videri possint. Extat et Vita apud Capgravium in Nova Legenda Angliæ olim edita, sed ex jam relatis Actis desumpta. Solum sub finem additur hic titulus :* De Translatione autem corporis S. Dunstani de Cantuaria ad Glastoniam, sicut

Aliæ Vitæ apud Surium et Capgravium,

A sicut in monasterio Glastoniensi scriptum inveni, hic inserens, opiniones varias peritioribus discutiendas penitus reliqui. *Verum ea relatio non congruit cum iis, quæ Osbernus scribit lib.* 2 *num.* 16 *de corpore a B. Lanfranco translato, ipso tunc præsente Osberno. Quia tamen tomo* I *Monastici Anglicani pag.* 3 *referuntur* Sancti in Ecclesia Glastoniensi quiescentes, *et dein pag.* 4 *ista adduntur* : Ibidem etiam requiescit S. Dunstanus, Archiepiscopus et Glastoniensium Pater magnificus; *arbitramur istam translationem post tempora Osberni et Osberti scriptorum factam fuisse, et perperam attributam anno millesimo duodecimo, quo regnabat Ethelredus, non filius* Edmundus, cognomento Yrensyde *seu* ferreum latus : *qui anno* MXVI, *quo pater ejus nono Kalendas Maji obiit, de regno cum Canuto concertavit, et eodem anno circa festum S. Andreæ vita functus est. Interim apud Capgravium, anno* MXII, *regnante dicto Edmundo, translatio facta dicitur. Potuit hic* Edmundus, *nondum Rex, Glastoniæ fuisse, et ejus consilio facta esse aliquot ossium* S. Dunstani *translatio, quæ passim sit credita translatio corporis* S. Dunstani : Per cujus intercessiones et merita *ut addit Capgravius,* Deus ibidem non cessat operari magnalia, mortuis vitam, infirmis sanitatem crebrius restituendo, brutis etiam plurimis in periculis subveniendo. *In historia ecclesiæ Cathedralis S. Pauli Londinensis, edita a Guilielmo Dugdale, pag.* 234 *ista leguntur* : Item unum vas argenteum deauratum, ad modum cupæ factum, continens Reliquias SS. Oswaldi, Albani, et Dunstani : *quæ utinam supersint, et venerationem sibi debitam aliquando recipiant, una cum reliquiis sancti corporis partibus, ubicumque nunc asservatis.*

ubi de corporis translatione.

B

4 *Edmundo mortuo, Canutus Rex Angliam sub suo dominio habuit, et leges Ecclesiasticæ tulit, quas Spelmannus edidit idiomate Saxonicorum duplici versione Latina, altera Lambardi Saxonicæ apposita, altera ex prisca versione seorsum edita. In priori cap.* 24 *ista leguntur* : Sane quidem annua Divorum Edowardi et Dunstani festa religiose ab Anglis decimo quinto Kalendas Aprilis et decimo quarto Kalendas Junii Sapientes instituerunt. *In posteriori versione ista leguntur.* Sancti Regis Edwardi gloriosum passionis diem per totam Angliam volumus celebrari XV Kalendas Aprilis, et S. Dunstani XIV Kalendas Junii, et sit in sanctis observationibus, sicut vere justum est, Christianis omnibus pax et concordia, et omnis ira tollatur etc. *Recte autem in priori versione dicuntur* Sapientes *ea festa* instituisse *ante Canuti tempora. Nam jussu S. Elphegi Archiepiscopi Cantuariensis, anno* MXII *occisi, supra relatus Adalardus monachus Blandiniensis Vitam* S. Dunstani *in duodecim Lectiones et Responsoria distribuerat, ut in Officio Ecclesiastico recitarentur : et dein secuti scriptores Angli, dum de* Dunstano *egerunt,* Sanctum *appellarunt, longioraque encomia ex Actis retulerunt : inter quos eminent Wilhelmus Malmesburiensis lib.* I *de Gestis Pontificum Anglorum, et Gervasius monachus Dorobornensis in Vitis Pontificum Cantuariensium.*

Festum S. Dunstani sub Canuto Rege confirmatum.

C

Cultus in Breviariis,

5 *Habemus Breviaria secundum usum Ecclesiæ Sarum seu Sarisburiensis anno* 1449 *et* 1557 *excusa : in quibus ad hunc* XIX *Maji præcipitur Officium solenne novem lectionum, rubris characteribus in Kalendario indicatum : et sex priores Lectiones breves continent aliquod compendium vitæ, Responsoria autem sumuntur de Communi Confessoris Pontificis, Oratio vero hæc præscribitur.* Deus qui Beatum Dunstanum, Pontificem tuum, ad regna transtulisti cœlestia, da nobis per gloriosa ejus merita ad gaudia transire perennia Per Dominum etc. *Habemus aliquod Martyrologium antiquum in pergameno, conscriptum in Anglia seculo* XI : *in quo sub finem hujus diei* XIX *ista leguntur* : Eodem die transitus B. Dunstani, Archiepiscopi et Confessoris. *Ejusdem etiam memoria celebratur in* D *MS. Ultrajectino Ecclesiæ Cathedralis S. Mariæ, cui subjungitur tabula Paschalis ab anno* MCXXXIX, *ut circa illud tempus videatur conscriptum. Secuti passim Martyrologi posteriores, ut sunt Auctor Florarii MS. Auctor Martyrologii Coloniæ et Lubecæ anno* 1496 *excusi, item Grevenus et Molanus in Auctario Usuardi, Galesinius, Canisius, aliique cum Martyrologio Romano et Anglicano, item Monastico Wionis et aliorum. Et Wion quidem asserit* migrasse anno Domini MI, *citatque Trithemium : ast hic recte lib.* 3 *cap.* 221 *et lib.* 4 *cap.* 100 *scribit mortuum esse anno* DCCCCLXXXVIII, *uti reliqui scriptores : inter quos est Vincentius Bellovacensis, ab illo citatus ; qui de* S. Dunstano *agit libro* 24 *a capite* 72 *ad* 81, *in quo asserit,* animam ejus de habitaculo sanctissimi corporis egressam anno duodecimo minus a millesimo, *uti apud Osbernum, a quo sua Vincentius desumpserat, legebatur : is autem est annus nongentesimus octogesimus octavus. Longum ejusdem elogium concinnavit Petrus de Natalibus lib.* 8 *cap.* 49, *ejusque obitum retulit ad diem* VII *Septembris. Petrum secuti sunt more suo Richardus Wilfordus, in suo Martyrologio Anglice anno* 1526 *Londini excuso; Maurolycus, Felicius, et Ferrarius in Catalogo generali. Ast in Martyrologio Anglicano Wilsoni appellatur dies Translationis, sed ex propria conjectura. Subnecto hisce, quæ Eadmerus monachus Cantuariensis, in Historia Novorum in Anglia, habet, dum librum primum ita auspicatur.* E

et Martyrologiis,

etiam 7 Septembris.

6 Regnante in Anglia gloriosissimo Rege Edgaro, et totum regnum sanctis legibus strenue gubernante, Dunstanus Cantuariorum Antistes, vir totus ex virtutibus factus, Christianæ legis moderamine totam Britanniam disponebat. Hujus gravi operatione atque consilio Rex idem et Deo devotus extitit, et undique irruentium barbarorum impetus invicta virtute debellavit, evicit, compressit. Pacem itaque diesque felices Anglia circumquaque obtinuit, dum Regis istius et Patris Dunstani corporali præsentia potiri promeruerint. Qui Rex cum vitæ suæ diem ultimum propinquum fore sentiret, Edwardo filio suo regni habenas reliquit. Successor ergo gloriosi Patris gloriosus Edwardus, a Sancto Dunstano institutus, regnum, quo tempore vixit, strenuissime rexit. Verum evolutis coronæ suæ paucolis annis, impia suæ novercæ fraude necatus, fratrem suum, Edelredum nomine, filium ipsius malæ mulieris, regni quidem, sed nullius probitatis, heredem sortitus est. Cui, quia per sanguinem fratris ad regnum aspiravit, gravi invectione præfatus Antistes comminatus est ; quod ipse videlicet in sanguine victurus, quod barbarorum incursus atroci oppressione passurus, quod ipsum quoque regnum innumeris atque cruentis vastationibus conterendum foret, edixit. Quæ prophetia viri Dei quam vera extiterit ; et in chronicis, qui legere volunt, et in nostris tribulationibus, qui advertere sciunt, videre facillime possunt ; ne dicam in his, quæ istius operis series per loca, veritate dictante, demonstrabit. F

Encomium Eadmeri.

7 Translato igitur ad cœlestia beato Dunstano ; evestigio, ut prædixerat ipse, barbarorum irruptioni Anglia patuit. Regis etenim desidia circumcirca innotuit, et ideo exterorum cupiditas, opes Anglorum [magis] quam mortes affectans, hac et illac, per mare, terram invadere, et primo propinquas mari villas et urbes, deinde remotiores, ac demum totam provinciam miserabili depopulatione devastare. Quibus cum ille, nimio pavore percussus; non armis occurrere, sed data pecunia pacem ab eis petere non erubuisset ; ipsi suscepto pretio in sua revertebantur, ut, numero suorum adaucto, ferociores redirent, ac præmia iteratæ irruptionis multiplicata reciperent : unde modo decem millia, modo sedecim millia, modo viginti

A viginti quatuor millia, modo triginta millia librarum argenti consecuti sunt; omnia eis largiente præfato Rege Edelredo, et gravi exactione totum regnum opprimente. Inter ista mala quartus, a beato Dunstano, Alfegus, Wentanus Episcopus, Ecclesiam Cantuariensem regendam suscepit; vir strenuus, et ab infantia sua sacra religionis vita et habitu decoratus. Hic igitur, consideratis innumeris malis quibus totum regnum in immensum devastabatur, inhorruit; et quibus poterat modis operam dare cœpit, quemadmodum immanitati nefandorum hominum possit obviari. Quod ipsi percipientes, et ne consuetis quæstibus privarentur, sibi ac suis providentes, in ipsum acerbo odio animati sunt. Unde vastata et conflagrata civitate Cantuaria, civibusque ejus lacrymabili per eos forte damnatis, Ecclesiam quoque Salvatoris in ea consistentem flamma consumpsit. Ipse Pater interea furentum manibus vinctus abducitur, trucidatis primo coram eo pene omnibus monachis, qui sub ejus regimine in ipsa Ecclesia Domino Christo famulabantur. Inde Alfegus, naucellæ injectus, ad Grenewic vehitur, et crudeli custodiæ
B per septem menses mancipatus (dum malignantium iniquitati manus dare, nullis minis victus, acquiesceret) sævissima nece ab eis lapidatus occubuit. Hæc paucis commemoraverim, non historiam texens, sed quam veridico vaticinio Pater Dunstanus mala Angliæ ventura prædixerit, scire volentium intellectui pandens. Nec hic malorum finis extitit. Acta sunt enim post hæc et alia per Angliam ingentia mala, ac pluribus annis semper sunt sibi ipsis in deterius aucta. Inter quæ, monasteria quoque servorum et ancillarum Dei, quæ usque in quadraginta octo numero, tempore Regis Edgari per Patrem Dunstanum, cooperantibus sanctis Oswaldo videlicet Eboracensi et Athelwoldo Pontifice Wintoniensi, nova surrexerant, et magna ex parte diruta, et religio Monachici ordinis in nihilum pene redacta est.

VITA

Auctore B. Presbytero coævo, et teste oculato.

Ex MS. Vedastino Atrebati.

PROLOGUS.

C Perprudenti Domino Archonti Alfrico, omnium extimus Sacerdotum B. vilisque Saxonum indigena, alta polorum gaudia.

Te quidem Pastor præcelse, ob enormitatem divulgatæ peritiæ, propterque magnificam et placidam a privilegii dignitatem, ad insuperabilem mihi *a* tuitionem [ante] ceteros quosque, quamvis sint doctrina perspicui, excipiendam secernam: qui quodam luculento competentis facundiæ calamo, decentis Æditui, almi scilicet Dunstani, merita monimenta protelare conarer, ni incepta gloriosæ vitæ ipsius *b* præconia omnemque hujus opusculi definitionem degeneri vitiorum stylo, ut cernis, attaminando fœdarem. Quapropter primus præ ceteris hujuscemodi dedecus patula protestatione tuæ Serenitati profiteor, meque adeo more aligerorum, qui se, priusquam profectionis vocem emittant, alarum plausibus flagellare videntur, propriis verborum verberibus, tuis provolutus genibus, exonerans affligo. Eatenus, inquam, ut quidquid hac in editione contra orthographiæ normam compositoris vitio usurpatum repereris, imperiali potentia abradere, ac ploranti pinnicula profluentis encausti in melius ab errore reformatum emendare præcipias. Quin etiam utriusque ordinis in utroque seu sagaces, hanc quoque *c* tenuem nostri libelli segetem litterarum pedibus transmeantes, D toto cordis intuitu, tuoque *d* potius suffragio, itidem facere permoneo: astu tamen, ne rari germinis seminaria incaute calcantes deprimant; neu interea [dum] in annona depressa peritura olera penitus exstirpare nituntur, justa potius plantaria, cum malis pariter secanti intercepta sarculo, eradicando præcidant: sed execrabilia hujus superficiei lolia, quodam levi conamine, passim per locorum spatia negligenter respersa, fundotenus explodant. Si hæc mibi affectanti *e* precamina..... concedenda persentio, satis gratiosa beneficia rependenda depromo: sin autem invidis æmulorum abdicamentis refutata temnuntur, ignoratur utique quid satius inceptem, quam ut propria falcicula, licet sit scabrosa, mutilatione tenuatim obducta, propriam messem sudati laboris pro posse virium piare procedam: si tamen quodam demonstranti digitulo corrigentis indicetur, qua parte locorum inserta vitiabilis campi vituperia provocatus incidam. Ergo quoniam causa inscitiæ id fieri quod volo nequibit, id tandem quod queo velle compellor. Hoc siquidem, ut [ad] optatam prælocuti *f* Theologi mentionem (quam lepido facilitatis eulogio, vel, si E possim, *g* summatim rimatus, capitella omnemque proceram hujusce texturæ seriem, *h* chrysidineo schemate ac biformi *i* renitentis electri colore gemmatim disserere, gestiebam) nunc saltem satyrica fatuitate gressuque lapsanti quasi minus sapiens vacillando incedam. Melius tamen tantæ vitæ venustatem idoneis compositoribus (ni Beati Antistitis imminentem iram pertimescam) conscribendam reservo: quia non summa profitente, quoquam in hujus cosmi situ præstantior; ast personis omnibus, divo carens dogmate, despectior. Nam e prudentibus neminem, liberali eruditum ingenio, propemodum pernoscis; qui tam deformi facundia in scribendis prologis, ut ego, videatur abuti. Has tamen sequentes paginulas, parvo capacitatis fomite utcumque compositas, fidissima fidelium attestatione *k* purgato, si qua propria temeritate effigiata insignia in his me conseruisse diffidas, nisi forte quæ vel vivendo vel audiendo, licet intellectu torpenti, ab ipso didiceram; vel etiam ex ejus alumnis, quos a tenella juventutis ætate ad viros usque perfectos, doctrinarum pabulis decenter instructos, ipsemet educando deduxit. Acceptes, obsecro, sola septus connexione caritatis, horum apicellorum tenuem congeriem, vix *l* ebenina titulatione styloque fuscanti concretam, contra omnes invi- F sorios æmulos invicta propugnatione tuendam, non favorio deditam rumusculo, sed tuæ specialiter sublimitati collatam. In hac quippe litterali planitie, mentem magis spontaneam ambientis, quam agrestem componentis ignaviam, explorari *m* deposco: teque, sine tuæ offensionis molestia, moneo, tanti Patris virtutibus informari, exemplis ejus instrui, moribus muniri, disciplinis justificari: ut cujus extitisti successor in terris, ejus merearis perennis esse confessor in cœlis, largiente Domino nostro Jesu Christo, qui cum coæterno Patre sanctoque Spiritu vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Amen.

AUCTORE B. COÆVO EX MSS.

b Styli sui rusticitatem agnoscens,

d aliis eum offert expoliendum,

e sed indulgenter agi secum optat,

k non nisi certo comperta scripturo.

ANNOTATA.

Stylus affectata quadam phrasium insolentia obscurus, in Prologo, videtur torsisse librarios et in varia sphalmata præcipitasse; quæ ne nimis torqueant lectorem, eorum aliqua conabor per conjecturam emendare, originaria MS. Atrebatensis lectione huc relata, si quis forte ex ea congruentius aliquid possit extundere: ubi autem sola unius alteriusve voculæ transpositione res agi potuit, non credidi operæ pretium lectorem de mutatione facta monere.

AUCT. B. COÆVO EX MS.

A a *MS.* Tutiorem. b Præmia.

c Terrem, *forte* Terream. d Potitus.

e Precamina *adduntur que hæc verba*, quiscumque e nebulosorum corculis, *quæ videbantur posse abesse, donec felicior conjectura intelligibilem sensum repertisset.*

f *Videtur* S. Dunstanum *quem supra* decentem Æditūum, *quasi* dignum domus Domini custodem, *appellarat; hic nominare* Theologum.

g Summorum rimatum.

h Chysidineus, *an dicitur quasi* aureus *vel* auro intextus?

i *Prosa scilicet et versu, atque ita deinceps varios versus, sed metro perquam vacillanti invenies contextui vitæ admixtos: quod mox appellare videtur satyricam fatuitatem.*

k Purgabo. l Ebenina titulatione *indicari puto* scriptionem per atramentum (*est enim* ebenum *colore nigrum*) *et sic supra usurpavit* plorantem pinniculam profluentis encausti.

m Explorare.

CAPUT I.

Ortus, educatio, studia, mora in aula Regis, et inde expulsio.

B

Post missum ad conversionem Anglorum S. Augustinum,

Cum multorum temporum a vero cultu Christianæ religionis vacua transissent curricula, quibus vetusto errori ritu Gentilitatis gens Anglorum magis quam Christo Creatori cunctorum mancipari decernebat; misericors Dominus, ne factura sua, laqueis irretita diabolicis, in æternum damnata periret; salutis æternæ remedium ejusdem cæcitati prospexit, ac venerandum Patrem *a* Augustinum, a beato Papa electum Gregorio, ad hujus partes patriæ miseratus destinavit: qui sagaci mentis ingenio inde conversam plebem fidelium heredem sociaret beato contubernio Angelorum. Mox igitur ut vir Dei inter insciæ nationis vepres sulcum celeberrimæ doctrinæ vomeremque Dei visitationis infixit, et triticeum sanctæ Trinitatis semen inseruit; sic vipereum pereuntis lolii germen ab hac extirpavit, ut ulterius dumosi ruris rudera in ea pullulare prohiberet, et dignos Deo pœnitentiæ fructus documento pariter et exemplo debere offerri demonstraret. Itaque, qui ante eam spreverat, credidit Domino universus Albionum populus, et adjunctus est per veræ fidei agnitionem Deo suo. Hic autem, sine cujus sollicitudine parvi non succumbunt passeres, curam optimæ proventionis ob suæ status conditionis ipsi deinde adhibuit. *(et religionem Christianam stabilitam,)* C Elegit namque venturis ad se exinde liberis nutritios, Reges, Pontifices, Ducos, Decanos, Præpositos, ceterosque Ecclesiæ suæ Rectores; qui post emensa singulorum spatia gregem Deo renatum sub pacis custodia regerent cum justitia.

3 Inter hos præcipuos regiæ prælationis viros, quem Christianissimi et orthodoxi multi regnando præcesserant, quorum nunc nomina difficultas non sinit rimari per singula, gloriosus *b* Rex Æthelstanus annis succedentibus est Rex Anglorum adnumeratus. *c* Hujus igitur imperii temporibus oritur puer strenuus in Westsaxonum finibus: cujus pater *d* Heorstanus, mater vero Cynedrylis vocitatur. *(S. Dunstanus natus,)* Quem pii parentes, sacri baptismatis undis renatum, Dunstanum vocaverant. Crevit itaque puer et effectus est tam Deo quam hominibus carus. Erat autem quædam regalis in confinio ejusdem præfati viri insula, antiquo vicinorum vocabulo Glastonia nuncupata, latis locorum dimensa finibus, piscosis aquis stagneisque circumducta fluminibus, et plurimis humanæ indigentiæ apta usibus, atque sacris (quod maximum est) Dei dicata muneribus. *(et Glastoniam ductus puer)* In ea siquidem ipsius loca primi catholicæ Legis, neophyti, *e* antiquam Deo dictante repererunt Ecclesiam, nulla hominum arte D constructam, imo humanæ saluti cœlitus paratam: quam postmodum ipse cœlorum Fabricator multis miraculorum gestis multisque mysteriorum virtutibus, hanc sibi sanctæque Genitrici suæ Mariæ consecratam fore, demonstravit. Huic etiam aliud addiderunt opere lapideum oratorium, quod Christo ejusque Apostolo S. Petro dedicaverunt. Porro dehinc universorum circumquaque fidelium frequentia colebat, et jam dictæ insulæ pretiosum locum humiliter frequentabat. *(faciendas ibi postea fabricas in visione cognoscit.)* Contigit ergo hujuscemodi causis prædictum virum Heorstanum, comitante secum beato puero Dunstano, transire Glastoniam; et cum inibi causa orationis pernoctarent, ecce suavissimi soporis felicem obtexit pausatio puerum: viditque mentis excessu quemdam senem, niveo candore vestitum, per amœna se sacri templi atria ducentem, ac monastica ædificia, quæ post per ejus Pastoratum ædificanda fuerant, demonstrantem, eo ordine quo nunc statuta referuntur fuisse.

4 Postea vero religiosi pueri Dunstani parentes sacris eum litterarum otiis contulerunt studentem: *(Inter studia,)* cui confestim Dominus tantam in his largitatis suæ conferre dignatus est gratiam, ut coætaneos quosque præcelleret, et suorum tempora studiorum facili cursu transiliret: E

Sed quod contulerat sibi signum summa Majestas,
In studiis ipsis parvo pro posse patebo.
Contigit hunc laborare diu nam febribus arctis,
In tantum et phrenesis morbum pateretur amarum,
Immemor atque sui per deliramenta nugarum,
Plurima verborum vacuo jactasset ab ore.
Cladibus his fessus committitur et mulieri *(in phrenesim lapsus et ad mortem æger,)*
Cuidam, quæ tenero tunc suppeditaret alumno,
Et curam gereret sub ea ne peste periret.
At memorata lues puerum super alta premebat,
Ut velut exanimis jacuisset ad ultima stratus,
Omnibus et membris fieret quasi jam moriturus.
Cumque diu sic mole mali gravaretur operti;
Ecce repente movens *f* abiit, propereque resurgit, *f*
Fustem ac surculeum rapuit tunc forte repertum;
Quo cum percutiens ambabus partibus auras, *(ad fastigium templi noctu ascendit:)*
A canibus rabidis quasi se defenderet, ibat.
Sic quoque nocte ferunt ut ad usque peribola templi
Solivagus properaret, et inde veniret ad altos
Ascensus graduum, quo scandere summa solebant
Artifices operum, qui cum discrimine grandi
Ipsius, heu timidi! texere cacumina templi.
Illic, ut validus, summam conscendit in arcem,
Et nimis incaute super hac stetit atque meavit.
Sed Domini pietas rapuit de fastigiorum
Casibus insontem; ponens quoque inde deorsum F
Incolumem, membris, salvum, sanumque, locatum *(deinde in ipso locatus invenitur,)*
Intus in hoc idem templum, de culmine vectum;
Quo duo custodes pariter de more cubabant,
Ut simul inter eos pausaret tertius ille.
Ipse tamen nescivit, qua ratione veniret,
Excogitare modum, vivensque sub æthere quisquam.
Ostia nam templi nulli patuere meanti. *(ac templo redditus ostiis clausis.)*
Arcuit ast eadem ferrum sub cortice durum. *g* *g*
Optime nunc lector, celeri sermone fatere,
Quid tibi veridico videatur in hoc pusione:
Si talem dubites superum conscendere templum;
Qui hic clausis foribus pro salvatione ruinæ
Conditur in templo, [ut] redimat de labe maligna
Postea perplures et mittat ad æthera turmas,
Dogmata distribuens, nec non exempla relinquens.
Exurgat patiens humilis, ruat atque superbus.

Nam quanto erat crescendo sublimior, tanto acuitatis ingenio locupletior: quantoque roticulis annorum maturior, tanto Dei dilectione ferventior, quanto vero in divinis laudibus assuetior, tanto perseveranti animo instantior.

5

A 5 Videntes itaque parentes prenominati tantam sui excellentiam filii, dignum sibi h Clericalis imposuere censuram officii, inque famoso Glastoniensi ecclesiæ sociaverunt cœnobio; quatenus ibidem die noctuque Deo Deique Genitrici deserviret Mariæ, tempore continuo. Jamque disciplinis innexus deificis, florentes suæ pubertatis annos evicta juventute calcavit : et justus in domo Dei sui, sicut cedrus Libani, vigoribus virtutum floruit : inque divinis plantatus atriis, incrementi sui robora singulis diebus protendebat ad sidera. Interea tam magna suæ constantiæ fama Regis in palatio patuit, ut longe lateque magnificis rerum laudabilium divulgaretur indiciis. Non autem hujus mundi vanos captabat favores, sed copiis virtutum præventus illam æterni Regis gloriam ab intus gestabat, quam sibi pollens sapientia, docto digito donorum spiritalium, varietate etiam studiorum, nec non gemmante nitore aureorum ornatuum, dictavit. Nam multa sacrorum et divinorum voluminum prata, velut apis ingeniosa, sic rapido cursu capacis ingenii pervolavit, ut mentem potius quam corpus divinis reficeret lectionibus; et receptaculum casti pectusculi, sancti Spiritus flatu perfusum, gustu nectareo devote suppleret sensum. Porro Hiberniensium peregrini locum, quem dixi, Glastoniæ sicut et ceteræ fidelium turbæ, magno colebant affectu, et maxime ob i B. Patricii junioris B honorem, qui faustus ibidem in Domino quievisse narratur. Horum etiam libros, rectæ fidei tramitem philosophantes, diligenter excoluit; aliorumque prudentium, quos ab intimo cordis aspectu Patrum Sanctorum assertione solidatos esse persensit, solubili semper scrutamine indigavit. Ita vero vitæ suæ studium coercebat, ut quotiescumque divinæ Scripturæ libros scrutaretur, Deus cum eo pariter loqueretur : quoties autem curis secularibus solutus, orationum otiis mulcebatur; ipse cum Domino pariter fari videretur.

Regi placet ob virtutem et doctrinam :

6 Igitur dum hæc exercitia bonorum operum secum agerentur, nonnulli propriorum sodalium et Palatinorum, tum quam maxime vero consanguineorum suorum, qui salutiferis actibus ejus invidebant, sanctæ vineæ vitem palmitemque, ad cœlestia regna tendentem, Beatum videlicet Dunstanum in Christo pollentem, linguis acutis serpentium morsibusque dirorum dentium, uti hirci setigeri, rodere vel præcidere conati sunt. Conflabant enim sub livido antro nævosi pectoris inopinatam in eum scabiem mendacii, dicentes; illum ex libris salutaribus et viris pe- C ritis, non saluti animarum profuturi, sed avitæ gentilitatis vanissima didicisse carmina, et historiarum frivolas colere incantationum nænias. Huic autem morbo mendacii beatus tiro semper Christum opposuit, qui omnia, ante quam fiant, novit: in cujus persona benignus Propheta David, et fidelissimus ejus testis, oraculo præventus Spiritus sancti, in falsos auctores Dominicæ Passionis, ita inquiens ait : Insurrexerunt in me testes iniqui, et mentita est iniquitas sibi. Et iterum : Qui quærebant mihi mala, locuti sunt vanitates, et dolos tota die meditabantur. Et ipse Dominus in Evangelio ait : Beati eritis cum vos oderint homines, etc. Et auditoribus suis : Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret; quia vero de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus. Itemque Beati estis cum maledixerint vobis homines, et persecuti vos fuerint, et dixerint omne malum adversum vos, mentientes propter me. Gaudete in illo die et exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Hac ergo servus Dei Dunstanus firmissima sponsione confortatus, velut homo surdus et quasi vocem objurgationis non curans, effectus est: cum vix unquam canibus contra se latrantibus aperuerit os suum per amaræ increpationis eloquium. D Ipsi vero in machinamento malitiæ perseverantes, criminati sunt illum falsa quadam objectione coram Rege, impetraveruntque ut ab eorum consortio pelleretur : quem, si sanæ mentis essent, unice dilexissent. Deinde atrocissima impietatis prævalescente rabie, rapientes insontem quadrifidis membris, velut ovem patientem, manibusque ac pedibus restrictum, projecerunt in lutulenta palustrium loca : et ut eum in furoris sui dementia contemptibiliorem efficerent, pedibus superimprimebant : quousque secundum voluntatis eorum malitiam, in fœtenti volutabro dehonestarent. Illis autem recedentibus, vix ipse e palude fluminis quasi depicatus surrexit : et ad quemdam amicorum, uno inde distantem milliario, ut ibi se ablueret, venire disposuit. Occurrerunt vero illi canes ejusdem acerrimi : et quoniam luto deturpatum, magis monstrum quam hominem putaverunt; crudeli latratu hunc invaserunt : tamen ut blandientis vocem audierunt, mox [esse], illius ex eo tantummodo reticentes, agnoverunt. Tunc ille secum ex profundo cordis suspirio ingemiscens, ait : O sæva propinquorum meorum væsania, in caninam sævitiam de dilectionis humanitate mutata! Nam irrationabilis canum natura humanitatis mihi dilectionem cauda blandienti exhibuit : propinquitas vero humanitatis oblita, canum mihi infestantium severitatem inseruit : sic improbus ordo amborum in utrisque mutavit justam viam. E

ab æmulis arguitur, quasi gentilitati studeret :

Ps 26, 12 et 70, 13

Luc. 6, 22

Joa. 15, 19

Matt. 5, 11

AUCTORE B. COÆVO EX MS. ab aula pulsus, projicitur in fœtentem paludem:

ANNOTATA.

a *Coluntur* S. Augustinus *infra* 26 *Maji, et* S. Gregorius 12 *Martii, a quo ille missus venit in Angliam anno* 597.

b Æthelstanus *patri suo Edwardo seniori, anno* 924 *mortuo, successit. Ita passim omnes. Solum in Chronologia Saxonica, Bedæ historiæ subnexa, refertur hoc ad annum sequentem.*

c *Secuti Wigorniensis, Dunelmensis, Westmonasteriensis aliique his verbis :* Cujus temporibus oritur puer strenuus Dunstanus in Westsaxoniæ finibus, *scilicet in Somersettensi Comitatu.*

d Heorstanus, *aliis* Herstanus : *at* Cynedrydis *aliis* Kinedrida, Kinedritha *et* Chinedrita.

e *De hac antiqua traditione Glastoniensis Ecclesiæ, in citato Somersettensi Comitatu sitæ, egimus Kalendis Martii ante Vitam S. Davidis Archiepiscopi Menevensis num.* 12.

f *Adalardus Blandiniensis,* Cœlesti imo Angelica, ut vere credi fas est, medela pristinæ saluti est redditus. F

g *Idem Adalardus addit :* At matrona, cujus curæ ægrotans est creditus, usque ad transcensum pinnæ indefessa exploratrix cuncta prospiciens cœlesti prodigio fidele testimonium perhibuit. Miraculum plane divinum, cujus cum se pius puer negaret conscium, totam constat cœlitus peractum, et totum fuisse deificum.

h *MS.* Clericatus.

i *Jocelinus in Vita S. Patricii Apostoli Hiberniæ a nobis* 17 *Martii illustrata num.* 163 *enumerat inter hujus* discipulos, qui ejus Acta conscripserunt, S. Patricium filiolum ejus, qui post decessum patrui sui Britanniam remeans, in fata decessit et in Glastoniensi Ecclesia sepultus est honorifice.

CAPUT II.

Monachatus S. Dunstani. Gesta et pius obitus Æthelfledæ viduæ. Antiphona ex cithara prolata.

Intellexit igitur ille avitus humani generis inimicus,

AUCTORE B. COÆVO EX MSS.

Consilio S. Elphegi nil motus

A micus, memoratum juvenem, per sinistros nuntios invidorum sodalium quos miserat, pravis voluntatibus suis parum cessisse, quibus in eum insidiantibus armis dimicare inchoavit; sed quanta sibi tentamentorum luctamina ingesserit, sequens libelli hujus pagina partim intimabit. Primum enim mulierum illi injecit amorem, quo per familiares mulierum amplexis, mundanis oblectamentis frueretur. Interea propinquus ipsius *a* Elphegus, cognomine Calvus, Præsul quoque fidelis, petitionibus multis et spiritualibus monitis eum rogavit ut fieret monachus. Quod ille instinctu præfati fraudatoris renuntians, maluit sponsare juvenculam, cujus quotidie blanditiis foveretur; quam more monachorum bidentinis indui, panniculis. Ut autem vir Dei verba abnuentis audivit, mox ex imo pectoris suspirio petivit regna superna regentem, quatenus illi inferret correctionum suarum judicia, ut cujus monita temneret acriter agnosceret : quod, Deo misericorditer favente, in parui momenti spatio factum comprobatur fuisse. Eo namque modo turgentium vesicarum dolor intolerabili, omne corpus ipsius obtexit, ut elephantinum morbum se pati putaret, et spem vitæ propriæ penitus non haberet. Tunc festinanter, magno an- B gore correptus, misit : et ad se Pontificem, jam ante a se spretum, humili prece vocavit, et obedire se velle ejus salutaribus monitis nuntiavit : at ille visitando veniens, consolatum et emendatum Deo monachum consecravit.

a

movetur morbo ut fiat monachus,

8 Pius igitur et misericors Dominus servum suum Dunstanum ab amore mulierum taliter miseratus retraxit : qui (ut historiæ tradunt) Joannem Apostolum et Evangelistam specialiter sibi dilectum a thalamis nuptiarum revocavit. Cum hac ergo Dei correctione, et beat. Antistitis Elphegi documento salutari, sanioris effectus esset intelligentiæ, nonnumquam post ejusdem Pontificis almitati, gratia saluberrimæ doctrinæ causaque parentelæ, sedula adhærebat continuatione. *b* Interea religiosi Wintoniensium cives invitarunt eumdem Dei Pontificem ad quamdam novæ ecclesiæ dedicationem, quam in sua civitate Wintonia, qua regimen Præsulatus ipse tenebat, pro summi Numinis reverentia condiderant, in parte meridiana popularis plateæ : quæ nunc ecclesia occidentali parte omnibus ecclesiis vicinior perhibetur esse. In hujus consecratione adfuit inter alios plures cum Pontifice etiam Dunstanus, cum præcipuis unus. Qua dedicata coegerunt more humanitatis virum venerandum cum suis ad parata C caritatis convivia, lætum diem pro tanti viri veneratione proque consecrationis ducentes celebritate. Pontifex autem post gratiarum actiones cum suis imminente jam nocte surrexit, et data benedictione convivantibus tam viris quam feminis, Deum benedicendo, ad propria remeavit; et venerunt incedentes per viam ad ecclesiam, B. Papæ Gregorio consecratam; ibique subsistens Episcopus dixit B. Dunstano : Compleamus hic apud oratorium Sancti Patris nostri Gregorii nostram Completorii horam. Et accesserunt, post voces orationum, jungentes capita sua in unum : quo confessiones suas solita consuetudine vicissim proderent. Qua peracta dum daretur ab Episcopo delictorum remissio, lapis permagnus ab alto aere irruit : et parcente Domino, inter utraque capita vehementi lapsu in terram corruit : tantumque tangens capillos utriusque capitis, nullum eorum læsit; quem, ni fallor, ille malignus cujusque justi operis inimicus, ex improbitatis suæ jaculis furendo dejecit, quasi geminam iram in utrisque foret ulturus.

illique adhæret :

b

cum eodem a dedicata ecclesia rediens

capitali periculo liberatur.

9 Contigit autem iisdem temporibus quemdam Glastoniensis Ecclesiæ Diaconem, nomine Wulfredum, mortem subiisse temporalem : qui B. Dunstano, tempore dum viveret, prælatus *c* pariter extitit D et familiaris amator. Hic ergo non admodum longo tempore post discessum apparuit ei gaudens, multa de cœlestibus incognita, insuper etiam omnem seriem vitæ suæ, suæque futuræ ætatis, et eventuum bonorum malorumve fata definiens. Auditis vero beatus vir tantis mysteriorum luminibus, talibusque inevitabilibus vitæ suæ casibus, ait in excessu mentis positus : Si quæ certo relatu affirmas vera sunt et credenda, unde cognoscam? Quibus signis patulæ demonstrationis illa mihi patebunt? At ille duxit eum in atrium templi, quo corpora defunctorum humata quiescunt : digitoque demonstravit Australi ecclesiæ parte locum inconvulsum, et dixit : Quia hæc, quæ tibi retuli, vera sunt; evidenter scito, quia hoc in loco ante triduum Presbyter quidam sepelietur, et nondum infirmatur : corpusculum vero ejus ab Occidentali parte templi præsentis tumulandum deferetur. Ad hanc visionis vocem Beatus expergefactus Dunstanus, postque horam primam diei memor miræ revelationis, cum quibusdam in prænotatum sibi spiritualiter cœmeterii locum venit; nec non accipiens lapidem unum jactabilem, in eum projecit, hocque addidit : Si vera sunt quæ in somnis E vidi, quidam Presbyter hic ante triduum debet humari. Porro recedentibus illis venit cujusdam Æthelfledæ, nobilissimæ ac religiosissimæ matronæ, Magister et Sacerdos cum alio sociorum contubernio, et obtinuit sibi inter aliqua eloquiorum famina eumdem locum in sepulturam, dicens : Cum mortuus fuero, hic precor sepelite me. Erat siquidem ipse multorum testimonio adhuc in corpore sanus : sed cum inde post paucum abiissent, gravi morbo finitimæ vitæ sarcinatus est : deinde in nocte futura extremum spiritum Christo Domino commendavit, et ante triduum in ipso suæ electionis loco, qui B. Dunstano prius assignatus fuerat, sepultus est.

c De futuris sibi præmonitus apparentis

certior redditur alterius obitu,

ut dictum erat intra triduum sepulto

Tunc Domini servus sensit per secula faustus,
Talibus ex signis fuerant quia cuncta futura,
Quæ sibi jam dictus Wulfred sermone ferebat :
Visibus atque istis humilis sapiensque beatus,
Felix et validus, cautus, castusque refulsit,
Ante Deum vel ante homines per tempora vitæ.

10 Nunc cœptum sermonem paulatim differendo intermitto, donec quædam brevia verba, quæ omittenda non autumo, parvo proferam eloquio. Erat namque quædam prædives Matrona, regali ex progenie orta, sed strictis nodis divinæ religionis innexa, cujus nomen brevi mentionis attactu nuper F contigimus. Hæc post amissum virum, vitam ducere *d* vidualem pro virium qualitate desiderans, casulas sibi commanendi in affinitate sacri templi ad plagam Occidentalem constituit, ut pro regni cœlestis desiderio ibidem Domino Jesu Christo die noctuque non desisteret famulari. Huic vero semper Beatus adhærebat Dunstanus, qui hanc præ ceteris modis mirabilibus adamavit : ejusque, causa religionis simul etiam propinquitatis, egestatem sedulo sublevavit. Non est autem nostræ possibilitatis enarrare per singula verborum eloquia, qualem vel quantam se in divinis præpararet obsequiis. Dominus tamen omnium inspector secretorum, tam in ultimis metæ suæ temporibus, quam etiam dum in hoc mundo deguit, cujus esset meriti declaravit. Hæc igitur omne semen Regium, de quo ipsa nobilitatis originem duxit, intimo caritatis ardore dilexit : ideoque gratia dulcedinis de suis sæpe rebus Regibus ministravit. Ex hac ergo pia consuetudine glorioso Regi Æthelstano prandium quod potuit obvia præparavit, quia hunc causa precaminum Glastoniam venisse præscivit. Scientes vero ministrationis Regiæ prævisores, quod dedisset Rex nepti suæ divertendi ad se promissam, venerunt die præcedenti ad

Æthelfleda vidua S. Dunstano honorata.

d

Æthelstanum Regem excipit convivio

A ad videndum, si omnia paratuum ministeria habilia fuissent vel apta. Et conspectis omnibus dixerunt ad illam [a]: Universæ ministrationis sufficientiam habes, si tibi medonis *e* liquor non defuerit. At illa, Non patiatur Domina mea, sancta Mater Domini mei Jesu Christi Maria, ut ille mihi vel quid in Regio dignitate deficiat Et hæc dicens, antiquam Dei genitricis Mariæ ecclesiam quantocius intravit, seseque ibi rogatura prostravit, diu deposcens superni Regis opulentissimum sibi adesse supplementum, ad augendam Regis ministrationem. Quid ergo? Venit Rex, stipatus multo comitatu, ad tempus præfinitum; et post precum Missarumque celebrationes, lætus invitatum introivit ad prandium. Et tunc quidem in primo propinatu exhausere illud vas medonis, ad unius palmulæ mensuram: et sic postea Deo augente et beata promerente Matrona, nil minuens substitit, pincernis, ut assolet in regalibus conviviis, cornibus scissis aliisque indiscretæ quantitatis vasibus totum diem propinantibus. Quod dum mirabile factum Rex ipse relatu ministrantium audisset, ait mente immutatus ad suos: Peccavimus, nimis hanc famulam Dei superfluitate multitu-

et multiplicato divinitus mulso,

B dinis nostræ aggravantes. Et surgens, salutata nepte, subit viam suam.

11 Cœpit autem hæc famula Dei, transacto beati certaminis cursu, proximante jam fine, ex humano jure graviter infirmari: cui B. Dunstanus causam providendi solers exhibuit, et quasi propriam matrem unice custodivit. Contigit ergo his impedientibus curis, ipsum horis Vespertinalibus abesse, et cum psallentibus more solito non fuisse catervis: ipso tamen finiti diei crepusculo, cum se sequentibus scholasticis, ibat ad jam obseratam ecclesiam, ut tardatum compleret Officium. Et dum foris ante ostium ecclesiæ psallenti gratia staret, vidit eminus ex Orientis cœli climatibus prorumpentem niveam columbam, mira pulchritudine et nova specie renitentem. Erant vero extremitates alarum suarum igni scintillanti consimiles, ex quibus volatus fulminei *f* ictuantibus pennis sparsim fundebantur per aera: quæ ad beatæ Matronæ atria celeri meatu convolavit. Beatus autem Dunstanus, infirmæ amicæ non immemor, continuo perpletis psalmodiis regressus est; et veniens audivit illam intra suorum septa velaminum, seriis sermonibus, quasi cum quodam familiari amico, per vices verborum sermocinantem. Accessit ergo humane ad considentes ancillulas, observatrices Dominæ suæ: et mirans, cum quo lo-

ejus ægrotantis curam suscipit S. Dunstanus,

et cum Spiritu S. in via sibi viso loquentem invenit;

C queretur, interrogat. At illæ, se nescire dixerunt: sed, Antequam tu, inquiunt, venires, immensi splendoris jubar totum hoc cubiculum rutilando replevit: et postea cessante lumine, ipsa (ut ipse nunc audis) loqui erga loquentem non cessavit. Tunc quidem paulatim et ipse spectando resedit, donec illa quodammodo a loquela quiesceret. Et dum ea etiam ab eloquio quievisset, mox ad illam rejectis velaminum anfractibus intravit, et cum quo loqueretur ipsam familiariter interrogavit. At illa dixit ad eum: Tu quoque illum, antequam huc venires, venientem vidisti, et nunc cum quo sim locuta interrogas? Ipse enim mecum loquebatur, qui tibi psallenti dum stabas ante ostium ecclesiæ, apparuit: qui et mihi modo omnem exitus mei rationem per ordinem nuntiavit. Vobis tamen amicis meis non est admodum necesse contristari de me, quoniam mihi morienti Dei mei misericordia *g* obviabit, et paradisi gaudia misericorditer intrare concedet. Tibi autem, quasi singularis amicæ ministro, id operis impono, ut tu quoque mane mature mihi facias balneas accelerare, et funerea vestimenta quæ mecum sum habitura præparare, postque corporis lavationem Missas celebrare, et mox tempore participationis sacri San-

sacramentaque eidem ministrat.

guinis Corporisque Domini nostri Jesu Christi communionem accipere, ut sic eodem momento viam universæ nationis, Domino ducente, incedam. Quod, ille instantissime, parens in omnibus beatæ Matronæ præceptis, ne ultimam prævisionis suæ custodiam, tædio quoque tarditatis submissam, torpenti curæ committeret, adimplevit. Sed et illa quod sibi de se in nocte hoc in die futurum [erat ostensum] ordine quo prædixerat certissime complevit; ita inquam, ut post Missæ mysterium, post saluberrimum Eucharistiæ gustum, ipsa pariter cum finita Missa vitam felicem in Domino Jesu Christo finiret.

D AUCT. B. COÆVO EX MS.

Tunc prævisor ovans, animam cum forte propinqua
Commisit Domino, tumulans sub honore cadaver,
Et sua dat sanctis, sicut antea ipsa volebat;
Corpore dum vixit. Sed et assecla liber abibat
Optans hoc, Domini requiescat ut in suavitate.

12 Hic etiam inter sacra litterarum studia, ut in omnibus esset idoneus, artem scribendi, necnon citharizandi pariterque pingendi peritiam diligenter excoluit: atque ut ita dicam omnium rerum utensilium vigil inspector effulsit. Quapropter nobilis quædam matrona, Ædelpyrm nuncupata, quodam momentulo vocavit eum familiari precatu ad se: quatenus ille ad divinum cultum, quamdam stolam sibi diversis formularum schomatibus ipse præpingeret, quam postea posset auro gemmisque variando pompare. Quod cum veniendo fecisset, sumpsit secum ex more citharam suam, quam lingua paterna hearpam vocamus; quo se temporibus alternis mentesque ad se tendentium jocundaretur in illa. Tunc quippe quadam die post prandium, dum ad iterata opera tam ipse quam prædicta matrona cum suis operatricibus reverterentur, ex eventu mirabili contigit, ut hæc eadem beati tironis cithara, pendens in cubilis pariete, audientibus cunctis sponte sua sine tactu cujusquam, jubilationis modulum alta voce personaret. Hujus enim Antiphonæ melodiam concinendo personuit, et ad finem usque serie cantando perduxit: Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo regnabunt in æternum. Quod cum audissent, perterriti tam ipse quam memorata matrona, omnesque operatrices ipsius, obliviscentes omnino operum in manibus attoniti sese invicem aspiciebant, satis mirantes quid illud mirabile gestum novi præfiguraret exempli.

S. Dunstani citharo parieti appensa,

E

ultro sonat.

F

ANNOTATA.

a *Acta* S. Elphegi *dedimus* 12 *Martii, non tamen elogium hujus auctoris; sed aliorum. Præfuit Ecclesiæ Wintoniensi ab anno* 935 *ad annum* 951.

b *Sequentia ad Acta* S. Elphegi *possent addi, tunc non perlecta.*

c *An* Præcarus *vel* probatus?

d Ethelfleda, *Westmonasteriensi* Elfleda, *etiam vidua dicitur, in Martyrologio Anglicano ad* 13 *Aprilis ut* Sancta *relata, perperam* Virgo *appellatur, et quia eam antiquioribus Fastis necdum inscriptam legimus ad hanc Vitam lectorem remisimus. Sed hinc etiam refutatur Westmonasteriensis dum ad annum* 929 *hæc referat, cum puerulus esset S. Dunstanus*

e Medo *mulsum, hydromel, vox Saxonica eademque Teutonica.*

f *MS.* volatum fulmineum... fundebant: Ictuare *autem videtur hic esse* percutere. g *Idem* obibit.

CAPUT

AUCTORE B. COÆVO EX MS

CAPUT III.

Res gestæ sub Edmundo Rege. Abbatia Glastoniensis suscepta, dæmonum insidiæ evitatæ.

a *Ab Edmundo Rege vocatus ad aulam,*

Deinde autem defuncto Rege *a* Æthelstano, et statu regni mutato, Regis succedentis, Eadmundi scilicet, sublimitas B. Dunstanum, qui vitæ probabilis et linguæ exstiterat eruditæ, conspectibus ejus adesse præcepit, ut etiam ipse inter Regios Proceres et Palatinos Principes annumeraretur electus. His ille imperiis temere non resistens, sed memor potius Dominici præcepti, quæ Regis erant Regi, quæ autem Dei Deo reddere festinavit. Similiter, autem *b* B. Jacobi Apostoli admonitus jussione. Omni humanæ creaturæ maximeque potenti se subdere non cessavit, sive Regi quasi præcellenti sive Ducibus tamquam ab eo missis, ad vindictam malorum, laudem vero bonorum etc. Non minus vero, ni fallor, B. Pauli Apostoli infra comminiscens, qui ait: Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita est: non est enim potestas nisi a Deo: quæ autem sunt, a Deo ordinata sunt: itaque qui resistit potestati, Dei ordinationi resistit; qui autem resistunt ipsi, sibi damnationem acquirunt. Et iterum, Reddite ergo fratres omnibus debita, cui tributum tributum, cui vectigal vectigal, cui timorem timorem, cui honorem honorem: et item huic eidem Apostolo in ipsa sua electione Dominus dicebat: Durum est tibi contra potestatis meæ stimulum calcitrare. Hæc enim et his similia sacrarum Scripturarum præcepta B. Dunstanus in sinu cordis sui diligenter abscondit, ne peccaret Domino: sed in mandatorum ejus eloquia, faucibusque ipsius super mel et favum dulciora, lucernam veri luminis pedibus suis, quibus vias Domini ambularet, disposuit *c*. Et postquam se mandatis Dei sui cordatius edoctum vel illuminatum agnoverat, juravit secum et firmiter statuit in cordium suorum secretis, custodire fine tenus judicia justitiæ suæ, ut idem Dominus de hac eadem sententia alibi dicebat, Qui perseveraverit usque in finem hic salvus erit. Et iterum: Esto fidelis usque ad mortem, et dabo tibi coronam vitæ. Sic namque, quamvis laboriose, una cum sublimibus in regali palatio diu degebat, binas habenas sacro moderamine tenens, legis videlicet et theoricæ, nec non et practicæ vitæ Videntes vero nonnulli commorantium Militum hanc *d* conversationis suæ constantiam, cœperunt eum unica caritatis dulcedine vel germanitatis amore diligere. Perplures autem e contrario nebulosis mentibus obducti, cœpere eumdem Dei virum amarissimo odio vanitatis detestari, et prosperitatibus ipsius morte-tenus invidere. Hi nimirum execratores, in augmentum malitiæ suæ quoscumque alios poterant, ad persequendum etiam famulum Dei deposcebant. Tamdiu enim circa illum torserunt funiculum iniquitatis eorum, seipsos potius in eo nexuri quam illum, ut ipsum Regem infectum vitiis ipsorum attaminarent, et credulum fallaciis eorum efficerent: qui continuo, ut prius fuerat ab iniquis instructus, magno furore permotus, jussit eum ablata dignitate, etiam omni honore privari, et sibi seni: *e* moratum ubi vellet, sine se suisque conquirere. Erant autem apud *f* Ceodriun, ubi hæc facta fuerant, viri venerabililes, regni videlicet *g* Orientis nuntii, cum Rege tunc hospitantes: quos ille quasi jam exilio deputatus, aliud sibi ignorans consilium aggressus est, id orans ne se relictum a Rege ipsi desererent, sed secum ad patriam quamvis ad incolatum perducerent. At illi mœstitiæ ipsius compatientes, spoponderunt ei quæque regni sui commoda, si secum comitaturus adiret.

b Matth. 22, 21. 1 Pet. 2, 13

Rom. 13, 1 et 2. *obedienter venit;* et 7.

B

Act. 9, 4.

c

Matth 10, 22. Apoc. 2, 10.

d

C

sed agentibus invidis inde pulsus,

e

f

g

legatis Essexiis se adjungit.

D

14 Ibat itaque Rex mox altera die, quo se una cum suis more solito jucundaretur venabulo: et dum ad silvas venaturi perveniunt, diversos calles nemorosorum tramitum certatim arripiunt. Et ecce ex multimodo corniculantium strepitu canumque latratu, multi cervorum levem fugam inierunt: ex quibus Rex solus cum canum caterva unum sibi venaturus excepit: et hunc diu per diversa devia equina agilitate canumque insectatione fatigavit. Est autem ibi in proximis locis Ceoddis quoddam inter alia plura præcisi montis præcipitium, mira quidem et immensa profunditate devexum: ad quod idem cervus, nescio quo pacto, nisi ex Dei et occulto arbitrio, fugiendo devenit; et præceps sese in ima ejusdem præcipitii una cum canibus sequentibus demersit, et particulatim attriti in mortem pariter corruerunt. Similiter autem et Rex sequens cervum et canes, cum magno volantis equi impetu venit, et statim viso præcipitio cursum accelerantis equi, quantum quibat viribus, retinere conatus est. Sed quoniam colli contumacis et rigidæ cervicis erat, non potuit. Quid multa? Omni spe vitæ suæ ablata, in manus Dei sui animam commendavit, dicens tamen intra se: Gratias tibi ago, Altissime, quod me non memini aliquem his diebus læsisse, nisi solum Dunstanum: et hoc prompta voluntate et vita servata reconciliatus sibi emendabo. Ad quod dictum, Beati viri meritis, restitit equus (quod jam horreo dicere) in ultimo præcipitii cespite, ubi pedes priores equi ipsius pene fuerant in ima voraginis ruituri. Tunc ille corde pariter et ore maximas Deo pro vitæ suæ restitutione gratias referebat et laudes, secum plane intelligens, et sæpius in cordium suorum secretis recompensans, se esse pro tanti viri vindicta finitimæ morti ferme deputatum: et veniens domum, jussit sibi propere B. Dunstanum magna cum festinatione advocari. Qui cum vocatus venisset, ait ad eum Rex: Festina quantocius præparare tibi caballum, ut possis mecum parvo comitatu quo iturus sum ire. Et continuo ascensis equis, viam quæ ducit Glastoniam recto tramite tenuerunt: et cum illuc ducatu pervenerunt, ecclesias Dei, ut oportuit, oraturi intraverunt. Et statim precibus impletis, tersisque ocellis e lacrymarum rivulis, Rex iterato vocaverat ad se famulum Dei Dunstanum: et apprehensa ejus dextera, causa placationis seu etiam dignitatis osculatus est illum: ducensque ad Sacerdotalem cathedram, et imponens illum in eam, dixit: Esto Sedis istius princeps potensque insessor, et præsentis ecclesiæ fidelissimus Abbas: et quidquid tibi ad divini cultus augmentum vel ad sacræ Regulæ supplementum de propria adminiculatione defuerit, ego illud Regia largitate devote supplebo.

Mox venatum egressus Rex,

periclitatur de vita: qua servata E

Dunstanum revocat,

et Abbatem Glastomiensem facit

F

15 Igitur post hæc servus Dei Dunstanus jam dictam dignitatem jussu Regis regendi gratia suscepit: et hoc prædicto modo saluberrimam S. Benedicti sequens institutionem, primus Abbas *h* Anglicæ nationis enituit: sicque spontaneum ex affectu cordis famulatum Deo reddere devovebat. Tunc ergo perprudens Opilio primum septa claustrorum monasticis ædificiis ceterisque immunitionibus, ut jam olim a quodam sene sibi denotatum per revelationem fuerat, ex omni parte firmiter munivit; ubi oves Dominicas, longe lateque gregatim collectas, ne a lupo invisibili dilaniarentur, includeret. Deinde idem Dei dogmatizator aggregatum cœnobium sibique commissum divini verbi cœpit fomento nutrire, et fonte superno, sacræ scilicet Scripturæ mellifluo documento potare, docens per angustas hujus vitæ semitas ad æternas delicias epularum cœlestium esse transeundum. Pater namque omnibus pene circumquaque fidelibus, quod post paucorum annorum

h

Ex ejus disciplina petiti passim Prælati sancti.

A rum intercapedines, discipuli, quos ipse teneros in veræ fidei vitem, Christum videlicet et Dominum, suadendo inseruerat, ubertim crescebant, et fructum boni operis morigera venustate ferebant. Quodque post hæc plurimi Ecclesiarum Pastores, documentis illius et exemplis instructi, ad diversas jam civitates vel ad alia Sanctorum loca petebantur, electi ut essent inibi sacri regiminis et normæ justitiæ imbutores, Præpositi videlicet, Decani, Abbates, *i* Episcopi, etiam Archiepiscopi, ceteris ex Ordinibus præstantissimi Quicumque autem de discipulatu ipsius iisdem temporibus corporeis nexibus finetenus enodati, necem subierunt invitabilem, alta polorum gaudia procul dubio petierunt.

Ipse fugat dæmonem apparentem sub specie ursi

16 Cumque veternus invisor mente perspicaci compereriret quod beatus Pater, equidem Dunstanus, tantas sibi turmas diripiendo e manibus extorsisset, fraudibus quibuscumque valuit adversari sibi, sicut jam superius loqui cœpimus, diebus ac noctibus non cessavit. Nam quadam nocte, dum athleta Dei infra septa claustrorum psalmodiis vigiliisque constans immoraretur, apparuit ei Dei et hominum inimicus, hispidus et horrens in ursina specie, volens eum B quodammodo torva imaginatione perterrere, et ab opere satis sibi contrario dolositatis industria aliquatenus dissociare. Sed cum Agonista Dei monstrum hoc inimicale spiritali magis quam corporali intuitu perspexisset; eo securior inceptis Dei laudibus velut vir invictus perduravit. Postea autem parvo intermisso momento adfuit illi iterum, non in prioris lusionis effigie, sed in canina satis sibi condigna specie, ut sunt fraudes ipsius in omnibus improbæ; quatenus hunc simulata caunm sævitia impediendo deluderet, et ab orationis studio, si quo potuisset ingenio, sequestraret. Nequidquam tamen tenax ille tentator in famulum Dei nefandis versutiæ suæ fraudibus insaniit: quem undique armis fidei fulcitum fuisse comprobavit: ideoque ex eodem prædicto sancta Crucis spiculo, quod semper secum chira *k* dextera convehebat, repercussus adnihilatus est. Sed et ipse nihilominus in laudem Christi sui, spretis adversarii tentamentis, manebat intrepidus. Addidit quoque idem perfidus draco more vipereo tertio reserpere, probans si forte adhuc virum Dei remissioris animi ad vincendum invenisset: et tunc quidem ex improba cordis compositione sese mutavit in turpem vulpeculam, ut vel sic famulum Dei cauda quatienti varioque discursu ab intentione C Dei sui everteret. Quem cum beatus Pater Dunstanus toties transmutatum vidisset, subridens dixit illi: Vade jam, inimice, quia nunc tibimet satis sitis effectus apparuisti, factoque Crucis signaculo inimicus disparuit.

k, ac vulpis,

iterumque sub specie ursi

opprimere dormitantem conantis

17 His et hujuscemodi armis larvalibus sæpe seductor antiquus beatum Patrem Dunstanum, licet inani conflictu, fatigavit: velut etiam tempore quodam, dum in orationis opere ante altare Martyris Christi Georgii vigilando desudaret. Ignoratur itaque quo casu, utrum ex præfati fraudatoris injectione, an ex vigiliarum continuatione, sibi subito inter Pallentia verba lenis soporis dormitio irrepserat: visumque est illi, nec ut ita dicam penitus dormienti, quod hispidus ursus, ingens et horribilis, magno cum impetu veniret, poneretque pedes horrendos, ad dilaniandum præparatos, super utrumque humerum illius sedentis, avido quoque hiatu superstans, quasi ad devorandum eum. Cumque vir Dei ex illato terrore funditus evigilaret, arripuit quantocius quem secum semper manu advehebat baculum, nisus ex humano furore nefandum monstrum percutere: ictu tamen supervacuo percussit templi parietem, maximum plausum per omne templum audientibus reddens. Ipse autem in se regrediens, validioris pugnæ congressus iniit, hunc videlicet Psalmum D sacri certaminis decantando, Exurgat Deus, usque, sic, Pereant peccatores a facie Dei, ut supra: nam eo in loco superatus a somno, psallendi studium dereliquit, et confestim, ut aiunt, in hoc resumpto psalmodio, ille nebulosus illusor agnitus est, velut umbra nigerrima in prædicto schemate confusus abscedere.

AUCTORE B COÆVO EX MS

Dum Wulfrici fratris funus expectat,

18 Erat namque huic eidem viro Dei ex humana parentum propagatione quidam germanus, nomine Wulfricus, quem sibi forinsecus in villarum suarum negotiis potentem præpositum, ne vel ipse vel quispiam ex monastica professione foris vagaretur, inepta rei secularis discussione, constituit. Hic nempe post emensum temporis sui spatium, letali conditione præventus, temporalem necem obeundo subibat. Hac de causa contigit omnes præscripti templi monachos ad funus ipsius exisse; nullumque, excepto Abbate solo parvoque scholastico (qui postea Pontifex effectus, hæc nobis intimavit) domi remansisse, ut cum sacris exequiis exanime corpus ad monasterium, quo tumulandum erat, perducerent. Interea Abbas cum eodem scholastico ambulabat, ad videndum (ut autumo) si jam Fratres cum E defuncti corpusculo propinquassent. Et dum semper ex more psallendo incederet, venit ex improviso ultra antiquam ecclesiam quoddam missile saxum, vehementi volatu conatu beati Patris caput collidere: sed Deo defendente nequibat: verumtamen pileum, quo caput velabat, procul quasi perticam unam a capite decussum projecit. Qui conversus dixit secum incedenti scholastico: Accelera ergo, et cape quantocius hoc rotabile saxum, ut deferas eum conspiciendum ad me. Quod cum ille nimis ponderosum ex jussu Patris vix elevando reveheret, ait venerandus Pater Dunstanus: O adversans inimice, jam diu ex industria maligna hujus mihi lapidis ictum insidians præparabas. Non enim erat testimonio multorum hujusmodi lapis, admodum magnus vel modicus, in his Sumersetensium *l* finibus, nisi forte in quibuslibet lapideis operibus: et idcirco palam patuit de cujus improba manu emissus prosilivit. Verumtamen post hæc jussit ipsum saxum, licet in sui detrimentum missum fuisset custodiæ innexum quasi pro testimonio reservare.

servatur illæsus ab ingenti lapide.

ANNOTATA.

a Æthelstanus *Rex mortuus est anno* 940, *die* VI *Kalendas Novembris, cui* Eadmundus *sive* Edmundus *frater successit.* F

b *Imo B. Petri est dictus locus.*

c *Expungo superflua duo verba,* misericorditer ministrarent.

d *MS.* conversionis.

e Moratus, *id est,* habitatio.

f *Suspicor* Seorsium *legendum, idque idem esse quod nomine composito vulgariter* Windsor *dicitur, castellum Regium, aliis* Windefora, *adsitum habens Parcum ad venationem et silvam late protensam: Mox* Ceoddis *scribitur, quod longius abit.*

g Orientale regnum *intelligo* Essexiam, Orientalem Saxoniam.

h *Nempe, ut in sequenti Vita Osbernus num. 4 qui Glastoniæ tunc erant monachi, monasticam colebant proprio gentis suæ ritu a Benedictino diversissimum, qualem idem Osbernus describit.*

i *Late deducuntur tomo* I *Monastici Anglicani pag.* 8 Archiepiscopi *et* Episcopi *e conventu Glastoniæ ad diversas Sedes electi, et inter hos censentur proximi S. Dunstani successores* Athelgarus, *sive* Edelgarus, *et* Siricus *sive* Sigericus, *tum post hæc Acta scripta* S. Elphegus

AUCT. B. COÆVO. EX MS

A Elphegus *et* Elnothus *sive* Egelnotus. *Plures Episcopi ibidem indicantur.*

k Chira *id est*, manus, *Græce* χείρ.

l Sumersettensis *comitatus apud Occiduos Saxones in cujus agro Glastoniensis Abbatia vulgo* Glassenburg, *a Ferrario male confusa cum similis nominis alio monasterio in Cantio, ad confinia Saxonum meridionalium.*

CAPUT IV.

Acta sub Edredo et Edwio Regibus. Episcopatus recusatus. Exilium.

a b Perempto *a* igitur Rege Eadmundo ab iniquo *b* cleptore, mox proximus heres, Eadredus videlicet, regnum naturale fratrem succedendo suscepit. Hic itaque in sublimitate roboratus beatum Patrem Dunstanum tanto caritatis ardore dilexit, ut nullum pene ex Primatu sibi prætulisset. *Edredi Regis thesauros custodit:* At contra vir Dei, ut diligenti se vicem amoris ab intimo cordis affectu rependeret, omnium sibi carissimum solita appellatione Regem acclamavit. Ex hac quippe caritatis B fiducia, commisit illi Rex optima quæque suorum supellectilium, quam plures scilicet rurales cartulas, etiam veteres præcedentium Regum thesauros, nec non et diversas propriæ adeptionis suæ gazas, sub munimine monasterii sui fideliter custodiendas. Et dum post meantia tempora felix vir, senex scilicet Æthelgar, *c* Chrydionensis ecclesiæ Præsul, carnali lege coactus, vitam in Christo finiret; *Episcopatum rogatus a Rege* persuasit jam dictus Rex virum Dei Dunstanum crebris hortamentis, quatenus orbatum Patre Pontificatum sub cura Pastorali ipse suscepisset. At ille statim facilis sibi verbi excusationem rejecit, inquiens, se non esse hujus Pastoralis curæ prospectum, nec adhuc tali tantæque dignitati idoneum, quo posset tam latum Christi ovile probabili cautela sine sui exitio custodire. Hæc et his similia contradicentium sermonum nonnumquam Regi opposuit, donec omnem ejus suasionem penitus abnuendo compesceret. Verumtamen secretam voluntatis illius intentionem nequaquam adhuc mutare prævaluit: quoniam quem præ ceteris altius amabat, hunc altioris excellentiæ fieri cupiebat. *et Reginæ matre, non admittit;* Quapropter posuit verba voluntatis suæ in ore propriæ genitricis, dicens illi: Volo, o mi dilectissima mater, ut tu sub prandii tui tempore nostrum specialem amicum Dunstanum tecum habeas invitatum, et dum inter læta convivia blandis vicissim C utimini loquelis, studeas eum feminali facundia adhortari, quo fiat juxta nostram suggestionem nuper viduatæ Ecclesiæ Pontifex. Quod cum illa nisibus universis fecisset, non potuit eum a pristino renuntiationis eloquio remutare. Consilio tamen ipsius *d* Ælfwoldus vir venerandus, ob pollentem venustatem, sortitus est ad Pontificatum eumdem.

20 Nocte itaque subsequenti visum est illi per nocturnam revelationem, quod cum prompto comitatu Romam properare deberet. *ideoque castigatus ab Apostolo.* Apparuerunt ipsi in viis iisdem Petrus et Paulus cum Andrea, pandentes ei diversa et inopinata eventuum suorum secreta: finitoque familiari Apostolorum colloquio, Andreas virga, quam manu gerebat, percussit illum ictu non modico, dicens: Hoc habeto præmii, quod Apostolatus nostri consortium heri recusando tempsisti. Statimque expergefactus post dictum, requisivit cubantem coram se monachum, quis ipsum acri virgulæ ictu temere percussisset. At ille, Nullus, inquam, te quiescentem aliquo percussionis tactu me sciente contigerat. Is ergo præmeditatus ait: Modo, fili mi scio: modo, a quo sim percussus, agnosco. *Ad ægrum Regem festinans* Eratque, proh dolor, Rex Eadrædus, dilectus Dunstani, per omne tempus imperii sui nimium languens, ita ut refectionis tempore sorpto succo D ciborum, reliquam partem parumper dentibus obtritam ab ore rejecisset, et sic sæpe convivantibus secum Militibus fœtentem nauseam expuendo fecisset. Qui licet si ægrotantem vitam utcumque diu vivendo in abutenti corpore pertraheret, languor tamen augmentabilis sæpius milleno pondere invadendo hunc usque ad occubitum misere perduxit. Tunc ille ex longo languore anceps propriæ vitæ, misit circumquaque ad congregandas facultates suas, quas dum posset spontaneo liberoque dictatu ipse suis vivendo disponeret. Propter hoc enim vir Dei Dunstanus, velut alii Regalium gazarum custodes, ibat; ut quas causa custodiendi secum habuerat, Regi reportaret. *voce cœlesti intelligit obiisse.* Et dum post aliquos dies viam, per quam venerat, cum sarcinatis facultatum opibus reverteretur, facta est vox cœlitus immissa, dicens illi: Ecce nunc Rex *e* Eadredus obiit in pace. Ad hanc ergo vocem caballus, in quo vir Dei equitabat, subito percussus interiit, quia non valebat sublimitatis Angelicæ sufferre præsentiam. Et cum venisset, reperit Regem sub eodem tempore, quo Angelus ei in ipso itinere nuntiavit, morte suprema finitum: cujus amissum spiritum adstantes catervæ fidelium, pariterque exanimes artus more mortalium sepeliendos, E conditori Domino sub pacis requie commendaverunt.

21 Post hunc surrexit Eadwig, filius videlicet Eadmundi Regis, ætate quidem juvenis, parvaque regnandi prudentia pollens, licet in utraque plebe Regum numeros nominaque suppleret electus. *Edwium Regem* Huic quædam, licet natione præcelsa, inepta tamen mulier, cum adulta filia, per nefandum familiaritatis lenocinium sectando inhærebat: eotenus videlicet, quo sese vel etiam natam suam sub conjugali titulo illi innectendo sociaret: quas ille, ut aiunt, alternatim, quod jam pudet dicere, turpi palpatu et absque pudore utriusque libidinose tractavit. Et cum tempore statuto ab universis Anglorum Principibus communi electione ungeretur et consecraretur in Regem, *ipso consecrationis die,* die eodem post Regale sacræ institutionis unguentum, repente prosilivit lascivus, linquens læta convivia vel decibiles Optimatum suorum confessiones, ad prædictum luparum palpamentum. Et cum vidisset summus Pontificum *f* Odo Regis petulantiam, maxime in consecrationis suæ die, omni per gyrum considenti Senatui displicere; ait Coepiscopis suis et ceteris, Principibus: Eant, oro, quilibet ex vobis ad reducendum Regem, quo sit suorum Satellitum, ut condecet, in hoc regali convivio jucundus confessor. At illi molestiam Regis vel mulierum querimoniam incurrisse metuentes, singuli se subtrahentes recusare cœperunt. Ad extremum vero selegerunt, ex omnibus duos, quos animo constantissimos noverant, Dunstanum scilicet Abbatem, et *g* Cynegium Episcopum ejusdem Dunstani consanguineum, ut omnium jussui obtemperantes Regem volentem vel nolentem reducere ad relictam sedem. *abstrahens ab impudicitia cui vacabat,* Et ingressi juxta Principum suorum jussa, invenerunt Regiam coronam, quæ miro metallo auri vel argenti gemmarumque vario nitore confecta splendebat, procul a capite ad terram usque negligenter avulsam, ipsumque more maligno inter utrasque, velut in vili suillorum volutabro, creberrime volutantem, et dixerunt: Nostri nos Proceres ad te rogitando miserunt, ut eas quantocius ad condignum sessionis tuæ triclinium, et ne spernas Optimatum tuorum lætis interesse conviviis. At Dunstanus primum increpitans mulierum ineptias, manu sua, dum noliet exsurgere ei, extraxit eum de mœchali ganearum accubitu; impositoque diademate duxit secum, licet vi a mulieribus raptum, ad regale consortium.

22

A *incurrit odium meretricis :*

22 Tunc eadem Ædelgyw, sic erat nomen ignominiosæ mulieris, inanes orbes oculorum contra venerandum Abbatem ferventi furore retorsit, inquiens, hujusmodi hominem ultra modum esse magnanimum, qui Regis in secretum temerarius intraret. Audivimus enim in veterum Regum libellis Jezabelem errore gentilitatis et vipereo veneno perfusam, die noctuque in Prophetas Dei amara detestatione sævisse, et ad mortem usque persequi non destitisse : ita et hæc impudens virago, ex hac die prædicta, eodem Jezabelis flatu venenifero perfusa, licet nomine Christiano uteretur indigna, virum Dei Dunstanum consiliis inimicabilibus persequi non quievit, quousque pestiferam execrationis suæ voluntatem cum adaucta Regis inimicitia adimpleret. *eaque et perfidis monachis odnitentibus,* Tunc illa ex prædicti Regis consensu omnem illius ordinis honorem omnemque supellectilis suæ substantiam suis legibus subjugavit : quin etiam urgente Regis imperio, ipsum ad incolatum calamitatis celeriter ipsa proscripsit. Non enim erat hujus furentis feminæ vesania adeo attendenda, sed discipulorum, quos ipse teneros nectareo dogmate imbuendos nutriebat, B clancula machinatio magis stupenda : nam et ipsi conspirationis iniquæ sub occulta fraude assentatores fuere, qui si possent iniqua ejus dispendia detestari debuissent. Et dum ejectores ejusdem cunctas res ecclesiasticas ad conscribendum prospicerent, ecce in parte occidentalis templi aspera vox ridentis diaboli, quasi vox plaudentis ancillulæ, audita est. Ad quem vir Dei, dum quis esset mente perspexit; Noli, inquit , inimice, tantum gaudere : quia quantum nunc in recessu meo gaudebis, tantum iterum in adventu, damnante te Deo tristaberis.

ejectus e regno, 23 Quicumque autem amicorum post hæc hunc eumdem virum Dei, injusto arbitrio criminantis feminæ ejectum, causa caritatis vel compatientiæ hospitio susceperunt, frementem Regis iram graviter incurrerunt : et propterea insanos fluctus turbidi æquoris periculoso navigio tranare, et incerta Galliarum exilia adire coactus est. Et dum velificato celoci quasi tria milliaria maris ingressus fuisset, venerunt nuntia ab iniqua populatrice, ut ferunt, qui oculos illius, si in his maris littoribus inventus fuisset, eruendo dempsissent. Ipse autem æquoreas vias *manet apud Comitem Flandriæ,* ponti cærulei rapido cursu transiliens, venit ad ignotam religionem jam dictæ Galliæ, cujus pene loquelam ritumque ignorabat. Sed comitante secum misericordia Dei sui invenit coram quodam terræ illius *h* Principe gratiam, qui eum paterno caritatis C affectu sub exilii sui tempore custodivit. Hic itaque, quamvis benigne sub ejusdem Principis cura foveretur quotidie, assidua tamen mente manebat in patria, de qua remotus fuerat sine pietatis censura. Qui etiam sæpe abundantem lacrymarum imbrem ex oculorum fluentis ingemiscendo deduxit, quoties constitutus in exilio meminit, quantam religionis celsitudinem in monasterio dereliquit. *memoria monasterii sui mæstus,* Etiam diu in mœsti cordis meditatione dum circa rem hujusmodi cogitaret; ecce quadam nocte vidit visione notissima dormiendo, quod jam mente peravida ambiebat vigilando ; hoc dumtaxat quod more solito fuisset in monasterio una cum adstante Fratrum caterva, dum laudes vespertinales psallendo persolverent, canerentque, post novissimum canticum Magnificat anima Dominum, hanc Antiphonam, Quare detraxistis sermonibus veritatis : ad increpandum verba componitis : et subvertere nitimini amicum vestrum ? verumtamen. Hoc in loco visi sunt omnes pariter relicto cantu penitus reticere, neque ulterius eam *visione nocturna recreatur.* ullo modo posse verbo vel voce perfinire, quamvis casso labore multoties iteratam non nisi ad eumdem locum cantando perducerent; et numquam duo finitima verba modulantes admitterent. At ille per eamdem visionem increpans eos, Cur, inquit, ad perfiniendam Antiphonam non vultis dicere! Quæ D *AUCT. B. COÆVO EX MS* cogitastis explete. Mox ille divinum responsum ex alia parte perpendit sub hac voce, Ideo, inquam, quia numquam quod mente moliuntur implebunt : ut te quoque ab hujus monasterii potestate auferendo evellant. Et evigilans post visum gratias egit consolanti se Altissimo. Patuit quippe ex hac certissima revelatione, quod, sicut superius sermonibus quibuslibet commemoravimus, nonnulli eorum clanculi persecutores illius extitere.

ANNOTATA.

a Eadmundus *Rex peremptus est anno* 946, *die* 26 *Maji feria* 3.

b Cleptor, *a Malmesburiensi lib.* 2, *cap.* 7 Leof, latrunculus *appellatur,* quem propter latrocinia eliminaverat, et post sexennium regressus, latenter sicam in pectus Regis infixit, *sed et ipse* membratim dissectus fuit.

c Chrydiona, *seu* Creditionis, *urbs Devoniæ vulgo* Kirton, *facta Episcopalis anno* 909, *quæ Sedes postmodum Exoniam est translata : ibi* Æthelgarus *Episcopus mortuus est anno* 953, *uti asserit Westmonasteriensis.* E

d Ælfuoldus, *sive* Alwoldus *rexit dictam Ecclesiam ab anno* 953 *ad* 973.

e Eadredus *Rex mortuus est anno* 955, *qui in testamento suo per Michaelem Alfordum edito,* legavit Dunstano Abbati Glastoniæ, et monasterio Glastoniensi, ducentas libras, de Comitatibus Somersettensi et Devoniensi solvendas.

f S. Odo *Archiepiscopus Cantuariensis, eum in Kingestune Regem consecrarat.*

g *Qui hic* Cynegius *appellatur, Osberto apud Surium* Kinsinus *vocatur : et est Episcopus Lichfeldensis, qui præfuit ab anno* 948 *ad annum* 966.

h Arnulfo *Comite Flandriæ, uti in sequenti Vita dicetur.*

i *Quæcumque habemus antiqua variarum ecclesiarum Breviaria, librum Job proponunt recitandum prima ac fere etiam secunda hebdomada Septembris : sed in Sabbato præcedente alia præscribitur Antiphona, qualis scilicet in Romano ; quæ autem hic dicitur Antiphona, in illis est Responsorium post* 3 *Lectionem Dominicæ* I.

CAPUT V. F

Episcopatus Wigorniensis et Londinensis : dein Archiepiscopatus Cantuariensis. Iter Romanum.

Factum est autem, ut Rex præfatus in prætereuntibus annis penitus a *a* Brumali populo relinqueretur contemptus, quoniam in commisso regimine insipienter egisset, sagaces vel sapientes odio vanitatis disperdens, et ignaros quosque sibi consimiles studio dilectionis adsciscens. *a* *Ab Eadgaro in partem regno assumpto revocatur,* Post hunc ita omnium conspiratione relictum, elegere sibi Deo dictante Eadgarum, ejusdem Eadwigi germanum, in Regem : qui virga imperiali injustos juste percuteret, benignos autem sub eadem æquitatis virgula pacifice custodiret. Sicque universo populo testante, publica res Regum ex definitione sagacium sejuncta est, ut famosum flumen Tamesæ regnum disterminaret amborum. Tunc Eadgarus a prædicto populo sic sortitus ad regnum, misit nutu Dei ad revocandum venerandum Abbatem ab exoso, in quo degebat, exilio : non immemor quantæ reverentiæ fuerit antecessoribus ipsius, quibus secum cum salutifero consilio infatigabilem fidelis obsequelæ famulatum persolvit : quem

AUCTORE B. COÆVO EX MS.

A quem ab incolatu reductum omni honore dignitatis, ut tantum oportuit, custodivit. Interea germanus ejusdem Eadgari, quia justa Dei judicia deviando dereliquit, novissimum flatum misera morte *b* expiravit : et regnum illius ipse, velut æquus heres ab utroque populo electus, suscepit, divisaque regnorum jura in unum sibi sceptrum subdendo copulavit. Hic iterato B. Dunstanum in adeptum pristinæ dignitatis honorem restituit, similiter et atavam suam et nonnullos alios, quos frater ipsius, in eadem antea sublimitate constitutus, iniquo judicio prædari præcepit.

b *et pristinas dignitates recipit :*

25 Postea factus est magnus Sapientium conventus in loco, qui vocatur *c* Bradanfoort, et eo in loco omnium ex electione ordinatus est Dunstanus ad Episcopum, eotenus maxime quo Regali præsentiæ propter provida prudentiarum suarum consilia jugiter adfuisset. Et dum accitu regali moribus deificis Rex fuisset a B. Dunstano vel ceteris sapientibus decenter instructus, cœpit passim improbos opprimere, justos quosque et modestos puro pectore diligere, Reges et tyrannos circumquaque sibi subjicere; destructas Dei Ecclesias renovare vel ditare, et ad laudem summi Numinis famulantes catervas aggre-

c *in solenni conventu ad Episcopum postulatus,*

B gare, omnemque regionem illius sub pacis munimine regaliter custodire. Deinde Pastor [factus est] Wigorniensis Ecclesiæ : utpote *d* Cynewaldus more mortalium cursuque vitæ temporalis edicto succubuit, et suscepit B. Pontifex Dunstanus constitutus a Rege hanc eamdem ecclesiam sub solertia Pastorali servandam : in qua statim vere fidei vitem palmitemque justitiæ sagaci cultu plantavit, et triticeum sanctæ Trinitatis semen in credentium cordibus, evulsis errorum tribulis, seminavit : per quod, post præsentis seculi metam bonorum operum, ad vitam jugiter manentem pervenirent indemnes. Videns itaque Rex prænominatus, quod commissam Ecclesiam pervigil Pastor rite regendo custodiret, commisit ei Lundoniensem Ecclesiam, pio postea *e* Pastore viduatam, quo plurimo civitatis illius populo, nec non et reliquæ Orientalium Saxorum multitudini, pontem etiam ad alta polorum cacumina scandendi præpararet. Has ille geminas Ecclesias, per multa annorum transeuntium tempora, sub regimine Pontificalis Excellentiæ curiose regebat; et utrique ovili viam quæ ducit ad vera Christi ovilia, exemplo pariter et documento monstravit *f*.

d *creatur Wigorniensis,*

e *et una Londinensis.*

f

26 Postquam autem mors peravida venerandum
C *g* Odam, Metropolitanæ civitatis Archipræsulem Ecclesiæque Christi Rectorem, ex Adamica conditione consumptum, insatiabili voratu finierat; connumeratus est Ælfsinus Wintoniensium Pastor ad eamdem summi Sacerdotii Sedem. Qui cum ex Summorum Pontificum consuetudine, postulaturus Pallium principalis infulæ Romuleam urbem contenderet properare, obfuit illi in Alpinis montibus maxima nivis difficultas : quæ tanto eum gelu rigoris obstrinxerat, ut in his moriendo deficeret, et regressi tumulato Pontifice ejusdem comitantes tirunculi, renuntiavere lacrymanti relatu, tantum sibi infortunium in prædictis montibus contigisse. Post cujus consummationem elegere Byrhtelmum, Dorcetensium Prævisorem, ad summum sanctæ Dorobernensis Ecclesiæ Sacerdotem : et erat vir iste mitis, et modestus, et humilis, et benignus, in tantum, ut tumidos quosque vel rebelles sub correctionis verbere, non ut debuisset, cohiberet. Est namque jus Rectorum, ut bene bonos custodiant, et ad meliora quantum queunt viribus universis informent; reprobos autem et rebelles sub asperitatis correctione redarguant, donec eos a viis vanitatum avertant. Comperiens ergo Rex quod prædictus Pontifex hæc jura præscripta, in commissa sibi plebe, mansuescendo mi-

g *Post obitum S. Odonis et Ælfsini,*

atque Byrhtelmum rejectum,

D nime adimpleret; jussit eum vias per quas veniebat redire, et relictam dignitatem rursus recipere possidendam. Dehinc constituit ex divino respectu et sapientum consilio Dunstanum, quem noverat esse constantem, ad summum prædictæ Ecclesiæ Sacerdotem.

creatus Archiepiscopus Cantuar.

27 Mox ille suscepto Sacerdotio prolixa *h* itinera, quæ summis sunt Sacerdotibus solita, Romanam prospero calle tetendit ad urbem; eratque Dominus socius itineris illius, et pura fide se recinentem non reliquit, sicut ipse per Prophetam cuicumque fideli repromisit, dicens : Intellectum tibi dabo, et instruam te in via hac qua gradieris : firmabo super te oculos meos. Et iterum : Ego ante te ibo et gloriosos terræ humiliabo. Cumque iter longum properando fecisset, et omnia victualia, quæ vel equino gestamine vel alia conductione ferebant, propriis vel alienis hominibus penitus fuissent expensa; ait procuratori suo, Quid nobis administrationis habes ad noctis hujus sustentationem conferendum? At ille stomachando respondebat, dicens : Prorsus nihil : quia tu tibimet nihil reservare curabas, dum quidquid victus habere videbamur, propriis vel externis dapsili jussu distribueras. Et dixit illi Episcopus : Noli, quæso, nimium inde turbari : quoniam Dominus noster Jesus Christus erga omnes in se credentes est satis largus et dives. At ille rursum, Modo, inquit, videbis, quid tibi comesturo Christus tuus sub hujus noctis spatio sit daturus. Et surrexit Pontifex, quia tempus vespertinum instabat, ut in locis remotis congrua vespertinæ laudis officia adimpleret. Adhuc enim jam dictus procurator stulto murmure post clamabat, dicens : Perge oppido adorare tantum Christum tuum, nil aliud nostræ necessitatis attendens. Erant namque in hac eadem villa, qua tunc vir Dei cum suis hospitabatur, cujusdam venerandi Abbatis nuntii, triduo beati adventum Pontificis præstolantes : et venerunt, priusquam ille cœpta vespertinæ laudis officia cantando perageret, cum opimis gratiarum muneribus, omnibusque regionis illius deliciis, caritative ex ore Abbatis Fratrumque suorum fideli phalange salutantes Episcopum. Quas ille benedictionum caritates gratanter accipiens, resalutavit gratiosum Abbatem, cum devoto secum morantium Fratrum contubernio. Postea vero ex iisdem muneribus, Fratrum quoque prædictorum caritate collatis, diu deliciose properando vivebant : ac stulta dehinc murmuratio procacis ministri, firma ex fide Pontificis sic superata, quievit.

h

Ps 31, 8.
Romam profectus,
Isai. 45, 2.

E *et deficiente viatico confidens Christo,*

copiosa annona donatur :

28 Tandem ad optatam Romanæ Sedis Ecclesiam
F Domino ducente pervenit : ubi Pallium Principale, sub Præsulatus privilegio, una cum benedictione Apostolica gloriose suscepit : rursumque locellis Sanctorum lustratis, et solatis Christi pauperibus, per pacis itinera ad patriam usque remeavit. Et cum venisset summus Anglorum Pontifex, spirituali charismate affectus; cœpit primum, ut sublimior ceteris sacerdotum Ordinibus, sublimioribus Christi servitutibus se subjugare; ne dum aliis veræ fidei fomenta ministraret, vel iter rectum ad cœlestia verbo salutifero monstraret, ipse (ut ait Apostolus) reprobus efficeretur, propriæque prædicationi contrarius. Deinde autem destructa renovare, neglecta quoque justificare, loca sancta ditare, justos amare, errantes ad viam revocare, Dei ecclesias fabricare, nomenque veri Pastoris in omnibus adimplere.

inde redit accepto pallio

et munia pastoralia obit.
1 Cor, 9, 23.

29 Ego quidem, si die noctuque millenos sonos ferrea lingua contra naturam emitterem, nequirem utique omnia beneficiosa virtutum suarum opera, quæ vel manifeste vel etiam secrete peregit, prompsisse. Unum autem ex ipso me posse referre profiteor, quod quamvis hic carneo septus velamine deguisset in imis; mente tamen, sive vigilaret, sive somno

cœlestibus semper intentus, Phil. 3, 20.

A somno detentus quiesceret, semper manebat in superis, ut Paulus aiebat Apostolus: Nostra autem conversatio in cœlis est. Hoc nimirum sæpissime patuit, dum [dictavit] divina sacrorum modulaminum cantica, quæ ab hominibus quidem numquam accepit, sed ex beatis supernæ regionis civibus per sopitalem *i* revelationem capaci didicerat intellectu, ut hæc sequens sententia manifestat. Quadam nocte ad hujus visionis exemplar, post pia precum studia postque novissimum Completorii officium, dum beata membra quieti dedisset, certa demonstratione conspexit; quomodo propria, quæ se huic mundo ediderat, mater cuidam Regi præpotenti ad conjugalem sponsam, sub summo Principum suorum testimonio dotisque sub titulo, copularetur conjugio: et ut fieret in his regalibus nuptiis tanta psallentium lætitia, ut omni ex parte jucundantes militiæ, personarent hymnum suavissimum, cum laude sonora eidem Regi modulanda. Et dum hæc diu agerentur, accessit inter psallentium voces quidam juvenis, niveo vestitus candore, dicens sub ipsa visione Pontifici: Nonne vides et audis, quomodo omnis hæc ovans multitudo Regem magnum in turmis suis concrepando glorificat, te solo silente? Tu quare in præconio tanti Regis condignas laudes ore soluto nobiscum non resonas, qui præ ceteris præcipue gaudere deberes pro tanta copulatione parentis? Tunc ille hujusmodi carmina se nescire respondebat, seque prorsus quid in laude Regis prælocuti cantarent ignorasse. At ille, Vis, inquit ut instruam quid te cantare oporteat? Et dum humili professione se velle testaretur, mox imbuit eum hujus exemplar Antiphonæ. O Rex gentium Dominator omnium, propter sedem Majestatis tuæ da nobis indulgentiam, Rex Christe, peccatorum. Alleluia. Hac etenim sæpius iterata, et in eadem visione bene firmata, murmur geminabile expergefactus emisit: sed continuo jussit eam litterarum in memoria, priusquam oblivioni daretur, conscribere, et conscriptam cuidam monacho tam recentem didicisse præcepit: et facto mane universos sibi subjectos, tam monachos quam etiam Clericos, fecit hanc discendo personare: ipso semper inter modulantium voces cum nimio rore lacrymarum dicente, Verus est enim et non falsus, qui hanc mihi sonoram [Antiphonam] sub noctis hujus visione imbuendo monstravit. Hinc proculdubio (sicut jam superius diximus) claruit, in quibus locorum partibus, dum corpore quiesceret, spiritu felici interim ipse mansisset.

etiam in somnis pio visu recreatur:

et Antiphonam sub eo auditam memoriæ mandat.

Visum autem monstrabat matrem Ecclesiam nuptam Christo, Cant. 1, 3 et 2, 4

30 Nunc vellem, priusquam hinc longius legendo properarem, peritum mihi interpretem ad hujus miræ visionis mihi mysterium coaptare: aut si quodam conamine valuissem, ipse ejus interpretationem pro posse virium, licet igne tepenti liquefactam, exsolvere. Matrem quippe almi Pontificis, magni Regis conjugio copulatam, sanctam puto designare *k* Ecclesiam, quæ vel illum vel etiam alios quam plures more materno per spiritalem sacri baptismatis uterum a Primi parentis *l* privilegio regeneravit. Ita quidem, quæ nunc summo Regi, Christo videlicet Domino, per veræ fidei agnitionem, perque divini amoris amplexum, velut sponsa conjuncta viro suo, inhærere videtur; hæc eadem sancta Mater Ecclesia in Cantico Canticorum clamat; Introduxit me Rex in cubiculum suum, exultavimus et lætabimur in te, memores uberum tuorum super vinum: recti diligunt te. Et iterum: Introduxit me Rex in cellam vinariam: ordinavit in me caritatem: fulcite me floribus, stipate me malis, quia amore langueo. Læva ejus sub capite meo, et dextra illius amplexabitur me, etc. Aliter autem autumo matrem ejusdem almi Pontificis, Regi præcelso in matrimonio conjunctam, proprii Præsulatus Ecclesiam posse designare, quam sub manu æterni Regis, Christi videlicet et Domini, matris vice custodiendam ac pura virginitatis integritate *m* solaturam susceperat, ut idem Dominus pro populorum piaculis crucis in patibulo affixus, matrem suam virginem virgini discipulo commendabat dicens: Ecce tibi in matrem, meam committo genitricem. Turmas quoque militares, Regi suo laudum canticum exultando perstrepentes, supernos esse Angelorum cives, qui quod quandoque inimici hominum, ob discordantem delictorum distantiam, extiterunt, non diffido; nunc vero, quoniam cœlestium simul et terrestrium incolas in unam patris familiam conjunctos esse conspiciunt, Deo Regi vero die noctuque hujusmodi carmina canere non desistunt: Laudem dicite Deo nostro omnes sancti ejus, et qui timetis eum pusilli et magni, quoniam regnavit Dominus Deus noster omnipotens in cœlo, pariter et in terra: et propterea gaudeamus et exultemus et demus gloriam ei. Hanc eamdem gloriam cœlestis militiæ multitudo nato Domino decantans, in excelsis et in terra pacem bonæ voluntatis hominibus nuntiabat. Ipsam equidem pacem, quam beatus Apostolus exposcebat, dicens: Ipse est pax nostra, qui fecit utraque unum etc. Quod enim juvenem viderat veste nivea candentem, partim se aspere increpantem, quod in prædicti Principis laude reticeret; Angelum custodem ipsius esse non dubito, qui verbis eum spiritalibus erudiendo præmonuit, ne muti canis taciturnitatem [imitatus], permitteret latentem inimicum, furem videlicet diabolum, animas sibi commissorum, talentumve Dei sui furtim præripere: sed ut ore perpatulo prædicaret, et pia cordis confessione personaret Christum esse Regem et dominatorem omnium, cœlestium, terrestrium et infernorum; et ut ipsum propter sedem nomenque majestatis suæ, prius pro suis, deinde pro populorum delictis interpellans exoraret, ut eis pius peccatorum extitisset indultor, pro quibus se semel paterno parens præcepto offerre non distulit.

AUCT. B. COÆVO EX MS. pacem canentibus Angelis,

et Antiphonam docente Ang. Custode. Ephes. 2, 14

ANNOTATA.

a A Mercensibus *scilicet* et Northimbrensibus *uti asserunt Wigorniensis, Dunelmensis et alii et referunt ad annum* 957.

b *Anno* 959 Edwium *expirasse passim asserunt auctores.*

c Bradfort *dicta loca duo in Dorcestriensi, totidem in Devoniensi, unum etiam in Wiltoniensi Comitatibus inveniuntur; quorum postremum celebrius, et Hundredæ unius caput, biduo circiter Glastonia distat.*

d Cynewaldus, *aliis* Kinewoldus *anno* 957 *mortuus traditur et* S. Dunstanus *ordinatus, ut infra etiam apud Osbernum legitur*

e Brithelmo *Episcopo Londinensi anno* 958 *mortuo,* Edgarus *Merciorum Rex illam Ecclesiam* S. Dunstano *etiam commisit.*

f *Addit Westmonasteriensis ad dictum annum* 959. Qui protinus apud Westmonasterium, constructo ad duodecim monachos cœnobio, in loco, ubi quondam Mellitus Episcopus B. Petro Ecclesiam fabricaverat, S. Ulfium ibidem constituit Abbatem, *idque favore S. Dunstani, ut in illius Vita legitur* 8 *Januarii quo colitur.*

g S. Odo *mortuus est anno* 958, *colitur* 4 *Julii.*

h *Hoc item actum esse anno* 960 *Wigorniensis, Dunelmensis et alii asserunt.*

i Sopitalis, *a participio* Sopitus, *dicitur, Visio oblata per soporem.*

k *Osbertus præcedentibus relatis addit:* Qui ante me de istis scripsit, vult mystice referri ad Matrem Ecclesiam, etc. *innuens hujus Vitæ scriptorem.*

l

A AUCTORE B. COÆVO EX MS.

l *Privilegium hic accipitur, pro infractione seu prævaricatione legis.*

m Solatura *pro* solando, *quæ locutio* (*ut jam notasse potes*) *huic scriptori familiaris videtur fuisse: nam et infra num.* 14 *legitur* venaturus *i. venatu capiendus num.* 18 tumulaturus, *i. tumulandus.*

CAPUT VI.

Variæ visiones. Præparatio ad mortem.

His modis prædictis sæpe sacrorum carminum modulamina seu ceteras Deo decibiles laudes spiritu pervigili ex divinis imbutoribus didicerat, quamvis ejus humani artus in somni sopore subacti jacuissent, ut illud est Salomonis: Ego dormio et cor meum vigilat. Et iterum Propheta Isaias ait: De nocte vigilat Spiritus meus ad te, Domine, quia lux mea præcepta tua sunt. Qui etiam in mundo positus, ipsos humani generis inimicos claro conspexit intuitu, ut imminente miserrima Regis Eadmundi peremptione declaratum est. Hic itaque Rex, dum cum suis propriæ dignitatis loca more solito convivaturus lustraret; contigit B. Dunstano adhuc Abbati ejusdem Regis interesse comitatui, ad cujusdam primarii Ducis, utpote Ælfstani, ipso in itinere proximum [castrum], esseque coequestrem. Et ecce repente progressionis viam coram se aspiciens, vidit inter Regios tubicines horrendum inimicum ludendo cursitare. Quem cum diu attonite fuisset intuitus, ait prædicto comitanti secum primario: Putas te, mi dilecte, videre posse quod video? At ille, Nihil, inquit, præter quod oportet conspicio. Et ille; Signa ergo salubri sanctæ Crucis sigillo oculos proprios, et proba si quod video possis videre. Cumque jussu beati Patris Dunstani levi sanctæ Crucis impressione oculos suos consignaret, vidit illico, quasi pro tanti viri testificatione, eumdem Dei et hominum, quem beatus Pater viderat, inimicum, sub cujusdam homuncii nigelli specie salientem: et mox ex inimicali nefandi dæmonis demonstratione utrique [licuit] deprehendere, aliqua pretii infortunia quibusdam ex eis adesse futura; factisque schematibus Crucis inimicus disparuit.

Cant. 5, 2 — Isa. 26, 9 — B — *Videt in itinere diabolum salientem,*

32 Postquam autem de hac improba apparitione conspecti illusoris loqui quievissent, rogavit idem prælocutus Princeps jam dictum Dei virum, quatenus sibi visionis suæ somnia nuper promulgata solvendo enexuisset. Dixit namque se per visionum indicia vidisse memoratum Regem, cum suis Principibus universisque Optimatibus, solita ex consuetudine in palatii sui triclinio consedere; et inter læta ministrantium ac jucundantium convivia, eumdem quem dixi Regem somno sopitum obdormisse: postque gravem dormitionis suæ sarcinam, omnes pene Principes vel Sapientes ipsius in hircos caprasque humana relicta effigie commutasse. Cui confestim B. Dunstanus, prophetico instructus eloquio, respondebat dicens: Dormitio Regis mortis ipsius indicium est: quod autem Magnates vel Sapientes illius in muta animalia vel insensibilia commutatos vidisti, futurum tempus designat, in quo pene universi regionis istius Principes rerumque Rectores, voluntate ultronea a via veritatis, cujus ipsi sint sapientes, tamquam stolida animalia non habentes pastorem, deviabunt.

et explicat somnium de Regis cæde — C — *et Principum futura perversione.*

33 His ista gestis ad vicum regium, de his semper sermocinantes, pervenerunt. Factoque diei ipsius crepusculo vidit iterum vir Dei Dunstanus in vespertino Regis convivio eumdem vel quempiam alium inimicum, inter frequentantes ministros oberrantem. Deinde, ni fallor, post triduum, ipso quoque die quo Rex jam dictus ferro fuerat periturus; vidit tertio quemdam ignotum, ignoro quidem utrum inimicabilem, seu etiam spiritalem virum, magnam, tamen prolixæ cartulæ rotellam in manu gestantem, densim apicibus conscriptam, eo videlicet temporis memento, quo Rex, a Missarum celebratione novissimo potiturus convivio, ad aulam usque redibat: quem cum interrogaret quis esset, respondit voce Saxonica, se ex Orientis regni partibus esse, seque una cum Rege quædam nuptialis verbi habere secreta. Is dum esset Regi nuntiatus, atque in illius præsentiam supervenientium more induci deberet, nusquam apparuit: sed eodem proh dolor! die, ut diximus, amaræ mortis acerbitas, per sicam perfidi latronis, penetralia cordis ipsius latenter introivit. Ecce enim quam mature de Rege beati viri claruere præsagia. De Principibus autem non nisi Eadwigi Regis temporibus, si Rex jure queat appellari, qui nec sese nec alios quosque bene rexerat, patuere. Quoniam quidem B. Pater Dunstanus spiritu Dei, ut ait Apostolus, agebatur, idcirco hæc et his similia quasi filius Dei promeruerat mysteria: in tantum quoque ut plerique eum assererent vanissima verborum deliramenta proferre, dum ore prophetico sanctique Spiritus imbuitione perplura prædiceret, quæ postea signis evidentissimis conspeximus facta a.

Videt diabolum iterum inter ministros regios. — D — *Ipso quo S. Edmundus est occisus die intelligit eum vocari ad nuptias* — Rom. 18, 14 — a

34 Hic etiam vidit et audivit sine cujuslibet difficultatis obstaculo quædam mira spiritualium secretorum, quæ nunc pangam mysteria. Erat namque vir venerandus in amore Dei, ut diximus, semper accensus, et propterea loca sacrorum cœnobiorum ob animarum ædificationem circuibat solicitus. Venit etiam ex hac salubri consuetudine ad locum Thermarum, ubi calida lympha de abyssi latibulis guttatim vaporando ebullit, quem incolæ locum sub paterna lingua b Bathum soliti sunt appellare. Et cum ibidem ab ejusdem loci Fratribus caritative susceptus deguisset, vidit post prandii horam cujusdam scholasticuli ex Glastonia cœnobio animam, ad cœlorum sublimia, ab Angelis Dei cum hymnorum laudibus deportatam, ac magnis supernorum civium exequiis hinc et inde stipatam. Venit autem postera die, quasi ad hujus miræ visionis testificationem, quidam e prædicto cœnobio Præpositus, nomine Ceolwyus, volens monastica consilia causasque Fratrum suorum cum Pontifice pariter more solito captare. Hunc ille de monasterio venientem, statim post datam benedictionem, solicite, si omnia cum Fratribus suis essent prospera, interrogavit: isque mortem pueri minime comminiscens, respondit universa sub integritatis sospitate fuisse constituta. At ille sermone modesto, quoniam propriæ visionis fuerat admodum perspicacior illo; Non autumo, inquit, omnia apud omnes humanis in excessibus fore profutura. Et ille: Sunt equidem omnia, excepto quod nostræ societatis puerulus hesterna die sub tempore meridiano necem inevitabilem moriendo subibat. Hoc est, inquit Sanctus Episcopus, quod dixi. Requiescat felix spiritus ipsius, secundum visionem nostram, in pace.

Vidit animam pueri Glastoniensis deferri in cœlum. — b — E

35 Iterum autem dum proprio immoraretur monasterio, hoc est Glastoniæ, ambulabat idem ovilium Christi solers prævisor, cum quolibet ejusdem monasterii monacho, de domo in domum, Fratrum quoque communium pabularia seu cetera eorumdem necessaria consideratum. Et dum remeando conspectis copiis veniret ad occidentalia antiquæ ecclesiæ climata, audivit eminus vocem cœlitus inopinato omine immissam, quæ secum incedentem monachum ad cœlestes delicias blando sub eloquio invitaverat, dicens: Veni, veni, Ælffige, veni: sic enim erat, ut opinor, ejusdem Fratris nomen. Tunc Beatus vir meriti clientis sui advocationem intelligens, dixit: Accelera ergo fortiter, Frater, apparare te quantocius:

Intelligit voce cœlesti monachum brevi moriturum:

A cius: quoniam diebus citissimis vocatus a Domino, ab hujus mundi scoriis migrabis ad ipsum. Quod quidem diebus non adeo multis interpositis ita de eo, ut prædixerat, probabili indiculo adimpletum est. De hinc in eodem loco quadratam paribus angulis ecclesiam in modum fanunculi construere jussit: et constructam in honorem almi Baptistæ Joannis honorifice consecravit. O magnum gloriosi Præsulis meritum, qui meruit vivens videre Angelorum visiones, vocesque mirabiles eorumdem audire.

36 Huic igitur dum in propria Præsulatus sui civitate commanebat, sanctæ consuetudinis inter cetera sublimitatum studia fuit, ut in secretis *c* noctium temporibus sancta loca, propter multimodam populorum ad se venientium inhæsionem, vel etiam aliorum multorum occupationem, sancta semper psalmodia decantando lustraret. Et venit hac lege religionis innexus ad almi Patris Augustini ædiculam, nocturnis, ut dixi, temporibus oraturus: et dum se sacris inibi suppleret orationibus, processit ad orientalem Dei *d* Puerperæ ecclesiam, tantumdem precaturus. B Cumque ad hanc propinquando psallendoque venisset, forte ex insperato noctis eventu audierat insolitas *e* sonoritarum voces, subtili modulamine in hac eadem basilica concrepantes. *videt auditque choros cælestium cantantes.* At ille continuo per quemdam patuli foraminis hiatum inspiciens, vidit prælocutam ecclesiam omni esse fulgida luce perfusam, et virgineas turmas in choro gyranti hymnum hunc Poetæ Sedulii cursitando cantantes, Cantemus socii Domino etc. Itemque perpendit easdem post versum et versum voce reciproca, quasi in circumitionis suæ concentu, primum versiculum ejusdem hymniculi more humanarum virginum repsallere, dicentes;

Cantemus socii Domino, cantemus honorem:
Dulcis amor Christi personet ore pio. etc.

Hæc inquam veneranda donorum spiritalium insignia, aliaque innumera, quæ nec ego nec alius quisquam hujus vitæ incola quolibet humano eloquio prævalet enarrare, egregius Præsul Dunstanus, quoniam vias justitiæ ambulavit, suscipere meruerat.

37 Nunc ergo, quoniam universa bonorum actuum suorum exercitia, si die noctuque in summa *Auctor oculari fide testatur,* meditationis sagacitate, so uno naturali privatus, immorarer, nequeo explanare; æquum tamen esse arbitror, ut ea saltem quæ vel egomet vidi vel audivi, justa Dei admonitione stimulatus, pro posse caritatis enodem. C Huic etenim, dum tædiosum hujus vitæ incolatum laboriose incoluit, summum studium fuit, ut videlicet sacris in orationibus et in Davidicis decem chordarum psalmodiis jugi frequentia insisteret, *qualiter in oratione,* aut in vigiliis suavem somnum superando pernoctaret assiduis, aut in Ecclesiasticis fervidus semper insudaret operari operibus; aut etiam mendosos libros, dum primam orientis diei lucem contueri potuit, erasa scriptorum falsitate corrigeret; aut ut vera et falsa inter virum et virum sagaci ingenio judicando discerneret; aut inpacatos quosque vel rixantes placido sermone concordes efficeret et quietos; aut viduis, orphanis, peregrinis et advenis in suis necessitatibus pio profuisset adminiculo; *et Episcopalis officii muniis,* aut ut justa sequestratione inepta vel injusta dissociaret conjugia, aut omnem humanum ordinem trifarie paratum in proprio soliditatis proposito verbo vitæ firmaret vel exemplo, aut de justo conquisitionis suæ censu ecclesias Dei placita probitate sublevaret ditandas; aut etiam utriusque ordinis imperitos, viros videlicet vel feminas, quoscumque die noctuque poterat cœlesti sale, id est salutaris sapientiæ documento, condiret. Ideoque omnis hæc Anglica terra doctrina ejus sancta repleta est, fulgens coram Deo et hominibus, sicut sol et luna: aut etiam quando debitas *f* vernulitatis suæ Horas ceterasque Missarum celebrationes Christo Domino solvere censuisset, D *Auctore B. coævo ex MS.* tanta mentis integritate eas decantando exercuit, ut cum ipso Domino facie ad faciem fari videretur; *f agerel Sanctus mente semper in Deum elevata,* licet antea et tumultuantis populi conflictibus nimium esset irretitus; oculis interim ac manibus more B. Martini in cœlum semper intentis numquam ab oratione spiritum relaxans. Quotiesque aliquod aliud opus perfectionis dignæ vel etiam laude exerceret, in sacris etiam Sacerdotum ordinationibus, ecclesiarumque vel altarium consecrationibus, *cum lacrymarum effusione.* seu etiam in quibuslibet rerum divinarum institutionibus, hoc semper nimio rore lacrymarum peregit, quas invisibilis habitator sanctus quoque Spiritus, qui in eo jugiter habitavit, ex oculorum rivulis potenter elicuit.

38 Cumque supernus Inspector ad alta polorum fastigia, hæc pia omniaque beati viri studia diutissima speculatione conspiceret, tandem decrevit clementius finem laboriosorum luctaminum suorum, ut cum beatis Angelorum agminibus remunerantem nummum acciperet in cœlis, pro quo sæpissime sudarat, dum portaret leve onus ipsius in terris. *In festo Ascensionis post [illegible]* Instabat namque dies pariter Domini Dei nostri Ascensionis, diesque advocationis ipsius, in quo tamen E die Domino dictante Missarum celebria sine aliqua læsione compleverat, et novissimum verbi Dei fomentum commisso sibi populo multis cum lacrymarum imbribus ministravit; docens semper, Dei filium de summis cœlorum sedibus pro humana salute descendisse ad terras, quo se Patremque suum una cum Flamine sacro unum esse Deum patula patefaceret pietate; et ut eadem, qua præfatus sum die, devicto diabolo et liberato populo suo, cœlos de quibus venire videbatur, ascenderet. *et sermonem ad populum,* Qui cum hujus exhortationis clausulam terminando posuisset, nimia cordis caritate poposcit, quod ipse primitus ceteri petitione impetravit, hoc siquidem, ut omnipotens Dominus paterna pietate quibuscumque fidelibus, membris videlicet Jesu Christi, scandendi facultatem condonaret, quo principium et caput quorumcumque Christus in prædicta die potenter ascenderat. *pie moritur.* His ille alloquiis ceterisque prædicamentis salubribus ter sub una diei ipsius celebratione commissorum corda affatius permonuit: primo enim, ut ecclesiasticus ordo post lectionis Evangelium jure insinuat; secundo post gratuitam collatæ sibi potestatis benedictionem; tertio vero post piæ pacis conferentiam, quando communi carmine cecinimus, Agnus Dei qui tollis peccata mundi miserere nobis, tunc quidem et ipse commissos sibi agniculos, a peccatorum prius ponderibus leviatos, pio

Reliqua desiderantur.

ANNOTATA.

a *Aliam sub Edgaro Rege factam visionem refert Osbertus apud Surium his verbis:* Alio quodam tempore Rex in die Dominica mane venatum ivit, et Dunstanum, qui tunc forte secum erat, Missam suam, donec veniret, differre petivit. Appropinquante ergo hora tertia, vir Dei ad ecclesiam procedit: et indutus sacris vestibus, Regem, sicut ei promiserat, expectabat. Stabat ergo cubitis innixus altari, orationi ac lacrymis deditus. Tum subito sopore leviter pressus, in cœlum rapitur; et beatis Angelorum agminibus associatus, audit eos summæ Trinitati in laudem modulatis vocibus decantantes, Kyrie eleison, Christe eleison, Kyrie eleison. Quorum melodiam cœlestium contemplator edoctus, ad se reversus est. Et conversus ad suos, interrogat, Rexne venerit, an non? At ubi eum nondum venisse accepit, ad suas preces sese convertit. Factoque

AUCTORE B. COÆVO EX MS.

A que non grandi intervallo, iterum extra se ductus, audivit in cœlis altisona voce dici : Ite, Missa est. Ad quod cum, Deo gratias, responderetur : accurrentes Clerici Regis, Regem adesse vociferantur, Sacerdotem ut festinantius Missam celebret, obsecrant. At ille versus ab altari, Missam se habere pronuntiat, et aliam se ea die celebraturum abnegat. Depositisque vestibus sacris, a suis de re inquiritur : quod latebat, aperitur. Ex hoc itaque sumpto sermone, Regem in diebus Dominicis deinceps a venatu prohibuit. Kyrie eleison vero, quod in cœlestibus didicit, suos docuit; idque multis in locis hodie sancta Ecclesia inter Missarum solennia canit.

b Bathe *seu* Bathonia *urbs celebris et Episcopalis in Somersettensi Comitatu.*

c *In Vita S. Ethelberti Regis Cantiorum 24 Februarii num. 3 ista habentur :* Ad monasterium SS. Petri et Pauli S. Dunstanus crebris noctibus orandi gratia veniens, visionem supernorum civium videre et hymnis cœlestibus interesse meruit. Qui sæpius dixisse fertur, quod ubicumque in ecclesia vel cœmeterio pedem quis verteret, super aliquem Sanctorum pedem calcaret, adeo loca corporibus Sanctorum plena esse asseruit. B

d *De hac Deiparæ Virginis ecclesia hæc revelatio refertur in Vita S. Adriani Abbatis 9 Januarii num.* 6. Conflagrata in qua requiescit ecclesia, in viso cuidam viro apparuit, dicens : Vade et dic Episcopo Dunstano : Hæc tibi mandat famulus Christi Adrianus. Tu in domibus diligenter coopertis requiescis, et Mater Domini nostri atque nos famuli sui omni cœli jacturæ patemus. Quo audito Dunstanus Ecclesiam S. Mariæ reparat : quam æterna dulcedine raptus, singulis noctibus frequentare solebat. Nocte autem quadam idem Episcopus Ecclesiam ingressus, vidit S. Adrianum inter choros cœlestium cum ipsa mundi Domina collaudantem Dominum.

e Sonorita *dici videtur pro* citharista.

f Vernulitas. *i. famulatus.*

ALIA VITA

Auctore Osberno Præcentore Cantuariensi.

Ex MS. Antuerpiensi et Bonifontis.

PROLOGUS.

C Universis Catholicæ matris Ecclesiæ filiis confrater eorum, per eam quæ in Christo est regenerationem, Osbernus, pacem bonam ac perpetuam salutem. Multorum sæpe ac venerabilium Patrum veneranda mihi auctoritas imminuit, ut vitam magnifici Patris Dunstani litterarum monimentis tradere, atque ad Dei laudem hominumque utilitatem, Ecclesiæ deberem auribus insinuare. Quibus dum ego pro facienda excusatione illud ut verum ostenderem, esse plura a plerisque non ignobilis usquequaque scientiæ viris de hac re conscripta, vererique me hominum reprehensiones, qui forte nimios nos aut certe temerarios vocare possent, dum hi non tam nihil satis nos habere, quam nihil nobis satis esse posse contenderent; contra illi magis nihil satis se habere, quam nihil satis esse posse retulerunt, et hoc probabilibus rationum firmamentis velle se astruere dixerunt. Nam eorum, inquiunt, quorum interfuit hujus rei diligentiam præcipuam habere, alii, etsi satis eleganter, non tamen satis diligenter; sed quantum ad nocturnum festivitatis officium satis esse judicavere, sermocinandi ad populum modo scripsere; alii autem dum nimis diligenter, quemadmodum quæque res acta sit explicare conarentur, elegantiam perdiderunt : atque in illud dicendi genus, quod suffultum Romanæ Princeps eloquentiæ vocat, inciderunt. Quod facilius tædium legentibus, quam aliquod audientibus emolumentum gignere consuevit. Qui vero in utraque parte dicendi elaboraverunt, ut essent festivi pariter, atque secundum gestas res bene ordinati; horum scripta in illo incendio consumpta sunt, quod ante hos annos sancta Dorobernensis Ecclesia, cum magno suarum rerum detrimento, perpessa fuisse dignoscitur. Sed ab his, inquiunt, aliqua in patrium, id est, Anglicum sermonem translata supersunt, ex quibus id quod petimus elicere, et in Latinam denuo poteris linguam Deo suffragante transferre. Itaque his sive rationibus sive rationum auctoribus ad scribendum traductus, malebam alienæ voluntati benedicendo obtemperare, quam propriæ serviens voluntati a benedicendo temperare. Verum ad hoc audendum non sine quadam pudoris suffusione accedo : propterea quod omnium ora in me esse existimo veluti in hominem more Lælii novas dicendi victorias pollicentem, et quasi ea quæ ab aliis commode dicta sunt, commodius se dicturum, præsumentem. Sed ego neque illos minus commode dixisse reprehendo, neque me commodius dicturum promitto; sed sive id dignum fuerit, sive pro tanta rerum materia digno contrarium quod intendo; illorum meritis aut culpæ adscribo, quorum imperio atque importunitate victus hæc scribo. Quamvis et mea voluntas tantum devotionis erga eumdem Patrem et Dominum nostrum obtinere debeat; ut si nulli vellent ista a me expetere, ego pro persona mea non dubitarem me ingerere. Ita namque tum in alios me vidente, tum in me ipsum me sentiente, ejus merita valuere. Sed non fuit consilium, quid vel in alios me vidente, vel in me ipsum me sentiente valuerit, hoc in libello dicere : in alio vero, qui de signis ad sepulcrum ejus perpetratis scribetur, dicere consilium fuit. Nunc autem primordia nativitatis illius, processum ætatis cum augmento gratiæ cœlestis, commutationem mortalis seculi pro immortalitate æterni seculi, quam verissime conabor absolvere, omissis omnibus his quæ ita fuere mirabilia, ut infidelibus videantur incredibilia. Ac me quidem his enarrandis imparem scio, sed in ejus nomine, in quem ipse fideliter credidit, et cui ipse fidele operis ministerium exhibuit; ista aggredi tentabo.

Pro aliis Vitis, — aut nimis brevibus, — D aut ineleganter suffultis, — vel etiam combustis, — novam scribit auctor — E ex imperio Archiepiscopi, — et devotione erga Sanctum

CAPUT I.

F

Ortus divinis oraculis illustratus. Adolescentia Glastoniæ pie peracta.

Regnante magnifico Anglorum Rege Ethelstano, anno quidem imperii ejus *a* primo, adventus vero Anglorum in Britanniam quadringentesimo nonagesimo septimo, cum idem Rex, *b* hostibus circumquaque subactis, pace et concordia regnum tueretur, natus est puer Dei Dunstanus, Wessaxoniæis Angliæ partibus, magnis quidem pro seculi dignitate parentibus, sed ad religionem, quæ Christianos decet, longe majoribus. Tanta siquidem virtutis ratione viventes animum colebant, tot piis operibus laborantes insudabant, ut communem mortalibus viam ingressi Angelicis spiritibus mererentur associari, sicut eidem filio suo postmodum divina revelatione innotuit. Quod non alienum est divinitatis consilio factum conjicere, ut videlicet tantus infans tales parentes haberet, qui cum ipsi bene viverent, tum bene vivendi formam nascituro ex se filio tradere possent. Magnum quippe Deus illum futurum prævidebat, quem ibi dulcedinis suæ benedictionibus prævenerat, ubi omnes filii Adam nativæ maledictionis

a — b Parentes illustres genere et virtute habuit :

A dictionis sententiam excipiunt, si non per assumptam a filio Dei humani habitus formam ad pristinam reformentur beatitudinem. Magnum quippe Deus illum futurum prævidebat; cui tantum muneris donatum est, ut ante mundo signis innotesceret, quam hunc in mundi hujus lucem mater fudisset. Atque ut cetera dilucide et ordinate procedant, hinc dicendi initia constituam. *c* Maternis igitur sinibus sacro puerpero intumescentibus, dies Purificationis sanctæ ac perpetuæ virginis Mariæ illuxit festivus. Cumque vicinus undique populus ad ecclesiam eidem Virgini in Glastonia, dicatam conflueret, ut devotionis suæ ministerium in tanta solennitate Regi Regum Christo persolveret, contigit patrem pueri Herstanum, cum conjuge sua Kinedrida advenisse; accensisque *d* lampadibus, sacris Missarum solenniis interfuisse. Jamque plurimam diurni servitii partem Clerus absolverat; jam quemadmodum puerum Jesum in templum parentes inducerent, recitari cœperat; cum repente majestas Domini in templo apparuit, quæ omnia omnium luminaria extinxit, totamque domum tenebrosa caligine obtexit. Hinc gelidus omnium membra B pavor perserpsit, rigent comæ, genua colliduntur. Stabant quippe sensu hærentes, et alternis obtutibus stuporem indicantes. Sed ut omnibus clarum fieret, quid hac in re ea quæ apparuit Majestas intenderet, extemplo lux cœlitus emissa in templo resplenduit; et eum quem puerpera manu tenebat cereum accendit. Si ante populus de amisso lumine miratus est, nunc majori admiratione simul et exultatione detinebatur. Exultabat namque præsentem se Dei gratiam vidisse, sed mirabatur hanc sibi per feminam provenisse. Huc itaque ab omnibus porrectum, et hinc lumen omnibus porrectum. Habemus ergo novum de nova Elizabeth Joannem, nostri temporis Jeremiam, quorum alterum Deus, alterum Dei Archangelus in matris utero sanctificatum asseruit. Atque ut excellentiorem gratiam advertas, qua die filius Dei a Matre Virgine in templo est præsentatus, ea nimirum puer Dei in matris utero ad templum est deportatus. Lumen ad revelationem gentium, et gloriam Israel, sanctus Simeon exultando proclamabat: lumen nihilominus in terra Angelorum exortum, Christus, qui verum lumen est, lumine declarabat.

c In festo Purificationis

d extinctis aliorum cereis, accenditur primo cereus matris eo gravidæ.

3 Postquam autem edendi partus tempus advenit, mulier genuit filium, quantitate quidem corporis C parvulum, sed ea qua præventus fuerat gratia Dei immensum. Inde statim secundæ generationis honore potitus, futuram fidei illius soliditatem, jam tunc divinitus præfiguratam, in nomine sortitur; Dunstanus, quod petræ firmitatem sonat, parentum suorum annotatione vocitatus. Deinde dum teneros annos infantiæ sequens ætas exclusisset, et linguam in apertos sonos jam formare cœpisset; ad templum nasciturí illius miraculo quondam insigne, cum oblationibus hostiarum defertur; imo ipse hostia viva, sancta, Deo placens offertur. Ibi illis in oratione pernoctantibus apparuit vir, æthereos habens vultus; locumque dixit non multo post tempore sublimandum, puerum ibidem Deo relinquendum, et beatum illum per secula prædicandum. Tum mensoris funiculum per plana atrii extendens, Sic, inquit, ædificabitur locus iste, ad præparanda corda illorum Domino, qui hoc in loco per hunc puerum Domino crediturí sunt. Qua illi revelatione vehementer gavisi, immensas omnipotenti Deo laudes persolvunt, commendantes puerum in templo, ut esset Levis Domino, et portio illius Dominus existeret, quemadmodum Moysi dictum est, cum divideret Judæorum per tribus singulas incolatus; Non erit tribui Levi sors inter fratres suos dicit Dominus: quia Dominus Deus pars illorum est. Unde Petrus, ostendens se portionem in Deo habere, non in seculo: D Argentum, inquit, et aurum non habeo, sed quod habeo hoc tibi do: In nomine Jesu Christi Nazareni surge et ambula. Hoc est: Aurum non est portio mea: argentum non est portio mea: portio mea Christus est. Hoc nomen munificum, hoc nomen mihi est fructuosum. Talis ergo portionis fructum tirunculus Christi in timore sancto assecutus, assidua ministratione Domino serviebat, proficiens quotidie tam in scientia pietatis, quam in virtute sanctitatis.

Dunstanus appellatur:

Deoque oblatus Glastoniæ,

prædicitur locum insigniter auctorus.

Deut. 10, 9.

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

Act. 3, 6

4 Ea tempestate Glastonia, regalibus stipendiis addicta, monasticæ religionis penitus erat ignara. Nondum enim in Anglia *e* communis vitæ ratio colebatur, non usus deserendi proprias voluntates hominibus affectabatur. Abbatis nomen vix quisquam audierat, conventus monachorum non satis quisquam viderat. Sed cui forte id voluntatis erat ut peregrinam vellet transigere vitam, is modo solus, *f* modo paucis ejusdem propositi comitatus, patrios fines egrediebatur; et qua opportunitas vivendi licentiam dabat, illic alienigena vitam agebat. Hicque mos E cum plerosque, tum vehementer adhuc manet apud Hibernos: quia quod aliis bona voluntas in consuetudinem, hoc illis consuetudo vertit in naturam: quorum multi atque illustres viri, divinis ac secularibus litteris nobiliter eruditi, dum relicta Hibernia in terram Anglorum peregrinaturi venissent, locumque habitationis suæ Glastoniam delegissent, propterea quod esset et a civili multitudine sequestratus, et humanis usibus accommodus, et quod maxime affectabant, peregrini *g* Patricii religiosa veneratione gloriosus, qui olim evangelizando regnum Dei illuc perveniens, vita, doctrina, signis et mirabilibus multipliciter claruisse, et post omnia hæc ibidem in Domino quievisse perhibetur. Cum ergo hi tales viri talibus de causis Glastoniam venissent, nec tamen, quidquid sibi necessarium erat, sufficientissime in loco reperissent: suscipiunt filios nobilium liberalibus studiis imbuendos, ut quod minus ad usum loci ubertas exhiberet, eorum quos docebant liberalitate redundaret.

e Cum vix adhuc nota esset Anglis vita monastica,

f nec nisi Hiberni eam profiterentur

g quorum disciplinæ traditus puer

5 Adest ergo nobilissimus in Christo puer Dunstanus, inter alios unus, imo præ aliis solus. Ubi paulo diligentius, quam imbecilla ætas ferre posset, litterarum studio intentus, acerrimo in tenello corpore languore fatigatur, adeo ut per aliquot dies, F nec quid ageret, nec quid ab aliis ageretur, ipse intenderet. Flebat autem scholasticorum coætanea turba, flebat tota domus familia, ipsique Doctores, recordantes modestiam pueri, ingenium, nobilitatem, educationem. Cumque jam in limine mors adesse putaretur, nihilque aliud quam funeris obsequium meditaretur; ecce intempesta nocte cœlestis illum medicina revisit, quam ei per Angelicum ministrum Christus exhibuit. Ac ne qua salutis innecteretur mora, ubi divina pervenerat medicina; confestim de lectulo surgens doloris, ad templum Deo gratias acturus moderata velocitate currit, habens illum in itinere ductorem, quem in ægritudine habuit salvatorem. Stupefacti de magnitudine facti qui in domo erant, qui ægrotantis illius curam gerebant, lento pede præeuntis vestigia terunt, finem rei curiosa agilitate explorantes. Necdum itineris medium confecerat, cum malignus spiritus, sive ejus saluti invidens, seu futuram religionem suspectam habens, latrantium canum multitudine stipatus occurrit, viamque eunti intercludere contendit. Exclamat itaque puer Christum, pavore conterritus; sed ductoris sui præsidio vallatus, virgam accipit; quam in faciem obsistentis simulacri vibrans, ipsum cum omni comitatu in fugam compellit. O sanctum et terribile Christi nomen, sapientibus absconditum, parvulis revelatum!

a morbo letali sanatur ab Angelo,

et fugato dæmone

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

A tum! Ecce draco, quem initium figmenti sui finxit Deus ad illudendum ei, non solum ab Angelis Dei illuditur, verum etiam a priore parvulo superatur. Vere detracta est ad inferos superbia ejus, in profundum laci concidit cadaver illius. Sed in quo ista noster potuit parvulus? nisi in illo, qui cum sit Deus super omnia benedictus in secula, parvulus de Virgine natus est nobis, filius a Patre datus est nobis.

ducitur in fastigium templi,

6 Dunstanus igitur ad portam templi veniens, sed eamdem repagulis obseratam inveniens, scalam, cui inviti solebant qui superiora templi sarciebant, ignoranter et quasi per excessum mentis ascendit. Inde ad alteram tecti partem, qua nullus erat descensus, progrediens, Angelicis manibus ad solum deponitur, et in interiora templi non patentibus claustris inducitur. Orta autem luce, dum per vicinas domos quæstio de puero facta fuisset, repertus est in templo cum his, qui nocturnas custodias agebant, leni sopore effusus: Rogatus ut tam mirabilis eventus modum exponeret, non esse hoc in sua conscientia respondit, et ignorantium mentes majori ambiguo deduxit. Sed hi, quos explorandi gratia puerum secutos fuisse prædiximus, de omnibus quæ usque ad suprema templi fastigia contigerant, claro et probato

moxque intra ipsum deponitur.

B sermone testificantur: cetera vero, quoniam et illos et puerum latuerunt, sola Dei potentia mirabiliter patrata fuisse claruerunt. Magno igitur timore concussi omnes qui audierunt, cogitabant quidnam esset quod puero contigisset, dicentes ad alterutrum: Quid sibi vult puer iste, cui tot et tam sancta præconia attestantur? qui ante beatus quam natus? quem ante virtus prodidit gloriosum, quam ætas probaret adultum? Singulari hunc gratia præditum videmus, quem Angelus ægrotum sanavit, diabolus sanatum contremuit, ecclesia signata excepit. Et denuo orantes, Augeat, inquiunt, Deus meritum pueri ad gloriam sui. At ille, regentis se Christi spiritu repletus, aures quidem corporis a suis laudibus avertebat, sed in secreto pectusculi Deum benedicebat. Ab illo itaque die in tanta admiratione habitus est; ut plurima illum utriusque sexus multitudo, quamvis adhuc delicatum, videre cuperet. Ipse vero quanto excellentiora audiebat, tanto de se minora sentire.

7 Jamque vernans ætas, adolescentiæ decus induerat, cum eum parentes sui sacros Ordines rogarent suscipere, ut qui fuerat a primæva ætate Domino electus, per hujusmodi gratiam eidem conjun-

Ordines Minores suscipit:

C ctus adhæreret. Quorum ille voluntati humiliter parens, minores Gradus et habitu suscepit, et vitæ honestate servavit. Tum vero quod illi ætati non parvo ornamento est, certabat omnes officio superare, gratia et affabilitate omnes anteire; servare pudicitiam, fugere lasciviam; appetitor honesti, turpitudinis execrator; majorum natu colloquiis adesse, juvenum ludicra declinare; ciborum abstinens, somno temperans, incessu gravis; neque moveri loco, neque abrupte loqui; magnæ fidentiæ ad incipiendum bonum, constantiæ ad perficiendum; principium bene agendi Deum semper habere, finem vero eidem commendare.

optimaque indole ac moribus præditus

Moribus quoque bonis accessit studium sacræ lectionis, cujus exercitio et vitiorum importunitates evitabat; et virtutum augmenta nutriebat. Et quoniam studium parvam habet efficaciam, ubi naturale ingenium non suggerit intelligentiam; auctore Deo sic utroque præditus erat, ut et facilitate ingenii quamlibet rem acutissime intelligeret, et occupatione studii quodcumque intellectum fuisset firmissime retineret. Ex quo brevi factum est, ut neque præceptoribus suis imperitior, et condiscipulorum peritissimis multo esset ipse peritior.

egregie proficit in litteris,

Philosophorum scientias, quas earum rerum quæ sunt et quæ aliter esse non possunt, cognitio-

D nem veritatis vetustas esse definit, ut sunt magnitudines, et earum aliæ manentes motuque carentes, alia vero quæ mobili semper ratione vertuntur nec ullis temporibus acquiescunt; multitudines quoque, et earum nihilominus aliæ per se, aliæ in relatione positæ; horum, inquam, scientias diligenti excoluit ratione, magnam in his et constantem perspiciens esse profectionem. Et quamvis omnibus his artibus magnifice polleret; ejus tamen multitudinis, quæ musicam instruit, eam videlicet quæ instrumentis agitatur, speciali quadam affectione scientiam vendicabat: sicut David psalterium sumens, citharam percutiens; modificans organa, cymbala tangens; sed non sicut hi quorum inertiam et luxuriosum otium Propheticus noster increpat Armentarius, Qui dormitis, inquit, in lectis eburneis, et lascivitis in stratis vestris; qui comeditis agnum de grege, et vitulos de medio armenti; qui canitis ad vocem psalterii. Sicut David putaverunt se vasa cantici habere, bibentes inphialis vinum. Nec eo ista commemoramus, quo his opus esse ad perfectionem tendenti arbitremur; sed ut multiplices Dei gratias in juvene commendemus.

Amos 6, 4

virtutibus,

Nam omnibus secularibus studiis præferebat scientiam pietatis, quæ in Evangelicis et Apostolicis continetur litteris, dum sua E semper ingenia Sanctorum Patrum auctoritati contradens, et ambas res ad easdem litteras conferens, fidem veram, morum disciplinam, et (quod unum et solum præ omnibus rebus quærendum est) vitam æternam se invenisse gaudebat. Sicut David ergo noster symphonista vasa cantici habuit, quia usum illorum non nisi in divinis laudibus expendit. Præterea manu aptus ad omnia; posse facere picturam, litteras formare, scalpello imprimere, ex auro et argento, ære, et ferro, quidquid liberet operari.

et variis artibus manualibus

ANNOTATA.

a *Annus* Athelstani *primus fuit Christi* 924, *adventus vero Anglorum in Britanniam, accuratius requisitus, refertur in annum* 449 : *quare numeros inversos hic notari suspicor et pro anno* 497, *qui a dicto adventu usque ad nativitatem sancti fluxerit, legendum* 479, *vel potius* 474 *vel* 476.

b *Hæc referuntur a Wigorniensi, Dunelmensi, et aliis ad annum* 926, *ut sequens* 927 *possit annus pacis et concordiæ censeri : et hoc potius natus fuerit* S. Dunstanus.

c *Hæc desunt in priori Vita, at referuntur ab Adalardo, auctore antiquiore, et aliis posterioribus.* F

d *Capgravius* candelis, *Osbertus* cereis, *ut infra dicitur.*

e *Gervasius Dorobernensis in Actis Pontificum Cantuariensium hæc descripsit, et interponit;* præterquam in Cantuariensi Ecclesia, *et loco* Glastoniæ *habet* Gloverniam, *quæ posteris* Glocestria *est dicta.*

f *Idem Gervasius addit,* in cella.

g *In superiore Vita* Patricius junior *appellatur, ubi de eo egimus.*

CAPUT II.

Vita in aula Athelstani Regis, et inde depulsio. Morbus, vita monastica. Diabolus victus.

Tunc audita fama venerabilis viri Cantuariorum Archiepiscopi a Athelmi, cujus ipse erat nepos et filius fratris, permissu parentum suorum proficiscitur ad eumdem, quatenus tanti parentis et cognitionem haberet, et vitæ illius exemplo juveniles mores informaret. Lætabatur itaque Episcopus nimis in adventu nepotis, considerans in illo venustatem corporis, animi vigorem, ac totius honestatis eminentiam.

a Adit Cantuariensem Archiepiscopum:

A tiam. Unde eo quo afflatus est Dei spiritu, vas illum electionis futurum prænoscens, potiori gradu decorare, et Regi Ethelstano familiari contestatione eum studuit commendare. Hunc ait, juvenem, mihi quidem plurimum, regiæ vero stirpi nonnullo consanguinitatis jure devinctum, vestræ Excellentiæ commendo, ut stet jugiter in conspectu vestro, audiatque verbum ex ore Domini mei Regis. Experiar in illo gratiam vestram, quam multiplicem in maximis sæpe rebus expertus sum, et deinceps amplius experturum me confido. Quod Rex prompta cordis alacritate accipiens, oblatum juvenem gratissime excepit, unice dilexit, posthæc necessariis quoque rebus regia vice præesse constituit. Dunstanus igitur terreno degens in palatio, egrediebatur et ingrediebatur ad imperium Regis; et prosperatum est in manibus illius, quidquid operis ipse cœpisset. Et nunc quidem surgens ad orandum Deum, nunc sedens ad dijudicandas causas hominum, ita se sapienter ac circumspecte agebat, ut et Deo per omnia placeret, nec aliquem pie viventium sua culpa offenderet: Dominus enim cum illo erat, et omnia opera ejus dirigebat. Iterum cum videret Dominum Re-

a quo commendatus Æthelstano Regi,

magnam apud eum gratiam init.

B gem secularibus curis fatigatum, psallebat in tympano, sive in cithara, sive alio quolibet musici generis instrumento: quo facto tam Regis quam omnium corda Principum exhilarabat.

b

9 *b* Tunc cujusdam matronæ frequenti ac religioso rogatu compellatus est, ut ei stolam Sacerdotalem artificiosa operatione præpingeret, quam postea ad divinos cultus aurifactoria imitatione figuraret. Qui assumpta in manibus cithara ad domum tendit religiosæ, citharam in pariete suspendit, opus ad quod venerat diligenter instituit. Cumque manum operi, cor autem atque labia Deo præpararet, apparuit in domo gloria Domini; quæ illum jucunda suavitate reficiebat, ceteros vero insolita admiratione exterritos reddebat. Nam cithara illius, quam parieti affixam fuisse diximus, ita ut erat pendens in paxillo, absque ullo moventis dumtaxat hominis impulsu, consuetam omnibus hujus Antiphonæ melodiam, acutissima simul ac discretissima modulatione personuit; Gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia sunt secuti: et quia pro ejus amore sanguinem suum fuderunt, ideo cum Christo gaudebunt in æternum. Exiliunt itaque obstrepentes puellulæ, mater familias, omnisque domus clientela, vociferans hominem nimium esse sapientem, amplius eum quam quod expediat scire. At ille mundissimo

Delineaturus stolam Sacerdotalem,

parieti appendit citharam: eademque ultro sonante,

ad patiendum monetur

C mundissimi cordis intuitu cœlestem illum musicum intendens, admoneri se intelligit, ut vias duriores arripiat, ut Christi vestigia proprius sequatur, ut sanguinis sui effusionem non metuat, si Dei regnum et vitam delectat habere æternam. Audivimus olim rudentem asinam verba edidisse; citharam vero sine humano impulsu sensualiter cecinisse numquam audivimus. Illa insidentem ne moreretur retinuit, ista ne mors timeretur admonuit. Illa Angelicos vultus pertimescens subsedit, ista ad aspectum Dei et Angelorum illius omnes audientes invitavit. Sed hæc tua sunt Christe magnalia, quæ in tuo Dunstano operari, et per nostrum ministerium prædicari hominibus voluisti.

10 Accensus igitur furore diabolus, quod tam sanctis principiis juvenem niti conspiceret, in invidiam aliquorum eum conatus est adducere, ignorans malam voluntatem suam Deo famulari, ad perficiendam Dei bonam voluntatem in homine, quem ad congaudendum et conregnandum ipse prædestinaverat. Inflammat itaque invidentiæ stimulis operarios iniquitatis, qui conficto mendacio opinionem juvenis apud Regem lædant, asserentes illum malis artibus imbutum, nec quidquam divino auxilio, sed pleraque

Ab æmulis magiæ accusatus,

D dæmonum præstigio operari. Advertens autem Dunstanus faciem Regis non esse sicut heri et nudius tertius, palatio discedere parat; malens Regem sponte sua deserere, quam ipse a Rege invitus derelinqui. Quod ubi compertum est ab his qui probitatis illius improbissimi æmulatores extiterant, insidiis iter obsident, socios disturbant, illum equo dejiciunt, suppliciis affligunt, postremo vinculis irretitum, in cisternam, quæ juxta erat, depellunt. Cum interim horrendo molossorum agmine defensus, a quibusdam hominibus invenitur, quorum studio ac pietate ad vicum fovendus transfertur. Tum ille ex profundo cordis suspirio ingemiscens ait: O sæva propinquorum meorum væsania in caninam sævitiam ex dilectionis humanitate mutata! Nam irrationalis canum natura dilectionem mihi humanitatis blandiendo exhibuit, propinquitas vero humanitatem oblita, infestantium in me canum severitatem ostendit. Intellexit ergo hoc esse principium certaminis, ad quod illum divinus nuper citharœdus præmonuit.

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

in cisternam dejicitur:

sed canum indicio liberatur.

11 Profectus autem inde, cognatum Pontificem adiit Elphegionem, qui tunc temporis *c* Wentanæ præsidens Ecclesiæ, vitam virtutibus decorabat. A quo frequenti supplicatione rogatus, ut monachum indueret, quatenus qui Angelicæ conversationis initia haberet, perseverantiam in habitu demonstraret; respondit ille, Excellentioris gratiæ esse, qui in seculo consenuit, et tantum quæ monacho digna sunt fecit, eo qui se monasterio dedit, nec quidquam aliud præterquam quod sibi statutum est post hæc facere potuit. Alterum, inquit, necessitatis est, alterum vero libertatis. Ad hæc Episcopus, Omnibus, ait, in commune summa necessitas est, ut qui ignem gehennæ voluerit effugere, ignem concupiscentiæ studeat extinguere: ignis vero concupiscentiæ non multum extinguitur, si fomenta illius humanis sensibus non subtrahuntur. Sicut enim ligna ad ignem, sic ea quæ sensibus subjacent ad concupiscentiam: sed nulla erit fomentorum subtractio, si secularium negotiorum non fuerit renuntiatio. Ex quibus omnibus id elicitur, ut si ignem gehennæ volueris extinguere, seculo studeas renuntiare. Ad hæc, quod præcipue in mundo appetitur, libertas est hominis: hac enim amissa, ceteri possideri nequeunt; quod si possidentur, illa non desinit haberi: quapropter quamdiu illam retinueris, illud Deo non dedisti, quod maxime dilexisti; ut ergo des, quod maxime diligis, illam desinas habere.

c

E

Adit S. Elphegum Episc. Wintoniensem cognatum,

cui vitam monasticam suadenti cum diu restitisset,

F

12 Cum igitur his et hujuscemodi verbis per singulos dies Episcopus insisteret, et Dunstanus aut veris aut verisimillimis rationibus insistentem differret; quadam die vehementer hoc cogitationis ambiguo pulsatus est, ut quid in vita quam maxime appetendum fuisset, virtus an voluptas, uxor an virginitas, magnopere deliberaret. Quem sub tali ambiguo positum gravissima *d* febris invasit, atque ad desperationem vitæ perduxit. Jacebat itaque sine expectatione salutis ægrotans, nec ullum intuentibus viventis sensum præbens. Tum ex insperato recalescens, sic ait: Legibus voluptatis renuntio, hic me sempiternum sibi adversarium promitto. Nil cum uxore fœderis paciscar, sola me virtus militem habebit. Insanum quippe est illam animi mei dominatricem sustinere, quæ nec viventes reddit satiatos, et morientes relinquit desperatos. Virginem me Virginis filius huc usque servavit, virginem me virginum Regina Maria habebit. Confestim accito ad se Episcopo, postulat sibi dilatæ religionis benedictionem dari. Episcopus immensa lætitia pro salute simul et conversione juvenis perfusus, celeriter illum monachali *e* ac sacerdotali gratia promovit, attitulans Ecclesiæ B. Mariæ Virginis, cui eum ab initio parentum

d

periculosa febri correptus,

ex voto se tradit.

e

AUCTORE OSBERNO EX MSS. *Glastoniæ degit :*

A rentum suorum sponsio dicavit. Consummatis autem primis inceptæ conversionis diebus, cum eum Episcopus adversus insidias diaboli et sermone instruxisset et auctoritate roborasset, dimisit illum proficiscentem ad locum suæ generationis principium; ibique in Ecclesia præfatæ Virginis mansitabat, operans ea quæ piæ religionis norma exigebat.

arctissimam sibi fabricat cellulam,

13 Cui etiam adhærentem cellam, sive destinam, *f* sive spelæum, sive alio quolibet nomine rectius nominari potest, non enim invenio qua illud appellatione quam proxime vocem, cum non tam humani habitaculi quam formam gerat sepulchri, propriis laboribus fabricavit. Ut enim de re quam ipse vidi testimonium feram, quantum mea fert æstimatio, longitudo *g* ejusdem cellæ non amplius quinque pedum, latitudo vero, duos et semis pedes habet; porro altitudo staturam exprimit hominis, si quis in defossa terra constiterit; aliter enim neque satis ad pectus porrigitur: ut sicut dixi, magis mortui videatur sepulcrum, quam viventis habitaculum. Unde manifestum est illum neque jacendo somnos cœpisse, et stando semper Deum orasse. Ostiolum autem idem est quod paries: quod enim ingredienti ostium, idem ingresso paries fiebat (neque vero in tantillo opere B ostium, nisi in toto, fieri valebat) medium autem ostioli fenestella aperit, per quam lumen operanti irradiavit. Miserum me ac peccatorem, fateor inspexisse, sanctum sessionis ipsius locum vidisse, quædam etiam manuum illius opera peccatricibus manibus contrectasse, oculis apposuisse, rigasse lacrymis, et flexis genibus adorasse. Recordatus namque sum, quam sæpe clamantem me in periculis exaudierit, quam misericorditer auxiliatus fuerit, et idcirco neque lacrymis temperare, neque si fieri potuisset inde recedere volebam. Hæc juveni domus, hic lectus, hoc de toto mundo spectaculum. Sed his angustiis ampla et spatiosa urbium mœnia comparari non possunt, cum per easdem angustias hodie et febricitantes salutem obtineant, et dæmonum furores quiescant, et plurima invalitudo convalescat.

lacrymis scriptoris rigatam.

Dæmonem sibi illudere volentem,

14 Verum ne paupertatem illius diabolus miserari videretur, quem ante non sinebat habitare in palatio, eum nunc nititur depellere tugurio. Fallax ergo fallacem hominis adopertus imaginem, sub obscuro vespere cellam petit adolescentis; immisso capite fenestræ incumbit, cernit illum fabrili opere occupatum, postulat sibi quippiam operis fabricari. Dunstanus autem neque ejus calliditatem advertens, C neque importunitatem ferens, operi quod postulabatur animum intendit. Interim ille perversa compositione verba facere, mulierum nomina inserere, luxurias commemorare, deinde religionem ostendere, et denuo eadem repetere. Tum vero athleta Christi, quis esset intelligens, tenacula, quibus ferra tenebat, fortiter ignire, suppressis labiis Christum invocare. Cumque per summos fines eadem tenacula candentia teneret, sancto actus furore, celeriter ea de igne rapit, larvalem faciem tenaculis *h* includit, et totis viribus renitens monstrum introrsum trahit. Jam tenendo vires sumebat Dunstanus, cum hic qui tenebatur, avulso pariete, tenentis se manibus aufugerat, tales immani rugitu fremens ululatus: O quid fecit calvus iste! o quid fecit calvus iste! Tenui namque, sed formosa cæsarie erat, et ea re talia de homine clamitabat. Mane autem facto congregata est ad eum non parva propinqui populi multitudo, sciscitans quisnam ille clamor fuisset, qui tanta eos vehementia dormientes terruisset. Dæmonis, ait, furor ille fuit; qui nusquam me vivere sinit, e cella quoque tentat ejicere. Caute vos agite ab illo, quia si vocem irati ferre non potestis, societatem damnati quo pacto sustinebitis? Post hunc diem Dunstanus quasi in

forcipibus ignitis detinet.

procinctu belli manere, virtutibus diabolum ad certamen lacessere, corpus inedia macerare, animam D orationibus decorare, sciens in nulla re magis diabolum superari posse, quam in ea quam Dominus dicebat, jejunio et oratione. Unde cum pudicitia corporis tantam cordis munditiam obtinuit, ut vix Mat. 9, 28 eum latere posset, quidquid sinister spiritus molitus fuisset.

ANNOTATA.

a *Hæc de accessu ad* Athelmum *patruum hinc desumpta sunt apud Osbertum, Gervasium, Capgravium, sed melius absunt in priore Vita. Nam anno* 924, *quo coronarat Regem Æthelstanum, ipse Athelmus adhuc ex vita decessisse dicitur a Westmonasteriensi : et ad annum sequentem* 925 *in Chronologia Saxonica*, Wolphelmus Archiepiscopatum Cantuariensem capessit, *cui anno* 934 S. Odonem *successisse legitur apud eumdem Westmonasteriensem. Temere est Osbernus Adalardum secutus. An ab S. Odone fuerit Æthelstano Regi commendatus, nolumus divinare. In Vita priore*, fama constantiæ in Regis palatio patuit, *et sic vocatus* E *fuit*.

b *In priore Vita refertur hoc a S. Dunstano jam monacho actum esse; sed adhuc tempore Æthelstani Regis*.

c Wintonia, *aliis* Wentana, *Ptolomæo* Venta Belgarum *in Comitatu Hamptoniæ*.

d *In priore Vita dicitur* turgentium vesicarum dolor intolerabilis.

e *Malmesburiensis ait* Presbyterum ordinatum cum S. Ethelwoldo, *postmodum* Episcopo Wintoniensi, *in cujus Vita ad Kalendas Augusti danda, idem confirmatur*.

f Destina, *quomodo pro Cella vel Antro dicatur haud facile conjectavero; forsan est* fossa.

g *Eamdem cellæ formam describit Osbertus, qui asserit* ipsummet eam mensum fuisse.

h *Idem Osbertus*, per nasum arripuit.

CAPUT III.

Elgivæ, aliis Æthelfledæ, Matronæ res gestæ, pius obitus. Monasteria quinque a S. Dunstano constructa. Revelata futura.

Fama sanctitatis allecta Elgiva,

Fama itaque nominis ejus universam percurrit regionem, quæ ad visendum hominem Dei omnium corda accendit. Omnis ætas, uterque sexus, clarus et ignobilis, tenuis et pecuniosus, privatus et cum F potestate; omnes omnino Dunstanum loquuntur, sapientiam prædicant, virtutem magnificant. Mulier quædam, nomine *a* Elgive, regali exorta progenie, magnarum divitiarum, quæ omne semen regium materno semper affectu dilexerat, foverat, nutriverat; innixa manibus suorum ad hominem Dei accessit, sanctissimo illius colloquio perfrui desiderans. Quæ cum ex ore illius verbum audisset, adeo delectata est vitæ æternæ dulcedine, ut ulterius neque domum repetere, neque loco discedere, sed cum Beato Dunstano manere, vivere, mori deligeret. Proinde habitationem sibi in affinitate sacri templi constituens, audiendo verbo Dei sedula adesse, famelicis stipem dare, vestem algentibus, ipsa multæ continentiæ operam dare, prorsus ad omne opus justitiæ promptissima existere. Circa venerationem beatæ Virginis Mariæ ita fervens erat, ut in templo illius quam plures sacri Ordinis viros locaret, quibus ipsa quæcumque necessaria forent, sua liberalitate exhiberet. Qua de re in tantum apud eamdem Virginem ejus merita valuere, ut si quando necessitate coacta quidpiam postularet, vix aliqua intercedente morula, ab eadem

ibidem domicilium figit :

cultum Deiparæ promovet :

A eadem susciperet. Ut enim sine tædio legentium aliquantulam ab incepto digressionem faciam (neque enim a re, quam tenemus, multum deviat) dum quodam tempore præfatus Rex, propter loci religionem Glastoniam venisset; illa veterem servare volens consuetudinem, qua Regibus ministrare solebat, orat eumdem ut ad se divertat, prandium quod sibi paraverat dignanter suscipiat. Quod Rex non sine verecundia annuens (non enim ignorabat quid in pauperes Christi ipsa expenderet) præcepit Regiæ ministrationis provisoribus, ut scirent si omnia commode ac moderate parata fuissent. Illi autem circumspectis omnibus, abunde omnia esse renuntiant; si ejus tantummodo potus, qui mellis ac myrti aspergine conficitur, sufficientiam haberent. Quibus illa: Non patiatur, inquit, Domina mea, Mater Domini mei Jesu Christi Maria, ut in omnibus rebus, quæ Regiam decent magnificentiam, deesse quidpiam valeat. Et accurrens in templum beatissimæ Virginis, rogat per ejus largifluam bonitatem augeri, quod in Regali ministerio minus videbatur haberi. Sedit itaque Rex multo stipatus satellite; hauriunt ministri modicum illud confecti liquoris; ita vasculum permansit imminutum, ut mulieris Sareptanæ, vel hydriam B farinæ vel lecythum olei putares. Denique tota die de vasculo hauriunt, tota nihilominus die inexhaustum reperiunt. Ad quod factum Rex mente immutatus; Peccavimus, ait, nimis in famulam Dei, multitudinis nostræ superfluitate eam aggravantes. Ita dixit: post dictum faciem avertit: via qua cœpit profectus est.

excipit convivio Regem Ethelstanum,

impetrat a Deipara ut vasculum mulsi non minuatur:

3. Reg. 17, 14.

16 Sed jam, ut id quod instituimus attingamus, transacto laborum suorum glorioso certamine, gravi corporis infirmitate cœpit hæc eadem laborare. Ad quam dum mœrens Pater Dunstanus intraret, post uberrimas alterutrarum lacrymarum inundationes, post humillimam piæ confessionis devotionem, post dulcissimam de beata spe et adventu Domini Salvatoris consolationem, hortatur illam, ut nudam se ab omni mundana specie faciat; ne in transeunte quidquam suum princeps mundi inveniat. Cui illa, Neminem, inquit, in mundo, sicut te carissimum habeo; propterea quod te præcipuum salutis meæ auctorem scio, salvo eo quod Deum omnipotentem totius bonitatis principatum tenere credo. Illum ergo rerum mearum heredem facio, te vero hereditatis tutorem constituo, ut quidquid illum cognoveris velle, tui arbitrii sit effectui mancipare. Quod B. Dunstanus C audiens, et quamvis invitus ejus voluntati morem gerere volens; universas gazas ejus, quæ in rebus mobilibus superesse poterant, extemplo pauperibus erogabat, cetera autem ad Ecclesiarum sublevationem reservabat.

ægram S. Dunstanus visitat:

ejusque testamenti curator instituitur:

17 Tum sol vergebat ad occasum, et Dunstanus nocturnas fugiens tenebras, ad suum remeat ergastulum. Et ecce dum ostium Ecclesiæ psallendo præteriret, erectis ad cœlum oculis, omnipotentis Dei Patris et Filii coæternum Spiritum in columbæ specie videt descendentem: cujus corpus omni candore nitidius, alarum vero remigia scintillantis ignis splendorem per aera spargebant. Quam ille tunc vere beatus pia mentis aviditate contemplatus, penetrale illud morientis matronæ subintrantem conspicit. Concite igitur unde venerat regressus, videt domum divini splendoris fulgore splendescere, audit feminam infra septa oppansi veli gratias agentem, miratur colloquium, ac dicendi finem patiens auditor expectat. Deinde levato [velo] penetrale subintrat; stelliferi illius nomen requirit, nuntium interrogat. Illa excellenti quadam gratia vultus perfusa, modeste arridens ait: Tu stelliferum antequam huc venires vidisti, et nunc, cui sum locuta, interrogas? Ipse est qui tibi ad ostium Ecclesiæ psallenti apparuit; qui et me de pavore imminentis mortis conterritam, visitationis D suæ gratia consolari dignatus est. Annuntio itaque omnibus amicis meis, tristandum de morte mea non esse, quoniam morientem me æternæ vitæ claritas suscipiet. Tibi autem carissimo ac singulari amico uberes gratias refero, propterea quod tuis semper instructa admonitionibus, et adjuta orationibus, ecce ad Deum vado. Unum tibi et ultimum, si ausim dicere, facio præceptum, ut summo diluculo sacri sanguinis ac Dominici corporis participem me facias, quatenus vivificis munita mysteriis non confundar in porta, dum ibi fuero inimicis meis locuta. Cujus imperio venerabilis Pater Dunstanus annuens abiit, mane juxta condictum rediit; itaque omnia peregit, ut finita fere Missa, cum ipsa corpus et sanguinem Christi suscepisset, animam pariter Christo tradidisset. Qua honorifice in Ecclesia B. Mariæ sepulta, Dunstanus cum de illius tum etiam de sui ipsius patrimonio solicitus (nam uterque parens obierat, nec præter eum alium heredem reliquerat) primo quidem eamdem Ecclesiam vicinioribus terris, quæ in omni patrimonio erant, muneravit: ceteras vero fundandis quinque monasteriis, pro situ terrarum ab invicem sejunctis, reservavit. Quæ monasteria se- E quentium Regum temporibus, in tantum per ejus industriam aucta sunt, ut singulis complurium monachorum turbæ inessent, qui omnes secundum regulam ab eodem Patre institutam viverent.

videt Spiritum sanctum ad illam accedere:

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

et de æterna salute certam,

sacro viatico munit,

ex hujus et propriis bonis monasteria struit,

18 Exinde sanctus vir majoribus sese virtutum profectibus dedens, deprecatus est Dominum, ostendi sibi gloriam justorum: ut qui eam per fidem bene creditam haberet, per manifestationem cognitam dulcius amaret c. Talia ex corde meditanti assistit d juvenis, decore insignis, quem puerum olim in corpore ipse puer agnoverat, et sancta semper familiaritate dilexerat; referens ea quæ sunt æternæ vitæ gaudia, illum vero in hoc seculo plura passurum, dæmonum insidias, malignitates hominum, post omnia hæc ad summos gradus perventurum, multa hominum millia Deo lucraturum, cumque his cœli regna scansurum. Sed cum ille propter cautelam dicenti assensum non dedisset; apprehensum illum juvenis atrium templi induxit, ostendensque locum eatenus inconvulsum ait: Ut nulla te credendis his quæ audisti dubietas attingat, ante triduum Presbyter quidam hic sepelietur, qui nondum infirmatur. Exurgens autem mane ab oratione Dunstanus, convocatis in unum Clericis ad locum venit, positoque signo ait: Si vera sunt quæ mihi nocturno tempore ostensa sunt, ante tres dies Presbyter quidam hic F sepelietur, qui nondum infirmatur. Vix illis ab invicem digressis, supervenit ejus feminæ, quam proxime laudavimus, curialis quondam Presbyter: qui facta cum Clericis conventione, præfatum locum in sepulturam obtinuit dicens: Cum me Deus e corpore migrare jusserit, hoc in loco meas precor reliquias sepelite. Recessit ergo Presbyter vespera sanus, noctu rediit ægrotus: decubuit, agonizatus est, defungitur, et in loco beato Patri signato sepelitur. Stupor ingens circumdedit omnes, propterea quod idem vir tam mira de loco, tempore ac persona prædixisset, quæ omnia post hæc vera ipsi et manifesta vidissent. Ipse autem de ostensa ac promissa sibi æternæ vitæ gloria lætissimus efficitur, de ceteris vero non parum tristis atque solicitus redditur.

c

d

a defuncto sibi noto

even'ura addiscit,

dato signo factus certior

ANNOTATA.

a *In priore vita Ætelfleda appellatur, ubi alia annotavimus. Sub nomine* Beatæ Elsgivæ *inscripta est ad hunc diem Gynecæo sacro Arturi a Monasterio.*

b *Osbertus,* Cras mane ad me venias, et mihi cum Sacramento sacræ Inunctionis Viaticum Dominici corporis tradas.

G

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

A c *Idem Osbertus ista interponit :* Unde contigit, ut quadam die in contemplationis positus dulcedine, subito raperetur super se, et patris ac matris suæ animas super choros Angelorum conspiceret in cœlorum regno gaudere. De qua visione valde gavisus, immensas Deo omnipotenti gratias egit : et deinde juxta Apostolum, quæ retro erant obliviscens, in ea quæ ante sunt quotidie sese extendit. Inde quoque semper animo secum volvebat, se videlicet parentum suorum legitimum filium nullatenus esse, si minus illis voluntati Domini obsequendo, propter suam desidiam perderet hereditatem, quam eos viderat in terra viventium acqnisisse.

d *In priore Vita* Wulfredus Diaconus. S. Dunstano prælatus et familiaris amator.

CAPUT IV.

Res gestæ sub Edmundo Rege. Abbas Glastoniam regit. Insidiæ dæmonum. Cœlestes visiones.

Defuncto autem Rege Ethelstano, frater ejus Edmundus imperii monarchiam suscepit. Qui cum sciret, quanta olim virtute venerandus Pater Dunstanus in palatio fulsisset, quam justis operibus et rectis consiliis præditus fuisset, ac per hoc fraterno semper amore illum dilexisset; directis ad eum nuntiis orat, dignetur ad se venire : ut quem omnipotenti Deo noverat acceptum, eum inter Regios Proceres et Palatinos Principes summum faceret tenere Principatum. At Dunstanus, sive præceptis Apostolicis obedire volens, quibus omnis anima potestati sublimiori subdita esse debere præcipitur; sive regnum justitiæ, quod ex magna parte absoleverat in terra Anglorum, exaltare cupiens; Regiis petitionibus assensum tribuit, consistens pro temporum vicissitudine in palatio, et tam ipsum Regem, quam omnes Angelorum Principes justitiæ legibus submittens. Sed cum fere fiat ut ex aliorum industria, aliorum crescat invidia; cumque ad quam virtutem pessimus quisque non valet assurgere, eam in assurgente conetur expugnare; iterum, sicut olim, a plerisque nobilium in prosperos Dunstani successus est ostensum, et Regi, ut a consortio illorum pelleretur, falsa criminatione suggestum. Rex autem, plus honesto falsis favorem attribuens, Dunstanum, et Regibus et regia gratia privatum, curia proturbari jubet.

B — *Ab Eadmundo Rege invitatus ad aulam,* — 1 Pet. 2, 13. — *per invidiam ab eadem pellitur :*

C 20 Sic primo, sic secundo die transitum. Itaque tertia lux advenerat, et Rex cum suis venatum ibat. Nemus autem, quod venandi gratia intraverat, mons cedrorum perexcelsus concipit, qui medio sui interruptus, ingens baratrum et immane præcipitium de summo spectantibus ostendit. Igitur Rex per devexa montis fræna laxare, et per devia quæque fugientem cervum insectari. Fatigantur utrique : Rex pro cervo; cervus pro se ipso. Omni tandem fugiendi libertate negata, bestia præcipitium petit, ruit, ac partes in minutissimas concisa deperit : sequentium canum similis interitus : ultimum Regem sonipes advexit, qui viso cominus, quod præ se fortuna pararat, retraxit habenas, vectorem quoque reflectere nisus. Cum repente ruptis frænis et de manu porro rejectis, voluci cursu cessorem Regem equus asportat. Quid plura? Omnino de se diffidens, de Dei vero misericordia nonnihil confidens, cœleste auxilium implorat, sicque confitendo orat : Deus Rex omnipotens, qui cum sis super omnia excelsus, humilia respicis, et alta semper a longe cognoscis; adesto nunc non Regi, sed homini ceteris mortalibus simili, inque supremo mortis periculo consistenti, nec reminiscaris injuriarum fideli tuo Dunstano per me illatarum : quoniam si me ipsius meritis a præsenti morte eripueris, quoad vivam devotum me tui nominis et illius laudatorem habebis. Necdum plene verba finierat, et quod dictu est incredibile, sed Deo nihil impossibile, quasi divina manu retentum animal in summo voraginis fixum manebat. At ille corde pariter et ore excelsas Deo gratias referens Dunstanum suæ liberationis auctorem adesse jubet; et quæ per illum divinitas operata sit, coram omni Principe exponit : et apprehensa dextera viri, osculatus est eam, et dixit : Agnosco, virorum sanctissime, quid in te commiserim mali : non, per fidem meam, quod ego voluerim, sed quod a pessimis hominibus coactus id fecerim. Grates ago clementiæ Dei, quæ non modo debitum mihi supplicium non inferre, verum etiam indebitum voluit beneficium prærogare, dum me a præcepitio mortis eripiens, longioris vitæ spatia in tuis, nominibus concessit. Sit ergo deinceps inter nos perfectæ familiaritatis perpetua integritas, sit disponendis in palatio rebus libera semper tibi facultas, sit in toto Anglorum imperio judicandi inter virum et proximum ejus summa potestas. Atque ut animi mei affectum circa te cognitum habeas, illum tibi locum, in quo te genitum, educatum, conversatum accepi, perpetuo jure possidendum trado, ut quodcumque de illo velis statuere, tui arbitrii sit considerare. Quod si id cordi tuo potissimum sederit, ut ejus Ordinis viros, cujus tu habitum geris, ibidem aggregare placuerit, quidquid eis in quacumque re defuerit, ego ob gratiam tui regia liberalitate supplebo *a*. Igitur Dunstanus accepta potestate super regiam mansionem, quæ Glastonia vocabatur, post paucos dies augustioris Ecclesiæ fundamenta jacere, officinas secundum exemplar olim sibi ostensum construere, et consummatis omnibus magnum pariter atque egregium monachorum agmen ibidem coadunare; quibus ipse primus Abbas effectus, ad tantam perfectionem justitiæ omnes cohabitantes adduxit, ut quasi cœli luminaria ad effugandas totius erroris nebulas et peccatorum tenebras viderentur. Tunc ad omnes circumquaque Ecclesias ex iisdem monachis Pontifices eligi, tunc Abbates assumi, tum denique diversorum officiorum Præpositi institui; propterea quod essent et religionis merito præcipui, et doctrinæ sapientia clarissimi, et ad Catholicæ fidei defensionem præstantissimi *b*.

sed cum Rex. in venatu a summo periculo servatus ejus meritis, — D — *ad aulam revocat,* — E — *Ille aucta Glastoniensi ecclesia* — a — *ibidem Abbas constitutus,* — b

F 22 Sed tantæ religionis spiritus malus impatiens, quo pacto virum Domini a statu rectitudinis dejiciat, quantis valet insidiis elaborat. Cujus oculis, in cubiculo quadam nocte orantis, immanem se lupum ingerit, iterumque post paulum vulpem blandientem confingit. Quam ille specierum varietatem subridens, O te, inquit, per omnia similem tibi! O formas tuæ actioni congruas! dum in altero cruentum, in altero te comprobas fraudulentum. Vade jam, inimice, quoniam in ejus nomine te vincam in lupo et vulpe, qui te in leone et dracone superavit. Cernens autem se magnam a dæmonibus invidiam pati, nec suis aut filiorum suorum viribus satis confidens, adhibuit vitæ suæ patronum Andream Apostolum, ut esset fidus interpres apud Deum, assiduus in terra comes, atque in omnibus hujus mundi turbinibus custos indeficiens. Hujus ipse assidua protectione quasi muro vallatus, securus infra cellam agebat ætatem, excelsa mente universa mundi transcendens, et in amore divinitatis jugi meditatione requiescens. Unde suavissimis supernorum Spirituum concentibus sæpe interesse promeruit, bonam futuræ mercedis spem Deo tribuente, ut qui Angelorum conversationem agebat in terra, illorum societatem agnosceret in cœlo. Denique cum præfato Regi

dæmonem sub forma lupi et vulpis fugat : — *sumit patronum S. Andream,* — *recreatus cælesti concentu in nativitate Edgari.*

AUCTORE OSBERNO EX MS.

A Regi Edmundo filius nasceretur, nomine *c* Edgarus, puer videlicet pacis ac justitiæ bajulus futurus, audivit idem Beatus beatos in cœlo Angelos gratulantes, et cum magna gratulatione psallentes; Sit pax, sit magna Anglorum Ecclesiæ lætitia, quam diu puer natus regnum tenuerit, et noster Dunstanus mortalis vitæ metas transegerit. Quod dictum, quanta sit rerum veritate subnixum, congruus ordo præsentis lectionis faciet manifestum.

videt animam discipuli ad cœlum deferri:

23 Qua etiam tempestate vir Dei precibus Regiis devinctus, Bathensem Ecclesiam divinis cultibus instituendam invisere pergit: ubi dum facta refectione solitarius oraret, repente ad superna raptus, cujusdam discipuli, nobiliter a se apud Glastoniam educati, animam, innumera Angelorum frequentia hinc inde stipatam, atque immensi luminis fulgore perfusam, ad cœli palatium provehi conspicit: moxque in manus divinæ pietatis eam commendans, Dominos quoque loci ad commendandum invitat. Stupentibus quidem omnibus, et vix fidem dictis exhibentibus, velocis cursoris testimonio, et mors et mortis hora, secundum viri testificationem vera probatur. B Regressus autem a loco, ut Regem loquendi sibi cupidissimum adiret, diabolum scurræ simillimum coram equitantibus deprehendit saltantem, et quasi de futuro aliquo lucro gloriantem. Cujus præsentiam dum coessenti populo indicasset, formamque omnium conspectibus horribilem ex imperio denudasset; requisitus postea, quid ejusdem monstri tam petulans lætitia portenderet; ille mortem Regis, regnique mutationem proximam esse denuntiat. Cui mox prophetiæ rerum veritas contestata respondit. Nondum enim sol septies diem creaverat, et Rex occiditur, et regnum mutatur: ex quo satis est advertere, quanta hujus viri pectus gratia Dei regebat, qui invisibilem hostem tam facile deprehendere, et ejus præstigias tam veraciter posset denudare. Translatæ autem sunt exequiæ Regis Glastoniam, ibique a B. Dunstano sub magna lugentis populi frequentia terræ commendatæ.

ex tripudio diaboli novit obitum R. Edmundo instare.

ANNOTATA.

a *Malmesburiensis de Gestis Regum Anglorum lib. 2 cap. 7 de Edmundo Rege ista scribit*: Inter ea beneficia, quæ diversis Ecclesiis contulit, miro affectu Glastoniensem Ecclesiam magnis prædiis et honoribus sublimavit, et privilegium in hæc verba concessit. In nomine Domini nostri Jesu Christi. Ego Ed- C mundus Rex Anglorum ceterarumque gentium gubernator et rector, cum consilio et consensu Optimatum meorum, pro æternæ retributionis spe et relaxatione peccaminum meorum, concedo Ecclesiæ Dei Genitricis Mariæ Glastoniæ, et venerabili viro Dunstano, quem ibidem Abbatem constitui, libertatem et potestatem, jura, consuetudines, et omnes forisfacturas omnium terrarum suarum..... et sint terræ suæ sibi liberæ et solutæ ab omni calumnia, sicut meæ mihi habentur. Sed præcipue ipsa villa Glastonia præ ceteris sit liberior cum terminis suis. Abbati ejusdem tantummodo potestas sit tam in notis quam in ignotis causis, in modicis et in magnis, in his etiam quæ sunt super et subter terram, in aridis et in rivis, in silvis et in planis: et eamdem auctoritatem puniendi et dimittendi delinquentium in ea commissa habeat, quam mea Curia etc. Acta est, *addit Malmesburiensis*, præfata donatio anno ab Incarnatione Domini Jesu Christi nongentesimo quadragesimo quarto, scriptaque est litteris aureis in libro Evangeliorum, quem eidem Ecclesiæ obtulit, eleganti satis opere compositum.

b *Addit Osbertus.* Factumque est, ut sicut quod supra diximus, ex cereo matris Dunstani, totus Ecclesiæ conventus lumen amissum recuperavit; ita ex D hoc loco, ipsius Dunstani doctrina instituto, omnes Ecclesias Angliæ constet veræ religionis lumen sumpsisse. *Hæc ibi, quæ paucioribus etiam ab Adalardo jam ante scripta erant.*

c *Natus est Edgarus anno* 943, *matre S. Ælgyfa sive Elgiva, ad cujus Acta ad diem præcedentem* 18 *Maji, hæc ex præcipuis Anglorum scriptoribus confirmamus.*

CAPUT V.

Res gestæ cum Edredo Rege. Episcopatus non admissus.

Cum Edredo Rege regnum administrat.

Successit in regnum jure fratris egregius vir Edredus, homo cultor justitiæ ac pietatis, Deum valde diligens, et ipse a Deo multum dilectus, ac per hoc paterno verbere quasi bonus filius crebro ab illo flagellatus. In hujus conspectu venerabilis Pater Dunstanus adeo erat pretiosus, ut omni eum humano generi præferret, principem testamentorum statueret, thesauros ei delegaret, animam, E corpus, et regnum committeret, nec quisquam in toto regno Anglorum esset, qui absque ejus imperio manum vel pedem moveret. Proinde Dunstanus, quasi Rex et Regis Imperator effectus, virgam æquitatis, virgam regni Dei, per omnes Anglorum fines extendere; Ecclesias, quas aut ipse fundaverat, aut ab aliis fundatas egestas oppresserat, amplis hereditatibus munerare; prorsus magnam populis lætitiam in sua potentia facere, dum pax et justitia in mutuos amplexus concurrerent, et osculandi munus pro invicem libarent.

Ut Wintoniensis Episcopus fiat

25 Dum hæc ita geruntur, *a* Elfegus, apud quem illum olim conversatum fuisse prædiximus, ad vitam spiritualis seculi dispositus est. Existimans autem Rex tempus se opportunum accepisse, quo majoris honoris Dunstanum compotem faceret, aggreditur rogare illum, ut Ecclesiam, Pastorali solatio destitutam, ipse Pastor suscipiat. Sed cum videret se quod suadebat persuadere non posse, Reginæ matri *b* Eadithæ verbum imposuit suadelæ. Scio inquit, carissima mater ac totius imperii Anglorum Regina, quod te communis noster amicus Dunstanus præcipue inter homines diligat, in tuis quam maxime operibus delectetur, dum quidquid pro consilio vitæ æternæ ipse tibi præceperit; sive id esset in sustentatione pauperum, sive in muneratione Ecclesiarum, tu sedula semper executione implere non cessaveris. F Qua de re magna animus meus spe detinetur, ut si quid ab eo, quod me atque illum deceat, postulaveris, nulla tibi ratione denegare velit. Decere autem utrumque nostrum, ut summum ipse attingat Sacerdotium, omnibus manifestum est: qui omnes honores vita et sapientia illius scimus esse inferiores, et Regem Anglorum multis ceterarum terrarum Regibus noscimus potentiorem. Aggredere igitur, mi dulcissima, hominem feminali facundia: hortare ea, qua apud illum niteris, gratia, ut tibi consentiat, quatenus ex hoc Deo familiaribus adhærere, et nos potentius valeat a peccatorum vinculis absolvere. Paret itaque Regi filio mater Regina, Dunstanum asciscit convivio, demulcet alloquio. Sed ille juxta etymologiam nominis sui, ut mons persistens immobilis, Nolo, ait, Domina, illud a me expeti, quod vel concessum meos animos perturbet, vel non concessum tuos offendat: neque enim nescio, quam difficulter suam quisque ante tribunal Christi causam agat, ne dum alienæ causæ cognitor aut judex existat. Quod si ista rationum maxima non esset, illa nimirum a suscipiendo Episcopatu multum me cohiberet, quod Dominum Regem constanti video languore

Regina sollicitatus non acquiescit:

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

languore periclitari, nec multum me ab eo separari posse, cum me tam sui patrem quam totius regni dominum ipse statuerit. Cumque illa negitantem suis adhuc rationibus tenere voluisset, motus ille aliquantisper, Certissimum, inquit, habeto, in diebus filii tui, Pontificali infula me non esse sublimandum.

et ideo ab Apostolis obiurgatus

26 Inde fluctuantes animos gerens, cubiculo se dedit, ibique secum multa volventi somnus obrepsit. Et ecce assunt Principes regni Dei et Judices seculi, venerabiles Christi Apostoli Petrus et Paulus, cum S. Andrea, quasi de urbe Roma eidem egredienti occurrentes, et ad Montem-Gaudii sibi se adjungentes. A quibus gratiosissime salutatus, videbat singulos in singulorum manibus gladios enitere, quos omnes officiosa benignitate sibi obtulere. Cumque visum per extensos ante se gladios duceret, hanc in gladio Beati Petri legebat scripturam, aureis litteris intextam : In principio erat Verbum, et Verbum erat apud Deum, et Deus erat Verbum. Ceterorum vero gladii propria tenentium illos nomina habebant inscripta, Pauli Paulus, Andreæ Andreas. Interea Andream exhilarato vultu aspicit convenientem, et Evangelicis verbis audit præcinentem, Tollite jugum meum super vos, et discite a me quia mitis sum et humilis corde, et invenietis requiem animabus vestris. Tunc a Beato Petro jussus lævam extendere, modicum crepitantis ferulæ ictum excepit, hoc ab illo audiens : Hoc tibi sit et pœna abjecti, et signum ulterius non abjiciendi Pontificatus. Ad cujus virgulæ tactum a somno evigilans, divinitus se intelligit visitatum : agit gratias Deo, cujus munere ita se conspicit honoratum.

Matth. 11

et percussus,

27 Cumque die illucescente Regi quæ viderat enarrasset, miratus ille tali enodatione visionem absolvit; quoniam per arma Apostolicæ benedictionis potestas exprimitur Pontificalis, noveris te pro eo quod hesterno die jugum Domini contempseris increpatum, ac divina electione futurum Pontificem designatum. Porro quod, In principio erat Verbum, gladio B. Petri Apostoli inscriptum vidisti; cum Verbum Dei sit unigenitus Filius Dei, Deus apud Deum semper, homo autem pro hominibus inter homines factus; profecto scias te ejus Sedis Principem futurum, quæ Christi nomine in urbe Cantuariorum ceteris Ecclesiis insignior celebratur. Hoc signo divinæ prænuntiationis Dunstanus est glorificatus, et hac Regiæ interpretationis conjectura, Pontifex designatus. O signum insigne! o gratiam gratis homini datam! o cordis ejus sinceram puritatem! Adhuc summus Anglorum Pontifex Odo in humanis rebus vitam agebat, et Dunstanus in oculis superni Inspectoris summus Pontifex erat. Mirandum valde quod ipse adhuc terrigena Angelicis concentibus admisceretur in cœlis, mirandum nihilominus quod eum cœli cives frequentabant in terris. Quid cui præponam, hominem cœlicolis adjunctum, an cœlicolas homini destinatos, non satis comperio, nisi quod in altero felicior, in altero erat ille securior. Stupent alii diversas diversarum virtutum donationes, quibusdam hominibus divinitus collatas; ego nihil ita magnipendo, quomodo hominem in hujus mundi turbinibus consistentem, universa mundi animo transcendentem, et in amore Conditoris quiescentem. Martham vivere ministerio, Mariam desiderio, fide operantem, caritate ardentem. Sed nihil diximus, si ea quæ reliqua sunt dixerimus.

præsignatur futurus Archiepiscopus Cantuariensis.

28 At Rex Edredus, letali morbo correptus, decidit in lectum, nec ullam evadendæ mortis spem medici promittebant. Celeriter itaque nuntios legat, qui Patrem vitæ suæ Dunstanum accersant, ut sit ultimi arbitrii testis, confessionum susceptor, et fidelis apud Deum intercessor. Constristatus ergo ad animam Dunstanus, quanta velocitate potuit amicum Regem invisere pergit. Videns autem Deus illum et cordis dolore affligi, et corporis laborem pati, non est passus ut ultra illum afflictio tangeret, quin et dolorem lenivit, et laborem imminuit. Nam cum esset in itinere tendens ad palatium, et membra jejuniis confecta infatigabiliter fatigaret; vox de summo æthere delapsa insonuit; Ecce Rex Edredus obdormivit in Domino. Cujus vocis emissione equus, cui insedebat, percussus interiit; comites tremuerunt, audientes quidem fragorem tonantis, sed quid tonaret non intelligentes. Quibus ipse rem aperiens, commendat animam defuncti Regis in manus æterni Regis : statimque deferentibus nuntiis audit, quod ante sibi de cœlo Angelus absolvit. Ingressus ergo palatium Dunstanus, contemplatur dilecti hominis cadaver jacere : comitum turbas, qui aurati olim solebant assistere, procul recedere : miratur commutationem, miseratur conditionem. Deinde fidem, qua viventem dilexerat, defuncto quoque impendere studens, corporis involucrum in sua suscepit, debitumque sepeliendi officium debito illi honore persolvit.

iturus ad Regem moribundum,

intelligit mortuum,

cumque sepelit.

ANNOTATA.

a *Hic est* S. Elphebus Wintoniensis Episcopus *anno* 951 *vita functus, cujus Acta dedimus* 12 *Martii; sed in priore Vita hæc dicuntur de* Æthelgero Chrydioneusi in Devonia Episcopo. *Ast Osbernus secutus est Adalardum Blandiniensem, et Osbernum descripserunt Osbertus, Capgravius et alii. Alfordus utrumque Episcopatum oblatum et recusatum asserit.*

b *In Evidentiis Ecclesiæ Christi Cantuariensis, post Chronicon Wilhelmi Thorn excusis,* Ediva *appellatur et hæc reservatur* : Anno Dominicæ Incarnationis DCCCCXLIX. Ego Eadredus Rex, præsente Odone Archiepiscopo et Ediva Regina matre mea, dedi Ecclesiæ Christi in Dorobernia monasterium Raculfense, cum tota villa et omnibus ad eam rite pertinentibus, liberam ab omni seculari servitio, exceptis expeditione pontis, et arcis constructione. Ego Dunstanus indignus Abbas cartulam inde, imperante Domino meo Rege, composui, et propriis digitis perscripsi. *Quæ reliqua de auctoritate S. Dunstani hic relata confirmant. Alia donatio* Edivæ Reginæ, et matris Eadmundi et Eadredi Regum, *refertur ad annum* 951. *Ab Adalardo* Edgiva *appellatur.*

CAPUT VI.

Acta sub Edwio Rege. Exilium S. Dunstani.

Post hunc surrexit Edwi, filius Edmundi Regis, ætate quidem juvenis, et nulla regnandi gratia pollens; qui neque ipse sapiens, neque sapientium consilio acquiescens, sed alter Roboam, despectis majoribus natu, puerorum consilia sectabatur. Hos ille perniciosissimos satellites nactus, et eorum non tam consiliis quam insaniis fretus, optimum quemque rebus expoliare, locupletes proscribere, exheredare ecclesias, detrahere religioni, multiplices in civitatibus exactiones exercere; nec solum alienis ab ejus cognatione illius obfuit crudelitas, verum etiam Neronis more in homines sua stirpe oriundos, in ipsam quoque Regum matrem Reginam a Elgivam sua dementia debacchari : præter hæc libidine ardens, sine intermissione æstuabat ad coitum. Quibus rebus venerabilis Pater Dunstanus graviter offensus, frequenter eum simul et acriter in locis opportunis increpare : ille increpantem ridere, simulque multa illi mala minari. Postquam autem industriam

Edwium Regem insolentem et libidinosum

a frustra admonet :

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

A industriam suam nihil videt prævalere; omnino denique ejus colloquio abstinendum.

trabem ruentem Crucis signo retrahit.

30 Itaque relicto illo, monasterio recipitur, ibique in tanta celsitudine religionis deguit; ut mensuram sancta excederet devotio. Hoc in loco turris extructa erat, quam necdum ulla in supremo cacumine tectura claudebat : cumque populus trabem, totius operis sustentatricem, summis muris applicare contenderet, repente ruptis funibus eadem trabes deorsum ruere cœpit. Clamor ingens [oritur] totius populi, Dunstanum iteratis vocibus perstrepentis. Advolat itaque ocior Sanctus, elatam dexteram machinæ opponit, e regione Crucem depingit. Necdum sancta manus sanctos contraxerat digitos, cum ea quæ vergere cœperat trabes, non vinculis astricta, non machinis levata, non denique ullo humani ingenii apparatu sustentata, ad locum de quo ruere cœperat revehi videbatur. Si tantæ gloriæ malignus spiritus non inviderel, cui invideret? Si tunc virus malignitatis suæ non effunderet, quando effunderet? Nihil ergo dubietatis ulterius de viro Dei habens, semel atque simul omnes insidiarum

diabolum in specie ursi fugat :

B suarum laqueos illi intendere statuit. Translatus itaque in speciem ursi consimilem, hiante rictu, orantem aggreditur; injectisque ungulis pastoralem, quam manu tenebat, virgam complectitur, atque ad se trahere conatur. At divinus Dunstanus, Divinitatis spiritu fortiter roboratus, retractum ad se baculum erigit in sublime, fugientem belluam dirissime cædit; nec prius monstrum cædendo desistit, quam flagellum in tergo illius tribus in partibus comminutum apparuit.

Regem ab adultera abstrahit :

31 Victus ergo in se diabolus, in aliis victorem suum vincere quærit : neque enim rerum occasiones longe abfuerant, quibus id quod perverse moliebatur, in usus malignos transferret. Nam Rege præfato, eodem quo consecratus fuerat die, in turpes concubitus publice devoluto, ac per hoc omni Senatorio ordine offenso, nemine tamen ejus lasciviam redarguere auso; pari ac communi omnium voto Dunstanus compellatur, qui Regem constanter adeat, regium stuprum divina humanaque ratione compescat, mulieris adulteræ meretricium suspendii comminatione percellat. Fecit hoc ille : et parum est hoc : repertum insuper cum adultera simul et filia illius Principem a mœchali thoro violenter abstraxit, positaque in capite ejus corona, ante summum Pontificem Odonem adduxit. At ganea sanguineos

cujus impulsu proscriptus,

intorquens oculos, Tu inquit, mortis me suspendio

C addixisti; ego te membrorum decore privatum, sempiterno exilio damnabo. Cujus invectionis tenore spiritus nequam arrectus, ultionem de viro Dei nefandæ meretricis impulsu exspectat. Itaque mulieris animum diabolus instigat, Regis iram mulier exaltat, ambo exilium Dunstano intentant. Et primo equidem, urgente Regis edicto, omnes monasticæ religionis Ecclesiæ suis rebus spoliabantur; ut quæ præcipue semper viro fuere lætitiæ, nunc eidem quam maximo fierent mœrori. Deinde cum ventum fuisset Glastoniam, et descriptis omnibus ipse pro-

dæmonis cachinnos reprimit.

scriptus fuisset, inter lacrymas monachorum, ejus manu nutritorum, inter lamenta venientium ad se ex omnibus locis amicorum, inter gemitus pauperum consuetis stipendiis per singulos dies ab illo recreatorum, audita est in atrio templi vox plaudentis diaboli, quasi vox juvenculæ, acriter atque minute cachinnantis. Quem Sanctus severa fronte suspiciens, Nihil, ait, super exilio meo gratuleris, quoniam plus est quod me redeunte doleas, quam quidquid me exulante lætari valeas. Ad quod dictum, pallidi regni pallidus minister abscessit.

32 Dunstanus autem non immemor quid sibi divinus olim citharœdus præcinuerit, imo Dominicæ

D memor promissionis, qua beatos fore qui pro justitia persecutionem patiuntur, Christus asseruit, marinis se fluctibus tradit, contrarium littus in gente Flandriarum attingens. Ubi eminenti coram *c* Principe terræ illius gratia inventa, manebat in monasterio B. Petri, quod situm est Gandavi; propterea quod illud ceteris illius regionis monasteriis et professione virtutis et philosophiæ documentis excellere videbatur. Nec tamen cessat vesana furentis mulieris insania, quin omnibus, qui virum Dei tempore suæ recessionis hospitio foverant, perscrutatis, proscriptis, damnatis, ipsius quoque oculis eruendis malignos transmitteret ministros. Verum miserante divina clementia, cujus numquam auxiliis destituebatur, ante illum Gallia susceperat, quam equoreos servi Jezabelis fluctus attigissent. Exultat itaque Sanctus, nulla exilii per gratiam Dei damna deplorans, dum suis meritis ita sibi omnes devinciret, ut patriam esse exilium putaret. Super hæc illum amici *d* Apostoli consolatio fovit; qui nullius rei quam ipse expeteret eum indigere permisit.

Matth. 5, 10, et in Flandriam navigat : c

omnibus carus d

33 Respiciens ergo Christi clementia Anglorum populum, tanto Patrono destitutum, suscitavit corda

E virorum ab Humbre fluvio usque ad flumen Tamisium, supra quod urbs Lundonia est fundata, adversus impium Regem Edwium : qui omnes quasi in unum hominem translati, non modo regnum ipsius abjicere, verum etiam ipsum regno expellere moliti sunt, propterea quod in commisso regimine insipienter egisset, sapientes disperderet, ignaros boni suis consiliis ascisceret, prorsus libidine atque arrogantia præceps abiret. Coacti itaque in turbam, Regem cum adultera fugitantem, atque in inviis sese occultantem, armis persequi non desistunt. Et ipsam quidem, juxta *e* Claudiam civitatem repertam, subnervavere, deinde qua digna fuerat morte mulctavere. Porro Regem per diversa locorum *f* semetra deviantem, ultra flumen Tamisium compulere. Deinde accito fratre illius, optimæ indolis adolescente, Edgaro (quem futurum Regem cœlesti quondam oraculo designatum fuisse prædiximus, dum pacem regnique salutem suis ac Dunstani temporibus Angeli prædicarent) statuunt illum Regem super omnes provincias, ab Humbre magno flumine usque ad flumen Tamisium, quo flumine amborum Regnum ab invicem dirimebatur. Ita Regnum, quod unum fuerat in duos Reges divisum, gravibus aliquantisper conflictibus bellorum sudabat; impleta tunc veridica illa Salvatoris sententia, qua omne regnum

F in seipsum divisum asserit destruendum, et domum super domum esse casuram. Edgarus quotidie erat proficiens ut David pietate ac fortitudine, atque ut Salomon sapientia, divitiis et gloria : Domus autem Edwy indies decrescere, cum ipse in flagitiis crescere non desiverit.

Conspirantibus Anglis

necatur adultera · e

f

Edgarus Rex statuitur.

ANNOTATA.

a S. Elgiva *sive* Algyfa *colitur* 18 *Maji. Osbertus hæc ita explicat :* Matrem quoque, totius regni Anglici auctricem et nobilitatricem, Ecclesiarum consolatricem, et sustentatricem oppressarum et inopum, Edgivam dico Reginam, in immensum afflixit; ac vastatis rebus ad eam pertinentibus, ab eo statu in quo esse solebat, sævus ac crudelis dejecit. Gemebat Dunstanus in istis etc.

b *Addit Osbertus :* Fecit sibi utique alium scipionem crassum et fortem, ac illius summitatem argento circumposito decoravit : quod argentum, in suprema parte sui in modum concavæ sphæræ formatum, dentem B. Andreæ Apostoli gestat inclusum. Quem dentem Dunstanus inibi posuit, tum ut insuperabile munimen sibi præstaret contra incur-

sus

AUCTORE OSBERNO EX MSS.

A sus malignorum spirituum, tum quia præ ceteris Sanctis dulci affectu diligebat eumdem Apostolum. Propter quæ sæpissime illius familiari fovebatur alloquio, muniebatur consilio, et auxilio relevabatur.

c *Adalardus Blandiniensis.* Magnum adiens Arnulfum. Hic tempore eodem nobile quoddam cœnobium, nomine Blandinium, a Sancto quondam Amando structum, in meliori elegantia renovavit, ibique magnum Dei Sacerdotem Wandregisilum cum sociis Archipræsulibus nutu Domini transtulit, quo B. Dunstanus aliquamdiu moratus, exempla lucis imitanda reliquit. *Vixit dictus* Arnulfus *usque ad annum* 964. *Ast exilium* S. Dunstani *adscribunt anno* 956 *Wigorniensis, Dunelmensis, et alii.*

d *Idem Adalardus* : In quo exilio tua, Christe, gratia non est destitutus, quo inter crebra Sanctorum solamina, Sanctum ei Andream Apostolum consolationis tuæ gratia destinasti : in quo teipsum magnus ille famulus tuus amplexus, Alleluia totis animi organis dixit, gratias tibi et hymnos persolvit. *Meminit Osbertus* S. Andreæ *cum visitantis.*

e Claudia *creditur nunc* Glocestria, *ad Sabrinam fluvium. Osbertus* juxta Glaverniensem civitatem *habet.* B

f Semestrum, *intervallum, ex Latina præpositione* se *et Græca voce* μέτρον.

CAPUT VII.

Reditus in Angliam. Collati Episcopatus Wigorniensis et Londinensis, et Archiepiscopatus Cantuariensis. Exercitia miraculis adornata.

Post paucos autem electionis suæ dies, præcepit Edgarus Dyarcha totius Regni sui concilium celebrari, in quo annihilatis omnibus quæ a fratre ejus iniquis fuerant legibus decreta, ac restitutis omnibus quæ violenta illius fuerant dominatione ablata, Dunstanum quoque venerabilem Abbatem in magna gloria de exilio revocavit, et majore quam ab omnibus ante Regibus honoratus fuisset gloria sublimavit. Cui etiam ut Pontificale decus susciperet, vehementi petitione imminuit; nec ante a precibus quiescere voluit, quam illum a sententia ad consentiendum retraheret, et Ecclesiæ Wigorniensi, quæ sub C honore beatæ Virginis Mariæ pollebat, Pontificem præficeret. Qui dum Doroberniam sacrandus adveniret, et recitata petitione Cleri ac populi summus Dei Sacerdos Odo gaudenter annuisset; mirabile dictu, ceterum consecrationis ministerium, non quasi super Antistitem Wicciorum, sed sicut super Archiepiscopum Cantuariorum mirabiliter atque hilariter absolvit. Qua de re a circumstante Clero reprehensus, quod contra Patrum decreta ageret, qui unius Ecclesiæ duos prohibent esse Sacerdotes, nec per jus hereditatis fieri electionem successionis, tale fertur responsum dedisse : Si divinis humana non cederent, jure mihi hominum auctoritas prætendi posset : nunc vero, quoniam auctor omnium Deus est, non possum illud non facere, quod faciendum Spiritus Dei dignatus est præcipere : erit namque beatus iste proximus post mortem meam hujus sedis Archiepiscopus, et adversus mundi Principem fortissimus præliator. Hac ille summi Pontificis ratione defensus, procedit ad populum, summus et ille Pontifex Cantuariorum prætitulatus, gestans insignia Aaron, non legis velamine adumbrata, sed divinæ propitiationis munere per gratiam Christi insignita. Inde ad Ecclesiam quæ sibi fuerat consignata reversus, atque in Cathedra Pontificali sublimatus, recordatus est quid olim exultanti diabolo

S. Dunstanus revocatus,

et Episcopus ordinandus,

consecratur ut Archiepiscopus :

promisisset, cum illum regalis impietas exilio adscripsisset. Itaque obviis in illum manibus insurgere, membra ejus Evangelico gladio dividere; et oves; quæ circumquaque errabundæ ferebantur, ad Dominicum ovile revocare. D

35 Interea mortuo impiissimo Rege Edwio, atque in sortem malignorum spirituum translato; Dunstanus in Ecclesia, cui præerat, divinis meditationibus inserviebat, nihil sciens quid de Rege actum fuisset. Et ecce tartarea cohors, sub ejus aspectu exultando, quasi chorum ducere, et veluti de capta præda lætas victorias agere. Perscrutatur itaque Sanctus causam lætitiæ, audit Regem obiisse, animam illius gehennalibus statim incendiis a tradendam, sed prius hoc Dunstano ex divino imperio nuntiandum. Motus itaque pietate Dunstanus, solotenus prosternitur, largifluus ex oculis lacrymarum imber producitur, pulsat Deum precibus, nec ab illo orando quiescit, quousque spiritum Regis liberatum cognoscit. Brevi autem morula peracta, redit tristis legio infernalis, magnoque clamore in has voces erumpit : O te hominem hominum! O fidei alienum! O nostris beneficiis semper ingratum. Nos detulimus obsequium, tu nobis retulisti supplicium. Ad ulciscendas injurias tuas de E regione tenebrarum venimus, et ecce adversis imprecationibus tuis confusi redimus. Cumque ille depromendæ veritatis præceptum dæmonibus indiceret; agnoscit, animam Regis Angelica virtute illis sublatam, ad statutum terminum sub signaculo servatam, nihil juris in illam dæmones habere, sed in sortem pœnitentium animarum eamdem cedere. Tum ille exultans in Domino, furores illorum tali ratiocinatione compescuit : Quid, inquit, injuste actum est vobis? Si peccavit homo iste in Christum, et in me peccavit : Sed quoniam meas propter Christum dimisi injurias, dimisit et suas Christus, cum ejus ego clementiam deprecatus sum. Quod ergo Christus et ego dignati sumus clementer indulgere, vos qua temeritate audetis improbe reprehendere? Qua sententia tetri spiritus, quasi Parthica percussi sagitta, muscarum modo a vento raptarum dissiliunt.

Mortuo R. Edwio dæmones exultantes videt,

sed precibus suis animam servat.

36 At Edgarus, totius imperii Monarcha effectus cogitabat beatum virum super omne Regnum constituere; nolens in Regno sine illo crescere, quem ante Regnum præ ceteris studuerat familiarius diligere. Unde apposito Patribus suis Lundoniensi Episcopo, rogatu Regis ac Principum Dunstanus F successione donatur, annitentibus quoque omnibus ejusdem urbis habitatoribus, et importunis vocibus illius nomen acclamantibus. Audierant namque quam fuerat a primæva ætate Deo acceptissimus, quam in illa cui præerat Ecclesia solicitus, quam denique in omni re bona et optima probatissimus; et ea re noluerunt habere alium, cum possent habere lectissimum. Neque illum juvit excusatio, Canonum auctoritate prætensa : qui sicut Ecclesiam unam duobus esse Episcopis contradicunt, ita duas Ecclesias uni Episcopo fieri posse non permittunt; cum Joannes, inquiunt, dilectus Domini septem Ecclesiis atque earum Episcopis præfuerit, et Beatus Paulus omnium solicitudinem Ecclesiarum simul et magisterium habuerit. Talibus beatus Pontifex rationum testimoniis victus, Lundanæ urbis Antistes inthronizatur; non relinquens eam quam ante habuerat Ecclesiam, sed utrique præsidens, utramque regens, utriusque verus ac proprius Pontifex existens.

Factus Episcopus Londinensis,

utrique Sedi præest;

37 Habes ergo, sanctissime Pater, gladium Pauli, quem tibi cœlitus destinatum olim ipse detulerat, et ad dividendos Ecclesiæ inimicos habendum tradiderat. Et quamvis prior tua Pontificalis potestas, non absque vigore Evangelicæ disciplinæ, administrata sit;

gladio S. Pauli Londinensis,

A sit; non tamen eam aut gladio aut persona Præsidentis præmonstrari opportuit, propterea quod neque Virginem gladius decet, viros autem decet: neque mutando locum mutasti obsequium, cum a Virgine matre Domini transires ad Apostolum Domini, a Wirecestra ad Lundoniam. Accingere ergo, bellator fortissime, accingere gladio potentiæ Dei, factus potens per eum, qui supra femur quoque est potentissimus, ad dimicandum adversus mundi rectores tenebrarum harum, contra spiritualia nequitiæ in cœlestibus. Deinde illos qui per nefarium scelus illicito abutuntur matrimonio, recte revocet ab inferenda ultione aut Regalis potestas, aut Romani Pontificis singularis sublimitas. Da sententiam in populi seductores argentarios, et non prius ad sacrum altare die Pentecostes oblaturus procedas, quam et illos vindicta feriat, et populo Dei justitia proveniat. Ubique tuarum signa virtutum relinque; ubique Dominicæ crucis trophæa erige. Promereberis etenim post modicum gladium Petri; in quo innumera, sicut Petrus omnium generum animalia, occides, et in corpus Ecclesiæ manducando trajicies. Promereberis inquam, gladium Petri, insignitum nomine omnipotentis Filii Dei, ut in omni Anglorum latitudine ligandi solvendique potestas per illum tibi augeatur, nec valeat in ovile intrare ovium, qui te ductore non ascenderit per ostium. Quam merito Ostium horrei Dorobernia sonat, ut Horreum sit amplitudo imperii Anglorum, Ostium vero Principatus Ecclesiæ Cantuariorum.

B *dein gladio S. Petri usurus Cantuariæ.*

40 Excessit ergo humanis rebus, deductus Angelorum manibus ad paradisum, Princeps Sacerdotum Odo, vir clarus sapientia et virtute laudabilis, et, nisi Dunstanus succederet, ab omni Anglorum orbe semper deflendus. Post cujus obitum cum Rex Dunstanum adjuraret ut Princeps fieret Sacerdotum, nec ille adjuranti ulla ratione assensum accommodaret; assistunt quidam, quorum manus Wentoniæ Episcopus Elffinus impleverat, postulantes confirmari illi summum Sacerdotium: hic enim et ante Odonem summum Sacerdotium ambierat, sed custos Ecclesiæ suæ Christus ambitionem illius impediebat. Itaque Rex eos qui muneribus Pontificis corrupti fuerant, nihil suspiciens, et ob hoc simplici eos animo exaudiens, orbatam Pastore Ecclesiam eidem tradidit gubernandam. Sed cum Romam profectus fuisset, ut Pallium a Sede Apostolica susciperet, gravi inter Alpes frigore correptus misere interiit, digna sibi ultione divinitus recompensata, ut qui ab amore cœlestium friguisset in corde, per frigoris asperitatem periret in corpore; et qui alienos honores ambire præsumpsisset, ipse in aliena regione mortuus, honorem pariter et vitam amitteret. Iterum preces de Archiepiscopatu Dunstano funduntur, nec quidquam, in animo illius consensionis operantur. Quapropter deligitur ad Patriarchatum Cantuariensis Ecclesiæ, Berthelmus Dorsatensium *c* Episcopus, homo mansuetior quam industrior; et qui suæ magis quam alienæ vitæ nosset consulere. Is post paucos suscepti Pontificatus dies, cognitus quod ad tantam rem minus esset idoneus, jussus a Rege et omni populo, Cantuaria discedit; atque ad relictam nuper Ecclesiam suam, non sine verecundia rediit: Dominus namque agebat pro Dunstano, ut impleret verbum suum, quod promiserat in manu Principum regni sui. Advertens autem Rex Edgarus, horum reprobationem melioris esse vocationem, solumque in omnibus hominibus esse Dunstanum, cui nemo conferri imo omnibus posset præferri; tertio illum precibus fatigatum, tandemque tum sui ipsius tum omnium Episcoporum importunitate superatum, primæ Metropolis Anglorum Primatem ac Patriarcham instituit.

Post felicem mortem S. Odonis,

interitum Elfini,

C

c et Berthelmum rejectum,

constituitur Archiepiscopus Cantuariensis.

D *A. OSBERN EX MSS*

Quem statim ob robur Apostolicæ fidei vel auctoritatis, ad Romuleam urbem profectum, Romanus Pontifex videre promeruit: eumque sacris Pontificalibus decoratum, quasi Angelum Domini exercituum ad exhibendam divinæ legis scientiam, aut quasi columnam lucis ad illuminandam faciem terræ, genti Anglorum transmisit.

41 Ecce quemadmodum impleta sunt, quæ per gladium Verbo Dei inscriptum, ac beata Principis Apostolorum Petri legatione exhibitum, tanto ante prænuntiata fuerunt. Sed quid sibi vult quod de manu tertii Apostoli tertium gladium acceperit, cum in Ecclesia quæ sub ejus nomine apud Rovecestram *d* venerabilis habetur, Pontifex nequaquam sederit. Sedit plane potestate, etsi non corporali sessione. Sedit, inquam, potestate, imperio sedit, defensione sedit, beneficiis sedit. Sed ne virtutum illius gratia urbs Cantuaria esset privata, aut augmentum suscepti honoris, diminutio præteritæ videretur fuisse virtutis; dignatus est Spiritus sanctus novis quibusdam gratiæ suæ principiis ita virum in Ecclesia Salvatoris clarificare, ut mirabilis ipse extra hominis naturam videretur esse. Nam cum die adventus sui primo sacris altaribus assisteret, et populo Dei vivificum panem distribuendo porrigeret; repente contecta nube domo, columba, in Jordane a Joanne olim visa, iterum apparuit, quæ, quousque sacrificium fuisset consumptum, super illum mansit. Cumque consumptum fuisset sacrificium, requievit supra memoriam Beati Odonis, quæ ad Australem partem altaris in modum pyramidis extructa fuit. Ex qua die ita Pontifex meritum ejusdem hominis Dei reveritus est, ut numquam pertransiret nisi genua flecteret, bonumque illum vocaret, ita dicens, hic requiescit Odo bonus.

d

Cantuariæ in prima ejus Missa apparet columba,

E

42 Per idem tempus quidam, magnus videlicet et potens, Salvatori ædiculam instituit, ad quam sacrandam et jure proprio possidendam venerabilis Pontifex Dunstanus invitatus accessit. Ubi cum ad ministerium dedicationis aqua defuisset, ac per hoc invitatori verecundia accessisset; ad vocem viri quam per naturam non habuit, per gratiam Dei arida rupes aquam profudit: quæ de eadem rupe usque hodie manans, ac salutiferum fidelibus poculum præbens, Dunstani nomen celebre facit.

et in dedicanda Ecclesia aqua e rupe manat,

43 Dunstanus igitur candida Apostolatus sui stola a Romano, ut diximus, Pontifice infulatus, et universæ Anglorum genti, necnon et aliis regionibus Anglorum regno suppositis, Patriarcha destinatus, festinabat singulas regionis digredi civitates; ut si quibus nomen fidei incognitum fuisset prædicaret, et domesticos fidei Apostolica traditione ad bonum opus instrueret. Nec facile erat quempiam auditorum ejus non esse docibilem, propterea quod tanta illi rerum sublimitas inerat, tanta dicendi facultas, ut nihil esset aut inventu sapientius, aut dictu ornatius, aut auditu jucundius. Cum autem a forinsecis rebus requies data fuisset, tunc conjunctius cum Deo manere, sacris vigiliis insistendo, divinas Scripturas legendo, aut earum codices emendando. Summumque studium erat, ut numquam a divinis operibus vacaret: sed nunc verum judicium inter virum et virum discernere, nunc impacatas hominum mentes placido sermone tranquillare; horum inepta dissolvere conjugia, illorum hæreticam refutare opinionem; hic neglecta renovare, illic nova construere; neque aut superfluas ædificationes aggredi, aut necessarias prætermittere; viduis, orphanis ac peregrinis, ex justis Ecclesiæ reditibus subvenire; pecuniam non lucri æstimatione, sed pietatis acquisitione habere, totam operam suam patriæ impendens; et magis repellere ejus excidia, quam propria pericula.

F

obit regnum prædicando,

aut propriæ pietati indulget.

OSBERN. EX MSS.

A et ipsi rem tenuere, et displicuisse sibi Regem vehementer displicuit. Sed illo post triennii tempus novercali fraude *e* occiso; Ethelredus frater ejus regnandi sceptra obtinuit. Quæ res quamvis infesto fieret Dunstano, vel quia per effusionem sanguinis innocentis ad regnum perveniret, vel quoniam parum prudentiæ ac fortitudinis illi inesset; non erat tamen consilium resistere, propterea quod filius Regis et proximus tunc heres videretur esse. Attamen in die consecrationis suæ, post impositam coronam, fertur Dunstanus hoc illi prædixisse : Quoniam aspirasti ad regnum per mortem fratris tui, quem occidit ignominiosa mater tua, non deficiet gladius de domo tua, sæviens in te omnibus diebus vitæ tuæ, interficiens de semine tuo, quousque regnum tuum transferatur in regnum alienum, cujus ritum et linguam gens cui præsides non novit : nec expiabitur nisi longa vindicta peccatum tuum, et peccatum matris tuæ, et peccatum virorum qui interfuere consilio illius nequam.

e eoque interfecto Ethelredum,

divinam et ultionem prænuntians.

49 His temporibus *f* contigit Athelwoldum, Wentanæ Ecclesiæ Antistitem, cum alio quodam *g* Rofensi Episcopo Cantuariam venire, magnumque B Dunstano de adventu suo gaudium præstitere : propterea quod ejus cura alti, docti, ac per varias virtutum disciplinas ad summos Ecclesiæ honores fuissent provecti. Plerisque ergo diebus in mutua sermocinatione simul et exultatione peractis, egreditur Archiepiscopus de civitate, volens ad locum Christi Ecclesiæ *h* mansionarium proficisci. Illi vero comitabantur deducentes eum, quousque illos via dirimeret, quæ unumquemque ab altero separatum, ad locum quo ire disponebat dirigeret. Cumque imminente jam vespera procul adhuc a loco distarent (tardiuscule enim quam hora postulabat de urbe exierant) deprecatur Archiepiscopum Rofensis Antistes, ut ad vicinum Ecclesiæ suæ patrimonium divertat, nocturnum tempus secum transigat; mane vero, si ita placuerit, migrationem faciat. Cui ille postulationi dignanter annuens, ait : Si confrater noster *i* Athelwoldus mecum venire voluerit, in me nulla veniendi mora erit. Assentiunt ergo Pontifices in eodem, pariterque paratum sibi habitaculum subeunt. Jam aurea lux noctis fugaverat umbras, cum beati illi in viam progressi collem ascendunt, inde ab invicem vicaria pacis relatione dividendi. Extendens autem manum summus Dei Sacerdos, ut coessentes secum minores Pontifices benediceret atque dimitteret; extemplo erupit in fletum, fletum C adeo magnum, ut vix de sancto pectore vocem valeret efferre. Expavescunt ad factum Pontifices insolitum, fletuum causas soliciti perquirunt, et post modicum hoc ad quæsita responsum accipiunt : Ea, inquit, re fleo, quoniam vos in proximo morituros scio. Cumque illi referrent; Noli, sanctissime Pater, tam dira nobis prophetia occurrere : non enim moriemur, sed iterum atque iterum pariter nos incolumes videbimus; tali quod dixerat responsione firmabat : Quod dixi necesse est fieri ; Moriemini, namque huic seculo, sed vivetis Deo ; Moriemini in hac vita diutius non mansuri; sed ad Deum vadetis, æternaliter cum illo victuri. Divertunt ergo Pontifices ab invicem, mœrentes pro invicem, magis tamen pro se quisque pio timore solicitus. Sed Rofensis Episcopus abiens in civitatem suam, mox ut intravit vehementer ægrotavit, postque paucos dies, prout veriloquus prædixerat vates, e seculo migravit. Athelwoldus vero, priusquam ad propriæ Sedis urbem veniret, ultimo corporis languore correptus, cœlestis sedis habitationem suscepit.

f

g

Visitatus a Wintoniensi et Roffensi Episcopis,

h

cum illis egressus,

i

utrique prædicit instantem mortem.

50 Super cujus morte venerabilis Pater admodum contristatus, sive quod sanctissimæ semper religionis fuerit, seu quod magnam de substituendo Sacerdote litis occasionem viventibus dereliquerit, deprecatus est Dominum desertæ Ecclesiæ benignum fore D provisorem. Cui mox deprecandi assistit familiaris suus Andreas Apostolus, precibus ejus Deum dicit annuere Batensem Abbatem, nomine *k* Elfegum, monet adducendum, et ex divinitatis consilio Wentanæ Ecclesiæ Antistitem præficiendum. Ita quidquid rerum ipse desiderasset per interpretem Apostolum confestim a Deo consequebatur : sed et ille vicem honoris Apostolo persolvens, in omni obsequio illi studebat deferre, Basilicas in nomine ejus fabricare, fabricatas muneribus decorare. Dum ergo quodam tempore præfatus Rex, propter quasdam dissensiones, civitatem obsideret Rofensem, et facta capiendi illam difficultate patrimonium B. Apostoli devastando invaderet : mandavit eidem beatissimus Pontifex ab stultitia quiescere, Andream sicut ad præstandum facilem, sic ad ulciscendum virilem in promptu esse, ut potentiam illius ipse experiatur, si hereditatem illius vexare non destiterit. Contemptus a Rege Dunstanus, iterum currentibus nuntiis eadem suggerit, insuper argenti pondo centum transmittit. Qui accipiens recessit ab obsidione : quod simul atque Pontifici renuntiatum fuisset, miratus cupiditatem hominis, hoc illi scribere curavit. Quo- E niam prætulisti pecuniam Deo, argentum Apostolo, meæ voluntati tuam cupiditatem, velociter venient super te mala quæ locutus est Dominus : mala qualia non fuerunt, ex quo gens Anglorum regnare cœpit, usque ad tempus illud : attamen vivente me ista non erunt, quoniam et hoc locutus est Dominus. Quæ omnia ita contigisse, et in Annalibus legere, et nostris temporibus est videre

Per S. Andream,

k impetrat S. Elfegum Episcopum Wintoniensem,

et Regi propter Roffensem civitatem obsessam,

mala eventura prædicit.

51 Sed ut jam Beatum illum de quo loquimur, fidentius pro obsequio alloquamur, et sic ad felicem ejus transitum madentibus oculis transeamus. Quantæ illud contemplationis est, Pater mirabilis, Pater inæstimabilis, quam excedens omnium mortalium mentes, quod vel Dei genitricem in hac mortali vita, vel tuam genitricem in æterna videbas vita ? In cœlum namque deducebaris, in terris beatis agminibus illis oblectabaris ac modulationibus Angelorum, eamdem *l* genitricem tuam quasi nuptiali thalamo æterno Regi copulantium, et suave Kyrie eleyson modulantibus organis resonantium. Cumque de tuæ taciturnitatis silentio argueris, quod inter tanta æternæ vitæ gaudia solus tu a divinis laudibus cessares, cum præcipue tibi pro honore parentis gaudendum fuisset; referresque hujus tantæ suavitatis inscium te esse, quam breviter quamque dulciter a civibus civitatis illius edoctus, in has voces cantando erupisti : F O Rex dominator gentium, salva genus Christianorum in terra adhuc peregrinantium, ut et ipsi post inimicitias ad gratiam revertantur, et Angelicæ ruinæ per illos damna reparentur. Jam vero quibus exultationis labiis edicam, quod matrem Domini Salvatoris, Reginam mundi, Dominam Angelorum, virgineis oculis vidisti, non Vestali choro circumdatam, sed Virginali corona circumfusam. Felices oculi tui, qui illam videre potuerunt; cujus castissima viscera, cœli ac terræ Opificem portare meruerunt. Felices oculi tui, quibus datum est illam videre, quam speciosam super filias Jerusalem Angeli venerantur, homines desiderant, pavescit tartarus, et omnis creatura eam miratur. Nec inde solummodo felix, quod illud singulare totius orbis decus videre potuisti; potuisti etiam mellifluas ejus voces audire, quibus socias Virgines ad collaudandum Regem seculorum, ex sua carne temporaliter procreatum, hortabatur, concinens illud viri sapientis ac Senatoris Sedulii.

l Videt matrem suam inter Sanctos,

et Deiparam Mariam,

præcinentem laudem Christi.

Cantemus Domino sociæ, cantemus honorem,
Dulcis amor Christi personet ore pio.

et

A Cumque ab aliis Virginibus hoc fuisset exceptum, aliæ quæ sequuntur versus pronuntiabant.

Primus ad ima ruit, magna de luce superbus
Sic homo cum tumuit, primus ad ima ruit
Unius ob meritum cuncti periere minores,
Cuncti salvantur unius ob meritum.
Sola fuit mulier, patuit qua janua læti,
Ex qua vita redit, sola fuit mulier.

Atque in hunc modum totius carminis bini ac bini versus procurrebant, illis semper repetitis, qui primi a matre Domini dicebantur.

Cantemus Domino sociæ cantemus honorem.
Dulcis amor Christi personet ore pio.

Hæc tu, Pontificum dignissime, acutissima vi corporalium oculorum in spiritualem potentiam translatorum videre potuisti : hæc tu, intime cœlestium arcanorum perscrutator, audire potuisti : his tantis tamque stupendis rebus interesse potuisti. O sancta animi tui puritas, et pura sanctitas, quam sic honorat supernæ civitatis suprema dignitas! O decus ac præmium virginitatis, cui sic aggaudet natura Virgineæ simul atque Angelicæ dignitatis. Sed ecce supra vires viventium est, viventis tui in corpore laudibus B immorari : quantominus transeuntis tui et cum Christo æternaliter regnantis condignas laudes valebimus effari. Præstet omnipotens Deus per potentissima merita tua, ut vel finem vitæ tuæ quantulumcumque laudabili valeamus sermone describere, quatenus quem semper nobiscum corporaliter viventem non licuit habere, liceat saltem ex consideratione pretiosissimæ mortis sempiternam tui vitam agnoscere, agnoscendo diligere, et diligendo beatæ mercedis aliquid per te piissimum Patrem a Deo obtinere. Discant interim devoti tantorum mirabilium auditores, exemplo tui sobrie vivere, sacras frequenter excubias celebrare, castis orationibus inservire : quoniam et tu idcirco talibus tantisque gaudiis interesse meruisti, quod aliis dormientibus ipse in sanctis desideriis vigilasti, orasti, horamque ultimam sine intermissione cogitasti. Nec tamen sufficiens erat in secreto cubiculi tui ista operari, nisi etiam nocturnis frigoribus ædem beati Patris Augustini frequentares, et inde ad vicinum præfatæ Virginis templum hanc gloriam Dei visurus procederes.

ANNOTATA.

a *Osbertus appellat* puellam, quæ Wiltoniæ inter C sanctimoniales non velata degebat, sed timens pudori *suo*, raptim capiti suo imposuerat velum. *Osbernum descripsit Capgravius.*

b *In Chronico Joannis Bromton ita additur.* In cujus rei memoriam, in capite refectorii ejusdem monasterii, supra caput Crucifixi metrice sic scribitur :

Humano more Crux præsens edidit ore
Cœlitus effata, quæ perspicis hic subarata.

c *Hector Boethius in sua Historia Ecclesiastica Gentis Scotorum lib.* 6 *cap.* 545, *hunc* Fotbadum *appellat, et more suo fingit victorem extitisse : quæ non merentur refutari. At Osbertus* Bernelmum *vocat.*

d Edgarus *mortuus est anno* 975, *ejus memoria celebratur* 8 *Julii.*

e *Acta* S. Edoardi *Regis Martyris illustravimus ad diem* 18 *Martii, ubi varia* §. 3, *diximus de coronatione Regis et translatione Angliæ ad Danos ob ejus cædem, quæ contigit anno* 980. *Hujus soror* S. Editha *Virgo colitur* 18 *Septembris. Hanc viventem laudavit, mortuam sepelivit, et cœlesti monitu elevavit,* S. Dunstanus, *uti suo tempore referetur.*

f *Hæc visitatio contigit anno* 984.

g Alstanus *hic est anno* 974 *creatus Roffensis Episcopus.*

h Locus Ecclesiæ mansionarius, *videtur dici pro* D Manso *seu* Manerio, *id est, prædio.*

i S. Athelwoldus *sive* Ethelwordus *colitur Kalendis Augusti. Cooperante hoc Episcopo, et* S. Oswaldo cum S. Dunstano, instituta 48 monasteria, *scribit Osbertus.*

k *Hic est* S. Elphegus, *qui dein anno* 1006 *factus Archiepiscopus Cantuariensis, et postmodum anno* 1012 *a Danis occisus, Martyr colitur* 19 *Aprilis, quo die ejus Acta dedimus, ab eodem Osberno descripta, in quibus cap.* 2 *late sanctitas* Dunstani, *electio et consecratio* S. Elphegi, *cum gaudio Regis et reverentia Wintoniensium, describitur; et cap.* 3, *indicatur lætitia* S. Dunstani *ob virtutes* S. Elphegi, *et hujus oratio ut eum sibi possit successorem habere.*

l B. Chinedrita *mater* S. Dunstani, *hac de causa ad diem* 8 *Maji inscripta est Gynecæo Sacro Arturi a monasterio.*

A. OSBERNO EX MSS.

CAPUT IX.

Ultimum vitæ triduum, felix obitus, sepultura.

Anno igitur Verbi incarnati duodecim minus a millesimo, adventus Anglorum in Britanniam quingentesimo sexagesimo tertio, sanctissimus Deoque dilectissimus Dunstanus, transitoriam præsentis vitæ deserens lucem, ad lucem beata atque æterna jucunditate præditam pervenit; ubi sicut sol ex claritate Dei resplendet, et diem æternum æternaliter possidet, anno Patriarchatus sui tricesimo tertio, nativitatis autem circiter *a* Septuagesimo, cum jam esset omni virtutum charismate plenus, et Deum videndi desiderio fatigatus. Cujus venerabilis transitus, tam a se quam ab aliis multiplici revelatione præscitus, sibi gaudium, aliis gravem ingessit mœrorem. Sibi gaudium, quoniam quod per spem in vita jucundius habebat, id per rem se visurum, et eo perpetuo fruiturum gaudebat; ceteris mœrorem, quoniam qui similiter divinis et humanis rationibus excelleret, neminem deinceps in terra apparriturum existimabant.

a

53 Sed nos multiplicium rationum multimoda relatione postposita, eorum quæ proposuimus singula singulis tantum rationibus demonstrabimus. Dies ergo *b* Ascensionis Christi festivus, diem clarificationis B. Dunstani præcessit tertius. Tantæ itaque diei surgente aurora, Sacerdos quidam nomine Algarus, doctrinæ et actionis merito præcipuus (quem postea nobilem in *c* Helucam Episcopum claruisse accepimus) dum sacros Dominicæ Ascensioni honores in Ecclesia Salvatoris pervigil impenderet, et mentem ad cœlestia contemplenda extenderet, seipso et omnibus hujus mundi rebus transcensis, Dunstanum Pontificali throno conspicit præsidentem, et Clero jura Canonica dictantem. Et ecce per omnes Ecclesiæ januas irruentium Angelorum infinita ingrediuntur agmina, stolis candidissimis fulgentia, coronis aureis rutilantia, Cherubim atque Seraphim sese proclamantia, et quasi divinum nuntium deferentia. Qui cum coactis ordinibus sedenti astarent Pontifici, hoc illi salutationis alloquium persolvunt : Salve, inquiunt, Dunstane noster. Si paratus es, veni, et gratiosus nostro utere contubernio. Respondit Dunstanus : Scitis, o sancti Spiritus, hodie Christum cœlos ascendisse, nostrique officii esse tam verbo quam sacramento populum Dei reficere, ideoque venire hodie nequeo. Dixerunt itaque sancti Spiritus, Paratus esto die sabbati hinc nobiscum Romam transire, et ante summum Pontificem, Santus, æternaliter canere. Postquam ergo dies æternæ retributionis est indictus, et Dunstanus divina fide ad consentiendum inductus, confestim qui apparuerunt Angeli disparuerunt. At Sacerdos qui rerum tam

b *Die Ascensionis ab Algaro dein Episcopo Helmhamensi*

c *visus per Angelos cingi et ad cælum invitari,*

indicata obitus die

A

A OSBERN. EX MSS.

LIBER II.

Miracula ab obitu S. Dunstani patrata.

Diximus in superiori libello, quibus parentibus Pater Dunstanus ortus claruerit, quorum Regum tempora nobilitaverit, quos virtutum processus habuerit, et quemadmodum ad cœlestia regna gloriosus migraverit. Nunc propositum habemus ea narrare, quæ post depositionem corporalis sarcinæ felix spiritus ejus in hoc seculo dignatus est operari, ut omnes futuri temporis Angligenæ populi agnoscant, quid tanti nominis viro honoris ac reverentiæ debeant. Verum, quoniam eorum quæ scribenda sunt pleraque, ac fere omnia, nostris temporibus facta cognovimus; pauca vero aliis quidem temporibus, sed nobis verissima verissimorum virorum relatione exposita accepimus; hac ratione omnes qui hæc dignabuntur legere ad credendum invitamus, ut sicuti sibi credi volunt, si forte aliqua suis temporibus facta scribere voluerint; ita nobis credant, cum audierint ea narrari, quæ a nobis potuere videri: quam enim de se veri æstimationem a sequentibus haberi volent, eam recte præcedentibus concedere debent. Quod si nulla quæ scribi debeant suis temporibus fieri contingant, non ideo nos statim falsitatis arguant, quasi quod alio tempore occulta Dei providentia non fit, alio tempore pro corrigendis vel corripiendis hominibus fieri non possit: cum semper opportunitatem rerum et temporum exigat gratia miraculorum. Num enim idcirco minus credendum est, Principem Apostolorum Petrum, ad Portam templi Speciosam, claudum sanasse, quod nostris temporibus istud non fecerit? aut ideo beatus Evangelista Joannes venenum sine læsione non bibit, et qui veneno deperierant non resuscitavit, quod ista nescio quis impostor et calumniator non viderit? Quasi si quis nauclerum, vel aurigam laudari audierit, quod hic navim in procella gnaviter regere, ille equos artificio sciat in cursum ducere; supra humanam naturam hoc esse contendat, ideo quod ille fieri posse non credat. Non itaque hoc ad imitandum, sed quod unaquæque res tempus et ordinem spectet credendum. Dignentur ergo credere, qui hæc dignabuntur legere: ut quemadmodum merito fidei nostræ, qua credebamus vera esse quæ non videramus, actum est; ut aliqua videre possemus; ita illi præmium fidei habeant, quandoque videre posse, quod narrantibus nobis indubitata fide potuerunt credere. Jam ad proposita transibimus, et quo ordine quæque res acta sit, quantum possumus, breviter ac dilucide narrabimus.

Auctor describit suis temporibus gesta, nonnulla etiam a se visa,

B

et omni fide digna.

C

CAPUT I.

Miracula ante tempora Scriptoris, quædam ipso puero.

Vicus est urbi Cantuariæ vicinus, Leoham ab incolis dictus. Hunc quidam vir inhabitabat, quem longa oculorum cæcitas gravabat. Admonitus ergo in somnis est, ut patrem patriæ Dunstanum adeat, commissa mala deplangat, futurum esse ut amissum lumen per eum recipiat. Narrat suis homo quæ viderat: favebant, et auctores illi itineris procurabant. Ingreditur itaque cæcus Ecclesiam Christi, orat sibi ad pernoctandum ibidem licentiam dari: Tale, inquiens, præceptum suscepi. Sequenti vero et media nocte cœpit de tumulo viri Dei omne genus odoramentorum sentiri, et cæcus interim gravissimis oculorum punctionibus gravissime torqueri. Clamavit itaque fortiter, sanatus est mirabiliter, laudavit Deum et Dunstanum hilariter. D

Illuminantur cæcus in somno monitus,

3 Tres etiam mulieres in una domo commanebant; simili ex longo tempore cæcitate percussæ et onere paupertatis oppressæ. Has magnus ille Dunstanus, dum in corpore vixisset, ut ceteros Ecclesiæ stipendiarios pauperes, alere solebat. Quæ accepto rumore patrati miraculi, alternis se hortabantur sermonibus. Quid hic, inquiunt, sedemus, quæ Patrem vitæ nostræ reviviscere audimus? Eamus ad illum, calamitatem deploremus, auxilium flagitemus. Qui nostram suevit depellere paupertatem, dignabitur corporis nostri profugare cæcitatem. Compatietur fame morituris, ut reddita luce gratiam præstet pauperculis, operibus manuum suarum deinceps victuris. Dixerunt, et rectore baculo viam quæ ducit ad civitatem pergere cœperunt. Cumque ad portam Ecclesiæ venissent, junctis ad invicem manibus ingressæ sunt: procidentesque ante memoriam viri, hac mœrorem supplicatione depromunt. Pater sancte, Pater serene, ad has tuæ misericordiæ stipendiarias intende, ut aut solito more victum eis tribuas, aut lumen oculorum, per quod vitam transigere possint, restituas. Et iterum dixerunt: Piissime, potentissime, his tuis misellulis miserere. Sic oraverunt, et inter orandum clare viderunt, magnumque gaudium populo præstiterunt. E

et hujus exemplo 3 cæcæ.

4 Sacerdos quidam, Folcanensium Præpositus, nomine Ceonulfus, vir locuples valde erat, multaque nobilitate inter suos pollebat. Hic per multos annos ita omnium membrorum paralysi dissolutus fuerat, ut neque vicinas possessiones, adire, neque Ecclesiæ limina contingere, nisi in grabato deportatus valeret. Suasus itaque ab intimis suis, ut ad memoriam Domini Dunstani miserum cadaver sineret transferri, primo quidem verecunde distulit, homo dives dedignans consortium paupertatis, ex omnibus locis propter spem recuperandæ salutis illuc confluentis. Sed cum jam præ doloris magnitudine sibi ipsi esset intolerabilis, jussit feretralem equorum lateribus machinam coaptari, seque in ea positum ad Ecclesiæ januas, ubi memoratus Sanctus requiescit, pertrahi. Ibi clientium suorum humeris sustentatus, intro illatus est; prosequente illum non parva multitudine cognatorum, flebilibus vocibus Dunstani nomen invocantium. Secunda autem die factus in agonia ægrotus, sensit quasi manum hominis per totum corpus discurrentem, omnesque totius corporis nervos distringentem. F Inde vociferans e terra exiliit, et pedibus suis constitit, et restituta ad integrum sanitate exclamare cœpit: Benedictus filius Dei viventis in bono servo suo Dunstano, et benedictus bonus servus ejus Dunstanus in illo. Vere pius, vere omnipotens Christus, qui servos tam potentes tantaque pietate præditos habet. Mox hymnis et laudibus devotissime Domino persolutis, qui alienis manibus fuerat deportatus, suis pedibus cucurrit, equum ascendit, et cum omni comitatu gaudens et hilaris recessit. Sed post paucos dies, facto convivio in domo sua, convocavit omnes amicos et notos, ut sibi de adepta sanitate congauderent et congratularentur. Cumque in magno gaudio convivarentur, cœperunt Deum laudare et glorificare, qui cum sit potens potentem non abjecerit, sed cum pauperibus suis pœnitentiæ ei spatia concesserit. Super quo indignatus ille respondit: Num me inter ceteros pauperes computatis, quia inter eos sanatum asseritis? Non ita est, quoniam etsi Dunstanus non fuisset, ita mihi contigisset. Ad hanc vocem toto corpore intremuit: itaque uno momento eadem quæ illum dimiserat infirmitate percussus est, ut nihil in omnibus membris esset, quod ab hac percussione intactum remaneret.

Sacerdos dives paralyticus,

sanatur,

sed ingratus relapsusque expirat.

Vociferabatur

A Vociferabatur ergo miserabiliter, et post paululum expirabat infeliciter. Ex illo die multus timor multaque circa Sanctum Dei veneratio excrevit, restitutis ad integram sanitatis perfectionem, nunc unis, nunc pluribus per singulos dies ægrotis, ex diversarum regionum longinquitate porro adductis.

Sanatur mutus, idemque incurvus, et claudus;

5 Inter hæc multorum cervicibus impendens juvenis ferebatur, formosa quidem facie, sed a nativitate fandi impotens, et qui undenis annorum temporibus nec caput sursum erexerit, nec deorsum gressum direxerit. Quem super capita eorum celsius elevatum, his precibus fletu permixtis, Sancto obtulerunt. O Christe, inquiunt, salus et Creator omnium, qui homines hac etiam in parte ceteris animantibus excellere voluisti, quod loqui possunt et erecto capite incedere; reforma in hoc filio nostro, vel quod natura informatum reliquit, vel quod formatum inimica saluti ægritudo corrupit: solius enim tui est, ex eo quod non est in id quod est perducere, et quod est in quascumque volueris formas mutare. Exaudi ergo preces supplicantium, propter temetipsum et propter Dunstanum dilectum tuum. Tunc demissus ex humeris bajulantium se ægrotus, ut ad memoriam Sancti vicinius applicari deberet; B mox ut tumbam tetigit, in pedibus suis constitit; caput cum scapulis sursum erexit; et resoluta lingua, quæ numquam antea fuerat locuta, excelsa voce clamare cœpit, Gloria in excelsis Deo. Alleluia. Sicque perseveravit in integritate susceptæ locutionis, ut usque ad finem vitæ non solum expeditæ, verum etiam diserte omnia loqueretur.

puella a nativitate,

6 Paupercula etiam cum cetera multitudine advenit, ferens in ulnis triennem ex utero suo sine lumine natam: quæ cum per aliquot dies orationi pro salute filiæ suæ solicita incubuisset, nec exauditam se aliquatenus sentiret; deprecata est omnem Clerum auxilio sibi apud Dei Sanctum fore, confidens eos tanto citius impetraturos quod vellet, quanto ei præ ceteris hominibus familiarius servirent. Affecti itaque pietate Monachi, pro dolore matris et languore puellæ, cœperunt instantissima prece Sanctum deposcere, ut earum afflictioni solita bonitate dignaretur subvenire. Decima autem die, dum forte materno gremio puella incumberet, subito apertis oculis clare omnia videbat, et præ gaudio exiliens dicebat: Mater mi, quæ sunt hæc pulchra quæ video? Cui illa: Videsne, inquit, mi cara? Quæ dixit: Pulcher homo ille jussit me hæc pulchra C videre. Clamatum itaque est per totam ecclesiam, puellam a nativitate cæcam a magno Pontifice Dunstano illuminatam. Fit concursus omnium, matrem cum filia constipantium: sed cum aliqui ex Clero credere non possent, quod patentibus oculis acumen visionis inesset, volentes indagandæ veritatis signum videre, jactant poma sicut pueris alludi solet per pavimentum Ecclesiæ, ut experirentur si absque errore infantula posset ea sequendo comprehendere. Quæ confestim de sinu matris exiliens, rotantia poma per diversos anfractus insectabatur, eisque apprehensis celeri cursu ad matrem revertebatur. Tunc deprehensum est puellam patentibus oculis posse videre, qui antea sine lumine videbantur patere.

anus a juventute cæca;

7 Item anus quædam ad memoriam Sancti Pontificis perducta est, ut quod in juventute perdiderat, in extrema ætate lumen oculorum reciperet. Vacans ergo orationi, nec ulla salutis remedia consequens, egreditur de civitate, volens ad locum unde venerat remeare. Jamque pontem fluminis Sturæ ascendere cœperat, cum forte ductoris sui auxilio destituta clamabat: Dunstane, Dunstane, nec speratum a te lumen obtinui, et ductorem nunc perdidi. Mirabile dictu, et malefidis difficile creditu: protinus illa juvenis, per medium pontis ligna ferentes, clarissime D vidit, quibuscumque in civitatem rediit, et quid factum sit omnibus indicavit. A OSBERT. EX MSS.

a toto corpore tremens energumenus;

8 Quid de Clemente Teutone dicam, cui magis aptum nomen est Demens quam Clemens? quem *a* Sacerdos, pro culpa voluptatis et contumaciæ, in interitum carnis Satanæ tradiderat, et ita maledictionis sententia septem annis devinxerat, ut non solum in eodem loco toto corpore tremendo, verum etiam de loco ad locum cursitando instabili ferretur motu. In basilica vero Salvatoris ante memoriam magni Dunstani præsentatus, cum forte ad nocturnas vigilias Responsorium, Videte miraculum, inciperet, saltum in sublime dedit, dæmonium cum sanguine evomuit, et post hæc omni tempore secundum omnimodam sensatorum qualitatem, quietus et loco et corpore mansit.

b contractus 30 annis in terra repens;

9 Aut quomodo factum in te miraculum *b* Edwarde narrabo? homine giganteæ magnitudinis, si repentem te in tota terra mole corporis per triginta annos pondus non premeret gravissimæ infirmitatis: postea vero caro Patri Dunstano oblatus, atque ab eo mirabiliter sanatus, non solum cunctis factus es amabilis propter adeptæ sanitatis miraculum, verum etiam admirabilis propter corporeæ E quantitatis spectaculum. Tu musicus in conviviis didicisti post hæc convivantium animos carmine demulcere, et inter cantandum tibiis carmen modificare: sed inde tibi excelsi honoris insigne accessit, quod universitas hominum concordi voce Dunstani te hominem servulumque vocavit.

loripes c post geminam Sancti visionem:

10 Sed et illud non parva dignum est admiratione; quod quodam venerabili sene, et re in omni religione probato, referente agnovimus. Ait namque eumdem Patrem et Dominum nostrum, cuidam *c* loripedi in somnis apparuisse, atque ut ad requiem corporis sui sanandus veniret præcepisse. Qui ad locum veniens, nec quidquam per multos dies orando salutis inveniens, tædio sive desperatione fractus recessit, itinere quo venerat redire tentavit. Jamque mediam pene viam peregerat, cum is qui dudum dormienti apparuerat, vultu serenus, veste decorus occurrit, sciscitans unde veniret, vel quo pergendo tenderet. Recuperandæ, inquit, salutis gratia jussus ad Sanctum Dei Dunstanum perrexi; sed nihil proficiens, ad domum meam redeundum putavi. Tum ille, Ego, inquit, sum Dunstanus, omnium servorum Dei conservus: necessariis quibusdam causis occupatus, non poteram his diebus requiem corporis mei visitare, nec præsentiam meam filiis ibidem manentibus exhibere: nam F ecclesiam Dei Elfricus, cognomento Beta, exheredare tentavit, sed mei timore nihil efficere potuit: nunc autem confecto negotio, ad locum requietionis meæ vado: vide ergo ut illa die et hora ibi te inveniam, quatenus per te gratiam meam meis civibus ostendam. Regressus est itaque languidus in civitatem, narravit omnibus quæ audierat, indictum diem patienter expectabat. Stupendum valde! Die et hora, qua Sanctus sese venturum prædixerat, de suscepta sanitate loripes gaudebat, et ineffabili totam urbem lætitia replebat. Hactenus ea quæ aliorum testimoniis ad nostram notitiam perlata sunt enarravimus, nunc his quæ nostra ætate facta sunt enarrandis operam dabimus.

cæca a nativitate,

11 Virgo quædam, Deo devota, orationis gratia in civitatem venit; inde misera, quod ex quo nata est hujus mundi lucem non viderat; sed ex hoc beata, quod æternam lucem ardenti semper desiderio quæsiverat. Et cum forte natalitius dies sancti Confessoris Christi *d* Audoeni Episcopi instaret, in quo pariter et aliorum omnium, quorum Reliquiæ in Ecclesia Salvatoris continentur, præcipua veneratione memoria

A OSBERN. EX MSS.

A memoria celebrabatur; postulabat illa a custodibus Ecclesiæ, ut sibi liceret eadem nocte vigilias ibidem celebrare. Quod dum facile propter vitæ religionem obtinuisset, remansit in Ecclesia juxta rerequiem beati Patris Dunstani stans, totaque nocte vigiliis et orationibus vacans. Jam nocturnas laudes inceperamus, jam octavum Responsorium, Sint lumbi vestri præcincti, modulatis vocibus concinebamus; cum Virgo Dei, vehementem in facie sustinens pruritum, arctissima digitorum impressione cœpit oculos perfricare. Inde statim sanguis ubertim exiens, in suppositum capitis sui velamen defluxit: modesteque illa circumstantibus innuens, Præbete, inquit, mihi vas sanguinis susceptorium, ne terra sancta ejus colluvione maculetur. Quod postquam illi fecissent, lympham quoque lavandis oculorum orbibus præbuerunt. Interim nos pueri vultus illuc dirigere, oculis subaspicere, iterumque ad invicem mutuis aspectibus simul ac nutibus lætitiam significare. Suspicati namque sumus, quod res erat, bonum Patrem nostrum boni aliquid operatum fuisse. Jam cantus de præcinctione lumborum et ardentium lucernarum gestatione secundo terminabatur, jam a cantoribus gloria sanctæ et individuæ Trinitati red- B debatur; et ecce illa, quæ lumbos suos castitate semper præcinctos habuerat, ad gloriam Dei lucernas in Ecclesia ardentes in magna cordis lætitia videbat. Mirata est ergo de omnibus quæ videbat. Ostendebantur ei laminæ aureæ, cruces, baccilia, claves Ecclesiæ: omnia mirata ridebat, ipsas quoque hominum figuras cum ingenti stupore considerabat. Videres ergo omnes in Ecclesia lacrymas exprimere, et cum vocis modulatione, et cordis jubilatione Deum laudare. Orto autem mane, forte ad magistros intravimus, vapulaturi pro culpis quas commiseramus. Et ecce de transverso vir bonus Godricus furibundus irrupit, ita clamitans: Vos hic, homines ineptissimi, crudelitatem in innocentiam evomitis, et dulcissimus Pater noster Dunstanus suavitatem misericordiæ suæ in nos peccatores ostendit. Exite. Prærogativam miraculi, quondam a Salvatore in cæco nato celebratam, iterum celebrari videtis, et aliquid crudeliter facere audetis? Exite. Ita impias manus evasimus, et post hæc Ecclesiam ingressi sumus. Tunc pulsato signo beatissimi Patris nostri, quod ipse manibus suis olim fecisse dicebatur (quo nullum dulcius, neque ad commovendos hominum animos flebilius) concurrit universa civitas, volens C oculis videre, quod fama reserante audierat. Cœpimus itaque excelsis vocibus simul et lacrymabilibus Dominum Deum nostrum laudare, qui per beatum servum suum Dunstanum tantis lætitiis nostra tempora dignatus est beatificare. Et cum multa populorum millia in Ecclesia starent, neminem inter omnes videres, qui non præ gaudio pie ac dulciter fleret.

tota nocte stans ad tumulum,

aspiciente Osberno,

lumen recipit.

Miraculum publicatur.

12 Vigilia Beatorum Christi Apostolorum Petri et Pauli erat, et inclinata jam die vespertinas orationes Clerus in Ecclesia agebat. Forte ego, cum alio puerulo coætaneo meo, ad altare Christi ministraveram, consummatoque ministerio per gradus descendere incipiebam: et ecce in occursum nostrum vetula quædam, cum filia bene adulta, obviam se dedit, procumbens gradibus simul et clamitans: Miseremini mei, pueri Dei, ut Deus omnipotens misereatur vestri, profectum virtutis concedens, et ætatem puerilem ad maturos annos feliciter perducens. Nos autem, ut id ætatis pueri, factum feminæ expavescentes, hæsimus loco, miseriæ causas flebiliter sciscitantes. Tum illa: Hanc, inquit, quam videtis filiam meam, a summis humeris usque ad extremos manuum articulos collisam, obstetricis suæ nescio aut furor aut negligentia fœdam atque inutilem reddidit. Audivi magnam quamdam in hoc loco D Dei virtutem esse, et ideo ad supplicandum ei longo itinere tentavimus huc venire: vos nobis quid agendum sit edicite. Aspiciebamus interim manus sine forma manus: juncturæ juncturis non cohærebant, sed quædam discors deformitas informem quamdam ossium connexionem faciebat. Pollices retrorsum reflexi, immobilem gerebant sensibilitatem: ceterorum namque digitorum figura nulla, sed radices quædam de palma prominentes introrsum curvabantur, quæ in vola confixæ unguibus eam perforabant, quæ res intolerabiles patienti angustias inferebant. Avertimus ergo oculos, hoc solum dicentes: Non nos, bona mulier, non nos quid agendum sit consulere velis; juxta est qui et tibi consulere, et filiæ tuæ salutem valet procurare: solet namque secundum fidem suam omnibus illum invocantibus subvenire. Tum illa comprehensa lacinia vestis filiæ suæ, traxit eam ad locum: moxque toto corpore in terram prostratæ, adorant Sanctum ambæ, fletibus et ejulatibus illius bonitatem pulsantes. Et vere pulsabant, quibus tam cito misericordiæ illius viscera patebant. Necdum enim Phœbus marinis fluctibus caput intulerat, et illa quæ morbo contracta fuerat, ruptis venis, brachia extollebat, manuum articulos omnes ex- E tendebat: et quæ ab annis pluribus digitos movere non poterat, expedite jam omnia contrectabat. Itaque accurrimus, vidimus, flevimus: et facto mane, cum exultatione totius urbis, Dominum Deum nostrum laudavimus.

Puella, digitis fœde contracta,

subito sanatur

13 Epheborum aliquis prope civitatem manebat, ita a puero debilitatus, ut a lumbis ac deorsum per totum emortuus, duobus inniteretur bacillis, totius corporis post se trahens medietatem. Hic ea die, in qua filius Dei in assumpta carne dignatus est mori, ejus Ecclesiam ingressus; vexillum Crucis, in qua moriens mortem nostram destruxit, cum cetera multitudine adorabat; et futuræ festivitatis gaudia, juxta corpus venerandi Patris Dunstani manens, exspectabat. Adveniente autem hora, in qua Dominus noster Jesus Christus triumphato diabolo a mortuis resurrexisse creditur; clamor in Ecclesia factus est magnus, tumultuans adolescentem rectum toto corpore stare, qui a multis annis inferiores partes corporis post se consueverat trahere: quod quamvis Clerus sciebat, patienter tamen simul et lætanter solis ortum expectabat. Mane vero Dominicæ Resurrectionis convenit infinita totius urbis multitudo in Ecclesiam, videre quid in hominem divina potentia operata fuisset, quem antea in infirmitate bene cog- F nitum habuissent. Viderunt itaque, et Deo gloriam dederunt, clamantes, bono Domino Dunstanum in vita servisse, cui post mortem non solum contigit beatius vivere, verum etiam beneficiorum suorum gratiam hominibus præstare. Puerum quoque omnibus membris e contractum, per eumdem Dei Sanctum vidimus sanatum.

A lumbis et deorsum emortuus,

convalescit:

contractus sanatur. e

ANNOTATA.

a *Osbertus*, Episcopus.

b *Idem*, Alfuvordum *appellat*.

c Itemque alius, *qui* ligneo crure et pede utebatur.

d S. Audoenus *Episcopus Rotomagensis colitur* 24 *Augusti*.

e *Osbertus*. Scipionibus utentem pro pedibus.

CAPUT II.

Translatio corporis: varia beneficia S. Landfranco aliisque facta.

Quadam autem die dum plus solito magistrorum furor

Pueris se contra magistros invocantibus, A furor in pueros desæviret, nec spes intercessionis uspiam ulla suppeteret; hoc unum et solum superesse remedium crediderunt, ut ad memoriam dulcissimi Patris Dunstani confugium facerent, illumque non tam intercessorem quam adversus impietatis ministros defensorem exhiberent. Conferunt itaque se summo diluculo ad illum, multis lacrymis ejus clementiam postulantes, sedentibus per diversa loca magistris, qua transitus puerorum esse deberet, exitumque illorum de Ecclesia multiplici diligentia aucupantibus. Et ecce lacrymantibus illis apparuit, pios vultus gerens, pius Pater Dunstanus; tangensque virga, quam manu gestabat, unum illorum apertis oculis videntem, sed movendi se omnino impotentem, ita adorsus est fari: Jam desitum sit, pueri, a fletu, quoniam nullum vobis hodie molestum esse permitto. Idcirco enim veni, invitatus lacrymis doloris vestri. Ecce nunc ibo, et magistros egressum vestrum explorantes gravissimo somno soporabo. *eorum uni apparens Sanctus,* Tu vero, puer, qui me loquentem cernis et audis, cum vos meo munere liberatos esse cognoveris, in hoc mihi gratiam præstabis, si hujus Ecclesiæ Præposito ex meo nomine præcipias, ut initiatum infantulum hunc, qui juxta me nuper conditus est, filium B Comitis Haroldi, *a* foras projici facias: indecens namque valde est, ut ibi paganorum corpora sepeliantur, ubi divina quotidie mysteria celebrantur. *cadaver paganum auferri præcipit,* Quod si ipse aut metu, aut incredulitate præceptum meum neglexerit; noverit in hac Ecclesia nihil prosperum processurum, quam diu hoc meum præceptum opere non fuerit impletum. Hæc dicens sepulcro receptus est. Is autem qui hæc viderat (tum quidem puer, nunc vero reverendæ ætatis senior, quique ut ista sublato nomine illius scriberentur, solicite nos admonuit) statim sui compos effectus, innuit sodalibus pueris, dicens; Num Patrem Dunstanum vidistis? Num quid locutus fuerit audistis? Narravitque omnia seriatim: Hæc, inquiens, et hæc locutus est.

15 Surgentes ergo pueri, ut intrarent domum martyrii transierunt ante primos magistros, dormierunt: transierunt ante secundos, dormierunt: transierunt ante tertios et quartos, dormierunt. *et illos sopitis magistris liberat.* Post paululum vero evigilantes, et derisos se graviter dolentes, versi in furorem, statuunt sævissimam tertia diei hora de pueris ultionem sumere: quos protegente Dunstano mane non potuerunt contingere. Talis etenim mos in Ecclesia tunc temporis erat, ut quos prima diei hora sine vindicta servaret, eos hora tertia C durius puniret. Sed Dunstanus, semper et ubique fidelis, ita præfatos eadem hora a se magistros divisit, ut non tam de puerorum læsione cogitare, quam de sua liberet confusione tractare. Ita pueri periculum diei illius evasere, atque in crastino vigilias Dominicæ nativitatis gaudenti animo videre. *Præceptum negligente Præposito,* At is qui legatione Patris fungebatur, quæ audierat Præposito fideliter nuntiabat: sed ille infideli mente nuntiata parvipendebat. Quoties etiam in nocturna visione, visus est Fratribus de Ecclesia exire? quem cum exeuntem retinere vellent, Non possum, inquit ibi manere, propter fœtorem pagani pueri, licet initiati, in hac Ecclesia sepulti. *ecclesia comburitur:* Nec multo post, Ecclesia Salvatoris igni combusta est, parietes ceciderunt, nec quidquam ex omnibus monasterii officinis in combustum remansit, præter duas domos, sine quibus monachi remanere non possent, dormitorium scilicet et refectorium, tantaque claustri partem, sub quanta absque imbrium infusione, ab una domo in aliam possent introire. Ex quo satis videre fuit, quantam nostri curam Pater Dunstanus habuerit. Sed horum ruina in melius commutata est, veniente venerabili viro *b* Lanfranco Archiepiscopo, et omnium qui nostra ætate in terra fuerunt, sanctissimo simul ac sapientissimo: qui cum fundamenta construendæ novæ Ecclesiæ ponere vellet, neque hoc absque translatione corporum, infra ambitum ejusdem Ecclesiæ quiescentium, facere posset; indixit jejunium omni populo, quatenus Sanctorum voluntas fieret, ut eorum corpora ad alia loca transferri deberent. D *A. OSBERN. EX MSS. quam restauraturus B. Lanfrancus,*

16 Die vero huic negotio constituto, orante omni populo, Clero cereis et aromatibus omnique genere gaudiorum occurrente, paraverunt se Sacerdotes, ut thecam Sancti Patris Dunstani, absque contrectatione corporis illius, e terra levarent, et ad locum cum omni diligentia præparatum deferrent. *transfert corpus S. Dunstani,* Quam cum in humeris accepissent, retinetur a quibusdam Ecclesiæ Militibus, qui pacem Regis Willelmi nuper infregerant, occisis duobus Equitibus, nepotibus videlicet *c* Scotlandi: qui erat Abbas monasterii sancti Augustini, extra urbis muros constituti. Timebant autem, ne mors occisorum morte sua solveretur, et ideo evitandi hujus mali causa neque a Sancto recedere, neque thecam ejus dimittere voluerunt. *ad quod frustra rogati vindictam remittere,* Vocati sunt itaque tam Abbas quam omnes hi quorum interfuit: vindictam donare negaverunt, nec mortem occisorum sine vindicta remittere voluerunt. Quid ergo? Deductum est sacrum corpus infecto negotio, E atque in oratorio beatæ Virginis Mariæ collocatum *d*. Summo autem diluculo, nobis adhuc in stratis quiescentibus, irrupit in Ecclesiam Abbas, stipatus parentum catervis; postulat Fratres celerius excitari, dicit se necessario illis loqui velle. Qui cum venissent, accessit ad corpus Sancti, genua flexit, atque in hæc verba lacrymabiliter erupit: Peccavimus in te, Sancte Dei, nolentes tibi in conspectu populi exhibere honorem obsequii. Ecce nunc et injuriam donamus, et de mentis nostræ obstinatione veniam imploramus. Nos autem mirantes tam subitam rerum mutationem, cognovimus illos per visionem a Sancto ei fuisse perterritos, et vix noctem illam transegisse vivos; *coguntur pœnis nocte sequenti.* propterea quod Presbyter quidam, aspectu terribilis, qui ex figuratis imaginibus Dunstano visus est simillimus, gravibus eos cruciatibus vexasset, diuque vexatos ardenti rogo concremandos violenter pertraxisset. Ita illi, quam sponte noluerunt, coacti injuriam donaverunt. *e*

17 His temporibus conflictum iniit Lanfrancus Archiepiscopus adversus majores natu regni Anglorum, præcipue adversus Episcopum Bajocensem nomine *f* Odonem, qui erat frater Regis et Comes Cantiæ, de jure Ecclesiæ Christi, et quibusdam terris inde ab antiquis temporibus injuste ablatis. *Idem B Lanfrancus* Sed nihil de viribus suis confidens (erat namque sicut F omnibus sapientia incomparabilis, ita in conspectu Dei præ omnibus semper humilitate admirabilis) deprecatus est B. Dunstanum auxilio sibi fore, ad defendendam causam Ecclesiæ suæ. Et oblata pro exauditione Hostia salutari, quietus sedebat in loco, exspectans advocationem causidicorum, simul ac meditans, quid vel ipse adversariis objicere, vel qualiter ad objecta quæque posset respondere. *a B Dunstano confortatus,* Tunc interim excessum mentis patienti apparuit Sanctus Dei, stans in medio duorum aliquorum Angelica dignitate præditorum, Angelicos et ipse vultus habens, atque in vultu quamdam frontis et oculorum conniventiam Lanfranco ostendens. *g* *vincit:* Ex qua visione de capienda victoria securus ille effectus, concilium malignantium intrepidus adiit, munitiones illorum torrente rationum funditus dissipavit: ita enim cunctos Christi ac suos devicit adversarios, ut et quæ sui juris erant Ecclesiæ Christi integerrime restituerentur, et hoc non humana sapientia, sed divina factum fuisse virtute, idem Domini servus gloriaretur.

18 Post aliquot dies Lanfrancus, corporali infirmitate gravissime tactus, omnino a medicis desperabatur.

A. OSBERN. EX MSS. ad mortem æger,

A batur. Cumque finem vitæ jam jamque adesse putaret, missa legatione mandat fratribus Ecclesiæ Christi quæ circa se agebantur: exoptat seniorum præsentiam, quatenus si in corpore diutius vivere non liceret, defuncti, ut verbis utar illius, cadaver ad urbem secum transveherent: nam in quodam Ecclesiæ patrimonio, procul ab urbe distante, quod Ealditune vocatur, idem Pater venerabilis ægrotabat. Veniunt itaque illi ad locum, inveniunt omnia lacrymis repleta, plorant cum plorantibus, nolentes hominem morte videre finiendum, cui similem post hæc sciebant non esse inveniendum. At ille sive angustias suas, sive filiorum suorum miserias non ferens (sicut enim mater unicum filium, ita singulos nos unice diligebat) convertit faciem suam ad parietem, divinam quantis posset suspiriis clementiam deprecaturus. Confestim autem sursum raptus, videbat quasi exercitum virorum candidatorum, lucifluas sicut sol facies habentium, albos equos cum phaleris aureis comptos insidentium, et liberales jocos jucunda quadam suavitate ad invicem exhibentium. Quos ille prætereuntes lætabundis oculis intuens, sciscitabatur cujusdam ista profectio esset. Dictum B autem est hanc domum Dunstani esse, illum vero non longe abesse. Expectabat itaque Lanfrancus, explorans singulorum transeuntium vultus, cupiens illum præ ceteris cognoscere, a quo præ ceteris remedia sperabat salutis accipere. Et ecce beatissimus Pater Dunstanus, venerabilium seniorum cuneis hinc inde stipatus, veniebat; similem per omnia ceteris habitum gerens, nisi quod ab humeris et sursum celsior cunctis eminebat. In cujus occursum Lanfrancus humiliter progrediens, jungensque se ad latus equitantis illius, amplexatus est pedem simul cum ascensorio, cui videbatur inniti: atque ad se osculandi gratia trahere conatus est. At *h* Dunstanus, quasi ad factum expavescens, sive Lanfranco honoris gratiam exhibens, constricto genu utraque manu pedem ad se videbatur retrahere. In hac beata certaminis lucta Lanfrancus ad id quod fuerat redit, et ita se sanum reperit, ut nullum infirmitatis vestigium in toto corpore remansisset. Agit itaque gratias Deo, cujus dono et Dunstanum videre, et cupitam salutem illo potuit donante suscipere. Vocatis ergo his qui propius accumbebant, narrat ex ordine quæ viderat, simul se convaluisse asseverat. Illis vero existimantibus quod alienata mente loqueretur, Præparetur, inquit, mihi altare, videbitis namque C illum Sacrificium Deo offerentem, quem paulo ante videbatis vix labia moventem. Deinde accitis, qui nuper advenerant senioribus; Hic dies, ait, erit vobis boni nuntii dies. Dominum et patrem nostrum Dunstanum hic fuisse, et me ab omni corporis molestia sanasse scitote. Regredimini ergo ad Ecclesiam, portas ejus super vos obserate, ad memoriam Sancti accedite, genua flectite; ac pro reddita mihi sanitate uberes gratias referte. Nolo etenim per me ipsum modo venire, ne existiment me homines aliquid esse, quasi qui potuerim Dei Sanctos videre. Faciunt illi imperata, magnumque Fratribus, de morte Patris suspectis, gaudium præstant.

videt in extasi Sanctum,

ejusque pedem amplecti visus sanatur,

idque suis mirantibus gratanter narrat.

19 Quidam Capellanus, Presbyter Archiepiscopi, adeo gravi febrium vexatione per octonos menses cruciatus fuerat, ut consumptis carnibus, vix infirmis ossibus pellis hæreret. Hic eo memento, quo Archiepiscopus salvus effectus est, optatam a Deo salutem et ipse consecutus est: et mane ad Archiepiscopum lætabundus ingrediens (didicerat namque illum convaluisse) inquirebat modum receptæ sanitatis, et audiebat. Rogatus etiam ipse, ut quemadmodum sese haberet, ediceret; Plane, inquit, optime valeo: quoniam is, qui te in mortis periculo miserando respexit, mihi quoque ob gratiam tui in hac nocte salutem conferre dignatus est. Jacebam D namque in strato meo, quod ligneus solummodo a strato tuo paries diremit; videbamque in visione B. Dunstanum, solennes in Ecclesia Salvatoris Missas agentem, meque illi in ministerio Subdiaconatus servientem. Cumque perlecta fuisset a me Epistola, ad pedes illius ex more deosculandos accessi, benedictionem petii, et ita cum ejus benedictione recedens convalui. Audiens hæc venerabilis Pater Lanfrancus, erumpens in gaudium, sic ait: Non potuit quidquam infirmitatis in loco remanere, quem Sanctus Dei visitationis suæ gratia dignatus est illustrare.

Ejus Cappellanus gravi febri octo mensium liberatur.

ANNOTATA.

a *Hæc facta videntur tempore S. Edoardi Confessoris Regis, circa annum* 1050, *quando* Haroldus *Comes filius Goduini vivebat, ab obitu Edoardi Rex factus. Videtur autem puer Catechumenorum oleo ante mortem inunctus fuisse.*

b *Consecratus est Archiepiscopus* B. Lanfrancus, *anno* 1070, *in festo decollationis S. Joannis Baptistæ* 29 *Augusti tunc Dominica, littera Dominicali* C, *Cyclo Solis* XV. E

c Scotlandus *Normannus, factus Abbas anno* 1070, *mortuus* 3 *Septembris anni* 1087. *Ejus res gestas describit Wilhelmus Thornus monachus S. Augustini in Chronico cap.* 7.

d *Addit Osbertus.* Aderat mulier, ab infantia nihil audiens, et integerrime sanavit eam coram omnibus.

e *Apud Osbertum adduntur sequentia, quæ hic inserere volumus, et sunt ista.* Alio tempore idem Abbas pridie ejus diei, quo sancti Dunstani festum colitur, hora vespertina, erectis sursum luminibus, vidit ingentem splendorem cœlitus lapsum in ecclesiam Salvatoris, ubi sacrum beatissimi Patris corpus quiescit, penetrare. Cumque id aliis quibusdam indicasset, iique pariter viderent, ait: Vere pius Pater Dunstanus, qui in suis feriis interesse vult Officio, quod hac nocte Deo et ipsi persolvent filii ejus. Vera autem illum dixisse, experti sunt Fratres ex dulci et sancto affectu, quo ea nocte in Deum et B. Dunstanum ferebantur. Monachus juvenis ejus monasterii quodam die legit Evangelium ad Missam Lanfranci Archiepiscopi: cum autem dicta oratione Dominica, patenam ex more Episcopo offerret, vidit coram se teterrimos dæmonem vultus. Itaque vehementer exterritus, Episcopum inter manus Sacra tenentem, utroque brachio strictim amplectitur, horrida voce clamans; Christus vincit, Christus regnat, F Christus imperat. Ea res omnes perterruit, arreptumque juvenem Milites in Pontificis cubiculum abducunt, jam dæmone plenum. Cum autem communes pro illo preces fierent, et ab Archiepiscopo pro gratiis agendis (videbatur enim jam restitutus) ad sepulcrum S. Dunstani adductus esset, tota die illa quietum se præbuit inter Fratres. Sed Fratribus Completorium in Ecclesia persolventibus, ille cum impetu accurrit ad Priorem Henricum, manus illi injecturus. At ille hominis manus corripuit, ducensque eum ad lectum, tota nocte solicitus apud eum vigilavit. Sub mediam vero noctem horridis clamoribus omnia perturbat juvenis ille. Accurrunt Fratres, ligatumque postridie ducunt in valetudinarium, loris adstrictum, ubi dies non paucos misere cruciabatur. Invisebant eum alii, sed si quid haberent gravioris culpæ intra conscientiæ recessus, quod confessi non essent, id illis objiciebat, eosque se pœnarum suorum apud inferos socios habiturum gratulabundus jactitabat. Ea res quibusdam non mediocrem attulit ignominiam, sed mox a pura peccatorum suorum confessione remedium petebant.

Accepta

A Accepta itaque absolutione et satisfactione, redibant ad dæmoniacum Fratrem. Tum ille, transversim illos intuens: Unde, inquit, vos venitis? quo lavacro tam cito expurgati, et a meo contubernio abstracti estis? Et hæc furibundus, spumans et ejulans dicebat. Voluit sane Christus hac re monachos ejus ecclesiæ ad sanitatem revocare, quippe qui a tempore Danorum, a quibus beatus Elphegus peremptus fuit, remissa disciplinæ severitate, plus satis seculariter et dissolute vivebant. Jam ventum erat ad eam ecclesiæ partem instaurandam, ad quam memorata Beatorum Dunstani et Elphegi corpora traslata erant. Rursus igitur omnes cum festiva processione reverenter et honorifice eadem sacra corpora alio deportavimus: et ecce dum e regione ostii, per quod inferenda erant, dæmoniacus juvenis ille, toto corpore fortissime colligatus, cum lecto deponitur; horrendos eminus dat clamores, et cum ipso exiliens, fugere volebat Sanctorum præsentiam, dæmoni intolerabilem. Sed illatis Sanctis intra domum, illatus est etiam ipse, et in medio positus. Ibi tum miseriam videre erat. Cernebatur dæmon in ventre ejus sursum deorsum cursitare, quasi qui vel per os, vel per inferiores corporis partes fugam appara-

B ret. Adveniente prandii hora, Fratres pransum iere, mansitque cum dæmoniaco unus ex senioribus, Elfwinus nomine, qui ab infantia singulari quodam amore erga B. Dunstanum affectus fuerat. Is miseratus vicem jacentis, crucem, quam B. Dunstanus in corpore degens tamquam Archiepiscopus coram se ferri volebat, dæmoniaco imposuit, dicens cum lacrymis: Care Domine, sancte Dunstane, miserere. Mirum dictu! illico pulso dæmone, æger levatis pie sursum oculis, lacrymans dixit: Gratias tibi ago, piissime Pater; gratias tibi quoque carissime Frater: quia tuis meritis sanctissime Domine, et tua Frater benigna intercessione, hostis perterritus abscessit. Id ut senior audivit, incredibili lætitia affectus, ejus vincula dissolvit. A prandio reversi eo Fratres, ut viderunt eum suaviter quiescentem, immensas Deo et S. Dunstano gratias egerunt. Is Frater tandem sancto fine migravit a corpore. Ejus castigatio plurimum contulit illius loci Fratribus ad vitæ emendationem. Nam prius omni mundi gloria, auro, argento, variis iisque elegantibus vestibus, lectorum pretiosis operimentis, diversis instrumentis musicis sese oblectabant; equos, canes, accipitres alebant; denique Comitum potius quam Monacho-

C rum instar vitam degebant: sed hujus unius flagello, Christi misericordia id agente, et boni Patris Lanfranci Archiepiscopi industria cooperante, eo perducti sunt, ut omnibus illis mundi pompis et vanitatibus, haud secus atque stercoribus quibusdam propudiatis, plane monasticam vivendi rationem complexi sint. Et nos quidem, qui novimus earum rerum statum, incunctanter affirmamus, haud quaquam ad tam felicem, tamque repentinam mutationem eos perduci potuisse, si non accidisset illa horrenda, quæ omnes perterruerat, unius Fratris vexatio.

f *De hac controversia agitur in Vita B. Lanfranci. Erat autem Odo frater Regis uterinus: cujus res gestas scriptores Angli et Normanni habent.*

g Monens, *inquit Eadmerus in Historia Novorum,* ne illum multitudo conturbet, sed de præsentia sui secutus, placitum mane ipsemet hilaris intret. *Addit Malmesburiensis:* Quotiescumque Lanfrancus, in talibus cunctabundus ne male vergeret, suspensam differret sententiam; aderat Dunstanus, soporato detegens adversariorum argutias, et evadendi demonstrans semitas. *Similia indicant Osbertus Knychton de Eventibus Angliæ cap. 5 et alii.*

h *Meminit hujus morbi et sanitatis per S. Dunstanum receptæ Malmesburiensis.*

CAPUT III.

Alia Miracula.

D [illegible]

Ea quoque tempestate duæ quædam res apud nos contigerunt, quas non magis B. Dunstano, quam ceteris ibidem quiescentibus Sanctis adscribendas putavimus. Ex præcepto siquidem Bajocensis Episcopi quidam vir in vincula conjectus fuerat, propterea quod cervum in silva illius a canibus insectatum, seseque in occursum ejus præcipitem dantem, emissa[a] sagitta occidisset. Habitus ergo in vinculis in civitate Cantuaria, diebus ac noctibus Ecclesiam frequentare, lacrymas pro peccatis suis fundere, magnumque populi affectum ex sonitu stridentium catenarum circa se excitare. Cumque hoc per duos annos indesinenter fecisset, quadam die, cum ante altare Dominicæ Crucis prostratus jaceret, videntibus cunctis qui circumstabant, catenæ diruptæ sunt, boiæ in quatuor partes comminutæ, clavi in minutas partes confracti: ipse vero quid de eo divinitus agebatur penitus ignorabat. Surgente autem illo ab oratione, ceciderunt vincula de pedibus suis. Quæ

Reo in ecclesia Sancti oranti,

vincula ultro solvuntur,

E tollens in manibus suis, per medium Fratrum, omnipotentem Christum pro miraculo laudantium, perrexit, eaque super altare Christi posuit; afferens Deo pro munere, quod sibi fuerat pro honore. Post paucos dies dum rem istam Lanfrancus Archiepiscopus cuidam præpotenti viro narrasset, ille vicaria relatione, Et ego, inquit, tale aliquid vestræ Excellentiæ narrare valeo, quod non minoris admirationis apud te fore existimo. Tertius namque dies est hodie, ex quod sedecim naves piratarum validissimo vento actæ, ad ripam maris sunt jactatæ. Homines autem qui intus fuerant, partim maris fluctibus sunt immersi, partim a Regiis exactoribus comprehensi, cum Principe suo, nomine Baraba, compedibus astricti sunt. Qui idcirco Barabam se appellari voluit, quoniam nimiæ semper crudelitatis fuisset, multamque hominum turbam manu sua occidisset. Evadens autem de compedibus, viam quæ ducit Cantuariam arripuit, sciens se neque vita, neque membris cariturum, si Ecclesiam Christi contingere posset asylum. Sed cum jam prope civitatem fuisset, mox ut pinnam Ecclesiæ et Cherubin aureum vidit, quasi cœlestis Cherubin virtute repulsus, ultra progredi non potuit. Nititur itaque totis viribus contra vacuum aerem: sed semper eum quasi murum ferreum sentiebat. Hæsit vero stupens,

eodem accedens et vinculis elapsus pirata,

F et iterum resumptis viribus prioris luctæ certamen assumpsit: sed ea qua ante virtute repulsus, majore quam ante spatio resiliit. Tentabat si unde venerat regredi posset, currere poterat quantum volebat: si vero quo disponebat progredi vellet, mox ut Ecclesiam videbat, pedem movere non poterat. Desperans ergo de salute sua et de misericordia Dei, Manifestum est, inquit, cum damnatis me sortem habere, cui Ecclesiam Christi non licet videre. Quid ergo prodest crudelem Christum invocare, a quo non sit misericordiam impetrare? Ut fortuna volet, eat, ego deinceps fugam non inibo, sed unde veni moriturus redibo. Hæc dicens præcipiti cursu redit, quæ sibi contigerant multis hominum millibus narravit, post hæc condignas factis pœnas solvit. His acceptis Lanfrancus, vocato me præcepit ista in populo prædicari, adjungens ideo hunc ab Ecclesia terribiliter pulsum, quod ficto corde ad eam accesserit; illum vero alium ea re in Ecclesia mirabiliter liberatum, quod ad eamdem quotidie devoto animo tetenderit.

conspecta ecclesia progredi nequit,

et pœnas solvit

21 Sed et illud dignum perpetua est memoria, quod in a Edwardum, urbis Lundoniæ Archidiaconum

a

A. OSBERN. EX MSS

Archidiaconus Lundon. factus monachus Cantuariæ,

A num, ejus clementia, mirabili modo operata est. Qui cum esset in seculo deliciis pollens, conspiciens omnia seculi bona esse angusta, contulit se ad unum incommutabile, commune, sufficiens bonum, Deum, suscepta sancta religionis veste in Ecclesia Cantuariensi, sub regimine præfati gloriosi viri Lanfranci Archiepiscopi. Ubi per aliquos annos honeste conversatus, magnam apud omnes cohabitantes gratiam obtinuit. Sed post hæc malignus spiritus, ejus conversioni simul et conversationi invidens, occultis quibusdam et importunis suggestionibus animo illius, tædium religionis ingerebat, cupiens illum ad hanc mentis insaniam perducere, ut ad seculum unde venerat repetito vomitu sordium rediret. Immittebat namque diabolus in cor ejus seculi voluptates, amplexus feminarum, amplas domos, amicorum societates; nec permittebat illum cogitare, quam dulcis est Dominus gustantibus eum, quam magna domus Dei et ingens locus habitationis ejus, quam beata societas Angelorum, Deum in seculum seculorum laudantium. Victus tandem importunitate tentatoris, exitum de Ecclesia moliebatur; et paratis omnibus, quæ ad hoc sacrilegium explendum idonea videbantur, ingreditur Ecclesiam, a S. Dunstano licentiam exeundi et ad seculum revertendi petiturus : sciens proculdubio, quod nihil ei prospere procederet, si illo offenso discedere non timeret. Et surgens ab oratione ut ostium Ecclesiæ egrederetur, reperit in ostio Dunstanum cum virga stantem; non talem tunc, qualem illum viderat Lanfrancus, sed terribilem vultu, oculis minacem, et mordacibus labiis hæc infrementem : Regredere, miser, regredere, omnipotenti te Domino prosterne, conceptumque diaboli venenum de corde tuo evome. Cumque ille pavens ac tremens hæreret, Dunstanus elevata contra illum virga, ait : Non exibis, sed hic morieris. Hoc dicto, qui loquebatur disparuit. : et cui loquebatur, graviter ægrotavit. Mox itaque lectulo receptus, duobus mensibus in magnis angustiis vixit : et post hæc vitam consummavit. Sed cum ad hoc ventum fuisset ut animam reddere deberet, accersitis his, quos primos in amore fraternitatis habuerat, universa per ordinem quæ vel male disposuerat, vel bono suo viderat, in magna cordis contritione narrabat. Hæc eadem alius quidam Frater, bonæ indolis adolescens, nomine Adrianus, coram omnibus confessus est, dicens se et conscium consilii et consentaneum operi.

sed reditum meditans,

a Sancto apparente castigatur.

B

C 22 Ante hos dies, cum in Insula Tanatos *b* essem, gradiebar juxta littus maris cum Milite, qui me pro defensione sui invitaverat, considerans ea quæ ibi sunt mirabilia Dei, et materiem boni sermonis exinde eliciens. Inde sermo ad Patrem Dunstanum protractus est, quoniam maximum semper lucrum reputo, quoties loquendi de illo occasionem reperio. Tum Miles idem, memorato hoc nomine, totus expalluit, ac veluti dolorem ex intimo suspirans : Væ, ait, mihi ingrato, qui tantorum beneficiorum hucusque immemor existo. Tum ego : Et quid, inquam, hi tam molesti anhelitus? Nosti, ait, quantum mihi infestus Abbas S. Augustini dum adviveret extiterit, dum diripere cuperet, quæ ad me hereditate venissent? Novi, inquam. Num et illud nosti, quod non modo nihil ejus immoderatio obfuit, verum, etiam ad majoris mihi gloriæ cumulum excrevit? Nec hoc, inquam, latet. Sed quorsum ista commemores ignoro. Scias, inquit : nocte siquidem quæ diem statuti inter me et illum placiti præcedebat, memorans cum essem in domo mea, quæ prope est, quod frequenter Patrem Dunstanum tuis rationibus extollere consueveris, Nunc, aio, experiri habeo, si ut accepi, ita ille laudabilis existat. Flexus ergo in oratione, Deus Patris Dunstani aio, fave hodie nostræ parti. Inde corpusculum requiei dedens, video in somnis urbem Cantuariam, basilicam Salvatoris, memoriam Patris. Cui quasi incumbens, aspicio virum juxta stantem, decorum forma, veste speciosum, lampadem lucis manu tenentem. Ad cujus imaginem perterrefactus, Quisnam, inquam, es tu, hominum pulcherrime? Idem, inquit ille, cujus tu paulo ante auxilium precabare. Papæ! inquam, quam citus es ad miserandos miseros! Nosti, quid Dominus minatur? Nihil, ait, ejus minas pertimescas, nec magni eas omnino pendas. Ita Miles ille oravit : post hoc versus ad me, ait : Jam cetera tu nosti, quemadmodum ego et tu convenerimus, contenderimus, convicerimus. Signum, inquam, grande in illa die dedit Sanctus, propterea quod dum illi plures et elimato acumine fuerint, a paucis et minus acutis victi abierunt. Tum ego respiciens ad eos qui præsentes erant, ostendi verbis, quod nunc prodo litteris.

b Ipse Osbernus agens cum milite,

intelligit hunc in lite,

D

a S. Dunstano confortatum vicisse :

23 Nunc ad ea quæ meam proprie attingunt personam, ut minus fortasse sapiens, transibo, et sic ori silentium ponam, manibus quoque otium indicam. Quodam tempore quidam homines gravi me odio infestabant, nec prius ab infestando quiescere volebant, quam magnis injuriis affectum, gravioribus minarentur afficiendum. Eorum vero qui agendæ causæ nostræ judices dati fuerunt, ita animus sive gratia sive importunitate adversariorum a me alienatus est, ut neque oratione inflecti, neque ulla possent ratione moveri. Desperans ergo de subventione hominum, solius Dei ac Beati istius auxilium duxi esse quærendum. Itaque nocturno tempore soporatis omnibus, ejus memoriam in magna confidentia adii, et multitudinem miserationum illius gemebundis vocibus ac lacrymantibus oculis pulsavi. Deinde mente fessus, luctu anxius recessi; secretum petii; dolorem cordis requie corporis, ut interdum fit, lenire desiderans. Necdum satis ad pausandum composueram corpus, dum animo cuncta excedens, viderer mihi in atrio templi domum videre, cujus magnitudo mirabilis, pulchritudo inæstimabilis, ad quam nemo nisi per quamdam aquarum colluvionem poterat transire. Verum ista transeuntibus lex erat, ut quanto magis ad introitum domus appropinquarent, tanto minus easdem sentirent aquas. Transibam ego cum transeuntibus, ac rarescentibus aquis ad ulteriora alvei littora perveniebam : moxque domum ingrediens, videbam totam illam majori quam solari claritate fulgentem, cœtum quasi Sanctorum ineffabili quadam suavitate lætantium circumsedentem, et quamdam decoris subtilitatem, quæ modo crystalli pervideri posset oculis intuentium, prætendentem. Considerabam diligentius, volens deprehendere, unde tam immensæ lucis claritas coruscaret; et videbatur mihi, quod non aliunde quam de corporibus Sanctorum idem splendor exiret. Interroganti autem mihi quæ hæc essent, edoctum est hunc esse Clerum magni Dunstani, illum vero paulo ante affuisse, divina Sacramenta celebrasse, et necdum Communionis Antiphona decantata recessisse, atque ut illum expectaret qui ad requiem illius decumbebat, præcepisse. Cogitabam itaque ne forte ego ille essem. Cumque hoc in animo volverem, consurgentes viri illi apprehensum me statuerunt in medio sui, alterutris vocibus sese cohortantes; Eia, Fratras Missas terminemus, quoniam is adest, cujus gratia ista dilatio facta est. Cœperunt itaque dulcissimis ac modulatissimis vocibus psallere, et me ad organizandum quod psallebant invitare; Dico autem vobis amicis meis, ne terreamini ab his qui vos persequuntur. Ad quas voces experrectus, confestim ad sepulcrum Sancti cucurri, medium illud utrisque brachiis amplexatus sum, vociferans ac nimia cor-

idem magnis injuriis affectus,

E

et ad S. Dunstani sepulcrum visione blanda recreatus,

F

intelligit se in judicio superiorem futurum.

A dis exultatione proloquens; Affuisti, Pater carissime, affuisti, affuisti in angustiis laboranti, et gratiam tui humiliter postulanti. Vere sanctus Dei es, et quodcumque vis ab illo impetrare potes. Jam securus judices adibo, nec minas cujuspiam hodie formidabo. Venientibus ergo judicibus, quorum interfuit causam terminare, accesserunt hi, qui me turbare moliti sunt: accessi et ego, calumniam de adversariis movi. Itaque, Deo adjuvante et Dunstano patrocinante, omnes mihi adversantes devici, ut et ipsi propria sua ratione caderent, et ego non solum factam mihi injuriam non effugerem, verum etiam in mea defensione simul et exaltatione plurimum exultarem.

ANNOTATA.

a *Osbertus hæc latius exponit et se adfuisse indicat, ac Henrico Priori hæc omnia indicasse, atque ab illo absolutione potitum.*

b *Bedæ* Tanetos, *vulgo* Thanet, *prope Sandwicum, 7 milliaribus Anglicanis infra Cantuariam.*

B

EPILOGUS.

Satis esse ista existimo, Domini et Patres carissimi, vel ad insinuandos temporales sancti viri labores, vel ad ejus sempiternam gloriam Catholicæ Ecclesiæ fidelibus commendandam. Non quod plura non sint et fortasse his majora, quæ adhuc narrari valeant: sed quod ea solummodo voluerim narrare, quæ fidem, sicut proœmio dixi, non viderentur excedere. Quis namque statim mihi credulitatem accommodaret, si dicerem, aut vestem illum in columna lucis suspendisse, aut extremam cognati parentis egestatem ad summas divitias nummi dimidio perduxisse? Cujus animum horror non percelleret, si audiret *a* monachum Hierosolymam properantem, ab exercitu Imperatoris Constantinopolitani circumventum, ad solam Sancti illius invocationem ab eorum molestissima irruptione liberatum? Quem, inquam, stupor non apprehenderet, considerantem vel furem a Sancto perterrefactum, res a requie illius exportatas in atrio templi illibatas reliquisse? vel civem Cantuariæ, contra oppositam Sancti auctoritatem, substantiam Ecclesiæ Christi surripientem, post paucos dies pœnam suæ temeritatis solvisse? Videtis quibus abstineo, propterea quod æstimationem audientium supergredi nolo. Quæ tamen si commemorarem, incredibilis esse non deberem, propterea quod nihil est difficultatis, ubi Dominus Christus auctor est operis. Deinde more cantorum in conviviis agentium fecimus, qui dum pulcherrimum est, medium carmen recidere assolent, quo et tædium audientibus tollatur, rursumque audiendi oblectatio major excitetur. Ad postremum vero di-

Aliqua miracula pestringens auctor,

C

cendi præceptis vel in fine hujus orationis parere voluimus, qui commotis animis auditorum finem ponunt officiis Oratorum. Nam lacryma, ut Tullius ait, nihil citius arescit. Quod si ego sicut oportuit officium peregi, grates, obsecro, omnipotenti Deo mecum exsolvite, cujus ut peragi posset actum est miseratione. Sin vero minus apposite dixi, non ideo minus is, de quo dixi, debet appretiari, propterea quod nihil est indignius, quam propter vitium scribentis virtutem minuere bene promerentis. Potius in illo Deum magnificemus, nomenque illius certatim in invicem exaltemus, agentes ei gratias, qui illum ante mundi constitutionem in æterna sua sapientia elegit, et Anglorum tempora per ostensionem corporalis præsentiæ illius beatificare voluit. Veneremur quoque illum in Deo, ejusque merita summis honoribus attollamus, certi quod ad Dei gloriam pertineat, quidquid in ejus veneratione nostra devotio informat. Amemus illum ex omnibus cordium nostrorum medullis, ac per illum quidquid a Deo fideliter petierimus nos recepturos speremus: propterea quod nihil nobis Dei clementia poterit denegare, si quem ille diligit nos studuerimus et animo diligere et obsequio venerari. Gloria omnipotenti Deo Patri, qui illum fecit; gloria unigenito Filio Dei, qui illum redemit; Gloria Spiritui sancto, qui illum sua gratia illuminavit: uni, soli, vivo et vero Deo, laus et gratiarum actio, per infinita secula seculorum. Amen.

D A. OSBERN. EX MS.

petit Gratias agi Deo

et Sanctum laudari.

E

ANNOTATA.

a *Hoc miraculum ab Osberto ita narratur.* Monachus quidam ejusdem loci, nomine Egelwinus, ea tempestate, qua, ut, diximus, Comitum potius more, quam pauperum monachorum, nihil rei propriæ habentium, illi monachi vivebant; cum bona venia Archiepiscopi et Fratrum, profectus est Hierosolymam, commendans se Beato Dunstano, eique pollicens, si salvum ipsum duceret et reduceret, pretiosum pallium se illi empturum, secumque allaturum. Ivit prospere: rediens per Constantinopolim, illic pallium magni pretii emit. In Gallia Cisalpina incidit in exercitum Imperatoris: et honesti quidem viri eum reverenter salutabant: sed ubi ad postremos venit, homines viles et ignavos, mula sua cum sarcinis spoliatus est: sed ipse cum sociis illæsus dimissus est. Valde autem dolens sibi pallium ereptum, Dunstanum obnixe precabatur, ne illud auferri ita pateretur. Et ecce tibi, vix ea prece finita, mula inter manus prædonum incipit ferocire, ore et pedibus eos lacerare, et tandem cum sarcinis aufugere ad dominum suum: qui cum ea lætus rediit in patriam, et S. Dunstano obtulit pallium, quod ex voto debebat. Cetera miracula, ne simus onerosi, prætermisimus.

F

NCT. 21 ***
APR TOM.
VII MAJI.

DE B. ÆMILIANA SEU HUMILIANA,

VIDUA TERTII ORDINIS S. FRANCISCI,

FLORENTIÆ IN HETRURIA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Vita olim Latine scripta tripliciter, miraculis, cultu probata in Summario Processus. Item de Vita Italica novissima.

ANNO MCCXLVI

Claruit Florentiæ ex antiqua nobilique Cerchiorum, *id est*, Circulorum *familia* B. Æmiliana, *usitatius dicta* Humiliana, *nomine fortassis sic corrupto de industria, propter insignem ejus modestiam. Nata ea fuit circa annum* MCCXIX *aut sequentem, nuptui tradita circa* MCCXXXVI, *marito autem vita functo vidua facta circa* MCCXLI : *quæ tandem miraculis illustrata ad cœlestem gloriam migravit die* XIX *Maji anno* MCCXLVI. *Ejus res gestæ mox ab obitu conscriptæ fuerunt a Vito de Cortona quem ipse S. Franciscus ad Ordinem Minorum admisit, et in Thraciam Provincialem Ministrum destinavit. De hoc Lucas Waddingus tomo primo Annalium Minorum ad annum* 1211 *num.* 10 *ista scribit :* Alium etiam sanctus Pater Franciscus, sub humili illo domicilio Cortonæ ædificato, collegit civitatis Cortonensis virum, nomine Vitum : cui vera religionis species, et summus honoris divini et salvandarum animarum zelus, magnam apud sanctum Magistrum peperere opinionem. Post Benedictum de Aretio missus est Minister ad provinciam Romaniæ in partibus Græcorum. Rediit postmodum in Italiam ; et meritis multorum propagatæ fidei laborum clarus, migravit ad Dominum. *Hæc Waddingus, qui in libro de Scriptoribus Ordinis Minorum asserit, vixisse ad annum* MCCL. *Hanc Viti scriptionem supplevit Hippolytus Florentinus, etiam Ordinis Minorum Sacerdos, ac potissimum miracula, per intercessionem* B. Humilianæ *proximo a morte triennio patrata, ultra quadraginta : quæ omnia Florentiæ, in monasterio sanctæ Crucis Ordinis Minorum, extant in pervetusto membraneo, deposito in bibliotheca, pluteo* XXVI *a dextris, ubi ipsi nos anno* MDCLXII *descripsimus, et hic damus hactenus inedita. Ibidem reperimus illustre Compendium, prædictis addi dignum, sub nomine Æmilianæ.*

Vita scripta a Vito Cortonensi.

Miracula addita ab Hippolyto Florentino.

C

2 *Quanta mox ab obitu in reverentia haberi Florentinis cœperit, propter apparitiones et miracula, beatitudinem ejus indubitabilem facientia, ex ipsa eorum jam memorata collectione discimus. Nam corpus communi verosimiliter more sepultum, tertio ab obitu mense, scilicet* in die S. Donati VII *Augusti, translatum fuit, uti num.* 38 *indicatur, a primo tumulo,* qui erat subter scalam, qua ibat Frater prædicaturus ad prædicandum, *juxta num.* 41 ; *ad alium honoratiorem et verosimiliter elevatiorem in ecclesia locum ; utique auctoritate Archiepiscopi Ardinghi, de quo in Vita num.* 54 *dicitur, quod* suis publicis prædicationibus eam plurimum commendabat. *Nominatur etiam plus vice simplici ejus* Festum, *et* Vigilia in pane et aqua *jejunanda promittitur, passimque* Sanctam *et* Beatam *appellat uterque scriptor, ex communi totius populi Florentini sensu. Anno deinde Christi* MCCXCIV *(ut ait Joannes Villanius in Chronica Florentina lib.* 8 *cap.* 7) in die sanctæ Crucis mense Majo fundata est grandis et nova ecclesia Fratrum Minorum sanctæ Crucis, præsentibus ad primi lapidis consecrationem multis Episcopis, Prælatis, Clericis et Religiosis, cum Potestate, Capitaneo, et Priore, omnique Populo Florentino, sexus utriusque maxima solennitate et lætitia. Cœpta sunt autem jaci fundamenta a parte dextera, ubi capellæ laterales sunt : ibi enim erat ecclesia vetus, quæ remansit ad usum Fratrum, donec novæ capellæ essent extructæ. *Postea, inquit Arturus, in Annotatis ad Martyrologium,* anno MCCCXIV facta est Translatio ejus mense Novembri die S. Vitalis, *id est* IV *die mensis : non tamen* in Sacrarium, *ut ait ille, sed* sub altari in una capellarum *(novarum puto) ibique mansit usque ad annum* MDLVII, *quando exemptæ inde sacri corporis Reliquiæ collocatæ sunt in theca mobili : quæ primum in sacrario fortasse servabatur, deinde vero in Capella Calderinorum saltem hoc seculo, unde accipitur in publicis solennitatibus præsertim* XIX *Maji, exponiturque in medio ecclesiæ super altari una cum Capite, Brachiis, Pedibusque, pridem a corpore separatis. Et* Caput *quidem circa finem seculi* XIV *in* theca argentea *positum erat ;* Brachia et Pedes, *incertum quando,* in reliquiariis auro ornatis ; *quemadmodum dicitur in Processu anni* MDCXXV, *cujus copiam nobis fecit Illustrissimus Andreas Cavalcantius piæ mem. unde etiam excerpta quædam infra dabimus, ad confirmandum antiquum cultum illius, ut* Sanctæ, *a tempore immemorabili.* E

Antiqua et publica veneratio ut Sanctæ.

Translatio,



3 *Adstipulantur picturæ veteres, quarum una hic posita, in domestico Cerchiorum sacello annorum* CCCL *ætatem superans, asservatur ; et secundum hujus ectypon, a Philippo Baldinuccio delineatum, sculpta Romæ imago est* cum licentia Superiorum : *quæ quia in diademate*

imagines,

A *demate expressum habet* Sanctæ *titulum, visa fuit digna hic proponi. Prototypi auctor credebatur olim Joannes de Cimabuoi fuisse, celebris pictor, qui anno* MCCXL *natus obiit* MCCC : *postea dubitari cœptum ipsiusne esset, an ipso longe præstantioris discipuli Giotti Bondonis, qui anno* MCCLXXVI *hanc ingressus lucem, ex ea abiit an.* MCCCXXXVI. *Multa ejus opera Florentiæ extant, et jubente Jacobo Card. Cajetano, in atrio Basilicæ S. Petri Romæ fecit opere vermiculato navim mire elaboratam in figura Ecclesiæ, hodieque inter opera admiranda visendum, loco plus quam semel mutato. Uterque vidisse et cognovisse* Humilianam *potuit : Giotto tamen postrema peritorum judicia addixerunt hanc effigiem : sed utriuscumque ea fuerit, si ea viventis similitudinem perfecte exprimit, sumptam esse oportet ex antiquiori, et prius facta quam nasceretur uterque.*

Festum et nomen in Martyrologiis.

4 *Invenimus apud Illustrissimum Senatorem Carolum Strozzium inter alias collectiones ita annotatum :* Festum B. Humilianæ quotannis celebratur in ecclesia sanctæ Crucis medio mense Maji, ob legatum a Domino Joanne Richardo de Cerchis anno MCCCXCIV factum. *In MS. Martyrologio bibliothecæ Medicææ, et simili apud dictum Strozzium asservato, ista ad hunc* B XIX *Maji leguntur:* Item ipsa die transitus Beatæ Æmilianæ de Circulis, quæ sepulta est in loco Fratrum Minorum de Florentia, anno Domini millesimo ducentesimo quadragesimo sexto, virtutibus et miraculis coruscando. *Hæc ibi, quæ etiam habentur in Martyrologio Florentinis typis anno* MCCCCXCVI *per Franciscum Bonaccursium edito. Notat autem circa hæc Martyrologia Cionaccius, quod cum Paulus Mini in discursu de Florentina nobilitate asserat, civitatem Florentinam plusquam centum Sanctos, et plurimos Beatos sibi posse vindicare, tamquam ex se ortos; nulli tamen istic nominentur, nisi S. Zenobius, S. Andreas, S. Podius Episc. Florentini, S. Bernardus Episc. Parmensis, S. Joannes Gualberti Abbas, S. Crescentius, S. Eugenius Diaconi, S. Philippus Ordinis Servorum, S. Miniates Martyr, S. Crescus cum sociis Mugelli passus, et cum his B. Humiliana, alius nullus. Post istæc Martyrologia scripta vel impressa, Raphael Volaterranus, scriptis libris vir notus, a Fratribus Observantibus conventus S. Salvatoris extra portam S. Miniati rogatus, Fr. Viti et Fr. Hippolyti scriptiones in unum contraxit, et meliori elegantiorique stylo reddidit. Cui Hilarion Sacchettus Vicarius generalis gratias egit litteris subjunctis, Nonis Junii anno* MDXX *datis : addicitque se oblaturam dictam Vitam Leoni X, Pontifici Maximo natione Florentino ipsiusque Volaterrani* C *amantissimo, fortassis sperans inducendum ut solenni ritu Sanctorum Catalogo* Humilianam *adscriberet : sed hanc spem præcidit Leonis obitus, post sesquiannum subsecutus. Vitam hanc Silvanus Razzius Italicam fecit, geminoque operi suo de Sanctis feminis Sanctisque Toscanis inseruit, et ex hoc in nostram Teuto Belgicam linguam eamdem transtulit Jacobus Raps. Laudat hanc scriptionem Lucas Waddingus ad ann.* 1246 *n.* 24, *et alii post illum. Dictam Vitam, ex originali pene consumpto, manu sua exceptam, prælaudatus Cavalcantius nobis ostendit : cumque eam non descripsissemus, eamdem Florentia a Senatore Alexandro Cerchi acceptam submisit anno* MDCLXXIV *Illustrissimus Dominus Octavius Falconerius, Abbas S. Hieronymi, tunc Pontificius Internuntius in Belgio nuper Romæ defunctus. Hanc etiam damus, ne quid desit ad illustrandam* B. Humilianæ *gloriam et gratificandum Florentinis.*

Alia Vita a Raphaele Volaterrano scripta,

epitome Italica in Epistolis Armanni,

5 *Non possum autem hic omittere, quin ex acceptis nuper Illustrissimi Vincentii Armanni Eugubini Epistolarum Tomis tribus, significem Tomo* 3 *pag.* 385, *prædictum D. Alexandrum, appellari etiam Secretarium Magnæ Ducissæ Victoriæ Roboreæ, per epigraphen epistolæ ad ipsum datæ; in eademque epistola contineri elegantissimam epitomen præcipuorum omnium actorum* D *atque miraculorum Sanctæ hujus, sic ut in epistolæ fine eruditissimus ille cæcus vehementer doleat, non prius sibi cognitum fuisse, quam serio optaverit* B. Humiliana *oculorum usu posse carere, ut ne mentem suam a piis cogitationibus distraherent species vanitatum, fortuito illapsu se ingerentium; credens eo exemplo leviorem juniori sibi futuram calamitatem suam fuisse, quando oculorum jacturam in Anglia fecit, ut vel sic cogeretur dimissis civilibus curis, totum se tradere virtutum ac litterarum utiliori ac sanctiori studio. Hic finieram cum ab Illustriss. ac Reverendiss. D. Visconti, Apostolico ad Rheni Principes Nuntio, mittitur mihi nova* S. Humilianæ *Historia, a Francisco Cionaccio Presbytero Florentino composita, materiam suggerente prædicto D. Senatore Alexandro. Ex hac nonnulla annotabo ad præcitata monumenta, plura colligam in Appendice, in cujus principio aliquanto fusius de opere illo agam.*

AUCTORE D. P.

et Vita recentissime edita auct. Cionaccio.

VITA

Auctore Vito Cortonensi coævo, Ordinis Minorum. E

Ex originali MS. in conventu S. Crucis ejusdem Ordinis Florentiæ adservato.

PROLOGUS.

Isti sunt testes vitæ B. Humilianæ, Frater *a* Michael, natione Florentinus; Frater *b* Vigor, natione Cortonensis, ambo Fratres Minores; Frater *c* Bonamicus ejusdem Ordinis, natione Florentinus; Domina Ravenna, cognata B. Humilianæ, quamplurimum religiosa et honesta, ac multum famosa in civitate prædicta; Domina Gisla, guardiana B. Humilianæ in infirmitate sua, sanctæ vitæ ac conversationis; Soror Gisla de Mucello, quam plurimum religiosa et honesta ac sanctæ conversationis; Soror Benevenuta, socia prædictarum, honestæ vitæ ac conversationis; Domina Luciana, uxor Rainerii, de populo S. Proculi de civitate Florentia; Diana, de populo S. Margaritæ ejusdem civitatis, sanctæ vitæ ac conversationis; Domina Sobilia *d*, Reclusa in Saxo supra monasterium de Camaldolis, prædictæ civitatis, sanctæ conversationis et honestæ vitæ; Domina Dialta, de populo S. Laurentii, prædictæ F civitatis, uxor Ugalotti, bonæ vitæ ac conversationis; Domina Bene, uxor Ricci, de populo S. Mariæ Alberici prædictæ civitatis; Domina Altobene, uxor Bonajunctæ, de populo S. Cæciliæ prædictæ civitatis, honestæ vitæ ac conversationis; Domina Jacoba, uxor Bene, de populo S. Martini prædicti; Domina Bonitia, uxor Bonaccursi, de prædicto populo S. Martini; Domina Diana, uxor Mainetti Judicis, de populo S. Petri boni-consilii, prædictæ civitatis; Domina Scotta, uxor Bernardini tinctoris, de populo S. Pancratii civitatis prædictæ; Domina Bella, uxor Tedaldi, de populo S. Cæciliæ ejusdem civitatis; Domina Compiuta, uxor quondam Ubertini, de populo S. Petri majoris prædictæ civitatis; Domina Tabbaria, uxor Torselli, de populo S. Martini prædicti : et filia eorum, nomine Geminiana, uxor Consii, ejusdem populi; Duæ sorores B. Humilianæ, scilicet Domina Mingarda et Domina Rigale; tres cognatæ B. Humilianæ, scilicet Domina Cæcilia, et Domina Guittonessa, et Domina Gasdia; Domina Ermellina, noverca prædictæ S. Humilianæ; tres famulæ prædictæ Sanctæ, scilicet Piecilia, Melliore, et Gisla; Domina Ricevula, de populo S. Martini prædicti ejusdem civitatis, uxor quondam Gerardi; Domina Daria, uxor D. Dencivenni, de populo S. Mariæ

Testes 34 citantur.

A. F. VITO COÆVO EX MS.

A Mariæ in campis prædictæ civitatis; et Domina Scotta, cognata sua, uxor Raci, ejusdem populi.

ANNOTATA.

a Michael de Florentia *seu* de Albertis *vixit in Conventu sanctæ Crucis, sed est sepultus extra portam civitatis in quadam capella juxta ecclesiam hospitalis S. Galli, et relatus ad* 17 *Martii in Martyrologio Franciscano Arturi: de eo infra sæpe agitur.*

b Vigoris *mentio fit num.* 30.

c *De* Bonamico *agitur num.* 5, *atque ita de pluribus aliis, præsertim mulieribus hic nominatis, sæpe agitur in decursu Vitæ.*

d Sobilia, *aliis* Sibilia *vel* Sibilla, *quam* sororem Humilianæ *Volaterranus facit: sed perperam, ut vel ex hoc Prologo apparet.*

CAPUT I.

Matrimonium, viduitas. Affectus erga pauperes, et res Ecclesiasticas.

B Domina quædam Humiliana nomine, filia Oliverii Cirki, civis Florentiæ, cum esset annorum *a* xvi, tradita est nuptui a parentibus: et quasi Deo plena, uno mense peracto post adventum suum ad virum, spernere cœpit pompas seculi et ornatus, ita ut faciem non ornaret; et vestimentorum cultus, quæ ob viri reverentiam portabat, erant sibi non ad gaudium, sed ad crucem tantum; quadam *b* Domina cognata sua eam ad hoc hortante, eo quod et ipsa Deum timebat, et in his quæ Dei sunt quotidie versabatur. Et quia longum est omnia scribere de vita sua et gestis, velut lector florum in prato positus, pauca de multis ad honorem Dei et utilitatem nostram et ædificationem audientium colligemus. In primo igitur anno suæ conversionis celebrari fecit Missas quotidie pro peccatis, et quantas eleemosynas ipso anno distribuerit in vestiendo nudos, in refocillando debiles, in visitando infirmos, compatiendo miseris, operibus pietatis, dicere non possemus. O quis dicere valeat, quoties ipsa benedicta appositi panis fragmenta latenter subduceret a viri sui mensa et absconderet, postmodum pauperibus eroganda! Nam et collectam multitudinem copiosam fragmentorum prædictorum, implens sinum suum pia compassione vulneratum, deferebat una C cum cognata sua prædicta pauperibus et egenis. Et quis enumerabit, quæ in quinque annis egerit, quibus mansit cum viro suo, opera pietatis, in quibus continue versabatur; et quomodo propriis manibus laborabat, ut ad votum suum implere posset quod optabat, scilicet ut pauperibus plenius subveniret? Non enim sufficiebat fervori suo domus viri sui copiosa substantia in eleemosynis erogandis. Taceamus, eo quod dicere longum esset, quot vestierit nudos, et pannos quos usque ad linteamina lecti pauperibus erogavit: quæ etiam sæpe præcidit, partem sibi retinens, et partem pauperibus donans: et etiam pannum sibi traditum pro eisdem, sublata parte pauperi, consuebat linteamina breviora: diploidem sericam, quam habebat, vendidit et dedit pauperibus.

a Nupta spernit ornatum faciei et vestium: b

addicta eleemosynis,

3 Dum esset in potestate mariti, *c* bindas omnes distribuit, nihil retinens sibi præter unam lineam et partem alterius sericæ detruncatæ: quam more B. Martini dividens, majorem partem dedit cuidam pauperi Dominæ, minimam sibi retinens, qua bindam lineam cooperiret. Tunicam *d* scarleti novam, sibi emptam a marito, restrinxit ex lateribus, et ex parte pedum partem maximam detruncavit: ex qua componens manicas, vendebat, et pretium dabat in D cibos pauperum miserorum. Pannos veteres laneos mariti et suos subripiebat: quos vendens, pretium pauperibus erogabat. Pannos alios lineos, veteres et novos, quos poterat, latenter accipiebat, et mittebat cuidam suæ consciæ secretorum, ut eos juxta votum suum daret pauperibus et egenis, in diversis partibus constitutis. Quadam die bindam quam portabat in capite dividens, partem sibi retinens, partem cuidam leproso dedit, quem invenit in via dolore capitis fortiter cruciari. Pannum lineum totum, quem invenit in camera mariti, et suum si quem habuit, totum pauperibus distribuit: et quidquid aliud habere potuit, bono modo pauperibus erogavit. Deficientibus rebus cameræ mariti et suæ, de labore manuum et aliorum quæ habere poterat fabricabat sibi pannum lineum, et emebat fabricatum, nec non et laneum emebat: quos incidens in pauperum indumenta distribuebat, unicuique prout unumquemque noverat indigere. Quodam etiam tempore proprii lecti subtracta pluma lectulum composuit, una cum cognata sua, quem tradiderunt infirmantibus Dominarum pauperum Inclusarum de *e* Ripolis.

c etiam vestes suas truncat ac distribuit, d

e

E 4 De opere manuum suarum dabat paramenta altaribus, et ipsa altaria mundis sindonibus adornabat. Non inveniebat calicem noviter fabricari, aut librum fieri ecclesiasticum, aut quæcumque ecclesiastica pertinentia ad altare et alia divina opera, in quo non manum porrigeret pietatis. O quanta erat ejus reverentia circa divina, et circa eleemosynas ad eadem pertinentes! Quadam die postulata sibi farina pro hostiis faciendis, ob reverentiam Corporis Christi, dedit unius *f* starii mensuræ farinam, de octo stariis defloratam. Cibaria delicata sanctis viris et sororibus, debilioribus delicatiora, et fortioribus fortiora, juxta humanum morem, propriis manibus faciebat. Insuper et residuum pulmentorum, quæ fiebant in domo, quod sæpius multum erat, recolligebat in unum et reaptabat ut libentius et avidius sumeretur, et reservabat sanioribus pauperibus erogandum. Multa bona cibaria subtrahebat latenter ab ore suo et recondebat, ut ea pauperibus distribueret. Per se autem vili cibo contenta erat, quem percipiens laudes de tanto beneficio Altissimo persolvebat. Sed ex variis negotiis domus et frequentia familiæ et discurrentia virorum et mulierum, prædicta cibaria die præparare non valens, nocturno silentio præparabat. Pro dolor! quid dicturi sunt F lascivientes in stratis, quando hæc tam tenera, circa propriam salutem solicita, sic laborando sæpe magnam partem noctis ducebat insomnem? Et orta luce, assumpta cognata sua, quæ in his erat sibi particeps et conscia secretorum, non velut pomposæ et honorem quærentes et seculi vanitatem, sed quasi ancillæ Dei, non verentes portare improperium Jesu Christi, circuibant per civitatem loco pauperum, infirmantium et sanorum, distribuentes cibaria prædicta: cibaria tamen cocta unctuosa portabantur per famulas, ut ipsis absentibus missa satiarent pauperes indigentes.

studet ornatui altarium,

f

cibos subtrahit dandos pauperibus:

5 Visitabant etiam loca Sanctorum, ut moris est Florentiæ, scilicet Dominarum de Monticellis, et Pauperum *g* S. Galli, et alia ubi constitutæ sunt Indulgentiæ pro peccatis, ut omnium bonorum fierent participes et consortes; spretis virorum minis et illatis injuriis ab eisdem, quæ inferebantur ex contracta mora quæ ex longa visitatione fiebat. O quantus erat ejus fervor, et quanta compassio circa miseros cor suum invaserat! Vincebat enim omnem injuriam, et omnem torporem, et terrorem, et carnis oblectamenta fervor sanctus. O quantis dilacerata injuriis et exprobrata verbis, a magnis et parvis domus! Erat etiam verberata aliquando propter opera

g visitat loca Sanctorum.

A opera pietatis, quæ humiliter impendebat egenis, omniaque obliviscens circa prædictos familiaris et tractabilis persistebat. Infirmantibus autem eis, *injurias tolerat,* velut pia mater pie compatiendo, circa necessaria eorum solicita, ministrando assistebat, parata in omnibus prout poterat subvenire. Speciali compassione movebatur circa infirmos, sciens quantis indigeant, quia sæpe infirmabatur graviter : et intendebat propter illud Evangelicum, Quod uni ex minimis meis fecistis mihi fecistis, impensa creaturæ facere Creatori. (Matth. 20, 40.) Frequentabat Confessionem, et non nisi bene confessa recipiebat Corporis Christi sacramentum : frequentabat Christi ecclesiam, et libenter audiebat divina. Magnæ humilitatis et patientiæ ab ipsis cunabulis fuit ita, ut omnia incommoda sine murmure, sed et patienter ferret : quia timorem Dei portabat in pectore. Numquam, sicut aliæ puellæ infra ætatem esse consueverunt, lasciviens fuit; sed infra ætatem et in ætate fuit honestatis forma, et pacis amatrix, omnes diligens, et puerilia numquam scivit : erat enim non ætate, sed moribus et honestate senex.

6 In infirmitatibus suis, quas passa est, tantæ *patiens est in morbis,* patientiæ fuit, ut non sit aliqua vox lamentationis B ab ore ipsius aliquando audita. Sæpe enim in domo mariti tam graviter passa est dolorem stomachi et matricis, ut non solum torqueri, sed et parturire videretur. Semper in Dei laudes, non in lamentationem, fideliter prorumpebat, benedicens et laudans Deum. *et morte suorum ac mariti :* Si quando infirmarentur pueruli sui, non erat multum solicita, nec turbabatur de morte ipsorum, sed aiebat dicens : O quam beati essent, si tam immaculati discederent, sic secum virginitatem portantes. Potius volo quod moriantur, si voluntas Dei est, et vadant ad gloriam, quam ut vivant; ne ipsos contingat aliquando Deum offendere, et partem perdere illius summæ caritatis et hereditatis æternæ. Dicitur etiam quod marito suo vicino morti, donare voluit dotes suas amore Dei, si ipse pœniteret veraciter, et juxta præceptum Sacerdotis Dei usuras redderet quas tenebat. Post mortem viri in domo ipsius, eo quod liberior erat, liberalitatem suam liberalius ostendens, *præscia paratæ sibi beatitudinis,* pauperes sæpe tenebat in mensa sua et magis orationibus insistebat. In ipsa mariti domo multis visionibus et revelationibus consolatus est ipsam Deus, præostendens sibi gloriam, quam erat in proximo adeptura. Videbat enim se vestibus candidis gloriose ornatam inter agmina puerorum, qui erant in vestibus candidatis, quod C designat in præsenti munditiam vitæ et in futuro circumdari agminibus Angelorum.

7 Elapso aliquo tempore in domo viri defuncti *nequit adduci ad secundas nuptias :* reversa est in domum patris, et sub ejus potestate constituta, pro secundis nuptiis celebrandis diuturnis minis et vexationibus a patre, fratribus, et consanguineis aliis fatigata, et exprobrationibus in tantum lacessita est, quod succubuisset, nisi supra firmam petram Christi domum propriam fundavisset. Cum minarentur ei quia non recipiebat virum, movebatur ad risum, et sibi exprobrantibus subsannabat. (h) Quodam die a matertera *h* sua ducta est parentum gratia, ut sibi de marito placide suaderet; et cum allegaret juventutem, quia tunc viginti duorum erat annorum tantum, et fragilitatem diceret feminarum, audivit ab ea : Matertera mea, noveris pro firmo, quod virum habeo dignissimum, quem numquam flebo, nec sua damnatione in perpetuum viduabor : *a Deo confortata, præ altero marito eligit mortem :* sed omissis talibus, si tibi placet, [tamquam bona] Christiana, mitte aliquid de tuo, amore Dei inclusis Sororibus, quia hodie circuivi civitatem, ut pro eis eleemosynam invenirem. Et quamvis in firmo proposito persisteret castitatis, non tamen de se confidens, ad nostram Dominam supplicationibus frequentibus recurrebat. D Quadam die cupiens super his scire Domini voluntatem, in illam turrim, ubi clarificavit eam Deus, cucurrit; *A. F. VITO COÆVO EX MS* et coram imagine Dominæ nostræ, quam tunc habebat expressam in quadam charta, in orationem se contulit, rogans Deum, ut ostenderet sibi super his suam plenius voluntatem. In illa oratione tanta superfusa est gratia, ut quasi ebria videretur; et tantam cordis accepit constantiam de non nubendo, et tanta veri Sponsi certificata est voluntate, quod ante flammæ quam viro parata erat tradere corpus suum : et ex tunc ad prima verba, quæ de recipiendo marito audivit, confidenter respondit, dicens : Quid me laceratis quotidie de marito? Adducite ad me illum cui me tradere cupitis, et ex alia parte faciatis mihi fornacem accendi, ut inter utrumque posita eligam quod voluero. Ad cujus verba consanguinei confusi sunt vehementer, et amplius non sunt ausi ipsam de talibus infestare. Ab illa die statuerunt sibi et famulæ suæ pro mensa quatuor staria frumenti, et alia moderate.

8 Attendens etiam genitor, quod in proposito *jus in dotem suam cedit patri,* continentiæ permanebat immobilis, congregatis quadam die quibusdam ignotis forensibus, Judice videlicet Communitatis et aliis quibusdam ad hoc ordinatis, convocata filia sua Humiliana, et ad se adducta, dixit : E Filia Humiliana, ego causari habeo cum illis de domo mariti tui defuncti, ut dotes recipias quas pro te dedi. Hujus rei causa oportet ut mihi tradas jus tuum per publicum instrumentum. Quod humilis Humiliana non advertens, dixit : Pater non est necesse hoc fieri : fiat tamen voluntas vestra, dummodo ego non jurem, quia non jurarem aliqua ratione. Non dicebat hoc quia crederet juramentum esse illicitum, sed jurare pro temporalibus non volebat. *seque ab eo deceptam tolerat :* Tunc per instrumentum extortæ sunt sibi dotes a patre : quod ipsa postea recognoscens, ait : Non percepi quod fraudulenter vellet erga me agere pater meus : ecce privavit me dotibus quas mihi dederat, benedictus Deus : et non reclamans, sed patienter ferens, paupertatis amatrix dixit : Ut video non est fides in terra, quia pater filiæ, et filia patri detrahit et denegat veritatem. Habeat igitur me pater meus in domo sua deinceps, non ut filiam, sed ut famulam et ancillam. Cupiebat enim divinæ legis amatrix per omnia sequi Christum, et nihil in hoc mundo proprium possidere. Verbum Christi portabat in pectore, ubi dicitur, Nisi quis renuntiaverit omnibus, quæ possidet non potest meus esse (Luc. 14, 33) discipulus; et, Si quis petierit a te tunicam, dimitte (Mat. 5, 49) F ei et pallium. De illata sibi injuria dotium pro Christi nomine parum curavit aut nihil : desiderabat autem culmen perfectionis attingere, et quantum possibile est humanæ fragilitati, in dilectione Dei altius sublimari; idcirco per viam consilii ambulabat intrepida, et non ad sinistram vel ad dextram aliquatenus declinabat.

9 Et ex tunc non habuit, unde manus ad pauperes liberaliter extenderet, sicut prius : propterea *pauperes invisit et solatur,* non modicum manus ad eleemosynam temperavit, non tamen reliquit priorem modum per omnia, sed ut poterat in visitatione pauperum erat solicita et attenta. Sæpe enim, ut sociæ itineris sui asserunt, sex panes simul et semel in sinu portabat egenis, et loca sancta visitabat ut prius : non verens illatas minas, aut certe quascumque corporis passiones. Non verebatur etiam temporis pravitatem et asperitatem, non æstum, non pluviam, quin cum omni *etiam per æstum et pluviam,* solicitudine ac alacritate Spiritus loca sancta visitaret attentissime supradicta. Sæpe conquerente socia de calore, dicebat : Curialis Deus nobis compatrem ventum mittet, qui nobis caloris æstum misericorditer temperabit. Mira res, quia statim aderat aura placita quam prædixerat, quæ ad votum suum æstum

A. F VITO COÆVO EX MS

A tum sibi et sociæ mitigabat. O Deus! quanta solicitudine te quærebat in pauperibus membris tuis, quæ cum socia tam velociter incedebat te quærendo per viam, quod aliarum fortium multitudo non poterat suis gressibus velocissimis adæquari: nec fatigari videbatur in talibus, imo sæpius usque nonam propter locorum distantiam moram contrahebat jejuna, quia reverti nolebat domum, nisi visitatione completa. Et quoniam fervori suo non satisfaciebat eleemosyna manus suæ, visitabat nobiles Dominas et discretas et timentes Deum civitatis Florentinæ, petens ab eis humiliter eleemosynas pro inclusis Sororibus pauperibus amore Domini Jesu Christi: quas cum multa devotione suscipiens, reponebat in quadam perula munda, specialiter ad hoc facta, deferens ea diligenter pauperibus supradictis. Speciali compassione vulnerata verecundorum pauperum, circa eos sustentandos solicitam curam gerens, ipsis prout poterat necessaria subministrabat: nam quamdam Dominam, in magna penuria positam (cui nisi subventum fuisset, pro sustentatione sui posuisset in prostibulo forsitan corpus suum) dum vixit manu misericordiæ sustentavit: et non solum isti, sed et multis aliis, quando potuit, subvenit dum vixit. B

et pro iis eleemosynas petit.

ANNOTATA.

a *Volaterrano.* Annos nata duodecim. *Verum* XVI *annum melius exposuit Waddingus.*

b *Eidem. Viri* Fratris uxor nomine Ravenna, *et sequitur Waddingus: idque Italis significat* Cognata. *Sic S. Cecilia sponsi sui Fratrem appellat* Cognatum.

c *Idem*, vestes *solum posuit*, *nulla* bindarum *facta mentione. Est autem* binda *idem quod nunc* Benda, *vitta, fascia, a Teutonico* binden, *ligare: notatque hic Cionaccius, ex modestiori ætatis illius, usu matronas conjugatas consuetas fuisse multiplici calantica, partim linea, partim sericea, obnubere caput collumque obvolvere, utique sicut in ipsius B. Humilianæ imagine exprimitur. Sic Regula Ordinis S. Marci de Mantua, apud Cangium*, duas bindas *vult sufficere Sororibus: et S. Franciscus in Regula Tertiariarum, eas vetat* Bindis et ligaturis sericiis uti.

d Scarletum, *aliis* Scarlatum, *pannus coccineus, de quo multa Cangius in Glossario.*

e Ripoli *locus est sesqui milliari distans ab urbe, ubi insignis Abbatia nunc Vallumbrosani Ordinis, sed fundationem suam ad tempora Caroli Magni referens;* C *juxta hanc Reclusorium istud fuisse videtur, quod nunc translatum in urbem profitetur Regulam S. Dominici, et adhuc vetus nomen Monacharum Ripolensium retinet.*

f Starius (*Volaterrano integre* Sextarius) *more vulgi truncata vox.*

g *Hospitale S. Galli extra urbem ad septemtrionem situm, ubi nunc colitur Deipara a Tussi cognominata, forte quod contra tussim colatur.*

h Lucianam *appellat Cionaccius.*

CAPUT II.

Habitus tertii Ordinis assumptus: Extases concessæ, tentationes superatæ.

Orat maxima parte diei et noctis.

Toto igitur primo anno reversionis in patris domum, quotidie sine intermissione audivit divina, et studuit in operibus pietatis. Mane auditis divinis revertebatur in cellam suam, et die quo non jejunabat erat in oratione continua. Quando autem jejunabat, usque nonam in orationibus persistebat: et sumpto cibo laborabat aliquantulum in operibus misericordiæ pauperum, et ad orationem redibat continuo, ut nulla hora otiosi temporis deperiret. Sero facto vigilabat in oratione magna parte noctis, et D assumpto aliquantulo somno, surgebat omni spreto torpore, et totum noctis residuum in orationis devotionibus expendebat. Hunc modum vigilandi multum in sero tenuit usque ad tempus, quo in ea Deus majorem gratiam augmentavit: postmodum aliam viam tenuit, ut sero facto quiesceret aliquantulum, et tota nocte post quietem in orationibus vigilaret. In secundo autem anno ab hujusmodi longi visitationibus retraxit pedem, et ultra quam credi potest altius evolavit: et propterea quia non sufficiebat sibi tam inopi pauperum cura, prorupit in hoc votum, dicens: nomine tu nosti, quia dum potui, tibi largius ministravi: nunc autem facultatibus privata, animam meam et corpus totaliter tibi trado. Ex tunc ardentius amore inflammata divino, fervebat ad solitariam vitam pertingere, cupiens implere conceptum desiderium, et affectuosissime se Deo ut promiserat tradere, ut diu sitiens gustare fontem vitæ valeret ad votum.

11 Intrare voluit in monasterium S. Mariæ de Monticellis Inclusarum pauperum Dominarum, *a* sed Deus, qui aliud de ipsa decreverat, non permisit. Nolebat enim Deus amplius accensam lucernam latere sub modio, et ideo posuit eam super candelabrum in altitudinem vitæ et exempli, ut luceret omnibus qui in domo sunt, hoc est in Ecclesia militanti. E Erat enim ipsa vas Domino electum, supra quam ponenda erat structura cœlestis Hierusalem, civitatis sanctæ civium supernorum. Dum divina sapientia domum sibi ædificans, in qua excidit columnas septem, mitteret ancillas suas, id est varios Ordinum Fundatores, ut vocarent ad arcem, id est altitudinem vitæ in via gratiæ; et mœnia civitatis, id est ad æternorum gloriam præmiorum; misit et hanc novæ vitæ ac sanctæ conversationis mirabilem Fundatricem. Alii Spiritus sancti ductu, ad unum vitæ regnum in novitate vitæ properantes, variis moribus et honestatis habitu singuli proprios Ordines distinxerunt: hæc honesto tertii Ordinis habitu retento, ad idem regnum advolans, et aliarum Religionum formam tenens, circa ea quibus magis proximatur Deo, id est dilectionem Dei, totis viribus laboravit. Quid sibi de vita monastica defuit, quæ in tam continuis silentiis et observationibus vixit? Quid minus sanctis Eremitis habuit, quæ in meditullio civitatis sibi solitudinem invenit, et thalamum in carcerem commutavit? Quid minus F sanctis *b* Sororibus S. Damiani asperitatis sustinuit, quæ in cibis et potibus tam sobrie vixit? Recreata modico somno, noctem totam in orationibus expendebat; et quanta tunc perfundebatur gratia, dicere possunt qui viderunt, secundum quod percipere potuerunt. O quantis perfundebantur lacrymis illæ genæ et pectus beatum, quia non lacrymæ sed rivuli videbantur, quæ de ipsius oculis emanabant. Qualiter Minorum Fratrum vitam plenius tenere potuit, quæ Christi Evangelium tam perfecte servavit? Nam distractis omnibus quæ habere potuit, omnia pauperibus distribuit, et corpus et animam fideliter Domino mancipavit. Alii relicto seculo et paternis mansionibus, ad solitudinem fugientes, Domino militarunt; hæc in domum patris solitudinem adducens, militando nobiliter vicit mundum, et vitium in medio mundanorum.

a Anno 2 viduitatis vitam solitariam frustra appetens,

Tertiaria sanctissime vivit domi paternæ:

b

12 Quot aliorum altius mente volavit? quæ quidem elevans se super se, contemplatione mirabili conjuncta Deo, tam sæpe rapiebatur a sensibus in Dei dulcedinem, quam gustando suaviter in Domino dormiebat, non corporali quidem somno, sed extatico: de quo Christus dicit in Canticis de sponsa sua; Adjuro vos, filiæ Sion, per capreas cervosque camporum, ne suscitetis neque evigilare faciatis dilectam

sæpe in extasim rapitur:

Cant. 3, 5

A dilectam donec ipsa velit. Super quo verbo dicit Gregorius : Cervi et capreæ munda animalia in lege esse perhibentur. Quid ergo per cervos et capreas nisi fidem et spem et caritatem accipimus : quas dum mundas nobis servamus, per easdem altos montes contemplationis ascendimus. Sancta autem anima sponsa Christi a cunctis mundi perturbationibus quiescere appetit ; et in sinu Sponsi, sopitis terrenis cupiditatibus, dormire sancto otio concupiscit : ita ut etiam necessaria colloquia aliquando fastidiat, soliusque Sponsi collocutione quanto quietius tanto serenius hilarescat. Sed hanc dormientem carnales, qui sunt in Ecclesia, nonnunquam importune excitant, negotiis mundi eam implicari desiderant : quia ejus vitam inutilem æstimant, dum ab eorum curis eam se abstinentem considerant. Hi tales satis congrue non filii, sed filiæ nominantur : quia dum effeminatos mores nutriunt, virili dignitate amissa, quales interius habentur exterius femineo nomine designantur. Hi suscitare dilectam sub adjurationis pondere prohibentur, ne videlicet mentem, quæ ad vacandum Deo se accingit, solisque spiritualibus studiis inhærere concupiscit, importunis solicitationibus inquietent, et tene- B bris terrenarum curarum oculum cordis obnubilent. Et tamen non ei omnis cura proximi interdicitur, sed quando suscitari debeat ejus voluntati relinquitur : quia profecto omni perfectæ animæ discernendum est, quando cœlesti contemplationi studeat, et quando proximorum utilitatibus inserviat. Hæc Gregorius. In isto extatico gradu Humiliana gustabat manna ipsum absconditum, de quo in Apocalypsi dicitur, quia nemo scit nisi qui accipit : et propterea nemo plene de ipsius gratia tractare poterit, nisi gustaverit quod ipsa gratiosa gustavit.

Apoc. 2, 17.

13 Quid de prædicatione, qua magis opere prædicavit quam verbo, et corpore mortua prædicare non cessat, et in perpetuum prædicabit? Si domum patris et vestes viduales non dimisit, non per ipsam stetit : quoniam cuncta quæ sub cœlo sunt liberali mente deseruit. Sed Deus non permisit : voluit enim exemplo ejus seculi otiosos trahere, qui vel curiositate vel pusillanimitate detenti, vel etiam non valentes invenire religionem secundum cor suum, in qua recipi potuissent, jacebant in infimis vitiorum : ut nullus a minimo usque ad magnum viam excusationis haberet, quod Deo servire non posset juxta possibilitatem suam in domo propria et habitu secu- C lari, et jam non sit qui se abscondit a calore caritatis suæ. Quid plura? Cellula, imo carcere collocato in turri patris, ipsum carcerem in oratorium, juxta quod possibile est, commutavit : eo ipsa contenta studebat solicite, quid melius ageret. Quæ salutis monitis a Deo informata et Fratribus Minoribus, et maxime a Fratre Michaele, qui doctor ejus in via devotionis fuit, relictis curis omnibus et pene curæ Marthæ fine imposito, sategebat cum Rachele ad strictiores amplexus currere Creatoris. Sed Deus volens aperire fervorem suum, non sibi tam cito se dedit, quem cum multo desiderio expectabat ; imo quamdam duritiam præostendit, ut in devotione habere lacrymas non valeret. Quod ipsa ferre non sustinens, calcem propriis oculis apposuit : ita quod privari credidit lumine oculorum. Hoc egit, ut pius Deus pietate motus, ei pietatis lacrymas largiretur : et bene conscia sui timuit, ne hoc actum sit oculorum vitio. Et quia quandoque mortem suorum ploravit, vovit Deo se numquam producturam lacrymas, nisi ob memoriam peccatorum suorum, vel ob gratiam Dei vel Domini passionem. Post paucos dies tantam Deus infudit ei gratiam lacrymarum, ut non quasi lacrymæ viderentur, sed rivuli fluviorum.

exemplo prædicat :

post ariditatem donum lacrymarum obtinet :

14 Quodam tempore, nocturno silentio, dum secum tacita orationem Dominicam, prout devotius poterat, diceret, et de verbis orationis ipsius diligenter meditaretur et subtiliter ; lumen lampadis cellæ suæ subito extinctum est, quod semper tenebat accensum nocte tota coram imagine Dei Genitricis altissimæ : quod sibi satis displicuit, sed humilitatis causa noluit propter hoc excitare famulam dormientem. Optabat tamen habere lumen, sed quomodo habere posset non videbat, nisi super hoc Deus dispensaret. Et dum hoc ageretur apud se, subito adfuit columba quædam candidissima, portans in ore suo rosam novam rubeam admirabilis pulchritudinis et fulgoris, advolans per cellam, et super laqueare quoddam cellulæ requiescens : ad cujus fulgorem cella, velut esset dies, est splendoribus illustrata. Quam cernens capere voluit, quasi extra se posita, non attendens quid esset (disposuerat enim, sicut dicebat, eam mittere cuidam nepoti suo parvulo, quem habebat) et apponens manum juxta eam, columba prosilivit aliquantulum super ipsam eamdem perticam, ut manum videretur effugere capientis. Quam cum attentius persequeretur, expulit de pertica : et ipsa per cellam cœpit juxta Beatæ Virginis tabulam volitare. Et appropians tabulæ fidelis Humiliana, ut ad columbam pertingeret ; ipsa columba versa in solem quemdam valde lucidum ante tabulam, et ipsi imagini se uniens, simul cum luce disparuit. Et ipsa laudans benedixit Deum, qui secum talia dignatus est operari : et revertens ad meditationem pristinam Dominicæ orationis, super ipsa tota illa nocte meditata est ; et sic unum Pater noster tantum tota illa nocte dixit, in qua multam Dei dulcedinem degustavit.

D

A F. VITO COLVO EX MS.

de nocte illustratur fulgore columbæ apparentis,

in solem versæ.

E

15 Item nocte alia quadam, cum lampas cellæ suæ extincta esset, et lumen aliud non haberet, et nollet excitare famulam propter dictam causam superius tactam ; postulabat ad Dominum humiliter, ut sibi de lumine provideret. Ad cujus votum respiciens benignissimus Deus, lumen per Angelum mirabiliter ministravit. Apparuit namque manus quædam juvenilis juxta lampadem, valde fulgidum gerens ignem, quo lampadem accendit extinctam. Item alia quadam nocte, cum in lampade oleum non haberet, nec in cella ; accepit lucernam quamdam, et implevit eam aqua, lychnium ut condecens est superponens. Qua parata, dixit : Amor sanctissime et omnipotentissime, ita tibi facile est aquam in olei mutare liquorem, sicut tibi facile est oleum producere de duro ligno. Et continuo accendit eam : et mirum quoniam aqua ipsa, dulciter et sine stridore ignem velut oleum nutriens, lumen usque ad consumptionem præstitit.

a it lampadis per Angelum accensæ,

F

vel aquam pro oleo ardentis :

16 Cernens autem copiosam ejus gratiam nostræ salutis æmulus, humani generis inimicus, totius boni malignus insidiator, exarsit vehementer in iram et non post multum tempus multis eam tentationibus et tribulationibus fatigare cœpit, ut timore a devotione cessaret. Quis enumerare valeat, quoties sibi visibiliter apparuerit, et percusserit eam, ut sibi fuit a potentia divina permissum? de quibus omnibus ad præsens quædam dicamus. In sancto incarcerationis suæ anno, Quadragesimali tempore, in quo continuo silentio et orationibus insistebat, adstitit ei dæmon, afferens corpora mortuorum, dicens : Loquere consanguineis tuis, quos conspicis positos coram te. At ipsa tacens, illusiones diaboli pro nihilo ducebat. Diabolus autem ipsis imaginibus sub latis de medio, post paululum illusiones alias præparavit : et adduxit quasdam formas, in persona duarum suarum filiarum, quas habebat in mariti domo viventes : et ostendens eas in grabbato noviter mortuas, dixit : Numquid filias tuas non alloqueris, quas

spernit dæmonem silentium ejus interrumpere volentem,

A. F. VITO COÆVO EX MS.

objectu variarum personarum,

A quas cernis mortuas noviter ante te? Quod ipsa silenter transiens, non curavit. Sed et ipse sagax diabolus desiderium suum intelligens, figuram nostræ Dominæ et pueri Jesu splendenti facie ac vestibus præostendit, dicens : Cur dominæ tuæ non loqueris et filio ejus adstantibus tibi, qui venerunt ad te, sicte visibiliter et mirabiliter visitare ? Et post modicum, quia hanc illusionem vilipendit, adduxit sibi imaginem Dominæ Ravennæ, dicens : Loquere dilectæ cognatæ tuæ, quæ te sic fideliter visitavit. Quibus spretis, quia illusiones dæmonum, Spiritus sancti ductu, cognoscebat, disparuit diabolus cum figmentis suis, percutiens eam graviter in renibus, ita quod ex percussione illa collisi sunt dentes ad invicem tam fortiter, ut ex collisione illa præ dolore dentium fere quindecim diebus cibaria masticare non poterat bono modo.

et cadaverum;

17 Item alia quadam die apparuit ei visibiliter illusor, afferens mortuorum corpora quasi noviter occisa, virorum ac mulierum, membratim partita et dilacerata crudeliter, et sanguine cruentata, dicens: Vah ! Quæ quæris conversari cum Sororibus monasteriorum de Monticellis et Ripoli (propter quas, de amasiis suis enormiter altercantes, hæc omnia tam B crudelia, quæ aspicis, ante te posita sunt) quæ cum salute viro nobili et prudenti posses salubriter et laudabiliter maritari. Quæ tacendo contemnens, ducebat pro nihilo quod videbat : sed impatiens diabolus quia contemptus erat, percutiens eam fortiter in spatulis, cum clamore disparuit, dicendo : Commendo te omnibus dæmonibus infernorum. Die quadam cum quidam Frater Minor visitasset eam cum quodam suo socio Sacerdote, transacta Quadragesima, in qua ipsa cum silentio orationi et devotioni vacaverat; et interrogasset eam familiariter, eo quod familiaris et amicus ejus erat; Quid egerit aut quomodo se habuerit in ipsa Quadragesima circa Deum, et si rogaverit pro eo (recommendaverat enim se suis orationibus frequenter Frater) propter multam instantiam deprecantis cum difficultate respondit : Bene me habui, benedictus Deus. Et pro te frequenter oravi, sed et diabolus me multa sæpe angustia et tribulatione vallavit.

quod illa cuidam Fratri narrans,

similia recentius se passam fatetur:

18 Et de pluribus unum narrans ait : Hesterna die tempore orationis et silentii adstitit coram me humani generis inimicus, et ex abrupto in hæc verba prorumpens dixit : Abbas sum quidam exulans, a monasterio quodam expulsus, veniens ad te ut in C aliquo merear consolari. Cui cum nihil responderem, moram parvulam faciens dæmon, dixit : Surge et occurre Fratri Michaeli tuo, aperiens ostia venienti ; venit enim, ecce adest. Cujus illusiones vilipendens, clausis oculis et non interrupto silentio, propriis negotiis intendebam. Sed et ille ferre non valens, velut impatiens, addidit : Aperi oculos tuos, et vide Dominam tuam ad te venientem, et propriis manibus suis filium proprium ferentem : quem tu tanto desiderio concupisti. Cui cum dixissem ; Quicumque mortaliter peccaverit, et de peccato pœnitentiam non egerit, condemnatus æternaliter punietur; nimia velocitate discessit. Cui cum Frater diceret, Numquid et pro me rogasti? respondit : Rogavi, Frater, et rogabo, dum modo sis de tua salute sollicitus ut teneris esse, quia Deus diligit te : nam et mihi oranti pro te ostendit te Deus veste candida visibiliter decoratum, pro quo mihi videtur, quod te Deus diligat, et in corporis puritate consistas.

et rursum paria experitur,

19 Quadam nocte cum oraret oculis clausis, adstitit ei quidam dæmon, ostendens ei mortuorum imagines et Sacerdotum et Crucis Christi, dicens : Tu scis, quam grata sit Deo visitatio funeris mortuorum : aperi igitur oculos tuos, et vide saltem mortuorum corpora posita coram te. Cui cum non acquiesceret, diabolus contemptus disparuit. Secunda nocte ab illa nocte, qua interfectus est Prior *c* D sancti Apostoli civitatis Florentiæ, posuit diabolus coram ea in cella sua, repræsentans ei exanime corpus istius Prioris, ut erat totum sanguine cruentatum, et dicens : Respice et vide flebilem pietatem et horrendam crudelitatem, tantum hominem, Priorem scilicet sancti Apostoli, sic enormiter jugulatum, jacentem mortuum ante te, cui compati multum debes. Quod audiens non attendit, nec curavit, nec etiam ab oratione aliquatenus declinavit : cujus patientiam et fortitudinem cernens diabolus illusor, confusus suis illusionibus disparuit et illusus. Alio quodam tempore, antequam Guelfi *d* recederent de Florentia, cum occasione cujusdam discordiæ partium in pluribus locis esset prælium, et ignis comburebat civitatem in aliquibus terræ partibus, et machinæ projiciebant lapides fortiter in turribus constitutæ; venit diabolus ad eam dicens : Surge Humiliana, ut videas quæ fiunt : ecce tota civitas destruitur et igne consumitur, et ignis tuæ domui appropinquavit. Cui cum videretur velle assentire, et ad videndum aliquantulum declinare corpus, dixit : Frater corpus, si vis talia conspicere, vade et vide, sed animam tecum protervus non adduces. Quo E audito diabolus statim discessit confusus.

nec tamen ab oratione recedit,

d nequidem objecto incendio.

20 Sæpe strinxit fortiter ei gulam, ita quod timuit suffocari; et sicut credimus suffocasset eam sæpe, si fuisset desuper sibi datum : et quia in hoc voluntatem suam implere non poterat, cingebat brachia per totam et crura ; ita quod videretur vestita plumbo, et de loco surgere non poterat nec moveri. Si quando tantam haberet virtutem ut se signaret, ipsum Crucis signaculo expellebat, alioquin oportebat quod sibi divina potentia imperaret. Quodam mane cum surgeret ut oraret, tam graviter a diabolo percussa est in renibus et spatulis, quod sibi visum est in quatuor partes dividi : sed facto signo Crucis, dolor recessit ab ea statim. Cernens Leviathan, seductor humani generis inimicus, quod propter hujusmodi fictiones suas non cederet, ut ab oratione cessaret; occurrit ad propriam sui formam, scilicet ad serpentinam, quam abhorrere consueverunt maxime mulieres ; et ipsa forma magnæ corporeitatis suscepta subito sibi apparuit, terribilibus oculis ipsam inspiciens ; ut saltem ad modicum constantiam ejus infringens, devotionis gratiam impediret. Quem ipsa conspiciens tanto terrore concutitur, quod nec in oratione nec extra orationem in ipsa cellula poterat securari : sed transactis diebus aliquot non valens orationis damnum portare, vicinum juxta se F positum alloquitur serpentem, dicens : Adjuro te, horrende serpens, per nomen Domini mei Jesu Christi, ut si corporeus es concite discedas, non amplius reversurus; si autem incorporeus hostis meus, dispareas coram me, ut libere vacem Deo meo, et me amplius non infestes. Ad cujus verbum redactus est in fumum paulatim serpens, sed tantum fœtorem exhalavit ut in cella quiescere non valeret. Cui exprobrans ait : Inique et invide serpens, postquam de cœlo ruisti, talia machinaris in terra, ut fideles impugnes : ecce mercimonia tuæ fœtor et omnis immunditia, quæ a te procedunt omni spurcitia plene. A Domino meo omnis odor bonus procedit et omnis munditia, qui sit super omnia benedictus. Hoc dicto recessit omnis fœtor, et tanta inundavit fragrantia suavis odoris, quod videretur esse in mœnibus paradisi.

Alia tentamenta vincit signo Crucis,

aut dicto nomine Jesu.

21 Transactis aliquot diebus, ecce Sathan, adducens secum quemdam serpentem magnum, non spiritualem, ut erat ipse, neque fictum vel imaginatum, sed corporalem, veraciter terribilem et horrendum, qui eam nimio terrore turbabat : semper enim orationibus

Serpentem sibi junctum aliquamdiu passam,

A tionibus aderat præsens, et cum quiesceret caudam suam tenebat ad pedes sanctæ, et caput ad maxillam ejus; qui terrebat eam fortiter, ita quod orare secure non poterat nec dormire; imo cum iret quiescere, semper pannos advolvebat pedibus, et quodam cingulo circum cingebat eos, ne subintraret a pedibus serpens et attingeret aliquatenus corpus nudum. Et licet confidens esset in Deo, non tamen ideo tanto se exponebat discrimini, ut tentaret Deum, sed ab eo quantum poterat præcavebat. Non attentabat in eum manum mittere, et alteri revelare nolebat; quia sciens ipsum datum sibi ad eruditionem, nolebat cuiquam pandere diaboli tentamenta, quæ quotidie sustinebat. Hoc pluribus diebus patienter sufferto, non ferens damnum orationis, contra serpentem aliquantulum mota, juxta se manenti dixit: Præcipio tibi serpens, ut in nomine Jesu dilecti mei totus involvatis protinus sine mora hic juxta manus meas. Ad cujus verbum serpens, submisso capite, caudam et corpus advolvit capiti statim, sicut sibi fuerat imperatum. Cujus corpori B. Humiliana submittens utramque manum, levavit eum a terra, laudans et benedicens Dominum dicens: Benedictus sit amor ille, qui B te creavit potentissimus: et asportans eum ad quamdam fenestram turris, imperavit ei, dicens: Vade viam tuam, et non sis mecum amplius, quia mihi es inutilis et absque fructu. Et hoc dicto concite discessit serpens.

in eodem nomine pellit.

ANNOTATA.

a Cœnobium *aut* institutum S. Claræ *exponunt Volaterrani et Waddingus: et prior* Montem-cœli *appellat: fundatum est autem an.* 1221, *missa illuc a S. Francisco Abbatissa Agnete, ipsius S. Claræ sorore.*

b Sorores S. Damiani *sunt Clarissæ, a primo domicilio S. Claræ prope Assisium, sic dictæ.*

c *Ita vulgus loquitur, veteres scripturæ Latinæ in plurali nominant* ecclesiam SS. Apostolorum, *estque Parochia ex antiquissimis una: sed nulla istic superest memoria cæsi Prioris, id est Parochi, quemadmodum me docuit D. Bernardus Benvenutus, jam alibi antehac bene meritus de hoc opere, vir omni bonitate, humanitate et litteratura cultus, et nuper Serenissimorum Tuscaniæ Principum magister, et nunc monasterii S. Felicitatis dignissimus Prior, a quo varias huc spectantes notitias, accepisse me per Illustriss. D. Anto-* C *nium Magliabechium, lubens profiteor.*

d *Joannes Villanus Chronicæ Florentinæ lib.* 6 *cap.* 33, *de hisce civilibus turbis agit, docetque ab anno* 1244 *ad* 1248, *quando Guelfi excesserunt, pugnatum inter partes intra urbem fuisse.*

CAPUT III.

Varii ejus precibus adjuti. Ejusdem humilitas, pœnitentia, et devotio.

Precibus ejus pelluntur tentationes,

Non est mirandum, reverenda Humiliana, si verbo dæmones expellebas, et feræ pessimæ mansuescerent ad verbum tuum, et obedirent tibi, quæ orationis dulcedine Dominum omnium usque ad peccatores sæpius inclinasti, multis vivens frequenter multa beneficia contulisti. Cum quodam tempore Gisla de Mucello, religiosa femina plurimum et honesta, intolerabilibus rumoribus et furiis quorumdam non longe ab ejus domo manentium graviter vexaretur, adeo quod orationi vacare et quiescere non valeret, domum dimittere proponebat, nisi a prædictis tribulationibus foret sub compendio liberata. Unde contigit B. Humilianam ad ejus domum, sicut sæpe faciebat, visitationis gratia devenire: cui prædicta Gisla cum pia fuisset lamentatione con- D questa, compassa est ei pio animo: et, mira res! statim suam compassionem respexit Deus, et ab illa hora penitus cessaverunt. Item quodam alio tempore, cum prædicta Gisla tentatione diabolica graviter tentaretur, ita ut omnino sola existere cuperet in desertis: cum periculosum sit mulieribus solitudo, recommendavit se B. Humilianæ: qua tribulationi condolente, ipsaque pro ea Dominum rogante, est illico liberata. Item quidam Frater, quadam gravi tentatione pressus graviter, recommendavit se suis orationibus: pro quo ipsa solicite nocte ipsa rogavit, in qua graviter a diabolo afflicta est. Sed et Frater statim ipsa die ab illa tribulatione multum sublevatus est, et post parvum tempus tribulationem illam omnino amisit.

A. F. VITO (O.E.V.) EX MS.

22 Soror Sobilia, Reclusa in *a* Saxo, brachium graviter fregit, de quo a quodam inscio male curata est. Unde accidit quod manus tota mortificata est, et ungues in nigredinem versi sunt, et brachium cœpit evidentissime arefieri: cujus rei causa manum ad os proprium porrigere non poterat, nec cum ea poterat aliquid operari. Visitante eam Sancta post Pascha, et vidente brachium ejus et manum multo dolore fatigatam, compassa est ei multum: et appropinquans signavit manum et brachium ejus, sed et sorore contradicente, quia libenter patiebatur amore Dei: et dixit, Ego rogo Deum ut ipse minuat infirmitatem et dolorem de manu et brachio tuo. Ad cujus verbum cœpit manus et brachium vires resumere, ita quod cum illa manu et brachio sine alterius suffragio de sero in cœna cibum ori proprio ministravit.

a sanat brachium male curatum:

24 Frater Bonacursus de Tuderto de Ordine Minorum, valde notus et familiaris ejus, cupiens de Deo aliquid degustare, frequenter commendabat se ei, rogans ut per eam a Deo devotionis donum aliquod obtineret. Cui die quadam velut exaudita dixit: Frater carissime, credo, quod Deus meus consolabitur te in proximo de illo, quod a me sæpius postulasti. Mirum in modum, sicut dixit, post paucos dies, cum esset prædictus Frater solus in ecclesia, tanta sibi superinfusa est gratia, ut abundanter divina dulcedine degustata ita ebrius effectus est, plenus divinitatis vino, quod extra se factus plenitudinem gratiæ suscipere non poterat stricto sinu, et sensus corporeos in parte maxima sibi visus est amisisse. Hoc etiam ei contigit orante ipsa eo præsente in quodam loco juxta civitatem. Similiter Fra- F tre Michaele orante quadam die præsente ipsa, et non habente devotionem, quasi motus intrinsecus dixit ei: Filia mea, roga pro me, quia ego sum totus siccus. Cui obediens obedientiæ filia, levatis oculis in cœlum oravit ad Dominum. Cui statim tanta infusa est gratia, quod evidentissime appareret quod, recipere non posset infusæ gratiæ plenitudinem: et tunc ipsa Beata in talibus rapta est. Domina Bene, divinæ consolationis particeps, orans quadam vice præsente B. Humiliana, coram tabula ipsius Sanctæ, cum oraret ut meritis famulæ suæ aliquid consolationis reciperet a Domino, tantam gustavit dulcedinem gratiæ, quantam numquam meminerat se gustasse. Multis aliis etiam vivens hanc gratiam acquisivit, quos enumerare longum esset.

aliis impetrat gratiam devotionis:

25 Multos etiam suis verbis ad hanc gratiam humiliter convertebat. Dicebat enim alii: Volo quod transcendas tres gradus: scilicet ut primo defleas peccata tua et tempus amissum; secundo ut deplores ingratitudinem, quia gratiam Dei non cognoveris, et deplora Christi Domini passionem: tertio quod de Divinitate cogites et gaudeas, prout tibi Deus ministrabit. Alios hortabatur ad pacem, alios ad patientiam: aliis proponebat vitam Sanctorum, et admonebat

aliis pia monita dat:

A. F. VITO COÆVO EX MS.

A nebat ad eam quam præ oculis suis sine intermissione portabat: alios vero ad vitam solitariam monebat, dicens, Domum reputa solitudinem nemoris, et familiam silvestres feras, et inter eas eris velut in nemore, servando silentium et continuis orationibus insistendo. Consulebat humilis Humiliana, humilitatis exemplum, ut quisquis vellet ad alta conscendere, in humilitate poneret fundamentum. Nam a Fr. Michaele instanter requisita, qua de causa eam Deus ad tantam gratiam traxerit, coacta precibus respondit, dicens: Certa sum, quia non meis meritis, sed sola sua misericordia Deus misericors, et gratia humilitatis, in qua juxta fragilitatem meam et secundum quod ipse donare dignatus est, tanto bono me ditavit. Et cuidam alii Dominæ dixit: Quia multum sibi contulit eleemosynarum sedulitas studiosa. Vere locuta est imitatrix speculi totius humilitatis, scilicet Virginis gloriosæ, nam ipsam toto studio per semitas humilitatis conata est imitari.

excellit humilitate,

26 Erat namque humilis in omni opere suo, ultra quam credi potest, et in omnibus corporis membris humilem habebat aspectum, quia numquam oculos aspiciendo levabat: ibat per viam velut paupercula B mulier, vilis et despecta, et prout poterat se exterminans cupiebat ab omnibus vilipendi. Gressus ejus gressus humiles et devoti: omnibus humilius incedebat. In prolatione verborum tanta erat humilitate condita, quod recte per omnia illud verbum Sponsi Canticorum in ea videretur impleri; Favus distillans labia tua, mel et lac sub lingua tua. Et mirum valde est, quod postquam cœpit Deum cognoscere, ab ore suo prolatum non est, nisi magnæ humilitatis verbum. Et cum sic arderet intrinsecus amore divino, non erat ausa de Deo proferre sermonem, nisi quod aliquando invita, verba divini incendii duo et ad plus tria humiliter emittebat. In omnibus operibus suis non satisfaciebat sibi, sed vocabat se semper miseram: et cum esset sic Deo plena, et tam continenter de sua salute solicita, multis ditata donis, nihil sibi adscripsit aliquando; sed dicebat, quod digna esset pœnis omnibus infernorum. Vere mitis erat et humilis corde. Miræ patientiæ et mansuetudinis fuit, quia tam multis exprobrata injuriis, nullatenus turbata est, nec signum turbationis ostendit: pacis filia, ne pacis hospitem offenderet, in omni pace quæcumque incommoda sustinebat. Longum esset eam de virtutibus commendare, quia omnibus virtutibus plena erat. Ad alia transeamus.

Cant. 4, 11

et mansuetudine:

C 27 Felix Humiliana, totius perfectionis sedula imitatrix, quanto studio compatiendo sequeris Jesum dilectum tuum, quæ sentire voluisti ea, quæ ipse in suo immaculato corpore pro nostra salute sentivit. Deus enim noster quadraginta diebus jejunavit continuis, ut nos ab esu ligni vetiti restitueret innoxios, et in nobis gulæ vitium temperaret: tu Carissima, non pro commissis corpus tuum jejuniis crebris attenuas, sed pro amore justitiæ (quia justum est ut creatura suo compatiatur pie ac fideliter Creatori) et ut, sicut Daniel, dignius efficiaris vasculum Spiritus sancti. Nam plures Quadragesimas præter morem solitum Ecclesiæ, ut est Apostolorum ante adventum Spiritus sancti, et aliam ante Assumptionem B. Virginis, et alias plures, et in solennioribus festivitatibus, quas numerare longum est, venerabiliter jejunasti. O quis dicere valeat, quanta reverentia celebraveris festa Sanctorum, quæ tam longis præveniebas jejuniis? ipsarum noctes ducens insomnes, orationibus et altis contemplationibus insistendo; memorans quantam Deus gratiam fecerit Sanctis suis, et dilectionem quam habuit circa eos: quibus ipsa congaudebat et congratulabatur socia et amica Sanctorum. Diligebat dilecta concives suos cœlestis Jerusalem, cum quibus erat æternaliter regnatura,

frequenter jejunat,

etiam ante festa Sanctorum:

quos convocabat in auxilium sibi, ut per eos largiori D gratia repleretur. Diebus solutis præter Quadragesimam, quatuor diebus in hebdomade jejunabat, scilicet secunda, quarta, sexta feria, et Sabbatho, nisi eam corporalis infirmitas impediret: et sæpe jejunii sui tempore et aliis plurimis vicibus pulmentum, aut aliquid aliud quod cum pane comederet, non habebat: habuisset tamen, ut credimus, si reclamasset: sed pacis filia patienter omnes injurias sustinebat.

28 Incepit multum jejunare in pane et aqua, et facere magnam abstinentiam: sed illam viam sibi tenere Fr. Michael Confessor suus non permisit. Et in ipsa hora reficiendi corpus tam continuæ orationi et devotæ contemplationi dedita erat, quod comedere non valebat. Sed famula solicita, nomine Piecilia, sicut erat monita, præparabat cibaria coram ea, ut quando reverteretur ad se, refocillaret naturam. Quæ cum rediret in se, videns cibaria coram se posita, exclamabat: O Deus, amor desiderate, quando me liberabis de corpore mortis hujus, et de cibis corporalibus istis, ut in mensa tua cibis ad votum meum epuler Beatorum. Et cum gustare inciperet cibum, longa exspectatione jam frigidum, E sumptis duobus vel tribus bolis relinquebat ipsum, devotionis abundantia inundante: et iterum resumebat de cibo, et statim relinquebat, ut prius; et sic cibum in tali sumebat conflictu. Et quandoque in talibus rapiebatur in Deum et sic quandoque usque in sero non sumebat cibum. Et aliquando refici non poterat illa die; et multos dies hoc modo non manducando transivit, et aliquando tribus diebus sine cibo corporali mansit, divinæ consolationis cibo refecta. Et quia gustato spiritu desipit omnis caro, ut ait Gregorius, ad tantam devenerat nauseam ciborum corporalium, ut non ultra quatuor usuales panes reciperet tota septimana.

in sumptione cibi rapi extra se solita,

et toto aliquando triduo abstinens,

29 Quadam die Jovis mane, tempestive meditante ipsa studiosissime de operibus creationis, et de prævaricatione hominis primi, et de judiciis et misericordiis Dei, et de Incarnatione et morte filii Dei, et de resurrectione nec non et ascensione et sessione in dextera Patris, rapta est in Dei dulcedine, et usque ad solis occasum post vesperas diei Sabbati non est reversa ad communes sensus, nec manducavit nec bibit illis tribus diebus et noctibus continuis, neque sensit: et ut dixit, cum reversa est ad se, diem Jovis esse credebat, quoniam asseruit, utrum in corpore an extra corpus fuerit, se nescisse. Sero, sustentato corpore cibo modico, quievit. Et cum ali- F quantum obdormisset, perventa ad horam, qua ad orationem surgere consueverat; astitit ei quidam puer albis amictus, totus rutilans, portans lumen in manibus, dicens: Surge, Humiliana, propter ea quæ scis. Excitabat enim eam, ut in oratione vigilaret, et creditur quod fuerit Angelus ejus. Et cum surrexisset ad vocem et ad tactum pueri, inspecto puero, ut erat, admirabili, ipse puer cum lumine disparuit. Ipsa ideo orationibus vacans usque ad tertiam venturæ diei Dominicæ, in ipsa vacatione multam Christi dulcedinem sensit: et hora tertia, cum perduraret in oratione, affuit quidam puer, id est Angelus supradictus, ut creditur, medium panem portans, et dixit: Surge et comede, quando tibi videbitur expedire. Et cum surrexisset, invenit medium panem valde candidum et odoriferum, de quo non poterat dubitari quin esset manibus Angelicis fabricatus: quem inspiciens dubitavit ne a famula fuisset allatus. Sed circumspecto ostio cellæ interius firmiter obserato, credidit esse quod erat: et accipiens panem cum gratiarum actione comedit; et de illo medio pane vixit tota hebdomada illa, de quo etiam pane pluribus dedit. Et in ipsa hebdomada consolidatæ

die quadam transacta,

pane per Angelum allato,

vivit tota hebdomade.

A consolidatæ sunt multæ corporis ipsius debilitates, quas occasione abstinentiæ sustinebat. Multam etiam magis solito hebdomada illa Dei dulcedinem degustavit: et omnes alios cibos, qui sibi illa hebdomada portati sunt, quos comedere debebat, pauperibus erogavit. De pane illo habuit Domina Rigalis soror sua, et Domina Luciana matertera sua, et Fr. Vigor Cortonensis de Ordine Minorum: quem cum dedit eis dixit eis, Accipite panem hunc Angelorum, quem Deus noster cuidam suæ famulæ misit.

30 Servabat continuum silentium tota Quadragesima. S. Martini *b* et Majori, et aliis novis, quas ipsa sibi assumpsit in devotione magnarum solennitatum, et tribus diebus in hebdomada, ita ut nemini loqueretur nisi causam inevitabilem contingeret evenire. Patiebatur autem gravem dolorem stomachi, ita quod sanguinem vivum vomeret largiter, et quotidie hunc spueret.... *c* et in comparatione illius adhuc parum dolere videbatur. O fortis athleta, quæ tam potentissime corporis delicias expugnasti! o quanta diligentia prosecuta es Creatorem, qui fuit flagellatus tota die, et ejus castigatio in matutinis: pro cujus amore tuum delicatum corpus tam crudelissime flagellationibus assiduis atterebas! Habebat namque Humiliana disciplinam quamdam ex corrigiis et nervis compositam, qua se nudam frequenter et acriter verberabat: insuper et aculeatis bruscis *d* se sæpius verberabat: et sæpe antequam desisteret a verbere, unius milliarii viam facile ambulasset. Et licet attenuata jejuniis, attrita verberibus, non recurrebat ad stramenta mollia, ut esset ad horam saltem sibi propitia; sed duro cilicio cordarum, pilis caprinis et equinis intexto, carnes teneras macerabat: quod portasset longiori tempore, sed Fratre Michaele præcipiente dimisit. Cum quo utcumque super saccum paleæ, quem habebat pro lecto, quiescens ad modicum, ut poterat somno modico refocillabat corpus, ut tota nocte liberius vigilaret, nullatenus ad lectulum reversura.

b *Ad arctum silentium,*

B *jungit multam corporis macerationem:*

31 Nocte quadam vidit illam Domina Compiuta, clausis oculis et ore et extensis manibus in modum Crucis stantem pedibus, tam fortiter lacrymantem, ut non lacrymæ sed pluvia videretur ipsa irrigatio lacrymarum. Antequam illa summa gratia extasis, quam perfecte habuit, plene compleretur; nocturno silentio, dormiente famula et illis de domo, fortibus clamoribus et duris lamentationibus deplorabat dilecti sui Jesu passionem crinibus resolutis. Aliquando autem excitabatur famula, et cernebat eam C semivivam jacere in pavimento; sed non audebat eam tangere, quia sciebat Dominæ suæ voluntatem, quæ gratiam datam sibi quantum poterat abscondebat. Deprimebat enim cor suum in vulnus lateris Christi, quod jugiter in corde portabat. Certe fecerat sibi de omnibus injuriis Christi quasi quemdam fasciculum myrrhæ, quem sibi dulciter in corde confixerat, ut veraciter diceret; Fasciculus myrrhæ dilectus meus mihi, inter ubera mea commorabitur: idque ad litteram sic implebatur, ut non videretur cor in corpore posse contineri. Implebatur in ea etiam illud Evangelicum, Mensuram bonam et confertam et coagitatam et supereffluentem dabunt in sinum vestrum: quia per abundantiam spiritus etiam corporaliter implebatur, in tantum quod mirum erat, si non sæpe corporea ejus viscera rumpebantur. Nam sicut Fr. Bernardus de Placentia asseruit, cum Fr. Michaele vidit quodam die, quod tanto afficiebatur affectu divinæ dilectionis, quod proprium cingulum valde fortem modico adminiculo manuum suarum confregit velociter, quem nemo vix aut numquam nisi miraculose fregisset.

inhæret passioni Christi.

Cant. 1, 12

Luc. 6, 38

32 Vigilabat continue tota nocte integra die sabbati ad honorem summæ Imperatricis Mariæ, ut et filio diligentius vacaret, recolens dulciter dulcissimam nostri Redemptoris infantiam, et curam sedulam Genitricis: et gustabat in nocte Panem illum vitæ mentaliter, de quo qui gustant esuriunt. Mane sabbati Panem ipsum sanctissimum realiter et sacramentaliter gustatura (sumebat enim omni mane diei sabbati Corporis Christi sacramentum) surgebat ipsa die valde tempestive apis argumentosa silenter: et ne illi de domo perpenderent, quia nolebat esse alicui onerosa, immutabat sibi nomen, et rogabat socias, ut non proprio nomine, sed ipso sibi imposito *e* nomine vocaretur. Hoc etiam nomine utebatur, quoties vocaretur a sociis tempestive volentibus eam excitare ad indulgentias vel ad pauperes visitandos, vel etiam ad matutinum audiendum divinum. Et eundo per viam receptura corporis Christi Sacramentum, rogabat sociam ut ei nullatenus loqueretur, dicens: Deus ubique est, et ubique haberi potest, et unicuique se libenter tribuit, dummodo inveniat vasculum præparatum: unde si vis satisfacere mihi, non impedias me verbis; quia sæpe eundo per viam, et inter creaturas existendo, et audiendo prædicationes et divina, Dominum meum adeo plene reperi, ut in cella mea orationibus et devotionibus insistendo. Et ob reverentiam Creatoris, qui recipi debet, silendum est: quia si quis nude proprium corpus per terram trahendo, ad tantum Sacramentum recepturus accederet, non posset ei dignam reverentiam exhibere.

D *A F. VITO COÆVO EX MS. in Sabbatis communicare solita,*

e *silentium tenet per viam,*

E

33 Prædictis patet quam semper erat in devotione continua: quia comedendo, eundo per viam, quiescendo cum sociis, audiendo divina et verba prædicationis, larga Dei dulcedine fruebatur, ita quod sæpe mirabiliter extatice rapiebatur in Deum. Non enim in alto sedere audebat, sed residebat in terra, caput tabulæ, super quam sedere debebat, tenens innixum, vel flectebat in gremium, ut dormire potius videretur. Quapropter quando visitabat ecclesiam, receptura Christi corporis sacramentum, expediebat se quam citius poterat, et revertebatur domum, omni occasione postposita festinanter; ubi maxime exercebatur in gratia sibi data et contemplatione humanitatis, sedentis ad dexteram Dei Patris: non prætermittendo sed superexcedendo, superexcellentem Divinitatem (prout mortalibus datum est) studiose contemplabatur, exercens maxime omnem affectum suum in unitate Trinitatis et unitatis Trinitate jocundis jubilis, unde dona ineffabilia dulciter hauriebat.

domumque regressa devotas agit gratias.

F

ANNOTATA.

a Saxum, *ut num.* I *dicitur* supra monasterium de Camaldulis, *quia distat ad* 30 *m. p. ab urbe, a Camaldulis autem solum* 5, *estque etiamnum nobilis et magnifica ecclesia in Casentino juxta oppidum Bibienæ, nomen habens a Saxo, quod ibi etiamnum sub egregio tholo spectatur, cum imposita desuper gypsea imagine B. Virginis Mariæ. Hanc enim rusticanis quibusdam puellis greges sequentibus super eo saxo apparuisse dicitur, unde toti circum regioni venerabile est. Amplum ibi nunc conventum habent Patres Prædicatores, qui utrum in Reclusarum locum successerint, an ibidem eas vicinas olim habuerint quis licet? nec enim talium ibi amplius memoria superest. Interim ex distantia loci patet largitas caritatis in B. Humiliana.*

b *De duabus hisce* Quadragesimis *breviter et erudite suo more Cangius in Glossario,* Major *ante Pascha nota est omnibus, altera* S. Martini *dicta, quod ab ejus festo incipiens Domini Natalem præcedat, præscribitur in Regula Clarissarum, aliis quoque antiquioribus Ordinibus nota quos ibi vide.*

A domo in camera sua tantam odoris suavitatem sensit, quantam numquam in vita sua meminit se sensisse, qui odor de S. Humilianæ camera procedebat.

A. F. VITO COÆVO EX MS.

filiam subito mortuam resuscitat

43 Die quadam, modicum post tertiam, venit ad eam quædam filia sua parvula, Regalis nomine, pulsans ad ostium, ut sibi genitrix aperiret. Ad cujus pulsationem surgens mater, et perveniens ad ostium, aperuit, et introducta filia ostium statim clausit: et subito stupefacta puella ruit quasi mortua, et post modicum versa est in pallorem. Quod cernens pavefacta mater ex subita anxietate filiæ, cœpit eam fovere, licet dolens, ut moris est matris, exspectans usque ad nonam, ut reverteretur anxius spiritus, et puella surgeret utcumque. Et cum non surgeret nec convalesceret in aliquo, tetigit eam, si forte inveniret in ipsa aliquod signum vitæ; et cum tetigisset studiosius eam, inventa est frigida per totum. Quæ recurrens ad gulam, ubi pulsus consuevit in semimortuo corpore inveniri; cum non inveniret ibi pulsum, æstimans eam mortuam, obstupuit multum ex subitanea morte filiæ, et suorum scandalo quod timebat. Et recurrens ad imaginem Dominæ nostræ, prostravit se coram ea, et postulans cum lacrymis B dixit: Amor benignissime, miserere mei, ut auferas a me nunc tribulationem istam et scandalum, quod mihi ex hoc a consanguineis inferetur, et restitue hanc filiam meam mihi. Oratione completa surrexit et signavit filiam. Et signo facto, egressus est puer quidam admirabilis et decorus a tabula, pergens ad locum ubi jacebat puella, et signavit eam: quæ statim facto signo Crucis surrexit sana, et puer disparuit statim.

ANNOTATA.

a *Volaterranus legit* resecati, *et* dentium sectionem *vertit; non animadvertens librarium istud mendum esse.*

b *Videtur Cionaccio esse* B. Simon Eremita, *de quo ex Augustino Fortunio Thomas de Minis, in Catalogo Sanctorum ac Beatorum sui Ordinis scribit, quod obiit anno* 1292, 17 *Septembris, ibique sepultus est. Vidi ibi anno* 1661 *corpora aliqua supra terram servari, sed absque alio cultu. Necdum potuimus ipsam Fortunii historiam Camaldulensem habere, nisi aliquando ad modicum tempus commodatam, quod dolemus.*

C c Potestas *Italis, summus in urbe libera Magistratus dicitur.*

d *Hanc turrim cum ædibus, quæ a Circulis ad Junios transiverunt, putat Cionaccius, ibi fuisse ubi nunc est parvum Hospitale S. Philippi Nerii, dictum* Domus pia refugii.

e *De* Capillis B. Mariæ, *ubi et quibus locis inveniantur colanturque aliqui, tractat Miechoviensis in Letanias Lauretanas Discursu* 262 *num.* 20 : *qui locus hinc etiam illustrari posset, et veritas similium comprobari. Sed Antonius de Balinghem Societatis nostræ, Inventarium hujusmodi Reliquiarum Gallice edidit num.* 1626; *et Josephus Geldophus a Rijckel, Abbas S. Gertrudis Lovanii, Latine librum de simili argumento vulgavit an.* 1639 *sub titulo Phylacterii.*

CAPUT V.

Alii favores divinitus ei impensi, ultimus morbus et felix obitus.

Optans Jesum puerum videre

Sitiebat maximo cordis affectu puerum Jesum, ætate quatuor annorum vel trium, corporeis oculis intueri; talem quidem qualis erat tempore infantiæ suæ, quando ab ipsa Regina Virginum gloriosa studiosissime deduci consuevit. Sæpe de hoc rogavit, licet timide, quia se tanto beneficio reputabat indi- D gnam. Sed quia, ut ait Bernardus, amor ordinem nescit; tantus erat ardor amoris videndi Deum, quod timorem et indignitatem superabat: et ideo non verebatur constanter petere quod optabat. Sed benignus Deus, qui voluntatem timentium se facit, et de precationem eorum exaudit; una die de infirmitate et de visione sua mirabili et gloriosa mirabiliter exaudivit. Nam quadam die visitationis gratia compatiens, ad quemdam puerum graviter ægrotantem accessit: quem cum cerneret crudeliter doloris infirmitate torqueri, dixit: O carissime fili, num memor es Creatoris tui, recogitans quantam pro te sustinuit passionem? Cui puer, Vade, in pace inquit, bona Domina, doloris enim quem patior et infirmitatis potius memor sum, quam Dei. Et adjecit ipsa: Visne mihi dare hanc infirmitatem tuam? Et puer ait: Utinam liber essem, et tu haberes eam totam. Et ipsa dixit: Faciat hoc Deus meus mihi, ut si hæc infirmitas tibi est ad salutem æternæ vitæ, relinquatur tibi, ut merearis coronari per eam: alioquin mihi det eam totam. Respondit puer: Nolo quod totam habeas, sed partem; tolle tibi dolorem lateris et ilii, quem patior: et afferas tecum ex nunc, ut E ego non sentiam ipsum amplius. Cui respondens Humiliana, Fiat, inquit, mihi sicut dixisti: et post modicum recessit domum.

visit puerum ægrum,

ejusque dolores in se suscipiens,

45 Mira res! quia continuo dolor lateris ita recessit a puero, ac si esset ablatus manibus: et Sancta sit graviter cruciari cœpit ipso dolore, quod præ acerbitate doloris, quietis locum saltem ad punctum temporis nullatenus inveniret. Quod ferre non valens, nisa est in ignem sibi ligna componere, ut ex calore ignis posset dolor in aliquo mitigari Et cum facto igne vellet se calefacere, nimio dolore fatigata se sustinere non potuit: sed potius in ignem ruit extenta, et de igne surgere non potuit, antequam ipse ignis extingueretur omnino. Miræ quippe patientiæ et humilitatis erat, propterea nolebat alicui de domo pro tam subito dolore alicujus servitii onus imponere, nec dolorem in aliquo relevare. Sed mirabilis Deus ita ipsam in igne servavit intactam, ut ignis nullum sentiret calorem, de quo postea conquesta est, dicens: Timeo ne Deus meus dereliquerit me, quia non est passus me ignis sentire ardorem. Mane facto et dolore mitigato, ad prædictum puerum reversa est festinanter, et alloquens me dixit: Visne mihi aliam, quam pateris, infirmitatem F donare? Et respondit puer: Volo, aufer a me hanc infirmitatem, portans tecum, sicut abstulisti mihi dolorem lateris, ut eam amplius non sentiam, sicut cum recessisti a me numquam ilii et lateris dolorem sensi. Et ipsa benigna dixit: Fiat juxta verbum tuum. Et cum recessisset, puer sanatus est ab omni infirmitate statim; et ipsi benedictæ sic impressa est ipsa infirmitas, ut nullus qui vidisset eam, ipsam esse infirmitatem prædicti pueri dubitasset. Infirmitas illa vulgo a Papici vocabatur, alio autem vocabulo Ignis volatilis, allo modo Gutta salsa nominatur.

servatur illæsa ab igne,

et postea suo voto potitur,

46 Hac infirmitate et dolore lateris afflicta graviter jacebat in lectulo, de quo surgere non poterat bono modo. Consuetudo autem ipsius erat numquam jacere in lectulo, si aliud posset: in tantum de salute sua erat solicita et attenta. Jacente igitur ea in lectulo suo, et cella sua, quæ in turri erat firmiter obserata (firmabat enim semper interius cellæ ostium, ne aliquid veniens impediret eam orationibus insistentem) affuit puer unus annorum quatuor aut infra, pulcher valde facie, decorus totus, formosus et venusto aspectu, alludens alacriter in ipsa cellula coram ea. Quem videns gavisa est multum, credens ipsum esse veraciter nuntium summi Regis: et alloquens

A quens eum, dixit : O amor dulcissime! O carissime puer! numquid præter ludere aliud facere novisti? Et puer ille, ut erat vultu placido, respondit ei : Quid aliud me vultis facere? et B. Humiliana humiliter dixit : Volo ut loquaris de Deo quidquam boni. Et puer dixit : Putatisne bonum sit aut condecens, ut quis de semetipso loquatur? Et his dictis disparuit puer Jesus, relinquens eam sanam, prædicta infirmitate penitus recedente. Beati oculi qui viderunt quem tu vidisti, felix Humiliana! Aliis sanctis et electis Dei mittitur aliquis Angelus, ut confortentur in Domino : tibi mittitur Jesus, benedictus fructus Virginis Matris, unigenitus summi Patris, quem videre diutius totis visceribus concupisti. Audivimus a pluribus, quod iste puer Dominus noster Jesus apparuerit ei sæpe, et in cella sua et in ecclesia S. Martini : sed quia non invenimus, quod alicui dixerit ipsa, se ipsum vidisse, nisi Sorori Sobiliæ de Saxo, cui sicut prænotatum est superius plene dixit, eo quod post Fr. Michaelem suorum erat conscia secretorum; idcirco plura de puero Jesu, ne dubia daremus pro certis, non redigemus in scriptis. Et nullus claudicet dicens, quia forsi-

apparente coram ea Jesulo ludibundo,

B tam dormienti apparuit; quia si hoc putat, frustratur; quia numquam dormienti sed penitus vigilanti, et crudeliter sicut dictum est patienti apparuit : et vidit eum oculis corporis tantum, sicut videmus alterutrum. Audivimus et invenimus hoc verum esse, quia ipsa pluribus dixit, quod quædam Domina multa diligentia desiderabat videre Dei filium in ætate puerili, quem vidit juxta votum suum. Non dicebat de se, sed dicebat quod quædam fuit : erat quippe hortus conclusus, et multa et magna quæ habuit non aperiebat nisi cogente ipsam gratia Spiritus sancti. Audivimus etiam dici quod osculata sit pedes ejus : et nos credimus, quia multa et plura de Jesu habuit quam dicantur, et quod majora tacuerit quam illa quæ dixit.

47 Quadam die invenit in via quadam jacentem puellam, valde parvam, sed lepræ vitio enormiter et graviter vulneratam, sedentem ad eleemosynam postulandam : quam cum vidisset Trinitatis amatrix exclamavit, grandi affectu dicens : O Altissime, quod non me manibus privasti et pedibus, ut istam, quatenus pro tui nominis amore talia tormenta portarem, sed et contenta voluntate divina continuo adjecit : Benedictus sis super omnia, Jesu, dulcis amor meus, qui secundum beneplacitum tuum multis et magnis me bonis ditasti, et sicut tibi placuit,

visam leprosam gratias agit pro valetudine,

C membra sana mihi ad laudem tui nominis tribuisti. Et exinde exclamare cepit ardentissimo affectu summam et individuam Trinitatem, quam multis laudibus personabat. Unde factum est, ut nocte quadam post modicum extincto lumine dum oraret, apparuerint in cella sua tres sphæræ supra solis candorem fulgentes, qui totam cellam longe magis quam sol iste materialis, quem videmus corporeis oculis, illustrarunt. Quas cum vidisset, exclamavit toto cordis affectu, dicens : Eia Jesu, amor dulcissime en noctem in diem mihi mirabiliter tribuisti. Et exiliens de loco ubi orabat cucurrit ad sphæras, et apprehendens eas prout poterat, eo quod erant incorporeæ, dicebat : O amor dulcissime et desiderantissime, benedicant te singulæ creaturæ. Et ipsæ tunc conversæ protinus sunt in unam sphæram : quam cum omni diligentia pectori suo adstringeret, inter amplexus disparere conspexit : quæ laudans benedixit Deum, conquerens quod corporalis et carnalis erat, quia spiritualia non valuit retinere.

et quadam specie S. Trinitatis illustratur.

48 Die quodam, Quadragesimali tempore, in quo abstinebat a vino, sitiens rogavit famulam suam Pieciliam, ut afferret sibi aliquid recentis aquæ.

Sitiens aquam reperit in vinum mutatam

D Quæ vadens concite, aquæ vasculum, ut imperatum est sibi, attulit ad bibendum. Quæ cum gustasset aquam vinum factam, turbata modicum, dixit : Levius tibi fuisset, carissima, mihi aquam afferre, quam vinum, et vilior est aqua vino, et plus invenitur de aqua quam de vino. Quid ergo mihi vinum pro aqua portasti? Idcirco aliquantulum turbata est, quia nihil poterat sustinere contra conscientiæ suæ sanctæ propositum : et quia vinum gustaverat, visa est sibi non modicum offendisse. Ad cujus verba mota famula, quia non consueverat ab ea audire, nisi verba humilia et pacifica, et talia sine culpa dicta sunt, cum ipsa fideliter impleverit Dominæ suæ mandatum, dixit : Domina mea, novit Deus, quod vobis aquam detuli puram, ut jussistis. At Sancta dixit : Esto quia aquam mihi detuleris, in urceolo vinum erat, vel vino madidus erat, quia omnino vinum est hoc quod gustavi. Et famula suscipiens situlam æream, dixit : Vas istud non habet odorem vini, nec certe vinum in eo est. Nunc apparebit si vobis afferam puram aquam : et currens ad puteum, hausit aquam. De qua non confidens Sancta, cucurrit ad fenestram, ut videret si famula ivisset ad puteum fideliter haurire aquam. Et videns eam haurire aquam, exspectavit, ut videret si aquam sibi pure et fideliter apportaret, donec appropinquaret ostio cellæ suæ. Et tunc recedens ab ostio, et exspectans eam in cella, suscepit situlam de manibus suis, aqua clarissima inundantem. Quam cum apposuisset immediate ori suo, aquam gustare se credens, invenit et gustavit vinum optimum, ex aqua continuo factum. Ad cujus gustum obstupuit ob miraculum, et ut recordata est, quia existimabat se tanti beneficii indignam, et quia secundo sibi hoc fecit Deus, et quia famula tunc et prius sibi veraciter detulerat aquam puram, nihilo tamen minus gratias affectuose Deo egit, qui tanta sibi ostendere dignabatur. Et assumpto quodam urceo, inclinata situla vino plena, vinum illud in urceum totum misit; et obturans urceum panno mundo lineo, recondidit ipsum, dicens : Nemo hunc urceum tangat, nec hanc aquam talem gustet. Credimus quod de vino illa biberit partem, et partem dederit infirmantibus civitatis.

A. F. VITO COÆVO EX MS.

E

49 Die quadam cum ad bibendum ab alia quadam famula instanter aquam peteret, mota famula quodam urceolo aqua pleno, quem afferebat ei, elevata manu percussit eam in fronte graviter, vulnus grave infigens, de quo sanguis non modicus emanavit. F Quod patienter ferens, licet graviter pateretur, vulnus nemini relevabat, nisi cuidam sui secreti consciæ Religiosæ, reverendæ sanctitate vitæ et honestate præclaræ, timens ne ad aures veniret suorum, et vulnus in scandalum vulgi in famulam redundaret. Generaverat autem vulnus marcidum sanguinem, quia male curabatur, et dolorem super dolorem graviter augmentabat. Quæ quadam die vadens ad ecclesiam, utcumque auditura divina; vulneri proprio signum Crucis impressit. Quo facto sensit quamdam manum, quæ simili modo sibi Crucis signa culum imprimebat : ad cujus tactum subito vulnus pertum est, et marcidum sanguinem, quem habebat intrinsecus, foras largiter emisit. Sed et manus prædicta vulnus liniebat quodam unguento odorifero et suavi : ex quo protinus consolidatum est, nulla cicatrice relicta : et ex tunc dolorem vulneris amplius non sentivit.

vulnerata in fronte,

tactu manus invisibilis sanatur :

50 Alio quodam tempore, nocturno silentio febris flagellationibus macerata, calore febris æstuans, arefacta gravi siti, fortiter exhalabat : et vocans famulam, ut sorbillum aquæ sibi ad bibendum daret, non respondit ei, quia somno gravi oppressa erat. At ipsa crebris sonis et vexationibus pulsans, ut expergisceretur,

in febri sitiens cœlitus visitatur,

A. F. VITO COÆVO. EX MS

gisceretur, tamen dormiebat graviter, quod ipsam non valuit excitare. Ipsa vero non valente surgere infirmitate gravata, et siti nimium prævalente, dixit : Domine mi, amor dilectissime, qui omnia potes, tu scis defectum meum et infirmitatem meam, et anxietatem quam patior in hac hora : tu bene potes subvenire mihi, si tuæ complacet bonitati. His dictis ecce apparuit in cella ejus puella quædam, rutilanti facie formosa nimis, candidatis associata pueris, in manu quamdam phialam aquæ portans : quæ patienti approximans juxta caput sedit, et inclinata in partem phiala dabat ei paulatim et interpolatim bibere : et facto modico intervallo infundebat aquam manui, qua oculos sibi et faciem liniebat. Et facto hoc sæpe, extincta siti, et debilitate infirmantis remota, et fortitudine ac sanitate refecta, loqui puellæ voluit ; cupiens scire quæ ipsa esset, quæ tantam sibi humanitatem et talia beneficia impendisset. Puella vero digitum imponens ori proprio, annuit ut sileret. Cui Beata ipsa obediens patienter siluit, et non est ausa ipsam interrogare, ne tantæ visitationis gratia privaretur. At puella, modica post contracta mora, cum sua societate disparuit. B His tantis beneficiis exhilarata, non extollebat se, sed humiliabatur in omnibus longe magis solito: et sæpe dicebat, quando gratia non aderat præoptata : Ego coram Domino meo quasi vidua, et velut orphanus et pupillus.

reficitur et sanatur :

51 Nocte quadam, cum surgeret a somno ut oraret, aperiens oculos vidit totam cellam insolito fulgore splendentem, et respiciens versus tabulam, in qua erat imago Dominæ nostræ, vidit quamdam ignis copiosam flammam in panno, quo tegebatur tabula, usque ad cellæ supercilium ascendentem : et stupefacta nimis, timens ne combureretur tabula, cucurrit ad tabulam ; et apprehenso panno et ipso compresso confricabat eum manibus, ne tabulam læderet, credens penitus quod ignis iste noster materialis esset. Et cum cerneret illæsum esse pannum, et ignem manibus non sentiri, eo quod non calefaciebat nec comburebat ; intellexit quid esset : et cum intellexisset miraculum, verecundata est ignorantia suæ opinionis et pia deceptione signi : et ignis evanuit modica mora contracta. Ipsa vero reversa est illico ad lectulum, ne famula perpenderet quid fuerit, laudans et benedicens Deum, qui eam tam jucundis signis sæpe dignatus est visitare. Credendum est quod ignis iste sancti Spiritus ignem ostenderet, quo ipsam Christus, meritis gloriosæ Matris, C cui multum ipsa serviebat, maxime inflammarat. Ignis enim est non comburens, sed lucens ; non consumens, sed illuminans ; corda replens discipulorum, igni rubi, quondam viso Moysi, maxime comparatus. Sæpe sua cella visa est de nocte a Gisla famula sua, velut solis lumine splendere. Nam et quadam nocte famula sua Gisla, cum excitaretur ad dulcia suspiria et affectuosas locutiones ipsius, dicentis, Jesu, amor mi dilectissime; vidit cellam suam tantis irradiatam fulgoribus, quod velut meridies videretur. Multa de ipsa visa sunt quæ non scripsimus : et ipsa multo plura et majora horum a Deo habuit et revelavit Fr. Michaeli, quæ habere non potuimus, Fr. Michaele silentio contegente. Sæpe prædictum Fratrem audivimus hoc verbum proferentem : O si mihi liceret pandere, quæ et quanta Deus Humilianæ facit! Et amplius non procedebat in talibus, sed silebat.

noctu illuminatur igne et luce cœlesti,

b *optans in sabbato mori,*

52 B. Humiliana humiliter postulavit a Domino mori in *b* Sabbato, Dominæ nostræ reverentia, et quod nullus de domo patris sui interesset morti suæ : quod obtinuit, quia migravit ad Dominum ipsa die, et nullus de prædictis interfuit morti ejus. In die Resurrectionis Dominicæ in ipsa infirmitate gravi, qua de hoc mundo migravit, patiendo graviter in ipso mane cœpit meditari de Deo : et statim fuit in mentis excessu, et rapta quievit ab ipso mane usque ad Vesperas diei illius : et sicut credimus, longe magis quievisset, nisi quod fratres sui carnales inquietaverunt eam et infestaverunt, graviter agitantes et proclamantes, credentes eam in transitu laborare, nec sic ullo modo eam poterant excitare. Quod patuit : quia cum reversa est, conquesta est de molestia illata sibi, dicens : O Deus, quod in deserto non sum, ut libere vacarem tibi, et non inquietarer a mortalibus, qui me compellunt citius dulcibus amplexibus separari. Sequenti die lunæ valido cruciatu stomachi torta est tota die, et cum interrogaretur, cur ipsa die magis quam præterita torqueretur, respondit : Heri lacte nutrivit me Deus, hodie corpus recipit dignas vices. Ex prædictis patet, in quam altissima ecstasi quiesceret, quod dolorem stomachi et validos clamores et sui corporis multas exagitationes non sentiebat, et de loco ad locum sui ipsius mutationes varias et frequentes. D

et ægra ipso die Paschæ ecstasim patitur,

53 Cum esset vicina morti, visitante ipsam Fr. Michaele et Fr. Bonamico, et interrogantibus quomodo se haberet, et utrum crederet liberari de infirmitate sua, respondit : Firmiter scio quod de ista infirmitate nullatenus liberabor. Et cum rogaret eam Fr. Michael, et multis insisteret supplicationibus, ut reverteretur ad eum post mortem, dixit : Quid me tantis supplicationibus molestatis? parvo enim tempore vivetis post me : in quo multas tribulationes video vos passurum. Et Fr. Bonamicus allocutus est eam dicens : Et de me quid dicitis? Revertemini ad me, si nunc receditis, nec ne? Cui non respondit de reditu, licet post mortem suam redierit ad eum, sed de quibusdam aliis, dicens : Tu non venies modo, sed moraberis adhuc in corporis vita : in quo tempore pro te procurabis, Frater. Prædixit etiam Sanctæ memoriæ Fr. Michaelem de Florentia, virum venerabilem et devotum atque Deo et hominibus dilectum, cito recessurum de loco sanctæ Crucis, et postmodum alibi obiturum : quod et factum est. E

prædicit varia,

54 B. Humiliana rogavit illas quæ eam custodiebant in transitu, ut emerent sibi *c* tunicam : in qua pedes sui diligenter involverentur, ne nudi aliquatenus a mortalibus tangerentur. Honestatis amatrix inhonestatis vestigium etiam mortua non poterat sustinere. Prævidebat enim devotionem et fidem populi, quam erat habiturus circa eam, pannos vestis sui funeris devotionis gratia lacerantis. Hæc interrogata de spe sua, dicebat se sic certam esse de salute sua, quod consensum omnibus hominibus et Angelis prædicantibus contrarium non præberet. O sanctitatis speculum, totius humilitatis forma, castitatis exemplum, honestatis via, devotionis semita, obedientiæ regula, paupertatis solatium, patientiæ scutum! Quæ virtus aut quæ gratia in te plene non fuit? quis enim actus omnium virtutum tuæ defuit sanctitati? Si te in aliquo videmur commendasse, carissima, nemo miretur, quia Pontifex Florentiæ civitatis, bonæ memoriæ, vitæ et sanctitatis exemplum Dominus Ardingus, *d* suis publicis prædicationibus te plurimum commendabat. Mansit autem B. Humiliana in domo parentum virgo in puritate et honestate sedecim annis : sexto decimo anno tradita est marito : quo post quinquennium viduata adhæsit perfecte vestigiis Jesu Christi, serviens Deo in domo patris sui in turri, ubi paravit sibi cellulam, in qua Deo libere deserviret, quasi quinque annis devotionibus insistendo. F

c *pedes a morte, tunica involvi jubet :*

d *mortua laudatur ab Ep. Ardingo.*

55 Vitæ tractatus fine imposito, de morte aliquid prælibemus. In ultimo autem vitæ suæ anno mense Januarii cœpit graviter infirmari, sed præ mansuetudine

In Martio lecto affixa,

A tudine ac patientia infirmitatem quantum poterat abscondebat. Mense autem Martii Quadragesimali tempore, invalescente graviter infirmitate, in tantum aggravata est, ut jaceret continue, quia non valebat surgere, sanitate totius corporis destituta. Ex tunc semper aggravabatur de die in diem, ita quod quasi ex toto unum latus perdidit, in quo non habebat potentiam se juvandi. In principio infirmitatis tussire cœpit, et exinde dolor stomachi et renum, nec non et totius corporis gravius invaluit, qui eam fortiter cruciabat. Corpus ejus attenuatum est multum, et carne nudatum, et venter ejus effectus est velut tympanum : et emittebat per nares sanguinem, et per os ipsum largiter evomebat. Quoquo modo usque ad feriam secundam Dominicæ Resurrectionis cibum sumpsit : ex tunc non comedit amplius, quia cibum trajicere non valebat. A secunda feria Paschæ usque continuos quadraginta duos dies non comedit, nisi quod decem et octo diebus dederunt ei pullorum tantum aquam bibere : ex tunc illis residuis diebus dederunt ei aquam claram tantum. Pro acerbitate doloris graviter anxiabatur, ita quod etiam ex compassione dolentis intuentium viscera torquebantur. In omnibus anxietatibus ore ipsius vox lamentationis aut murmuris non processit, sed in omnibus gratias agens Deo amplexibus propriis cingebat, brachiis in modum crucis positis pectus suum, dicens : Benedictus sis, amor meus. Credimus quod amplexabatur impressam suæ memoriæ formam Christi, quam jugiter imaginarie deplorabat. Dicebat enim, quando sentiebat dolores et torsiones gravissime inundantes, Ecce Deus meus venit ad me visitandam, quem debeo carissime amplexari. Et in his cruciatibus sæpe videbatur animam exhalare : et quamvis tantis torqueretur anxietatibus, nihilominus, sicut superius dictum est, meditabatur de Deo, et meditando rapiebatur, et quiescebat in eo. Cum autem inquietaretur et pulsaretur diutius a consanguineis, ut reverteretur ad se, nescientes utrum viveret, an animam exhalasset, ad se reversa dicebat : Amore Altissimi, non inferatis mihi tantam molestiam, quia multa et magna me consolatione privatis, a Creatoris nostri amplexibus avellentes.

a feria 2 Paschæ nil comedit :

B

inter dolores jugiter affixa Deo,

56 Appropinquante hora mortis suæ affuit diabolus, visibiliter apparens ei, qui vicinum animæ a corpore exitum solicite exspectabat. Quem cum cerneret adstare coram se, cœpit fortiter increpare, et exprobrabat ei dicens : Quid hic facis, sæva bestia, inimice nequam? Quid hic, cruenta bestia, præstolaris? Recede a me inimice : vade hinc, quia in me penitus nihil habes. Sed ecce præsto est Domina mea, quæ me suo dilectissimo Filio cum gloria subito præsentabit. Et non solum verbis sed manibus minabatur, repellens eum et dicens : Cito recede, miser, quia Domina mea mecum est, quæ te et subdolas machinationes tuas statim conteret et confringet. Et pro his omnibus non recedebat diabolus : sed incessanter ipsam graviter infestabat, quod Dominus ei non misereretur, addens. Quod verbum graviter ferens, indignans dixit : Miser, si omnes Angeli hoc tecum dicerent, non crederetur illis, nedum tibi. Et convocans ad se sociam, quæ custodiebat eam, dixit : Quanto tempore et quantum flevi ego, et diabolus mihi est ausus inferre talia tentamenta : scio firmiter quod Dominus meus miserebitur mihi. Et socia concite cucurrit ad tabulam Dominæ nostræ, ubi erat quidam capillus ejusdem dignissimæ Dei Genitricis, et obtulit candelas benedictas, quas accendit tenens in modum Crucis, et tabulam, in qua erat imago Dominæ et Crucifixi, posuit super pectus ejus. Candelis autem illuminabat eam, et incenso adolebat, et aquam benedictam adspergebat super caput ipsius.

dæmonem increpat coram apparente Deipara,

C

eumque post acrem luctam,

tandem abigit,

57 Hæc dum agerentur conversa est ad dæmonem et imperavit ei, dicens : Recede a me inique statim, et non deinceps ausis me in aliquo infestare. Ad quod dictum diabolus convictus discessit confusus, et ipsa in omni tranquillitate quievit : et aperiens oculos et videns ipsam tabulam supra pectus sibi positam, collocavit eam honorabilius in quodam panno serico mantelli sui, et supra pectus suum melius collocavit. Quiescente ipsa nocte tota sabbati, et invalescente frigore extremorum per totum corpus, mane sabbati sine singultibus et tractu animam cœlo reddidit, ea hora qua corpus Dominicum sumere consuevit : scilicet in aurora, octo diebus ante Pentecosten XIIII Kalendas Maji, in die S. Potentianæ, anno ab incarnatione MCCXLVI. Vixit igitur B. Humiliana XXVII annis; cujus corpus cum multo gaudio et honore allatum est ad ecclesiam sanctæ Crucis in locum Fratrum Minorum Florentiæ, et sepultum in ipsa ecclesia requiescit, e ad laudem et gloriam D. N. Jesu Christi, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen. Credimus eam immediate separatam a carne sine alia purgatione, ivisse ad Dominum, sicut scripta præsentia manifestant.

D

A. P VITO COÆVO EX MS.

et moritur 19 Maji 1246.

e

E

ANNOTATA.

a Papici *Vocabulariis Italicis, etiam Academico della Crusca, ignota vox.*

b *Annus* 1246, *litt. Dominicali* G, *Pascha celebratum est* 8 *Aprilis, Ascensionis Domini* 17 *Maji, atque adeo sabbatum fuit* 19 *ejusdem mensis.*

c *Volaterranus loco* tunicæ *scripsit* calceamenta, *quibus pedes desideravit tegi.*

d *Ardinghus præfuit Ecclesiæ Florentinæ ab an.* 1230 *ad an.* 1249 : *cujus res gestas late prosequitur Ughellus tomo* 3 *Italiæ sacræ, easque ita concludit :* Nec prætereundum pro coronide Ardinghi, quod eo Præsule Florentiæ obiit anno 1246 B. Humiliana, ex illustri Cerchiorum familia, Ordinis Minorum.

e Subter scalam qua ibat Frater prædicaturus ad prædicandum, *ut infra dicitur.*

CAPUT VI.

Apparitiones variæ post obitum factæ.

Post obitum suum, in vigilia S. Mariæ Magdalenæ *a* (ut ita loquar) Domina quadam honestæ conversationis orante, vidit B. Mariam Magdalenam et B. Humilianam simul facie rutilantes : in qua visione meditans in Deo multa gratia sibi infusa est, et ineffabilem Dei dulcedinem degustavit : quod meritis S. Humilianæ habuisse se dixit. Alia quædam sanctæ conversationis Religiosa, in semitis contemplationis studens, turbata est, eo quod mente quibusdam caliginosis nebulis obfuscata, in Deum ipsam mentem dirigere non poterat ut solebat. Quæ cum anxiaretur in tabulis et dormitaret, oculis semiclausis vidit B. Humilianam, viam universæ carnis jam ingressam, venientem ad se et dicentem. Quiesce in Trinitate, Carissima, tantum : et hoc dicto disparuit, et ipsa religiosa cum hilaritate spiritus, mentis turbatione fugata et liberata surrexit. Multos alios ab ejusmodi turbationibus liberans pristinæ et majori gratiæ restauravit, de quibus nimis esset longum dicere : propterea de ipsa et de miraculis quæ gratia supplicationis suæ operari dignatus est Deus, tacenter dimitto, vide solum *b* columnam 28 et quæ infra ponuntur.

a

F

Apparet facie rutilans,

et tentatam solatur.

b

59 Quædam Domina dum ratiocinaretur cum quibusdam suis sociis de factis B. Humilianæ, ipsa die Dominica post mortem suam, subito cœpit cogitare de

A do Christo. Et tunc apertum est ei cœlum, et vidit filium Dei et Beatam Virginem a dextris ejus albis indutos, et B. Humilianam ad pedes eorum, genuflexo orantem coram eis, similiter albis indutam. Et hæc revelatio ita virtuti imaginariæ impressa est, ut de memoria ejus non recederet usque ad festum c B. Francisci. Post mortem suam visitavit Sororem Sobiliam, apparens ei juxta lectum ejus in cella prædictæ Sororis, et tenens manus juxta pectus suum, ut moris ejus erat, in modum Crucis, genibus flexis vigilantem Sororem vocavit, dicens : Domina Sobilia. Interrogavit eam de multis, inter quæ utrum passa fuerit pœnam post mortem, et de Fr. Michaele. Quæ quidem multa respondit, quæ nobis Soror Sobilia non narravit : sed ea quæ narravit nobis, et audivit ab ea, sunt hæc. Scilicet quod in purgatorio non habuit quod faceret, et quod ineffabiles erant deliciæ consolationis suæ quas habebat jugiter, quæ non possent a mortalibus cogitari : et quod Fr. Michael erat in proximo, non tamen Florentiæ, de hoc seculo ad Dei gloriam migraturus. His et aliis dictis cum splendore disparuit : erat enim admirabilis pulchritudinis et splendoris.

A. F. VITO COTTO EX MS. Ad pedes Christi et Deiparæ visa uni,

alteri indicat suam gloriam:

B 60 Quædam religiosa persona, vitæ sanctæ et conversationis honestæ, intima et fidelis Sanctæ, ac suorum conscia secretorum; volens scire de glorioso statu ejusdem Sanctæ supradictæ, multo se orationis studio mancipavit, ut hoc sibi dignaretur Altissimus revelare. Et dum oraret, subito apparuit sibi B. Humiliana, albis induta, et duplici diademate coronata. Vestis ejus alba erat, purpurea circa manus et brachia, et humeris et collo opere vario et mirabili fimbriata. Erant autem fimbriæ de purpura rubea auro mirifice supertexta, et habebat fimbriam auream circa mamillas ceteris ampliorem. Diademata vero inter se differebant : quoniam unum erat triplicis coloris, refulgens septies supra solem, erat quidem coloris albi rubri et viridis, in summitate complexum tribus sapphyris optimis, vernantibus atque coruscantibus ineffabiliter, ornatum aliunde per totum gemmis fulgentibus smaragdinis. Aliud quoque diadema albi coloris erat, totaliter fulgidum, gemmis pulcherrimis fabricatum. Capillos habebat longos et flavos, et non videbantur capilli, sed aurum potius optimum polymitice perfilatum. Facies ejus Angelica, decora nimis, refulgens supra solaris lucis radios. Oculos clarissimos habebat, quorum claritas stellarum superabat fulgorem. Ex ore ejus procedebat C quidam olfactus odoriferus, cujus odor totum locum suavitate complebat. Habebat etiam quasdam fistulas in ore suo, quæ favo mellis simillimæ erant : per quas melodias dulcissimas resonabat : audiebatur enim ab ore ejus duplex vox (scilicet, Non est aliud præterquam Christi amor, et, In odorem unguentorum tuorum currimus) cujus dulcedo non posset exprimi bono modo. Corona virginea in se voces habebat varias, varia proferentes : dicebant enim, Veni sponsa Christi, accipe coronam quam tibi Dominus præparavit : alia dicebat, Veni electa mea, veni columba mea, veni speciosa mea, veni coronaberis. Alia vero corona, propter præmium castitatis, voces habebat varias, quæ unum univoce proferebant, Benedictus et laudatus sit Deus meus et Dominus meus. Quæ omnia cernens, admirata est non modicum prædicta religiosa persona, propter pompas gloriæ, quibus Sanctam adornatam videbat, dicens : Humiliana, quid est hoc quod video? Coronaris enim quasi aureola virginali. Quæ respondens ait : Hoc fecit Dominus meus mihi propter dolorem virginitatis perditæ matrimonii causa, quem jugiter in meo corde portavi. Et cum interrogaretur de alia corona, quam portabat, respondit; Hoc mihi datum est propter fidem castitatis, quam inviolatam Domino meo servavi. Interrogata quid D sibi vellet tam decora facies et claritas oculorum, dixit : Hoc est puritas conscientiæ, quam habebam. Interrogavit eam de indumento et fimbriis ejus, purpura auroque ornatis, et dixit : Albedo vestis humilitas est, et opera bona in caritate facta; purpura vero fimbriarum, quæ rubea est, martyrium designat, quod in mente portavi, et affectus desiderii videndi B. Virginem in specie pulchritudinis suæ quem habebam : et post modicum disparuit.

item duplici diademate coronata,

facie præfulgida,

cum dulci voce,

et mysteria singulorum exponit:

61 Quadam vice apparuit B. Humiliana Gislæ de Mucello, quam plurimum religiosæ, dormienti, cum multa hilaritate et claritate visus dicens : Non te pigeat facere pœnitentiam : quoniam ego, quia plene pœnitentiam egi, duodecim diebus prius mortem meam præscivi, et per purgatorium transivi sicut pueri faciunt innocentes. Mulier quædam de Florentia, Cæcilia nomine, die proximo sequente sabbatum transitus S. Humilianæ, stans in oratione, et non dormiendo nec plene vigilando, vidit cœlum apertum, et B. Humilianam cum uno Angelo in aere sociatam, et per illam aperturam Salvatorem nostrum in imagine Crucis relevata, cum quadam pulcherrima descendere creatura. His vero quatuor in aere simul junctis, cœli aulam cum jubilo intraverunt anno Domini MCCXLVI. Post obitum B. Humilianæ forte per octo dies, quidam Frater Minor rogavit Dominum, ut ipse demonstraret sibi aliquid de gloria Sanctæ supradictæ; et ipse non dormiendo, sed vigilando vidit ante altare multas sedes pulcherrimas nimis, et quædam erant ibi ceteris pulchriores, et infra illas sedes erant animæ Sanctorum, et in medio sedebat B. Humiliana super una earum; et multæ ex eis erant vacuæ. E

propter pœnitentiam non habuit purgatorium.

Gloria aliis ostensa.

62 Anno Domini MCCXLVI. ista de vita et morte B. Humilianæ, sicut oculis nostris vidimus et auribus nostris audivimus, et ut testes suprascripti viderunt et audierunt ab ea, licet pueriliter, fideliter tamen et veraciter scripsimus, relinquentes ea sapientioribus et prudentioribus nobis corrigenda, et fidelius emendanda. Videat tamen emendator et corrector quid apponat vel minuat, et maxime ne mutet aut variet quæ dixerunt testimonia suprascripta, ne det dubia pro certis sententia transmutata. d

Scriptoris fidelitas.

ANNOTATA.

F a *Ergo in Sabbato* 21 *Julii : addit auctor parenthesim* (ut ita loquar) *quia festum S. Mariæ Magdalenæ celebratur absque* Vigilia.

b *Ita MS. indicatur autem consolatio allata* Gislæ de Mucello, *quæ habetur num.* 22 *initio Capitis* 3.

c *Id est a* 20 *Maji ad* 4 *Octobris.*

d *Hic addebatur Oratio eadem quæ infra post miracula, an ut composita ab ipso scriptore Vitæ, an ut ab altero post adscripta, non divino.*

APPENDIX [a]

De apparitionibus post mortem.

Quidam Frater Minor, vocabulo Bonamicus, de civitate Florentia, surrexit media nocte, causa pulsandi ad Matutinum, et invenit omnes lampades excepta una extinctas. Accessit autem cum candela, quam accendit ad lampadem accensam : et respiciens Frater cum candela accensa ante Crucem, vidit B. Humilianam (quæ diu fuerat mortua, ac in eadem ecclesia sepulta) flexis genibus ipsam orantem, gravitate honestam, vultu mediocriter dimisso terram respicientem, tantum cum chlamyde nigro colore induta, sicut in seculo vidua habere consueverat, velato capite albo velo, pars cujus veli terram tangebat,

Apparet in templo S. Crucis, anno 1247,

A gebat, alia pars non tantum tangebat brachiis insertis. Cum autem ipsam non videret; non fuit ausus loqui ei, sed vadens ad horologia, ut videret horam matutinalem, denuo reversus est cum candela ad eam, et accensam candelam appropinquavit vultui supradictæ Sanctæ, nec aliquem motum faciebat et plenius cognovit eam. Iterum divertens Frater per ecclesiam, iterum tertio venit ad eam, et magis appropinquavit vultui supradictæ Sanctæ : et subito timor irruit super eum, et fugiens in sacristiam suspirabat valde. Ad cujus suspiria Frater alius superveniens, requisivit de causa suspiriorum : cui Fr. Bonamicus dixit totam seriem visionis. Ipse autem et plures alii Fratres iverunt, ut viderent prædictam formam, et minime invenerunt anno Domini MCCXLVII. Prædictus Fr. Bonamicus, natione Florentinus, confessus est in verbo veritatis, omnia suprascripta de visione B. Humilianæ, vera esse, in præsentia multorum Fratrum Sacerdotum ejusdem

b Ordinis, quorum nomina sunt hæc *b*. Fr.... de civitate Florentia Sacerdos et prædicator Fr. Ugolinus ejusdem civitatis, Fr. Michael de Comitat Florentino, Fr. Philippus de.... et plures alii. In præsentia isto-

B rum Fr. Bonamicus affirmavit, quod sicut Deus in cœlo, ita vera sunt omnia supradicta, et hoc factum est in loco prædictorum Fratrum prædictæ civitatis Florentiæ anno Domini MCCXLIX.

64 Quædam mulier vocabulo Bonavicina, bonæ vitæ ac conversationis sanctæ, natione Veronensis, dum moram faceret in Florentia civitate, quadam die istam visionem vidit de B. Humiliana et Fr. Michaele, cujus vita in Clero et in populo laudabilis fuit, et ipse B. Humilianam in Christo educaverat. Hæc est visio quam dixit se vidisse tali modo. Visum erat ei esse in quodam deserto, in quo erat arbor magnæ altitudinis et pulchritudinis; sub qua arbore vidit indutum Fratrem prædictum quasi ad dicendam Missam, et ante eum altare, super quo erat.... et retro ipsum Fratrem vidit B. Humilianam, indutam vestimentis laneis albis, et velatam velo albo : et retro eam vidit tres Dominas, similiter vestitas vestimentis laneis albis et velatas velis albis. Et completa Missa apparuerunt super altare quatuor stellæ valde resplendentes, quarum unam accipiens Frater prædictus infixit in frontem B. Humilianæ, et alias tres infixit in humero dextro aliarum Dominarum : et post Fratrem prædictum secuta est B. Humiliana, et tres aliæ post ipsam : et evigilata est mulier prædicta, gratias agens Deo et Sanctæ suæ.

iterum cum aliis Dominabus an. 1248,

C Et hæc visio fuit in vigilia B. Mariæ de Septembri, anno Domini MCCXLVIII.

65 Quædam Domina de civitate Florentia, nomine Fresca, cum viro suo et filiis suis in magna opulentia aliquo tempore vixit, et de animabus ipsorum nihil curando : sed Dominus, qui corripit *c* gentes

c quando vult et quomodo vult, ad tantam inopiam eos fecit devenire, quod quasi nihil habebant ad comedendum. Vir autem propter inopiam de civitate recessit : uxor vero cum filiis domi tristes remanserunt, et quid faceret mulier penitus ignorabat. Perseverante autem ipsa in hac miseria et mœstitia, proponebat dimittere se mori fame, aut saltem tradere corpus suum servire immunditiæ et iniquitati ad iniquitatem. Sed quid accidit? Necessitas istius mulieris cuidam compatri suo venit ad aures, et proponit firmiter in corde suo subvenire sibi in omnibus necessitatibus, cum ista intentione, ut cum ea posset misceri in adulterio, quando vellet. Illa autem nullatenus consensit, sed aliquibus diebus in maximo conflictu perseveravit. Sed quadam nocte apparuit ei B. Humiliana, et videbatur ei quod sederet super lectum suum. Lumen tantum erat ibi, quod videbatur media dies : et videbatur ei, quod esset

inopi matronæ apparens liberat eam a periculo adulterii:

infixa in limo usque ad lumbos, et B. Humiliana D accipiebat eam per brachium dextrum, et vocabat eam ex nomine, et dicebat ei; Ne paveas, sed constanter age : talis mulier veniet ad te, et liberabit te ab isto limo, et etiam subveniet tibi in tuis necessitatibus (Et ista bene noverat istam mulierem) et addidit B. Humiliana, quod iret cum ista ad sepulcrum ejus apud sanctam Crucem subtus scalam. Venientes ambæ illæ mulieres ad tumulum supradictæ Sanctæ gratias egerunt Deo et B. Humilianæ ancillæ suæ : et hæc mulier subvenit sibi in multis necessitatibus, et confortavit eam taliter, quod tota tribulatio recessit mentis et corporis. Insuper post tertium diem vocavit B. Humiliana mulierem supradictam, dicens ei : Hodie veniet ad te nuntius, qui dicet tibi, quod tu vadas ad Curiam Judicis. Ne credas ei neque vadas illuc : sed vade ad ecclesiam sanctæ Crucis, et loquere Fr. Hippolyto et Dominæ Argentæ et consolabuntur te. In die illo venit ad illam quidam nuntius de Curia Potestatis, dicens ei : Compater vester misit, ut veniatis ad Curiam. Illa autem reminiscens verbi B. Humilianæ respondit : Non veniam : non habeo ibi aliquid facere. Compater ille, de quo dictum est superius, volebat per vim trahere eam ad Curiam secularem, propter hoc quia E non consentiebat malitiæ ejus. Quæ venit ad ecclesiam sanctæ Crucis, sicut dixerat ei B. Humiliana, gratias agens Deo et Sanctæ suæ, quia multoties liberavit eam a multis periculis, anno Domini MCCXLVI. Supradicta Domina Fresca juravit omnia supradicta vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti et Fr. Danielis de civitate Florentia, in mense Januarii in loco sanctæ Crucis, anno Domini MCCXLVIII.

A. HIPPOL. COÆVO.

66 Cum quædam Domina Florentina, nomine Galitia, Deo devota plurimum, de discessu Fr. Michaelis de ordine Fr. Minorum a Conventu Florentino graviter tristaretur; tristitia sopita vidit in visione B. Humilianam, apparatu pulcherrimo et glorioso, statura magna, velato capite, formata facie et decora, lacrymantem et dicentem sibi : Scias quia Pater noster, scilicet Fr. Michael, de conventu Florentiæ est in proximo *d* recessurus, quod et po- d stea ita factum est : et deosculans Dominam supradictam disparuit anno Domini MCCXLVI.

alteri indicat obitum Fr. Michaelis.

67 Mulier quædam, Gemma nomine, uxor Francisci de populo S. Mariæ supra Arnum, de civitate Florentia, testata est se perdidisse medietatem cor- F poris ab humero usque ad pedes, quæ propter infirmitatem quam patiebatur vovit se B. Humilianæ : quæ apparuit ei in somnis, et eam tetigit tribus vicibus in parte illa quam amiserat : et statim liberata est, et istud miraculum patens fuit et publicum anno Domini MCCXLVIII. Maritus mulieris supradictæ, nomine Franciscus, confessus est uxorem suam pati in corpore ut suprascriptum est, et quomodo emittebat clamores maximos, et qualiter lamentabatur; et quomodo votum fecit B. Humilianæ, et liberata est : et hoc juramento firmavit in præsentia Fr. Hippolyti sæpe superius nominati, et Dominæ Argentæ et Benvenutæ, anno Domini MCCXLIX.

paralyticam sanat,

68 Mulier quædam, Bertha nomine, de populo S. Mariæ majoris, de civitate Florentia, uxor Ristorii Pegelotti, patiebatur guttam in sinistro humero : cui in visione apparuit B. Humiliana, suadens ei quod visitaret arcam suam, quod et fecit, et optime liberata est anno Domini MCCXLVI. Prædictus Ristorius confessus est, prædictam infirmitatem uxoris suæ, et sustinuisse inde multas passiones : et etiam audivit ab ea qualiter apparuit ei B. Humiliana, et quomodo convaluit meritis ipsius, et omnia supradicta juravit vera esse in præsentia Fr. Hippolyti Sacerdotis de ordine Minorum, et Dominæ Argentæ in loco Minorum, anno Domini MCCXLIX.

item artriticam,

A. HIPPOL. COÆVO EX MS *alteri restituit loquelam,*

A 69 Quædam mulier, vocabulo Lotteringa, uxor Berlinghieri, de populo S. Petri Gatholini de Florentia, dolorem maximum in gutture patiens, per septem hebdomades loqui non poterat. Multas expensas fecerat in medicis, nec poterat liberari. Tandem B. Humiliana sibi apparente, et dicente sibi, quod visitaret tumulum ejus; facto voto de imagine cerea, ad tumulum S. Humilianæ veniens, loquela sibi reddita, penitus extitit liberata: et istud miraculum publicum fuit anno Domini MCCXLVI. Testes Domina Berta de Populo S. Georgii prædictæ civitatis uxor Jani et Domina Argenta quam plurimum religiosa ejusdem civitatis Florentiæ. Prædicta Domina Berta, uxor Jani de populo supradicto S. Georgii, inquisivit a sorore Dominæ Lotteringæ supradictæ vocabulo Contessa, uxore Buccæ, per ordinem miraculum; et adhibita fide per omnia, ut suprascriptum est, juravit vera esse in præsentia Fr. Hippolyti Sacerdotis de Ord. Minorum et suprad. Dominæ Argentæ, in mense Januarii in loco Fratrum Minorum prædictæ civit. Florentiæ an. Dom. MCCXLIX.

70 Quædam mulier, nomine Gardia, de civitate Florentia, bonæ conversationis, posuit se in oratione B quadam nocte: et postea refecta somno, dum evigilasset, tanta lux apparuit in domo, ut solet esse in hora meridiana, dum sol lucet in virtute sua. Et in ipsa luce apparuit ipsi mulieri B. Humiliana, induta vestibus albis, et albo velo velata, facie candida ultra humanum modum. Illa supradicta mulier interrogavit quæ esset. Respondit, ego sum S. Humiliana, et dixit ei: Vadas ad Dominam Bellam, et dicas ei, lectum suum præparatum esse in cœlo. Illa vero respondente, Domina mea de me quid fiet? Respondit S. Humiliana, et tu *e* procura pro teipsa. Ivit autem, et illa Domina fuit inde quam plurimum consolata. Anno Domini MCCXLVIII prædicta Gardia juravit omnia supradicta de prædicta visione vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti Sacerdotis de Ordine Fratrum Minorum ejusdem civitatis Florentiæ, et duarum mulierum religiosarum, scilicet Dominæ Argentæ et Dominæ Amatæ an. MCCXLVIII.

alteri revelat gloriam sociæ paratam:

e

71 Post obitum B. Humilianæ, forte per octo dies, quidam Frater Minor. rogavit Deum, ut sibi monstraret aliquid de gloria Sanctæ supradictæ: et cum esset in oratione, apparuerunt ante altare cathedræ pulcherrimæ, hinc et inde dispositæ, et quædam erant ibi pulchriores, et infra illas cathedras C erant animæ Sanctorum circumquaque: et in medio sedebat B. Humiliana super una illarum, et omnes aliæ erant vacuæ, anno Domini MCCXLVI: et hæc visio non in somnis, sed apertis oculis apparuit.

videtur in cathedra eminentiore:

72 Quædam mulier, natione Pratensis, vocabulo Illuminata, sanctæ conversationis ac honestæ vitæ, dormiendo audivit dicentem sibi, Hic est Spiritus B. Humilianæ, de qua illuminata erit civitas Florentina anno Domini MCCXLVIII supradicta Illuminata juravit omnia suprascripta de prædicta visione vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti Sacerdotis de Ordine Minorum, et Fr. Angeli Sacerdotis de Podio Bonizi ejusdem Ordinis, in mense Aprilis anno Domini MCCXLIX.

declaratur Beata.

ANNOTATA.

a *Auctorem esse Fr. Hippolytum, eum qui deinde miracula scripsit, ex ipso stylo et modo annum testesque notandi, fit evidens. In MS. etiam novus titulus hic erat,* Item de apparitionibus ejus post mortem.

b *Spatium hoc, uti et sequentia, erant in ipso MS. unde apparet ex alio vetustiori, ubi aliqua legi non poterant, hæc esse transumpta.*

c Gentes, *id est,* homines, *idiotismo vernaculo.*

d Recessurus, *scilicet ex hac vita: jam enim sciebatur discessisse ex conventu.* D

e *Sic etiam supra num.* 53, *dicitur* Pro te procurabis, *id est*, Solicitus eris.

MIRACULA

intra triennium ab obitu patrata.

Auctore Hippolyto Florentino Ordinis Minorum.

Ad honorem Dei, et B. Virginis Mariæ, et B. Humilianæ, et omnium Sanctorum et Sanctarum Dei, et ad confirmationem fidei devotorum præsentium, et excitandam devotionem fidelium futurorum, nec non et ad confusionem eorum, qui contra sanctam Dei ore rabido latrant, et canis dente lacerant spiritum Dei, ut convertantur et revertantur, ne pereant, tamquam spiritum Dei blasphemantes; ego Fr. Hippolytus, natione Florentinus, de ordine Fratrum Minorum, Spiritu Dei ductus, sciens pro firmo de vita, conversatione, moribus, honestate, discretione ac sapientia supra memoratæ B. Humilianæ, quibus in præsenti seculo in Florentina civitate refulsit; et spretis tamquam stercora secularibus pompis, orationi quotidie et contemplationi vacans, supra humanum morem et ultra quam credi potest, vitam solitariam et Angelicam deducebat; intelligens etiam a pluribus, et quod publice dicebatur, quod Deus per eam in vita et in morte multa et magna miracula fecit: unde volens scire veritatem, facta examinatione animo diligenti, inveni ea vera esse, prout in quaterno præsenti continentur. Ideo in totum ea per omnia et per ordinem, ad perpetuam rei memoriam habendam, propria manu fideliter et bona fide hic scripsi, credens suis orationibus adjuvari, sub anno MCCXLIX, existente D. Innocentio Papa IV.

Hæc scripta post accuratum examen an. 1249.

E

2 Hæc sunt miracula, quæ Deus operatus est per B. Humilianam, præter ea quæ sunt supra posita in Legenda et Apparitionibus post mortem. D. Beatrix, de Populo S. Miniati in monte, de Florentia, uxor olim Rinuccini filii Alemanni, Deo serviens in viduitate, habebat filiam, nomine Frescam sanctæ conversationis; cujus mater prædicta graviter infirmata est. Beata autem Humiliana, dum adhuc viveret, visitavit eas: quas cum vidisset puella prædicta, æstimavit Sanctam esse. Et cum recessit prædicta B. Humiliana, supradicta puella, scilicet Fresca, oravit ad Dominum et beatam Virginem Mariam, quod si B. Humiliana esset ita Sancta, sicut credebat, ipsa liberaret matrem suam. Completa vero oratione, cœpit mater convalescere: et cor infantulæ vacillavit, et mater gravius infirmata est. Iterum Dei amore succensa oravit, et mater ejus somno quievit: et dum evigilasset, meritis B. Humilianæ ita se reperit sanam, ac si nullam infirmitatem habuisset: et filiæ interroganti qualiter se haberet, respondit se esse sanatam optime, anno MCCXLVI. D. Beatrix prædicta juravit omnia supradicta in præsentia, Fr. Hippolyti Sacerdotis de ordine FFr. Minorum natione Florentini, et Fr. Junctæ Sacerdotis ejusdem Ordinis de præd. civitate. Et hoc factum est in mense Januarii, loco Fratrum Minorum ejusdem Civitatis, an. MCCXLVIII. Prædicta puella nomine Fresca, quam plurimum religiosa et honesta, dixit in verbo veritatis, omnia suprascripta de miraculo matris suæ vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti præd. præsente matre sua, et hoc factum est in menso Madiy, in domo propria anno MCCXLIX. Eadem D. Beatrix bonæ memoriæ, nocte proxima post liberationem de infirmitate

Meritis B. Humilianæ imploratis a filia mater sanatur,

F

adhuc vivente Sancta.

A infirmitate supradicta, vidit in somnis, quod ducebatur ad mortem. Apparuit autem ei B. Humiliana dum adhuc viveret, et dixit ei, Noli timere, D. Beatrix, quia ego juvabo vos: et manum dedit ei, adjuvans et liberans eam a morte: et statim evigilavit, gratias agens Deo et P. Humilianæ, anno Domini MCCXLVI.

Attestatio de abstinentia ab omni cibo

3 Quædam Domina, nomine Gisla, quamplurimum religiosa et honesta; et soror B. Humilianæ. vocabulo Rigalis, dixerunt, quia B. Humiliana, tempore infirmitatis suæ extremæ, per quadraginta et duos dies stetit, quod nihil comedit. Bibit tantum in illis quadraginta duobus diebus per decem et octo dies aquam pullorum, reliquis autem diebus aquam tantummodo claram bibit, et semper divinæ dulcedinis pabulo pascebatur, donec spiritum reddidit cœlo, anno Domini MCCXLVI. Istæ duæ Dominæ supradictæ, scilicet D. Gisla et D. Rigalis, confessæ sunt omnia suprascripta vera esse, quia diu noctuque erant cum prædicta Sancta, et custodiebant eam, et omnia firmaverunt juramento, in præsentia Fr. Hippolyti supradicti et D. Contessæ Sororis B. Humilianæ: et hoc factum est in mense Januarii in ecclesia sanctæ Crucis, loco Fratrum prædi- B ctorum prædictæ Civitatis, anno MCCXLVIII.

Curantur fistula capitis,

4 Fr. Galganus de Florentia, Sacerdos de Ordine Fratrum Minorum, fistulam patiebatur in occulto capitis, ita quod per aurem saniem emittebat: qui diu laborans infirmitate illa, a medicis non poterat liberari. Qui dum visitaret B. Humilianam in extremis positam, petiit a Domina Gisla custodrice ejus, ut elevaret aliquantulum manum prædictæ Sanctæ. Et accipiens manum cum panno (nolens eam tangere nudam) duxit caput ad modum Crucis versus manum: et ex tunc invenit se convaluisse: et istud miraculum fuit patens multis, anno Domini MCCXLVI. Prædictus Fr. Galganus dixit in verbo veritatis, omnia suprascripta de miraculo suo vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti præd. et præsente D. Donato Medico filio Ugolini: et hoc factum est in loco Fratrum Minorum prædic. civitatis anno MCCXLVI. Item dictus Fr. Galganus confessus est omnia supradicta de miraculo suo vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti præd. Fr. Danielis Sacerdotis ipsius Ordinis natione Florentini, et præsente Fr. Juncta Sacerdote Ordinis præd. natione Pratensi; et hoc factum est in ecclesia Fratrum Minorum prædictæ civitatis in crastino B. Joannis Baptistæ anno Domini MCCXLIX, tamen dixit se nescire si fuerit malum C fistulæ, nisi quia a medicis audivit. D. Gisla suprad. plurimum religiosa et honesta, dixit in verbo veritatis omnia supradicta de miraculo Fr. Galgani vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti prædicti et D. Benevenutæ sanctæ vitæ ac conversationis honestæ; et hoc factum est in vigilia B. Joannis Baptistæ anno Domini MCCXLIX.

arthritis brachii,

5 Mulier quædam, Maria nomine, uxor quondam Paganelli, de populo S. Petri Sceragii de civitate Florentia, per XIV menses guttam in brachio dextro patiens, ita quod multoties non poterat se signare; die quo B. Humiliana carnis viam subierat universæ, super ejus tumulum se projecit: et facto voto plene extitit liberata, imaginem ceream secum portans. Et istud miraculum fuit patens multis anno Domini MCCXLVI. Prædicta Maria juravit omnia suprascripta de miraculo suo vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti prædicti et D. Argentæ honestæ vitæ ac conversationis, et D. Ravennæ cognatæ B. Humilianæ, sanctæ vitæ ac conversationis. Et hoc factum et in mense Januarii anno Domini MCCXLVIII, in ecclesia sanctæ Crucis de civitate prædicta. Filius prædictæ Mariæ nomine Ranerius, audito per ordinem a matre sua, qualiter infirmata est, et qualiter vovit se B. Humilianæ, et liberata est; et etiam D quia tempore infirmitatis cum matre sua prædicta erat diu noctuque, et videbat dolorem suum esse vehementem; juravit omnia supradicta vera esse ut credebat, in præsentia Fr. Hippolyti præd. et in mense Januarii anno Domini MCCXLVIII. Alius filius præd. Mariæ, nomine Paganellus, confessus est matrem suam habuisse prædictam infirmitatem, quia stando cum matre sua diu noctuque videbat dolorem suum esse vehementem; et etiam audivit ab ea qualiter fecit votum B. Humilianæ, et convaluit: et ita juravit omnia vera esse, in præsentia Fr. Hippolyti supradicti et F. Angeli de Podiobonizi, Sacerdotis ejusdem Ordinis Fratrum Minorum: et hoc factum est in mense Martii, loco prædictorum Fratrum anno Domini MCCXLVIII.

A. HIPPOL. LOÆVO.

dolor magnus corporis,

6 *a* Quædam mulier, Rustichinella nomine, uxor D. Bene de *b* Bagnalla, de populo S. Petri de Sceragii, de civitate Florentia, patiebatur magnum dolorem diu in corpore suo: quæ venit ad tumulum die quo defuncta est B. Humiliana, et posuit corrigiam suam super tumulum suum: iterum se cingens eo, sana reversa est et gavisa. Testis est vir E suus prædictus Bene, et filius Benincase, anno Domini MCCXLVI: et ipsa Rustichinella confessa est anno MCCXLVIII.

40 fistulæ cum putrefactione,

7 Homo quidam, Riccius nomine; natione Camerinus, filius Joannis, morabatur in civitate Florentia in populo S. Felicitatis, tempore quo B. Humiliana viam carnis universæ intraverat: qui habebat filium septem annorum, habentem brachia et crura et pedes et manus ita plenos *c* fistulis, quod nullo modo poterat gradi, sed valde putrefiebat coram omnibus: erant enim amplius quam quadraginta per corpus diffusæ. Duraverat autem infirmitas illa toto tempore vitæ ipsius pueri: et cum multas expensas fecisset in medicis pater pueri Riccius, nullo modo convalescebat. Tandem vovit eum S. Humilianæ, quod si eum liberaret, apportaret ad tumulum ejus imaginem ceræ, et præsentavit eum tumulo Sanctæ, eo die quo primum sepulta fuit; et meritis ipsius ante XV dies peroptime restitutus est sanitati: et istud miraculum in pleno populo patefactum est anno Domini MCCXLVI. Testes Fr. Christianus Laicus de Ordine Fratrum Minorum, Rudolfus filius Frederici de populo S. Florentii civitatis Florentiæ. Prædictus Riccius juravit anno MCCXLVIII. D. Bertha, uxor Jani de populo S. Georgii, civitatis Florentiæ; et D. Bertha, uxor olim Benincase F de populo S. Martini, viderunt oculis suis miraculum supradictum: scilicet quomodo puer apportatus est tumulo, et qualiter liberatus est: cetera supradicta audiverunt de patre ipsius pueri, et ita juraverunt anno MCCXLVIII.

captivus liberatur.

8 Nuntius quidam Romanus, captus aliquot diebus, qui transitum fecerat per Florentiam, et fuit in prædicatione suæ mortis, quando Fr. Joannes Erri de Ordine Fratrum Minorum erat in pulpito prædicandi causa, memorans S. Humilianæ quam ipse in populo laudibus extulerat; fide concepta cum desiderio, preces fudit ad Dominum et ad S. Humilianam; et statim de carcere aditum exeundi habens (quia custos carceris recesserat causa ministrandi cibum ipsi captivo) clausum tamen ostium videns, exivit liberatus per adjutorium candelæ. Postquam ivit Bononiam, itinere perfecto reversus, cereum attulit ad sepulcrum ejus, hæc protestans: et hoc miraculum fuit patens multis anno Domini MCCXLVI. Quidam homo, vocabulo Salvi, filius Benevenuti, de populo S. Salvatoris civitatis Florentiæ, honestæ vitæ ac conversationis, confessus est se coram pluribus hominibus audisse a prædicto nuntio qualiter juravit in præsentia Fr. Hippolyti et

A et præsente D. Bonavito Sacerdote ecclesiæ B. Nicolai prædictæ civitatis, et Cavalcante filio Toschanelli prædictæ civitatis anno MCCXLIX.

A. HIPPOL. COÆVO.

Curantur dolor oculi inveteratus,

9 Quædam famula, Joannetta nomine, dum esset in domo Alberti, filii quondam Joculi, de populo S. Simonis de Florentia, dolorem permaximum in oculo patiens, talem quod omnes vicini gravabantur a clamore, qui fiebat ab ea diu noctuque, timens etiam amittere oculum præ dolore; fecit votum S. Humilianæ, et repræsentans se tumulo suo statim peroptime sanata est. Et cum expensæ plurimæ factæ fuissent in infirmitate illa, quia dolor ille per annum et plus duraverat; non poterat liberari nisi per merita prædictæ Sanctæ anno Domini MCCXLVI. Et prædicta Joannetta juravit anno MCCXLVIII. Testes fuerunt D. Nigra, uxor quondam Joannis de prædicto populo S. Simonis; et D. Ermellina, quam plurimum religiosa, ejusdem populi; et D. Mingarda, uxor supradicti Alberti. Omnes istæ juraverunt de ipso miraculo anno MCCXLVIII.

arthritis,

10 Item prædicta famula Joannetta, dum esset similiter in domo D. Alberti, guttam patiebatur, ita quod non poterat se signare vel aliquod opus facere; et hoc maximo dolore per XV dies perdurante, B non poterat liberari. Meminit tandem meriti B. Humilianæ, quæ alia vice eam adjuverat, in qua fidem habebat non modicam. Facto voto repræsentavit se tumulo suo, et peroptime reddita est sanitati, anno MCCXLVI. Præd. Joannetta et testes supradictæ hæc jurarunt anno MCCXLIX.

et febris continua,

11 Quædam Domina vocabulo Bianca, uxor Beliotti, de populo S. Luciæ de Magnolis, civitatis Florentiæ, habebat fratrem carnalem, qui diu in infirmitate febris graviter decubans, pervenit ad mortem. Et dum ab omnibus aspicientibus judicaretur quasi mortuus, recommendavit eum B. Humilianæ in absentia infirmi: quatenus si hunc liberaret, apportaret ad tumulum ejus imaginem ceream: nam ipsa erat ante januam Fratrum Minorum quando hoc emisit votum, ipse vero in villa decubabat. Et eadem die et hora qua votum factum est, compertum est d. infirmum a febre continua penitus dimissum anno Domini MCCXLVI. Prædicta Biancha juravit anno MCCXLIX.

eximitur os

12 Quidam homo de populo S. Florentii, in civitate Florentina, Benintendi nomine, Filius Raynerii, quadam die Dominica cum familia sua in hora tertia comedebat carnes et alia cibaria, sicut con- C suetum est hominibus. Qui cum comederet, glutivit ossis magnum petium acuti undique (ut in præsenti pagina *d* cernitur) quod sic versabatur in gutture ejus, ut nullo modo ejicere poterat vel glutire. Timens vero mortem, recommendavit se Deo et B. Humilianæ: et veniens ad tumulum ejus, ut potuit, ad ecclesiam sanctæ Crucis, statim quod tetigit sepulcrum ejus, emisit illud os, et narravit quæ gesta sunt multis Fratribus ejusdem loci: et illud os dedit Fr. Joanni d'Erro in testimonium veritatis: et istud miraculum multi viderunt oculis suis anno Domini MCCXLVI. Prædictus Benintendi juravit anno MCCXLVIII

d inhærens gutturi:

curantur arthritis,

13 Benevienne, filius Viviani de populo S. Mariæ in Campis de civitate Florentia, patiens guttam per quatuor menses in brachio sinistro, venit ad sepulcrum B. Humilianæ, cum magna fide et devotione recommendans se sibi, et peroptime est liberatus: et istud miraculum fuit patens multis anno MCCXLIX. Prædictus Benevienne, vir magnæ vitæ ac religionis, dixit vera esse omnia quæ scripta sunt de præd. miraculo, quod contigit dum esset in habitu seculari.

morbus iliacus,

14 Homo quidam de populo S..... de Florentia, vocabulo Guicciardus, patiebatur infirmitatem periculosissimam, scilicet iliacam. Una die fecit votum D B. Humilianæ, quod si eum ab hac infirmitate liberaret, portaret ad tumulum suum *e* advictorium candelæ, longum secundum quantitatem monumenti. Et facto voto statim ipso die, meritis B. Humilianæ, ad plenum liberatus est, et restitutus perfectæ sanitati anno MCCXLVI. Prædictus Guicciardus juravit anno MCCXLIX.

e

infirmitas 22 annorum: f

15 Ricchiomannus, filius Bencivienne de populo S. Petri Sceradii de civitate Florentia, XXII annis infirmitatem papici.... *f* passus, graviter in lecto jacebat. Corpusque ejus putrefiebat nimis, et decoriabatur, et nullatenus poterat liberari. Tandem facto voto, quod repræsentaret se tumulo B. Humilianæ, pristinæ restitutus est sanitati. Et istud miraculum factum est coram multis anno MCCXLVI. Testes fuerunt multi de prædicto populo, et juraverunt anno MCCXLVIII.

arthritis brachii,

16 Quædam mulier, Alphania nomine, uxor quondam Alberti, de populo S. Remigii de civitate Florentia, guttam maximam in brachio patiens, accessit ad tumulum B. Humilianæ: et facta oratione, sicut unquam extiterat, sana recessit, hæc prote- E stans: et istud miraculum fuit patens multis anno MCCXLVI. Prædicta Alphania juravit anno MCCXLVIII.

contractio membrorum,

17 Quædam mulier, Ricevuta nomine, de populo S. Jacobi inter-foveas de civitate Florentia, uxor Domini Pacis, habebat filium suum totum contractum, quod nullo modo poterat ambulare, nec etiam officio aliorum membrorum poterat uti. Mater vero sua vovit Deo et B. Humilianæ prædictum puerum, et eum portavit ad tumulum suum ad sanctam Crucem cum magna fide tribus vicibus. Tantam autem per Dei gratiam et B. Humilianæ merita consecutus est sanitatem, quod suis pedibus velociter recederet cum matre: et istud miraculum omnibus de contrata patens fuit, anno MCCXLVI. Testes D. Cacciatus filius Ugolini et..... filius alterius Ugolini de prædicto populo. Suprad. Ricevuta juravit omnia anno Domini MCCXLVIII.

contractio pedum et crurum,

18 Mulier quædam, Paviana nomine, uxor Andreæ, de populo S. Luciæ de Magnolis civitatis Florentiæ, habens quamdam filiam, quæ quinque mensibus pedum et crurum totaliter omnibus viribus erat destituta, ita quod ire non poterat neque stare; facto voto Deo et B. Humilianæ reddita est pristinæ sospitati anno MCCXLVI. Prædicta Domina Paviana et Andreas vir suus juraverunt anno F MCCXLVIII.

confractio ossium ex lapsu,

19 Quædam famula de Lombardia, Finedora nomine, dum esset in domo D. Magni Militis, de populo S. Andreæ de civitate Florentiæ, cecidit de alto: cujus ossa confracta sunt: et in corruptionem fistulæ deveniens, et quotidie in deterius proficiens, tantam emittebat saniem putredinis, quod medicorum remedia tanto pretio impendebantur ab ipsis medicis, quod non poterat in sua inopia comportare. Cui tandem venit in cor ut voveret se B. Humilianæ: quæ fecit votum in hunc modum, Si B. Humiliana infra octo dies liberaverit me, vadam ad tumulum ejus cum imagine cerea: Quæ ante spatium octo dierum, meritis B. Humilianæ, optime reddita est, sanitati: quæ venit sana cum magna lætitia ad tumulum ejus. Et istud miraculum fuit publicum multis anno MCCXLVI. Domina Theodora, uxor Rainerii de populo S. Andreæ, et plures aliæ Dominæ ejusdem populi juraverunt anno MCCXLVIII. Fr. Hippolytus supradictus testis est prædictorum, qui ipse auribus suis audivit omnia suprascripta ab ipsa famula Finedora.

20 Mulier quædam de populo S. Jacobi inter-foveas, de civitate Florentia, nomine Richelda, uxor Bonaviti Tranki, ita erat omnibus viribus destituta

A stituta, quod non comedere aut bibere vel videre aut ambulare poterat. Habebat autem visum *g* valde tumefactum ac inflatum, ita quod oculis humanis nimis horribilis apparebat. Perseveravit autem infirmitas illa per sex hebdomadas. Quadam autem die adducta est ad tumulum B. Humilianæ, ubi primitus sepulta fuit: et ibi facto voto jacuit per unam diem. In sero autem reversa est in domum suam, sana ac gaudens, et referens gratias Deo et B. Humilianæ: et istud miraculum publicum fuit, anno MCCXLVI. Richelda autem prædicta et maritus ejus Bonavitus prædicta omnia juramento firmarunt anno MCCXLVIII.

g destitutio virium,

fistulæ,

21 Quædam mulier de populo S. Trinitatis de Florentia, nomine Adelina, uxor Benavenne fabri, habebat filiam ætatis sex annorum, quæ tribus annis passa est infirmitatem fistularum, quam mater sua vovit B. Humilianæ, in die translationis *h* suæ: unde factum est ut meritis prædictæ Sanctæ, post duos menses reddita est pristinæ sanitati. Prædicta Adelina juravit omnia anno MCCXLVIII.

infirmitas ad mortem,

22 Quidam Deodatus nomine, de populo S. Apostoli de civitate Florentina, habebat filium ætatis quatuor annorum: unde accidit quod quadam die, ex B quadam occulta infirmitate, exanimatus videbatur, ita quod ab omnibus mortuus putaretur. Parentes autem ejus voverunt eum B. Humilianæ, et deportatus est ad tumulum ejus per quamdam Lamaldinam: qui post modicum redditus est pristinæ sanitati. Præd. Lamaldina juravit anno MCCXLVIII. Et de hoc miraculo est publicum instrumentum.

paralysis,

23 Mulier quædam nomine Flore, uxor Diotisalvi, de populo S. Fridiani civitatis Florentiæ, habebat filium ætatis duorum annorum, qui patiebatur paralysim valde periculosam, quæ vovit eum B. Humilianæ; et statim liberatus est meritis præd. Sanctæ anno MCCXLVI. Prædictus Diotesalvi cum uxore sua juravit anno MCCXLIX.

febris letalis,

24 Quædam mulier, nomine Forestana, uxor Cambi Torselli, de populo S. Martini de civitate Florentina, habebat filium ætatis sex annorum, qui in infirmitate febris decubans tantum calorem febrium fuit passus, quod pervenit ad mortem: et dum esset in tali statu, prædicta mater sua vovit eum B. Humilianæ, quod si liberaret eum, omni anno daret cereum in festo suo. Erat autem puer inflatus multum. Accipientes autem mulieres camisiam B. Humilianæ, posuerunt super eum: et conjurato C voto, ab inflatione et incendio ac morte liberatus est, meritis supradictæ: et istud miraculum publicum fuit anno MCCXLVII. Supradicta Forestana juravit anno MCCXLIX. De hoc apparet publicum instrumentum.

i infirmitas letalis,

26 Quædam mulier de Florentia de populo S. Stephani, nomine Oliente, cum per tres hebdomades infirmitatem *i* Mitridii pateretur tam periculosam, quod a multis medicis judicaretur moritura penitus, nec aliquo remedio curatura; vovit se per plures vices pluribus Sanctis, et non potuit aliquo modo convalescere. Tandem fecit votum B. Humilianæ sic dicendo: Voveo Deo et B. Humilianæ, ut si ipsa dederit mihi sanitatem, vadam ad tumulum ejus, cum adjunctorio candelæ: quæ statim meritis ipsius Sanctæ sanata est: et istud miraculum publicum fuit anno MCCXXVII. Juravit prædicta anno MCCXLIX.

impotentia gradiendi.

27 Quidam homo, nomine Michael, de populo S. Proculi, habebat filiam ætatis quatuor annorum, quæ de pedibus erat totaliter destituta, nec poterat ambulare. Unde avia puellæ fecit votum B. Humilianæ, quod si eam liberaret, daret imaginem ceræ. Quæ meritis B. Humilianæ sanata est in brevi peroptime, anno MCCXLVII: et istud miraculum fuit patens multis, et Sophia mater puellæ et avia juraverunt anno MCCXLIX. D

A HIPPOL. COÆVO. Liberatur falso delata ut proditrix.

28 Mulier quædam, Benevenuta nomine, Faventina natione, stabat cum quodam nobili Milite D. Bonacurso Bellincione de Adimaribus pro famula, eo tempore quo fuerunt Guelfi per Regem, filium *k* Frederici, de Florentia expulsi. Hæc fuit incusata ad Potestatem ejusdem civitatis, quod discurrens huc et illuc circa Florentiam, dictos Guelfos occulto foveret. Qua de re vel ob quam causam comprehensa, et a duobus Saracenis *l* coram omni Curia cum magno saxorum pondere in eculeum elevata, vovit se Deo et B. Humilianæ pro liberatione sua, munera oblationis et jejuniorum promittens: sicque ter sursum elevata, meritis ipsius Sanctæ, qualibet vice ruptus est funis quo trahebatur. Ad quod miraculum valde perterriti circumstantes, continuo illæsa permissa est a Judice abire: statimque cum ingenti gaudio ad tumulum hujus Sanctæ percurrens, fideliter obtulit quod promisit, et jejunia solvit, anno MCCXLVI: et ipsa prædicta juravit anno MCCXLVIII.

m Sanantur pestilens bubo,

29 Juvenis quidam, nomine Raynaldus, ætatis XVIII annorum, de populo S. Stephani de civitate Florentia, patiebatur infirmitatem in femore, quæ vulgo dicitur *m* Anghio, physice dicitur Bubo, tam E periculosam, quod oculis humanis aspicientibus apparebat nimis horribilis, et erat inflatum femur: duraverat autem infirmitas ista per octo dies. Consilio autem inito dictum est ei a medico, quod oporteret forari cum ferro calido. Ille autem stupefactus recurrit ad intercessionem B. Humilianæ: et facto voto infra tres dies, meritis prædictæ Sanctæ, restitutus est sanitati, gratias agens Deo et Beatæ Humilianæ anno MCCXLVIII: et sic juramento firmavit anno MCCXLIX.

energumena,

30 Homo quidam, nomine Guido, de populo S. Petri Majoris de civitate Florentia, habebat filiam puellam nomine Mingardam. Hæc puella vexabatur a dæmonibus: proferebant enim per os puellæ verba turpia et lasciva: aliquando etiam currebat per unum milliare, ut præcipitaret se in flumen et posset necari, nec poterat teneri nisi a pluribus. Aliquando, quando conjurabatur in nomine Jesu Christi, dimittebant eam dæmones per tres horas, et plus aliquando, et postea revertebantur in idipsum: exclamabant enim dæmones per os ejus dicentes, Non exibimus, nisi præsentati fuerimus ad tumulum Humilianæ. Et cum repræsentata fuisset ad tu- F mulum Sanctæ prædictæ, statim liberata est: et sana pedibus suis reversa est domum suam, laudans et benedicens Deum et Humilianam Sanctam suam: et hoc publicum fuit in populo S. Petri majoris anno MCCXLVIII: et de hoc apparet publicum instrumentum.

cæca,

31 Quædam mulier, vocabulo Bene, de populo S. Georgii de civitate Florentia, totum lumen oculorum perdiderat. Fecit votum B. Humilianæ, ut si eam sanaret, apportaret ad tumulum suum imaginem ceream. Quæ meritis B. Humilianæ, reddita est pristinæ sanitati anno MCCXLVIII, et juravit an. MCCXLIX.

apostema,

32 Domina quædam, Ermellina nomine, uxor D. Orlandi, de populo S. Felicitatis de Florentia, patiebatur infirmitatem in coxa quæ vocatur postema *n* malinconicum, quod quidem habet signum mortis: crevit autem infirmitas illa multum. Illa vero Ermellina venit ad tumulum B. Humilianæ, et fecit ibi orationem devotam, et etiam inter alia verba dixit: Domina mea, tu scis quod ego alicui non dicerem hoc, et recessit. Nocte autem proxima crepuit postema, sine ullo medicamine, et in brevi desiccatum est, anno MCCXLVIII. Supradicta juravit anno MCCXLIX.

A. HIPPOL. COÆVO. *arthritis,* A 33 Quædam Domina, vocabulo Baldovina, uxor Guicciardi de populo S. Petri Scargii, de civitate Florentina, guttam patiens multo tempore in coxa et crure, votum fecit S. Humilianæ, et peroptime restituta est pristinæ sanitati, anno MCCXLIX. Testis est filia sua, nomine Marcha, uxor Bonaguidæ ejusdem populi.

febris continua, 34 Mulier quædam natione Pratensis, nomine Plena, uxor Aldobrandini filii Rinuccini, patiebatur multis diebus febrim continuam, tam periculosam, quod a medicis et ab omnibus aspicientibus judicaretur penitus inde moritura, nec aliquo remedio evasura: unde mater ipsius, nomine Resciarata, audita fama B. Humilianæ, quod per eam Deus multos a diversis infirmitatibus liberaret, suasit filiæ suæ, ut voveret se Sanctæ prædictæ. Unde factum est, ut statim, completo voto, meritis B. Humilianæ mulier prædicta convalesceret, et postea peroptime restitueretur pristinæ sanitati anno MCCXLVI. Supradictæ mulieres hæc omnia juraverunt anno MCCXLVII.

35 Homo quidam, vocabulo Mazza, de populo S. B Jacobi inter foveas, de civitate Florentia, habebat filiam, quæ patiebatur continuam febrim, nec poterat liberari aliquo medicamine. Die autem quadam, qua de primo tumulo venerandum corpus B. Humilianæ recollectum est; uxor ipsius Mazzæ, nomine Meliore, accipiens de terra tumuli prædictæ Sanctæ, et religans in panno, posuit ad collum puellæ prædictæ, et statim liberata est a febri, meritis ipsius Sanctæ: anno MCCXLVI. Prædicta Meliore et Mazza vir ejus hæc jurarunt anno MCCXLIX.

gonagra, 36 Quidam juvenis religiosus, vocabulo Joseph, per septennium guttam in cruribus et genibus patiebatur, ita quod multoties non poterat ambulare vel moveri: recommendavit se B. Humilianæ, et statim liberatus est meritis ipsius Sanctæ. Istud miraculum publicum fuit anno MCCXLVI, et juravit anno MCCXLIX.

difficilis partus, 37 Domina quædam, nomine Diamante, de populo S. Petri majoris, uxor Domini.... Judicis, tempore partus sui tanta angustia fuit molestata, ut prolis futurus ortus, præsens videretur matris occasus. Timens vero mortem, votum fecit B. Humilianæ, quod si eam liberaret de periculo partus, ad tumulum suum portaret advinctorium candelæ, longum ad quantitatem sepulcri. Facto voto statim peroptime parturivit cum salute, anno MCCXLIX, et hæc C juravit.

scrofulæ, 38 Mulier quædam, nomine Suave, uxor Manetti de populo S. Pauli de civitate Florentia, multo tempore cum filio suo fuit passa infirmitatem, quæ vulgo dicitur scrofulæ. Votum fecit pro se et filio suo B. Humilianæ, jejunia et oblationes promittens: et ambo pariter meritis ipsius Sanctæ ipsa die liberati sunt, et restituti pristinæ sanitati an. Domini *o* MCCXLVI mense Augusti in die S. Donati *o*, hoc est in die Translationis prædictæ S. Humilianæ. Supradicta Suave hæc juravit anno MCCXLVIII.

gonagra, 39 Quædam mulier, nomine Bella, de populo S. Florentii de civitate Florentia, per multos dies in cruribus et genibus tota effecta est destituta, adeo quod nullo modo poterat ambulare: quæ vovit B. Humilianæ quod, si eam sanaret, vigiliam suam semper jejunaret in pane et aqua. Unde meritis ipsius Sanctæ primo convaluit, postea restituta est pristinæ sanitati anno MCCXLIX, quo et juravit.

gravis infirmitas, 40 Homo quidam, nomine Guerri, et uxor sua, nomine Bonadonna, de Populo S. Procoli, habebant filium ætatis annorum sex, qui per plures dies est tam graviter infirmatus, quod videbatur omnibus aspicientibus eum, totus deficere: sentiebat enim tam graviter dolorem in corpore, quod præ nimio dolore mordebat sibi manus suas. Parentes autem D voverunt eum S. Humilianæ, quod si liberaret eum, portarent eum ad tumulum suum cum imagine ceræ. Unde factum est quod in Vigilia S. Humilianæ peroptime liberatus est, et restitutus est pristinæ sanitati: et istud miraculum publicatum est anno MCCXLIX.

41 Quidam homo, nomine Hostenvallus, de populo S. Petri Seragii, de civitate Florentina, patiebatur quamdam infirmitatem, quæ dicitur *p* Senicis, *p angina,* physice autem squinantia, fecit votum B. Humilianæ. Et veniens cum fide magna et corde devoto, statim quod tetigit sepulcrum ejus, quod erat in ecclesia sanctæ Crucis, supter scalam qua ibat Frater prædicaturus ad prædicandum, restitutus est perfectæ sanitati anno MCCXLVI, et juravit hæc anno MCCXLIX.

42 Quædam mulier, vocabulo Benevenuta, de *moribundus,* populo S. Georgii de civitate Florentina, dum nutriret puerum unum, quadam die gravissime infirmatus est: et duravit hæc infirmitas per sex hebdomadas, ita quod ab omnibus aspicientibus judicabatur moriturus: cibum non capiebat nec somnum. E Prædicta Benevenuta vovit eum B. Humilianæ, promittendo quod, si eum liberaret, apportaret imaginem ceræ ad tumulum ejus. Et facto voto puer prædictus, sine aliquo medicamine, restitutus est perfectæ sanitati: et hoc fuit publicum anno MCCXLVI. Supradicta Benevenuta juravit anno MCCXLVIII.

43 Domina quædam, Bona nomine, de Campis, patiebatur magnam infirmitatem: et dum multum torqueretur ex illa infirmitate, subvenit cordi ejus sanctitas B. Humilianæ: et fecit votum quod, si eam liberaret, visitaret sepulcrum ejus, et portaret advinctorium. Facto voto parum stetit, et fuit perfectæ sanitati restituta anno MCCXLVII, et hæc juravit anno MCCXLIX.

44 Quædam Domina, vocabulo Brunetta, uxor Philippi de populo S..... de Florentia, habebat unicum puerum, quem tenerrime diligebat: et patiebatur febrem continuam, taliter quod omnes crede- *febris continua,* bant omnino eum moriturum ex illa infirmitate. Mater ejus vovit eum B. Humilianæ dicens: Si B. Humiliana liberavit filium meum ab ista infirmitate, portabo eum ad ejus tumulum cum imagine cerea. Facto voto, statim puer liberatus est ab omni febre, et restitutus perfectæ sanitati anno MCCXLVI: et supradicta Brunetta juravit anno MCCXLVIII. F

45 Domina quædam, Deodata nomine, de populo *ulcera,* S. Mariæ super Arnum, habebat unicam filiam, nomine Luciam, cujus totum corpus erat plenum fistulis. Vovit eam B. Humilianæ, quod si liberaret filiam, portaret ad tumulum ejus imaginem ceræ. Unde facto voto statim filia ejus liberata est ab omni plaga fistularum. Hoc miraculum fuit valde publicum anno MCCXLVI.

46 Quædam mulier, Lucia nomine, uxor magistri Rustichelli, de populo S. Jacobi inter foveas, cum esset gravida tempore obsidionis castri *q* Caprasii, intellexit de marito suo et cognato quod *q ex mortuo fœtu periclitans,* unus eorum comprehensus est ab hostibus, et alius interfectus: cujus rei tam graviter doluit, quod ex dolore illo fœtus prorsus suffocatus est, et per plures dies portavit fœtum mortuum in ventre, nec potuit juvari aliquo medicorum remedio. Tandem convertit se ad B. Humilianæ suffragia, vovendo quod si B. Humiliana liberaret eam ab isto periculo, jejunaret semper vigiliam suam in pane et aqua. Facto voto statim emisit fœtum mortuum, et hoc fuit publicum anno MCCXLIX in mense Aprilis.

47 Domina quædam, Vianese nomine, uxor Domini Henrici notarii, de populo S. Laurentii de civitate

A tate Florentina, habens quemdam puerum, qui patiebatur magnam infirmitatem, unde ex magno dolore corporali non sentiebat nisi ululare; vovit eum B. Humilianæ (in qua fidem habebat non modicam) quod si filium suum liberaret, advinctorium candelæ ad tumulum suum portaret. Quo facto, statim puer cœpit suaviter dormire. Mane autem facto surrexit puer sanus et incolumis, liberatus ab omni dolore anno MCCXLVI, et supradicta D. Vianese hæc juravit anno MCCXLVII.

Ingens dolor.

Antiphona,

Ave lux meridiana, Humilis Humiliana,
Exaltata de hac vana valle ad cœli montana,
Nostræ pestis plagas sana, aspera potens in plana,
Contemplatrix et humana, pia, dulcis et spontana,
Salva regna Christiana. Amen.

℣. Ora pro nobis B. Humiliana. ℟. Ut digni efficiamur promissionibus Christi:

Oratio.

Omnipotens sempiterne Deus, dulcedo cordium et præmium beatorum, qui B. Humilianam internæ suavitatis et contemplationis dulcedine replevisti; concede propitius, ut qui ejus devote solennia vel memoriam celebramus, ipsa interveniente pro nobis tuæ celsitudinis speciem cum ipsa facias perenniter B contemplari.

ANNOTATA.

a *Hinc formulæ testium, ne lectori crearetur nausea, aut sunt contractæ aut subinde omissæ, servata integritate historiæ.*

b *Cionaccius legit* Vignalla, *et suspicatur scribendum* Rignalla, *quæ est parochia tribus* p. m. *distans ab urbe.*

c *Idem ait, dictas hic* fistulas, *vulgo appellari* spinas ventosas.

d *In margine notata, sed erasa erat figura, magnum pollicem longa.*

e Advinctorium, *alibi* adjutorium, advintorium, adjuntorium, avitorium, *quæ tam incerta scriptio oritur ex ambiguitate hujus notæ* m *: quæ utrum* ui *vel* iu *debeat explicari incertum est. Cionaccius, singula loca adnumerat, et in dubio notat, videri legendum* advinctorium *vel* adjunctorium, *ut significetur oblatio quædam cerea, plurium cereolorum in fascem colligatorum, vel fax ex pluribus funalibus composita.*

f *Addebatur* et aliarum, *quod quia sensum non faciebat, substantivo deficiente, expungere placuit : fortassis legendum* et iliorum.

C g Visus *idiotismo vernaculo idem quod* vultus.

h *Infra intelligitur Translatio corporis facta esse tertio post mense* 7 *Augusti.*

i Mitridii infirmitas, *an semitertiana febris, ἡμιτριταῖος Galeno dicta? Ast in expanso quodam Italico folio de Vita Sanctæ, dum summatim enumerantur miracula, dicitur* unus liberatus a malo convolvuli, vulgo Miserere dicti.

k Enzius *Rex Sardiniæ, filius naturalis Frederici II, ipso anno* 1249, *captus a Bononiensibus in prælio, et apud eos in carcere mortuus. Cionaccius vocat* Regem Antiochiæ.

l Saracenicis *mancipiis eo tempore usi videntur Itali ad torturas et supplicia reorum.*

m Anghio *videtur ab* Inguine *ductum nomen, ut* Anguinaia, *quod Tusci pro inguine usurpant :* physice dicitur Bubo, *id est juxta medicos, quos vulgus* physicos *vocat.*

n Postema malincolinum, *dicitur, Apostema ex melancholici humoris abscessu natum; vel potius quam melancholicum patientem facit, in parte verecunda erumpens, quale hic videtur indicari.*

o S. Donatus, *Ep. et M. Aretinus, colitur* 7 *Augusti.*

p Senicis malum, *hodie pluraliter* le Senici, *juxta Academicos de la Crusca,* malum in partibus glandulosis gulæ, *Latinis* Angina *dicta.* D

Ex MS

q Castro capaja *Villano dictum, qui lib.* 6 *cap.* 36, *de ejus obsidione per Enzium agit, et proditione captum scribit anno* 1249 *mense Majo.*

ALIA VITA BREVIOR

Ex codice MS. Florentino.

In matrimonio studet operibus caritatis:

De B. Humiliana, Sancta filia Oliverii de Circulis Florentini civis, Testes XXVIII fide digni testificati sunt. Annorum sedecim nuptui traditur, et post mensem unum omnia vana ornamenta deposuit, et soli Deo placere studuit, et vestes sericas et ornamenta capitis vendens, et alia scindens, et quidquid de laboribus suis lucrari potuit, totum pauperibus et altaribus erogavit. Et sic quinque annis, quibus jugum mariti sustinuit, operibus pietatis intendit et humilitatis, servitiis infirmorum, et visitationibus sacrorum locorum, et pernoctationibus in oratione et jejuniis, et patientia multa in infirmitatibus. Nam cum diris doloribus torqueretur, non nisi divinas E laudes proclamabat. Per visionem Dominus eam in domo viri sæpe consolabatur: videbat enim se candidis ornatam vestibus, circumdatam pueris dealbatis et fulgidis.

Vidua secundas nuptias renuit:

2 Post obitum viri arctata pro secundis nuptiis, quia viginti duorum annorum erat juvencula, respondit: Sponsum habeo, a quo numquam viduabor; alium numquam recipiam: et si ex una parte Sponsum conspicuæ nobilitatis, et ex altera clibanum ardentem poneretis eligendum, ignem protinus eligam. Ex tunc eam dimiserunt; sed pater dotes ei fraudulenter detraxit, et illa alacris dixit: Ut video nulla spes in mundo ponenda est: quia pater filiam decipit: habeat me in domo famulam. Et sic cœpit cum una fida socia pia loca circuire, per pluvias, et æstus, et frigora; et eleemosynas, quas sibi subtrahere potuit, ministrare. Et socia conquerente de æstu, respondit: Deus ventum de thesauris suis profert, qui nobis pro ejus amore laborantibus temperabit ardorem. Et ita protinus factum est, et pluries fecit similia orando. Quinque igitur annis, quibus viro supervixit, omnibus piis operibus intendens, pauperes præcipue verecundos sustentabat, et a confusione, qua quædam præ penuria disposuerat suo corpore vivere impudice, eripuit eleemosynis succurrendo. Tempus suum quasi continue aut orationi aut visitationi aut subventioni dabat: et post cibum adhuc pro pauperibus laborabat, ut nihil esset sui temporis otiosum. F

intendit piis operibus:

in turri patris cellam construit:

3 Quatuor ultimis vitæ suæ annis, orationi et comtemplationi vacare cupiens, in quadam alta turri patris cellam sibi construxit: ubi tantis lacrymarum imbribus fluxit, ut oculi ejus quasi rivuli viderentur, et quasi Angelus vitam duceret, edocta a sancto Spiritu et a Fr. Michaele, viro religioso Ordinis Minorum, qui erat Confessarius suus, et ejus solicitam curam gerebat. Nocte quadam, lampadæ suæ cellulæ extincta, desiderabat habere lumen, sicut semper solebat, sed timebat famulam excitare dormientem. Oravit igitur Deum: et ecce subito columba candida, cum rosa fulgenti in ore, per cellulam volitavit, et quasi in solis radium conversa post cellæ circuitum disparuit: quam cum illa manu capere volebat, ad illum locum migravit. Tandem in se reversa, et divinum donum intelligens, tanto fuit gaudio repleta, ut per totam noctem illam non nisi unum Pater noster dicere potuerit. Alia nocte, dum lampas sibi esset extincta, supplicavit Virginis Mariæ filiō, ut ei de lumine provideret: et subito fulgida

ter de nocte divinitus lumen accipit:

A fulgida manus appulit cum lumine, et lampadem accendit, et ipsam lætificavit. Item nocte alia cum oleum deesset, aquam infudit lampadi, et tota arsit ac lumen dedit, virtute orationis ejus, acsi oleum fuisset.

EX MS.

4 Dæmones etiam sæpe eam in oratione positam infestabant, et flagellabant, et aliquando [dæmon] corpora cruentata occisorum plurimorum coram ea posuit dicens. Isti sunt occisi propter Inclusas de Monticellis et de Ripoli, et erant amasii earum; et tu tanta devotione ad tales afficeris? melius ergo fuit nubere, quam sanguine tanto fœdari. Ipsa vero Christo se recommendans, illusiones omnes diabolicas superabat. Cum civitas Florentina propter partes igne et machinis a bellantibus ab invicem consumeretur, venit diabolus, dicens ei: Surge, carissima, et vide quod civitas tua destituitur, et jam prope est ignis. Illa audiens tumultum, et ad videndum sensibiliter tentata, ut per fenestram aspiceret, substitit, et corpori suo dixit: Si vis, corpus, vade et conspice, quia animam tecum non pertrahes. Ad hanc vocem protinus dæmon evanuit. Aliquando specie horrendi serpentis dæmon eam infestabat in cella, sed ad ejus præceptum mox ut fumus B cum fœtore evanuit,: sed ad orationem fœtor fumi in suavissimum odorem convertitur. Deinde diabolus verum et materialem serpentem adduxit, quem pluribus diebus in cella et in lecto pertulit: tandem ipsum involutum manibus accepit, et extra cellam in tecto posuit, et eum abire præcepit, et ita discessit.

illusiones dæmonum patitur:

5 Plures ab infirmitatibus corporalibus, et plurimos a mentis passionibus et tentationibus, suis orationibus liberavit. Diem Sabbati, propter Virginis Mariæ reverentiam, habebat in devotione, præcipue orando et jejunando, et illa die mori a Deo precibus impetravit. Aliquando dixit uni, solitudinem cupienti: Domus sit tibi silva, et familia sint bestiæ silvestres: et omnia patienter et in silentio supporta. Alteri dixit: De præteritis plora, de præsenti sis Deo grata, de futuro cogita: et in omnibus humilitatem serva: per quam; et per eleemosynas sentio me multa Dei dona percepisse. Ubique quasi in Domino mortua videbatur, oculis inclinatis et despecta procedens, ita ut omnes videretur ad devotionem attrahere. Jejunabat quadragesimam Pentecostes, Assumptionis B. Virginis, et alias, et omni tempore quatuor diebus in septimana in pane tantum et aqua, C nisi a suo Confessario prohibita, quia infirma et debilis, et aliquando sine cibo tribus diebus permanebat. Quodam mane die Jovis extra se rapta permanebat usque ad diem Sabbati, et tunc post occasum solis in se reversa putabat esse diem Jovis, et sumpto cibo obdormivit: et hora qua surgere consueverat adstitit ei puer splendidus cum lumine in manu, dicens: Surge, benedicta Æmiliana, et disparuit. Illa surgens in oratione usque ad tertiam permansit, et tunc partem panis candidissimi dimidiam juxta eam posuit dicens; Comede. Illa devote Angelorum panem accepit, et tota illa septimana nihil aliud comedit, sed cibos sibi oblatos pauperibus misit: et in illa septimana novas consolationes in mente, et novum robur in corpore a Deo recepit. Verberabat se nervis et bruscis aculeatis, imbre lacrymarum diutissime perfusa; et tota nocte dei Sabbati vigilabat in oratione, et in mane Sabbati communicabat: et omni Quadragesima et tribus diebus in hebdomada silentium observabat: et duro cilicio, intexto equinis et caprinis piliis, in duro sacculo dormiens, carnes macerabat, et sæpe rapiebatur in ecstasi.

dat monita aliis:

rigide jejunat:

panem ab Angelo accipit:

castigat corpus:

6 Aliquando furens equus in via ei occurrit: unde illa præter morem coacta fuit oculos erigere, ne suppeditaretur: et equitem vidit, et protinus dolens dixit: O utinam, Domine, corporali lumine me D privasses, ne de cetero aspicerem vanitatem! Altera die per viam transiens, audivit a quodam juvene, O gloriosa mulier, quare non accepisti virum, cum quo dulcedine et gaudio fruereris? Respondit: O utinam non haberem aures, ne talia audirem! Et obturabat aures suas bombyce, ne vana perciperet; et quando erat cum aliis primum verbum ejus erat: Nulla hic loquatur nisi de Deo. Cupiebat pro Christo affligi, et flagellari, et mori, ut sæpe dixit: et Deum rogavit ut suum adimpleret desiderium, dicens: O Utinam esset Florentiæ unus tyrannus, qui me fustigatam combureret vel decollaret! Diligebat Christi amatores, etiam non visos: nam et quemdam Camaldulensem, nomine Simonem, quem Christum ardenter amare audierat, et ipsum præcipue in Christo amabat, vidit rutilanti facie duobus Angelis sociatum: et intellexit verum esse amatorem Christi, dum esset in oratione posita, et multa fuit consolatione repleta.

optat cæcitatem et surditatem,

et pro Christo martyrium:

7 Aliquando sine corporali cibo quatuor diebus steterat, et tunc unum bolum muneris cœlitus delati sumpsit, et juvenis fulgens appulit cum phiala, ut videbatur, aquæ stillantis: quam ubi accepit et bibit, sensit vinum esse omni suavitate plenum, et odore E et dulcedine ineffabili: de hac cœna ita refecta est, ut iterum quatuor diebus sine cibo permanserit. In die Kalendarum Augusti visa est in oratione posita, tota corporaliter elevata a terra. De camera et de corpore ejus odor mirabilis emanabat, et etiam de vestibus ejus, ut plurimi mirarentur. Die quadam parvula sua puella visa est penitus expirasse: at illa totam se Deo recolligens orabat, et oratione completa signavit filiam, et protinus a tabula Dominæ nostræ, coram qua oraverat, egressus est puerulus, decorus valde, et puellam sanam erexit, et disparuit.

reficitur cœlitus,

filiam resuscitat,

8 Juveni cuidam, iliaca et gutta falsa et aliis passionibus afflicto et ejulanti, dixit, O carissime, esto memor Creatoris tui et doloris passionis ejus, quem pro te sustinuit. Indignans ille respondit: Discede, domina, quia non possum nisi doloris quem patior reminisci. Et illa caritate plena, respondit. Vis dare mihi omnes dolores tuos? Respondit, Utinam tu haberes in corpore tuo, et ego essem sanus! At illa dixit: Et ego libenter recipio; et de hoc Deum rogo, si suæ pietati placet. Mirum certe! Puer liberatus est, et ipsa cœpit et etiam in corpore suo dolores F fortissimos sentire. Et dum in lecto prostrata torqueretur, apparuit puer formosus quasi annorum quatuor, ludens in cella alacriter coram illa; et statim dolor alleviatus est, et dixit: Visne adhuc Æmiliana? Illa existimans quod Angelus Dei esset, dixit: Volo vero mihi de Jesu loquaris. Et puer, Non decet aliquem de se loqui: et protinus disparuit, ipsa dimissa plenius liberata. Tres sphærulæ in modum solis ejus cellulam illustrarunt, et in unum corpus redactæ noctem verterunt in diem. Amplexans illa solis quasi rotam, inter brachia sua evanuit globus cum luce, et ipsa remansit cum consolatione mirabili.

infirmitates alterius suscipit:

puerum Jesum excipit:

9 Aqua pura sibi delata in Quadragesima, quia vinum bibere nolebat, in vinum optimum pluries est conversa. Ancilla quædam irata percussit eam cum urceo, et grave vulnus inflixit in caput ejus. Illa timens pro ancilla vulnus texit, et nulli dixit: sed vadens ad ecclesiam signum Crucis sibi imposuit: et protinus sensit manum linientem locum vulneris unguento odorifero, et ita statim sanata est, ut nec cicatrix vulneris appareret. Nocte quadam febricitans et siti æstuans, famulam vocavit: sed sopore valido absorpta, nihil respondit. Tunc illa ad Christum se orando convertit: et statim decora puella rutilanti

variis miraculis adjuvatur:

A rutilanti facie, associata pueris dealbatis, cum phiala stillantis aquæ apparuit, et in os ejus paulatim effudit, et supra manus et in faciem, et eam suis manibus confricabat. Ad cujus consolationem mirabilem et sitis et febris omnis abscessit, et post modicum disparuit : et cum interrogata fuisset ab ea, quæ esset, digitum ori suo apposuit, et Sancta consolata siluit. Ignis visus est ardere in panno vel velo tabulæ, quæ erat in cella sua : quem cum illa quasi ignem materialem vellet manibus extinguere, calorem non sentiens, cogitavit divinum esse, et gratias Deo egit. Aliquando etiam cella sua visa est tota splendere, quasi intus arderet. Dixit, fini approximans, se in proximo migraturam, et de sua salute esse securam, quia a Deo fuerat certificata. Dominus Ardingus, Episcopus Florentinus, in publicis prædicationibus eam plurimum commendabat, utpote vir sanctitatis et honestatis amator, et eam in exemplum aliis mulieribus ingerebat.

videt cœlesti igne cellam ardere :

10 Beata igitur Æmiliana mansit in virginitate in domo paterna annis sedecim : et cum viro suo, qui fuit de domo Bona guisi nomine, annis quinque, in omni castitate et honestate : et post obitum viri in turri paterna, in cella sibi parata, iterum annis quinque, omni sanctitate plena : et sic XXVII anno B vitæ suæ migravit ad Christum. Sed ante obitum XXIV diebus nil nisi aquam simplicem sumpsit, et nihil aliud potuit deglutire. Appropinquans autem fini, videns hostem generis humani, dixit : Recede a me invide, quia nil juris habes in me : ecce Domina Maria Mater Jesu cum Angelis potenter venit offerre me filio suo. Et sic dæmon abscessit : et illa quasi dormiens expiravit die Sabbati in aurora, ea scilicet hora qua communicare consueverat, octo diebus ante Pentecostem in die S. Potentianæ, anno Domini MCCXLVI, ad laudem Christi. Amen.

obit feliciter anno 1246 19 Maji.

11 Et post obitum ejus, Dominica immediate sequenti, visa est a quadam Domina fide digna, in cœlo albis induta, coram Christo et Matre ejus, feliciter gaudere et orare. Item Sorori Sibiliæ apparuit, et de pluribus interrogata respondit, quod ineffabilibus deliciis fruebatur, quæ non possent a mortalibus cogitari; et quod Fr. Michael, Confessor suus, de Ordine Fratrum Minorum, in proximo esset migraturus ad Christum, non tamen in Florentino conventu : et ita factum est. Alteri pari fide dignæ apparuit, mirabiliter ornata et fulgida, cum duabus coronis, auro, purpura et candore vestis et gemmis C decorata : et interrogata de coronis, Una est, inquit, corona castitatis, altera virginitatis : quæ data est mihi propter dolorem, quem semper habui in corde deperdita virginitate, claritas faciei et oculorum, est propter conscientiæ puritatem quam habui : vestis candor, propter humilitatem ; purpura, propter caritatem et desiderium martyrii. Item apparuit cum claritate nimia Ghisolæ de Mucello, sanctitate famosæ, dicens : Non te pigeat pœnitentiam facere, quia ego per purgatorium transiens nullam pertuli pœnam, quia perfectam egi pœnitentiam : sed transivi sicuti pueri innocentes. Sepulta est igitur in loco S. Crucis Fratrum Minorum de Florentia, cum gaudio et honore XIV. Kal. Junii, virtutibus et quam plurimis miraculis coruscando, ad gloriam Christi Jesu : qui vivit et regnat in secula seculorum. Amen.

Ab obitu variis apparet.

ALIA VITA

Auctore Raphaele Volaterrano

Raphael venerabilibus viris, Custodi et Fratribus sancti Servatoris Florentini, Ordinis Observantiæ Minorum Professoribus, salutem in Domino. Humilianæ Viduæ vitam, a Fr. Vito Cortonensi, vestri quondam Ordinis viro, oratione potius longa, quam decenti, aut virtutibus ejus pari conscriptam, mihi nuper Fr. Andreas Andreæ Flius Florentinus obtulit, rogans pariter, ut lectione commodiore (quantum fas esset) interpolarem. Ego vero, cum propria virtute parare mihi Dei gratiam non valeam, illorum libenter et scriptito et lectito laudes, qui suis meritis me possunt in æterna suscipere tabernacula. Quamobrem in frugis mihi oblatæ occasionem gratissimam incidens, libellum hunc vestrum semel atque iterum percurri, ad eamque brevitatem redigere sum conatus, quam potiorem et magis necessariam duxi, ut omnis ejus vitæ cursus tribus explicatis chartis, legentibus facile patere posset. Cetera vero, præter styli inconcinnitatem ut ad modum supervacuam, et abs re sæpe repetita consulto præterii. D

A. RAPH. VOLATER. EX MS.

2 Igitur Humiliana, Virgo Florentina, patre Oliverio ex Circorum *a* familia nobili ac vetusta, utile in Domino vas, ob mores castissimos eximiamque sanctitatem, perpetuam sibi felicitatem, patriæque maximum attulit ornamentum. Hæc itaque sub ipsa B. Francisci *b* tempora effulsit, puella primum in domo patria, non vilibus aut inanibus more illius E ætatis dedita studiis, sed orationibus et divino cultui jugiter insistebat. Nihil denique ab initio dictu, factuque, aut gestu non sanctissimum probatumque omnibus præ se ferre videbatur. Ita paulatim sine querela, in omni timore atque abstinentia, Dei parentumque mandatis obtemperans, magis ac magis in Domino per ætatem proficiebat. Annos postmodo nata *c* duodecim, nupsit ejusdem patriæ civi, nobilitate quidem pari, proposito tamen ac conscientia dispari, cum esset quæstu ac fœnore infamis? In quo quidem conjugio illud tantum felix evenit. Viri fratris uxor, nomine Ravenna, sub eodem contubernio, non inferiore matrona virtute ac spiritu prædita fuit; quippe quæ illi ad omnia pietatis opera patranda parata præsto continuo fuit. Hac, inquam, comite ac socia viduas pupillasque visere, sacrasque ædes et solennia sacra in civitate, loca item religiosa, orationibus, acroamatis, sacrisque mysteriis intenta, frequentare solebat. Cum viro quinque vixit annis; quo tempore virginali ac religioso potius, quam matronali statu fuit; æthereoque magis sponso, quam terreno placere solicita, non corporis ornatu, sed animi specie; nec mundo, sed Deo ætatem suam commendare dicareque cupiebat. Viri complexum F quando vitare non poterat, pariter et carnis voluptatem, mente castissima, et multa disciplina, corporisque castigatione compensabat. Cum primum ei licebat ocius de stratis surgens, orationi vacabat : assumptaque comite matutinas bonasque horas in adeundis templis, sacrisque audiendis consumebat. Post prandium operi manuum vacabat, ut domestico partim usui partim vero ut necessitatem patientibus subveniret: multaque sæpe de mensa, et panis quadras, et alia clam pauperibus danda surripiebat. Ex mundo muliebri suoque ornatu, quæcumque salva viri pace subducere poterat, eisdem impertiri curabat. Sericam quamdam vestem, a conjuge datam, breviorem reddidit, manicis inde confectis ac venundatis, ut inopibus inde subveniret. Omnia demum trita domique relicta, tam sua quam viri indumenta, in idem contulit officium : quin et culcitræ propriæ, semipluma quondam adempta, lectulum cuidam nudulæ ægrotantique fecit; ita ut in conjugis quandoque contumaciam iramque veniens, verbis malis incesseretur, et manibus usque pulsaretur. Sed et valetudine admodum tenui fuit, quippe quæ stomachi dolore sæpe torqueretur

Pie educata,

et nupta,

devota loca invisit,

Deo placere studet :

dedita eleemosynis,

3 Omnia demum ob Deum æquo ferens animo, sese

pro mariti ægrotantis salute solicita, A sese sperabat quandoque liberam talia posse commodius exercere. Exaudita tandem a Deo, virum amisit, viduaque remansit : cui ægrotanti sese obtulit, suam dotem heredibus ejus libenter daturam, si pecuniam, quam ex fœnore paraverat, restituere vellet; potius se in paupertate agere perpetua, quasi viri animam perdi exoptans. Filias duas ex eo suscepit, quas parvulas in ejus domo reliquit : et in morbos quandoque varios incidentes numquam plorare aut super eis queri visa est; *ac filiarum pietate.* quin Deo seque illasque commendans, optabat potius in ipso ætatis limine et vitæ innocentia de medio tolli, ac ad suum puras redire Auctorem, quam in multis postmodo adultas divitiis aut humana felicitate claras, variis tamen peccatis contaminatas videre. Ad domum tandem paternam post viri obitum rediit, ubi totidem in viduitate vixit annis. Ab initio siquidem multis est a patre ceterisque necessariis vexata precibus pariter et exhortationibus, ut secundas optaret nuptias, periculosum dictitantibus ejus statum, et ex *Ad secundas nuptias nequit adduci,* Apostoli sententia præstare adolescentiores viduas nubere, filios procreare, matres familias esse. Illa vero modis omnibus repugnando ac resistendo, animo semper obstinato in viduitate perpetuo servanda B fuit, qui reliquam ætatem se vovisse affirmabat. Erat eo tempore Virginum nobile cœnobium S. Claræ de Monte-Cœli, quod ingredi ab initio cogitabat : verum aliquamdiu meditans, divino sic instigata spi- *assumit habitum 3 Ordinis,* ritu, B. Francisci Ordinis tertii habitum suscipere, ac in domo paterna remanere constituit : ita ut nihil in ea suæ abstinentiæ seu pietatis operum, aut earum denique quæ cœnobitis simulque perfectissimis hominibus converirent, omnino desideraretur; nam et castitatem paupertatemque, mente saltem, obstinatissime servavit : his et obedientiam suis prædicti Ordinis obtemperando majoribus addidit, atque hoc ferme modo ceteris, sive viduis, sive virginibus exemplo fuit, quæ se excusant nullum in cœnobiis habere locum, unde nec propterea Deo servire posse dictitant, ac desperantes quodammodo retro se ab aratro vertunt quamplurimæ : quin et in domo propria, et ubique Deum diligentibus benefaciendi occasio modusque divinitus datur.

4 Cum igitur Humiliana, hoc firmato proposito, in turba reliquæ familiæ se degere non commode nec ex pace animadverteret; separatim in ædium *et cellam in turri collocat,* turrim quamdam se recepit; ibique cellam construxit, suæ sanctæ exercitationi accommodam ab omni C procul tumultu : suntque quaterna menstrua frumenti sextaria pariter et famula a patre assignata, ex quibus quæ supererant pauperibus distribuebat. Mane totum sacrificiis ac sacris ceremoniis, deinde miserorum visitationibus consumere, senosque sæpe panes in sinu eis largiendos ferre hora sexta solebat. Per quadragesimas et jejuniorum ferias usque ad *juvat in rebus Ecclesiæ procurandis,* horam nonam id protrahebat : sicubi vero pecunias cogi ad res sacras aliquas perficiendas, aut vestium aliquid Sacerdotalium, seu ornamentorum ædificiorumque piorum fieri cernebat, symbolam ipsa semper pro suæ tenuitatis substantiis conferebat. Paupertatem hoc ferme modo spiritu complexa, nihil sibi relinquebat ex his, quæ usui suo *et pauperibus alendis :* superessent. Nec solum suæ, sed alienæ ministra liberalitatis erat, dum ostiatim pro miseris, et virginibus clausis tunc rogaret, ac coactiones faceret, *dotem conjugalem patri cedit :* quibus inopes impertiret; et illis dum liceret nulla repressa verecundia, subveniret. Cumque pater invictum ejus animum ad nuptias animadverteret, statim ejus dotem sibi capere, ac clandestino quodammodo circumvenire dolo. Adductis siquidem die quodam ex improviso testibus cum adstipulatore, necessarium ait fore, ut ad repetendam ex viri domo dotem sua patri jura super hoc illa concederet : quod et absque mora fecit; juramentum tamen, in D re hujuscemodi adhiberi solitum, omnino detrectavit. Cumque mox se deceptam et a patre circumventam cognosceret, dolore quidem vacare penitus non potuit; providentiæ tamen, divinoque judicio permisit, omni de se Deo relicta cura. Ex quo, cum nihil jam amplius quod egentibus tribueret haberet, actione relicta, se totam contemplationi tradidit. *Orationi incumbit,* Tempus ita dispartiebat. Ab initio ad noctem multam vigilabat, orationibus sanctisque lectionibus instando. Mutato deinde more cubitum citius ibat, nocte vero media aut statim post primum somnum excitata surgebat, in oratione usque ad mane vigilans, numquam ad stratum redire solita. Ab humo suspensam quandoque orando viderunt Fr. Michael, ex Albertorum familia, vir santitate conspicuus, *in aerem elevatur,* ejus Confessor; item Fr. Vigor Cortonensis, quemadmodum postmodo testes fuere.

5 A diabolo quoque sæpe est vexata; quam sæpe quoque apparentem formis atque imaginibus diversis deridere solebat, continuoque noscens maledicebat execrabaturque. Nam filias ejus duas, quas in viri domo reliquerat; incubili mortuas ei ostendit. E Ravennam similiter, fratris viri conjugem, cujus *vexationes dæmonum vincit :* supra mentionem feci, extinctam indicavit. Serpentis etiam ad instar, interdum vero virginis, nunc Abbatis cujusdam ei noti similitudinem sumens; sed et in tantum ausus facinus, et in ejus ora invadens, dentes adeo graviter contrivit, ut diebus quindecim vix cibum necessarium sumeret. Omnia vero Dei benignitate, qui Sanctam suam custodiebat, superavit; ac signo Crucis expellebat. Sæpe item in mentis excessum veniens, et in Dei contemplationem rapta, noctes totas ducebat insomnes; et more Pauli, sive in corpore sive extra corpus, non satis reminiscebatur. Cujus rei testes matronæ aliquot venerabiles, sæpe hoc videntes fuere. Inter quas Sibilla *in extasim rapitur :* Soror, Cæcilia fratris uxor, Gisla, Compiuta, Scotta, Dialta, Jacoba, Altebene. Proximi vero, ac præsertim fratres Germani, putantes ex morbo aliquo id evenire, curare per dentium *d* sectionem sunt conati, d Unde illa talium importunitate quandoque excitata flebat, ac querelis omnia postmodo complebat, seque ex magna voluptate abstractam, in miseriamque *arcte jejunat :* rursus incidisse asseverabat. Abstinentia maxima in cibis est usa. Quatuor tantum panes in hebdomada solita est edere, raro ac tenui vilique *e* compane e contenta. Quadragesimas in anno plures servabat, in Majore vero etiam vino abstinebat. Reliquo vero F tempore quatuor si hebdomadis diebus jejunabat, secunda, quarta, ac sexta feria, prætere a sabbato. Sæpe quoque in tertium usque diem jejuna durabat eo tempore, quo cum familia manebat. Si quando peregrinaretur, templa visendo aut alia pietatis opera faciendo, itineris socias admonebat, ut de via clam eam mutato nomine vocarent; sero deinde revertens, nihil ei de mensa remitti servarique man- *commendat se Christo ac Deiparæ.* dabat, ne sollicitos sui gratia ceteros teneret. Ex stomacho sæpe laborabat, nullas tamen querelas edebat : tantum Domini nostri Jesu Christi simul cum ejus matre invocato nomine, sæpe se illis, ac perseverantiam suam, in omnibus gratias agens, commendabat. Beatæ Virginis præter omnia memoriam venerationemque ita gerebat animo, ut in omnibus suis laboribus ac ærumnis eam præsto paratam, præsentemque sentiret. Humili ac vili amiciebatur tunica, sub qua cilicium durissimum aliquamdiu tulit : quod insalubre demum suæ tenui valetudini sentiens, per ejus Confessorem omnino dimittere jussa est.

6 Corpus durissimis nervis assidue castigabat. *Corpus castigat,* Libenter in solitudine manebat latebrasque quærebat, secum loquebatur, secum meditabatur. Silentium

A tium longissimum, præsertim post Eucharistiam, quam Virginis causa singulis sabbatis assumebat, servare consueverat. Verbum otiosum neque audire, neque ferre poterat; si forte in colloquium cum aliquibus venisset, præmonebat, ut præter necessaria quæ ingruerent, nisi de Deo non loquerentur, si præsentem esse cuperent. Quoniam vitare non poterat, quod interdum, sive domi, seu foris, perviam, verbum incastigatum aliquod non audiret; solebat aures sibi sæpe obstruere. Insuper et aspicere vanum aliquod non facile sustinuit; unde consulto fixis in humum oculis incedebat, stabatque jugiter: quin et luminibus privari, ut mente melius contemplaretur, optabat; nihilque potius quam sanctos viros, ubi essent, videre, audireque affectabat: hos imitari, felicesque solum vocare solebat. Denique martyrium pro Christi nomine subire in animo versabat, atque occasionem dari præter omnia cupiebat. Cum pater, domo prima relicta, in aliam, quam prope S. Ambrosium sibi paraverat, migraret; ipsam sequi etiam jussit. Quod omnino negans, jam illic advicta, et turrim illam, ut carnis ergastulum propriæ ac spirituales delicias, deserere nesciens, rursus in maximam ejus contumaciam præter primam, quæ de refellendis nuptiis fuerat, protinus venit. Sed et Galgani patris consobrini, quod ibidem una cum uxore habitare vellet, vexationem longam sustinuit: ex qua sane incusatione insectationeque uterque mala passus dicitur. Galganus brevi post tempore decessit, pater vero gravi morbo percussus. Nonnulli, propter hæc et his similia, ac obstinatum in virtute jam cœpta propositum, pervicacem eam taxabant; præterea genus vitæ universum damnabant, quod domi potius quam in cœnobio vixisset, quodque multis dæmonum apparitionibus deluderetur, quodque denique mentis ita frequentem excessum pateretur non boni admodum consulebant; quos omnes profecto errare finis illius exitusque laudatissimus ostendit.

abnuit vana audire aut videre,

multa patitur a patre et consobrino,

B

mox punitis.

7 Ægrotare cœpit mense Januarii, febri ab initio gravi, quam et dissimulare usque in Martium est conata. Inde gravius se cœpit habere, ac corporis totius cruciari doloribus; quæ pœna usque ad mortem est comitata. Obiter sanctis ad Deum precibus fusis, et spe cœlestis præmii futuræque gloriæ expectatione *f* resipiscebat. Assidebant seduli Fratres duo, Michael ejus Confessor et Bonamicus: ambo in Christo probatissimi, et inter claros illius Ordinis C connumerati; ambo adhortabantur de more, interrogabantque an ex eo morbo se evasuram speraret. Minime, inquit illa. Postremo quid de salute tua crederet? Ita certam ait se habere suam prædestinationem, ut si Angelus de cœlo aliter annuntiaret, minime sit ei creditura. Quin famulæ assistenti mandavit, uti calceamenta pararet, quibus mox eam extinctam indueret; quasi divinans eam homines adoraturos, pedes quoque exosculaturos, nuda attrectari verens; tanta illi pudicitiæ cura vel morientis fuerat. Demum rogantibus illis, ut ad eos mortua rediret, ait Fr. Michaelem cito eam secuturum, quod postmodo evenit. Alteri vero quamvis non responderit, morem tamen gessit, ut postea dicam. Cibo diebus quadraginta duobus privata est; tantum diebus octo et decem pullorum aqua, reliquis vero puteana est sustentata. Dæmonum impugnationes maximas in extremo habuisse gestus verbaque satis ostendunt; Nam quod damnata, inquit, sim, non tibi tantum, qui fallax ab initio semper fuisti, sed nec sanctis Angelis nuntiantibus assentiar. Abi a me maligne. Quibus sane contentionibus territi qui adstabant, Beatæ Virginis tabellam, quam adorare solebat, sumentes, ac candelis benedictis in Crucis formam colligatis, super ægræ pectus impo-

Ægra semper orat:

æternæ salutis spe certa,

dæmonis vexationes superat:

D suere, unde maligni mox spiritus abierunt. Illa vero resipiscere visa; Gratias, inquit, ago tibi, Domine Deus, qui me eripuisti a laqueo venantium, et a multitudine operantium iniquitatem. Cumque a mane usque ad Vesperas in extasi jacendo fuisset, a proximis, putantibus eam in extremis laborare, excitata, deinde ad se reversa ingemuit, atque ait: Cur in solitudine? longe seposita non sum, et a vobis meæ consolationis inimicis aliena. Nec multo post hæc verba sanctum emisit spiritum anno ætatis septimo et vigesimo, salutis vero sexto et quadragesimo supra ducentesimum ac millesimum, XIV Kalendas Junii, die Sabbati in aurora, qui festum S. Pudentianæ fuit. Nam dies hic optatissimus sibi, ob beatam Virginem fuerat, cui peculiari mentis ardore dedita semper extitit. Elata est omnium bonorum desiderio, ac lacrymis comitantibus, præsertim sui Ordinis viris ac mulieribus, et in sanctæ Crucis templo, usque ad hunc diem, *g* condita.

A RAPH. VOLATER. EX MS.

obit anno 1246,

g

8 Prodigia vero, quanta nec ullus eo tempore alter majora, aut clariora, diversique generis edidit, quæ quidem et sanctitatem et gloriam maxime ostendunt: ut hi, qui illam in vita accusaverant, E erubescere ac confundi facile valeant. Ego vero quod pæne innumerabilia sint scribere cuncta supersedebo, tantumque illa consectabor, quæ ex omnibus sunt visa potiora, quæve una cum reliquis Fr. Hippolyti Florentini, Minorum Observantiæ *h* professoris religiosissimi, testimonio diligentiaque, exquisitis undique veritatis assertoribus, probata conscriptaque sunt, sub Innocentio IV, anno Salutis nono et quadragesimo supra ducentesimum ac millesimum. Surgens nocte quadam, cum lampada extinctam videret, et famulam nocte intempesta excitare ac turbare vereretur, Deo se commendavit; unde mox Angeli manum eam accendentem videre meruit. Alia rursus nocte, eadem oleo deficiente paulatim moriente, aqua protinus sumpta pro oleo vicem præstitit, ejus fidens virtuti, qui oleam in agro palam omnibus cernentibus ex aquæ irrigatione et imbre fæcundam reddit. Præterea dæmones ab ea toties pulsos, et sublimem in orando sæpius stetisse, ac mentis excessum tam sæpe fuisse passam, inter ejus miracula præcipue posuerim. Prophetico quoque dotatam spiritu, multa ab ea prædicta osten- F dunt; inter quæ Fr. Michaelis exitus propinquus (quemadmodum supra narravi) et dies mortis propriæ, diebus ante duodecim, atque hora prænuntiata. Cæcilia ejus fratris conjux e domo inferiore maximum affirmavit sensisse odorem, quem sciscitans unde procederet, ex cella Humilianæ vidit emanare: quæ alioquin cultu corporeo omni neglecto Christi gratia degere solebat. Die quadam Regalem ejus filiam, cellam pulsantem introduxit; quæ cum subito tamquam moribunda concideret, mater anxia inopsque consilii, ad Virginis tabellam, quam adorare solebat, se vertens, pro ejus incolumitate supplex rogavit. Nec mora, puerum tabella egredientem vidit, qui Crucis facto signo eam semisepultam statim excitavit, et pristinæ sanitati restituit. Desideravit et olim puerum Jesum aspicere, ac illius ætatis sapientiam audire, quod et assecuta est. In cella clausa puerum quemdam ignotum subito apparuisse animadvertit, et cum ea sermones de Regno Dei habuisse, ut [scitum est] ex Sibilla ejus Sorore, et postmodo ex ipsius testimonio Humilianæ (quæ non de se, sed de alia quasi loquens, modestiæ gratia adfirmabat) hoc evenisse. Optavit et Trinitatis instar aliquid aspicere: unde quadam nocte in tenebris orans more solito, tres *i* lampades ei apparentes vidit, solis jubari similes. Ista vero ab initio perterrefacta, mox confidens, ac propius accedens, eas complexura,

claret miraculis.

h

Futura prædicta:

odor suavis in cella ejus:

filia moribunda sanatur:

puer Jesus apparet.

i Mysterium Trinitatis revelatur.

A complexura, in auras disparentes ac in unum reductas lumen, animadvertit.

EX PROC. MSS. *Aqua in vinum versa.*

9 Die quadam per Quadragesimam, quo tempore a vino abstinebat, sitiens, famulam suam Præciliam jussit aquæ modicum recentis in vase adferre. Cumque illa jussa faceret, Sancta Dei aquam se putans gustare, vinum esse sensit, statimque vas rejiciens famulam increpavit. Illa vero sese excusans, ut verum defenderet, hydriam ipsam aqua plenam rursus e puteo retulit. Domina clam e loco sublimi spectante : moxque ori admovens iterum vinum factum conspexit. Intelligens itaque prodigium hoc a Deo esse, gratias illi egit, vinumque postmodo ægrotantium usibus reservavit. Post mortem vero multis ac diversis apparuisse satis constat. Sorori primum Sibillæ, adstans siquidem prope lectum ipsius; Sibilla, inquit, o Sibilla, Humiliana ego sum, quæ te veni visere. At illa perterrita, Quo, inquit, carissima Soror, quo res tua loco? quæ te sedes habent? pœnasne passa ullas post mortem? Fr. Michael noster quomodo a te deseritur? quomodo tantopere olim dilectus negligitur? At illa, Loca me retinent Beatorum, nihil ignis potuit purgatorius, ineffabili B voluptatis dulcedine perpetuaque felicitate fruor? tu vero Deum præter omnia cole, terrenam hanc felicitatem despice, ut ad hanc quoque tu pervenias felicitatem : Fr. Michael paucis post diebus et ipse in gloriam æternam e vita migrabit.

A morte apparens indicat suam gloriam

10 Quædam mulier, sancta spiritu ac corpore putata, cupiens eam visere, orationi continuo instabat. Tandem ei inter orandum albis amicta vestibus apparuit, duplici caput diademate ornata. Cumque illam interrogasset, quidnam sibi vellet capitis illud geminum ornamentum; Primum, respondit, ob virginitatis in matrimonio amissæ ingentem dolorem, quem toto quidem vitæ tempore animo tuli; alterum vero ob castitatem perpetuam, conjugalem pariter et vidualem, mente corporeque servatam : alba vero rutilansque vestis, ob conscientiæ puritatem, simulque cordis humilitatem, quibus jugiter sum delectata. His dictis evanuit. Fr. Bonamicus, cujus supra mentionem feci, qui morientem Humilianam ut ad se rediret rogaverat; cum nocte quadam, uti solebat, ad Matutinas pulsandas in templo sanctæ Crucis Florentiæ surgeret, lampadas omnes præter unam extinctas reperit: quibus accensis, pariterque candela, quam in manibus tenebat, lucem aliquam in tenebris præbentibus, Humilianam, quæ anno superiore in templo sepulta fuerat, adorantem manibus C ad pectus redactis, quemadmodum solebat, cum atra veste, linteoque capitis albo (habitu scilicet matronali, ut in conjugio consueverat) altera veli parte ad humum usque demissa conspexit : quo cum mirabundus veritatis indagandæ causa propius accederet, ubi eam clare cognovit, ac obviam pariter venientem adspexit, tremens attonitusque e vestigio fugit, ac in sacrum ædis vestiarium se recepit; ibique a quodam superveniente Fratre interrogatus quidnam accidisset, rem narravit omnem. Adhibitis mox nonnullis primoribus Ordinis sociisque suis, tamquam aliis futuris testibus, rursus idem repetiit atque affirmavit. Reliqua portentorum ejus, ad curandos diversorum morborum generibus affectos, pertinere videntur; quæ scire cupientes eidem libello, unde fuerunt hæc excerpta, relegabo. Hæc tantum breviter adnotare mihi placuit, ut ejus bonorum particeps fiam, quæ profecto posteritati perpetuo commendari debuit, suorum temporum columen, quod in sexu fragili, in tam brevi ætate, in tanta suorum impugnatione, tanta dæmonum infestatione, denique fortunæ adversæ dejectione, tot patientiæ virtutumque omnis generis exempla præ se tulerit; unde ob vitæ labores pro Domino toleratos jure possit Martyribus comparari, gratia tamen ac benignitate Domini nostri Jesu Christi, cui honor et imperium in secula seculorum. D

duplici diademate cincta.

Item an. 1247, in templo.

Miracula alibi scripta omittuntur.

ANNOTATA.

a *Nomen familiæ* Cerchi *rectius redditur* Circorum, *quam* Circulorum : *hi enim* Cerchii *dici deberent : eodem tamen significatio redit.*

b *Siquidem nata est* Humiliana *circa an.* 1219, S. Franciscus *anno* 1226 *obiit.*

c Sedecim *debuit scribere, ex suomet calculo, num.* 7.

d *Legebantur quidem in MS.* dentes resecati : *sed mirum est Volaterrano non occurrisse, quod scribi debuissent,* reserati.

e Companis, *id quod cum pane comeditur, sive opsonium, nescio an Volaterranensium idiotismo dicatur: ignorant hanc vocem Academici della Crusca, ignorat eamdem Cangius ; in nostra Teutonica simili significatione invenio dici* Toe-spiis, *quasi,* Cibus ad panem.

f Resipiscere *dicuntur, non qui ab extasi, sed qui a delirio ad sanam mentem redeunt : sed hujusmodi catachreses frequentes notare est in superioris ævi scriptoribus, qui dum nimis affectant boni Grammatici videri, quandoque se ridiculos faciunt.* E

g *Hoc Volaterræ scribenti ignoscendum. Si Florentiæ fuisset, vidisset utique pridem a sepulcro elevata ossa, et quidem in alio quam tunc erant templo.*

h *Necdum tunc scissus Ordo erat, adeoque nec* Observantiæ *nec* Observantium *nota nomina: qui vero ad Sanctæ Crucis, degunt, post illorum discessionem, vocantur* Conventuales.

i Sphæras *primus auctor vocat, et hoc magis probaverim.*

VICARII GENERALIS
EPISTOLA.

Fr. Hilarion Sacchettus, Generalis Vicarius indignus, Raphaeli Volaterrano salutem in Domino. Salve rursus, pauperum pater, et de Ordine nostro bene merite. Joannes Baptista et Marianus, venerabiles Fratres nostri Florentini, vitam B. Humilianæ, pulchre quidem ac breviter a te descriptam, mihi attulerunt, qua gratius profecto nihil hoc tempore accepi : cum in hac, et Deum in primis, et B. Francisci Ordinem ac disciplinam, ex qua hæc prodiit, insuper et nostram patriam laudare magnopere videaris. Quamobrem tibi, quem ut alterum Hieronymum (citra adulationem loquar) et nostræ Religionis parentem observamus in terris, tuique gratia laboris, Domino nostro Jesu Christo, cujus opere ac spiritu pauperculam et humilem ex stercore feminam ad gloriæ solium evexisti, ut sedeat cum principibus populi sui, gratias agimus ingentes. Ego vero, quando meo incumbit officio his potissimum quæ ad Dei pertinent laudem, diligentius invigilare, Romam propediem profecturus, Pontifici summo Leoni nostro, uti mones, legendam tradam. Puto namque cum Dei ac Sanctæ, tum Patriæ amore, insuperque quod tuarum rerum scriptorumque amantissimum se ostendat, rem ei gratissimam faciam. Reliquum est, ut præter orationes precesque ad Deum nostras, quarum semper es particeps, nos nostraque omnia, præsertim Fr. Hilarionem inter tua scias esse : quos rogo solita complectere caritate. Vale in Christo, et ora pro me, ex loco nostro S. Servatoris prope Florentiam. Nonis Junii MDXX. F

SUMMARIUM

A

SUMMARIUM PROCESSUS

Confecti anno MDCXXV *pro Remissorialibus obtinendis.*

Die Mercurii XXIV Septembris, anni MDCXXIV coram Illustrissimo ac Reverendissimo Domino Alexandro Martio Medices Archiepiscopo Florentino, pro Tribunali sedente.... comparuit Federicus Christophorus I. V. D. tamquam Procurator RR. Patrum Prioris et Fratrum Conventus sanctæ Crucis de Florentia Ordinis S. Francisci Minorum Conventualium, nec non Nobilis viri D. Verii de Cerchis Florentini; et exhibuit articulos, quos petit admitti: quorum hic est tenor. Florentina informatio super communem opinionem sanctitatis et venerationem Reliquiarum Servæ Dei Humilianæ de Cerchis Florentiæ Tertiariæ Ordinis S. Francisci.

Ad probandam Famam Sanctitatis: B

I Inprimis D. Procurator prædictus articulat et probare vult, qualiter d. Serva Dei, tam in vita quam post mortem, ab omnibus communiter fuit habita, tenta, et reputata pro muliere proba, justa, sancta, et amica Dei; atque eodem nomine vocata et nominata fuit: cujus fama et opinio sanctitatis, ab eo tempore usque in præsentem diem, maxima perseverantia et incremento latissime in hac civitate percrebuit... cujus imago, ob maximam ejus sanctitatem, jam a multis annis reperitur depicta in ecclesia sanctæ Crucis usque sub anno MCCCCLXXVI, cujus auctor fuit Feus de Belcaris; et in Metropolitana ecclesia Florentina, quæ vulgo dicitur S. Maria del Fiore, pariter reperitur depicta imago dictæ Servæ Dei inter alios Etruriæ Sanctos et Beatos. Similes ejus imagines reperiuntur apud nobiles viros hujus civitatis, quæ habentur in veneratione tercentis abhinc annis: et habentur et venerantur uti imagines Sanctorum; et præsertim apud D. Verium de Cerchis, reperitur imago *a* ipsius Servæ Dei, in cujus diademate hæc est inscriptio, *SANCTA HUMILIANA DE CERCHIS.* Imo cultus publicus eidem exhibetur. Nam ejus Reliquiæ publice venerantur, et præsertim in die sui obitus, qui singulis annis solenniter in ecclesia sanctæ Crucis celebratur; et in Bibliotheca sanctæ Crucis, in libro processus ejus vitæ et miraculorum, usque ad illa tempora fabricati, adest et reperitur Antiphona et Oratio ipsius Servæ Dei, tamquam de Sancta.

allegantur imagines antiquæ,

a

annua solennitas,

C

Vita antiqua,

II Loco probationum et articulorum reproducit scripta omnium infrascriptorum, qui ex professo de vita et miraculis ejus scripserunt: inter quos signanter ponitur ejus Vita antiquissima, quæ servatur in Bibliotheca sanctæ Crucis in quodam libro antiquo MS. Latino, in carta pecudinea, conscripta antiquo charactere, ab annis ut judicatur tercentis circiter. Verinus, Poeta insignis, circa annum Domini MCCCCXL de ea scripsit his verbis:

Nobilitate potens, opibus paupercula, Virgo
Æmiliana fuit; sed longe clarior ipsis
Moribus, et nulli vitæ probitate secunda.

R. P. Marcus a Lisbona Lusitanus, ejus vitam lingua Lusitana *b* conscripsit; R. P. F. Philippus de *c* Sosa Hispanus, Hispana; R. P. Fr. Valerius Capuccinus Venetus, in libro V post vitam S. Claræ; R. P. Gonzaga in Historia seraphica, item in codice antiquissimo incerti auctoris ejus Vita lingua Hetrusca reperitur apud D. Verium de Cerchis.

b

c

etiam aliis linguis,

Reliquiæ in altari expositæ.

2 Item ponit qualiter ejus Reliquiæ usque in præsentem diem in maxima veneratione habentur a populo Florentino, tam publice quam privatim, et in præd. ecclesia, ubi dictæ Reliquiæ in capella familiæ Calderinorum, Civium Florentinorum honorifice cum luminibus asservantur; et in publicis solennitatibus in medio d. ecclesiæ super altari publice exponuntur præsertim vero die XIX Maji, in quo dies transitus ejus publico cultu celebratur. Ejus caput in Theca argentea asservatur, cum inscriptione *S. HUMILIANA DE CIRCULIS: HOC FECIT FIERI JOANNES RICARDUS DE CIRCULIS.* *d* Ejus Brachia et Pedes in reliquiariis auro ornatis *e*: Corporis Reliquum in pulcherrima capsula aureata, ad similitudinem sepulcri, asservatur. Ejus annulus, qui paucis ante annis amissus, fuit habitus et tentus semper in magna veneratione.

D

ex proc. mss.

d

e

Testes adducti deponunt,

3 Horum articulorum testes producti et juxta Interrogatorium, a D. Paulo Brosio Procuratore Fiscali propositum, examinati fuerunt infrascripti. XXIV Septembris, Illustriss. et Reverendiss. D. Franciscus, filius qu. Senatoris Joannis de Venturis, Nobilis Florentinus, Episcopus *f* S. Severi in regno Neapolis dixit: *g* Legi in variis historiis et libris de vita hujus Beatæ, quod obierit anno MCCXLVI, die XIX Maji: et scio ei datam fuisse sepulturam ecclesiasticam in una capellarum, *h* intra claustrum sanctæ Crucis, sub aliquo altari, quemadmodum sepeliri solent corpora Sanctorum. Et audivi dici, quod occasione cujusdam inundationis, quæ contigit anno MDLVII, prædictæ sacræ Reliquiæ exemptæ fuerint ex loco illo humido humilique, et in diversas lipsanothecas divisæ, cum magna reverentia; repositæque in Capella sanctæ Crucis aliisque capellis. Similiter audivi dici, quod in reseratione illius antiqui sepulcri, cum sacro Corpore inventa fuerit ipsius sanctæ effigies, picta ad vivum, temporibus illis facta, quemadmodum ex forma intelligitur, in diademate scripta habens hæc verba, *SCTA HUMILIANA DE CERCHIS:* quæ effigies, fortassis ex donatione Patrum sanctæ Crucis, modo invenitur penes D. Verium Cerchi, tunc (ut intellexi) donata ejus avo. Atque hæc audivi ex D. Joanne patre meo, et aliis fide dignis, quorum non recordor.

f

g

h

de translatione facta an. 1557.

E

effigie veteri,

4 Die VI Octobris Illustriss. D. Nicolaus Antellensis, Nobilis et Senator Florentinus et Sereniss. Magni Ducis Hetruriæ Consiliarius status, dixit inter alia: Scio, quod..... cum Laurentius Calderini, pluribus ab hinc annis, quamdam suam *i* capellam in ecclesia sanctæ Crucis decrevisset pretiosissimis marmoribus et picturis nobilibus convestire, impendio millenorum aliquot scutorum; voluit sub altari conficere insigne quoddam sanctuarium, ubi majori cum decore asservari possent sacræ Reliquiæ istius ecclesiæ, quas inter erant etiam S. Humilianæ lipsana: quæ, quia eram unus ex Præfectis fabricæ .... sæpius videre mihi contigit, tam in sacristia, quam postea in d. capella Calderinorum.... Dicitur autem quod fuerit etiam proprius ipsius Sanctæ annulus, in magna veneratione habitus: sed quia ultimo fuit in potestate Caroli Latini qu. Joannis de Albizis, quem sua adversa fortuna coegit a patria recedere, fortunis suis omnibus inter manus Magistratuum et creditorum dimissis: intelligo quod in conturbatione illa præd. annulus fuerit amissus, qui servabatur in operculo holoserici rubri; et scio quod Sereniss. D. Christiana a Lotharingia, Magna Ducissa, avia paterna Serenissimi Ducis modo regnantis Ferdinandi II, maxima cum diligentia fecerit, faciatque etiamnum eum requiri: propter singularem devotionem qua Celsitudo sua, usque adeo fervens in cultu divino, afficitur erga præd. Sanctam, quemadmodum ipsa sua Celsitudo Serenissima, hac de re mecum loquens, sæpius mihi significavit. *k*

conditorio splendide parato,

i

annulo reverenter servato,

k

5 Eadem die Adm. ILL. D. Michael Angelus Leonardi de Buenarotis, nobilis Florentinus, inter alia dixit.... Vidi corpus Sanctæ et ossa conservata in pluribus vasis, exponi tempore Indulgentiarum et aliis occasionibus, quibus visitatur præd. ecclesia: caput

expositione Reliquiarum.

A caput vero conclusum capsæ argenteæ ejus effigiem repræsentanti, in qua antiquissimis characteribus est scriptum, *SANCTA HVMILIANA DE CIRCVLIS*: et additur: *HOC OPVS FECIT FIERI JOANNES RICCARDI DE CIRCVLIS.* Qui quidem Joannes, quemadmodum vidi et cognovi, diligenter scrutatus publicas scripturas nobilis familiæ Cerchorum, proavum habuit D. Consilium de Cerchis, fratrem ipsiusmet Beatæ, vixitque anno MCCCLVI, et adhuc in vivis erat anno MCCCXCI. Effigies autem ejusdem servatur apud D. Verium de Cerchis, picturæ multum antiquæ, et (quantum possum judicare) elaboratæ manu *l* Cimabuæ, pictoris olim famosi; talemque æstimant etiam alii viri nobiles, ac nominatim Clarissimus Senator D. Nerius Alberti, et D. Jacobus Giraldi. Vidi etiam apud D. Carolum Strozzi Officiolum MS. Dominæ nostræ ab anno (quantum apparet) MCCC, in cujus Kalendario notantur ecclesiæ, quæ dietim in hac civitate visitantur totius anni decursu, ubi ad XIX Maji notatur agi festum hujus Sanctæ. Eadem die comparuerunt adm. R. P. Augustinus de Franceschis, Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, *m* et adm Ill. et Clariss. D. B Nerius de Albertis, Senator et nobilis Patricius Florentinus; qui post alia plura; Vidi, inquit, dactylothecam annuli deperditi, quæ est instar amuleti rotundi, affixaque erat schedula indicans Annulum B. Humilianæ: quæ dactylotheca invenitur nunc apud D. Verium Cerchi.

antiquitate statuæ,

et festi,

et dactyloteca:

6 Die X Octobris auditus est Illustriss. et Reverendiss. D. Cosmus, filius Comitis Bernardi della Gerardesca, Comes Donoratici et Castagneti, Dominus Segalari et Petræ Rossæ, Episcopus Collensis *n*. Eadem die Illustriss. et Reverendiss. D. Alexander, filius D. Prinzivallii Stufa, ex Comitibus de Calcione, *o* Episcopus Montis Politiani, inter alia dixit: In libello antiquo MS. vulgari apparet ad XIX Maji usus antiquus celebrandi festum d. Sanctæ: hæc enim ibi verba notantur: S. Potentiana Virgo et S. Petrus de Morrono Papa, et B. Humiliana de Cerchis Florentina: et festum S. Petri de Morrono fit in via S. Galli, et B. Humilianæ festum ad sanctam Crucem, et ibidem est ejus corpus. XI Octobris R. P. Federigus del Riccio, Sacerdos Ordinis Minorum Conventualium S. Francisci, Conventus sanctæ Crucis Florentiæ. XIII Octobris adm. R. P. Laurentius de Matis, Minorum Conventualium S. Francisci ejusdem Conventus. Eadem die adm. R. P. Philippus Antonii de Guidis, Florentinus, Ordinis Prædicatorum Conventus S. Mariæ Novellæ. C

item de festo,

ex Kalendario veteri,

7 Eadem die XIII Octobris, adm. Ill. D. Carolus *p* qu. Thomæ Strozzæ, Nobilis Florentinus, inter alia dixit: Est apud me in membrana libellus, cujus Kalendarium continet omnia festa anni, ac nominatim ea quæ præcipue observantur Florentiæ; estque secundum judicium meum, in summa characteris fundatum, scriptus ab annis circiter, CCL, ubi ad XIX Maji sunt in lingua vulgari verba superius memorata. Scio præterea quod Reliquiæ ejusdem Sanctæ magna cum reverentia serventur in capella Calderinorum, quæ olim Balacciorum fuit. Caput ejus est in busto argenteo, antiquo quidem, sed tamen affabre facto ab annis circiter trecentis; et in pectore sunt verba supra indicata. Joannes autem Riccardi de Circulis, qui ipsum fieri curavit, postea cognominatus est de Riccardis, eo quod fuit expunctus e numero Magnatum, seque fecerit Popularem Florentinum. Hic testamentum suum condidit anno MCCCXCIV die VIII Aprilis, et inter alia legata tale his ipsis verbis Latinis invenitur: Item pro remedio animæ suæ reliquit et voluit, quod in perpetuum fiat et fieri debeat, in ecclesia Fratrum Minorum de Florentia, de mense Maji cujuslibet anni, festum B. D Humilianæ: in quo festo celebrentur Missæ et divina Officia, et in quo anno quolibet expendantur de bonis d. Testatoris floreni decem auri, quos Conventui dd. Fratrum dari voluit per heredes suos. Hactenus verba Testamenti. Quantum ad corpus, juxta quod intelligitur ex Vita, ad illud appensa fuerunt multa vota, quæ credo omnia male periisse injuria temporum; et quia duabus vel tribus vicibus translatum fuit sacrum corpus, forsan etiam dum adornatur repoliturque ecclesia. Annulum existimo ab eo qui ipsum sustulit ex sola devotione retineri, cum sit pretii perquam exigui, et dactylotheca non fuerit simul ablata. XV Octobris D. Franciscus qu. Ser-Marci de Segallonibus, civis et Notarius Florentinus, deposuit de lectis a se Vitis Beatæ, per Vitum Cortonensem et Raphaelem Volaterranum scriptis.

et auctore statuæ

qui etiam festum fundavit,

deque votivis tabellis.

8 Die XVI Octobris, ad instantiam d. Procuratoris, ipse Illustriss. ac Reverendiss. D. Archiepiscopus Florentinus transtulit se, cum Notariis et Testibus, ad ecclesiam sanctæ Crucis, oculata inspectione certius cogniturus, vera esse quæ sunt in Articulo 2 deducta: ubi vidit prædicta omnia. Deinde in sacristia prædictæ ecclesiæ ab eodem E Procuratore in testes producti sunt, adm. RR. Patres Fratres Petrus Maria de Candelinis, dicti Conventus Guardianus, Mag. Marcus Antonius de Lanciottis de Massa, et Mag. Bartholomæus de Procacciolis de Civitate Terni, sacri Officii Vicarius, omnes in dicto Conventu residentes, super recognitione dictarum Reliquiarum, et signanter super eo quod dictæ Reliquiæ sint tales quales denominantur, videlicet Servæ Dei Humilianæ de Circulis, et pro talibus et tamquam tales fuerunt ab antiquis Patribus dicti Conventus ab antiquo tempore, citra prius, in sepulcro reconditæ; deinde in sacristiam dictæ ecclesiæ honorifice expositæ, et postea in hunc locum translatæ, et successivis temporibus sub fideli custodia magnaque devotione conservatæ, et pro Reliquiis dictæ Servæ Dei fuerunt et sunt a dicto antiquo tempore citra usque in hodiernum diem habitæ, tentæ et reputatæ, et habentur, tenentur et reputantur publice et palam a toto Religione præfata, et ab aliis exteris hic in civitate Florentiæ, et alibi de dictis Reliquiis notitiam habentibus.

Inspiciuntur Reliquiæ ab Archiepiscopo,

9 *Hactenus verba Processus, in Summarium quoddam articulorum a Testibus assertorum olim ex originali per nos contractum: aderant etiam Lectiones,* F *compositæ pro Officio, quæ utrum pariter Romæ fuerint propositæ nescio, numquam certæ fuerunt in usum inductæ; hactenus enim de* B. Humiliana *Officium fit de communi nec Virginis nec Martyris, idque sub ritu Duplici, ex usu verosimiliter antiquo. Sed neque Florentinus Archiepiscopus eorum meminit iis in litteris, cum quibus Urbano Papæ VIII Processum a se formatum transmisit, ita scribens*: Beatissime Pater. Pluribus ab hinc seculis ad cœlum, ut pie creditur, evolavit Serva Dei Humiliana de Cerchiis, Nobilis Florentina; quæ talia sanctitatis suæ monumenta reliquit, ut non solum gravissimi auctores præclaro testimonio fateantur, verum etiam illis usque in hunc diem fama respondeat. Quapropter Verius, ex eadem familia de Cerchiis, me etiam atque etiam flagitavit, ut de communi Sanctitatis opinione et Reliquiarum veneratione, Processum ordinaria auctoritate formarem. Quod ea sedulitate feci, qua par est in ejusmodi negotio: nec examinandos admisi testes, nisi religione ac morum integritate conspicuos, ut multi ponderis essent eorum probationes. Exemplar igitur de more clausum meoque sigillo munitum, Joanni Baptistæ de Paglis Notario publico Florentino dedi, qui ad hoc muneris est selectus, ut deferat illud ad vestram Sanctitatem: cui

et Processus Romam mittitur,

A cui post debitas pedum osculationes largissime deprecor ab immortali Deo charismata meliora. Datum Florentiæ, pridie Nonas Decembris MDCXXV.

de quo facta relatione S. Congregationi, respondet illa

10 *Susceptum Processum sacræ Congregationi transmisit Pontifex, illa vero Julio Card. Sabellio relegendum commisit : quod cum Serenissima Magna Ducissa intellexisset, ipsi commendavit pro sua pietate curam sibi negotium; et ab eo responsum accepit, scriptum Romæ* XXII *Aprilis* MDCXXVI, *nihil non libenter ejus causa faciendum. Et postea die* II *Maji respondit Pontifici Congregatio,* In causa ancillæ Dei Humilianæ de Circulis, in qua petebatur licentia celebrandi Officium et Missam in die obitus ipsius, referente Illustriss. Sabellio Processum informativum ab Ordinario, Sacra Rituum Congregatio respondit, Adesse fumum, et concedi posse Remissoriales.

Remissoriales concedi posse.

Fumum intelligere possumus obscuritatem aliquam in explicanda ratione cultus, eatenus B. Humilianæ delati sufficientisque ad probandum exceptionem casus a recentibus Urbani prædicti Constitutionibus : ad hoc enim probandum dandas fuisse Remissoriales indicat Cionaccius Part. 3 *cap. ult. unde hæc sumpsimus; sed Dominos Cerchios Patresque Franciscanos ulterius non* B *perrexisse addit, et istam Remissorialium petendarum curam suis posteris reliquisse. Ceterum cum Missa et Officium in ecclesia sanctæ Crucis fiant de Beata ex Communi, ut dixi; videtur supplicatio non tam pro illis impetrandis fuisse (uti verba sonare videntur) quam pro confirmatione antiqui usus, aut etiam extensione ad alias civitatis Florentinæ ecclesias.*


ANNOTATA.

a *Hanc imaginem supra ante Vitam exhibuimus.*

b *Marci Ulissiponensis Chronica ex originali Lusitano habetur, Hispanice, Italice et Gallice reddita.*

c *Hic partem secundam prædictæ Chronicæ Hispana lingua reddidit, composuit etiam* Hortulum virginitatis *et alia plura, in quibus an* B. Humilianæ *meminerit, ideoque hic ut diversus auctor notetur, nescio.*

d *Titulus hic, teste Cionaccio in ipso statuæ pectore sic exprimitur :*

C 

Asserit autem Cionaccius parte 2, *cap.* 10, *num.* 4 *hujus Joannis patrem Riccardum, filium fuisse Joannis quondam Consilii de Circulis, id est* S. Humilianæ *ex jam nominato fratre Consilio abnepotem.*

e *Idem Cionaccius ait id factum esse anno* 1565 : *ista autem reliquiaria septem fuisse : quorum quatuor forma hexagona, continebant majora ossa cum hac inscriptione supra capitella columellarum, trullatum operculum sustentantium; OSSA BEATÆ HVMILIANÆ DE CIRCULIS : in duobus aliis, ad formam brachiorum excisis, sub simili inscriptione ad basim, quædam ossa brachialia haberi; reliqua esse in eo quod dicitur ad modum sepulcri factum : quæ Reliquiaria ex insignibus adjunctis judicari possint fabricata sumptibus ipsius ecclesiæ : scutula enim tesseraria aut Crucem habent, aut decussata cum cruce brachia S. Francisci,* D *ut passim solent Franciscani exprimere. In his autem Reliquiariis sacra ossa manserunt usque ad annum 1669 et 1671, quando D. Regalis, filia Oliverii qu. Alexandri de Circulis, vidua Balthazaris Sudresii Prætoris, nobilis Segoviensis, novas lipsanothecas faciendas curavit, in easque sacra ossa transferri; hermam quoque argenteam repoliri, restaurarique supra novam ex ligno inaurato basim : quæ nunc eodem quo priora loco honorentur sub altari, ardente continuo ante ipsa lampade : vetera autem reliquiaria esse donata fratribus ipsius D. Regalis, qui ipsa conservant in oratorio suo domestico; in angulo plateæ a Guicciardinis dictæ, ad ingressum vici S. Jacobi, ubi est antiqua turris Rubeorum. Hæc Cionaccius parte 2 cap 4.*

EX PROC. MSS.

f *Hoc ipso anno primum ab Urbano VIII creatus die 9 Junii, atque ita contigit cum adhuc Florentiæ adesse, ubi forsitan consecratus tum morabatur, re familiari composita ad Sedem suam transiturus. Ejus illustre elogium scripsit Janus Erythræus, quod aliaque plura lege sis apud Ughellum Italiæ sacræ Tomo 8. Notat autem Cionaccius, Senatorem, deponentis patrem, optime scire potuisse quæ dixit, utpote conjunctum in primo affinitatis gradu cum Alexandro Oliverii qu. Binduccii de Circulis, avo nunc viventium Dominorum de Circulis, per duas quas duxerant sorores Catharinam et Flammettam de Vectoriis.* E

g *Sequentia et aliorum Testium verba ex Italico Latine reddenda mihi fuerunt.*

h *Circulorum capellam quondam Fr. Arrighi dictam (fuit hic frater ipsius* B. Humilianæ, *factus ad imitationem sororis Tertiarius etiam ipse) ab annis 200 tenet Sodalitas Navitatis. Est autem Oratorium istud sub bibliotheca Manuscriptorum, intra Claustrum. Interim Waddingus et alii sic loquuntur, quasi prima Sanctæ sepultura fuerit intra ipsam ecclesiam.*

i *Hanc Capellam* Calderini *a* Bellaciis, *Bellacii, a* Cappiardis *sub jure patronatus acceperant, ut ait Cionaccius.*

k *Annulum istum necdum repertum intellexi.*

l *Ita olim putabatur : nunc ejus discipulo Giotto peritiores illam adjudicant, uti initio monui, idque Cionaccius tali firmat conjectura :* fuit imago ista, priusquam ad sacellum Circulorum deferretur, inventa intra capsam sacri corporis : ipsa autem capsa istic posita fuit anno MCCCXIV, mortuo jam Cimabua et florente discipulo, hujus ergo credi potius pictura debet. *Est autem eodem teste super asserem picta, tres fere quartas ulnæ lata et proportionaliter longa : habetque in suo limbo subtus appositam particulam aliquam sacri corporis.* F

n Cosmus, *Leonis XI pronepos, novæ illius Sedis Episcopus secundus, creatus an. 1613, vixit usque ad an. 1634.*

o Alexander, *sextus suæ Sedis Episcopus, electus anno 1622 abdicavit sese anno 1640, vivebatque adhuc anno 1644 cum Ughellus Italiæ sacræ Tomum* I *ederet.*

p *Hic est ille,* Senator, *postea* Carolus Strozza, *cujus bibliotheca, collectum habens quidquid antiquariæ cognitionis circa res Florentinas sacras profanasque reperiri potest, prima nobis Florentiæ patuit anno 1661, quæque etiam nunc favore filiorum, paternæ virtutis et doctrinæ heredum, parata est suppeditare si quid forte examen nostrum aut diligentiam in transcribendo fugit.*

APPENDIX AD PROCESSUM

Ex Vita a Franc. Cionaccio Italice edita.

Familia Cerchiorum *seu* Circulorum, *divitiis potens et pietate laudabilis, a seculis aliquam multis in Hetruria floruit : nam hereditario jure tenuerunt castrum Aconense*

A *Aconense in Valle-Sevæ loci ejus Toparchæ (Cattanos ceu Capitaneos dicebant majores) et tempore discordiarum civilium, sub impio Frederico II, inter Nobiles ad regionem Portæ S. Petri spectantes, parti Guelfæ id est ecclesiasticæ et orthodoxæ, contra Gibellinos regios atque schismaticos, constanter adhæserunt. Eadem nobilibus pluribus familiis affinitate connexa per sorores* S. Humilianæ, *Adimaros, Cedernellos, Donatos sibi associavit, ut de aliis interea taceam. Sex autem Sorores* Humiliana *habuit, fratres undecim, ex duplici patris sui thoro. Sed primæ uxoris, quæ Sanctam ipsam haud dubie peperit, nomen latet: secunda, Ermellina de Cambio nuncupabatur, et viro suo Oliverio genuit D Consilium, unde se descendere gloriatur, quæ hodiedum Florentiæ manet, Circulorum domus, estque Illustrissimi Senatoris Alexandri de Circulis, Equitis S. Stephani et primi Secretarii Serenissimæ Victoriæ Roboreæ, matris Magni Ducis Cosmi III hodie feliciter regnantis.*

Ex Circulorum antiqua et nobili familia, natus Eques Alexander,

12 *Tali distentus et intentus muneri, pro sua tamen erga gentilem Sanctam religione numquam desiit cogitare de ipsius gloria quibuscumque posset modis promovenda: quare et imaginem ejus, qualem supra dedimus, æri eleganter incidendam curavit, unde desumpta ectypa longe lateque ipsam facerent innotescere etiam de vultu; et in expanso folio perstrictam vitæ gestorumque epitomen Bononiensibus typis imprimi fecit anno* MDCLXXIII; *et negotium impetrandi ab Apostolica Sede facultatem ad illam Officii Ecclesiastici Missæque; honore prosequendam haud segniter resumpsit: ac denique, congesta undequaque veteri ac nova materia, commisit Francisco Cionaccio Sacerdoti Florentino* B. Humilianæ *Historiam, quadripartito opere sic explicandam,* ut sufficiens daretur certitudo, I de vita, II de cultu ex fama ab immemorabili, III de scriptoribus, IV de notitiis ad ipsam Beatam apparenter spectantibus, *atque anno* MDCLXXXII *editam mihi misit. Stylus prolixus et encomiasticus est, sermo Italicus, typorum forma elegans, modus justi voluminis: quod tamen brevius esse potuisset, omissa fastidiosa deductione auctorum, qui acto in linguis totidemque ex nationibus, alii post alios, et simili fere verborum sensu, meminerunt de Beata, aut eam aliquo modo nominarunt. Quarta vero pars eo magis redundare videtur, quod quæ ibi tranctantur conjecturæ, ipsiusmet auctoris judicio, solum videri possunt ad argumentum assumptum, spectare. Mihi nulla nimia æstimatur diligentia circa Sanctos eorumque memorias; et fortassis pars saltem tertia, ad intentum. Romæ finem non utilis solum, sed necessaria quoque judicata fuerit: non tamen est animus in alterutra parte* C *Latine reddenda, vel tempore meo, vel lectoris abuti patientia. Prima, quæ fere tota ex antiquorum monumentorum jam superius productorum fide pendet, ad eorumdem illustrationem observatiunculas aliquot non inutiles suggessit: ex secunda vero placet hic consequenter supplere nonnulla in Processu ante annos* LVIII *confecto prætermissa, aut postmodum acta: atque ita totam hanc materiam absolvere.*

pro Gentilis Sanctæ honore satagit, et historiam Sanctæ quadripartito edendam curat. Juxta hanc

13 *Quod igitur ad Reliquias attinet, earum particulæ, etiam alibi quam in ecclesia sanctæ Crucis, suam obtinent venerationem. Atque imprimis* in Regali Palatio, quod cognominatur a Pictis, multæ insignes Reliquiæ variis in armariis servantur, venerationique publicæ exponuntur in hebdomade sancta: quando existente ibidem Curia, Dominicum istic adornatur sepulcrum. Et quidem in secundo armariolo exigua dumtaxat particula est; sed in tertio major multo pars, utpote ex spina dorsi nodus integer, argenteo in reliquiario intra duas crystallos: cui ad pedem subscriptum, *BEATÆ HVMILIANÆ DE CERCHI.* In monasterio S. Annæ Florentiæ, unius pedis digitus est, argento illigatus, intra lipsanothecam vetustioris operis, quod et epigraphe indicat rudioribus litteris Latine scripta, *BEATÆ HVMILIANÆ DE CIRCVLIS.* Senis quoque in monasterio S. Petronillæ, alia habetur de corpore ejusdem Sanctæ Reliquia, æri deaurato inclusa atque obsignata fideliter, et cum permissu Ordinarii publicæ venerationi exponitur. Denique Caprariæ apud populum S. Stephani, diœcesis Pistoriensis, invenitur statua pectoralis lignea, partim inaurata, partim coloribus expressa ad viventis similitudinem; ubi ipso in pectore clauditur particula ossea, et auratis litteris lingua Hetrusca subscribitur, *B. HVMILIANA DE CIRCVLIS NOBILIS FLORENTINA.* D

variis in locis coluntur ejus Reliquiæ:

14 *Circa imagines nonnulla ex processu jam olim notavimus, alia ex eodem Cionaccius suggerit non contemnenda. Ac primo, quæ in sanctæ Crucis antiqua stabat, Ordinario Florentino ecclesiam visitante, ipsis Visitationis actis sic Latine inscribitur,* Imago dictæ servæ Dei depicta est in tela, undique ligno aurcato ornata, in forma mulieris, stantis cum radiis et splendoribus more Sanctorum, habituque tertii Ordinis S. Francisci indutæ; et in inferiori parte adest hæc inscriptio, *BEATA HUMILIANA DE CERCHIIS;* in parte vero posteriori apparent inscripta hæc verba, videlicet, *DIFEO BELCARI* MCCCCLXXVI. *Fuit Feus ille litteris ac pietate clarus, et supremum in sua urbe Magistratum gesserat an.* MCCCCLIV, *ipsi Sanctæ pie affectus; cumque sibi suisque sepulturam in æde sanctæ Crucis constituisset, altare eidem ibi erexit, supra quod prædicto anna curavit collocandam præmemoratam imaginem. Hujus campum seu fundum totum deauratum fuisse intelligitur ex testimonio Episcopi S. Severi: qui asserit, eam suo tempore fuisse servatam in sacristia, ex quo scilicet Cosmus I, anno* MDLXV *novo opere ecclesiam istam ornaturus, amoveri jussit omnia priorum altarium monumenta: quod simili occasione etiam altari et imagini S. Bernardini Senensis accidit, pari modo tunc delatæ ad sacristiam, ubi ornat aliud armarium, illi cui* B. Humiliana *superstat ex adverso oppositum.* E

Imago olim collocata in proprio altari, nunc in sacristia cum imagine S. Bernardini:

15 *Ejusdem vero ætatis aut etiam paulo anterioris alia pictura est, in vetustissima S. Florentii ecclesia, hodie ad usus Congregationis Patrum Oratorii translata; ubi* intra capellam assumptæ Virginis hujus in cœlis coronatio repræsentatur, cum duplici bis ternorum Sanctorum hinc et inde ordine, quorum singuli diademate aureo cinctum caput, et in ipso nomen quique suum adscriptum habent, præterquam senex Episcopus unus (quem esse S. Zenobium possumus conjectare, ceteri autem sunt S. Franciscus, Minorum Fundator; S. Bernardus, Clarevallensis Abbas, Tutelaris Palatii; Florentius, Episcopus ecclesiæ titularis; sub his vero S. Julianus Miles, cum Apostolis Petro atque Paulo: ex altero vero latere ad cornu Epistolæ, S. Ludovicus Episcopus, ex Ordine S. Francisci; S. Antonius Abbas, Patronus fabrorum ignem tractantium; et Episcopus ille quem dixi Anonymus; atque sub his S. Joannes Baptista, Dominii Florentini Protector; S. Ursula, Virgo Martyr; et S. Humiliana, in habitu viduali, decussatis devote manibus ante pectus. Sicut autem sub pedibus S. Pauli, genu flexus vir; ita sub Ursula, annosa mulier; sub S. Humiliana, cernitur expressa alia longe junior: denotant autem ipsius tabulæ donatorem, cum suis duabus conjugibus, quos Capitaneus Cosmus della Rena, antiquitatum Florentinarum scientissimus, demonstravit, virum quidem esse Paulum Bernardi de Gangalaudis; mulieres vero Ursinam Gori, quondam Jacobi del Rosso, anno MCCCCXXVII adhuc viventem; et Milianam Lapacceii, quondam Manni de Cerchiis, Paulo conjunctam anno MCCCCXXX. *Hactenus Cionaccius, ubi ex eo quod singuli sub suis pingantur Patronis, recte intuleris,* Ursinam contracte F

alia in ecclesia S. Florentii, ipsam habet inter 12 Patronos,

apud Patres Oratorii festum quoque agentes,

A *contracte dici pro* Ursulina; *et* Milianam *pro* Humiliana *seu Æmiliana. Interim ex hac causa Præfati Patres hujus Sanctæ festum, in dicta Capella atque altari, quotannis innovant die* XIX *Maji, ornantes ipsum floribus sacrisque Reliquiis, cum non parvo populi ad illud concursu.*

Similes publice expositæ inter Sanctos,

16 *Ad prædicta etiam addi potest,* I, quod anno MDXCVI, curante Antonio Buonfanti Tertii Ordinis Ministro, impressa sit supra Indulgentias Ordini isti concessas, imago, continens ejus Sanctos ac Beatos, interque eos Beatam Humilianam de Cerchiis. II, quod cum in solenni ecclesiæ Cathedralis apparatu, quando celebrandæ erant nuptiæ Serenissimi Magni Ducis Cosmi II, cum Maria Magdalena Austriaca, anno MDCVIII, secundum parietem navis lateralis, intra illius pilas subtus fenestras singulas, dispositæ essent Sanctorum Hetruscorum effigies, cum accensis utrimque luminaribus et vario ornatu; suum quoque locum habuerit B. Humiliana, quemadmodum in Processu deposuit Cosmus Minerbetti Episcopus Cortonensis. III, quod cum anno MDCXXII, a natione Florentina Romæ solenniter excipiendum esset vexillum S. Philippi Nerii, ejusdem nationis B ecclesia ibidem ante frontispicium collocatas habuerit imagines Sanctorum ac Beatorum Florentinorum; interque easdem comparuerit beata istæc vidua, sicut ex Relatione festivitatis ipsius, Romæ itidem impressa, demonstratur. *Atque hæc publica omnia : quibus contentus omitto recensere, quot locis et modis, qualive artificio, gestu, ornatu, privatim apud varios, præsertim apud gentiles suos, in eorum oratoriis, domibus, hortis, Beatæ effigies expressa habeatur, cum elogiis et epigrammatis versu ac prosa conceptis : alicubi etiam cum annua vicinorum veneratione.*

plures in ædibus Cerchiorum :

horum legata testamentaria pro ornatu Reliquiarum,

17 *Sed omittere non debeo extremæ voluntatis tabulas, quibus eorum majores, non solum suam expresserunt devotionem erga domesticam Sanctam, sed etiam publicum dederunt testimonium cultus ab antiquo continuati. Primus in his Franciscus Simonis, quondam Berti de Cerchis. Beatæ ex fratre Gerardino abnepos, in priori suo testamento quod dictavit anno* MCCCLXI *die* VI *Junii, non solum* jussit et voluit fieri quoddam ornamentum, pro Reliquiis S. Humilianæ, existentibus intra ecclesiam Fratrum Minorum, in quo expendi voluit florenos viginti auri : *sed et inter alia pia legata, a suis heredibus annue persolvenda,* Conventui Fratrum Minorum, in festo et pro festo S. Humilianæ, *attribuit* libras quinque florini piccioli, *id est, minorum florenorum,* quolibet anno in perpe-C tuum. *Idem in alio testamento suo, ultimo Januarii sequentis,* voluit et mandavit, totum usum, fructum, redditum et proventum *cujusdam suæ* domus, quolibet anno in perpetuum, converti et distribui per executores præsentis ultimæ voluntatis seu per heredes dicti Testatoris; videlicet pro dimidia in faciendo et circa faciendo celebrare quoddam festum S. Humilianæ, quod celebrari solet per illos de domo de Circulis prædictis, in ecclesia sanctæ Crucis de mense Maji. *Alius vero ex posteris D. Consilii, fratris similiter* B. Humilianæ, *Joannes de Circulis cognomento Crassus, quondam Nicolai, qui fuit Ludovici qu. Riccardi de Circulis alibi nominati, similiter testamento suo sub annum* MCCCCXXXVI *ordinavit, ut ex cujusdam domus suæ elocatione duodecim floreni aurei impenderentur Fratribus, ad ejusdem festi celebrationem annuam obligatis.*

et celebrando festo,

alia singularis erga domesticam Sanctam devotionis argumenta.

18 *Omitto dicere, quod Bindaccius Michaelis de Circulis, ex ejusdem Consilii posteris etiam unus, ephemeridibus suis mercatoriis anni* MCCCCLXXX *et* LXXXXVI *præfigens consuetam in talibus Dei Sanctorumque invocationem, post alios speciales Patronos suos, adjungat nomen* S. Humilianæ : *quod ejus nepos Alexander Oliverii cognato suo Francisco Episcopo S. Severi sæpe dixerit, quod vellet sacris ossibus Beatæ perpetuam et* D *decentem condere sepulturam : quod idem per dispositionem testamentariam, casu quo filius suus Verius absque liberis masculis moreretur, summum considerabilem definierit* ad fabricandum in ecclesia vel claustro sanctæ Crucis, aut ibidem in vicinia, oratorium vel capellam ad Dei gloriam et in honorem ipsius Beatæ, cum titulo seu inscriptione memoriam testatoris servatura; *quod idem denique dedicatum ipsi volens domesticum oratorium, in quo sæpe dicta effigies per Giottum picta hodie servatur, illud picturis variis de vita ipsius ornari fecerit, addita, quam S. Severi prælaudatus Episcopus et cultu Latinæ linguæ celebratus composuisse dicitur; inscriptione :* Beatæ Humilianæ, summo Cerchiæ gentis ornamento, ut aliquod monumentum suæ erga illam pietatis domi extaret, ejusque suffragiis ipse universaque familia divino præsidio muniatur, Verius Cerchius, Alexandri filius, agnatus, sacellum posuit : ejusque egregias virtutes insignemque sanctitatem, sibi, familiaribus, posterisque suis tamquam domesti cum exemplum proposuit. *Hæc, inquam, omnia omitto distinctius explicare, quia vel privata sunt, vel deficiente conditione suum non habuerunt effectum : transeo autem ad quædam recentiora beneficia, meritis* B. Hu- E milianæ *attributa.*

EX ITAL. CIONACCII

Anno 1673 invocata Beata Guardianus Minorum,

19 Apud Patres Franciscanos usu pio recepta est annua Patronorum sortitio; ex hac cum anno MDCLXXIII adm. Rev. P. Fr. Francisco Mariæ Cappelli Guardiano B. Humiliana obtigisset; is qui eidem se ex illa die commendabat quotidie, recordatus in Vita ipsa legi, quomodo multos liberaverit Sancta ab arthriticis doloribus, quibuscum ille annum jam decimum conflictabatur; illi quoque suam hanc infirmitatem curandam deferre cœpit, eo dumtaxat fine, ut subditis exemplo communis observantiæ præire posset, maxime per Adventuale et Quadragesimale jejunium. Hac concepta fiducia instituit communem cum ceteris abstinentiam a carnibus et lacticiniis, quamvis dehortarentur tam medici quam Fratres, scientes alterius generis escis aggravari malum. Et ille quidem usque ad diem S. Thomæ feliciter prosecutus jejunium est : sed cum pridie Vigiliæ Natalis Domini pluscolum ambulasset per civitatem irritatum eo vetus malum, tam molesta fluxione occupavit pedem, ut timeret ne festa ipsa claudicans agere, ac deinde lecto incumbere cogeretur. Sed timorem hunc dispulit nova fiducia, in Sanctam suam Advocatam concepta; cumque ad ejus effigiem conversus dixisset, Non possum credere, o B. Hu- F miliana, quod permissura sis, ut nequeam sacris hisce diebus in choro et aliis functionibus servire Deo; ad lectum se contulit eo vespere; et non obstantibus doloribus somnum noctu cœpit, ac mane totus liber surrexit. Igitur eadem fiducia suscepit etiam jejunare per Quadragesimam, et absque solito cruciatu pervenit ad Pascha : sed tertia ejus feria pedis dextri major digitus consueto humore incaluit, lectoque affixit hominem; unde tamen intra triduum surrexit, invocata iterum sua sancta liberatrice.

liberatur a Podagra;

Carmelitæ cuidam levatur ingens dolor capitis :

20 Adm. Rev. Patri Mag. Fr. Hieronymo Castaldi Florentino, Ordinis S. Mariæ de monte Carmelo, mense Junio anni MDCLXXII, advenit tertiana febris, cum cruciatu capitis tam intenso, ut eis levandis cum nihil profuisset una venæ sectio, alteram a medico postularet infirmus. Sed quia priusquam id posset executioni mandari febrile frigus denuo rediit, B. Humilianæ recordatus, cui lecta ipsius Vita cœperat pridem devotius affici, cruciatuum cephalicorum, qui majorem sibi quam febris solicitudinem incutiebant, remedium ab ea petiit; identidem corde atque ore replicans, B. Humiliana ora pro me. Deinde ab assistentibus sibi petiit dari propriam illius Orationem cum Antiphona suprascripta, et

EX ITAL. CIONACCII

A postulatam gratiam impetravit. Subeunte enim post frigus calore, cum quo solebat cephalalgia exurgere, evanuisse illam lætatus est, neque redeuntibus febribus illa rediit amplius. Cumque ea res accidisset sub id temporis, quo solent regionariæ per urbem supplicationes institui, ante festum S. Joannis Patroni Dominii Florentini, quibus interveniunt Regulares cum Prioribus et Rectoribus parochiarum; infirmus Magistrum Novitiorum aliosque Patres eum comitaturos rogavit, ut sequenti mane, quando venissent ad sanctæ Crucis, ante Reliquias S. Humilianæ singuli Ave Maria recitarent pro se in gratiarum actionem: quas deinde ipsemet pleniores obtulit liberatus a febri.

Plebano S. Miniati suppressa per calculum urina solvitur.

21 In oppido S. Miniati ad Tudescum gravibus doloribus calculi, cum periculosa urinæ suppressione, affligebatur D. Abbas Carolus Ceccherelli, Plebanus S. Joannis de Valle-Volæ, cumque multas horas in ejusmodi cruciatu traduxisset, decreverat medicum chirurgumque accersere. Interim non oblitus auxiliorum spiritualium requirendorum, gossypium attactu Crucifixi San-Miniatensis consecratum applicuit eo loci ubi suppressi humoris sentiebat onus, seque B. Humilianæ commendavit, cujus B Vitam folio volanti expressam una cum imagine, primum acceperat: et paulo post iterum ipsam invocavit, Orationemque Dominicam cum Angelica salutatione eidem recitans, optatam consecutus est gratiam. Etenim remoto obice et absque dolore profluxit urina copiosissima, nec a die IV Decembris anni MDCLXXIII, quo id accidit, simile quid deinceps passus est. Eidem porro accidit sequenti Januario, quod cum ancilla calefaciendo lecto ejus, cui appensam habebat prædictam imaginem, foculum imposuisset; ipse cubitum veniens, reperit, combusto sub quo testula terrea ignem continens suspenditur ponticulo ligneo, fractam testam et carbones toto lecto sparsos; eoque in statu res fuerat totis tribus horis, quantum statui per conjecturas poterat. Metuens

et incendium restinguitur:

ergo ne omnia jam arderent cum incendii latius spargendi periculo, invocavit B. Humilianam: deinde D cuncta diligenter excutiens, reperit, præter partem inferioris lodicis ac primæ culcitræ, nihil esse violatum ab igne: atque gratiam utramque Sanctæ acceptam retulit.

alteri Curato dissipantur molestæ tentationes,

22 Sub finem ejusdem mensis Januarii D. Oliverius Cionini, Presbyter Curatus in oppido Ciarlini, quia prædictam in folio Vitam legi audiverat, firmam spem concepit remedii a Sancta obtinendi, et liberationem a molestis quibusdam tentationibus suggestionibusque, quibus a Missa celebranda abstrahebatur: et quod interno animi voto postulaverat consecutus, fatetur etiam, quod intercedente Beata sanatus fuerit a gravissima scabie, quæ totum tumefecerat, lectoque affixum prohibebat vel tantillum proloqui. Cum enim continuis sex diebus interna prece exorasset Sanctam, curatum se ab illo fastidioso morbo reperit; non obstante frigida illa anni tempestate, et omnis remedii naturalis defectu.

et scabies sanatur

Inquisitionis Genuen Fiscali

23 D. Dominicus Vasalli Doctor V. I. et Advocatus Fiscalis in officio sacræ Inquisitionis Genuæ, idemque Presbyter, lecto affixus in vere anni MDCLXXIII E propter dolores quos illi pariebat pes inflatus, ad B. Humilianæ intercessionem recurrit, erga quam conceperat multam devotionem lecta ejus vita, et audito P. M. Fr. Sixto de Cerchiis S. T. D. ex ordine Prædicatorum. Munus hic Inquisitoris generalis exercuit Bergomi, Brixiæ, Placentiæ, Genuæ, Bononiæ, ac modo idem exercet Mediolani; et occasione cujusdam Reliquiæ de corpore S. Humilianæ, quam Florentia transiens ibi obtinuerat anno MDCLXVIII, illius devotionem erga Sanctam quaquaversum spargebat. Audito ergo P. Sixto prænominato, et visa Sanctæ imagine, intercessionem illius petiit prædictus Dominicus: et mane sequenti pene liberum se ab omni incommodo sensit, nec diu post plenam recepisse sanitatem est professus.

sanatur pes inflatus.

DE S. PETRO COELESTINO

PONTIFICE ROMANO.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

C De veteri ac recentiori cultu: de Vita primum ab ipsomet scripta atque per Syllogen veterum monumentorum supplenda; tum a Jacobo Card. Cajetano de Stephanescis carmine, prosa vero a Jacobo de Alliaco et Maffæo Vegio aliisque; et Italice a recentioribus, ex quibus sumptum Supplementum historicum: denique de anno mortis. F

ANNO MCCXCVI.

Ex eremita factus Papa, renuntiavit anno 1294,

Inter illustres hujus diei Sanctos satis eminet Petrus Cœlestinus, *fundator Ordinis Cælestinorum, qui cum* Murone *seu* Morone *et aliis vicinis Aprutii citerioris locis eremita viveret, fama sanctitatis et miraculorum clarus, in Summum Pontificem assumptus, eamdem dignitatem reliquit, et* perfecte renuntiavit Papatui, *quod Alvarus Pelagius, auctor fere coævus, libro 2 de Planctu Ecclesiæ art. II arbitratur* majus miraculum, et majus veriusque humilitatis exemplum, quam aliquod quod fecit. *Electus fuit anno* MCCXCIV, *die* V *Julii, coronatus* XXIX *Augusti in Dominica, festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, abdicavit se die* XII *vel* XIII *Decembris: obiit deinde hac* XIX *Maji sive (ut passim auctores)* XIV *Kal. Junii. Bellinus in Martyrologio, secundum morem Romanæ Curiæ Venetiis anno* MCCCCXCVIII *excuso, ista habet ad hunc* XIX *Maji.* Eodem die S. Petri Cœlestini de Morono, qui quoniam renuntiavit summo Pontificatui, Canonizatus extitit ab Ecclesia tantum pro simplici Confessore. *Quæ etiam inde descripsit Molanus in Auctario Usuardi. Verum jam de mandato Clementis Papæ IX, sub data* II *Julii* MDCLXVIII, *in tota Ecclesia Romana celebratur festum ejus cum novem Lectionibus, quarum una dumtaxat propria est; et recitatur Officium de Confessore Pontifice: quod sub ritu Duplicis fieri nuperrime jussit Innocentius Papa XI. In Martyrologio, Coloniæ et Lubecæ anno* MCCCCXC *impresso, ista solum habentur:* Et S. Petri Cœlestini Confessoris, a quo Ordo Cœlestinorum dicitur. *Grevenus Carthusianus Coloniensis, in Additionibus ad Usuardum anno* MDXV *et* MDXXI *excusis, ista scribit:* Petri Confessoris, qui et Cœlestinus Papa quintus. Hunc ob vitæ sanctitatem Cardinales, cum jam Sedes Apostolica biennio vacasset, elegerunt. Sed ipse, soli Deo vacare cupiens, post quinque menses sarcinam deposuit, et seipso semper melior factus, quievit

Memoria in sacris fastis,

nunc toti ecclesiæ festiva cum Officio

A quievit in pace. *Quæ eadem leguntur in Martyrologio Germanico Canisii. Similia habent Maurolycus, Galesinius, aliique cum Martyrologio Romano: item Wion, Dorganius, Menardus, et Bucelinus in fastis Benedictinis, et consonat hæc de illo Ecclesiæ Oratio:* Deus qui B. Petrum Cœlestinum ad summi Pontificatus apicem sublimasti, quique illum humilitati postponere docuisti, concede propitius, ut ejus exemplo prospera mundi despicere et ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur.

Vitæ initia ab ipsomet scripta,

2 *Vitæ suæ Eremiticæ initia Sanctus ipse simplici stylo descripsit, prout est primo loco edita inter ipsius opuscula anno* MDCXXXX *Neapoli per Cœlestinum Telleram: hanc ergo, una cum aliis coævorum auctorum scriptis, electionem ad Papatum, abdicationem, canonizationem et corporis translationem continentibus, primo loco damus, sub communi titulo* Sylloges antiquiorum monumentorum: *addituri aliquando, si Patribus Ordinis istius visum fuerit talia communicare, quidquid discipuli ejusdem Sancti de rebus a se visis notarunt: varia enim hujusmodi scripta haberi in ordine indicat, qui iis usus est, Lelius Marinus infra laudandus. Interim secundo damus insigne et hactenus ineditum opus*

B *datur etiam opus carmine scriptum,*

metricum de hoc argumento Jacobi Cajetani de Stephanescis, S. Georgii ad Velum aureum Diaconi Cardinalis, *ab ipsomet Cœlestino Papa ad ecclesiastica munia promoti, deinde a Bonifacio successore, Cardinalium sacro Collegio adscripti: qui, sicuti in Præfatione de se ipso narrat,* ex veridica re, velut præsens, videns, ministrans, palpans, et audiens, notusque Pontifici, quin Pontificibus carus, impactam compegit metrisque refudit historiam, *ab obitu Nicolai IV usque ad Canonizationem Sancti. Est autem opus illud triplex, et tribus diversis temporibus compositum, ac denique uno volumine descriptum, missumque Abbati et monachis sancti Spiritus Sulmonensis anno* MCCCXIX. *Primum de electione, vita et abdicatione Cœlestini, tribus constat libris; fuitque compositum a necdum Cardinali. Secundum duobus libris agit de electione et coronatione Bonifacii VIII, multis de causis hic necessarium, scriptum vero quinque annis post a jam Cardinali, eis inserente quæ pridem sub Nicolao IV cœperat animo meditari scribenda de ceremoniis ordinationis et consecrationis Pontificiæ. Tertium iterum tribus libris tractat gesta S. Petri post abdicationem, Canonizationem, atque miracula. In omnibus autem plurima habentur ad historiam spectantia, nec alibi tam distincte invenienda: quibus etiam illustrandis plurimum conducet Prosa, per modum argumenti sive Synopseos initio præposita. Plurimum usus hoc poemate Marinus est, usus est et Odoricus Rainaldus in Annalibus ecclesiasticis, nec non Ciacconii instaurator interpolatorque Oldoinus noster, Jacobi versus allegando sæpius, nec versus tantum sed etiam prosam versibus additam explicationis causa. Horum indicio intelligens, quanti opus istud momenti esset ad historiam præsentem, non prius acquievi, quam ipsus ecgraphum integrum Roma acciperem; sicut accepi ex MS. Vaticano, collato cum ecgrapho autographi Sulmonensis, existente apud Patres Cœlestinos Romæ, operam et laborem ad hoc conferentibus R. P. Joanne Francisco Vannio, Hebraicæ linguæ in Collegio Romano Professore et Conrado Janningo.*

Jacobo Card. Georgii,

ex MS. quo usi Marinus et Odoricus:

C

integra a Petro de Alliaco,

3 *Operi isti satis prolixo, neque ad eorum gustum futuro qui Vitas Sanctorum malunt absque parergis stylo dilucido ordineque historico digestas legere, subjungimus eam quam annis post Stephani scriptionem* LXX *c[illegible]bravit* Petrus de Alliaco, *vir libris quam plurimis editis clarus: qui ex Aniciensi factus Episcopus Cameracensis anno* MCCCLXXXVIII, *et anno* MCCCCXI *creatus Cardinalis titulo S. Chrysogoni, interfuit Concilio Constantiensi anno* MCCCCXV. *Scripsit is Vitam* S. Petri Cœlestini, *rogatus ab ejus Ordinis Fratribus, iis scilicet quibus monasterium Parisiis fundaverat Rex Carolus V, consilio verosimiliter Petri ipsius, tunc Confessarii sui;* D *adeo ut vetus fuerit Petro cum illis Religiosis familiaritas, inita prius quam Episcopus fieret, cui ut familiaritatis fructus dici possit hæc Vita postea scripta,* cum jam fere triginta annis Ecclesia Christi horrendo dissidio ac nefando schismate lacerata manebat, *uti lib. 2 num. 14 affirmat. Cœpit autem illud Schisma post mortem Gregorii XI anno* MCCCLXXVIII, *ac proinde anno* MCCCCVIII *elapsi erant triginta anni, ultra quos Ecclesia usque ad Constantiense Concilium adhuc dilacerata mansit. Edita hæc Vita primum Parisiis fuit anno* MDXXXV *apud Franciscum Stephanum: deinde recudi ipsam fecit Laurentius Surius, tenuiter hinc inde stylo emendato: nos eam primigenio stylo damus, ex MS. codice cœnobii Rubeævallis Canonicorum Regularium, in duos divisam libros: quorum prior deducitur ex iis quæ ipsius Sancti propria manu fuerant annotata; in secundi vero libri Præfatione testatur auctor, se* illa scribere, quæ de viro sancto a devotis suis Fratribus, veridicis utique ac fidelibus auctoribus, tradita sunt, et in veritatis testimonium etiam a Sede Apostolica confirmata. *Narrata deinde ejus morte num. 19 ista scribit:* Alia pene innumera virtutum atque miraculorum signa, quibus vir sanctus ante et post mortem claruit, hic narrare omittimus, et ad ea quæ de his diffuse scripta sunt, et diligenti examine certis auctoribus et veridicis testimoniis approbata, lectorem remittimus. E

AUCTORE D. P.

circa an. 1408.

4 *Hæc Petrus Cardinalis de Alliaco: cujus tempori proximus fuit* Maphæus Vegius, *Laudensis; qui, forsan nescius scriptionis Petri de Alliaco, et ipse Vitam* S. Petri Cœlestini *composuit, atque in libros tres digessit, ex quibus librum secundum sic exorditur:* Hactenus quæ de se ipsemet scripta reliquit exposuimus: cetera nunc, quæ ab aliis carptim memoriæ mandata sunt, quanto poterimus verborum ordine, factorumque veritate narrabimus. *Usus hic videtur Processu ad Canonizationem formato, ad quem Petrus de Alliaco Lectorem remiserat, et strictim varia miracula narrat. Vitam hanc manuscriptam reperimus Romæ in bibliotheca Vallicellana Patrum Congregationis Oratorii S. Philippi Nerii, in tomo E contentam, quam auctor se absolvisse in fine addit,* Romæ ad S. Petrum IV Nonas Majas anno MCCCCXLV. *Scripsit deinde Vitam S. Bernardini Senensis, dandam ad diem* XX *Maji, absolutamque* Romæ apud S. Petrum Kalendis Junii anno MCCCCLIII. *Mortuus denique anno* MCCCCLVIII *sepultusque idem Maphæus est apud Augustinianos in sacello S. Monicæ: cujus marmoreum sepulcrum mira arte elaboratum, erigendum tunc curaverat, cum hujus Reliquiæ Romam transferrentur, uti* IV *Maji ad Vitam S. Monicæ dictum est. Eadem Vita* S. Petri Cœlestini *per Maphæum Vegium extabat etiam Romæ in Bibliotheca Ducis Altaempsii, et apud Abbatem Angelum Riccium, laudaturque a Ciacconio, velut* eleganti sermone scripta. *Quia tamen in plerisque solo stylo differt ab altera Petri de Alliaco; miracula vero, quæ insuper habet, plenius distinctiusque possunt aliunde haberi; non judicavimus ejus, licet hactenus ineditæ, accessione augendam operis hujus molem; sed satis habuimus, Annotationibus hinc acceptis subinde illustrasse Vitam priorem, eoque potiorem nobis, quod gravior auctor maturiori etiam quam Maphæus judicio scripsisse videatur: qui tamen si habuisset vidissetque opus Cardinalis Stephani, æquior fuisset memoriæ Bonifacii successoris, minusque credidisset Francis, multa de eo calumniose commentis. Invenio præterea apud Philippum Alegambe, in Bibliotheca Scriptorum Societatis nostræ, quod Vincentius Mastareus Italice scripserit* Vitas SS. Petri Cœlestini, Bernardini Senensis et Equitii Abbatis, quos habet Aquila Patronos: *sed qui librum Neapoli*

F

alia a Maphæo Vegio scripta an. 1445:

qua omissa,

A *Neapoli impressum anno* 1628 *Romæ vidit meoque jussu examinavit Conradus Janningus, significavit, nihil eo contineri, quod in rem meam verti possit, ejusque acquirendi curam sic mihi exemit.*

AUCTORE D. P.

5 *Extremo igitur loco dabimus* Supplementum historicum, *bene amplum, acceptum ex opere Italico* de Vita et miraculis S. Petri de Morrone, quondam Cœlestini Papæ V, collecto per D. Lelium Marinum Laudensem, Congregationis Cœlestinæ Abbatem Generalem, *sub annum* MDXVIII, *uti legitur in fine; licet opus istud primo prodierit Mediolani, dedicatum Ordinis Protectori Mauritio Cardinali Sabaudiæ Tit. S. Mariæ in Vita-lata, anno* MDCXXX. *Hic siquidem diligentissimus Auctor, præcipuorum suæ Congregationis monasteriorum Archivia perscrutatus, non solum præ oculis habuit fideliterque allegavit Auctores, quotquot ante eum de Sancto egerunt, editos atque ineditos (præter Vitam a Maphæo scriptam, et elogium Sancto datum ab Anonymo, de quo mox) sed etiam Processum Canonizationis, ejusque Summarium; et inde, ipsis pene Testium deponentium verbis, singula expressit, quæ ad historiam præsentem faciunt, curiosus observator circumstantiarum etiam minimarum, loca, tempora, personasque spectantium. Opus illud habuit prælaudatus* Tellera *Sipontinus, ex eoque collegit stylo Latino breviorem Vitam, Opusculis ipsius Sancti nunc præfixam, de mandato D. Francisci ab Agellis, Abbatis similiter Generalis : quam sic contractam anno deinde* MDCXXXXVIII, *idem Tellera studio novo recognovit, atque Italice redditam Bononiæ edidit, in fronte sacrarum Historiarum sui Ordinis, hominum in eodem fama sanctitatis illustrium vitas et elogia complexarum, quas dedicavit Fabricio Campana, Vicario generali Apostolico ejusdem sui Ordinis. Marini etiam opus habuit plurimumque laudavit Joannes Vincentius Ciarlantus, Archipresbyter Cathedralis Æserniensis, in Memoriis historicis Samnii, Italice editis Æserniæ anno* MDCXXXXIIII, *pluribus de* S. Petro Cœlestino *agens lib. 4 cap,* 16, 17, 22 *et* 24. *Denique D. Vincentius Spinelli, Abbas et Procurator generalis Cœlestinorum, Lelio duce usum se præcipue fatetur in Vita quam edidit Romæ anno* MDCLXIV.

datur Supplementum historicum ex Italico Lelii Marini,

unde etiam epitomen suam Telera,

B

Ciarlantus aliique sumpserunt.

6 *Alii Auctores, qui ex professo Vitam Sancti scripserunt, præsenti vel superiori seculo, necdum a nobis nominati, consulti tamen et quandoque allegati in Notis, Latina quidem lingua habentur duo ex ipso Cœlestinorum Ordine Franci,* Dionysius Faber *et* Benedictus Gononus. *Dionysius Prior fuit Heverleensis monasterii prope Lovanium, deinde Regii Parisiensis, sub annum* MDXXXVIII *excuso libro, quem ibidem anno* MDCLXII *donatum accepimus a R. P. Francisco Gervaise Priore. Profitetur autem Faber iste se dare Vitam, a Petro quidem de Alliaco compositam, a se vero* locupletatam *et* stylo limatiori donatam. *Benedictus, inter Vitas Patrum Occidentis, impressas Lugduni anno* MDCXXV, partim ex Petro et Dionysio, partim ex aliis antiquis monumentis *Vitam contexuit, legendam lib. 6 pag.* 344 *et seqq. Italica lingua reperimus a Marino allegatos in proœmio* Octavianum de Bononia *Cœlestinum, a quo extet Vita anno* MD *Bononiæ edita; et* Poetam Nocturnum Neapolitanum, *ternariis vulgaribus ibidem Bononiæ anno* MDXX *impressis; sed neutrum adhuc videre potuimus. Vidimus autem et habemus, quam Paulus Regius, Sacræ Theologiæ Doctor, singulari primum libro Neapoli edidit anno* MDLXXXI, *deinde Vico-equensis Episcopus, in ipsa suæ Sedis urbe recudendam curavit anno* MDLXXXXIII, *principio Tomi* 2 *de Vitis Sanctorum Regni Neapolitani distinctam per capita* XXV. *Atque hi sunt fontes, ex quibus deinde alii aliique recentiores; variis locis et linguis, sumpserunt* S. Petri Cœlestini *breviores vitas elogiaque, nequaquam hic sigillatim enumeranda.*

Alii de Vita scriptores Latini,

C

et Italici.

7 *Ad annum mortis quod attinet nihil eo certius videtur haberi posse. Nam Jacobus Cardinalis in Prosa præliminari, ait quod* anno MCCXCVI Kalend. Junii defunctus est *Sanctus, et Petrus de Alliaco, quem passim omnes alii scriptores secuti sunt : dicit enim lib.* 2 *num.* 18, *quod* cum die Pentecostes Missam devotissime celebrasset *Sanctus*, dissolutionem sui corporis infra proximam Dominicam imminere prædixit, *et* die Sabbathi hora vespertina emisit spiritum : *Bulla autem Canonizationis,* quarto-decimo Kalendas Junii festum ejusdem *præcipit celebrandum;* qua d*i*e *inquit idem Petrus, num.* 19, post labores hujus vitæ in Christi pace quievit. *Talis autem concursus primi post Pentecosten Sabbati cum* XIX *die Maji habetur anno* MCCXCVI, *quando Cyclo Lunæ* V *Solis* XVII *Litteris Dominical.* A G, *Pascha celebratum fuit* XXV *Martii, et festum Pentecostes* XIII *Maji. Huic autem deductioni conformiter etiam idem Petrus carcerem Sancti in arce Fumonensi* decem mensium spatio *definit. Anonymus in MSS. Vitis Pontificum usque ad annum* MCCCXXX *deductis, adeoque solum* XX *annis post Vitam ab Alliacensi dictatam scriptis, agens de Cœlestino,* Super vixit, *inquit,* abdicationi suæ anno uno, menses quatuor, dies XXXVIII, mortuus Sabbato infra Octavam Pentecostes, scilicet XIV Kal. Junii anno Domini MCCXCVI... Sanctorum Catalogo annotatus MCCCXIII, a transitu vero suo XVII. *Consentit etiam quoad annum Domini Maphæus Vegius; sed, omissis quas Alliacus notaverat circumstantiis festivitatis Pentecostalis, solum addit, egisse Sanctum, quando obiit, vitæ suæ annum* LXXXVII.

D

Mortuus passim creditur Sanctus anno 1296,

Sabbato infra Octavam Pentecostes 19 *Maji,*

E

8 *Interim Ptolomæus Lucensis, tunc cum res agerentur vivens et scribens, primum in suis Annalibus excusis, cum varia anni* MCCXCVI *gesta narrasset, sequentem sic orditur :* Anno Domini MCCXCVII, Bonifacius contra Columnenses processum facit, occasione Stephani de Columna, qui thesaurum Papæ fuerat deprædatus : prædicti vero Cardinales, videlicet Dominus Jacobus et Dominus Petrus de Columna, contra dictum Bonifacium libellum scribunt famosum, quem direxerunt per omnes partes mundi Principibus et Universitatibus Scholarum, asserentes ipsum non esse Papam, sed solum Cœlestinum. *De cujus quidem morte nihil amplius in his Annalibus Ptolomæus : sed in Historia Ecclesiastica, diffusius exarata, inter Barberinæ Bibliothecæ Codices MSS. lib.* 22 *inserens, quam infra damus Cœlestini Vitam, concludit cum narratione mortis et Canonizationis atque ait :* Tentus igitur in custodia, non quidem libera, honesta tamen in castro Fumonis XIV [Kal.] Junii moritur : et in quodam monasterio sui Ordinis, quod dicunt Antonii, retro altare sepelitur, anno Domini MCCCII, ut tradunt. *Canonizatio autem acta est* apud Avenionem anno MCCCXIII, a transitu ejus anno X vel XI. Fuit instituta ipsius festivitas celebranda XIV [Kal. Junii], qua die ipse migravit ad Dominum. *Festinanti librario exciderat quidem τὸ* Kal. *sed determinatio festi satis indicat eam fuisse ex mente Auctoris supplendam; restat ergo solum considerandus annus, quærendumque an is possit aliunde confirmari vel infirmari.*

Ptolomæus ejusdem meminit ut anno 1297 *adhuc viventis,*

F

et solum mortui an. 1302,

9 *Ut ergo auctoritate Ptolomæi præcitata parum moveamur, facit Stephanus Cardinalis, propior et intimior rebus gestis, et æque coævus Sancto; atque ipso forsitan Ptolomæo senior, Guilielmus de Nangis, certe priusquam ipse scribere desinens, et Chronicam suam finiens cum anno* MCCC. *Hic enim ad annum* MCCXCVI *sic loquitur :* Cœlestinus Papa depositus diem clausit extremum.... Petrus et Jacobus de Columna S. R. E. Cardinales, qui Cœlestini Papæ depositionem indebitam fuisse et injustam Bonifacii promotionem fieri adstruebant, per hoc Romanam Ecclesiam intendentes schismate commoveri, a Cardinalitate per Papam Bonifacium deponuntur, et bonis omnibus ecclesiasticis,

sed contra faciunt propior Stephanus et antiquior Ptolomeo Guilielmus de Nangis,

A ticis et beneficiis sunt privati. *Dicamus igitur controversiam cum Columnensibus, Petro adhuc vivente cœptam esse; et hanc causam fuisse arctioris custodiæ: eadem vero controversia post Cœlestini obitum magis etiam incalescente, late dispersum fuisse libellum, jam ante forsitan editum, coactumque Bonifacium durius procedere, et sententiam demum pronuntiatam anno* MCCXCVII. *Ptolomæum vero, in suo Torcellensi Episcopatu tunc forte degentem, ea non satis distinxisse: et cum legisset mortuum esse Petrum* XIV Kalendas Junii in sabbato, *requisivisse annum tali concursui aptum, itaque ad annum* MCCCII *usque procurrisse. Sane credibile vix est ab æmulis Bonifacii sparsum fuisse rumorem quasi adhuc viveret Cœlestinus; cum ejus mortem proclamarent miracula statim ad sepulcrum cœpta fieri: quorum etiam unum, a Lelio Marino ex MSS relatum, evidentissime concludit contra Ptolomæum. Est illud de Antonio, Cardinalis Sabinensis Presbytero domestico, primum facto Lunensi Episcopo: qui gravi correptus morbo ejusdem Cardinalis monitu recurrit ad opem Cœlestini, jam mortui et miracula patrantis, invocandam; eamdemque expertus sepulcrum adivit ipse, et aureo peristromate locum adornavit, ac Romam lætus rediit. Etenim* B *ex duobus Antoniis, qui hac fere ætate Lunensem Ecclesiam regendam susceperunt, apparet non posse Genuensem intelligi, anno* MCCCXXXVIII *creatum in Gallia, quo jam inde ab anno* MCCCV *tota Curia transierat; sed intelligendum eo seniorem Antonium Bajocensem, quem Ughellus tom.* I *Italiæ sacræ ex Registro Bonifacii promotum ab hoc esse docet anno ejus* III, *Idibus Maji, id est anno Christi* MCCXCVII. *Qui autem tunc erat Cardinalis Episcopus Sabinensis Gerardus, et consilium invocandi Sancti dedit, sicut in ejus epitaphio legitur, obiit quando* Martius intrabat, *et* annos Domini numerabant:

item sanitas Lunensi Ep. Antonio collata anno 1297,

M semel, et C ter, bis I, *id est,* MCCCII.

Neque refert quod eadem narrans Faber cap. 44, *non* Gerardum *nominet, sed* Guillermum: *videtur enim nomen istud pro more seculi per solam litteram initialem G scriptum reperisse, et male intellexisse eum, qui anno* MCCCXII *creatus in Gallia, ibidem obiit* MCCCXXXVI, *adeoque neutrum Antonium vidisse Episcopum Lunensem potuit.*

10 *Jam quod ad ætatis annos attinet; præfatus* Guillielmus de Nangiis *ait, fuisse Petrum, cum eligeretur Pontifex,* ætatis ut putatur annorum septuaginta et amplius, validum tamen: *quod autem* decrepitæ ætatis *vitium tempore depositionis accuset Ptolomæus,* C *solum arguit eorum exaggerationem, qui* impotentiam senectutis *in sancto viro causabantur: interim vero videntur Alliacensis et Vegius æqualiter ambo erravisse in numero, per excessum unus, per defectum alius. Nec scio quid statuere debeam de Lelio Marino, anno* MCCXV *natum Sanctum definiente, juxta quem* LXXIX *annorum is fuisset cum electus est Pontifex: quia solitus alibi Auctores suos accurate notare in margine, hic neminem indicat, solum ait* de mense ac die quo natus sit Petrus nihil scriptum inveniri; *quasi innuere velit inveniri annum, a se tam asseveranter notatum. Quod si eum ex testimonio non satis certo claroque definivit, daretur locus suspicandi, annorum dumtaxat* LXXV *fuisse Petrum cum obiit, adeoque anno* MCCXXI, *venisse in lucem. Cum Guilielmo de Nangiis congruit Jacobus Cardinalis, qui in fine libri* 2 *v.* 53, *ait Sanctum solitariæ vitæ exercitiis.*

dicique potest Sanctus,

Intendisse animum decies tribus amplius annis,
Forte decem geminis——

unde numerus annorum quinquaginta exurgit; qui, additis viginti annis in patria traductis, efficiunt septuaginta; neutri autem anni tam præcise sumuntur, quin additis annis fere duobus, qui inter diem electionis et mortis fluxerunt, exurgere possit numerus annorum LXXV; *maxime, si concipiamus, quod Auctores definientes annos conversationis Eremiticæ, inceperint eos numerare* D *a tempore, quo venit in Murronem; non computatis tribus annis quos antea alibi egerat. Ita Petro de Alliaco,* sexaginta quinque annos vitæ *numeranti, exciderit denarius, et Maphæo Vegio annos ætatis* 87 *scribenti per cyfras, aut iis qui ipsum transcripserunt, obrepserit alius aliquis error, de quo laborandum nobis non est, testes propriores et coævos habentibus.*

solum egisse annum 75 cum obiit.

AUCTORE D. P.

SYLLOGE

Vetustiorum monumentorum

ex variis libris collecta.

CAPUT I.

Confessio S. Petri de Actis adolescentiæ suæ usque ad Sacerdotium.

Inter *Opuscula* S. Petri Cœlestini *edita, primum locum merito occupat,* Vita, quam idem sanctus Pater scripsit, et in sua cella reliquit, dum inde factus Papa recederet: *ita Telera, Titulum quem voluit* E *opusculo illi præfigens, quod malim, exemplo sancti Augustini,* Confessionem *appellare animi humilis, divina in se beneficia expendentis atque ad discipulorum instructionem privatam scripto mandantis; eamque bifariam dividam sic ut Capite* I *gesta ante Sacerdotium, Cap.* 2 *reliqua explicentur: quæ licet apud auctores vitæ quadamtenus legantur, præstat tamen ex ipsiusmet Sancti ore et calamo nudam accipere veritatem: quam pollicetur sic exordiens,* Venite, et audite me, et narrabo vobis, qui timetis Deum, quanta fecit animæ meæ. Cor mundum crea in me Deus, et spiritum rectum innova in visceribus meis. Domine labia mea aperies, et os meum annuntiabit laudem tuam. Quidquid dicimus, ad laudem Dei sit, et ad ædificationem proximi: quia dicit Scriptura: Misericordia et veritas non te deserant: circumda eam gutturi tuo, et describe eam in tabulis cordis tui. Et alibi: Os quod mentitur occidit animam. Ideo in omnibus quæ dicturus sum, veritatem dicam in Christo, nihil mentiar. *Hæc præfatus pergit Sanctus vitæ suæ initia explicare.*

Veritatem se scripturum professus,

Prov 3

Sap 1,

2 Primo autem de parentibus meis aliquid dicam: quorum nomina sunt hæc, Angelerius et Maria: erant autem ambo justi apud Deum, ut credo, et apud homines nimis laudati; simplices ac recti et timentes Deum; humiles et pacifici, non reddentes malum pro malo; eleemosynas et hospitium libentissime pauperibus tribuebant. Qui ad similitudinem Patriarchæ Jacob duodecim filios genuerunt, semper a Domino postulantes, ut aliquis illorum verus Dei servus esset. Qua occasione secundum filium litterarum studiis tradiderunt: qui cum factus esset vir, pulcher nimis et bonus secundum istius seculi pompam, non tamen erat in Dei servitio solicitus, ut parentes ejus desideraverant. Defuncto autem patre in bona senectute, relicta uxore cum septem filiis (quia alii jam obierant) vidit bona mulier, filium illum Clericum non esse spiritualem, ut ipsa optaverat: ingemuit toto corde; et dixit: Heu me miseram, quot filios genui, et neminem illorum video servum Dei! Erat autem filius undecimus tunc quinque vel sex annorum, in quo Deus mirabiliter gratiam suam ostendebat; quia quidquid boni audita percipiebat, totum in corde recondebat, et cuncta matri referebat, et sæpe ei dicebat, volo esse bonus servus Dei. Quod mater considerans, intra se dixit: Tradam istum filium meum studio litterarum; et forte illi dabit Dominus meliorem gratiam quam alteri filio: et si ille moreretur, iste mihi remaneret.

narrat quod natus parentibus piis,

a matre, cupiente filium religiosum,

applicatus est studiis.

A maneret. Quod et factum est : nam factus est monachus, et in parvo tempore defunctus est : et puer ille supervixit, parum adhuc sciens litterarum. Sed diabolus, qui semper est contrarius omni bono, pugnabat per se et per suos : primo namque tentabat puerum, ne vellet studere : item tentabat fratres pueri, ne concederent ; unde quantum poterant obviabant matri, dicentes, sufficit nobis unus non laborans : eo quod in illa patria Clerici quasi nihil laborabant. Tentabat etiam diabolus quemdam divitem illius patriæ, qui adulabatur puero, dicens, Volo te facere heredem meum. Adfuit etiam quidam (ut vere credo) dæmon, quia ita mihi videbatur esse, licet puer essem, qui dicebat, se divinum esse, et dicebat matri : Quid fecisti? Tolle istum a studio, et instrue alium filium minorem, quia non erit hic servus Dei, sicut tu credis, immo cito morietur de tali morte : de quo mater multum tristabatur, sed tamen propter hoc non cessavit facere quod potuit.

ex votis *in usque detentus,*

3 Recordabatur unum quod acciderat in nativitate pueri : quia (sicut ipsa dicebat) quando exierat puer de utero matris, erat indutus quadam veste religiosa. Et recordabatur aliud, quod acciderat in prima die, quando puer cœpit legere : In illa nocte B apparuit vir ejus cuidam commatri dicens, constituit uxor mea filium nostrum Petrum ad studium litterarum. O quam bene est mihi, et sibi, et multis aliis! Dic ergo ei, quod si me dilexit, in hoc ostendat, ut quantum potest faciat, et quod incepit perficiat. Unde mater contra voluntatem filiorum, tulit de substantiis quæ sibi contingebant, et dedit magistro ut doceret puerum. Cui Deus tantam gratiam contulit, ut in parvo tempore legerit Psalterium. Qui cum adhuc puer et simplex esset, in tantum quod non cognosceret Beatam Virginem, et B. Joannem, qui sunt depicti in Cruce, videbat tamen illos de Cruce descendere; et tollentes librum, in quo puer legebat, ambo in eo, id est Maria Virgo et Joannes, ultra modum dulciter decantabant. Quod puer referebat matri cum magno gaudio. Cui mater dicebat; Vide, fili, ne cui dicas. Item cum adhuc puer iret cum aliis pueris ludendo, tentabatur a diabolo, ut diceret verba, quæ non licerent, et quæ ipse puer nesciebat. Sed veniente nocte, vidit in somnis, quod ipse erat in ecclesia, ubi legebat in die, et erat ante Altare : et ecce Angeli descendebant ex alto, et stabant ex omni parte pueri, minitantes et dicentes, cur talia revelasti? Cave ne ultra talia reveles : et unus loquebatur ad alium, Percute eum, cur hæc revelasti? Tamen nullus percutiebat. Hæc et alia multa bona in visione semper videbat : quæ cum matri referret, illa probibebat, ne alicui diceret, et ille nemini dicebat. Mater etiam vidit in somnis, quia iste puer erat custos multarum ovium, tamquam nix albarum : de quo mater ultra modum dolebat ; et etiam postquam evigilasset, nimium tristabatur. Sed cum die sequenti esset cum puero isto, qui jam erat duodecim annorum, dixit illi, Fili, tale somnium vidi de quodam Clerico. Cui statim respondit filius, dicens, Hic erit custos bonarum animarum. Hæc illa audiens, hilaris et gaudens filio dixit : Fili, tu es : confortare in Domino.

propter præsagia illi data de puero,

variis deinde modis confirmata :

4 Multa mirabilia fecit Deus matri istius pueri, quæ oculis suis vidit iste filius. In primis cum detenta esset gravi infirmitate, spatio triginta annorum et amplius, ita quod dextrum latus amisisset corporis : quadam die cogitavit in corde suo ire ad quemdam sanctum locum, quod fecit, et in nocte una sanata est. Item iste proprius filius, cum esset puer trium annorum, offendit oculum in ligno acuto, et excæcatus est ab oculo dextro, ita quod medici et omnes qui eum videbant, dicerent, quia amissus est oculus. Illa vero confidens in Beata Virgine, tulit eum ad quamdam ecclesiam Beatæ Virginis, et D mansit ibi cum filio per totam noctem : et ita in mane inventus est oculus sanus absque macula. Item cum alius filius, qui erat uxoratus, componeret messem, arista frumenti adhæsit oculo ejus, et ita abscondit se in eo, quod a nullo homine potuisset inveniri : et sic multis diebus ibat huc atque illuc auxilium quærens, et non inveniebat; unde clamabat die ac nocte præ nimio dolore. Mater vero tristis et dolens vertit se ad Beatam Virginem, Domina mea, dicens, redde oculum isti filio, sicut alii filio meo hactenus reddidisti. Veniente luce diei, iste filius Clericus respexit in oculum fratris, et ecce arista erat in medio oculi tendens foras : ipse vero apprehendit eam solis digitis, et extraxit eam de oculo. Item quodam tempore magnæ famis defecerat ei panis, et non poterat invenire aliquod refugium : unde vertit se ad Deum quadam nocte, rogans et petens ab eo, ut ipse provideret misericorditer filiis suis, ne fame deficerent. Mane autem surgens, dixit filio suo ; Fili, tolle falcem, et vade ad agrum, et quære infra eum : forte Deus faciet misericordiam nobiscum, ne moriamur fame. Erat autem tunc prope tempus. Recusabat filius, et nolebat ire, dicens. E Quare vado? Messis quidem adhuc viret, nihil proficiam. Sed tamen quandoque assensum dedit; ivit in agrum ; et invenit in medio ejus tantam messem albam et siccam quantum necesse fuit; quam ille eodem die collegit, trituravit, et ad molam portavit, et Deo gratias reddidit. Item hæc mater multum honorabat Sanctos, et colebat solennitates eorum. Unde in Decollatione S. Joannis (quia in die sequenti oportebat facere panem) sero illo volebat facere fermentum ; cœpit cum timore mittere aquam in farinam, et ecce subito tota farina videbatur esse vermes. Tunc illa tremefacta cecidit in terram, orans Deum et dicens, Miserere mei ; et statim farina reversa est in statum suum.

cui etiam alia collata beneficia,

in sua et filiorum persona.

5 Puer vero magis ac magis anhelabat Deo servire, et maxime in eremo : sed quia nesciebat quod Eremita posset esse cum socio, imo credebat quod semper deberet esse solus, et ipse multum timebat in nocte propter phantasias; sic dubitans, nesciebat quid ageret; non enim erat in patria aliquis servus Dei, a quo consilium accipere posset : et sic pertransiit de uno tempore ad aliud usque ad viginti et amplius annos. Erat autem huic juveni quidam socius, major illo, tempore et ætate : cui dicere cœpit, Quid facimus? Exeamus de patria nostra, et eamus longe ad serviendum Deo; sed tamen primo eamus Ro- F mam, et cum consilio Ecclesiæ faciamus omnia. Acquievit ille, et cœperunt ambulare : et expleto itinere unius diei, pœnituit se ille major, dicens illi, Revertamur et non dimittamus patriam et consanguineos nostros. Iste inspiratus a Deo, dixit ei ; Confido in Deo, quia si dimittis me, non dimittet me Deus; penitus non revertar. Et remansit solus. Et ambulans itinere unius diei, pervenit ad quoddam castrum Sangrum *a* hora nona. Et statim cum venisset ad castrum illud, turbatus est aer, et facta est magna tempestas venti et pluviæ, cum prius fuisset optimum tempus : sed iste volebat amplius ambulare. Venit ergo ad pontem fluminis, qui erat extra castrum : et dum esset in medio pontis, ecce ventus irruit in eum, et incussit ei timorem magnum, ita quod nimis turbatus convertit se retrorsum Erat autem in capite pontis ecclesia S. Nicolai, in quam introivit, et rogavit Dominum et B. Nicolaum, ut ei auxiliarentur. Confortatus autem a Deo permansit ibi diebus plurimis : et dum esset ibi, intellexit, a quibusdam, quod quidam Eremita esset in monte proximo isti castro. Lætus iste et gaudens accessit ad illum : sed antequam accederet Spiritus Domini prohibuit illum, ne

Vicennis amore eremi tactus dimittit patriam :

et desertus a socio,

a

superato metu, iter prosequitur.

A ne ei diceret secreta sua. Ivit ergo iste ad eremitam, et antequam intraret cellam illius, Deus ostendit isti vitam ejus inhonestam, ita quod nihil ei dixit, nisi tantum de itinere Romæ, pro eo quod ille dicebat, se iturum Romam. Unde constituit ille diem, quo iste reverteretur ad eum, ut inciperent iter : quod Dominus non permisit, ut in illo die posset reverti, nam malum pro isto fuisset, sicut patuit.

Decem diebus in cella eremitica actis,

6 Altera autem die emit duos panes et pisces, et ascendit in montem. Et cum jam prope locum esset, ecce obviaverunt ei duæ pulcherrimæ mulieres, quæ graviter pugnaverunt cum eo, manibus illum capientes, et dicentes, Non eas, quia eremita non est in loco, veni nobiscum. Vix etiam evasit de manibus illarum. Venit autem ad locum, et invenit cellam apertam, et nemo erat ibi. Hoc autem erat in mense Januarii, eratque nix magna, et tunc ningebat. Statim autem fuit Spiritus Dei cum ipso, et cœpit cogitare dicens, Permane et proba, et videbis quid faciet tibi Deus : et sic permansit, cum multo dubio et timore. Sed postquam diu vigilasset, gravatus somno cecidit in terram, et obdormivit. Et ecce turba magna Angelorum et Sanctorum circa se erat ita aperte, ut videretur ei quod vigilasset; et in ore cujusque illorum erant rosæ rubeæ, et cum illis rosis *b* vernabant delectabiliter nimis : ita quod postquam excitatus fuisset a somno, cantum illum audierit per tantum spatium, quo posset dici Pater noster. Tunc ille lætus quantum dici non potest, et securus jam factus, permansit ibi decem diebus solus, satiatus gaudio et lætitia.

non sine divino solatio, B

alibi sub saxo tribus annis vivit

7 Post hæc autem Dominus ostendit ei locum in monte alio, in quo invenit saxum magnum, et sub illo fodit parum, in tantum quod vix poterat se ibi erigere vel extendere; et ibi permansit per spatium trium annorum : in quo loco Dominus ostendit ei multa bona. Primo namque omni nocte in hora competenti audiebat sonum magnæ campanæ. Venit autem quidam a quodam bono eremita, dicens, Quia ille frater habet gallum, qui cantat in nocte, quare tu non habes? Et ecce quædam matrona erat tunc præsens, quæ statim dixit isti; habeo pulcherrimum gallum, si vis apportabo tibi. Iste, sicut simplex, respondit, Volo : et factum est. Sed et gallus numquam cantavit, et sonus illius campanæ disparuit. Perpendit ille quandoque quod fecerat : reddidit gallum, sed gratiam quam amiserat numquam ex toto reinvenit. Item multoties, quando orabat in nocte, videbat hinc inde juxta se duos pulcherrimos homi- C nes, indutos tamquam Episcopos, Missam cantantes; et videbatur ei, quod dicerent Psalmos cum eo. In principio conversionis suæ, multas sustinuit tentationes, vigilando et dormiendo. Duo enim dæmones accipiebant formam quarumdam mulierum, quas ante in mundo iste viderat, quæ valde delectabiles erant, et sæpe species illarum repræsentabant oculis cordis. Et etiam dum dormiret, una illarum nudo corpore ab uno latere, et alia ab alio collocabantur, et sic pugnabant cum eo. Fulciebat ille, dum vigilaret, tunicam suam sub pedibus suis; et illi dæmones per vim extrahebant pannos e pedibus, et jungebant se corpori ejus : sed tamen adjuvante Domino non prævaluerunt. Item in loco illo reptilia erant, serpentes, scorpiones, stelliones, et hujusmodi. Unde aliquando cum dormiret, qui vulgo dicuntur crapolli *c* intrabant in pectus ejus, et carnibus suis adhærebant; quia nullum alium pannum habebat, nisi tunicam unam cum caputio, quo caput cooperiebat. Et etiam postquam surgeret, aliquando non percipiebat illos, et dicebat totum Matutinum, flectendo genua pluries : cum vero perciperet, laxabat cingulum, et sic cadebant super pedes ejus. Et quod mirum erat, nihil ille cogitabat de hoc quid esset : sed postquam caderent super pedes, tunc ille calcabat illos sub D pedibus suis, et illi projiciebant aquam ex ore, et tunc ille percipiebat quid essent. Multa alia bona et mala acciderunt ibi eidem : sed dicere longum esset. Veniam ergo ad alia.

inter tentationes varias.

EX VARIIS

ANNOTATA.

a Castrum Sangrum (*Dionysio Fabro cap.* 3 *perperam* Castrum Fangri) *locus satis munitus ad cognominem sibi fluvium, nonnullis etiam dictum* Sanguineum : *nam* Sangre *Italis,* Sanguis *est. Maphæus Vegius hic notat* Oppidum Signiam *et cives appellat* Signinos : *sane perperam; in Hetruria enim oppidum illud est.*

b Vernare, *ut infra ex sensu colligitur, hic est* canere, *ut scilicet aves verno tempore consueverunt.*

c Crapollus *videtur dici* Rufo, *Francis* Crapaut. *Maphæus* Scrabæos *ponit : Marinus* Scorpiones, crucas, tarantulas et alia venenosa reptilia.

CAPUT II.

Acta in Montibus Murronis et Magellæ : visiones divinæ, et tentationes diabolicæ

Tribus annis expletis in illo loco, omnes gentes suadebant ei, ut Ordinem Sacerdotalem susciperet : qua occasione perrexit Romam, et ibi factus est Sacerdos. Deinde venit ad Montem Murronis *a*, et ibi invenit quamdam cryptam, quæ nimis ei placuit. Statim autem cum intravit, sedit; et ecce magnus serpens exivit coram eo, et discessit ab eo loco : in quo multa bona fecit ei Deus per spatium quinque annorum. Et quoniam semper cupiebat solitudinem et paupertatem, ideo cogitavit aliquando dimittere officium Missæ, et hoc cum consilio Papæ. Erat autem hoc in hieme, quoniam magna nix erat in illo monte, et ideo non poterat descendere. Fuit ergo per multos dies in ista tentatione; et cum prope esset dies quo debebat arripere iter Romæ; ecce in nocte putabat in visione, se ire Romam, et dum iret, errabat a via : respiciens autem ante se, ecce duo Fratres veniebant, quos interrogabat de via; qui nihil responderunt, sed magis inter ipsos ridebant de eo : unde iste tristis, et dolens sedebat. Et ecce quædam matrona venit, quam interrogans de via, respondit, Debuisti rogare Deum quando eras in crypta, et nihil aliud dixit : Intellexit iste, quod de hoc non fecerat orationem. Rogavit Deum, et ecce quidam Abbas qui defunctus erat (et hic primo dederat huic habitum Religionis) venit ad eum in visione tali modo. Videbatur isti quod esset ante Altare, et ecce illi apparebat post ipsum indutus veste nimis alba, dicens ei, Fili, ora pro me, et maneas cum Deo: et volebat recedere. Quem iste apprehendit per cucullam, et non dimittebat eum, licet ille diceret humiliter, Dimitte, fili; dimitte, fili. Cui iste, adjuro te per Deum vivum, per sanctam Trinitatem, et per alios Sanctos, ut dicas mihi quid faciam de tali facto? At ille respondit dicens, Dicas Missam, fili, dicas. Et ille, B. Benedictus et multi alii Sancti noluerunt tam magnum mysterium tangere; quomodo ego, qui sum nimis peccator, dignus ero tale opus perficere? Ad quem ille, O, fili! Dignus? Et quis dignus? Celebres Missam, fili : celebres cum timore et tremore : et statim evanuit. Eadem die venit ad eum quidam alius Monachus sanctus, cui iste confiteri consueverat; qui dixit ei similiter, sicut Abbas ei in visione prius dixerat.

Sacerdos in montem Murronis migrat : a

et volens præ humilitate abstinere a Missa,

jubetur divinitus eam facere,

9 Item alio tempore accidit ei multa tentatio, quid facere debuisset quando ei accideret pollutio, si eodem die celebraret, an non? Et quærens consilium

A lium a multis Religiosis, unus dicebat, sic, alius non : et sic erat in magno dubio, nesciens quid ageret. Rogavit ergo Deum, ut ei de hoc auxiliaretur: Et ecce eadem nocte dormiens, videbatur ei quod ascenderet quoddam castrum in alto positum ; et ingrediens portam castri illius, videbat magnum claustrum, et in medio claustri magnum palatium, et per circuitum castri multas cellas, in quibus cellis erant Fratres induti albis vestibus. Iste vero desiderabat ire in palatium : ducebat autem secum quemdam asellum, quem dimittere non valebat. Cœpit ergo ascendere gradus scalæ illius palatii, per quos leviter ascendebat asellus; et sic ascendens tres vel quatuor gradus, ille malus asellus cœpit turpiter ejicere de corpore stercus, quasi manducasset herbas teneras. Quod videns iste, fixit gradum tristis et dolens, et non audebat ascendere. Videbat autem in capite illius scalæ, in introitu palatii, tres Personas similes et æquales, ita ut viderentur quasi unus, et omnes respiciebant ad istum. Quorum unus, qui videbatur Christus, dixit isti, Ascende, ascende. Quare non ascendis? Pro eo quod asellus facit consuetudinem suam? Quid tibi? Ascende, ascende. Et statim excitatus est a somno, repletus omni gaudio et lætitia, laudans et benedicens Deum. Multa et inenarrabilia bona acciderunt illi in eo loco per spatium quinque annorum.

Ex visis etiam post nocturnam pollutionem,

pulchro viso ad id animatus

10 Verum quia hic quærebat semper solitudinem, et omnes silvæ, quæ fuerant circa locum, destructæ erant et ab hominibus cultæ; recessit ab eo loco, et venit ad Montem-Magellæ *b*; ubi invenit quamdam cryptam magnam, quæ nimis placuit ei. Sed non placuit duobus sociis quos habebat, nec etiam ullis amicis suis; omnes enim contrarii erant, uno solo excepto; unde solus remansit in loco. Post aliquot vero dies secuti sunt eum socii, quia multum diligebant eum; qui fasciculos ex frutetis fecerunt, et erexerunt illos, et sic cryptam clauserunt, et habitabant in ea. Et quia tempore ferventis æstatis, scilicet mense Junii, fruteta siccata erant nimis; ecce quadam nocte adfuit tentator, et tota cella per circuitum visa est ardere. At ille vocavit Fratres dicens, Surgite velociter, et projicite omnia foras. Illi autem surgentes, viderunt cellam ardere. Cum magna igitur festinantia tulerunt quæ potuerunt, et fugientes cœperunt murmurare contra istum, quod ad talem venisset locum : credebant enim quod ignis descendisset ab altitudine montis. Tunc iste confortatus a C Deo, in corde suo dixit, Etiamsi totum corpus meum incenderetur, non dimittam hunc locum. Et statim ille ignis evanuit, acsi somnium fuisset. Plures sui devoti veniebant, et nimis arguebant eum de tali loco, dicentes ei : Omnes homines clamant contra te, et hoc reprehendunt : et nisi timerent te ex devotione, coram te clamarent. Et bene scis, quia diligimus te; sed tamen ita defecimus, quod vix amplius veniremus, tam dura et longa et via est ista : et etiam ii de propinquo castro modo venire nolunt. Sed iste placido animo ac humili respondit, dicens : Carissimi, ite cum benedictione Dei, et tunc venite quando de magna voluntate processerit. Sed paulo post unus illorum petiit ab eo, ut in Fratrem reciperetur, quod et factum est.

b

Transit Magellam Sanctus

ibique constanter manens,

11 Multi cœperunt deinceps relinquere mundum, et veniebant ad eum : sed iste quantum poterat renuebat eos accipere, dicens, se simplicem esse, et desiderium suum fuisse, ut semper solus maneret : sed quandoque victus caritate assensum dabat. Multa et magna signa ibi apparuerunt; quibus Deus ostendebat, quod locum illum elegerat in honorem sancti Spiritus. In principio namque, cum inciperent Fratres habitare in loco, apparuit ibi quædam columba, quæ semper videbatur cibum capere in proprio D loco, in quo altare postea situm fuit, et ita ambulabat inter Fratres, ac si esset nutrita ab illis. Unde constructo parvulo oratorio, hæc columba sæpe erat in illo, etiam dum Officium dicebatur; ita ut quadam die forenses erant in oratorio ad Missam, et columba inter eos : et sic unus illorum incurvavit se ut eam acciperet, sed minime valuit. Et sic illa columba, per spatium duorum vel trium annorum, apparuit ibi.

plures socios suscipit :

oratorium per columbam signatum struit,

12 Post hæc autem erectum est pulchrum oratorium in honorem sancti Spiritus; et multi veniebant cum devotione magna, etiam de longinquis partibus : unde quadam die venerunt quidam de patria, et sedens Frater *c* cum eis, loquebatur cum illis de verbo vitæ. Et ecce supervenerunt quatuor viri de alia patria, et statim ut applicuerunt, supervenit in isto Fratre spiritus quidam caritatis et magni ardoris, ita quod vix poterat se continere : unde velociter illos de patria emisit a se, et remansit cum illis, et Fratribus suis : erat autem hora nona, unde ait illis Primo referamus Deo laudes debitas, et postea insimul consolationem habebimus. Et intraverunt oratorium, et dixerunt Officium. At illi cœperunt audire sonitum multarum et magnarum E campanarum; locus tamen ille ita remotus erat ab habitationibus hominum, quod numquam sonus alicujus campanæ potuisset ibi audiri : unde stupefacti sunt. Tunc duo illorum exierunt de oratorio, levantes oculos suos et aures ad cœlum, et plorantes. Exeuntes autem foras ab Officio, venerunt illi homines ad Fratrem cum lacrymis, et magno timore, dicentes, Ubi est locus in quo pulsatur? Frater vero audiens verba illorum, intellexit causam, et dixit illis, Non est multum longe, et sic ad alia transiit verba. Et sederunt loquentes multa bona usque ad vesperas: et cum facta esset hora intraverunt ad Officium; et statim illi cœperunt audire sonum magnarum campanarum usque ad finem Officii : et sic in omnibus horis nocte et die, usque ad diem tertium donec recederent. Ex hoc autem probatur, quod sonus ille a Deo esset; quia unus illorum patiebatur magnam infirmitatem, quæ talis erat. Dum dormiret, subito excitabatur et vociferabatur, fugiens de loco ad locum, et abscondens se in quocumque latibulo, et nemo poterat eum tenere : sed ab illo die numquam talia sensit. Alius vero patiebatur spiritualem infirmitatem, ita quod omni nocte bis saltem in pollutionem caderet : qui ab illo die a vitio F liberatus est, quod numquam ex eo aliquid sensit. Pugnabant autem dæmones omni nocte et longo tempore, sed Dei gratia non expugnaverunt. Omnes autem isti quatuor conversi fuerant ad Deum, et statim sumpserunt habitum Religionis, et omnia sua pauperibus dederunt. Duo istorum, qui juvenes erant, talem vitam duxerunt, quod multa ostendit eis Deus in vita et in morte : alii duo, qui jam senes erant, bonam vitam duxerunt in plures annos, et in pace quieverunt.

c

ubi eo cum peregrinis orante,

auditur miraculosus sonus campanarum

et duo illorum juvantur.

13 Post istos quatuor, plures audierunt sonum campanarum, scilicet in prædicto loco; et postquam ibi audivissent, ubique audiebant, excepto intra urbem vel castra. Solummodo de una civitate viginti fuerunt qui audierunt sonum illum, et de aliis partibus plures homines : qui omnes fuerunt laici et seculares, et nullus ex eis fuit Clericus vel Religiosus, quod mirum est. Fratres vero qui erant in illo loco, omnes audiebant; et secundum diem majoris festivitatis, ita plurimarum campanarum sonum audiebant. Omnes quidem Fratres audiebant sed non omnes æqualiter; quia unus apertius altero, et plurimarum campanarum et diversarum. Quidam Frater audiebat unam campanam, quæ dulciorem sonum reddebat omnibus aliis, et hæc pulsabatur cum elevabatur

Sonum eumdem audiunt alii seculares multi,

et Fratres omnes,

A vabatur Corpus Christi; quæ campana audiebatur semper in quodam loco illius montis, in alio loco duæ et in alio duæ. Et columbæ videbantur multæ in aere supra locum: et quanto quis amplius accommodabat auditum illi sono, tanto minus percipiebat, et e converso: et in tantum ille sonus replebat auditum, quod vix poterat portari.

item cantus Angelicos:

14 Audiebatur sæpius magnus cantus Officii, quandoque in oratorio, quandoque in cella istius Fratris, et intelligebantur ea quæ ibi dicebantur. Quidam Frater sæpe, dum dicebatur Officium, audiebat alias voces dulcissimas cum vocibus Fratrum, ita quod dum voces Fratrum pausarent, voces illæ melius audiebantur. In festo B. Stephani in sero dixit iste Frater Fratribus suis: Faciamus hac nocte bonum Officium ad honorem B. Joannis, et cras dabo vobis *d* coquinam: erat autem sexta feria. Surrexerunt autem valde tempestive ad vigilias, et dicto Officio, Fratres ad cellas redierunt. Et sic iste Frater rediens ad cellam, oravit dum voluit: et postea collocavit se in tabula, in qua dormiebat; et statim raptus a somno cœpit audire Officium in oratorio; ac subito excitatus, auscultans aperte nimis audiebat, sed distabat cella ab oratorio decem passibus. Erant autem plures qui Officium dicebant, intra quos erant pueri: et unus, qui super omnes esse videbatur, emittebat vocem sicut vocem tubæ. Dicto vero Officio exierunt extra Chorum, et fixerunt gradum ante Crucem, et ibi multa bona dixerunt maxime de illo loco. Post hæc autem vertit se major illorum ad cellam Fratris, et magna voce dixit: Petre, observetis abstinentiam, observetis abstinentiam; et statim evanuerunt.

inter quos monetur servare abstinentiam: B

aliis item visionibus docetur,

15 Item quadam die similiter post Matutinum iste Frater jacebat in tabula sua dormiens, et ecce subito videbatur ei, quod esset in oratorio; et videbatur quod tunc deberet dici Missa, sed nesciebat a quo. Videbat autem tunc paucos homines in oratorio, et statim repletum est hominibus albis vestibus indutis. Et tunc apparebat quidam in dextro cornu altaris, qui dicebat Missam, et hic videbatur esse Abbas illius Fratris, sed nesciebat illum. Postquam vero excitatus est, visum fuit illi quod esset Spiritus sanctus. Stabant autem omnes cum multa reverentia: Frater autem hic erat a dextris illius Abbatis. Cum ergo Corpus Christi elevaretur, pulsata est quædam campana, cujus soni virtus omnes projectos in terram mirabiliter subito traxit ad altare. Et tunc iste C Frater evigilans, invenit caput suum, ubi prius erant pedes: et audiebat sonum illum gloriosum, etiam postquam evigilasset. Alio autem tempore in aurora diei sedebat in cella, et erat liber coram eo, et legebat in illo: fenestra autem jam erat aperta. Et ecce subito extra cellam propre fenestram apparuerunt plures gloriosi ad videndum, qui dixerunt inter ipsos, Ædificemus cellam istam; et cœperunt dicere Officium Dedicationis, euntes per circuitum cellæ. Et iste Frater dicebat Officium cum illis, de quo mirabatur iste, dicens intra se. Quid est hoc? Modo non dormio. Et respiciebat librum, ponens manum in propriis litteris, quia jam dies erat. Et finito Officio, sensit se aperte de quodam vestimento subtilissimo exutum, quod non senserat quando eo indutus fuit, et statim evanuerunt,

locum divinitus esse consecratum:

similia etiam sociis visa,

16 Item cuidam Fratri de loco quadam die Dominica apparuit in visione quidam vir splendidus, dicens illi; Vide quia hoc oratorium a Deo ædificatum est, et hoc signum do tibi: in hoc mane cum introieris oratorium, lampas quæ est ante altare, ibit huc et illuc: quod et factum est, videntibus cunctis Fratribus: et valde mirum, quia etsi lampas *e* plena esset nimis oleo, nihil exiit de eo, cum multum cernerent in varia loca discurrere. Item aliquando quidam Fratres videbant turbam magnam D dæmoniorum in silva circa locum, rugientium et balantium sicut oves, volentes introire in locum; et in illa parte desuper erat alia turba bonorum spirituum: qui pugnabant adversus illos, et non permittebant eos introire. Item quadam Quadragesima dederunt se Fratres nimiæ abstinentiæ, orationi, atque silentio, et ceteris bonis operibus quantum poterant; sed diabolus tentabat illos interius, scilicet in corde, nec poterat eis quidquam facere. Unde adfuit eis aperte in Dominica de Passione in nocte, antequam surgerent Fratres ad vigilias. Dum autem essent in cellis, percussit dæmon quatuor Fratres magno timore, ita quod surgentes ad vigilias cœperunt omnes vociferari et dicere, Adjuvate nos, adjuvate. Unus eorum amiserat ambas manus, quia omnes digiti utriusque manus erant aversi; et omnes Fratres qui erant in choro et in ecclesia per aerem in omni parte teterrima dæmonia aspiciebant, ita quod omnes Officium dimiserunt. Sed Frater qui erat in cella, dum hoc sensit, misit ad eos, dicens, quod penitus non dimitterent Officium qui poterant. Facto autem mane evanuerunt omnia illa phantasmata. Omnia vero quæ dicta sunt continuo audierunt *f* per spatium trium annorum, dum videlicet esset oratorium parvum, postea vero raro et paucis hominibus acciderunt.

ex variis.

ringente frustra dæmone et eos vexante.

ANNOTATA.

a Mons-Murronis, *vulgo* Morono, *in agro Sulmonensi et Aprutio citeriore.*

b Mons Magellæ, *vulgo* Majella, *in eodem tractatu, sed versus Orientem urbis, cum prior locus sit versus Septemtrionem. Describit eleganter hunc montem Leander Albertus pag.* 392, *etiam meminit habitationis* S. Petri Cœlestini. c *Ipse scilicet* S. Petrus de Morrono.

d Coquina, *id est prandium, coctis cibis, et fortasse carnibus, instructum.*

e *Vincentius Spinelli lib.* 2 *addit:* Conservatur etiam hodie miraculosa istæc lampas reverenter in ecclesiæ angulo, neque dignosci potest ex quali materia sit fabricata, tendit autem ad colorem cinereum.

f *Melius forsan,* acciderunt.

CAPUT III.

F

Electio ad Pontificatum ejusque abdicatio, a Ptolomæo Lucensi, Guilielmo de Nangiis, Francisco Petrarcha, ætate proximis celebrata.

V*icennis (ut num.* 5 *dicitur) erat Sanctus, quando egressus e patria solitariam vitam capessivit, quare videri potest tricenarius circiter fuisse, cum scripto mandavit, quæ superioribus duobus capitibus dedimus: qui utinam similiter scripto mandasset alia toto reliquo vitæ spatio acta usque ad Pontificatum! Ad hunc autem qua ratione electus sit, docebunt optime, qui electionem fecerunt Cardinales, suo desuper confecto instrumento, quod una cum Bulla Canonizationis ab Illustrissimo Abbate Angelo Riccio Romæ accepimus MS. impressum autem invenimus Parisiis cura Dionysii Fabri post Vitam. Ipsam accipe: a* In nomine sanctæ et individuæ Trinitatis, Patris et Filii et Spiritus sancti. Amen. Nos miseratione divina Frater *b* Latinus Ostiensis, *c* Geraldus Sabinensis, Joannes Tusculanensis, et Frater Matthæus Portuensis Episcopi; Hugo tituli S. Sabinæ, Petrus tituli S. Marci, et Benedictus tituli S. Martini, Presbyteri; Matthæus S. Mariæ in porticu, Jacobus S. Mariæ in Via-lata, Neapoleo S. Adriani

Ab xi Cardinalibus,

A S. Adriani, et Petrus S. Eustachii, Diaconi Cardinales. Notum facimus, quod anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto, mense Julii, die lunæ, quinto mensis ejusdem, Apostolica Sede per obitum felicis recordationis Domini Nicolai Papæ quarti vacante, post diversos tractatus, diversis temporibus habitos per nos super electione summi Pontificis, quibus optatus non accessit effectus, in communi consistorio solito more convenimus, absente venerabili Fratre nostro Petro, tituli S. Marci Presbytero supradicto, qui erat in hospitio suo infirmitate seu debilitate detentus. Demum inter nos, ex insperato seu improviso, de venerabili ac religioso Patre, Fratre Petro de Murrhone Ordinis S. Benedicti, celebris sanctitatis viro, habita mentione; omnes, qui tunc præsentes eramus in consistorio supradicto, ad personam ejus intentæ considerationis intuitum dirigentes, in ipsum, quasi divinitus inspirati, non sine lacrymarum effusione, nullo prorsus discordante, consensimus. Et venerabiles Fratres nostros, Dominos Joannem Episcopum Tusculanensem, Hugonem et Jacobum prælibatos, ad præfatum Petrum Presbyterum Cardinalem transmisimus, ad B perscrutandum super hujusmodi negotio votum suum; qui ejusdem Fratris Petri audito nomine, devote consensit similiter in eumdem, prout iidem Cardinales ad eum transmissi, sicut præmittitur, in nostra præsentia retulerunt. Nosque, volentes efficacius procedere in hac parte, venerabili Fratri Episcopo Ostiensi prædicto eligendi, suo et omnium nostrum nomine, memoratum Fratrem Petrum de Murrhone, in Ecclesiæ Romanæ Pontificem et Pastorem, plenam et liberam viva voce concessimus potestatem. Qui potestate ipsa recepta, nobis præsentibus, ut præmittitur, eam illico efficaciter adimplevit; eumdem suo et nostro nomine, ex potestate sibi tradita, in Romanum Pontificem eligendo: ac nos electionem, de dicto Fratre Petro factam per eumdem Episcopum Ostiensem, ratam habentes, eumdem Fratrem Petrum de Murrhone, licet absentem, devote recipimus in nostrum et ejusdem Romanæ ac universalis Ecclesiæ Episcopum et Pastorem. In cujus rei testimonium, et evidentiam pleniorem, præsentem scripturam fieri fecimus, nostrisque muniri sigillis, et subscriptionibus roborari. Actum Perusii, Anno, mense et die prædictis.

EX VARIIS

anno 1294 12 Julii,

communi voto

denuntiatur Pontifex,

18 *Hactenus Fides publica Cardinalium, extracta* de originali, existente in archivis Abbatiæ Cœlestinorum S. Spiritus prope Sulmonem, *omissis subscriptionibus* C *Cardinalium singulorum: hæ vero in ecgrapho Illustris. Ricii sigillatim exprimuntur sub hac formula:* Ego Fr. Latinus Ostiensis Episcopus in eumdem Fr. Petrum, licet absentem, expresse consensi, eumque nominavi et elegi, ac recepi in Romanæ et universalis Ecclesiæ Episcopum et Pastorem. *Sequuntur, iisdem plane verbis ceteri, et additur in ecgrapho Ricii;* Exhortatio Cardinalium, facta Fr. Petro de Morrono, ut contentaretur suscipere locum Pontificis, in quem fuerat electus, in anno 1294. *Quam Exhortationem sub titulo* Litterarum, ab Electoribus Pontificiis ad D. Petrum Murrhonensem Eremitam scriptarum, *edidit præfatus Dionysius hoc tenore.* Sanctissimo Patri et Domino, Reverendo Fratri Petro de Murrhone, Ordinis S. Benedicti. divina providentia in Romana Ecclesia Summo electo Pontifici, miseratione divina Episcopi, Presbyteri, et Diaconi sacrosanctæ Ecclesiæ Cardinales, pedum oscula beatorum. Si diffusam facti materiam soliciti calami persequeremur officio, et præsentis negotii qualitatem condigni *d* sermonis serie panderemus; prolixi utique telam dictaminis nos ordiri contingeret, amplique tenoris formare paginam, Vestræ Sanctitatis clementiæ dirigendam, Sed ne prolixitate

d

verborum aut multiplicatis eloquiis Vestrum prægravemus auditum; processum per nos in eodem negotio habitum, Vobis sub compendio reseramus. Vacante siquidem Apostolica Sede, per obitum felicis recordationis Domini Nicolai Papæ quarti; Nos, post diversos tractatus, diversis temporibus, per nostræ solicitudinis studium super electione Summi Pontificis habitos, quibus optatus non accessit effectus, in communi consistorio, solito more convenimus; et tandem inter nos, ex insperato seu improviso, de Vobis habita mentione, omnes ad personam Vestram, meritorum virtute conspicuam: intentæ considerationis aciem dirigentes: in Vos, operante illo qui fidelium mentes unius efficit voluntatis, non sine lacrymarum effusione consensimus, prout in Decreto, super hoc confecto plenius et serosius continetur. Cum itaque Decretum ipsum Vobis per venerabiles Fratres *e* Archiepiscopum Lugdunensem, *f* Urbevetensem et *g* Pactensem Episcopos, et dilectos filios, Magistros Franciscum Neapoleonis *h* de Urbe, ac Guillermum de Mandagoto, Apostolicæ Sedis Notarios, exhibitores præsentium fiducialiter destinemus; Sanctitati vestræ instantissime supplicamus, et ex E intimo cordis affectu deposcimus, quatenus profunda et sedula meditatione pensantes, quod hujusmodi celebrata de vobis electio, illo qui ubi vult spirat inspirante processit; attendentes insuper necessitatem multiplicem, non solum Romanæ Matris Ecclesiæ, quæ longæ vacationis dispendia pertulit, sed etiam totius gregis Dominici, jam diu Pastoris commodo destituti, innumera quoque pericula quibus universalis Ecclesia subjacere dignoscitur, nisi eis per Jesu Christi Domini nostri Vicarium obvietur; Vosque divinis dispositionibus, prout decet Sanctitatem Vestram, mente humili coaptantes; electioni prædictæ, tam laudabiliter tantaque concordia celebratæ, pium velitis accommodare consensum; lætificaturi subinde, per vestram desideratam præsentiam, filiorum vestrorum, qui sumus nos, animos sitibundos; ut quod per nos pia intentione noscitur inchoatum, per Vos votivum et celebrem sortiatur effectum. Datum Perusii, quinto Idus Julii, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo quarto.

D

et missis litteris,

e f g h

petitur ejus assensus

19 *Quomodo deinde coronatus, et paulo post, abdicato Pontificatu, in custodia servatus a successore Bonifacio sit, oculatus in multis testis Ptolomæus Lucensis, Episcopus Torcellensis in suis Annalibus, qui habentur excusi Lugduni; sed prolixius in Historia ecclesiastica,* F *quæ nunc servatur MS. in bibliotheca Barberina: ex cujus Historiæ libro 22 Vita Cœlestini Papæ V descriptam hic damus, quam cum Annalibus editis conferre lector curiosus possit.* Anno igitur Domini MCCXCIV, et ab urbe condita MMLXXXV, post festum B. Joannis Baptistæ, hoc est VII Kal. Julii, ad persuasionem Domini Latini Ostiensis Episcopi, et post recessum Regis, vota sua dirigunt Cardinales in quemdam Eremitam de Abrutio, cujus nomen Frater Petrus de Murrone, ipsumque in summum Pontificem eligunt, qui vocatus est Cœlestinus V. Hic Regi Carolo *i* multum devotus in quadam saya *k* suum habuit habitaculum; vir maximæ abstinentiæ et orationis, totus Deo consecratus. Recepto igitur Decreto ad instantiam Regis et suorum ac totius regionis, Papatum recepit, venitque Aquilam: ubi tunc figit sedem, ibidemque consecratur, et coronatur: fueruntque in sua coronatione plusquam duo millia hominum *l*, et ego interfui. Fecit autem statim post hoc ad petitionem Regis unam magnam ordinationem Cardinalium, inter quos tres fuerunt de Regno, videlicet Dominus *m* Landulphus de Neapoli, unus de Ordine suo qui vocatus est Dominus *n* Thomas, tertius autem fuit. Archiepiscopus *o* Beneventanus

Ptolomeus Lucensis narrat.

quomodo electus 25 Junii

i k

l

Aquilæ coronatus sit.

m

n

o

A neventanus, qui ante fuerat Abbas montis Cassini : fecit et Cancellarium Regis Dominum Guillelmum p de Pargamo, fecit et Dominum Joannem Monachi, et Archiepiscopum Lugdunensem, et Archiepiscopum q Bituricensem : primus vocatus Dominus Beraldus de Glotho, et factus est Albanensis ; secundus factus est Prænestinus. Sed attendendum, quod ipso creato simul cum Decreto Cardinales litteras eidem transmittunt, et suæ Sanctitati significant, ut ad locum commemoratum, ubi sua facta erat electio, dignaretur venire : ille vero ad instantiam Regis venire recusabat, quinimo eisdem mandavit ut ad ipsum venirent. His igitur peractis Dominus Latinus graviter infirmatur, in quo totum pondus incumbebat super electione Cœlestini. Hic enim Dominus Latinus vir fuit magnæ religionis, et sanctitatis, et ex devotione specialiter conjunctus fuerat Fratri Petro de Morrone, eidemque singulis annis a tempore suæ notitiæ specialem eleemosynam transmittebat ; suosque Confratres qui morabantur Romæ, ubi claustrum habebant prope sanctum Petrum [juvabat.] Ex hac ergo familiari devotione et confidentia bonitatis fuit motus ad suadendum de ipso B ut assumeretur in summum Pontificem. Aggravatus igitur ægritudine moritur r Perusii, de quo magna et virtuosa dicuntur, et exemplo digna. Sed redeundum est ad Cœlestinum, quia sibi persuaderi non potuit ut veniret Perusium, sed in Aquila aliquo tempore pedem fixit. Tantus autem fuit ibidem concursus ad ipsum de villis et castris, quod stupor erat videre ; quia magis veniebant ad suam obtinendam benedictionem, quam pro Præbendæ acquisitione : unde oportebat eum sæpius ad fenestram accedere, ad benedicendum populum victus ipsorum clamoribus : quod et ego vidi, et præsens fui quando ista fiebant. Interim autem Cardinales aliqui præcedunt ad Papam, s aliqui subsequuntur versus Aquilam : Ultimus tamen adveniendus fuit Dominus Benedictus Gajetani : et dubitabatur quod non veniret, quia Regem verbis offenderat in Perusio. Venit igitur ultimo, et sic scivit deducere sua negotia, quod factus est quasi Dominus Curiæ.

p

q

jussis illuc ad se venire Cardinalibus ;

sicut mortuo Card. Latino,

r

omnes fecerunt.

s

20 His igitur sic deductis, quamvis Cœlestinus faceret opera sancti viri, quia per statum Pontificalem non recesserat ab innocentia primi status, sed eadem humilitas, eadem puritas perseveravit in ipso, licet modus vivendi esset immutatus propter dignitatem ; decipiebatur tamen in suis Officialibus, C quantum ad gratias quæ fiebant, quarum ipse notitiam habere non poterat ; tum propter impotentiam senectutis, quia ætatis decrepitæ ; tum propter inexperientiam regiminis, circa fraudes et hominum versutias, in quibus Curiæ multum vigent ; unde inveniebantur gratiæ aliquando factæ tribus, vel quatuor, vel pluribus personis ; membrana etiam vacua, sed bullata. Hoc igitur percipientes quidam de Collegio jam incipiunt querulari, et Ecclesiæ fluctuationem attendere, ac etiam eidem Pontifici insinuare, sub prætextu suæ sanctitatis, quantum sibi periculum imminebat. Interim autem Rex Carolus, ut tradunt, ordinavit cum Cœlestino, sive cum beneplacito Collegii factum est, quod Curia transferretur. Neapolim. Vadens igitur illuc multum stimulatur ab aliquibus Cardinalibus quod Papatui cedat, quod etiam Roma sub ipso periclitatur, et sub eo confunditur. Quibus stimulis concitatus sanctus Pater [cogitabat Papatui cedere]. Quod cum Rex perpendisset et Clerus, mandat fieri processionem a majori Ecclesia usque ad Castrum Regis, cui processioni ego interfui : ubi convenerunt multi Episcopi Regionis, omnes Religiosi, et totus Clerus. Cumque pervenisset processio ad dictum Castrum ubi dictus Pontifex morabatur, exclamavimus more solito pro benedictione. Ipse vero pro reverentia processionis ad fenestram accessit cum tribus Episcopus. Data igitur benedictione, unus Episcopus processionis prædictæ a sancto Pontifice audientiam petit, loquens in persona Regis et totius Regni, quantum ad Clerum et populum, me præsente, supplicans humiliter eidem, vice et nomine omnium supradictorum, voce altissima et tubali (quia processio tota audiebat inferius in platea Papa autem superius in fenestra) quod cum ipse esset gloria dicti Regni, nulla persuasione ad resignandum consentiret. Ad quæ verba ex mandato Papæ unus ex ipsis, qui cum ipso erant, respondit ; quod non intendebat, nisi aliud appareret unde conscientia urgeretur. Tunc dictus Episcopus prolocutor pro Rege et Regno alte incipit, Te Deum laudamus, et sic inde ad propria redeunt ; quod fuit quidem, ut mihi constat, circa festum Beati Nicolai D

Interim officialium fraude sæpe deceptus,

monetur cedere Papatu.

EX VARIIS Ne id faciat supplicant Neapolitani,

eumque permovent :

21 Hoc autem non obstante adhuc aliqui Cardinales mordaciter infestant, quod in periculum animæ suæ Papatum tenebat, propter inconvenientia et mala quæ sequebantur ex suo regimine. Ad quæ E verba movetur Sanctus, et sic incipit amicos consulere qualiter hoc fieri posset : et inde postea ad paucos dies, hoc est [decem dies ante] Natale Domini, Papatu cedit in manibus Collegii : quam [cessionem] t : et ipsum Collegium dicitur acceptasse. Ante istam autem cessionem, de consilio et assensu suorum Fratrum, Constitutionem facit, quod Papa potest in certis casibus resignare : quam Constitutionem Bonifacius VIII successor ejusdem autenticat, et confirmat in VI lib. de Renuntiatione cap. 1 et ipsum factum Clementis I. de quo actum est supra de quarto Pontifice, etiam fidem facit. Post cessionem autem ad modicum tempus, juxta formam Decreti ; ad electionem alterius procedunt præsente Rege Carolo Neapoli in Vigilia Nativitatis Domini in Dominum Benedictum Gajetani vota sua dirigunt, et in summum Pontificem assumunt, et Bonifacius VIII vocatus est, anno videlicet Domini MCCXCIV. Sedit autem Cœlestinus a VII Kal. Julii, u usque ad XIX diem vel circa Decembris. Volens autem de Curia recedere et ad eremum transire, fugam iniit ; sed Bonifacius post ipsum nuntios seu veredarios transmittit ad ipsum detinendum ; et inventum ipsum reducunt, ac in custodia ponitur et tenetur, pro cavendo scandalo Romanæ Ecclesiæ, quia apud aliquos mussitabatur an cedere potuisset, et sic poterat schisma in Ecclesia generari. Tentus igitur in custodia, non quidem libera, honesta tamen, in castro, ut dicunt, Fumonis XIV Kalendas Junii moritur, et in quodam monasterio sui Ordinis, quod dicunt Antonii, retro altare sepelitur, anno Domini MCCCV, ut tradunt. Hic vir sanctus longo tempore eremiticam vitam duxit, multosque discipulos bonos fecit : de cujus Canonizatione facienda postmodum apud magnos viros in Romana Curia solicitudo incubuit, ac longo tempore duravit. Demum datur examinatoribus in Curia per Clementem, ad instantiam Regis Franciæ et aliorum Principum, super vita et miraculis ejus ; ac investigatis et inventis, et per Collegium approbatis, dictus Clemens ipsum Sanctorum Catalogo adnotavit sub nomine sancti Petri Confessoris ; per quod nomen etiam sua cessio approbatur. Actum est apud Avenionem anno MCCCXVI, a transitu ejus anno X, vel XI, fuitque instituta ipsius festivitas celebranda XIV [Kal. Junii] qua die ipse migravit ad dominum.

sed resumpto cessionis consilio,

t

eam licere decernit facitque,

et eligitur Bonifacius Papa 8 :

u

sub quo in custodia mortuus Petrus,

a Clemente 5, canonizatur an. 1313.

22 *Hactenus Ptolomæus Lucensis in Historia, corrigendus in numeris annorum, tam hic, ubi annum mortis notat ; quam in Annalibus, ubi agit de Columnensium rebellione. Hunc autem in iis quæ solum sermone*

Calculus annorum vitiosus in Ptol... eo,

EX VARIIS

A *mone vulgi obsens didicit, non fuisse accuratissimum, juvabit observare, ut quando ad* XXX *Maji agendum erit de jure S. Ferdinandi Regis ad regnum Castellæ, ex parte matris Berengariæ, ut inter natas Alfonsi primogenitæ; minus angat ejusdem Ptolomæi auctoritas, centum annis post rem gestam scribentis, Blancam primogenitam fuisse. Interim eum, qui Ptolomæi errorem efficacissime corrigit, Guilielmum de Nangiis, nonnihil seniorem audiamus.* Post duorum, *inquit* annorum, trium mensium et duorum dierum Ecclesiæ Romanæ vacationem, centesimus nonagesimus sextus Cœlestinus quintus præsidet. Hic Fr. Petrus de Morone antea dictus, natione Apulus, Monachus et Pater cujusdam tenuis Religionis ab eo institutæ, quæ S. Petri in Montibus appellatur, apud Sulmonem Aprutii vitam arctam eremiticam ducebat. Hic etiam vir magnæ humilitatis, sanctæ conditionis et famæ celebris, ætatis ut putatur annorum septuaginta et amplius, validus tamen et compos, litteraturæ quidem modicæ, sed discretionis bonæ et alicujus experientiæ, ex insperato, cum Cardinales viderentur super electionem Papæ in sua discordia obstinati et confirmati, et tunc ad tractandum de electione non

corrigitur a Guilielmo de Nangiis,

B convenissent, nec alias unquam de ipso Fr. Petro eligendo mentionem aliquam habuissent (quodam Cardinali de fama et sanctitate ipsius in communi Consistorio incidenter aliqua referente) divina, prout creditur, inspiratione, unanimi cunctorum voto, cum lacrymarum plurima effusione, in summum Pontificem est electus: *Deinde addit* Circa Dominicum Adventum Cœlestinus Papa, nescio quo ductus spiritu, in pleno Consistorio coram cunctis, annulum, mitram et sandalia deponens, omni Papali officio et beneficio totaliter renuntiavit. Post quem centesimus nonagesimus septimus Bonifacius octavus, natione Campanus præsidet. Hic Cœlestinum Papam depositum, volentem ad locum unde assumptus fuerat redire, minime permisit, sed honorifice fecit eum diligenti custodia in loco tutissimo custodiri. *Denique, anno* MCCXCVI. Cœlestinus Papa depositus, diem clausit extremum.

23 *Annis circiter quadraginta post mortem* S. Petri *Franciscus Petrarcha, sui temporis Poeta Rhetorque clarissimus, opus de Vita Solitaria composuit, ingenio suo dignum: in cujus operis lib. 2, cap. 17 cum egisset de S. Petro Damiani, qui ab eremo ad Cardinalatum abstractus, ad eamdem postliminio rediit;* Hujus, *inquit cap.* 18 Petri clarissimum faceret raritas ipsa

Petrarcha in libro de Vita solitaria,

C contemptum, nisi eum Petri alterius Romani Pontificis, quem Cœlestinum dixerunt, recentior contemptus et clarior obscurasset: qui Pontificatu maximo, velut mortifero fasce, deposito, in antiquam solitudinem tam cupide repedavit, ut hostili compede liberatum crederes. Quod factum solitarii sanctique Patris, vilitati animi quisquis volet attribuat: licet enim in eadem re pro varietate ingeniorum, non diversa tantum, sed adversa sentire. Ego imprimis, et sibi utile arbitror, et mundo: utrique enim, propter inexperientiam rerum humanarum, quas multa divinarum contemplatione neglexerat, longumque solitudinis amorem, periculosa esse, anceps et turbida poterat altitudo. Nam quid Christo visum sit, miraculum quod per eum Deus ostendit, die qui post renuntiationem primus illuxit, indicio est: quod profecto non fieret, si quod gestum erat Divinitas non probaret. Ego prorsus altissimi cujusdam et liberrimi, et jugum nescientis vereque cœlestis animi factum reor; atque ita sentio, non potuisse id ab homine fieri, nisi qui res humanas justo pretio æstimasset, quique tumidum fortunæ caput pedibus subjecisset. Ambrosii patrocinio locus eget, ex eo præsertim libro, quo ad veræ humilitatis observantiam sacram Virginem Demetriadem co-

laudat cessionem Petri,

ex mente S. Ambrosii ad Demetriadem,

D hortatur *x*. Non, ut dilectores (inquit) hujus seculi putant, parvi cordis aut segnis est animi terrenas opes spernere, honores occiduos fastidire; nec ibi gloriam quærere, ubi laudatur peccator in desideriis animæ suæ, et qui iniqua gerit benedictur. Unde si vere intelligatur comtemptus iste rerum præsentium, ad quæ tendat, et qualia concupiscat; nihil hujusmodi mentibus rectius, nihil invenietur erectius; quæ sacratissimis desideriis universa transcendunt; neque ad ullam creaturam, quamvis potentem atque mirabilem, sed ad ipsum omnium visibilium atque invisibilium ambiunt Creatorem, cui appropinquare clarescere est, quem timere gaudere est, cui servire regnare est.

x

24 Hujus præconio laudis, quis usquam quæso, seu quis unquam dignior Cœlestino? Reliquerunt alii naviculas suas ac retia, alii possessiunculas, alii telonium, alii etiam regna vel regnorum spem, secutique Christum Dominum, facti sunt Apostoli, facti sunt sancti et amici Dei; Papatum vero, quo nihil est altius (rem tam exoptatam, tamque mirabilem, ut ab admiratione ac stupore *y* dictum ferant) quis ulla ætate, præsertim ex quo tanto in pretio

ab animi magnanimitate,

y

E esse cœpit, tam mirabili et excelso animo contempsit, quam Cœlestinus iste? pristinum et nomen, et locum, et amicam bonis moribus egestatem appetens; atque, dum cœlum suspicit, terræ immemor? Quem in statu quolibet æque Deo placitum, quis non videt, qui mira ejus opera, sed alio digna stylo, trifariam distincta perlegerit, quæ gessit, aut antequam ascenderet, aut postquam descendit, aut dum sedit? Quid miri autem si virtus operum non defuit, cujus et animi tenor unus, et qua licuit vitæ mutatio nulla fuit? Si quidem in supremo rerum culmine, et intra augustissimum ac papalem thalamum, angustam sibi eremiticamque cavernulam meditatus, in alto humilis, inter turbas solitarius, inter divitias pauper vixit. Adde quod et statim ab initio tentavit fugam, cum discipulo quodam suo Roberto Salentino, tunc juvene; sed inopinata et subita populi multitudine circumventus, cum evadendi nulla spes esset, in discipulum versus quæsivit, an se ad excelsa tractum et coactum sequi vellet? Ille autem, qui a Magistro didicisset mundum spernere, Christum vero et quibus ad Christum itur virtutem, pacem, silentium, et solitudinem amare; Quæso, ait, ut labori et periculo meo parcas, meque potius cellæ inopis et tuti otii successorem, quam divitis ac solicitæ gloriæ participem velis. Quod et factum est. Substitit enim, Patre Romam abeunte: cujus non multo post animam, e carcere gemino, ad sidereas scandentem sedes conspexisse dicitur; ignarus rerum, et miraculo stupens, atque interrogans, An se tunc etiam sequi, an quid aliud agere juberet? quem ille ut in solitudine perstaret, admonuit; et sic cœlum petens, inter verba disparuit. Discipulus autem ille consilii memor, usque ad tempora nostra perveniens, et dierum plenus, ante hos paucos annos post Magistrum obiit, magna quidem apud suos sanctitatis opinione et mirabilium fama operum relicta.

quam Deo placuisse,

monstravit a morte visus Roberto Salentino.

25 Sed ad Cœlestinum redeo, cujus ascensus quam mœstus quamque contra animum suum esset, descensus lætus et spontaneus declaravit. Audivi narrantes qui viderunt, tanto illum fugisse cum gaudio, eaque signa lætitiæ spiritalis oculis ac fronte gestantem, dum a conspectu Concilii, jam tandem sibi redditus ac liber, abscederet; quasi non humerum blando oneri, sed collum diris securibus subduxisset, utque ejus in vultu nescio quid Angelicum reluceret. Nec immerito: norat enim quid repeteret, nec quid dimitteret ignorabat. Certe a laboribus ad requiem, ab insanis disceptationibus ad divina colloquia

Cessit autem lætissimo animo,

A colloquia remeabat : linquebat urbem; ibat animo, et (nisi Successoris fastus obstaret) pedibus ibat in montem, hispidum fateor ac præruptum, sed unde sibi planum iter esset ad superos : cum quo utinam vixissemus! Quod idcirco præcipue de hoc uno, inter tot solitarios, optaverim, quia nusquam rei optatæ propinquius votum erat. Neque enim magno disjungimur intervallo, modicumque vel cunctandum illis, vel nobis accelerandum fuit, ut iter hoc vitæ pariter ageremus, quod ille cum patribus nostris egit. Et quam brevi spatio temporis per omnem Italiæ tractum usque ad Alpes! quot ab eodem instituti Ordinis conventus sacri! jamque (ut audio) Alpes ipsas devotio propagata transcendit, durat religiosa successio, durabitque : et quos in solitudine genuit, vivunt nati; cum in palatio geniti, quosque vel ad Ecclesiæ Cardinem vel ad alios gradus extulit, jam pridem omnes obierunt : tanto stabiliora sunt sacræ solitudinis fundamenta, quam sæculi. Irrideant licet, igitur, qui viderunt, quibus præ fulgore auri et purpuræ squallidus opum spretor et paupertas sancta sordebat : nos hominem hunc

cui se comitem fuisse optat auctor.

B miremur, interque rarissimos numeremus; damnumque voremus non vidisse, cujus visio lucrum ingens, exemplumque clarissimum præstare poterat, altioris vitæ confragosa tentantibus. Ceterum præsens fama, consecratumque viri nomen, et laudatoribus suis favent, et arguunt insultantes. Gratias autem Deo, tam magnanimes facti sumus, ut hos duos Petros æmulis [non] carituros, et pusillanimitatem hujuscemodi sine exemplo nostri temporis [nequaquam] z futuram, speremus.

ANNOTATA.

a *In MS. Riccii hic præfigitur Titulus,* Fides undecim Cardinalium, qualiter Fr. Petrus de Morrone fuit electus Pontifex in anno 1294.

b Latinus *compellatur* Frater, *quia fuit Ordinis Prædicatorum; uti et* Card. Matthæus *Ordinis Minorum.*

c Geraldus *et in epitaphio apud Ughellum* Gerardus, *de quo aliisque hic nominatis Cardinalibus legi poterit Ciacconius.*

d *Ita MS. Riccii. Faber, omissa voce* Sermonis, *legit,* ponderaremus.

e Beraldus de Gout, Archiepiscopus Lugdunensis, *mox a Cœlestino creatus Cardinalis Albanus : in-*

C *fra* de Glotho *cognominatur a Ptolomæo Lucensi.*

f Leonardus Mancinus, Episcopus Urbevetanus, *Archiepiscopus Sipontinus.*

g *Faber perperam legit et impressit* Portuensem, *non animadvertens, Cardinalem ex primariis unum, non fuisse ultimo loco post Episcopos nominandum :* Pactensis *autem ac Liparensis in Sicilia* Episcopus Pandulfus *hic fuit, usque ad an.* 1296, *juxta Rocchum Pyrrhum.*

h *Faber corrupte* Aleapolionis, *ac deinde* Mandagato.

i Carolus Andegavensis, *frater S. Ludovici Regis Galliæ, cum suis Gallis Sicilia expulsus, et tunc in hodierno Neapolitano regno degens.*

k Saya, *an* silva *Appulis sit nescio.*

l *In Annalibus additur* tam Cleri quam populi, *sed exprimitur enormis* multitudo plusquam ducentorum millium.

m Landulphus Brancatius Neapolitanus *interfuit creationi Clementis V an.* 1305.

n Fr. Thomas de Ocra, *mortuus an.* 1300 *antea Abbas S. Joannis, Ordinis Cœlestini, cujus ut* Beati *Vitam Telera describit*

o Joannes de Castro cœli, *monachus quidem Cassinensis et Præpositus S. Benedicti de Capua fuit, prius quam anno* 1282 *crearetur Archiepiscopus Beneventanus : sed numquam Abbas.* D

EX VARIIS

p Guilielmus Longus Bergomensis, *cujus laudes fusius prosequitur Ciacconius, in eo tamen recte correctus a successoribus et recognitoribus operis, quod ab eo crediderit compositum sextum librum Decretalium : Epitaphium Oldoinus addidit, qui etiam correxit errata Ciacconii circa Joannem prænomitanum.*

q Simon de Bello loco, *Archiepiscopus Bituricensis ab anno* 1280.

r Latinus *mortuus est die* 10 *Augusti.*

s *In Annalibus expressius sic legitur :* Interim autem Domnus Jacobus de Columna et Domnus Petrus (*etiam de Columna*) et Domnus Hugo de Belliomo, Aquilam vadunt, factique sunt Domini Curiæ : quod alii Cardinales videntes, Aquilam properant. Tunc venit Aquilam Domnus Benedictus Cajetani, qui postea Bonifacius sequens, de quo credebatur quod non gratiose ibi videretur, eo quod Regem Carolum Perusii multum exasperasset : qui statim suis ministeriis et astutiis factus est Dominus Curiæ et amicus Regis.

t Ego Cœlestinus Papa V, motus ex legitimis causis, id est, causa humilitatis et melioris vitæ et E conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ et malignitate plebis, et infirmitate personæ, et ut præteritæ consolatione vitæ possim reparare quietem; sponte ac libere cedo Papatui, et expresse renuntio loco et dignitati, oneri et honori, dans plenam et liberam facultatem ex nunc sacro Cœtui Cardinarium eligendi et providendi, dumtaxat Canonice, universali Ecclesiæ de Pastore. *Auctor formulæ creditur idem fuisse, qui et consultor Pontificatus abdicandi; cui etiam tribuitur Constitutio, definiens ejusmodi abdicationem licere,* exemplo Clementis Papæ, *prout ea Constitutio allegatur a S. Antonino.*

u *MS. nostrum :* Seditque quasi anno dimidio, ipse siquidem in Vigilia S. Luciæ cessit Papatus onere. *Si tamen a die suscepti Pontificatus, ut eo fiebat tempore, subducatur illius spatium, solum a dimidio Julio ad* 12 *Decembris menses circiter quinque invenientur : a die autem Consecrationis non nisi menses* 3, *dies* 15.

x *Est hoc ex epistola* 84, *Ambrosio quidem adscripta, sed Prospero Aquitano a multis adjudicata.*

y *Nempe interjectio admirativa est,* Papæ!

z *Omissam bis negationem, huic loco necessariam, restituisse me credo ex mente Auctoris; qui quam vere ex animo solitudinem prædicaverit, probat ipse illius* F *recessus in Vallem-clausam prope Avenionem, ubi profitetur omnia fere opera sua vel scripta vel concepta.*

CAPUT IV.

Summarium miraculorum ante Papatum ex MS. Italico Neapolitano.

Postquam Canonizationum solennium causas ad Apostolicæ Sedis unius judicium detulit universalis Ecclesiæ consensus, seculo circiter XII; *ordinata paulatim ratio est, quo tanta res via quam potest certissima tractaretur, cœptique ex Commissione Apostolica fieri ipsis in locis Processus, ad audiendas juratorum Testium depositiones. Quia autem eo modo contingebat Depositiones istas, in forma probanti ac sigillatim acceptas, in magnam scripturarum molem excrescere; hoc etiam provisum prudenter est, ad Judicum laborem sublevandum, ut eorumdem Processuum Summarium aliquod conficeretur, aptum in ordinem referens capita et articulos veritatum, a Testibus declaratarum, additis breviter nominibus ac numero Testium. Geminum hujus praxeos exemplum nobis offert hic dies* XVIII *Maji; unum in præsenti Sancto, de quo testatur Marinus, non solum*

In Summarii ipsius Italica Epitome referuntur

Processus

Ex variis

A *Processus haberi atque a se visos lectosque esse, sed etiam eorumdem Summarium in suo Aquilano conventu; alterum in S. Yvone Presbytero, annis LIII post S. Petrum Cælestinum canonizato. Posteriorum ecgrapha ipsi vidimus et habemus : de prioribus Marino iisdem uso credimus. Ipsius tamen Summarii Epitomen quamdam, Italice jam olim descriptam Neapoli reperimus, apud Patres Theatinos inter Collectanea P. Antonii Caraccioli, in qua refertur sola miraculorum substantia, cum nominibus personarum quibus acciderunt, prætermissis nominibus testium, visaque est nobis res digna, quæ Latine reddita in hac Sylloge, præmitteretur Bullæ Canonizationis, ad eadem miracula rite examinata atque probata se referenti. Dividuntur autem miracula illa in tres classes, secundum ordinem temporis quo contigerunt, videlicet,* ante Papatum, post Papatum, *atque* post mortem : *ut videatur hic esse tractatus supra indicatus a Petrarcha, remittente lectorem* ad mira Petri opera, trifariam distincta, sed alio digna stylo. *Sunt autem primu* ante Papatum *circiter quinquaginta miracula.*

illuminata cæcæ duæ,

27 Catania, uxor Notarii Joannis Riccardi et filia Mag. Benedicti Medici Sulmonensis, facta omnino cæca, nec spem ullam habens visus recupe- B randi, cum devote ipsi Sancto afficeretur, cujus prædicatione vir suus a vita dissolutissima fuerat ad meliorem conversus, ab eodem miraculose illuminata est. Trotta etiam Benedicti, de Castro-Sangrio, oculorum luce privata eamdem recepit signo Crucis super ipsos per Sanctum formato. Item Jacobus a S. Euphemia, diœcesis Teatinæ, visu orbatus adductusque ad Sanctum cum magna devotione, ejus meritis et oratione cæcitate liberatus est. Et Petrus Ser. Joannis Mag. Petri de Sulmona oculo dextero videre cœpit, quod ante non poterat, statim ac fuit a Sancto signatus. Nicolaus, filius Sermentinæ Joannis Palumbi de Sulmona, oculo altero cæcus, et devote adductus Sancto, meritis et precibus ejus curatus est. Matthæus, filius Sinibaldi de Caramanico, dextrum oculum pano et caligine obfuscatum habens, claritatem ejus accepit, signo Crucis per Sanctum super se formato : Simili consignatione visum, quo divino judicio privatus erat, recepit Justinus Antonius de Serra-monacesca, ad Sanctum devote a parentibus ductus.

et plurium oculi curati,

item contracti et paralytici :

28 Angelo Joannis Alberti de Sulmona crus sinistrum incurabili plaga affectum emarcuerat, sed a Sancto fuit in instanti curatum. Thomas Eguidieri de Rocca Morici claudus, contractus, et toto C corpore tumefactus ac plenus doloribus; manibus etiam tam inutilis ut nihil iis apprehendere posset, signo Crucis ab eodem sanitatem accepit. Item Berengarius Valeriani, per quinquennium contractus nec absque ferulis incedere valens; et Benedictus Roberti de S. Valentino, membris omnibus paralyticus, Dei virtute et meritis Sancti fuerunt curati. Guilelmus de Colalto usum tibiarum inflatione quadam amiserat, ut nec ambulare nec stare posset : per somnum edoctus, quod si ad Sanctum accederet sanandus ab eo esset, ad eumdem portari se fecit, et voti compos factus est. Thomas Guilielmi de Luco, a cingulo deorsum quinque annis paralyticus; alius etiam Thomas, biennio incurvatus et contractus cum ingenti capitis cruciatu; adducti ad illum, signo Crucis erecti fuerunt. D. Granata, uxor Judicis Leonardi de Sulmona, brachio digitisque contracta per quadriennium; et filius ejus Marinus hecticus, depositus a medicis; meritis ejusdem sunt liberati. Nicolaus, filius Benedicti Thomæ de Sulmona, contractus a ventre usque ad plantas pedum, adeo ut trunci instar nullum amplius sensum membrorum inferiorum vel usum haberet, sanitatem obtinuit per preces Sancti.

29 Fredericus, filius Francisci Cavalerii de Castro Sangrio, a nativitate surdus ac mutus, ipsa qua D Sanctum accessit hora, ductus a patre, auditum et loquelam accepit. Joannes, filius Isabellæ Juliani de Bajano, similiter a nativitate mutus et claudus *muti, surdi,* annis duodecim, mox ut coram Sancto stetit, isque supra eum Crucis signum formavit, utroque malo liber fuit. Stephanus Gerardi Valentini de Acciano, amisso sanæ mentis usu, cum saxo percussus fuisset, Deo ac Sanctis maledicere et quoscumque posset percutere solitus, licet catena ad collum alligata vinctus teneretur, etiam loquelam amiserat : violenter autem protractus a parentibus ad Sanctum, miraculose curatus est et statui pristino restitutus. Item Romanus quidam ab urbe Roma, nihil omnino loqui valens, loquelæ usum continuo accepit. Nicolaus etiam filius Galitiæ, uxoris Joannis Pelosi de Sulmona, mutus a nativitate sua, per signum Crucis, Joannes similiter, filius D. Aulentis, Uxoris Jacobi Cavazeje, mutus a nativitate et pedibus mancus, sic ut insistere iis nequiret et toto fere corpore inutilis videretur; deportatus ad Sanctum, per orationum ejus suffragia miraculose loqui cœpit et invocare matrem, ac pedibus liberis valenter ambulare. Bartholomea denique Riccardi Berardi de Rocca-murici, E ab utero muta et a cingulo deorsum paralytica, sic ut neque movere sese de lecto nec juvare ullatenus posset sine alterius adminiculo, cum decem annis in ea calamitate mansisset, tandem delata ad Santum eique commendata, insuetam continuo vocem et gradiendi facultatem obtinuit

30 Bartholomæus filius D. Gemmæ, uxoris qu. Pamphilii de Riardo, cujus vultum infirmitas quædam corrodens nec non alias corporis partes sic exedebat ut leprosus ab omnibus judicaretur, et a medicis desperata ejus salus haberetur; cum devotione adductus Sancto, plenissimæ sanitati est redditus. D. Franciscæ, filiæ D. Gentulucciæ Berardi, sororis Ser-Alexandri de Sulmona, pes sinister sic erat fistulatus, ut pluribus plagis hians ipsam vitam infirmæ in periculum adduxisse crederetur, quia toto triennio curari non potuerat. Cumque desperantibus curam medicis præsentata esset ad Sanctum, et is triplici Cruce plagas signasset, mox ambulare incœpit : atque intra paucos dies sic curata fuit, ut neque cicatrix quidem ullius vulneris appareret. Mag. Gualterius Thomæ de Caramanico Presbyter iliaca passione et arenarum doloribus cruciabatur, a quibus per Sancti orationes plane liberatus est : F sicuti etiam a morbo epileptico Nicolaus, dictus Zuatellus de Sulmona, cum devote petiisset benedici a Sancto, nec ullam aliam spem haberet consequendæ sanitatis. Elisabetha quoque, filia D. Bartholomææ uxoris Notarii Bonhominis de Sulmona, cum gravi et periculosa infirmitate rupturam in inguine patiens, cui mederi ars nulla per triennium valuerat, meritis suffragiisque ipsius integerrime convaluit.

item leprosus,

exulcerata,

epilepticus,

herniosa,

31 Nicolaus, filius Meliorati Joannis de Sulmona, scabiosus in facie ac veluti leprosus, similiter sanatus est : uti et filius Petri Baldini de Sulmona, atque dictus Nicolaus, cui maxillæ et guttur sic obsitum erat scrofulis, ut absque grandi difficultate nec manducaret nec biberet, essetque positus extra spem salutis; oblatus Sancto ipsique de peccatis confessus, et in affectis partibus Cruce signatus. D. Florentia, uxor Mag. Juffredi aurificis, et filia Judicis Philippi de Sulmona, hecticæ infirmitatis diuturnitate exhausta decumbebat, citra spem salutis deposita a medicis : quæ cum ad Sanctum se devote vertisset, suoque corpori imposuisset lineum pannum sibi ab eo missum, continuo ac miraculose in pedes erecta ambulavit. Mag. Andreas Bartholomæi de Sulmona, ex gravi lapsu inferne ruptus, citra

scrofulosus,

hectica,

herniosi duo,

A citra gravem molestiam ambulare non poterat, neque spem habebat in medicis reliquam: verum contactus a Sancto et Cruce signatus, liberum sese subito sensit. Similem rupturam cum pateretur Onuphrius, filius Petri Molinarii de Sulmona, ex simili lapsu sibi relictam, simili etiam modo est a Sancto curatus.

brachio attractus, 32 Petrus Tani Hospitalarii, brachium obstipum habens continuoque attractum, devotione erga Sanctum accensus ipsum adivit: et jussus signo Crucis seipsum signare, eodem quo se signavit momento temporis dimissus est ab infirmitate illa. Jacobacius, filius Bartholomæi Amici de Sulmona, pene *epilepticus,* ab utero matris epilepticus, idque adeo graviter ut uno quandoque die ter collaberetur, omnesque consanguinei sui mortem ei pro solatio optarent potius quam vitam; motus fiducia erga Sanctum, adivit ejus cellam, et cum benedictione tam efficaci recessit ut numquam tale quid passus sit. Gualterius *incurabilia apostemata,* Joannis de Casali, apostema in inguine ferens, adeo dilatatum et infistulatum, ut stercora ei per vesicam æque ac per anum egererentur, post annum infirmitatis sextum, signatus a Sancto et sanatus est. Nicolaus Nicolai dextra in manu quinque annis tu-B lerat scrofulam, ovum gallinæ magnitudine adæquans, quam ei signo Crucis dissipavit Sanctus. Bontempus de Serra-Monacesca, toto sinistro latere paralyticus et reliquo corpore debilis, ambulare non poterat nec laborare: qui similiter Sancti precibus meritisque adjutus fuit.

33 Sanitas Philipponis de Guardia-grelle, dæmo-*ore distortus,* niacis sæpe agitatus et conterritus spectris, nocte quadam cecidit, mansitque cum ore ex latere uno ad aures distortus, sic ut horrori simul et stupori intuentibus esset; itaque permansit hebdomadibus tredecim, nec unquam juvari ullo remedio potuit; donec cum fiducia Sanctum adiit, eique confessus peccata injunctam sibi pœnitentiam implevit: tunc *energumeni liberati.* enim restitutus ei in pristinum statum vultus est. Fr. Bernardus de Monte-milio ex Ordine ipsius Sancti, diabolicis agitatus intemperiis, manu sua guttur cultello percussit, clamante qui eum possidebat spiritu, Volo hic manere. Quo ad se adducto mandavit dæmoni Sanctus, ut statim egressus discederet: at ille, Noli me, inquit, hinc effugare, Petrucci. Hoc autem a multis Monachis intellectum fuit: sed cum signum Crucis fecisset Sanctus, egressus statim infernalis hospes, dimisit monachum etiam C sanum a vulnere, qui multis postea annis vixit in Ordine, a sanctitate insigni commendatus. D. Antonia de Pretulo, a maligno spiritu vexata, quemadmodum evidentia monstrabant indicia, violenteque adducta ad sancti Spiritus prope Sulmonam, ubi stabat Sanctus paratus ad Missam populo dicendam; mox atque ab eo fuit Cruce signata, tres carbones evomuit, et domum liberata remeavit. Alia energumena, in eamdem ecclesiam simili tempore adducta, coram omnibus ibidem præsentibus exclamavit, Petruccius debet me liberare: ad quam vocem conversus Sanctus formavit signum Crucis, liberamque dimisit: quod idem eodem in loco pluribus mulieribus energumenis usu venit.

pane omni pauperibus erogato plura reddita, 34 Cum Fr. Jacobus Pacentranus Ordinis Prædicatorum, adhuc juvenculus, ivisset ad Sanctum ut divinum Officium cum eo persolveret in loco S. Margaretæ, ubi is erat, ac deinde cum eodem pranderet; oculis suis se vidisse asseruit, quod ibi non fuerint nisi tres panes pro quinque personis. Dum autem simul essent ipse et Sanctus, pulsatum ad ostium est a paupere, panem postulante pro Dei amore quem ei dari Sanctus jussit. Necdum vero compleverant Officium, cum similiter pulsavit pauper alius, et panem quem petebat accepit; uti et tertius. Dum autem sic erogaretur panis, apparuerunt D ad portam duo viri ignoti et peregrini, onusti pani- *ex variis.* bus, nucibus et fructibus aliis, quæ omnia ibidem deponentes abierunt. Ostiarius vero ea Sancto attulit, qui sumpta inde salutaris exhortationis occasione, suadere suis cœpit, ne quando de auxilio divino desperarent, sed in eo positam fiduciam haberent. Idem Fr. Jacobus præterea dixit, quod in Magellensi sancti Spiritus monasterio cum Sancto *panes ad triduum multiplicati* fuerit, cumque aliis duodecim Monachis in Quadragesima S. Martini, quando appropinquante festo Nativitatis Dominicæ nihil aliud reperiebatur in monasterio quam septem panes diversæ mixturæ, et duæ placentæ propter festi solennitatem confectæ: quodque egressus de cella Sanctus fecit panes illos placentasque dividi inter omnes, dando cuique portionem suam ut melius fieri poterat. Notabat autem ipse testis et alii præsentes, non sufficere inter tantos: contigit tamen miraculose ut die illo, qui Dominicus erat, bis fuerint omnes illo pane satiati, nec non duobus diebus sequentis Lunæ ac Martis: atque ita manifeste apparuit, id quod comedentibus superfuerat amplius fuisse quam appositum erat: post festum autem Innocentium, plurimi ex illis partibus advenerunt, non obstante rigore hiemis, cum E pane aliaque necessaria annona, dicentes ad hoc se excitatos a viris duobus, qui transierant clamantes, Succurramus Fratribus qui sunt in monte, ne pereant fame.

CAPUT V.

Miracula in et post Papatum atque post mortem ex eodem Summario Italico.

Cum Papa Cœlestinus castrum Rajani pertransiret Neapolim versus, quædam mulier, Amata nomine, benedictione ejus recuperavit usum membrorum et facultatem gradiendi, quibus erat privata. Angela, *Adjutæ miraculo mulieres tres:* Joannis Petri de S. Euphemia, a capite ad pedes tumens atque inflata, per annos quatuor se movere non poterat nedum ambulare, spe insuper omni recuperandæ salutis destituta mœrebat; cum fuit a sancto Patre consignata et sanata. D. Maria, filia Conradi de Vairano, per biennium graviter vexata a dæmonibus, et coram sancto Patre genuflexa, dum obiret plateas Neapolitanas, ejusdem benedictione percepta nullam amplius ab iis passa molestiam est.

36 Postquam autem Papatui renuntiavit, Petrus F Nicolai de Malapezza Venafranus, amisso per mor- *curata cæcitas,* bum oculi utriusque lumine, ipsum recepit, Cruce per Sanctum formata signatus. Puella de Miniano, membris omnibus contracta viribusque destituta, adducta ad Sanctum, simili modo sanata est. Joannes de Lisa Sulmonensis, toto corpore dolens ac *paralysis,* fere paralyticus, ita ut ægre se posset manibus pedibusque reptando promovere, liberam gradiendi facultatem coram Sancto adductus etiam sic accepit. Mag. Gimundus de Vairano, scrofulis ad gulam enatis gravatus, nec iis tollendis remedium ullum in *scrofulæ,* humana arte reperiens, accessit Sanctum, quando per Bonifacium Papam VIII successorem suum abducebatur ab oppido Vestia: qui cum super eum signum Crucis formasset, ex eadem hora cœpit minui malum, fuitque intra paucos dies omnino sublatum. Robertina, uxor Ricciardi Hispani, grandibus scrofulis onerata ad gulam, contulit se ad viam publicam in territorio Marzano, qua transiturus erat Sanctus quando abducebatur Vestia, sicut jam dictum est; benedictioneque percepta, liberata etiam fuit.

37 Joannes, filius Bartholomæi Angeli de Ferentino

A tino, gravibus pectoris angustiis arctatus ab asthmate, sic ut aliquando integra hora laboraret in adducendo spiritu, orationibus Sancti, ad quem adductus erat, et signo Crucis solutus est ab illa infirmitate.

EX VARIIS. asthma.

Mulier quædam, male a dæmonio vexata violenteque adducta ad ecclesiam S. Spiritus prope Foggiam, quando Vestia abducebatur Sanctus, Crucis signaculo fuit per eum liberata. Item alia mulier, similiter vexata, per quam dæmon Latina æque ac vulgari linqua loquebatur, ad viam publicam prope Teanum vi protracta, qua transeundum Sancto erat, mundata est. Tertia denique, ad præsentiam Sancti conducta prope locum S. Martini in Valle-gaudii, molesto hospite soluta fuit, benedictione suscepta.

Energumenæ 3 liberata,

38 Cum S. Petrus Cœlestinus, in Castro Fumonæ de mandato Bonifacii VIII conclusus, gravissima laboraret infirmitate, qua et mortuus est; in ipso mortis ejus articulo apparuit, et a multis ibidem præsentibus testibus visa est Crux splendidissima pendere in aere, in medio domus, id est supra portam cameræ ubi Sanctus jacebat: quod prodigii instar habitum fuit, tanto certius quanto conspicabilius pluries conversa in gyrum est, et majori diei B parte ibidem perstitit. Postea vero sequentia miracula contigerunt.

Crux visa in morte.

39 Leonardus Gualterii de Pectorano scrofulam gestabat supra oculum dexterum ad magnitudinem amygdalæ, adeo ut oculum aperire non posset; cum autem indies fieret grandior, jamque annum unum sic processisset, attactu catenæ, qua Sanctus accingi solebat, continuo evanuit. D. Philippa de Palena, a cingulo deorsum contracta et paralytica spatio unius anni, gressuque privata: quæ eadem catena cincta, ad modum quo ipsa cingi solebat Sanctus, sanitatem obtinuit miraculosam. D. Marca, filia Mariæ Leonis de Guarcino, latere dextero paralytica, sic ut eo nec movere se nec portare quidquam posset, adducta ad ecclesiam S. Antonii prope Ferentinum, ubi jacebat corpus Sanctum, et posita supra ejus sepulcrum, subito sanata est. Item Romana, filia Philippæ uxoris Nicolai Matthei de Ferentino, brachio contracta et latere dextro paralytica, nec manibus nec pedibus uti valens, magna cum devotione ad sepulcrum delata, ibidem sanitatem impetravit. D. Lætitia, D. Clementis de Ferentino, continua febri graviter laborans, et insuper dextro latere paralytica, voto se obligans ad Sancti sepulcrum visitandum, voti rea mox fuit. Petrus Mag. C Jordani della Serucula Anagninus, in dextera coxa tantum dolorem patiens ut ambulare non posset, neque pedes in terra ponere: gressum recuperavit eodem adductus.

Curantur, scrofula, paralysis, et pedum impedimentum:

40 Lætitia, filia Leonardi Licaze de castro Mozoli diœcesis Anagninæ, per sex annum dextrum pedem contracta, positaque supra sepulcrum Sancti, gratiam incessus expediti consecuta est. Petrus, alias dictus Pietas de Ferentino, per quemdam morbum intolerabili cruciatui junctum amiserat gradiendi facultatem, neque digitos manuum adstringere poterat, sed membris omnibus contractus anno integro manserat contractus: devotione autem erga Sanctum suscepta, et visitato ejus sepulcro, ante illud totam noctem ferventer orando perseverans, sequenti mane sanus apparuit. Jacobus, filius D. Mariæ Nicolai de Paterca omnibus membris contractus, devoteque ad sepulcrum Sancti delatus, supraque illud collocatus, in conspectu omnium sanitatem recuperavit.

41 Maria Ferraria de Ferentino, apostemate inflata exindeque opinione omnium moritura, ibidem etiam salvata est. D. Palma Gandolphi de Ferentino, dolore capitis laborans, qui etiam collum ipsi in humerum detorserat, post sesquiannum adducta ad sepulcrum, tam integre sanata est, ut ipso quo D doluerat capite deinceps ferre posset etiam grandes lignorum fasces. Fr. Joannes de Buccani, ex Ordine ipsius Sancti, toto corpore dolens graviter atque contractus, neque incedere valens nec quidquam eorum agere quæ solebat, velut inutilis posthac futurus ab aliis Patribus delatus et sanatus est ad monumentum Sancti. Petruccius, filius D. Bellutiæ Joannis Bartholi de Coccano diœcesis Ferentinensis, manibus pedibusque et toto latere dextero contractus, septem amplius annis infirmitatem istam toleraverat, quando parentibus suis dixit: Ferte me ad Sanctum illum qui pueros sanat: ad quemque deportatus convaluit. Thomas, filius Jacobi Thomæ Lucæ de Caramanico, paralyticus et contractus, qui nec ambulare nec stare poterat, sed neque loqui, desperatus a medicis, ad impositionem catenæ supradictæ statim convaluit.

sanati varii infirmi, contracti,

42 Thomas, filius Sulmontinæ, uxoris Bernardi de Sulmona vexatione diabolica vigorem omnem corporis amiserat, nec loqui verbum poterat, nec ullam amplius spem salutis habebat; sed devote adductus ad locum sancti Spiritus, ibique cinctus catena ista, E miraculose liberatus est. Nicolaus, filius Petri Gabolini de Aletrio, duobus eoque amplius annis vermes patiebatur in auribus, malignum humorem stillantibus: cujus caput cum esset devote reclinatum supra sepulcrum Sancti, solutus omni incommodo fuit. Leonardus de Roxa, Aletrinus, similiter caput sepulcro imponens, recuperavit auditum penitus deperditum.

surdi,

43 Odo, filius Joannis Odonis de Ferentino, gravem incurrerat infirmitatem, quæ eum loquela et gressu privarat, nec sinebat caput erectum tenere: cumque sic mansisset uno anno et amplius, positus supra sepulcrum Sancti, visibiliter fuit restitutus integræ sanitati. Fr. Petrus de Cere, Monachus S. Bartholomæi de Trisulto Ordinis Carthusiani, infirmitatem patiebatur cardiacam adeo gravem, ut continuum toto corpore totisque visceribus sentiret cruciatum, sibique videretur in horas expiraturus: duraverat tamen hæc ei infirmitas totis duodecim annis et amplius, quando sumpta in meritis Sancti fiducia venit ad ecclesiam S. Antonii, ubi ille sepultus erat, ibique triduo mansit, et deinceps nullum incommodum sensit.

mutus, et cardiacus.

44 Hugo, famulus Prioris S. Bartholomæi de Trisulto, ferendo ulmum magni ponderis herniam contraxerat in partibus genitalibus, adeo gravem ut nullum ei curandæ remedium inveniretur: sed F cum vovisset ad sepulcrum accedere et votum implesset, voti etiam sui consecutus est effectum, integram scilicet sanitatem. D. Margarita, uxor Petri de Passano, et filia Angelellæ de Ferentino, sex scrofulas ad guttur portabat annis duodecim, nec ab iis potuerat quantiscumque remediis liberari. Verum cum eam ad sepulcrum Sancti adduxisset Illustrissimus ac Reverendissimus Cardinalis Thomas ex Ordine ipsius Sancti, et hujus catena illius gutturi ibidem esset admota; cœpit ipso instanti decrescere molesta illa atque deformis appendix, intraque paucos dies sic tota evanuit, ut nec vestigium quidem remanserit.

Curata hernia, et scrofulæ.

45 Bartholomæus Episcopus Ferentinas, et alii multi ejusdem civitatis incolæ, qui cum ipso interfuerunt in disjunctione ossium S. Petri, facienda ex voluntate et commissione Fratrum, in quorum potestate ipsa erant, et ad petitionem populi Ferentinatis, ad illa honestius decentiusque collocanda: in ipsa eorum contrectatione senserunt magnam odoris suavitatem (qualis ex Sanctorum et Beatorum corporibus sæpe afflatur) quæ omnem aromatum virtutem superabat. *Hactenus Italicum MS. Opportune autem sese*

Elevata ossa suave olent.

A *sese offert hic nobis* Bartholomæus Ferentinas Episcopus, *pro anno, quo hæc ossium sacrorum elevatio contigit*, MCCCVI, *ad supplendum hiatum seriei Episcopalis apud Ughellum tom.* I *Italiæ sacræ col.* 727, *nullum Episcopum nominantis, qui sederit inter Landulfum anno* MCCCIII *vita functum, et Philippum anno dumtaxat* MCCCVIII *confirmatum.*

CAPUT VI.

Bulla Canonizationis et Translationis historia ex editione Fabri, collata cum MSS.

Clemens Episcopus, Servus Servorum Dei, venerabilibus Fratribus, universis Archiepiscopis, Episcopis; ac dilectis filiis, Abbatibus, Prioribus, Decanis, Archidiaconis, et aliis Ecclesiarum Prælatis, ad quos litteræ istæ pervenerint, salutem et Apostolicam benedictionem. Qui facit magna et inscrutabilia et mirabilia absque numero, Dei filius, increata Sapientia, Verbum Patris; qui olim a principio, una cum Patre et sancto Spiritu, ex se ex nihilo mundum efficiens, dispositione suavi convertit producta omnia, secundum gradus suis naturis congruos, cœlum replevit Angelis; hominem ad imaginem suam factum perfundendo gratia, sidereis mansionibus dignum fecit; novissime diebus istis, antiqua innovando signa, immutando mirabilia, stupendum mirandumque opus ipse fecit Altissimus, gloriam majestatis Divinæ clamans altisone, perfundens Sponsam suam Ecclesiam novo genere gaudiorum. Ecce namque novi Confessoris insignia mundo prodeunt, præclara merita mundi defluentis viatoribus patefiunt, sanctitatis ejus magnitudinem grandia miracula proloquuntur, quæ ipsum probant indubie in deliciis Paradisi, intra secreta Dei cubicula, plenam habere requiem post laborem. Et recte quidem: nam qui in terris non cessavit magnifice de virtute progredi in virtutem, dignus esse dignoscitur, qui in cœlis, terras deserens, gloriam Domini revelata facie speculetur. Ob hoc beatorum spirituum agmina exultant in gaudio, dum vir sanctus, solari fulgore coruscus, ipsis inseritur; et de ipso portante gloriam, sacratus horum numerus, quem cadentium ruina minuerat, integratur. Applaudunt et cœli, cum ei gradienti in virtute sursum patulum præbent iter, ipsique regnanti Deus in ipsis æthercam sedem parat. Plaudat ergo et jubilet canora voce sponsa C Christi mater Ecclesia, dum quem genuit unda baptismatis, et aluit ubere piæ matris, quem et Patrem in mundo habuit et Pastorem, lætabunda gloriosum mittit ad Superos: cum de se, horto irrigato divinitus, ipsum ut lilium candoris nivei, ut vernantem rosam odoris eximii, festive divinis conspectibus repræsentat. O quam felix es Provincia *a* Terræ Laboris, quæ probaris talem et tantum produxisse palmitem, inhærentem firmissime Christi viti: cujus propagines odore miræ sanctitatis diffuso extenduntur usque ad fines orbis, ejusque ex uvis expressus vini liquor devotorum corda lætificans, ad amorem Dei mundanorum mentes allicit et inflammat.

A Christo repletur Ecclesia novo gaudio,

ob Sanctitatem S. Petri de Morono

47 B. igitur Petrus, de prædicta provincia Terræ Laboris traxisse fertur originem, ex honestis parentibus, Catholicis et devotis. Hic edoctus cum Tobia Deum timere ab infantia, et abstinere a vitiis, illecebras mundi considerans, quæ plerumque humanas mentes dum leniunt, vulnerant, vinciunt, et captivant; positus in ætate adhuc tenera, sed sub corpore fragili virilem animum secum habens, antequam seculare quidquam ejus illaberetur animo, fugam prudenter attentans, cum Baptista Joanne, eremi secreta petiit; ubi remotus a noxiis, solus posset suo vivere Creatori. Quanta autem inibi in locis solita- D riis, horridis et aridis, et fere hominibus inaccessis, vestium asperitate, quanta victus parsimonia, quantisque vigiliis et orationibus, quotve aliis afflictionibus maceraverit carnem suam (ne delicate nutrita proterviens, sæviret in spiritum) non posset lingua faciliter seu breviter explicare. Hoc vir sanctus idcirco consulte et provide faciebat, quo excussa et attrita palea suæ carnis, ejus spiritus innocens, ut purgatum et mundum triticum, reponi dignus esset in horreo cœlesti. Ut autem ad ædificationem Christi fidelium saltem pauca exprimantur de multis, quæ sint velut informativa quædam exemplaria vitæ nostræ; ipse, sicut pluribus et fide dignis testimoniis est probatum, vestium splendorem ac lenitatem *b* despiciens, in quibus amatores hujus seculi delectantur, ciliciis de pilis equorum factis, reticulatis pariter et nodosis, vestibus quoque aliis vilibus multum et asperis tegebatur. Ad nudam quoque carnem, catenam ferream, et circulum *c* quandoque ferreum deferebat. Lecti etiam mollitiem declinans (ne caro petulanter lasciviens, *d* noxia moliretur in spiritum) in terra aut nudis tabulis dormiebat, vel in cancellatis craticulis, vestitus cilicio et pannis solitis, præcinctus lumbos circulo ferreo aut catena. Pro pulvi- E nari vero, ligno aut lapide seu dura re alia utebatur: et (quod pene importabile est) sanus vel infirmus, lectis aliis non est usus. Studens etiam pro viribus domesticum domare hostem, ne prævalere posset spiritui, nec sanus nec infirmus carnibus vescebatur. Vinum vero non bibebat nisi rarissime: sic lymphatum tamen, ut videretur vini speciem non habere. Semper quoque, nisi diebus Dominicis, jejunabat. Sex nihilominus quadragenas singulis annis faciens, mentem non ventrem reficere cupiendo, affligebat in ipsis solito durius carnem suam. O stupenda et aliis insueta rerum materies! cernere hominem, in carne degentem mortali et fragili, sub tam austeræ et longæ macerationis pondere non cadentem. In tribus namque quadragenis in pane et aqua jejunabat continue, et quandoque cum solis foliis caulium, absque pane: interdum autem solis pomis, vel solis pomis vel castaneis, seu granis fabarum mollificatis in aqua aut crudis rapis tantummodo vescebatur. In ceteris vero quadragenis, uno tantum ferculo utebatur, insipido tamen et in modica quantitate. In harum vero quadragenarum aliquibus (quod naturæ humani corporis est horror) usus est pro veste solo cilicio: in quibusdam vero, cilicio F et super ipsum panseria *e* sive lorica, cujus pondere caro ejus, per subintrantes nodos cilicii, ut testantur ejus socii, aliquoties rumpebatur. Et revera hæc in homine isto sancto supra hominem gerebantur: ad hæc enim ferenda tam gravia virtus humana non videtur posse sufficere, sed divina potius in ipso habitans hoc gerebat.

qui a puero in Eremo vixit,

ex variis deditus asperitatis, et abstinentiæ exercitiis;

48 Hic beatus vir, jam mortificatis spiritu carnis desideriis et repressis, summe devotus Deo, orando assidue animum ad Deum tenuit firmiter elevatum: ipse etenim ad matutinas laudes media nocte surgens, ipsis dictis legebat Psalterium, cum Letania et Collectis quam pluribus ac crebris genuflexionibus: et disciplinis duris carnem suam cum vitiis et concupiscentiis crucifigebat. In aurora vero, Missa per ipsum celebrata, iterum devote reincipiebat Psalterium, et orare usque ad horam tertiam non cessabat. Ne autem ipsum reperire posset diabolus otiosum, laborabat propriis manibus, scribendo, vel suendo cilicia, seu faciendo aliud opus honestum et utile, ab hora tertia usque ad nonam. Post cibum denique sumptum usque ad noctem profundam perseverabat cum Deo, ab oratione fervente spiritum non relaxans. Morum etiam honestate venustus, odore

item orationi, et labori,

EX VARIIS. A odore suæ sanctitatis vitæ communiter jam disperso, ad suum multos attraxit aspectum; et quamplures, oberrantes per vitiorum abrupta, reduxit ad Deum suis sanctis orationibus *f* et exemplis. Nec mirum: nam ipsum reddebat cunctis communem caritas, obedientia promptum, placidum humilitas, pietas patientibus coafflictum, decorum puritas, parsimonia mirabilem, honestatis maturitas reverendum, benignitas hilarem, constans quoque virtus animi in adversis et prosperis uniformem. Denique vir sanctus, cupiens divinum ampliare cultum, Congregationem monasticam sub B. Benedicti regula, superadditis ei Statutis arctissimis, ordinavit: ubi Fratrum suorum Deo famulantium adaucta multitudine numerosa, fundatisque locis non paucis, in quibus Christus Jesus ab ipsis jugiter laudaretur, vixit cum eis, cunctis florens virtutibus, ac eximiæ sanctitatis operibus informans et reformans universos.

f Hic multis ad Deum conversis, instituit Ordinem:

49 Verum quia non erat expediens, quod tantæ sanctitatis odor in solo uno mundi angulo sentiretur, sed potius quod, ad ædificationem cunctorum fidelium, circumquaque per mundum promptius spargeretur; dispensatione provida ad summum Pontificatus apicem est provectus. B In quo tamen idem ipse manens qui fuerat, sub præcelsæ dignitatis habitu; nec vitam eremiticam (quantum fas servare fuit) nec animum derelinquens, novit inter epulas esse sibi summe austerus et abstinens, inter amplas divitias summe pauper. At vero hic vir beatus, simplicitatis miræ et in spectantibus ad regimen universalis Ecclesiæ inexpertus (utpote qui a teneris annis usque ad senium elongatus a mundo, cor suum mundanis rebus non accommodaverat, sed divinis) reflectens prudenter suæ considerationis intimæ oculum ad seipsum, honori Papatus cessit et oneri, libere et ex toto, ne ob prædicta posset ex suo regimine quodcumque periculum universali Ecclesiæ provenire; et ut turbativa Marthæ solicitudine declinata, vacare posset secus pedes Jesu contemplationis otio cum Maria. Post hæc itaque divinæ vacans contemplationi assidue, usque ad ejus obitum, quo beata illa anima carnis evasit ergastulum, cœlos petens, sanctissimam vitam duxit. Et quia multum conveniens erat, quod ille, quem Deus in mente perfuderat tot et tantis charismatibus gratiarum, clarus mundo colendusque divinæ virtutis testimoniis appareret; non defuere divina miracula in quolibet statu suo; ante Papatum videlicet, in Papatu, ac etiam post Papa- C tum, in ejus vita pariter et post mortem, voce clamosa proloquentia ipsius imitandam cunctis eximiam sanctitatem.

creatus Summus Pontifex, ultro se abdicat: moritur clarus miraculis:

50 Ut autem hoc Jesu Christi fidelibus amplius notum fiat, aliquot miracula de quampluribus exprimamus, quæ accidisse ipsius meritis veraciter certis testimoniis sunt probata. Mulier quædam, ex infirmitate gravi sic cæca omnino effecta, ut juvari non posset per quæcumque adhibita remedia medicinæ; portata ad locum eremi, ubi Frater Petrus tunc temporis morabatur; cum se signasset quadam parva Cruce lignea, quam idem Frater Petrus per virum suum ei transmiserat, et eamdem ad oculos applicasset, perfecte statim visibiliter est curata. Quidam factus ita furiosus et amens, quod se ipsum aut alios offenderet, cordis et catenis ferreis ligabatur; adductus ad dicti Fratris præsentiam, cum comedisset de pane sibi per ipsum exhibito, sic est curatus perfecte, quod de dicta infirmitate nihil ulterius unquam sensit. Puella etiam quædam, quæ fistulam tam gravem habebat in pede cum aperturis pluribus, quod de perditione pedis a medicis timeretur; portata ad ipsum, et facto per eum super plagam ter signaculo sanctæ Crucis, statim sanata est, ita ut post dies paucos non apparuerit in dicto pede aliquod infirmitatis prædictæ vestigium vel cicatrix *g*. D Quædam mulier, quæ sic vehementer gravabatur infirmitate hectica, ut de ejus vita desperaretur a medicis, nec pro necessitate quacumque absque plurium adjutorio de loco posset se movere; cum quievisset per horæ spatium sub quodam panno lineo, quem per patrem dictæ infirmæ miserat Frater Petrus, statim sanata surrexit. Quidam etiam scrophulam, grossam ad quantitatem ovi gallinæ, in manu per quinque annos habuerat: benedictione facta per ipsum Sanctum super infirmitatis locum, fuit post morulam modicam sanatus totaliter et perfecte. Cum etiam summi Pontificatus culmine præemineret, quædam mulier, quæ vi morbi per annos quatuor per totum corpus extiterat crocea et inflata, quæ etiam operari quidquam non poterat, nec absque gravamine notabili ambulare; delata ad locum, per quem erat Frater Petrus tunc summus Pontifex transiturus, et benedicta ab ipso, restituta est illico pristinæ sanitati *h*. Alia quædam mulier, sic contracta in omnibus membris suis, ut nec ambulare posset, nec mutari de loco ad locum, nisi ab aliis portaretur; posita secus viam, per quam ipse Frater Petrus tunc transitum faciebat, et data super ipsam Crucis benedictione, E per ipsum fuit perfecte continuo liberata. Postquam etiam resignavit Papatui, cuidam, qui ex toto pene visum perdiderat, cum se ipsi Fratri Petro præsentasset, superducta quadam parva Cruce lignea oculis patientis, restituit integre statim visum. Denique ut in ejus obitu suæ sanctitatis lucidæ divinum testimonium non deesset, de ipsa Cruce (quam summe dilexit) et lumine *i*, fecit Deus signum mirabile apparere. Etenim tempore mortis suæ apparuit crux parva et fulgida, in medio ostii cameræ in qua erat; quæ ad modum vertiginis se volvens, continue permansit divinitus suspense in aere, quoad usque corpus ejus de ipsa camera est translatum. *k* Sed et post obitum viri sancti quidam sic est percussus paralysi, ut nec ambulare, nec stare, nec loqui posset quoquomodo. Ductus, ad locum, ubi Frater Petrus pœnitentiam consuevit; et catena quadam, quam portasse ad carnem nudam dicebatur dum viveret, apposita patientis collo et capiti, et ad cetera membra ejus, fuit statim penitus liberatus. Quidam etiam, qui vires ambulandi ac standi, usumque manus perdiderat, ductus ad ecclesiam, ubi dicti Sancti corpus jacet reconditum, et pernoctans cum animi devotione in eadem, sensit se mane totaliter a dicta infirmitate liberatum. F

ante Papatum, g in Papat h et post eum i k atque post mortem.

51 His et aliis quam plurimis miraculis gloriosis mirificavit Dominus Sanctum suum, et clarum mundo reddidit ac colendum. Gaudens itaque plaudat mater Ecclesia, et suaves depromat melodias: nam hic Christi Confessor, eximia sua proles, inter Beatorum agmina stellam possidet matutinam, et super Christi mensam cum Angelis ore pleno melle dulcius abditum manna gustat. Jubilare non quiescat plebs Catholica: nam accensus calculus, quem ex ejus medio ille incendens Seraphim tulit forcipe de altari, in ea quæ sursum est Hierusalem, ignitis lapidibus, in quorum medio Rex cœlorum ambulat, est conjunctus; et hunc apud Deum Advocatum habet, quem fons effluxu perennis jocunde inebriat, abunde satiat lignum vitæ. Jocundetur insuper Religio per ipsum instituta, et in laudes Altissimi organa vocis laxet: nam hic ejus Protector indefessus stola immortalitatis induitur, ac sedens cum Principibus, solitum gloriæ sempiternæ semper clarum tenet, Verum quia dignum est, ut quem in cœlo sursum Deus glorificat, hic inferius ad suum patrocinium mundus colat; nos de sanctitate vitæ, ac veritate miraculorum Sancti hujus, de quibus inquiri fecimus diligenter, prudentis examinis discussione adhibita, plenam

Quapropter gratulabundus Papa, eum Sanctis adscribit.

A plenam et firmam certitudinem obtinentes; requisiti insuper Prælatorum omnium, tunc apud Sedem Apostolicam existentium, supplicatione humili et devota; de Fratrum nostrorum consilio et assensu, confisi de omnipotentis Dei virtute, auctoritate quoque Beatorum Petri et Pauli Apostolorum ejus et nostra, ipsum Sanctorum Confessorum Catalogo duximus adscribendum. Ideoque universitatem vestram monemus et hortamur attente, per Apostolica scripta vobis præcipiendo mandantes, quatenus quartodecimo Kalend. Junii festum ejusdem Confessoris devote ac solenniter celebretis, et faciatis a vestris subditis celebrari: ut ejus pia intercessione et hic a noxiis protegi, et in futuro sempiterna consequi gaudia valeatis. Præstante Domino nostro Jesu Christo, qui cum Patre et Spiritu sancto in unitate vivit et regnat Deus, per infinita secula seculorum. *l* Amen. *m*

52 *Addamus hic historiam translati corporis, ex Ferentinæ civitatis vicinia ad Colemadium prope Aquilam, verosimiliter ab ejusdem temporis auctore seculo* XIV *conscriptam, et quidem pro* Lectionibus *ad usum Chori die* XV *Februarii, quando hujus Translationis festum celebratur. Ipsas habe. Extant illæ quidem una cum Bulla in MS. Caroli Strozzæ, stylo antiquiori, sed fine mutilæ; quare malumus ex Fabro dare.* Solennitatem *n* mirificæ Translationis, qua corpus B. Petri Confessoris almifici, de Campaniæ partibus ad civitatem Aquilæ est translatum, tanto gratulantiori animo et reverenti devotione celebrare nos convenit, quanto firmiori fide et indubitanter debemus credere, hoc Dei dispensatione mirifica factum esse. Cum autem corpus Confessoris prædicti in monasterio S. Antonii prope *o* Ferentinum, quod ipse quidem per distantia tempora longe ante construxerat, fuisset magnis laudibus reconditum, tempore mortis ejus: multa et innumerabilia ac stupenda miracula ad sepulcrum, ubi erat corpus jam dictum, meritis Confessoris ipsius Divina clementia ostendere est dignata. Et licet omnes de provincia illa Campaniæ venerarentur ut plurimum Sanctum ipsum, et ob devotionem Ecclesiam frequentarent; quia tamen devotio illius populi minime æquabatur meritis Sancti hujus; omnipotens Deus, qui Sanctos suos honorari ex condigno desiderat, prout clarent merita eorum apud ipsum; de regione Campaniæ in civitatem Aquilæ, quæ hoc totis affectibus anhelabat, voluit corpus Confessoris prædicti mirabiliter transportari. Et quamvis Aquilani, ex antiqua devotione, in anxietate fuissent maxima, ut prædictum corpus habere possent, ac pro hoc innumerabilem quantitatem pecuniæ Comitibus de Campania dare vellent; ipse gloriosus Confessor, qui semper abhorruit simoniam, ad suos devotos et fidelissimos Aquilanos, quos in sua vita intimo affectu dilexerat, absque pecuniæ pretio voluit remeare. Quin potius, quolibet obstaculo pulso longe, miraculose et absque periculo aliquo, dispensatione divina voluit sic educi.

Cum sancti corpus apud Ferentinates positum,

pretio obtinere nequissent Aquilani;

53 Hujus autem translatio sancti corporis sic per ordinem fuit acta. Cum enim inter civitatem Anagniæ *p* et civitatem Ferentini bellum maximum ortum esset, Comes Palatinus qui tunc temporis dominabatur Anagniæ, congregata multitudine pugnatorum, quibus Ferentina civitas resistere non valebat, quæ extra muros eadem civitas possidebat, usque ad portas fere omnia dissipavit. Timentes autem Ferentini cives, ne Confessoris prædicti amitterent sanctum corpus, accesserunt una die manu armata, et illud de loco suo celeriter exhumantes, in civitatem Ferentini deportarunt. Et mirum, quod dum ejusdem civitatis Episcopus *q* in sepulcrum descendit, ut inde tolleret sanctum corpus, de ruptura quam passus est annis multis, fuit continuo liberatus. Deportatum vero corpus infra mœnia civitatis, in S. Agathæ fuit ecclesia collocatum. Prior autem, qui tunc corporis monasterio, ubi corpus illud sanctum fuerat, præsidebat, de hujusmodi sic peractis fuit non modicum contristatus. Nec immerito: quia *r* videbatur quodammodo Ordo, quem idem ipse Sanctus construxerat quasi absque capite remanere. Et quia per se idem Prior super hujusmodi facto ausus non erat aliquid attentare; omnia sic per ordinem gesta Visitatori Ordinis intimavit. Qui quidem Visitator, ut erat zelator solicitus pro Ordinis bono statu, concito gressu ad locum prædictum S. Antonii de Campania properavit. *s* Qui etiam divino instinctu causam finxit, quod visitare volebat: propter quod mandavit convocare Fratres omnes oriundos Ferentino, qui in custodia corporis sancti erant. Et missis duobus aliis de nocte Fratribus, qui de provincia et civitate illa non erant, ut in custodia corporis sancti permanerent; idem ipse Visitator expresse ac occulte mandavit, ut omni sagacitate ac ingenio quo valebant adhibitis, sanctum corpus habere omnimode procurarent. Qui licet tremebunde satis ad hoc pergerent peragendum, propter hoc videlicet quia magna fiebat custodia armatorum; confisi tamen de divino auxilio et de sanctæ obedientiæ meritis, prout eis permissum erat a populo, ad custodiam sancti corporis perrexerunt.

orto inter istos et Anagninos bello,

ex variis

Ferentinum accedens Visitator,

54 Cum autem in prima noctis vigilia surrexissent; genibus flexis coram capsa, ubi sanctum corpus erat reconditum, sic oraverunt humiliter et devote: Domine Jesu Christe, per merita hujus Sancti, cujus ossa et Reliquiæ in capsa ista sunt condita, te suppliciter exoramus, ut si sanctum corpus absque periculo hinc levare valeamus et alio asportare, digneris ostendere nobis signum, ut scilicet una istarum spirarum *t*, quæ coram sancto corpore sunt accensæ, continuo extinguatur. Erant enim ibi ardentes jugiter spiræ tres, ob reverentiam Sancti hujus. Et fusa sic oratione prædicta, subito et sine intervallo aliquo, spira quæ ardebat in medio fuit extincta. Illico Fratres illi ab oratione surgentes, et roborati spiritu fortitudinis per hoc signum, capsam magnam clavi aperuerunt. Accepta vero capsa minore, quæ intus erat, in qua sub certis sigillis recondita erant ossa omnia Confessoris prædicti, et incisis funibus de subter quibus erat per circuitum colligata, illam aperuerunt: et salvis sigillis ab anteriori parte appositis, inde omnia ossa extraxerunt. Religantes autem de subter filo funes cum integritate sigillorum, capsellam, ut prius fuerat, posuerunt in capsa majore: qua clave obfirmata et clausa, ossa omnia hujus sanctissimi Confessoris lineo panno et albo circumvolventes, in *u* mataratio, in quo jacuerant, absconderunt. Mane autem facto replicantes mataratium, imposuerunt capiti cujusdam bonæ matronæ, et ad domum monasterii direxerunt; causam fingentes cum custodibus qui aderant ibi, quod Visitator prædictus, ubi jacere poterat, non habebat *x*. Redeuntes etiam Fratres ad monasterium, Visitatori, quod actum erat, indicarunt. Qui gavisus non modicum, præcepit Fratribus illis ad portandum paratis, ut eum sequi cum sancto illo corpore non tardarent: quod et factum est sine impedimento aliquo, divina gratia operante. Et transeuntes per Campaniam, quæ tota erat tunc temporis bellis plena, non invenerunt obstaculum quoquomodo. Imo illo mane, quo asportatum est sanctum corpus, facta est in civitate Ferentini de hoc mussitatio magna: et cum jam parati essent ad capiendum passus, ante portam civitatis permissione Divina apparuerunt quadringenti milites ad bellandum, et in civitatis obsidione tamdiu duraverunt, quamdiu sanctum

per Fratres ipsum custodire jussos,

exempta capsæ ossa sibique allata,

transfert Aquilam:

EX VARIIS A ctum corpus ferentes totam Campaniam transierunt, et divino instinctu Aquilam perrexerunt.

56 Aquilani autem de hoc firma veritate comperta, diebus et noctibus continuatis viginti, tanto gaudio et lætitia sunt abstracti, quod quasi noctes et dies insomnes ducerent, refecti laudibus hujus Sancti. Et, ut compendiose loquar, tam magnam solennitatem Aquilani fecerunt, perseverantes unanimiter in hymnis et canticis, et in aliis quæ ad divinum cultum spectare noscuntur, quod humana lingua deficeret hoc narrare. Hæc est autem relatio Uncti hujus, in qua per Aquilam dicitur iterum coronari: nam proprie in loco illo Colismadii, ubi inunctus et in summum Pontificem extitit coronatus, ibi festum translationis hujusmodi, cum ostensione Reliquiarum corporis sancti ejus, factum fuit cum ingenti lætitia et honore. Ad cujus quidam ostensionem corporis, multi languentes diversarum infirmitatum fuerunt totaliter liberati: nam ad tactum capsæ ferreæ, in qua reconditum erat corpus illud, cæci lumen recipiunt, et muti loquelam, contracti manuum et pedum extensionem; dæmoniaci et alii diversis languoribus impediti, liberati sunt meritis Sancti hujus. Ad cujus etiam festivitatis spectaculum plures Episcopi, B Prælati alii, et Abbates, cum copia maxima Clericorum et Religiosorum virorum cujuslibet Ordinis, apparatu solenni processionaliter convenerunt: aliorum vero Christi fidelium tam magna extitit multitudo, ut centum millia virorum numerum credatur excessisse. Facta est autem Translatio corporis prædicti Confessoris almifici sub anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo septimo, die quinto decimo Februarii. Reconditum autem fuit honorifice in capsa ferrea, vallata seris fortissimis in ecclesia S. Mariæ Collemadii de Aquila, quæ quidem ecclesia est de Ordine ejusdem clarissimi Confessoris, quam etiam ecclesiam idem ipse Sanctus ante suum Papatum construxerat, et in Papatu existens absolutionis plenariæ Indulgentia *y* decoravit. Gaudeat ergo et exultet per secula civitas Aquilana, quæ tantum ac talem meruit recuperare Patronum.... *z* Congaudeant etiam Provinciæ regni hujus, quæ ex civitate familiari tam præclari Confessoris habent Reliquias, et ejus sanctissimi corporis sunt præsentia decoratæ. Qui quidem Sanctus pro eo in istis provinciis esse voluit suum corpus, ut ipsum venerantes condigne, et in corpore viventes custodiat, et de corpore egredientes post mortem ad æternam gloriam introducat. Amen.

ubi latenter excepta,

miraculis clarent.

y

C

ANNOTATA.

a Terra laboris, *Italis* Terra di Lavoro, *antiquis* Campania felix; *ea si latius olim extendebatur, ut etiam Comitatum Molissinum comprehenderet, conciliari utcumque poterunt variæ aliorum de patria sententiæ; non tamen in loco nominando diversitas ingens, de quo infra opportunius.*

b *Faber*, Levitatem.

c *MS. nostrum* Circulos quinque ferreos: *sed cum nemo aliorum, qui eamdem Bullam etiam legerunt, plusquam unus circuli meminerit; non ausim lectionem istam vulgata præferre.*

d *Idem*, Noxie.

e Panseria, *Italis* Panziera, *videtur a* Panza *derivari (quod Italis ac Francis ventrem sonat) Teutonibus* Pense.

f *Faber*, exhortationibus.

g *Sequentia duo desunt in MS. Strozzæ.*

h *Item hoc miraculum.* i *Item* lumine.

k *Pro duobus sequentibus miraculis in MS. Strozzæ sic legebatur:* Duæ etiam mulieres contractæ brachiis, quæ etiam quasi totaliter perdiderant dextrum D latus, positæ supra tumulum viri sancti, confestim mirabiliter sunt sanatæ.

l *Faber solenni hac conclusione abstinet.*

m *Deest annus et dies factæ Canonizationis, quas opportune designant Codex noster et Bernardus Guidonis: prior in MSS. Gestis Pontificum, asserens id* factum apud Avenionem, III Nonas Maji, Sabbato, anno Domini MCCCXIII, a transitu vero suo anno XVII: *alter in Vita Clementis V apud Bosquetum, ita scribens:* Hic Clemens Papa, Pontificatus sui anno VIII, Dominicæ Incarnationis MCCCXIII, quinta die Maji in Sabbato, apud Avenionem canonizavit Fr. Petrum de Murrone, quondam Papam Cœlestinum, et sub nomine S. Petri Sanctorum Confessorum Catalogo adnotavit, a transitu S. Petri anno XVII. *Nempe anno isto erat littera Dominicalis* G. *Est autem hujus Canonizationis memoria ad dictum diem 5 Maji inscripta monasticis fastis Wionis, Dorganii, Menardi.*

n *MS. Strozzæ,* Festivitatis eximiæ: *sed, ut dixi mutatus est Lectionum hic editarum stylus, quare notabiliores dumtaxat discrepantias indicabimus.*

o Ferentinum, *urbs Hernicorum Episcopalis in veteri Latio, nunc Campania Romana, prope Viam Latinam.*

E

p Anagnia, *quinto milliario distans Ferentino, antiquissimorum ibi Latinorum caput.*

q Philippus II, *Episcopus Ferentinas.*

r *MS. Strozzæ,* quia universa Religio, tanti Patris præsentia destituta, veluti luctuosa vidua, inconsolabiliter doluisset.

s *Idem MS.* Qui, ut moris est illorum Fratrum, visitatione incepta, revocatis ad monasterium illius Provinciæ Fratribus, qui ob custodiam Sancti in civitate manebant, et eorum loco duobus aliis alterius Provinciæ substitutis; idem Visitator expresse mandavit.

t Spira, *apud Fabrum* Spera, *videtur idem esse quod aliis* Intortitium, *id est, hastile, ductili ac longo cereo circumvolutum.* Lampadem *vertunt recentiores Vitæ auctores Itali.*

u *In miraculis S. Ambrosii Senensis* 20 *Martii num.* 250 Materatium, *dicitur,* lectus quo pauperes utuntur, *utique non pluma, sed lana fartus.*

x *Addit MS.* Qui quidem custodes permiserunt abire, factum penitus ignorantes. *Et hic fere desinit MS. illud, cetera desiderantur.*

y *Ipsam Bullam vide infra in Supplemento, estque etiam edita ab Ughello in Episcopis Aquilanis col.* 426 *et apud Raynaldum ad hunc annum num.* 14, *sub die* III Kal. Octobris in festo S. Michaelis. F

z *Sequebantur verba nullum sensum facientia* : Discat etiam quid debeat isti Sancto, qui ut facta salutis in ea vera esse ostenderet dum advixit, confirmata post mortem ostendit ex præsentia corporis Sancti ejus : *quæ omisimus. Non etiam satis placet quod mox sequitur* Ex civitate familiari ; *an voluit* amicam *aut* vicinam *dicere?*

OPUS

A

OPUS METRICUM[a]

Jacobi Cardinalis S. Georgii ad Velum-aureum, coævi et in Papatu familiaris.

ex duobus Codicibus MSS.

EPISTOLA DEDICATORIA

Religiosis viris, amicis carissimis, Abbati et Conventui monasterii sancti Spiritus de Sulmone, Ordinis S. Benedicti, Valvensis Diœcesis, Jacobus, miseratione divina S. Georgii ad *b* Velum-aureum Diaconus Cardinalis, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

c Descriptam a se prosa ac carmine historiam,

Grandem nobis admodum, mirandamque cunctis historiam, quam dudum per nos heroico metro inchoatam proximæ vacationis *c* præteritæ tempore devotione perfecimus, Vitam [scilicet] mores, regulas, electionem ad Papatum, gesta in eo; renuntiationem, obitum, canonizationem; postremo quoque miracula sancti Confessorisque mirifici, Fratris Petri de Murrone, quondam Cœlestini Papæ quinti, Ordinis vestri ac observantiæ præcipui sub B. Benedicti Regula Fundatoris, nec non eisdem interjectam felicis recordationis Bonifacii Papæ octavi coronationem, ipsiusque solennia, ardua (ni fallimur) Rhetorica, veridicaque descriptione suffultam, succinctamque prosam, ejusdem historiæ materiam enodantem, una cum Vobis dudum *d* destinatis Responsoriis tribus, Alleluia, Versibus, in littera cantuque, ac Orationibus tribus per nos de ipso confessore compositis, nunc vobis primum ac Ordini vestro læta animi jucunditate transmittimus; et si non apprime, utcumque tamen, ceu negotiorum ingruentia fuit, aliquali discussione correctam. Hanc igitur grate missam, grata, quæsumus, familiaritate suscipite; tantoque illius fidentius vacate sermonibus, quanto eadem, non ex præcedentium Scriptura pulchre, velut ex imaginibus fictis, depingitur; sed ex gestorum potius forma certe, ac si ex veritatis radiis, designatur : eoque interdum deficientes nos supportate benignius, quo non in illa novum ex veteri cudimus, sed ex novo novum in opere metrum, ubi gnarus negligit formam. Et idcirco studentis ingenium vigilet; manus tamen abstineat, lingua dometur; ne fortassis incautus id corrigat, quod in illo velox ignorat; præsertim cum nec correctores tot exigat quot idem lectores exposcit . et nos, si tempus adfuerit, repetita ipsum lectione recurrere, recursum discutere, discussumque corrigere properemus. Ceterum præsentem librum, præfatam metri prosæque continentem historiam, quem per Religiosum virum amicum nostrum carissimum, Fratrem Antonium de Ysernia, monasterii vestri Priorem, Sancto devotum et Ordini, ipsiusque libri a nobis aliqualem introductionem habentem, duximus destinandum; cujus originalem *e* penes monasterium vestrum sancti Spiritus de Murrone prope Sulmonem perpetuo manere decrevimus. Cujus interim Fratribus et Conventibus Ordinis vestri, maxime ubi studium vigeat, secularibus etiam dari permittimus : proviso quod liber hic, quasi originalis, de monasterio ipso non transeat, quodque ipsius extracta copia veraciter, punctatim, cum interlinearibus sive glossulis *f* ibi positis concedatur. Alioquin quod veremur accideret, ut ignotus liber redderetur ignotior, criminaretur absque culpa compositor; et quod quam maxime vitandum est, ut futura ex præsentis operis inspectione ad Sanctum devotio decresceret, quam speramus. Valeat Caritas vestra in Christo Jesu, apud quem Sanctum pro me peccatore adhibete propitium, vestrarum orationum suffragiis exoratum. Datum Avenione, die vigesima octava mensis Januarii, anno Domini millesimo trecentesimo decimo nono.

cum aliis adjunctis pro Officio, d

ipsis commendat ac mittit,

per Priorem Æsernlensem,

e et jubet apud eos servari,

f

D *ex variis nec sine marginalibus suis glossis communicari.*

ANNOTATA.

a *Codex Vaticanus, nescio en etiam Sulmonensis, veluti communi totius operis titulo inscribitur,* Vita S. Cœlestini V.

b *Ita MS. Vaticanum. Ecgraphum Sulmonense ubique scribit* Vellus aureum : *nec abludit ab ingenio auctoris, infra clarius noscendo, ut quod antiquis* Velabrum *erat, Tibullo notum et usque hodie (admirabili constantia et in similibus rarissima)* Velabro *dicitur, ipse pari jure putaverit a se dici posse* Vellus-aureum, *quo medii ævi auctores, Latinitatem minime Latinam affectantes, ipsum dixerunt* Velum-aureum. *Verosimile est fuisse forum minutarum mercium, quando venditores* Velabros *appellatos testatur Papias apud Cangium.*

c *Vacavit Sedes Pontificia ab obitu Clementis V, anno* 1314, 18 *Aprilis, ad electionem Joannis XXII ann.* 1316, 5 *Septembris : et hæc epistola infra notatur data* 1319, 28 *Januarii.*

d *Verosimiliter primo anno post totius operis absolutionem : quod tamen tunc pariter non misit, quia volebat illud per otium corrigere : ipsa autem ad calcem libri denuo describenda curavit, cum eadem cum qua fuerant missa Epistola, ubi et nos ea dabimus.*

e Originalem *vocat, non quasi autographum, sed ex autographis schedis ordinate et charactere pulchro descriptum a librario; sed (ut infra apparebit) non ubique assecuto mentem sui auctoris : qui utinam otium habuisset singula relegendi ad suas ipsius Schedas! invenisset enim præcipitem librarium, sæpe compendiariis notis, sæpe interlineationibus liturisque deceptum, mutato ordine verborum, quandoque et linearum, sensum non raro reddidisse vix intelligibilem per conjecturam, præsertim in prosa, nam in carmine ipsa ratio metri vacillantem scriptorem dirigere poterat. Eatenus etiam Sulmonense MS. dici* Originale *potest, quod Vaticanum, et si qua alia alicubi extant, inde accepta sunt.* F

f *Omnes istæ glossulæ in ecgrapho nostro accurate transcriptæ habentur; eas tamen solus in Annotatis dabimus quæ magis ad rem facere videbuntur, addito* ut appareat Auctoris esse, non nostras.*

PROSA

In hujus totius triplicis operis metrici præcognitionem.

PARS I.

Præfatio auctoris de seipso; operisque sequentis forma, materia, causa, utilitate.

Ante omnia explicat, a

Quoniam id versatur in animo cujusque, cudentis exordium novi rerum gestarum operis, sic fata profandaque in illo, præsertim metri cælata coloribus, venustis declarare præambulis *a*, ut styli gravitas suis floribus radians perseveret in culmine, et scriptitatæ rei pateat veritas velata carminibus; idcirco, juxta doctrinam Analyticorum Philosophi, dicentis, Omnis doctrina et omnis disciplina intellectiva ex præexistenti fit cognitione; quædam nobis operæ pretium

EX MSS.

A pretium est præcognoscenda præmittere; quibus [in decursu] hujus operis doctrina docentis eniteat, et dicentis disciplina coalescat; quod efficitur, si materia operis, Auctoris *b* intentio, forma voluminis, ac ejus efficiens causa, gestæque rei utilitas, proferantur.

quid primo scribere proposuerit brevius,

2 Materia quippe nobis duplex ingeritur; una brevis succinctaque, nondum stylo manu apposita, sed voto præconcepta; metro videlicet, cujusvis Romani Pontificis consecrationis mysteria, coronationis insignia, processionisque Cleri solennia, veteresque ritus in illis intexere, quod versibus trecentis vel circiter expedire futurorum insciis spes pollicebatur; altera longior prolixiorque, Deo Nobis opitulante; reipsa quoque, et successione temporum (ut infra pandetur apertius) ministrante materiam stupendam; quod est Fratris Petri de Murrone Eremitæ ad Papatum electionem, arduam vitam, succinctam Aquilæ coronationem, aliaque ejus Papatus gesta depromere; mirandam quoque Papatus ejusdem cessionem non præterire, illiusque præviæ longæque, nec quietæ vacationis acta reserare; nec non Bonifacii octavi consecrationis coronationisque B insignem Romæ triumphum exornare; postremo (licet post annorum quindecim versificandi desuetudinem) insertum polo Eremitam canonizationis laudibus extollere, quod millibus metrorum tribus vel ferme complexi sumus [pro rerum varietate].

quid nunc prolixius scriptum exhibeat;

tum qua intentione,

3 Intentio liquet in opere ut [eo] perfecto juvenilis inexpertique tunc ardor ingenii exercitatione proficeret, ac indescriptus dudum Pontificis summi triumphus florida metri venustate coruscaret; nec non, quin imo præcipuum, Dei laus, honor et gloria, Sancti Sanctorumque Dei præconium, ardor proximi, rerum cognitio; consulere posteris, prodesse præsentibus: mereri in via, præmiari in patria.

et stylo processorum sit opus:

4 Forma voluminis est partita bifariam : una quidem est forma tractandi, quæ agendi modum complectitur, qui et narrativus, historicus, descriptivus, et demonstrativus existit demonstratione Rhetorica; quæ dicto Tullii est, cum ita res nobis exponitur, ut geri negotium, et res ante oculos esse videatur; exclamativus insuper, prolocutivus, suasivus, dissuasivus, metricus, hexameter, heroicus, idemque dactylicus; et ut sit ad unum ducens, narrativus, veridicus, totusque rhetoricus, varia siquiC dem vernans florum colorataque redunitione. Altera [est] forma tractatus, quæ operis in libros, ipsorumque in partes sectionem sortita est.

dante Deo,

faventibus Sanctis,

5 Sed et operis movens efficiensque hujus causa est multiplex. Prima per se sufficiens, dirigens effectiva; ipsa finis, ipsa principium, ipsaque perficiens Deus : cujus ope freti donoque nixi, [ipsum] suscepimus complevimusque. Secunda, coadjuvans, assistens, finiensque suffragio; scilicet post Dei genitricem almam, matrem et Virginem Mariam; postque Apostolorum Principes, bases Ecclesiæ, Petrum et Paulum; Confessor almificus, Frater Petrus de Murrone, Eremita tunc, futurus vivens Cœlestinus, quandoque præteritus, nunc cœlestis, idemque perpetuus, cujus hoc præcipua laus versatur in opere. Tertia, ministerialis instrumentalisque causa labentis metro dictaminis : hanc scito, qui noscere desideras, hunc quidem [esse], qui ex veridicare, veluti præsens, videns, ministrans, palpans, et audiens, notusque Pontifici, quin Pontificibus carus, impactam compegit metrisque refudit historiam; Dominum Jacobum nomine, cognomento Cajetanum, [Diaconum Cardinalem] S. Georgii *c* ad Velum-aureum; [natum] juxta venerabilem Dei genitricis ecclesiam, quondam dictam Tabernam *d* meritoriam, utroque parente antiqua nobilitate conspicuum.

scribente se Jacobo Card. Ca-[illegible],

D 6 Nam Petro Stephani, patre; matre vero, Perna *e*; altero de Stephani filiis seu Stephanensium, altera de filiabus Ursi seu Ursinorum domo progenitis, cujus utriusque utcumque commeminit in metro : patre, tam armorum strenuitate quam justitiæ rectitudine, et propinquorum amicorumque constanti dilectione clare noto; matre autem, caritate pia, sanctitate præcipua; ambobus prole ditatis. Altera juventa, alter *f* senecta pie Christianeque præsente luce subtracti, occubuere. Hic igitur post rudimenta grammaticæ, adolescentiæ, pubertatisque primordiis scientiarum fonte [potatus], Parisius *g* liberalibus Philosophiæ disciplinis traditus, adeo Dei munere profecit, ut nondum triennio elapso, scolarum tantum illarum libris aliquibus cursim prælectis, in facultate quam liberalium Artium vocant, magno favore, magnaque sui decentia, meruerit obtinere Licentiam; ac magna e vestigio solennitate, laudeque non minima Cathedram Magistralem ascendere, qua eum profecisse, erudiisse, et docuisse constat.

e parentibus nobilibus nato

f qui acceleratis studiis, g

Parisiis promotus ad magisterium Artium,

7 De hinc inibi (invitus tamen, cum totus Philosophiæ, sacræque Paginæ speraret insistere) majorum suorum jussu, Canonico; rediensque in partes E Italiæ, Civili juri legumque apicibus, sub magnæ profunditatis præceptoribus, modico tempore, adeo non minus eruditione et ingenio in iisdem coaluit, ut nedum auditos difficiliores ex illis libros sensu caperet, sed memoria teneret; quin et alios idem instrueret. Ac interdum, absque instructore nisi seipso, Lucani vacans acumini Virgiliique rhetoricæ suavitatis profluo, unius gestæ arduitatem, alterius fictæ rei subtilitatem, ac amborum styli gravitatem altitudinemque circumspectans; horum ut præfati sumus brevem librorum, succintamque materiam (quarto scilicet Nicolai Papæ quarti anno, tunc existens Subdiaconus) exorsus *h* prope est; eoque Ordinis manens gradu, primum prolixiorem Cœlestinum quondam; deinde in Romanæ Ecclesiæ Levitam Cardinalem per Bonifacium octavum, Pontificatus ejus anno *i* secundo, gloriosissimi invictique Martyris Christi Georgii ad Velum-aureum, dono Dei, ejusdemque Martyris præsidio, ejusdem Bonifacii secundum perfecit opus : cujus nunc Prosam hanc (vacationis tempore, scilicet post Clementis quinti obitum, anno secundo, Cardinalatus vigesimo labente) Valentiæ Viennensis provinciæ commorans, canonizationisque hujusmodi metrum, favente F ipso [Petro] Sanctorum Catalogo adscripto, inexcogitato, laudabili, præclaroque fine terminavit.

in Italia etiam jus civile perdidicit,

poesi nihilominus intentus,

Subdiaconus scripsit de Cœlestino, h

i Cardinalis de Bonifacio,

et an. 1316 Canonizationem Petri cum hac præfatione.

8 Narratæ vero rei gestæ utilitas ex multis irradiat. Nam ea nota datur temporum curricula noscere, illorum varietates meditari, illincque cautiores reddi; altisonis patrum modis assuescere, diserte loqui, discrimina fugere, mores imitari; nec minus consecrationis, coronationis, processionisque in illis Romanorum Pontificum, postremo quoque Sanctorum Canonizationis observantias celebres ceremoniasque sacras non obliturari negligique; sed in eis scriptura renovare memoriam, exercitationem, habitum; ut cum iis opus fuerit, facile [sit] inspectione nota, facere applicationem facti; eoque amplius Confessorem Eremitamque Petrum revereri, ejus imitari vitam, vestigia subsequi, flagitare suffragium datur; nec non exemplo etiam ejus ad se ab ipso summo gradu redire, vires metiri, illius non ambire accessum cacuminis, cujus Eremitam Petrum formido titillabat : ut sic [castigata] quorumdam inexperientia (qua, veluti contemplatione sic perfectos actione [se] autumant) quiescant altiora actu se quærere, qui inferiora ea esse contemplationis visu cernebant : præsertim cum nec scientiarum cumulus, ubi desit vita, eademque [etsi] adsit interdum,

Utile autem erit hoc opus :

unde multa noscentur,

et exemplum sumetur formidandi supremi culminis.

A interdum, aliquos [bene in] regimine attollat, si actionis mater relegetur exercitatio: quinimo actus exercitus probataque scientia, status præeminentia persæpe [et] opum luxusque tentationibus vacillet: quod B. Gregorius, contemplatione sublimis ac actione præcipuus, summo culmine præsidens, *k* Cap. IX Pastoralis nos instruit, inquiens, Quamvis plerumque in occupatione regiminis ipse quoque boni operis usus perdatur, qui in tranquillitate tenebatur: quia quieto mari, recte navim etsi imperitus nauta dirigit; turbato autem tempestatis fluctibus, etiam peritus se nauta confundit.

k

ANNOTATA

a *Ipso in principio adeo distorta erant omnia, ut vitandæ offensionis causa coactus fuerim transponere verba; quæ sic inveni ordinata, seu verius perturbata*: Quoniam id cujusque novi rerum gestarum operis cudentis exordium versatur in animo, sic facta profandaque venustisque in illo præsertim metro celata coloribus declarare præambulis. *Post hac opus nusquam erit tanta licentia uti, sed modica unius alteriusve verbi transpositione licebit sensum integrare in hac* B *Prosa: nec tamen scrupulose notabo singula, cum id non videro ad fidem historiæ pertinere: quæ autem [ ] inclusa invenies, scias sensus supplendi causa a me esse adjecta.*

b *Qui* Actorem *dixerit pro* Auctore *hactenus non inveni: ne autem mysterium aliquod latere hic putet quisquam observo quod lib.* 3 *v.* 358 *et postea sæpius Deus dicatur* Actor humani generis: *quare, licet fere semper sic scriptum inveniam, incunctanter ubique ponetur* Auctor, *cum ex mente ipsius Auctoris idem sit.*

c *Ecclesia* S. Georgii in Velabro, *seu* Velum aureum *in* IX *Regione Urbis, Ripæ dictæ, sub Monte-Palatino.*

d Taberna meritoria, *secundum nostrum Alexandrum Donatum, accuratissime cuncta scrutatum, eo loco fuit ubi nunc est ecclesia S. Mariæ-trans-Tiberim. Cum autem infra se dicat Auctor natum* Fluvii trans Tiberis amnem, *et prope S. Georgii ecclesiam nulla sit* Dei Genitricis *titulo nota; apparet necessitas interponendi vocem*, natum, *in contextu alioqui non intelligibili.*

C e *Fallor, nisi nomen* Pernæ *sit a nomine* Petrinæ, *diminutivo feminino a Masculino* Petrus: *ex eo autem quod Romanum se atque ex Stephanensibus natum ipse auctor testetur, recte Ciacconium correxit Oldoinus, arbitratum post alios, hunc quoque fuisse Bonifacii VIII nepotem, sicut fuerunt Franciscus et Benedictus Cajetani, alter a Cœlestino alter a Bonifacio promoti, sed Anagnini. Quare si inter istos et Auctorem nostrum fuit aliqua consanguinitas, ea debuit tam remota fuisse, ut nequiverit venire in cônsiderationem.*

f *MS. iterum*, altera, *sed adjectivam plurale masculinum* subtracti, *et res ipsa indicat de utroque parente agi, adeoque necessariam fuisse correctionem.*

g *MS.* Parvulus: *sed legi debere* Parisius, *ubi studuerit auctor, declarat mox sequens particula* inibi, *utique referenda ad nomen loci, quod sub mendo lateat: cum autem post Artium studia consequenter dicat redivisse se* in partes Italiæ, *apparet illa trans montes absolvisse, nec erat ea ætate famosius ullum quam Parisiense studium.*

h *Nihil enim defacto scripsit, sed solum cogitavit scribere, ut supra dixit.*

i *Errasset igitur Ciacconius ejusque Continuatores, cum primæ Cardinalium Creationi, factæ Pontificatus anno* 1, 17 *Decembris assumptum Jacobum scribunt, nec aliam post hanc agnoscunt creationem ante an.* 1298 14 *Decembris. Non potest tamen diu differri creatio Jacobi, et aliorum fortassis nonnullorum primæ Creationi attributorum a Ciacconio et aliis: sed facta esse debuit in quatuor Temporibus proxime sequentis. Quadragesimæ, puta* 14 *Februarii (siquidem Pascha anni* 1296 *actum est* 25 *Martii) quia ipse Jacobus mox ait annum Cardinalatus vigesimum sibi labi anno* 1315, *mense* 15 *Sedis vacantis, id est mense Septembri.* D

A JACOBO CARDIN. EX MSS.

k *Numerus Capitis scriptus erat per zyfram* 9, *itaque etiam infra Capita operis hujus per zyfras notantur, quas si ipsemet auctor usurpavit, sequetur usum earum anno primum* 1240 *ostensum Europæ, cito dispersum fuisse per omnes Provincias.*

PARS II.

Historiæ in hoc opere tractandæ synopsis.

Ut [autem] metro comprehensæ prolixioris, longiorisque materiæ series ordinata reluceat; scito, quod anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo [secundo], Nicolaus Papa quartus, Pontificatus sui *a* quintum annum agens, ipsiusque quinti principio, senio Romæ confectus obiit: Cardinales vero numero duodecim, Romani sex, Italici quatuor, duo Gallici erant. Qui Pontifici persolutis obsequiis, propositoque clausim inter eos (seclusis extraneis) per Latinum tunc Ostiensem Episcopum, Romana stirpe clarum, exhortationis verbo perlucido; adeo haud concordes [fuerunt], ut nec loco eodem consistere convenirent, nec ante secundum annum tertiique partem tertiam vacationis hujusmodi, Antistitem summum crearent; sed nunc uno, nunc alio urbis loco vicibusque interceptis pro electionis ministerio conveniebant. Intestina Romæ interea, proh dolor! exorta bella, affligensque ultra solitum æstas morbis ingruebat: unoque e Patribus Gallo febribus deficiente *b*: Campanus ex illis unus, idemque post hæc Bonifacius octavus, gravi, longa, chronicaque concussus infirmitate, ita ut de ejusdem diffideretur, curatione, Dei tamen nutu ad majora reservatus, ad patrium solum Anagniam discessit. At alter Ugo Alvernus, unicus superstes Gallus, tresque alii e Patribus Italici, timore perculsi, Roma digressi, Reate æstivavere; Romani veros ex Patres, consanguinitate juncti, sed volitis discreti, urbe constitere præcipua. Septembri autem transactis æstatis caumatibus, Campanus, Portuensis quoque Tudertinus, Sabinensis; et in Paschate e Patribus [Italicis unus] Parmensis natu, Romam reversi, nec adhuc consensu unanimes reperiuntur fore.

Nunc breviter præmittitur,

E

a quomodo post Nicolaum 5, *vacante diu Sede,*

discordes Cardinales,

b et tandem æstate morbida in diversa profecti,

F

10 Hæc inter, in Romani Senatus regiminisque renovatione perniciosa, execranda nec nobis scriptis reseranda sex mensium spatio increbuere: qua tumultuatione tres e Romanis Patribus minus validi, Tudertinusque Parmensisque prædicti, æstivare Reate reaccedunt. Campanus Viterbii secum agebat solus: reliqui tres Romani Romæ persistere moliebantur, nec eorum mora intestini discrimina belli [sunt] profugata. His ita [se habentibus] schismatis incessit timor; ne vel Romani tres, tunc [in] Urbe commorantes, loci ut fatebantur privilegio (ut qui alios non Romanos scriptis præsolicitaverant) vel etiam alii Romani tres ceterique Patres Reate, longe numero plures, in electionem prorumperent. Sed nolens suam, quam pretioso unigeniti redemit cruore, perire Deus Ecclesiam, schismatis pericula ademit. Nam Patres, ex compromissi vi, in exteros communiter collata, pro electionis instantis negotio, electo per arbitros Perusii loco, perque eosdem festo B. Lucæ Evangelistæ, tunc satis proximo, secundo scilicet vacationis anno, termino assignato, convenerunt.

iterumque ob dissidia Romanorum dispersi

cum periculo schismatis,

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

tandem ex compromisso Perusium convenerunt :

A convenerunt. Eoque quo Perusii Cardinales convenere tempore, Romæ sub quadam pacis umbra quies apparebat, dum partium concordia ad gubernacula Urbis, in Senatores generis nobilitate clari duo assumpti, Petrus scilicet Stephani, Auctoris genitor, de quo supra disseruimus, et Oddo de S. Eustachio alter. Transacto ferme hiberno tempore, Carolus secundus Siciliæ [Rex] de Gallicis rediens, Caroluſque Martellus Ungariæ, hujus major natu filius, de Apuliæ partibus patri occurrens, Perusii visere coetum convenerunt : hortatusque Rex pater de celeri provisione Collegium, responso sibi per Latinum ejusdem Cœtus jussu directo, dictoque infra paucos dies Valete, in sui Regni partem Apuliam profectus est.

ubi salutati a Regibus Siciliæ et Hungariæ,

subito eligunt Fr. Petrum :

11 Lapsis ex tunc confestim vacationis hujusmodi annis duobus, quartaque tertii parte, mensis Julii principio, infra Apostolorum scilicet Octavam, nata mirifice [mentione] Fratris Petri de Murrone Eremitæ, visionis cujusdam occasione; eodem Latino, inter Fratres Patresve Cœtus visionis ipsius ex inopinato verbum movente; subito Dei nutu, idem religiosæ et miræ sanctitatis vir Frater Petrus de Murrone Ordinis S. Benedicti, cella in Monte de Murrone super Sulmonem sita manens, in summum unanimi voto unanimique consensu Patrum electus est Pontificem : qui suscepto decreto electionis ad se [misso] per Lugdunensem Archiepiscopum, Episcopos duos, duosque Apostolicæ Sedis Notarios, a Cœtu ad id destinatos, inductus consensit ; eum demque ad se Aquilam Aprutii Provinciæ accivit invitum, et litteris precibusque reluctantem. Sed tandem, Fratrum animis devictis, præsertim tribus et Patribus huc [non] missis eum adeuntibus, sanctæque memoriæ Latino tunc recenter obeunte, Petri nomine in Cœlestinum commutato, Papalibusque susceptis insignibus, venire ubi morabatur Aquilam adegit : ac consecrationis suæ sacræ mysteria, ab Ugone unico superstite Gallo, in Ostiensem festive a reliquis Patribus promoto, ac Matthæo Rubeo Levitarum primo, jam præsente Cœtu, Tallii Coronationisque insignia in eadem urbe Aquila suscepit. Quæ festine describere, principale Auctoris intentum præcurrit : nam quo tempore Cœlestini Aquilæ peractam Coronationem scriptitaturus [fuerat], eo jam Romæ Bonifacius Octavus, ejus successor, servatis priscis majorum ceremoniis, coronatus celeberrime erat. Qua de re etiam, heroico versibusque composito grandique metro, ipsi *c* Bonifacio nescienter Regni diadema destinavit, inquiens;

a quo Aquilam venire coacti,

ipsum ibi consecrant,

c

Scripsimus hæc propere, nostras laxare camenas
In successoris sacri vestigia proni.

qui inde Neapolim profectus

12 Regredimur. Hic Cœlestinus Papatu manens, multa [fecit] ne dixerim inepta, sed utinam sic nota indigna laudeque digna perfectaque forent, veluti ejus sancta eremo transacta flagitabat vita. Celebrata deinde mense Septembris Cardinalium duodecim ordinatione, cum Romam, revolutis æstivi fervoris mensibus, migraturus putaretur; pacis Siculæ causa ductus, seductusve ea, illoque allectus colore, Parthenopem deflexit iter : inibique commorans, mira res! grande sanctitatis supernæque complexus est vacationis signum : Invitis profecto dissuadentibusque nonnullis, sui præsertim dogmatis *d* Fratribus, renitentibusque, ubi se didicit posse, velle se renuntiare, facile ostendit. Siquidem mense Decembris festo B. Luciæ Virginis, ubi de ipso jam cedendi præscita exulabat opinio, in sacri Cœtus manibus supremi Papatus culminis honori onerique cessit. Quam renuntiationem Patrum Senatus, miris tantis stupens, fusis hinc inde lacrymis; magna veneratione acceptam suscepit; sancita prius, D ad omnem profligandum perniciosæ ambiguitatis scrupulum, Patrum assensu lege, quod possit Romanus Pontifex, maxime si insufficientiæ subsit causa, Apostolatus summo supremoque culmini cedere.

d

ibidem Papatui renuntiat :

atque creato postea Bonifacio 8, e

13 Extemplo, post hujusmodi Cœlestini cessionem die undecima, vigilia scilicet Natalis Domini, quæ labentis tunc millesimi ducentesimi nonagesimi quarti anni ultimo decurrebat *e* die, Bonifacius Octavus, tunc Benedictus Cajetanus nomine, Anagnia ortus, profundæ Juris utriusque scientiæ, longique in illis exercitii doctæque experientiæ, in Romanæ Ecclesiæ moribus veteranus, Cardine etiam insignis, in summum Pontificem scrutinio accessioneque eligitur. Qui humane cedentem tractans, cum secum ad Romanas vel Campaniæ partes ducere tentabat; cavens ne sibi Ecclesiæve, aliquorum calliditate, periculosum aliquid viro simplici suaderetur : Sed tamen sua in tempus frustratur opinione. Nam die festi Circumcisionis ejusve crastino, Neapoli Romam aggressurus iter, præmissum, suas celantem vias, Murronem, ejus insciis custodibus, divertisse comperit. His Bonifacius caute E anxius, nec cœptum iter prosequi, nec latitantem, ac si ejus rei nil advertisset, [investigare] destitit.

clam fugiens,

14 Romæ itaque Bonifacius Frigii *f* Regnive corona festive redimitus (cujus solennitatis triumphum polliciti debitum exolvens Auctor, metro diffusius dare promisit) post aliquid spartii, eumdem quondam Cœlestinum, ad Græciæ remotas tendentem plagas, ut littoribus Vestiæ civitatis maris Adriatici inventum forte comperit (quatenus orbis sui Ecclesiæque discrimina vitaret) solennioribus a se Siciliæque Carolo secundo Rege transmissis [nuntiis] consentientem, Anagniam meare facit; blande suscipit, laudemque exhibuit *g* acquiescenti Præsulis monitis Castro Fumonis Campaniæ provinciæ morari. Ubi assuetam sicut prius vitam agens Eremiticam, nolens laxioribus quibus poterat uti, anno millesimo ducentesimo nonagesimo sexto, decima quarta Kal. Junii catholice, sancte, religioseque defunctus, terram cœlo, calamitatem felicitate, mortem vita commutavit; Ferentini, loco sui ordinis Fratrum, reverenter sepultus.

f

et Vestiæ deprehensus persuasusque redire,

g

in castro Fumonis moritur an. 1296.

15 At Bonifacius, ex hoc tutior factus, multa magnaque annis octo, mensibus novem, diebus undeviginti *h* quibus Papatui præfuit, peregit. Siculos suo tempore, post viginti annorum curricula, anfractusque bellorum varios, ad Ecclesiæ Matris devotionem inter cetera reduxit : F Federicoque, nato quondam Petri Regis Aragonum, Siculas terras occupatas detinente, restituit; pacemque composuit cum Siciliæ Rege Carolo secundo, data Federici ejusdem Caroli Regis in conjugium *i* filia; redeunte quoque centesimo seu Jubilæo, qui tunc millesimus tricentesimus occurrebat annus, nec non cuicumque futuro centesimo, confirmavit concedens omnium peccatorum plenam, pleniorem, plenissimam remissionem, Apostolorum scilicet limina ipsorumque Basilicas Romæ, quolibet centesimo visitantibus, vereque pœnitentibus, vere quoque sua peccamina fassis, exteris quindecim, Romanis triginta diebus, prout seriosius bullatis ipsius patet litteris; nosterque, quem super hac prosa versusque complexi sumus, Centesimus, seu Jubilæus enodat *k*. Nec minus idem Bonifacius Papa, cum aliquibus favori, aliquibus (ut existimabant) oneri foret; noni fine anni, injuriose, nefarie, sacrilegeque per nonnullos suarumque partium fortassis (genere tamen nobiles ex Columna prosapia) captus Anagniæ, infra triduum mirabili suffragio a Beato Petro est liberatus. Pœnitentibus si quidem civibus de commisso eorum in

Bonifacius Siciliam pacat, h

i

Jubilæum anni 1300 celebrat :

k

et anno 9 exeunte captus Anagniæ

ac mirabiliter liberatus

A in civitate crimine, atque ex hoc in tantorum patratores flagitiorum vigorose insurgentibus, illosque urbe Anagnia fugantibus, nonnullis eorum trucidatis, hic captivitatis periculo exutus, inter terrores adhuc Romam rediens, armis coruscantibus militum armatoque Clero magnifice susceptus, et infra sui adventus mensem infirmitate oppressus, fidem professus Catholicam, in Principis Apostolorum Basilica, sepulcro quod sibi extruxerat *l* vivens, quievit; ejus obitu magnis fluctuante Roma dissidiis. Decima die post illum Benedictus XI, Nicolaus nomine tunc Ostiensis Episcopus, vir religione clarus, in Romanum est electus Pontificem: qui infra annum lecto decumbens, disenteria Perusii lapsus, defecit.

Romæ moritur,

l

et successor Benedictus XI Perusii.

16 Illic rursum undecim mensium terroris, inediæ, suspicionis quoque afflictiva vacatio, quam experti sumus, decurrit: quinta vero intrantis mensis Junii die, vigilia tunc Pentecostes, anni Domini millesimi tricentesimi quinti, Bertrandus Delgot, natione Gasco, dictus Burdegalensis, ipsius Civitatis Archiepiscopus, absens sua provincia detentus, electus [fuit] a Patribus, quod legali maxime canonicaque scientia ac rerum experientia doctus [esset]: delatoque sibi ubi tunc degebat Decreto consensit; Papatusque insignia, nomen proprium in Clementem commutans, Cœtu adhuc absente suscepit: nec minus Cœtum, Perusii existentem, litterisque ipsum obnixe deprecantem, prædecessorum more prius videre filios pater accederet, suis (ut fatebatur) causis velatis, ne dixerim quæsitis occasionibus, venire omittens, ad partes Italicos ultramontanas vocavit; quodque sane mentis auribus non gratum, sensibus minus placidum, exemplo vero perniciosum foret, toto suo Pontificatu, octo scilicet annis, mensibus decem, diebus quindecim a suæ electionis die, nec Principis Apostolorum Petri, cujus se successorem fatebatur; nec illius Doctorisque gentium, quorum unius auctoritatis, alterius vero doctrinæ honorabatur privilegiis, Romana visitaturus ingressus est limina. Sed dum quasi noni anni fine in Comitatu Venaysini; Romanæ Ecclesiæ patrimonio, aliquamdiu moram traxisset, ac infirmitate circumventus Burdegalas recuperandæ sanitatis causa properaret, transacto juxta quem morabatur Rhodano, in fluvii scilicet altera objectæ partis ripa, loco cui Rocca-Mauri nomen, defecit: sicque Deo permittente factum est, C ut post ejus obitum fere mensibus quindecim vacationis in qua sumus computatis, quam [plurima] execranda, quibus nec intentione reserandis festinamus) commissa extiterint. A suæ electionis Perusii celebratæ tempore annus undecimus labitur, quo dispersi adhuc [proh dolor!] Valentiæ Italici, Galli vero, Vascones, Provincialesque Avinioni, aliisque locis commorantur, incerti (juxta poeticum dictum) quo fata trahant *m*, ubi sistere detur.

An 1305 creatus absens Clemens V,

B

Cardinales in Galliam advocat,

(quod diuturnæ vacationis postea causa fuit)

m

17 Hic itaque Lugduni, Saona Rodanoque circumsepti, Cœtu Francorum Philippoque Rege illustri præsentibus, eodemque Rege officium stratoris ea sibi festivitate impendente; vetusta Romanorum Pontificum corona, a Neapoleone tunc Priore Levitarum existente vertici imposita claruit. Sed ea celebritate fuit subiti casus formido *n* incognita. Quippe Pontificalibus indutum diademaque ferentem, dum processionaliter ad Palatium rediret, sedentem sessumque equum, [in quadam] viæ arctitudine muri casus cum caderet oppressit, Magnatibus nonnullis palefridi Pontificis fræna tenentibus ruina læsis, horumque aliquibus, leto ab hoc in non multos dies dilato, palefridoque morti datis. Cumque Regis in longum inibi mora tenderetur; inter magna quæ tunc multa volutabantur, coram Cœtu Pontificis, Rex piam unam Deoque acceptam postulationem flagitavit; mirificæ nempe sanctitatis viri, fragantisque odoris suavitate fama respersi, ac miraculorum prodigiorumque (ut dicebat) signis coruscantis Cœlestini, quondam Fratris Petri de Murrone Eremitæ canonizationem, Sanctorumque catalogo ejusdem ascriptionem.

et Lugduni coronatus,

n

non absque infortunio,

ad preces Francorum Regis

D

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

18 Nota Papæ Cœtuique viri Sancti puritas, facile tantæ rei inchoationem impetravit. Commissa igitur est, de Fratrum consilio, Archiepiscopo Neapolitano et Valuensi Episcopo vitæ miraculorumque ejusdem Eremitæ fidelis et discreta percunctatio. Quam ii laborum defatigatione, solicitudinumque anxietate, prudenter fideliterque prosequuntur: ac post alterius Collegæ defunctionem, idem Papa monumentis publicis, suo illis ceræ sigillo insignitis, eamdem Neapolitano inquisitionem destinavit. Hanc crebro videndam, hanc exacte examinandam Pontifex multis ex Fratribus, multisque locis (prout tunc diviso ferebamur cœlo) multisque modis commisit. Tandemque ipse idem Clemens, post etiam octo fere mensium Viennense Concilium, Consistorio Avenionensi reversus, pio accuratius operi sua præsentia insistens, non absque sui Fratrumque caumatis æstivi anxietatisque caloribus, vacabat: eoque sancti perduxit finem negotii, ut illic matura, fida, digestaque meditatione deliberationeque habitis; primo inter Fratres eorum consilio secrete, deinde tertio nonas Maji, anni millesimi tricentisimi decimi tertii, Pontificatus ejusdem Clementis anno octavo, priscis servatis sacris cerimoniis, Avenione Cathedrali Ecclesia, nobis sibi Levitæ Officio ministrantibus, publice ejusdem Fratris Petri Eremitæ tam vitam sanctam, quam in Papatu, ante et post ipsum, postremoque post ejusdem mortem peracta sanctis meritis miracula, testibus probata definiret: ac ut ipsius diem obitus decerneret debere ut sacri Confessoris festum venerari, a fidelium cœtu universalique Ecclesia, cui ut Christi Vicarius Petrique successor præsidebat, coli; largam annis singulis, Confessoris ejusdem obitus revoluta die octavamque infra devote ad locum sepulturæ accedentibus, Indulgentiam largitus; Missarumque solemnia more solito in eadem ipsa Avenionensi ecclesia, luminaribus tota resplendente, in Dei laudem novellique Sancti commendationem, exolvens. Quæ singula, veluti totius concepti materiam operis, nostra copiosius cerimoniis, seriosius rebus, exornationibus redimitius, metra prosequuntur *o*.

exminata causa Fr. Petri de Murrone

E

eumdem canonizat.

o

ANNOTATA.

a *Ordinatus enim Nicolaus IV fuit an.* 1288 25 *Febr. die S. Matthiæ (utpote anno bissextili) et obiit an.* 1292 *die* 18 *Aprilis.*

b Joannes Cholet *hic fuisse videtur, qui corpus suum in Gallias transferri fecerit, ad S. Luciani Bellvacensis ecclesiam magnificentissime sepultus, posita etiam supra tumbam argentea ejus statua, et epitaphio quod sic finitur:*

Annus depromens octo de mille trecentis,
Augusti Nonas quarto, lux est morientis.

c *MS.* Qua de re ejus ipso nec sciente Bonifacio: *ex quibus verbis nullum sensum facientibus, leviter mutatis, hoc videmus dici, quod, dum scripsit se ista servare in tempus successoris futuri, licet de Bonifacio tunc adhuc nihil cogitans, designaverit tamen ejus Pontificatum grandi metro describendum; sicut postea fecit: et hinc porro sequeretur prius opus de Cœlestino ante electionem Bonifacii compositum fuisse.*

d Dogma *etiam infra aliquoties occurret pro* Ordine, Instituto.

e *Juxta Stylum Curiæ Romanæ annus novus inchoabatur a Nativitate Domini, quod multi etiam in Germania*

A *mania et Italia tenuerunt : qua de re auctores apud Cangium videre licet : resque patet ex quam plurimis Martyrologiis MSS. inde incipientibus. Ita Joannes Hocsemius Leodiensis, scribens circa an.* 1348 *cap.* 7, Anno, *inquit* Domini 1272 parum ante Nativitatem Domini, vel 1273 paulo post Nativitatèm; prout tunc Data mutatur in Curia-Romana.

f Frigium *proprie limbus seu corona est, quæ tiaræ Pontificiæ circumducta usque ad hæc tempora simplex, duplex facta a Bonifacio VIII, ab Urbano V denique annis abhinc* 320 *triplicata fuit : quæ eadem tiara etiam Regnum vocatur, et apud Nicolaum Alemannum tractatu de Parietinis Lateranensibus pag.* 129 Phrygium *describitur ex Sugerio,* capitis ornamentum Imperiale, instar galeæ, circulo aureo concinnatum.

g *MS.* Laudeque exhibuit acquiescentem. *Hæc autem et alia in ipso metro distinctius dicenda facile diluunt, quæ durius contra Bonifacium scribit Alliacensis.*

h *Habentur hi a* 24 *Decembris, quo electus est, ad* 11 *Octobris, quo obiit Bonifacius : alioqui a* 16 *Januarii, quo consecratus est, numerantibus, secundum stylum Pontificiarum Bullarum, solum essent menses* 8, *dies*
B 27. *Interim corrigendus fuit error zyfræ quo scribebatur,* diebus 21.

i Alegnora *vel* Elionora *hæc fuit : extant autem conditiones Pacis apud Raynaldum in Annalibus ad an.* 1303, *quo facta est, num.* 24.

k *Extat liber MS in Bibliotheca Vaticana, et nunc impressus tom.* 25 *novæ Bibliothecæ Patrum; Lugdunensis editionis ultimæ.*

l *Hujus sepulcri, propter Basilicæ Vaticanæ innovationem destructi, accuratam imaginem habes in nova Ciacconii editione, per nostrum Oldoinum curata.*

m *Duravit autem pertinacia Cardinalium, ad electionem procedere nolentium, ultra* 26 *menses, tandemque anno* 1316, 5 *Septembris nominatus est Papa Joannes* 22.

n Incognita, *id est,* insolita.

o *Sequebatur in MS. hic titulus* Jacobi S. Georgii ad Velum-aureum Diaconi Cardinalis. Incipiunt Capitula libri primi de stupenda electione ad Papatum Fr. Petri de Murrone Eremitæ, et qualiter idem Papatui ad eremum rediens cesserit; facti ante Cardinalatum : *et idem titulus deinceps repetitur ante Capitula librorum duorum sequentium; hic vero additur,* sed ante omnia de seipso succincta metri descriptio. *In Margine porro hæc Glossa legitur :* Notandum quod
C Rubricæ, *id est tituli capitum, totius libri in principio cujusque* libri bene positæ sunt; sparsim per librum non sunt ad plenum positæ, nec bene respondent Rubricis positis in principio librorum : quia, propter festinantiam nuntii deferentis librum, non potuerunt corrigi cum eisdem : sed Deo auctore, cum vacare poterimus, corrigentur. *Vixit quidem postea Jacobus usque ad an.* 1343, *octavum supra quadragesimum numerans in Cardinalitia dignitate : sed gravissimis semper occupatus curis, ad hæc aliaque magis necessario corrigenda vacare non potuit. Post syllabum Capitum sequitur promissa sui descriptio his versibus :*

Urbs mihi principium generis, Jacobus mihi nomen
Gajetanus erat; fluvii trans Tiberis amnem
Stephanidum de stirpe satus, producor ab Ursa.
Murronem cecini repetentem claustra Monarcham
Insertumque polo; Bonifacius utque triumphet
Urbe sacra diadema ferens, quo Cardine fultus
Hunc panxi; cœloque Patrem metroque refudi
Centeno, fudique prosa. Deus hinc tibi laus est.

Placet autem numeris Capitum in margine notatis, ad faciliorem eorum qui forte opus hoc citare voluerint usum, in eodem margine apponere numerum versuum per quinarios, uti a plerisque usurpatum videmus, qui Poetas veteres elucidarunt hoc seculo.

D

DIVISIO CAPITUM.

Incipiunt Capitula libri primi.

De obitu Nicolai quarti Romæ, et exequiis factis in S. Maria Majori pro eo, et oratione Domini Latini : et qualiter Cardinales non concordabant de loco communi pro Electione. Caput 1.

Qualiter Cardinales discesserunt in varias partes Cap. 2.

De Senatu Urbis, et bello quod fuit in Urbe tempore vacationis. Cap. 3.

De Fratre Matthæo de Aqua-sparta, Portuensi Episcopo, misso contra Narnienses, qui obsidebant Castrum Strunconii. Cap. 4.

Qualiter timebatur de schismate, quod non conveniebant de loco, et de iis quæ circa hoc acta sunt. Cap. 5.

De duobus Electis in Senatores, scilicet Domino Petro Stephani patre Auctoris, et Oddone de S. Eustachio. Cap. 6.

Qualiter conabantur aliqui impedire Fratrem Matthæum de Aqua-sparta, Portuensem Episcopum, in E officio Pœnitentiariæ. Cap. 7.

De adventu Caroli secundi Regis Siciliæ, et Caroli Martelli filii sui Regis Ungariæ ad Curiam vacante Sede, eorumque Regum recessu. Cap. 8.

Incipiunt Capitula libri secundi.

Qualiter convenerunt Cardinales die Electionis, et de casuali motivo, quo ventum est ad Petrum de Murrone. Caput 1.

De Collatione habita inter Cardinales de Fratre Petro de Murrone, et electione ipsius ad Papatum. Cap. 2.

De quinque Nuntiis missis a Collegio ad Fratrem Petrum de Murrone. Cap. 3.

Descriptio Montis ubi morabatur Frater Petrus, Cap. 4.

Descriptio Cellæ Fratris Petri, et aspectus ipsius, et oratio nuntiorum Collegii ad ipsum. Cap. 5.

Responsio Fratris Petri et assensus Electionis, et de reverentia sibi exhibita per eos qui illuc convenerant, et specialiter per Carolum Martellum Regem Ungariæ. Cap. 6.

Incipit vita Fratris Petri seriosa Cap. 7. sub quo plures rubricæ continentur ut sequitur. F

I De diversis tentationibus Diaboli ut Frater Petrus non studeret.

II De signo vestis religiosæ, qua in ortu suo Frater Petrus de utero materno indutus exiit.

III De visione facta cuidam mulieri, per patrem Fratris Petri mortuum, ne a studio recederet.

IV Quomodo infra modicum tempus scivit Psalmos legere.

V De visione, qua videbatur Frater Petrus custos ovium.

VI De desiderio Fratris Petri ab ipsa pueritia serviendi Deo, maxime in eremo.

VII Quomodo super castrum de Sanguine invento quodam Eremita ille abscessit, et Frater Petrus transit ibidem aliquibus diebus.

VIII De aliquo monte rigido sibi divinitus ostenso, in quo Frater Petrus mansit tribus annis.

IX De campana, quam miraculose audiebat nocte, et de gallo sibi dato.

X Quomodo Romæ factus est Presbyter, et rediens mansit in monte Murronis quinque annis.

XI Quomodo venit ad montem Majellæ, et de quadam dæmonis illusione cognita et fugata.

XII

A xii Quomodo fuit de Regula B. Benedicti, et quomodo Fratres recepit ad eamdem.

xiii De cella, quam solus habebat, et Missa quam ibi celebrabat, et de silentio.

xiv De ejus aspero lecto, de vestitu, et lorica.

xv De Abstinentia cibi et potus.

xvi De sex quadragesimis, quas arctissime faciebat quolibet anno.

xvii De Psalmis quos dicebat, et genuflexionibus.

xviii De cilicio et aliis opusculis, quæ faciebat pro fratribus.

xix De obedientia, quam præstabat Abbati.

xx De mirabili abstinentia, quam in quadam quadragesima fecit in cibo et potu, et aspero cilicii vestimento et loricæ.

xxi Quædam generalia, et magnæ commendationis de ipso, quoad virtutes, abstinentias, orationes, et miracula.

Incipiunt Capitula libri tertii.

B Continuatio narratorum ad narranda, et Actoris quare ista dicturus sit excusatio.

Quomodo recepit Frater Petrus de Murrone ad consilium suum Regem et laicos. Caput 1.

Qualiter ingressus est Aquilam sedendo in asino Frater Petrus, et fecit diversos Officiales antequam venirent Cardinales. Cap. 2.

De litteris Collegii Cardinalium missis ad Fratrem Petrum de Murrone, ut veniat Perusium ad Collegium. Cap. 3.

De adventu duorum Cardinalium ad Fratrem Petrum, non missorum ex parte Collegii; et petitione sibi facta per Episcopum Urbevetanensem, missum ex parte dicti Collegii, ut saltem exiret Regnum : et de negotiatione ejus. Cap. 4.

De morte Domini Latini Episcopi Ostiensis, et consecratione prædicti Hugonis Cardinalis ad Episcopatum Ostiensem : et susceptione a Fratre Petro insignium Papalium et nominis. Cap. 5.

De Coronatione et consecratione Cœlestini facta Aquilæ. Cap. 6.

Qualiter Actor insinuat se dicturum coronationem Bonifacii octavi seriose, excusans se de succincta narratione coronationis Cœlestini.

C Quomodo Cardinales, propter ignorantiam, quam credebant esse in Cœlestino, loquebantur vulgariter in Consistorio : et de diversis provisionibus Ecclesiarum quas fecit. Cap. 7.

De Ordinatione Cardinalium quam fecit Cœlestinus, qui fuerunt duodecim. Cap. 8.

Qualiter ivit Neapolim, non ivit Romam. Cap. 9.

De ineptis promotionibus quas fecit, et specialiter de Archiepiscopo Beneventano, quem fecit Presbyterum Cardinalem. Cap. 10.

Loquitur hic Actor per anticipationem de incendio, quod fuit Carpentorate, tempore vacantis Ecclesiæ, post mortem Clementis Papæ quinti.

Qualiter in Adventu Domini reclusit se Cœlestinus in parte aulæ, et data potestate Papali tribus. Cap. 11.

De orationi Cœlestini ad seipsum ut cederet Papatui Cap. 12.

Qualiter petiit consilium ab aliquibus Cardinalibus ut cederet Papatui. Cap. 13.

De Neapolitanis irrumpentibus in cellam Cœlestini ne cederet. Cap. 14.

De Consilio, quod petiit Cœlestinus a Collegio Cardinalium an deberet cedere, et responsione Cardinalium. Cap. 15.

De excogitata renuntiatione Cœlestini facta Neapoli in festo S. Luciæ. Et sic, cum idem Cœlestinus electus fuit Perusii in Papam inter octavam Apostolorum Petri et Pauli, non stetit in Papatu, a tempore suæ electionis computando, sex mensibus completis. Cap. 16. D *A. JACOBO CARDIN. EX MSS.*

De responsione facta a Collegio cum cessit. Cap. 17.

Qualiter Collegium Cardinalium acceptavit renuntiationem ejus. Cap. 18.

Verba Actoris super renuntiationem Cœlestini. Cap. 19.

Finis istius operis cum continuatione ad futurum opus de coronatione Bonifacii octavi. Cap. 20.

VITÆ S. COELESTINI V

LIBRI I CAPUT I.

Turbæ post mortem Nicolai IV, tam inter Cardinales quam inter cives, illorumque dispersio cum periculo schismatis.

Alma Petri Sedes, jam dudum languida vultu,
Invidia* *a* superante* Patrum, quem munere divo E
Accepit, moresque suos, dogma insuper arctum, *a Argumentum sequentis operis.*
* Eloquimur : calamoque levi depromere signa,
Illuxisse Deum tenebris, radiasse corusco
Lumine, concipimus; sacroque infusa liquore
Sphærica *b* cervicis; lucentia tempora Regno
Pontificis : quo læta gradu processio Cleri
Provehitur. Clemens squallentem complue terram,
O Pater omnipotens : jactatum crescere semen *Invocatio.*
Efficias, herbamque novam *c* dilucidet aurum.
Ergo ubi confectum senio mors æqua recepit
In sua jura Patrem Nicolaum, nomine quartum, CAP. I.
Romanæ sponsum Ecclesiæ; de more solutis
Exequiis *d*, dignum reputans veneranda Senatus
Congeries tractare novo de Præside, sacras *Post Nicolai 4 exequias,*
Indixit libare preces : quas ipse Latinus,
Ordine Pontificum primus, virtute coruscans,
Et generis titulis radiatus, fudit ad aram
Virgineam, psallente choro. Mox omnibus una *Latinus Ostiensis Card. hortatur Collegas,*
Seclusis Patribus, succenso pectore fatur :
Quis poterit stellas fulgentes jungere Cœlo
Pleiadas? Deus, ipse potes sic corda potentum
Concordi vincire jugo : gliscitque futurum
Pollicitus *e* Uati, quod se donante Ministrum
Suscipient populi. Ne cœlo lumina recta
Deflexisse juvet; præsto est, qui cognita cordis F
Inspicit, et *f* pensas justo libramine damnat
Degeneres,* gemmis interlucentia serta
Imperitans cingi meritos : o quanta potestas!
Namque datum *g* paucis, ad summi culminis arcem
Sublimare virum, qui Christi nomini præsit
Succedatque Petro,* nec non cœlestia claudat,
Dum ligat in terris; reseret convexa Polorum,
Vincula dum solvit : tanto depellere culpam
Præstat. Sed votis celsæ fastigia molis *ut idoneum successorem concorditer eligant,*
Quis capiat, nisi mente vagus? quis dignus haberi
His queat? Ad Patres, quos excellentia præfert,
Desperare nefas; nam sacris inclita virtus
Christus adest volitis, complens optata piorum,
Quos optare facit. Si quis, tendamus in unum,
In quo fundatis* nixa radicibus arbor
Virtutum patulis ramis succreverit altum
In culmen, vario florum distincta* colore,
Præcipue roseo mentis fervore micanti,
Atque pudicitiæ niveo candore coæquans
Fructus justitiæ; cujus prudentia ramos
Duxerit in rectum : nostro quia tempore clades *qui præsentibus Ecclesiæ calamitatibus medeatur.*
Invaluit, peccata premunt, virtusque recessit.
Tendimus in *h* latium, Proh! claram funditus [Accon
Obruit

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

A Obruit i et Tripolim vincens Babylonicus hostis.
Instant Aragones, gens effera, plurima terræ
Cis mare concutiens; Siculas quæ k possidet urbes.
Nec minus Aragona proles Petreiaque Regnum
Occupat, in Gallos collatum; dedecus illis
Et nobis, qui Regna damus. Nos undique turbant
Subjecti! Vigiles plebi succurrite, Patres:
Casibus his tantis, vestrum succurrere, vestrum est.
Dixit, et haud aliter diffusum vocibus ignem
Frigida corda premunt, possit ne erumpere flammis,
Quam tellus prohibet nova semina ducere germen,
Quo fuerint matura loco: tamen agnita dudum
Commemorant veteris moris, discuntque l minores.

CAP. I

Talibus hic paucis decursis rite diebus;
Montis Aventini m rursus fastigia poscunt.

Illi die 10 ab ædibus defuncti,

(Per bis quinque dies Nicolai Præsulis haud dum
Deseruere domos, erectas circiter Aram
Virgineam,* Patrum quas nec reverentia struxit
Digna sequi, nec causa potens, nec* utile mundo,
Exemplum n; nam quisque suas educet in altum
Ædes, et capitis Petri delubra o relinquet,
B Ac Lateranenses aulas p regalia dona
Despiciet, gaudens proprios habitare Penates)

migrant ad S. Sabinam,

Hic primum manifesta fides, quam dissona corda:
Namque ferunt numerum quartum conscendere nullum,
Dum sua scrutantur per clausa silentia vota.

inde alio,

Post alium petiere locum: nec profuit ipsis
Permutasse solum, quibus et tunc livida mens est.
Tunc adeunt q capti falsæ r mutata Minervæ
Nomina,* nequidquam; qui dum firmasse putarent

et denique ad Minervam.

Hæc loca, jam sathanas aderat, vertique malignus
Concordes animos, fecitque reposcere Fratres,
Concilium peterent alia statione manere.
Ut varium pennas oculis, formidine prolis,
Femina pavonem metuens, per devia clausa
Celat, et in patulo non linquit callida* fœtus
Ova sui; Patrum sic turba sedilia mutat,
Anxia ne Fratres turbent concepta vicissim.

CAP. II

29 Junii captis vulgari morbis,

Interea præcelsa dies celeberrima Romæ,
Annua jam colitur, festo sacrata duorum,
Ætherei Petri, Pauli quoque gentibus almi
Doctoris. Gemitus heu! nec non tristia bella
Insurgunt populo, fato turbante quietem:
Corpora concussit de cœlo languida pestis
Demissa in terram, faciens ex ordine Patrum
C Nonnullos timuisse mori: nec fallitur s unus.
Spe t mortis: novitate gravi, consistere vitant.
At tamen e Cœtu tantis terroribus acti
Quatuor, u undatum lymphis placidumque x Reate
Deveniunt; æstate manent, sanoque fruuntur

pars Cardinalium Reate petit,

sex Romæ manent,

Aere bis* terni y Romani mœnia Romæ,
Disjuncti votis, habitant; exterque z revidit
Campanus patriam, morbo stimulante fugatus.
Hic fuerat numerus Gallo moriente superstes.
Sic igitur quassata malis languoribus æstas,
Dispulit errantes? haud una sistere norunt,

redeunt illi in Septembri

Ante relustrantem solum quam mensibus annum
Scorpion acciperet α medius: hinc redditur urbe
Campanus, Tuder, Portus qui mœnia servat
Diruta, jam pridem mercis β ditissima ponti.
Convenere simul distantes mente γ Minervæ
Hi proceres (numero nec* junctus tempore δ Paschæ
Parmensis) servare ε Dei suprema loquentis
Verba, ζ sed affectus promit non apta voluntas,

CAP. III

* Quos memorasse piget. Circum hæc quia circulus η
Exhaustus regnare novum de more Senatum (Anguis
*Flagitat, Assumpti θ populi Capitolia jussu
Ascendunt: sed morte Ducis vis ι annua mense D
Clauditur Ursini, timidoque κ furentis in arma
Descensu, dum scripta petit, dum λ fossa sigilla.
Quo gradior? quid plura sequar, quæ texere longum?

Interim seditionibus turbatur urbs,

Hoc dixisse sat est; Romam caruisse Senatu
Mensibus exactis heu! sex, belloque vocatum
In scelus, in socios, fraternaque vulnera, Patres.
Tormentis jecisse viros immania saxa,

et ideo plerique Reate repetunt

Perfodisse domos trabibus, fecisse ruinas
Ignibus, incensas turres, obscuraque fumo
Limina vicino,* quo fit spoliata supellex:
Conflixisse manu, superatos vindice Christo
Aggressos, μ dum firma datur constantia paucis.
Hæc inter dum Roma fremit, dum fluctuat undis
Inveterata novis, socios æstate revisunt,
Ordine prosiliunt, gustant et amœna ν Reate
Solliciti curis: namque ξ illis urbe relicta,
Pergama servabant, capitis discrimine Rubri o
Tres, quibus augeri poterat sufflantibus ignis
Robore suggesto: multis hæc causa timoris.
At procul π a Cœtu secum Campanus agebat.
Corpore sejunctis Patribus, discordia Cœtu
Panditur in lucem, quæ diu patefacta per annum E

CAP. IV

unde contra Narnienses, Stronconium obsidentes,

Exteterat, dederatque malis extollere cornu
Subjectis contra socios. Heu Narnia, ρ more
Gallica, Strunconi σ Castrum vallaverat* arcta
Obsidione foris, spernens insignia matris
Ecclesiæ,* tutumque putans hoc tempore belli
Lascivire palam. Cecidit sed capta furoris
Consilio: nam lecta manus, fulgentibus armis,
Aprutii, Rubeo τ Gallo duce, mittitur ardens
A Carolo υ domitare malos, domitare rebelles
Ecclesiæ, jussu Patrum qui tecta Reate

mittunt cum copiis Card. Portuensem

Servabant; populusque ruit dilapsus ab urbe,
Urbe Reatina: prædux tamen omnibus idem
Cardine sublimis Tuder Portusque minister
Mittitur. Egressi placidum Interamne φ subintrant,
Plenum odiis armisque, solens irrumpere fines
Illorum, motusque pati, cum Narnia bellum
Commovet: en modicum distinguit mœnia planum.
Audito properare viros et quærere pugnam,
Audenter tentare Ducem de fœdere pacis
Narnia præsumit; refugit Dux Cardo Mathæus

Hoc jubente obsidio solvitur.

Talibus astringi pactis, nisi jussa subire
Ecclesiæ se velle ferant, factisque sequantur
Pollicitum, redeantque domum, tutumque relinquant F
Obsidione locum. Mandantis jussa capessunt
Illicet, edocti, galeis armisque coruscis,
Qui, fore vindictæ tempus* non temnere, pridem
Peccatis monstrare suis. De hinc Cardo subactis
Hostibus; et fusa validis impulsibus * arce,
Quam prope fundarat Strunconi Narnia Castrum,
Regreditur victor, populo comitante regressum.

CAP. V

Tres qui Romæ manserant,

Horrida præterea dumis, jactata per agros
Prava seges, dubitanda bonam ne suffocet herbam,
Pullulat, et varios casus educta minatur,
In longum pacemque sacram discernere mundo
Schismate: nam rubros gestantes urbe Galeros
Tres χ Roma geniti, quorum duo stirpe suborti
Una, atque alterius stirpis se jungere passus
Illis, insinuant scriptis ex ordine verbis
Urbe [non] genitis ψ paucis, vel forte duobus
Cardinibus, se posse * Petri præponere quemvis
Principis in Sedem; Romæ dum mœnia servent,
Dum distant alii; * mallent tamen ista quiete
Cum sociis tractare suis; ea propter ad urbem
* Accelerent

A

prætendunt sibi jus esse eligendi Pontificis, si alii non redeant :

* Accelerent gressum, cupiunt si ponere finem
Ecclesiæ lacrymis. Confestim [hi] cognita pandunt
Fratribus, * inque vicem collecti turba Senatus
Urbe Reatina confert, quid talibus ausis
Conveniat, quid stricta velit discretio juris.
Hæc propter visum est cunctos adscire peritos.

hi re in consultationem adducta,

Consiliis aderant multi ; vox prima loquendi
Est data Levitæ, sacro de fonte Mathæus
Cui nomen, Rubeusque color cognomen ω avitum
Quod sibi dant homines, genuit quem nobilis Ursæ
Progenies ; Romana Domus, veterataque magnis
Fascibus in Clero, pompasque * experta Senatus
Bellorumque, * manu grandi stipata parentum ;
Cardineos Apices, nec non fastigia dudum
Papatus *aa* iterata tenens ; nunc lumine divi
Levitæ radiat, ceu sideris inclyta proles,
In delubra Dei : cujus describere grandes
Virtutis titulos sermo ne longior erret,

referente Matthæo Card. Rubeo,

Et ne mendosis finxisse poemata metris
Arguar (ex Ursa matrem tantique sororem
Stephanides *bb* capiens) sistam, licet illa per orbem
Amplius eniteant ; referam quæ protulit ore,
Ore sonans placido senior Levitaque primus :
Non ea mens animo versatur *cc* quærere votis
Dissidium languentis *dd* eræ, seu scandala dira
Exire in mundum, Patres Dominique sedentes
Sedibus his vigilant, possint ut vellere crimen,
Non dare materiam bellis (Nam sufficit, inquit,
Singula quæque dies, propriis erroribus instans.)
Sed quia tentamur primi, dictisque fatemur
Ardua, civilis plenam discriminis urbem
Quod Proceres habitare legunt, et posse vacantem
Desponsare viro Ecclesiam ; vos jure-peritos
Acciri placuit, vestrumque requirere sensum.

Jurisperitis causam disceptandam proponunt :

Et quid jura velint (opus est non levibus ausis)
Consilio pensate diu, pensate fideles ;
Et date consilium rectum. Non deviet ullus.
Non declinet amor * quemquam, non vera timore
Subticeat titubans animus ; sed pandite quidnam
Conscia mens statuat super his, quid jura loquantur
Quidve illis nobisve datum, decreta parentum
Quid sacra decernant. Divum * testamur adesse
Judicium, timeatque sibi quicumque periclis

C

Subdere contendit falsis * effatibus almam
Ecclesiam, sentitque aliud quam voce sonora
Exprimat. Haud laudes petimus, non dissona vero
Sed quid, suspiciens claris obtutibus astra,
Arbitra mens censet vestrum cujuslibet. * Istis
Postquam facta quies monitis et se stitit heros ;

et iis triduo consequenti auditis,

Abdita consultant librorum, et luce sequenti,
Axibus Eois radios cum funderet orbi
Flammigeros Titan, edocti pandere leges
Incipiunt : nec sola *ee* dies per singula quemque
* Auscultat ; sed fanda viros per tempora scindunt
Illustres. Nam prima dies *ff* audire vocarat,
Quos privata domi docuit prudentia Patrum
Talibus attentos fieri : dehinc proxima quosdam
Ex aliis : vicina *gg* suos subnixa secundæ
Ascultat, vicibusque modos hos pluribus explent.
* Errantes fixere pedes ubi pondera libræ
Declinant, pariterque ferunt, quod Cardine fulti

eligendi jus potius sibi competere decernunt.

Urbe Reatina major pars, dum strepit armis
Roma vetus, valeant * aliis edicere tempus
Quo veniant celeres mundo præponere Culmen.
Sederat hæc animo cunctis sententia, binis
Exceptis. Geminus * *hh* qui non confuderit ordo ?
Et duplices Patres non posse vocare fatentur
Distantes (quod lege *ii* probant) si Roma citatos
Præcipue teneat : fuerant hi namque secuti

D

ll Iacobo [illegible] ex MSS.

Te ducti *kk* Ligure, qui languens urbe Reate
Cœtibus his deeras, vinctus sed amore *ll* Columnæ

Facto tamen utrimque compromisso,

Fluctibus illisam post hæc qui surrigit undis
Sæpe ratem Petri, * devitans cuspide *mm* ferri
Ne ruerent Proceres, pacis spiravit odorem ;
Dum datur externis, toto mandante Senatu,
In sumendo locum quem vallet arbitra virtus,
Circumscripta *nn* modo. Quo cœpto protinus usi

decernitur ut omnes Perusium conveniant ad 18 Oct. 1292,

Hi Perusinorum * legerunt quærere sedes.
Sic tumidis liquidi propulsa ubi flatibus Austri
Irruit in scopulos navis, distensa rudentes
Flecti vela jubet, prorasque advertere ponto
Nauta bonus pelago, fugiens contendere saxo ;
Sic etiam validas ne quasset machina turres,
Objiciunt lento textas de * vimine crates.
Terminus est Lucæ festum : quem ritem * tenentes,
Conveniunt inibi Proceres. Memorabile semper,

quod etiam faciunt.

Nec laus hæc modica est, populo sed tempore longo
Dignus honor reddi Perusino, turbine in ipso
Cardineos meruisse Duces admittere tectis
Unanimes, proprioque solo cœpisse maritum
Lugentem Ecclesiam, non vi, sed sponte, morando
Quemque suo *oo* theatro, nisi dum se subrogat hora
Ut matutino considant sidere Patres.

ANNOTATA.

a Discordia] *sub nomine invidiæ intelligenda est, juxta glossulam marginalem Auctoris, cujus similes post hac alias glossulas simili asterisco * distinguemus hic a nostris observationibus : sic autem infra ℣ 88 etiam dicitur* livida mens, *pro discordi. Di o hic, id est, in his Annotatis : nam in Carmine positus* asteriscus remittit Lectorem ad varias ipsius MS. Lectiones, quæ Annotatis subjungentur.*

b Sphærica cervicis *intellige, rotundam verticis Pontificalis rasuram, vulgo* Coronam, *quam sacro Chrismate inungi præcipiunt ritus consecrandi Pontificis. Sic infra in lib.* 2 *de Coronatione Bonifacii* ℣ 59 Sphærica cervix, *dicitur, eadem Corona.*

c *Hunc versum allegat Auctor, et quadamtenus explicat in Præfatiuncula post syllabum Capitulorum postremi operis de Canonizatione :* aurum *autem intelligit flavescentem frugis ipsius spicam : idque clare patet ibidem lib.* 1, ℣ 14, *dum petit Poeta, ut sub umbra Sancti* Rutilet flavum producti seminis aurum.

d *Nicolai IV Exequiæ in Basilica Liberiana seu S. Mariæ majoris celebratæ fuerunt, in qua humiliter sepulti ossa elevavit anno* 1574 *Felix Perettus Card. de Monte-alto, et marmoreo monumento cohonestavit ; cujus monumenti iconismum exhibet Oldoinus noster in suo novo Ciacconio.*

e * Propheta dicit : Suscitabo in eis pastorem unum (*Ezech.* 34,23) et istud Thema fuit D. Latini, *Ostiensis Episcopi et Cardinalium Decani.*

f Pensæ degeneres, *libræ seu pondera injusta, id est, suffragia.*

g * Quia duodecim Cardinales tantum.

h * Lusit hic Auctor, accipiens Latium, id est in latum *seu viam latam id est laxitatem morum : quam innuit esse causam acceptarum, quas mox enumerat, cladium.*

i Accone *a Sultano Melec-seraf anno* 1291 19 *Maji capta, quidquid Christianis reliquum erat in Syria in potestatem hostium venit : Tripolis autem a Soldano Melec-Messor capta fuerat anno* 1289 26 *Aprilis.*

k

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

A k Petrus *Aragoniæ Rex expulsis Gallis, quibus Siciliæ regnum contulerat Apostolica Sedes, ipsam invaserat an.* 1281 *: in eoque habuit successores filios secundo et tertio genitum, Jacobum scilicet, et (hoc per mortem fratris Alphonsi in Hispaniam regresso) Fredericum : qui etiam Siciliam cis Pharum, idest Neapolitanum regnum nitebatur sibi vindicare.*

l * Id est, docent,] *inquit Glossula.*

m *Ibi enim mortuo Honorio fuerat etiam celebrata ipsius Nicolai electio.*

n *Ad S. Sabinam in Monte Aventino ædes sibi struxerat Honorius* 4, *et hujus exemplo Nicolaus* 4. *ad S Mariam Majorem : quod ne in morem transeat, formidat Auctor, et reprehendit.*

o Basilicam Vaticanam *intelligit, eique conjunctum Pontificale Palatium.*

p * Quia Constantinus Imperator donavit Palatium Lateranense.

q * Id est, decepti,] *vana scilicet spe causæ istic peragendæ commodius.*

r * Nam vocatur hodie S. Maria] *seu* S. Maria supra Minervam, *ubi æque ac in Aventino ad S. Sabinam Fratres Prædicatores degebant ab anno* 1275.

B f * Id est, timore] *per antiphrasim Italis satis communem, qua sperare dicunt pro expectare, timere.*

t Joannes Choles *Gallus, uti jam dictum, mortuus an.* 1291, 2 *Augusti.*

u *Scilicet* Gerardus Parmensis, Card. Sabinus; Mattheus de Aquasparta Tudertinus, Card. Portuensis; Hugo, Card. S. Sabinæ, Gallus; Petrus, Card. S. Marci, Mediolanensis.

x *Reatinæ urbis agrique irrigui undique amœnitatem videre qui volet adeat Athanasii Kirckeri Latium parte* 3 *cap.* 3. *ubi multa de Velino flumine, qui ipsam perfluit et cognomine ei lacu : sed Sabinæ, cujus ipsum metropolis est, tabulam corrige, non exprimentem qualiter Velinus per urbem fluat : per quam tamen eum fluere Ughellus in Episcopis Reatinis et Pompeius Angelotti in propria ipsius Descriptione testantur.*

y Latinus Card. Ostiensis, Joannes Card. Tusculanus, Mattheus Rubeus, Jacobus Columna, Neapoleo Ursinus, Petrus Columna, Diaconi Cardinales, *omnes Romani.*

z Exter *id est* extraneus, *scilicet* Benedictus Cajetanus, *Anagniæ in Campania natus.*

α *Id est, medius September, cujus signum* Scorpion *seu* Scorpius.

β * Quia civitas Portuensis est juxta mare, et

C merces ferebantur illuc]

γ Minervæ, *id est*, ad S. Mariæ supra Minervam.

δ *Pascha anni* 1292 *celebratum fuit* 6 *Aprilis, quando necdum advenerat Cardinalis Parmensis.*

ε Servare * Servavere]

ζ * Dixit *scilicet Christus valedicens suis,* Pacem meam do vobis, pacem relinquo vobis] *Joannis* 14, 27.

η Circulus anguis exhaustus *. i. Circulus anni decursus]

θ Assumpti, * sunt Senatores] : *Senatores autem hic dicuntur, ut olim* Consules, *duo scilicet totius Senatus Præsides : Consulum namque ut potestas summa, sic et nomen abrogatum Romæ pridem erat : quod et alibi etiam in Belgio apud Gandavenses hodieque obtinet, ubi pro Consule adempto est Primus-Scabinus, ut vocant :* Πρωτοσύμβολον *Græci dicerent.*

ι *Potestas* * quæ debuisset durare per annum]

κ * Alterius socii, *id est Senatoris,* Agapiti *descensus, abdicationem mihi significat ultroneam, timentis venire ad arma, propter sigillum et alia potestatis insignia, quæ vel penes defuncti heredes detinebantur, vel populus ad se retraxerat; ipse autem prætendebat, non posse eo anno conferri alteri, sed sibi debere consignari. Quæ turbarum civilium initia et causæ nusquam alibi explicantur, quod sciam.*

λ Fossa *. i. sculpta.] D

μ Aggressos *. i. Aggressores] : *sed quinam hi fuerint, qui vero pauci quorum constantia superarit, aliunde necdum scimus. Quia tamen defunctus Senator, Ursinus erat, suspicari possumus inter Ursinos et Columnenses, potentes jam pridem in urbe factiones, disceptatum fuisse, populo propter eos in partes distracto. Spectant autem hæc omnia ad primum semestre anni* 1293.

ν * Nam omnes Cardinalis Romani. I. *qui Romam convenerant,* invenerunt se Reate, exceptis tribus] : *hi autem tres infra ad Versum* 185 *indicantur per Glossulam.*

ξ Illis *. i. ab illis]

ο Rubri tres. i. *tres Cardinales; hi enim cœperant purpura uti in Concilio Lugdunensi anno* 1245. Pergama *autem hic sumuntur pro urbe Roma, sicuti olim pro urbe Troja.*

π *. i. Viterbii], *quod expresse indicatur in Prosa.*

ρ Narnia, *de qua multis ad Acta S. Juvenalis* 3 *Maji, urbs Umbriæ,* 40 *milliaribus Roma distans. Dicitur autem* Gallica * : nam more Gallico ibi succedebat primogenitus] *in omnia bona [illegible], cum solo onere sustentandi congrue minores [illegible].*

E σ Stronconium *distat Narnia in [illegible] iter* 8 p. m *de quo plura vide* 7. *Febr. ante V[illegible] tonii de Stroncone,*

τ * Proprium nomen] *ipsius Ducis hoc esse opp[illegible] indicat addita glossula.*

υ * Scilicet Martello] *filio Caroli Regis Neapolitani.*

φ * Interamne * neutrius generis, tamen aliqui declinant, hæc Interamnis] *vulgo* Terni, *et solum* 5 p. m. *Stronconio distat, nec amplius Narnia, solitum ab hac dissidere, pro more vicinarum et æmularum urbium.*

χ * Scilicet D. Jacobus et Petrus de Columna, tertius dictus Joannes de Boccamaziis, qui erat Episcopus Tusculanus.]

ψ * Scilicet D. Petro de Mediolano, et D. Ugoni de Alvernia]

ω * Nam avus vocatus est D. Mattheus Rubeus] *Ursinus.*

aa * Nam multi domo Ursina valde frequenter fuerunt Senatores, multi Cardinales : eademque domus habuit duos Papas diversis temporibus, scilicet Cœlestinum III et Nicolaum III.] *primum anno* 1191, *secundum anno* 1277 *creatos. De Cœlestino tamen id fuerat ignoratum usque ad hoc seculum; et Ciacconius* de Bubona *familia eum fecerat : sed Ughellus in suis ad illum Additionibus allegat* antiqua monumenta F Ursinæ familiæ, quæ in archivo Brachianensi et Vaticanæ ecclesiæ in Innocentii III Vita extant, et ipsum Petri Bubonis de Ursinis filium fuisse ostendunt : *Cœlestini autem istius successor* Innocentius *hic fuit, eisque suffragatur hic, uno solum seculo posterior Auctor.*

bb * *Scilicet Auctor operis: nam ex parte patris fuit Stephanides, ex matre Ursinus*] : *hæc autem mater, fuisse Matthæi Cardinalis soror, hic etiam indicatur.*

cc Querere, *pro queri, conqueri, lamentari.*

dd Era *pro* anno *hic usurpatur, phrasi Hispanica; sed tunc tantum usurpanda, quando numerandus est annus ab Epocha Augusti, annis* 38 *vulgarem Æram prævertens. Nomen inde ductum putant, quod sic loquentes Hispani dicerent,* Erat, *subintelligendo* annus: *alii vero, scribunt* Æra, *quasi ex* A. Era, *Annus erat.*

ee Sola dies i. unica dies.

ff * Prima die audierunt Cardinales singuli suos domesticos Capellanos.]

gg * Id est, tertia dies.] *confert suos cum externis, die secunda auditis.*

hh *Subintelligo* dicentes, *seu* interrogantes, *qui fieri possit ut duorum hinc inde Electorum ordinatio non induceret Ecclesiæ confusionem?*

A ii * Id est, nituntur probare, leges adducendo.

kk Ligurem *vocat Petrum Cardinalem Mediolanensem: quia Mediolanum Liguriæ caput est, quatenus sub Liguriæ nomine etiam Insubria comprehenditur, uti in Antonini Imperatoris Itinerario aliisque auctoribus fieri notat Philippus Ferrarius in suo Lexico Geographico.*

ll *Id est, Cardinalibus Columnensibus Romæ manentibus favet.*

mm *Scilicet, conto navim aliorsum flectens.*

nn * Nam quædam conditiones fuerunt appositæ in compromisso] *quas nescio an uspiam explicatas simus inventuri, sicuti nec facile inveniemus in quos factum sit compromissum;* Externi *autem intelligi possunt Cardinales non Romani.*

oo Theatrum *Græce* θέατρον, *et ideo secundam, alioqui natura longam, Auctor corripit: uti olim passim* Idola, *media brevi dicebantur* εἴδωλα. *Erat autem Græcis non solum spectaculorum, sed concionum habendarum locus. Hic vero videtur sumi pro proprio cujusque hospitio: infra vero* ℣ 281 *sumitur pro loco Conclavis.*

B *Post tam copiosa Annotata patere, lector, hic tibi nihilominus exhiberi syllabum earum vocum, quas præter mentem Auctoris alteratas existimamus; quasque ne identidem interpellareris ad illas hæsitando, præsumpsi ex conjectura mutare. Exhibeo autem illum, non ad ostentationem diligentiæ; sed ne tibi subtrahatur facultas judicandi per te ipsum de singulis, aut etiam meliores conjecturas si suppetunt adducendi. Locum indicabit numerus versuum, ipsum verbum præfixus eodem in contextu asteriscus *. sunt ergo.*

℣ 2 Patrem, *lego*, Patrum.
4 Alloquimur, *l.* Eloquimur.
29 geminis, *l.* gemmis.
42 nexis, *l.* nixa.
44 colorem, *l.* colore.
78 Patres, *l.* Patrum.
79 vix tale, *l.* utile.
90 Nec quidquam, *l.* nequidquam.
96 fœta, *l.* fœtus.
111 tantum, *l.* terni.
122 juncto, *l.* junctus
125 Commemorasse, *l.* Quos memorasse, quæ, *l.* quia.
128 Flagitent, *l.* Flagitat.
138 quod, *l.* quo.
C 145 discrimina, *l.* discrimine.
153 arte, *l.* arcta.
155 tritumque, *l.* tutumque.
176 contemnere, *l.* non temnere.
178 arte, *l.* arce.
190 petit, *l.* Petri.
192 Mallet, *l.* mallent.
194 Accelerant, *l.* Accelerent.
196 hincque, *l.* inque.
205 ex parte, *l.* experta.
206 manum, *l.* manu.
231 quemque, *l.* quemquam.
235 testantur, *l.* testamur.
237 affatibus, *l.* effatibus.
241 Istic, *l.* Istis.
248 Auscultant, *l.* Auscultat
253 Narrantes, *l.* Errantes.
256 alii, *l.* aliis.
259 geminus qui non veri fuderit, *l.* Geminus qui non confuderit.
263 docti, *l.* ducti.
266 devitas, *l.* devitans.
271 legissent, *l.* legerunt.
277 crimine *l.* vimine.
278 timentes, *l.* tenentes.

D A JACOBO CARDIN. EX MS.

CAPUT II.

Rebus utcumque in Urbe compositis pergunt Perusii discordare Cardinales: ibique excipiunt Reges Siciliæ et Hungariæ.

CAP. VI. *Romani duo Senatores eligunt,*

Protinus ut subeunt Perusina cacumina, ventis
Materiam belli secum quasi pellere certent;
Romani Proceres, Umbræ sub fœdere pacis,
Abstinuere armis, geminis ad regna Senatus
Assumptis, de * patre tamen, generisque favore
* Conspicuis. Ætate gravis, sed promptus in arma
Stephanides Petrus, miles laudatus ab olim
Dum gereret pugnis animosum pectus, et Urbes
Accitus regeret, fuit unus; et alter ab illo,
Eustachii cognomen habens de stipite Sancti,
Militiæ nondum sumens sibi nomina, cautus
Moribus, et gressu lentus, partisque sequela
Oddo: sed juvenis sævum est postponere famam.
Hi rexere simul, magno non tempore, Romam
Concordes: quandoque tamen, proh! segnius illam
Exponunt rixis mediocrum, dum sibi dictant.
Vox erat, et majus nomen quin credita virtus
(Promeruit laudata viri constantia tantum)
Stephanidæ: regimen populus si redderet uni,
Solus sufficiens foret ut regnare per ævum:
Sed faciles animi sibimet distare potentum,
In commune regunt plebem dum partibus actam.
Sic ea pax fuerat varians, ut Paschate cuncti
Spem jejunandi seponimus illico, sæva
Nec regredi tardat post Tempora quattuor æstas.

sub quibus pax aliqua urbi redit, E *sed infirma:*

CAP. VII

Hæc avide pacis sitiens bellumque perosus
Dum Romæ peragit populus, non absque favore
Auspiciisque Patrum, quibus hæc sperantibus apta
Pax foret, et gratum sibimet pars utraque gliscens
Obsequium fortasse daret, * quia sanguinis usus
Dulcis in affines; redeunt disquirere mentes
Urbe nova positi; mens estque simillima *c* menti.
Nam potius captant aliqui, pietate remota,
Officium turbare sacrum, *d* quo crimina fœda
Abluimus, *cordis maculas in luce professi;
Pontificem dum tædet * eo. Præstare regentem
Muneribus divis quem fungi jusserat illis
Papa sacer, mortemque suam post Ordo * sacratus,
Ut solitum est: causamque malis assumere cœptis
Quod Præsul, veniente simul consistere Cœtu,
Dixerat in *e* Fratres, Quem me servare voletis
Talibus officiis cursum? quod ponere tempus?
O utinam vindicta nocens, mentita colorem,
Non feriat jaculis! quia Narnia Præsule misso
Territa pervertit, sociat quam fœdus amoris
His Patribus. *f* pluresque dies ea propter ad alma
Limina qui veniunt, veniam plorare gementes,
Sæpe Patrum pulsare moras, ac sæpe manentes
Ecclesiæ miserantis opem deposcere *g* proni.
Tandem, paulisper pausam dum quæreret ira,
Ecclesiis residere jubent concorditer omnes
Presbyteros, *h* fassosque suis absolvere culpis,
Imponendo graves levesque ob crimina pœnas,
Ut delicta petunt: namque hi terrore coacti
Destiterant. Non ille modus, servatus in uno
Præsule *i* cui dicti suberant, sed luctibus illum
Vexabant; * multisque novis rumoribus inde
Atque istinc * procusa fovent. Contendere vitans
Cessit in arbitrium Præsul festinus, et * omnes
Præteriit socios; quo reddita prima *k* potestas,
Limitibus

interim vexatur Pœnitentiarius major, F

in favorem Narniensium et infensorum

ultro tamen cedentis,

[illegible] CARDIN. EX MSS.

A Limitibus constricta novis, quibus utitur heros.
Non ausi damnare Patris sine crimine votum,
Dum sacrum officium refugit, discrimine grandi
Se propter causaque sui fortasse suborto.

officium restituitur.

Sed modus accelerans, sociis incognitus, urget.

Post hiemem an. 1293 CAP. VIII

Jam prope transactis hibernis mensibus absque
Votivo fructu, natura gressibus impar,
Regali de stirpe satus Regisque vetusti
Francorum, Siculique maris terræque secun-
[dus

Carolus II Rex infelix,

Rex *l* Carolus, toties adversis flatibus actus
Fortunæ, fatique simul memorabile signum
Instabilis (dum gesta Patris, dum *m* lilia bellis
Jam pridem vicisse *n* Duces memoramus, et armis
Insignem, sed morte gravem, *o* mœstumque
[dolore
Conspicimus, bello navali en fusus ab hoste,
Carcere spectatus * Siculo, servatur in oris
Filius amissis. luctus, cordisque superbi
Lancea) * nunc iterum, triplici sub carcere *p* prole,
Mensus iter rediit, Perusina per ardua, spon-
[sum
Dum petit Alma *q* suum, veniens a sedibus idem
B Gallorum, comitante patrem jam Principe *r* duro
Militibus paucis: comes sit super igneus olli
Marchio *s* Ferrati Montis, puerilibus annis

cum Marchione Montis-ferroti et Carolo filio

Majorem * ostentans animum, placidusque
[citusque
Nec non et Carolus proles firmatior ævo,
Martelli cognomen habens, regnique vocatus
Ungariæ Rex, ille puer, formaque venustus,
Humanum gestans potius quam militis acrem
Aspectum: qui nempe sciens properare pa-
[rentem,

Perusium venit.

Obvius, Apuliæ stipatus milite regni,
Digressus Capua venit, Romamque peragrans
Etruscamque plagam, donec sibi jungeret alas.
Forte juvat scripsisse modum, quem Cardine sulti
Servarint. Nam clara dies ubi lampade solis
Illuxit, theatrum subeuntes turba Senatus,
Levitas geminos mittunt non longius Urbe

et magna cum pompa ad obviam missis 2 Cardinalibus

Regis in occursum. Series diffusa *t* caparum
Hos sequitur, ceu turba Duces, mandante [Senatu].
Præcedunt Laici; crescit distensa sequela.
Elistæa *u* suas variatis vestibus hastas
Cursibus in festis Equites effringere jussit:
Cetera Communis *x* complere Prlatia Patrum
Turba, moram firmans: decet hanc servare quietem,
C Dum vacat heu! sedes: Papæ nam pondera
[gestant
Hos siquidem *z* viridi susceptos gramine fulci
En duo Levitæ *α* sortiti corpora Regum,
Alterutro comitante suum, majore parentem,
Atque minore satum illo, passim mœnibus Urbis
Deducunt; quoad alta Domus *β* plateasque
[subintrant.

deducitur ad Patres in Cathedrali præstolantes

Ast sacer interna præstolans parte theatri
Hinc Cœtus processit iter, longamque per aulam
Egreditur, qua parte Domus fastigia parvum
Extendunt scalæ spatium, quod sedibus instat.
Tunc inibi veteri stantes ex ordine Patres
Oscula * condonant Regi Regique minori,
Cui primum vidisse datum est [id] temporis omnes
Cardineos proceres: aulæque sedibus ambos
Constituunt, dextraque patrem, lævaque minorem;
Pontificum patrem medium, mediumque se-
[cundum
Inter Levitas primos: paulumque morati,
Applausere jocis, vultu, risuque, loquela,
Et nutu sibimet Reges Patresque, fideli
Assistente manu, cupientum visere morem.
Inde domum Reges comites habuere *γ* Prio-
[res
D Levitas. Non longa dies, et tendere cursum
Parthenopem decrevit *δ* Herus: sed primitus om-
[nem

eosque ad celerem electionem hortatus discedit.

Alloquitur Cœtum, *ε* Sparagi sermone profatus,
Rex Pater: et precibus rogitans spiramine sacro
* Afflari, populoque Dei Pastore *ζ* quietem
Imponi. Responsa Duci digesta Latinus
Attulit, et placido diffudit verba lepore.
Post, lapso celeri spatio, Rex mane secuto
Visere supremum Cœtum: dictoque, Valete,
Corripuit gressum, comitatus ab ordine Pa-
[trum
Usque foras Urbem: rediere in tecta Parentes,
Mens quibus *η* adversa est: quamvis per plura se-
[quendum
Consilium visum est varias requirere formas,
Ut sibi concordes, animo factisque placerent.

ANNOTATA.

a *Id est, dum sibi mutuo volunt legem præscribere.*

b * Id est, timorem].

E c * Nam modo sicut prius discordabant].

d * Scilicet magni Pœnitentiarii].

e * Id est, inter Fratres].

f * Qui impediebant officium Pœnitentiariæ] *a Nicolao IV commissum, et a Collegio Cardinalium Sede vacante confirmatum Card. Portuensi, cui Narnienses ab eo coerciti male volebant.*

g * Id est deposcebant] *uti supra* * pulsabant * plorabant.

h * Omnes Pœnitentiarios minores].

i * Qui erat magnus Pœnitentiarius].

k * Nam Cardinales, ubi Portuensis cessit, reddiderunt ei officium Sanctæ Pœnitentiariæ: limitate tamen]: *dicitur autem quod ille præteriit socios, id est* superavit *sua discretione.*

l Carolus II *cognomento* Claudus. *Ita Albizius Florentinus in Stemmatis Principum Christianorum folio* XVII.

m * Caroli primi, qui fuit Rex Siciliæ].

n * Nam vicit Manfredum et postea Corradinum], *hunc Friderici II, ex filio Conrado Siciliæ Rege nepotem, jure paterno Siciliam repetentem; istum ejusdem Frederici notum, qui a fratre moriente tutor filiolo relictus, regnum tyrannide occupaverat: fuit certe utriusque diversissima causa, ideoque victoria de Manfredo* F *successum optimum, de Conradino vero, crudeli innocentis supplicio cumulata, ipsius victoris ruinam post se traxit: exinde enim ipsius ac posterorum fortuna retro collapsa est, ut mox sequitur.*

o * Nam Carolus I capto filio mortuus est] *captus est autem filius Carolus II a Rogerio Laurea, Aragonicæ pro Petro Rege classis Præfecto, an.* 1284: *et primum detentus in Sicilia, post mortem vero patris, abductus in Aragoniam est.*

p *Subintellige,* relicta: * Nam tres filii istius Caroli tenebantur in carcere] *id est obsides pro patre dati anno* 1288: *qua de re vide Rainaldum dicto anno num.* 16 *et seqq manseruntque in Aragonia illinsque ad an.* 1295.

q *Subintellige,* mater Ecclesia.

r * Filio ejus primogenito]: *atqui hic Carolus Martellus erat, de quo mox infra ad versum* 371 *similis Glossula* * qui major inter filios. *Cur autem hic* Durus *appellatur? an potius legendum* Divo, *propter titulum Regis Ungariæ.*

s * Qui vocabatur Joannes], *fuitque duodecimus et ultimus suæ stirpis; quia, eo sine liberis mortuo, Marchionatus transiit ad Palæologos, et ab his porro per matrimonium ad Gonzagas Duces Mantuanos anno* 1533.

t

A t *Clerum haud dubie intelligit, cappis choralibus (Pluvialia vocant) indutum.*

u Elistea, * id est, Perusia], *unde aut ex quo capite sit dicta non divino. Idem nomen recurrit lib. 1 de Canoniz. S. Petri ẏ. 227, ubi Oldoinus ad Ciacconium tom. 2 col. 265* Clistæam *legit : quod ubi quidem, hic autem sufficere nullo modo potest. Equites autem variatis vestibus, sic ut geminam turmam geminus color et habitus diversus distinguat in certamen committere, ad ceteras publicæ lætitiæ pompas ea ætate pertinebat.*

x * Communis palatia, * id est Communitatis palatium] *seu Curiam.*

y * Nam in Collegio, * Sede vacante, residet potestas Papæ], *et ideo decebat ipsum se non commovere.*

z Duos Reges prædictos, scilicet Carolum II Regem Siciliæ et Carolum Martellum Regem Hungariæ filium ejus].

α * Scilicet D. Neapoleo de Ursinis, et D. Petrus de Columna, Diaconi Cardinales.

β Domus, .i. *Ecclesia Cathedralis, vulgo Italice* il Domo, *Teutonice* den Dom. *Dubites an a lingua Latina, qua* Domus-Dei *ecclesia dicitur : an a Longo-*
B *bardica potius, in qua particula* Dom *principalitatem denotasse potuit, sicut hodieque in Teutonicis compositis* Paus-dom, Prins-dom *etc. Papatus, Principatus.*

γ * Scilicet Dominos Neapoleonem et Petrum].

δ * Rex Siciliæ.] Parthenopem *autem* * Neapolim] *dici notius est quam moneri debeat.*

ε * Proprium nomen] *Regii fortassis Secretarii.*

ζ * Per Pastorem] *id est, per Pontificem cito creandum.*

η *Id est,* inter se discordes.

Etiam in hoc Capite errata quædam per conjecturam emendanda fuerunt, videlicet :

ẏ. 288 quam pellere certant. *lego,* quasi pellere certent.
291 parte. *l.* patre.
292 Conspicuus. *i.* Conspicuis.
316 quin sanguinis usum. *l.* quia sanguinis usus.
322 eos. *l.* eo. 324 servatus. *l.* sacratus.
343 cum multis. *l.* multisque.
344 provisa forent. *l.* procusa fovent.
345 omnis. *l.* omnes. 360 dolorem. *l.* dolore.
362 Siculis. *l.* Siculo. 64 nec. l. nunc.
370 ostentas omnium. *l.* ostentans animum,
401 condonat. *l.* condonant. 415 Affari. *l.* Afflari.
C

LIBRI II CAPUT I.

Subita et insperata electio Fr. Petri de Murrono ad Pontificatum.

CAP. I.

Sic igitur Phœbi diffundens orbita lumen
Quaque die, motu proprio provecta sub orbe
Sideris *a* obliqui, quoad acta reviderit *b* anguem — *Mense 27 vacantis Sedis,*
Cursibus expleri, geminum perfecerat ardens
Continuum gyrum, solitoque recurrere motu
Cœperat, et quartam terri lustraverat anni *c*,
Parte sui Phœbum gestans quæ subdita Cancro est :
Nec tamen assensus omnis convenerat aptus
Pontifici tantoque Duci. Tunc mira voluntas,
Inspirante Deo facta est, *d* patiente vel illo,
Congruit, o juvenes, aggressi pandere metro
Hæc nova, carminibus divum * rogitemus *e* Amorem.
Solverat obscuras pellentes æthere noctes — *absente a conventu,*
Sol radios, egressus equis, roseisque quadrigis
Invectus ; cum turba Patrum de more sedentum
Convenit : dextrumque latus (namque ordine primi)
Pontifices tenuere sacri, *f* Levitaque lævum : D
At latus objectum subductæ hoc tempore *g* Sedi — A JACOBO CARDIN. EX MSS.
Presbyteri, rubris quos lustrat Cardo galeris :
Queis deerat, languore gravis, fluidusque podagra,
Unus ; et alter Apex juvenis, stans ordine lævo
Neapoleo; quem dira sui compassio fratris — *Card. Neapolione,*
Urgebat ; quia lora puer laxaverat *h* arctum,
Exanimis superante malo. Heu ! mors nescia legem
Tollere ! Nec gazis parcis, nec parcis honori :
Nobilitas ignota tibi ; discrimina sexus
Negligis : an vigilem reddit te cura potentum? — *propter immaturam fratris mortem,*
Falce tua juvenes resecas et comprimis annos :
Et senibus vicina quies odiosa juventæ,
Improvisa venis stultis ; nec fallere quisquam
Te poterit sapiens, quamvis lustraverit omnem
Doctrinam ; pensare *i* necem medicina malorum est.
Namque Patres casum mortis dum concita fata
Alterno sermone ferunt ; Cur protinus, inquit — *Card. Tusculanus ad mentionem mortis suadet citam electionem :*
Unus *k* mente gemens Procerum, caligine tetra
Differimus lacrymas mœste detergere Matris?
Curque Sacerdotem summum præponere mundo
Negligimus? Cur tanta, Patres, discordia nobis? E
Hæc cum dicta forent, lætique novissima sermo
Longior exprimeret ; præsumpta relinquere verba
Incipiunt. Sed corde vigil, succensus amore,
Et domitus terrore Dei, dimissa Latinus
Assumpsit, referens. Ferventi *l* lampade visa.
Res mihi comperta est, Fratres (quos Patris honore — *addit Card. Ostien cuidam sancto viro revelatum*
Attollo) memoranda metu, quam dicere fas est.
Spiritus omnipotens, devotis causa revelans
Et pandens ventura suis, hoc tempore visu
Ostendit, dixitque viro, qui consonat actu
Et volitis cum lege Dei, quod, ni properemus — *quod nisi in ea festinetur,*
Sumere Pontificem mundo qui præsit et urbi,
Ira Dei graviter desæviet, iraque fervens
Justitia mandante furet. Nec tempora longa :
Nam neque vindictæ monitus protenditur ultra
Bis geminum mensem, cum festa celebria cives — *gravis immineat divinitus ultio :*
Agglomerant superi plausu, Sanctisque colenda
Redditur *m* una dies. Fratres, hæc dicta cavendum
Admoneant, reddantque Deo per secula caros.
Tunc quasi subridens *n* alius, * Num visio Fratris F
Ista Petri reserat, quem de Murrone vocatum — *et quærenti Cajetano an is sit Fr. Petrus,*
Fama docet? Caute, Præsul * cui Ostia servit
Quæsitis responsa dedit, sunt ista tenenda ;
Sed patulas, petimus, clausasque loquaris ad aures.
Nempe Pater, * summi prærupta cacumina montis
Speluncasque habitare solens, devotus eidem
Scripserat, insinuans, quod cum sublimia cœli — *fatetur ipsum esse, qui sibi hoc scripserat.*
Contemplando, Deum noctu ante altaria flexus
Cerneret ; irradians ardenti lumine mentes
Spiritus æthereus fuit in præcordia fusus,
Ipsi præcipiens, ne grandis culmine Cardo
Territet, ac veluti sint *o* Fratres jussa loquatur
Cardinibus ; pernix reserans, quod ni properarent
Sumere Pontificem, mundo qui præsit et urbi,
Ira Dei graviter desæviet, iraque fervens
Justitia mandante furet, nec tempora longa. — *CAP. II. Hin cœptus de eo haberi sermo,*
Talibus exciti collatio plurima sacri
Fit Patris in cœtu, vitæque beata retexunt :
Hic memorat mores, hic vitam ; miraque gesta
Extollunt alii : numquid sit dignus honore
Papatus, secum tractant, diversa loquuntur.
Vidit ut infusas sacra dulcedine mentes
Ille Pater, qui visa viri sermone ferebat,
Prosiliit, primusque dedit sua vota professus

Urbis ut eximiæ digne sit Præsul et orbis
Murro : quem sequitur, * rogitantem vota gradatim,

A. Jacobo Card. ex MSS in eumque mox 7 vota concurrunt;

Bis numerus trinus : duplex Levita *p* Senatus
Distulit assensum parum præstare, quousque
Consulat absentem *q* pressum languore podagræ.
Mittitur interea pro Neapoleone, fuitque
Præsens, et placide laudavit vota priorum.
Ventum erat ad primum magna pietate refertum

accedunt et alia :

Levitam, quem longa quidem prudentia tardum
Fecerat : hic cernens jam crescere concitar Christi,
Infremuit, lacrymasque gemens de corde profudit
Sincero, genibusque ruit curvantibus, *s* æther
Suspiciens, ac mente pia nec dispare voto
Assensit Patribus. Dumque arduus ille Mathæus
Hæc peragit, socii tumida ad suspiria moti
Perfudere genas lacrymis, et pectora guttis
Et secum læti numerum complesse fatentur
Qui deerat : sed scita tacent, et corde sigillant.

ac denique tria reliqua.

Tunc missi rediere, duces *u* absentis amici,
Et sua prodentes conformia vota creato,
Non suspensa *t* tamen, sensum sed habentia purum.
His ita succincte cusis, molimina tarda

Postea præceps illa et stupenda electio,

Qui nescit, stimulante Deo (* namque abditus urbi,
Omnibus ignotus facie, sed cognitus alto
Æternoque Patri fuerat : nec tempora prisca
Contulerant præferre virum deserta colentem.
Nec digesta quidem suberat, sed cruda voluntas :
Ipsis nec relevans * depressos ardua mentem
Spes dederat ; vulgata diu nam bella parabant,
Ut pressi domitique viri sub jura redirent
Ecclesiæ, terras Veteris, *x* prænominis-urbis
Vastantes. Ah ! dira lues ! insurgere cives
In Dominam, dum mœsta gemit solatia Sponsi.)

iterum solenniter confirmatur,

Hunc iterum legere, Patrum prodente Senatu
Unanimem sensum vocemque per ora Latini,
Et Patris, et Geniti, Sancti quoque Flaminis unam
Interpellantis Deitatem cuncti-potentem,
Auxilio dum tuta Crucis Signacula dextra
Assumit. Sic iste Petrus, cognomine Murro,
Eligitur. Proceres pariter dehinc laude resultant,
Hincque simul psallunt : dum primus in ordine lævo *y*

et populo indicata maximo plausu excipitur :

* Pandit eum populo, quem clausa silentia norant.
Jam resonat divis Clerus sua classica templis,
Undique concurrunt cœtus, ac undique turbæ.
Fit strepitus, quæruntque simul quis noverit illum.
Non secus exultant homines, cursuque moventur.

sicuti a venatoribus domum vesperi redeuntibus,

Depræssosque animos torpore ad murmura figunt
Attoniti ; quam tecta domus sublimia muris
Arte vagi solita venantes tendere gaudent,
Cum pedibus celerem ac ramosa fronte superbum,
Gramina tondentem campis vel forte jacentem
Insiliunt cervum, [et] latratu surgere cogunt
Olfantes *z* catuli, cum forsan lumina Phœbus

excipitur improviso deprehensus cervus,

Conderet in noctem, languensque gravantia membra
Vespere venator deferret in hospita tecta.
Nam subito prædæ visu, mœstissima vultus
Læta redit facies, rubro calcaria guttant
Sanguine, veloces nec non in bella molossi
Laxantur proni, distendunt ilia cursu
Pectora conjuncti terris, et colla profusi
In profugam prædam ; sequitur quos non prope gressu
Hispida turba canum latrans, et fessa requirens

immissis undique in eum canibus.

Sicca nare pedum vestigia : nec minus omnes
Per loca distantes, donant clamoribus aures,
Et duce latratu properant attingere prædam.

ANNOTATA.

a *Id est* Zodiaci, *qui obliquo orbe inter tropicos Cancri et Capricornis ducitur.*

b *Ad Solstitium hibernum, Capricorni signum percurrens sol, proxime* Serpentem *respicit, ad illam Tropici hujus partem locatum ; sicut ad alterius Tropici partem obversam, cernitur* Hydra.

c * Nam Vacatio duravit duobus annis et quarta parte tertii].

d * Curialiter Auctor devitat respondere quæstioni, an electio Fr. Petri de Murrone fuerit ex inspiratione, vel Dei tolerantia.] *Ita ipse Auctor.*

e *Id est, Spiritum sanctum.*

f * Nam stant a parte dextera Episcopi, a sinistra Diaconi].

g * Nam Sedes modo vacabat], *ideoque nulla posita erat sedes in capite Consistorii seu Conclavis, ubi alias locus Pontificis erat.*

h * Id est, per arctum]. *Videtur ergo indicari, quod juvenis per arctam viam effusis habenis equitans, alicubi collisus fuerit, indeque mortuus.*

i Pensare, *id est*, cogitare, *Italis, Francis, Hispanis communis vox, uti et communis origo cum Teutonico* Peinsen.

k * Tusculanus] *Joannes Buccamatius.*

l *Nocturna visa intelligi clarius patet infra* ỷ 67.

m *Festum Omnium Sanctorum, 2 Novembris : agebantur autem hæc exeunte Junio : inter quem et Novembrim quatuor menses intercedunt.*

n Campanus, qui vocabatur Benedictus, et postea fuit Bonifacius VIII].

o *Hoc Auctor in fine operis* ỷ 196, *accipit in argumentum Spiritus prophetici in Petro, qui per hoc intellexerit fere, ut Cardinales aliquando appellaret Fratres, factus Papa.*

p *Jacobus et Petrus Columnæ.*

q *Petrum Card. Presbyterum S. Marci.*

r Conscita. 1. *decreta : sed qua licentia corripiatur penultima, ignoro : idem rursus occurrit* ỷ. 391 *sed* consita *scribitur : uti etiam in fine operis* ỷ. 273.

s Æther *neutro genere usurpari a Mario, Victore, Ennodio, Fortunato, Aldelmo et aliis notat Cangius.*

t *Qualia scilicet fuerant vota duorum Columnarum.*

u *Id est absentis personam repræsentantes, et sic cum quasi in conclave adducentes.*

x *Id est*, Veteris Romæ, *qui autem ejus terras vastabant, et ad quos compescendos intentio Cardinalium ferebatur, Aragones erant : est porro hæc valde longa parenthesis.*

y *Id est, primus Diaconorum, ad quem spectat Electum populo indicare.*

z Olfantes, *id est*, Olfacientes, *mirabili sane contractione. Quanto elegantius Virgilio dicitur,* Odora canum vis ?

Nunc quæ corrigenda putavimus accipe, et si quid in his ipsis erratum videatur, ignosce

ỷ 13 Rogitamus. *l.* rogitemus. 59 Non *l.* Num.
61 Præsularique. *l.* Præsul cui.
64 Summus *l.* summi. 66 sub limina. *l.* sublimia.
85 votum rogitante. *l.* rogitantem vota.
116 nam præditus. *l.* namque abditus.
121 depressas ardua mentes. *l.* depressos, ardua mentem.
135 Panditur in populum. *l.* Pandit eum populo.
136 Cleri. *l.* Clerus. 142 soliti. *l.* solita

CAPUT II.

Electio nuntiata Petro a legatis in Murronem missis, et ab eodem acceptata.

O Bona temperies, cœlo et delapsa profundo,
Squallida

A
Cap. III. Cardinales post electionem rursus haud satis concordes,

Squallida corda rigans, siccasque ligamine partes
Associans, quam tarda venis! quam concita nostram
* Deflectunt nocitura viam! Nam linquere dulcem
Incipiunt pacem Proceres, monstrantque dolere
Hunc legisse virum: namque ipsi mittere, de se
Qui referant decreta Patrum suffulta sigillis,
Post varios tractus, et verbis vota retusa,
Dimittunt, *a* errore gravi: discordia claret,
Quam durum celare fuit per tempora retro.
Nam * mediæ *b* per signa viæ sol egerat ardens
Bis repetens cursum, * quartamque volubilis anni

quinque legatos non Cardinales mittunt:

Alterius partem, cum mœsta vacatio, Sedis
* Afflictiva moram traheret; turbantibus ipsis
Ecclesiæ pacem. Mandant ea propter, ut acta
Quinque ferant propere: quorum tres ordine vecti
Pontificum sumpsere gradum, duo munia Scribæ
Papalis, deerant tamen his *c* Scarletta Galeri.
Cumque super strictas *d* Fauces montanaque claustra

qui profecti,

Transissent, Populique *e* domos, ubi pinguior amnis
B
Ingreditur gelidas vallis Sulmonis in undas;
Qua poterant vidisse locum, quo tendere cursum
Optabant, flexere viam: dextrumque secuti
Sunt latus, ingressi Sulmonis mœnia primum.

Cap. IV.

Mons erat excelsus, directis rupibus asper,
Qui situs in medium radios defendit ab urbe,
Ne feriant surgente die per plana jacentem

ad montem Murronem,

Sulmonem; cui nomen erat de tempore multo
Ursa, et per longum vallis diffusus agebat
Limitis officium, verso quia lumine zonam
Clauserat ardentem; qui ne qua parte reclusum
Panderet ingressum vallis, sibi junxerat apte
Rajani montes, velantes cardine ocasum
Solis, et objectas rupes Aquilonibus altas.
Hujus summa situs Murronum nomine clamant
Pone *g* laborantes depresso vomere terram.
Hinc sibi cognomen dederat (nam primitus illic
Manserat) angusta cupiens pertingere vita

quo ex Majella rediverat Petrus,

Cœlica regna Pater: sed cum jam crescere fama
Cœpisset niveis Majellæ montibus Heros,
Duraque per canos esset transvectio colles;
Compatiens populis quos pura vocatio traxit,

cella angusta clausus,

Hunc habitare locum rediit. Sed cellula ripa
Saxea, qua facies medio non culta rigebat
C
Erigitur, depressa tamen, plus carceris usum
* Quam placidi præstare solens spectacula vi
At nova radici montis subfixa relucent

per Abbatem S. Spiritus audientiam petunt:

Templa *h* Sacerdoti; cujus sub dogmate vita
Illic arcta viget Fratrum memoranda *i* per orbem.
Huc igitur venere Duces, quos ipse Senatus
Miserat, et rapidum mandant conscendere collem
Abbatem *k* qui templa regit; cum vespere Phœbus
Umbrarum signat vacuas ad mane *l* figuras.
Paretur dictis: petitur quo tempore possint
Jussa referre viri: defertur copia Missis,
Ut libet. Ast illi tetras cum instare tenebras
Perciperent noctis, posuere in mœnia somnum.

et postridie mane arduo ascensu superato,

Sulmonis: nam grande fuit conscendere montem.
Ast ubi clara dies illis advecta refulsit,
Speluncam petiere Patris: quo *m* fusa per artus
Unda fluit gravitate viæ. Procedere bini
Vix poterant: consurgit opus, dum proxima cellæ
Adveniunt, * servando gruum per summa volatum,
Jungere se his comitem, non missus ab ordine * toto,
Venerat, et cantus properabat ut omnia tentet,
Ipse Petrus Levita Sacer Cardoque, Columnæ

n D
a Jacobo Cardin. ex MS: una cum Petro Card Columna,

Stirpe satus (gratumque sibi; *n* haud sic laude refertum.
Post data Legatis consensu nuntia Fratrum,
Maturare viam quemquam nisi primitus illi
Jussa ferant) en testis adest, dum curritur altis,
Ventum erat ad spatium, duro *o* sub tegmine, clausum
Ostiolo muroque brevi, quo tendere longe

Cap. V. admissi ad cellam,

* Lumina prospectus poterat: postque ordine recto
Parva domus fundata jacet, vicinaque cellæ:
Nam paries medius, limes communis, utramque
Partitur, geminas reddens scindendo casellas.
Illic et *p* lustrum, ferri quod retia claudunt
Imminet; unde Pater residens admittere gentes
Alloquiis fuerat solitus, cum vincula linguæ
Solvebat: siquidem nulli contingere Fratrum

sancti Eremitæ,

Fas erat ambitam muris; nec pervia gressu
Arcta specus, Christi servans sub carcere servum.
Protinus ingressi Proceres, adstante Columna,
Grandævum videre senem per secta fenestræ,
E
Attonitum tantave super novitate morantem,
Hirsutum barba, mœstum pallore figura,
Atque genis maciem jejunaque membra ferentem;
Sed * tumidas lacrymis, oculi * velamina *q* nigri,
Palpebras; rigidumque toga, vultuque verendum.
Nam domus, et facies, habitus gestusque beatum

eodem adorato,

Demonstrant. Nudare caput, genibusque profusi
In facies cecidere suas: quibus hic viceversa
Procubuit terra. Tunc Lugdunensis adorsus
His super incepit verbis, concepta recludens.
Summa Dei pietas, populi miserata dolorem,
Cum multum distare via diversa sequentes

exponunt ei suam electionem,

Cerneret, instabilis sub quorum cardine mundus
Vertitur, ac validis navim quassarier undis
Ecclesiæ, lugentis *r* Herum; te, summe Sacerdos,
Elegit populi Rectorem, sanguine Nati,
O quanto pretio! salvati; teque vocatum
Esse Deo, monstrat desueta potentia Fratrum
Tendere concordem cursum, quæ commoda * vitæ *s*
Celare instituit communia: eisque relato
Nomine, tunc primum junxit distantia corda:
Spe sine, te sumunt subito. Nec scriberis ulla

conclamatione subita factam,

Membrana *t* clausus, quod usque patientia fiant
F
Vota Patrum: nec posse suum tam grande Senatus
Contulit in paucos: sed concors spiritus illis
Panditur effatu, quem nos ex ordine scriptum
Portamus, fultum cera, fultumque sigillis,

petuntque ut assensum

A Patribus missi, quos uvea *x* grana * cruentat
Cardinis in signum; celebris jussuque Senatus
Quærimus tantosque Patres Cœtumque volentem:
Submissique genu te poscimus. Annue cœptis:
Annue devoto plebis languentis * amori,
Et releves quæ præssa jacent, * sub morte superba.
Ne * valeant errare freto, tu navita doctus
Vela dabis prensata manu, clavumque tenebis
In rectum, frænabis equos aurigaque currus.
Orantis steterat sermo paucisque relatis

Cap. VI

A sociis motuque *y* Petri, sic incipit heros.

Ille, consulto prius Deo,

Anxior o Proceres, tantis novitatibus impar
Auditu; tantumque movent, quod nescius ipse
Efficior dubiis, quid sit consultius inde
Assumi. Sed mente Deum submissius altum
Accedam rogitare: Patrem vos insuper illum
Poscite * devotis precibus, quo visere, Fratres,
Vos * redeam. Capta inde manu decreta locello
Intulit; et celsum posceus sibi Numen adesse,
Oravit

A. Jacobo Cardin. ex MS. paucis respondet,

A Oravit prostratus humi, quo carpere divum
Christi posset iter, gratumque fidelibus orbis.
Post morulam Senior : Missis sermonibus, inquit,
Fert Augustini nobis sententia Sacri,
Sufficiens z paucis auditum tangere verbis
Prudentis, quo pauca feram virtutibus * ample
Ornatis, magnisque statu, * verboque; disertis.
Papatus accepto gradum : vocique Senatus,
Qua legimur, Proceres, supremi ad culminis arcem,
Annuo, consensum præstans; ac primitus illam

se Papatum admittere.

Robore confirmo stabili; submittere promptus
Cola jugo, regnante Deo : nam conscia mens hic
Judicium trepidat regnantis in omnia secla,
Et pavet Ecclesiæ casum, * amfractibus arctis
Implicitæ, si pace α sui discrimine tanto
Desereret Sedem Romani Præsulis almam.

Qua fama sparsa multi undique accurrunt,

Illico submissi chiffonibus β oscula figunt
Villosis : dedit ora Pater, dedit oscula blanda,
Ut solitum est laudes resonant : concordia vocum
Ad pia deflexit suspiria. Visere cuncti
Optabant audita γ Patris. Festinus euntum
B Aeris attractum cursus spissabat δ amœni.
Hos inter medius cursu conscendere montem
Gliscebam Vates, membris vultuque resudans,

interque ceteros ipse Auctor.

Et cupiens gelidum crebris attractibus oris
Aera diffundi placido per guttura cordi.
Is neque solus eram ; sed magnæ copia gentis
Astabat, sperando Patrem jam cernere visu,
Celatum pridem multis venientibus illuc.
Pontifices, Clerus, Fratres, Comites, Proceresque,
Nobilibus clari titulis, virtute * corusci,

et Carolus Martellus Regis filius,

Hic magni parvique simul : quorum inclitus Heros
Tu Carolus, Regni Siculi successor ε avitus,
Unus eras : juvenis, parva crescente per albas
Pube genas, clarus faciem, flavusque retortam
Cæsariem, Regemque vocant te sanguine ζ matris
Ungariæ; licet illa jugo * nunc pareat ora

titulotenus Rex Hungariæ.

Andreæ η, quem jura volunt præponere regno.
Non nostrum est metro disquirere sceptra potentum;
Sed potius, dum vita placet, dum spirat odorem
Fama Patris vulgata bonum, nec miscuit actus
Ille suos tenebris, vicinus culmine cœlo,
Texere Pontificis decrevimus ardua vitæ θ.

ANNOTATA.

C

a Dimittunt, *id est, Omittunt.*

b Mediæ viæ, *id est, Zodiaci.*

c Scarlettum. *i. purpura, aliis* Scarlata, scarlatum, *quam nonnullos ab Arabico* Yxquerlat, *idem significante accersere, indicat Congius.*

d Fauces *Apennini in Piceno vulgo* Foce, *haud longe ab ingressu Aprutii, distant Perusio* 50 p. m. *versus Orientem, istinc unde duo in contrarias partes fluvii nascuntur; Nera, in Tiberim percusa Umbria immergendus; et Aso, ad mare Adriaticum properans.*

e Populus, *vulgo* Popolo, *oppidum Sulmona distans* 9 p. m. *ubi aquæ, vallem Sulmonensem irrigantes, Aterno flumini miscentur.*

f * Nam montes Rajani sunt ad occidentem, et juxta sunt quædam rupes altæ, quæ ad Aquilonem stant] *atque ita ex tribus partibus monte clauditur vallis Sulmonensis.*

g * Juxta] *arantes.*

h * Abbatia sancti Spiritus].

i * Quantum ad asperitatem].

k * Qui erat Fr. Onuphrius de Cornu, Aquilanus].

l * Id est, Contra : nam hora vespertina umbræ cadunt contra Orientem.

m * Id est, Propter quod] *copiose sudarunt.*

n *Id est; sic quippe ei placuit, licet non satis decorum esset, quemquam etc.* D

o * Dicit, Duro, quia non erat coopertum spatium nisi cœlo et terra].

p * Id est fenestra].

q * Nam habebat oculos nigros et palpebras tumidas].

r *Id est, Dominum et sponsum amissum, scilicet Nicolaum Papam.*

s *Id est, quæ solet dissimulare ut studeat privato.*

t * Sicut in scrutinio] *per secreta suffragia facto.*

u * Sicut fit in compromisso] *quæ sunt duæ magis ordinariæ formæ electionis, quam quæ fit per conclamationem, uti factum in Petro.*

x * Qui portant capellos de Scarletto]. *i. galeros rubros : est autem* Grana *purpura, de qua etiam infra.*

y * Quia a se, non ex parte Collegii loquebatur] *Petrus Cardinalis Columna.*

z * Scilicet, esse].

α * Id est, propter pacem suam.

β * Nam habebat chiffones in pedibus. *Apparet calceamenti genus, Aprutiis usitatum, sed perquam vile, id esse : interroganti vero Romæ rescribitur* calopodia *videri seu* calceos ligneos, *et a* cippo *seu trunco vocem forsitan derivari : nec displicet : oportet tamen non integre ex ligno fuisse, sed ligneis ad plantas socculis subinductam habuisse villosam pellem, qua pes contineretur.* E

γ *Id est, ea quæ de Patre audiverant.*

δ *Dum scilicet pulverea nubes ascendit a pedibus festinantium.*

ε * Prout sperabatur (nam erat primogenitus) sed postea mortuus fuit ante Carolum II Regem Siciliæ, patrem suum : ita quod iste Carolus Martellus, de quo fit mentio, non fuit Rex Siciliæ].

ζ Maria, *Stephani IV Hungariæ Regis filia et soror Ladislai III, absque liberis mortui anno* 1290.

η Andreas III, *Andreæ II ex Stephano postumo nepos, Venetus cognominatus a matre Tomasina Maurocena : huic autem, exclusa Maria, tamquam femina, prætendebatur potius deberi regnum, deficiente in Ladislao III linea masculina, ab Andrea II per ejus primogenitum Belam IV ducta.*

θ *Post hæc* * incipit Vita Fr. Petri sententiosa, *sive (ut in syllabo Capitum et sæpius deinde legitur)* seriosa. *Interim accipe quæ in textu visa mihi sint mutanda.*

§. 162 Defectis. *lego* Deflectunt. F

196 mediam per signa viam. *l.* mediæ per signa viæ.

170 quantamque. *l.* quartamque.

172 Afflictura morem. *l.* Afflictiva moram.

204 Qua. *l.* Quam. 221 servanda. *l.* servando.

222 tanto. *l.* toto. 231 Tendere. *l.* Lumina.

246 tumidum. *l.* tumidas. velamine *l,* vel animo.

261 vitans. *l.* vitæ. 268 affatum. *l.* effatu.

270 cruentant. *l.* cruentat. 274 amari *l.* amori.

275 sub mitte. *l.* sub morte. 276 valeas. *l.* valeant.

286 devotum et. *l.* devotis. 287 reddam. *l.* redeam.

289 quod *l.* quo. 294 amplis. *l.* ample.

295 verbisque. *l.* verboque.

303 an fratribus artis. *l.* amfractibus arctis.

319 coruscis. *l.* corusci. 325 nec. l. nunc.

327 vestrum. *l.* nostrum.

CAPUT III.

De prima vita Fr. Petri et singulari exercitationis eremiticæ rigore..

Est locus Aprutii, cui profert accola nomen Molisium, Cap. VII.

A

§. I. *Piis parentibus natus,*

Molisium, patria * huic quondam, vel parte Laboris
Terræ! Et, quamquam humilis generis, pietate referti
Dicuntur rectique Deum timuisse Parentes
Hujus, et hospitio prompte recludere nudos.
His puris data magna, Jacob veluti Patriarchæ,
Est Soboles duodena virum, de munere divo.
Cumque * pios gererent animos, precibusque rogarent
Sæpe, Dei verum natorum crescere quemquam

mortuo patre studiis applicatur a matre,

Cultorem; de hinc morte patris, senisque *a* relictis
Pignoribus, completa senum sunt vota parentum.
Nam puer hic sacris, quinquennis palmula, libris
Traditur undenus; matrem *b* ut per omnia lætam
Efficiat: quæ mente gemit dum viscera partu
Jam sentit defecta, sinu nec * suscipit ullum
Relligione sacrum, præsertim funere nati *c*
Alterius. Sed fraude nocens, * diraque superbus
* Invidia, magnis parvum subducere dæmon
Tentat, ut abscedat cœptis: tentatque ministros

frustra id impedire conato dæmone,

Ille suos, pueri fratres; matrique suadent,
Otia ne cupiat puero, quia sufficit alter

B

* Ædibus, et satis est, desit quibus ampla supellex.
Nec minus interea hunc opibus succedere dives,
Heredemque sibi spondens blanditur amatum.
Hæc super et matrem dæmon velatius *d*, illum *,
Tentat, ut avertat studiis: quia doctus in arte,
Arte futurorum, matri substare periclum
Cernat, et ingratum Christo, letoque dolentem
Facturum profecto suam *e*; potiusque minorem

§. II. *quia illam confirmabat prodigium cuculli in quo natus erat puer,*

Instruat. At mulier memorans nascentis alumni
Prodigium (nam vestis eum velarat *f* euntem
Relligiosa tegens) nato haud præbere favorem
Destitit; ac volvens persæpe in pectore jussum
Commatris, dare dona suo, dare dona magistro,

§. III. *et mariti defuncti mandatum.*

Imbuat ut puerum; siquidem [patrem] illa monentem
Audierat, dum somnus erat * partæque tenebræ
Post lucem, * Qua scire meat *g*, dic ergo jugali
Sponsæ, quod placitum est nobis procedere parvum.
Sic * erit ut Cleri crescat sub dogmate noster
Filius; et nobis, matri, multisque valebit
Proficiens: incepta tamen non deserat, inquit,
Si nostri memorem teneat, si firmat amorem.

C

Ast infans, supero perfusus rore, decorem

§. IV. *Qui cito Psalmos edoctus*

Induit, ut parvo nosset producere Psalmos
Qui sibi solamen, requies, tutelaque cursus
Ad meritum vitamque forent, dum labitur ævum.
Cumque puer denum, binumque perageret annum

§. V. *et matri visus candidas oves pascere,*

Hunc mulier niveas pascentem pascua *h* tonsas
Aspicit imberbem, dubiamque præambula terrent,
Dum sopor est, dum somnus abest, dum mente revolvit
Visa: sed introrsum meditans discussius, infit,
Collætare, puer, niveum sortitus ovile,
Pasturusque gregem purgatis mentibus album.
Nam Pastor bonus ille Petro commisit oviclas,
Si tamen interius vincitur nexibus olli.

§. VI. *deliberat de suscipienda vita eremitica:*

Ergo futurorum cui sic præludia certant,
Illecebras seclique vagas conquirere pompas
Vitat, perque dies crescit virtutibus, ipso
Se melior, servire Deo magis atque laborat,
Præsertimque eremo. Retrahit pia consita *i* pubis;
Formidasse domi noctis phantasmata solum,
Et * nescire specu posse et concordia quemque
Sumere cum sociis: ejus vecordia *k* nullo
Tollitur, et deerat Fratrum experientia doctum.
Inde moræ tractus, quo denus circiter annus
Bis fluat in gyrum: tandem concepta sodali

D

A JACOBO CARDIN. EX MSS.

Detegit, ac suadet, Vitæ quid dulcia nobis
Perdimus, et mundo consistimus, atque fugacem
Subsequimur? Fluidis labetur fluctibus hærens.

tandemque vicennis uno cum socio egressus,

Unde age, perfectam vitam servire Supremo,
Regnandique modum patriam si linquimus omnem,
* Tentemus, Romamque via succinctius almam,
Ut dentur consulta sacris primordia votis.
Consensit, vaduntque simul: sed tendere fessum

ab eoque desertus,

Una dies vacuum socium remeare coegit.

§. VII. *in cella eremitæ,*

Iste tamen processit iter: sed turbine tentus
* Substitit: ac eremo, fama prodente, cacumen
Comperiens habitare virum, sub Sanguine *l* castro;
Hunc adiit: nec cuncta refert, dimotus Olympo.

clam digressi moratur:

Forte malus simulare bonum *m*, cellamque reliquit;
Qua Petrus hic juvenis * pavidus sub nocte moratur,
Usque quoad fessos languens sopor accipit artus,
Divinisque timens visis hilarescit, et inde
Securus, tutusque fuit. Nutuque superno

§. VIII.

E

Pone locum, rigidum subit per tempora *n* collem:
Perfodiensque solum, * immani sub pondere saxi

deinde in monte aspero annis tribus:

Sic modice subtraxit humum, quod corpore parvus
Vix rectus, longusque jacens consistere posset.
Et tribus ille annis, tunica vestitus acerba.
Quæ caput ambibat, strato super horrida nudo,
Hic fuit, hic jacuit. Serpentibus atque lacertis
Hic locus est: rospi *o* comites recubantibus adsunt.
Illic sæpe malis tentatus, sæpe refectus
Mellifluis magnisque datis: unumque retexam.

§. IX. *ubi pro campana cælitus audiri solita,*

Nam grandis campana soni, sub tempore noctis,
Illic clara quidem semotis rupibus, horis *p*
Auditur. Vigilem fecit vigilare quietum
Hæc diu: ast alius sibi missus nuntius, inquit;
Cur, Petre, saxosis habitans in collibus hospes,
Cantantem refugis noctis per tempora gallum,
Quem Frater tibi carus habet? Matronaque præsens

gallum frustra admittit

Addidit, En pulchrum referam tibi. suscipe gratum,
Quod placidum, vir Sancte, putem. Consensit eidem
Vir simplex Christumque timens: sed protinus ille
Subticuit, vocemque negat, cantumque recusat
Gallus: et audiri refugit campana metalli,
Vel potius cœleste datum; dum terrea virtus
Suscipitur scissura horas, et cristeus *q* ales
Tunc opus artificis divinaque munera noscens
Simplicitas, gallumque *r* dedit; certoque sonante
Haud discrevit, humi recubans, in noctibus horas
Ut prius. Inniti solique incumbere Christo
Maxima laus hominis: fruitur tamen inclitus ille,
Proficiensque Deo, multis suadentibus, urbe

§. X. *Factus Romæ Presbyter Murronem ascendit,*

Presbyteri suscepit onus: Romaque reversus
Murroni non culta sacer mansurus adivit *s*.
Cujus in adventu maculoso ventre per antrum
Progreditur serpens, diffisus habere cubile
[*Commune. Hic parva vives, Pater inclite, cella*].
* Angustaque specu, spatioque morabere lustri,
Hincque tibi nomen; decus hinc Papale * resurget,
Si redeas. Tunc culta finit discedere silva,
Et canos habitare situs desertaque montis

§. XI. *inde in Majellam migrat,*

Majellæ: placet * arcta isti consistere crypta.
Sed fraudis commenta probans, incendia noctu
Injicit, ac oculis flammabat pabula torvis,
Ut fugeret linquatque locum; cui protinus obstat,
Dum mandat, celerent, properent, cedantque sequestrent
Res modicas. Faciunt jussi, nam cella cremari:

ubi phantastica pericula vincit,

Murmura sed timidi ructant, discrimine tristes;
Nam

A Nam reputant cecidisse globos de vertice flammæ
A JACOBO CARDIN. EX MSS. §. XII.
Fratres. Hicque sciens conjecta pericula sævo [ab]
Hoste, manet; dictisque refert, non inde revelli,
Ignea si rabies membratim torreat artus.
* Qua deleta fide, ceu fumus, flammula cessit:
Sicque simul mansere, quibus succrescere curæ est.
Hicque * suum deinceps paulatim fervida Patrem,
(Sive moras u verbi traheret, vel proxima tellus
et sub regula S. Benedicti socios recipit, solus ipse in cella manens §. XIII.
Hunc caperet, sive interdum dimota teneret)
Est complexa cohors, Benedicti dogmata spondens,
Cujus et hic habitusque fuit moresque professus x.
His neque contentus juvenis (nam strictius ipse
Vincebat mores, vitam pertingere gliscens
Ægypti Patrum) soli sibi carpere cellam
Mos erat, et clausam muris, ut nullus haberet
Ingressum: solique Deo servire paratus,
Continuo parvo celebrabat carcere Missam,
Astabatque foris manibus per lustra ministrans
et silentium servans;
Frater. Et affectans fluidam restringere lin-[guam,
Temporibus certis penitus discedere verbis
§. XIV. duriter cubans,
Jusserat alloquii: stratum cui lignea lectum
Præbebat series, scala tabulis sibi nexis;
B Seu tellus, non culta jacens, sed pulvere versa;
Cuique catenarum ferri dant pondera zonam
Succinctis lumbis, ne carnis pullulet ardor:
Et lapis, aut durum, firmumque resistere lignum,
* Cervical; vel uter nodosis crinibus asper,
durius vestiens,
Retibus innexus, fœno paleisque repletus.
Hæc eadem nudis præbebant tegmina mem-[bris
rigide jejunans,
Hispida; quæ ut gravius stimularent morsibus, artus
Ferrea loricæ moles contexta præmebat.
Desuper hoc variis peragebat mensibus annum.
Ille die nulla capiebat carnibus esum,
§. XV.
Sed feriis jejunus erat cunctisque diebus,
Sola dies Domini dabat huic bis sumere pastum.
At Veneris Martisque die jejunia pane
Solvebat, calidamque sitim labentibus undis:
Huncque modum servare jubet qui dogmate Patris
Arcentur y. Vir, semper aquam; vir, lim-[pida puri
Gurgitis hauribat, vitans applaudere Baccho:
§. XVI. sex Quadragesimas observans,
Sexque Quaterdenas z addens, quo fortius omnem
Ingluviem superare queat, carnemque refrænet,
Compellatque ipsam menti per singula subdi,
Illarum tribus panem lymphamque sine ullo
Condimento alio gustans, plerumque refutans
C Cocta manu, Phœbe motu quo cingeret orbem.
Non Cicer atque fabas lymphis liquidantibus * un-[quam
* Contenerans α, crudasve rapas, aliudve legumen,
Castaneas seu poma, sibi dulcentia succo:
* Sed tribus illarum solitus conjungere mistum
Insipidumque cibum, fructusque modestius auctos.
§. XV. jugiter de genibus psallens,
Quin vigiles peragendo dies noctesque quietas,
Versibus β orabat Psalmos: manibusque genuque
Sæpe solo flexus, callosam pelle ferebat
Carnem. Nec dubium quin claro proximus orbi
Contemplando Deum fieret, Christique saporem
Melliflui, vicibus speculando, lamberet ardens:
§. XVIII. aut operi manuali vacans
Neve mora obtusum, segnem, vel forte periclis
Redderet expostum; manibus munuscula [doctis
Ciliciumque eremi texebat, opuscula γ Fratrum
et subditus Abbati.
Insuper. Et varios quamvis δ religaret habenis;
Attamen et parvo sese submittere norat,
Abbati famosus Herus, quem fama fugacem
Insequitur, populusque volens hunc cernere [clausum.
semel Quadragesima tota crudis caulium foliis vixit.
Post hæc tempestum ε reputāmus scribere metro
Vix credenda viris, quæ dudum tempore prisco
Novimus. En decies quadrato ζ subdere corpus

D Menti * jussit amor, divino fonte relabens,
Taliter ut spretis, quæ gustus organa mulcent
Omnibus, ipse cibum viridis plantagine caulis
Sumeret, haud coctis foliis, sed stipite crudis;
Proserit ut palmes crispatis undique nervis:
Inque sitim vivi torrentis gurgite lympham
cilicio et lorica utens pro veste,
Hauriret. Num plura feram? Vir ille super-[nus
Cilicio est pro veste usus, soloque tegente
Corpus, et interdum Loricæ pondere fractum.
Mira senis, sed mira viri sic septa voluntas;
Admiranda tamen virtutis gloria præstans:
Quæ potuit parce servare ad tempore vitam
Gratia, languentes firmabat nexibus artus.
Quis titulos castæ laudis, quis fortia grandis
Virtutis, quis septa gulæ tam lubrica, quisve
In lacrymis gemituque modum præscribere prom-[ptus?
Quis tua longanimis perquirere singula tentet?
quin et miracula fecisse dictus.
Sunt qui te variis referant micuisse sub æthre,
Miraclis η quod fama loquax non occulit, urbes
E Sæpe novis tantis agitans. Hæc sæpius ipse
Audieram, dederamque fidem: nunc limite metri
Sufficiat narrasse Patrem, fulgoribus illis
Intendisse animum, decies tribus amplius annis,
Forte decem geminis θ, vero sic conscia fama est.

ANNOTATA.

a *Ipse quidem Sanctus* septem *numerat: sed vel hinc apparet, istud ejus scriptum ad manus Auctoris non pervenisse cum scriberet: quod et ipse infra num.* 549 *confirmat, quæ narrat de vita Sancti audivisse se profitens, non legisse.*

b * Mater vocabatur Maria.]

c * Quia alter filius fuerat Clericus, et fuit mortuus.

d * Nam dæmon assumpto corpore fingebat se divinum, et dicebat matri, video substare periculum.]

e * Scilicet matrem.]

f Euntem. I. *prodeuntem.*

g * Addiscere vadit.]

h Tonsas *, id est, oves.]

i *Id est, pia consilia adolescentis, supra* 93 conscita *scribitur, idque magis legitimum est a verbo* conscire, *sed difficultas est in quantitate penultimæ.*

k Væcordia. I. *pusillanimitas, hæsitatio,* nullo tollitur. I. *a nemine sublevatur vel resolvitur.*

F l * Castrum Sangri.]

m *Vereor ne hic exciderit aliquid, male conjunctis diversorum duorum versuum hemistichiis.*

n * In jugo montis Pelignorum: hodie dicitur ecclesia S. Mariæ de altari.]

o Rospi *, secundum vulgarem illarum partium litteraliter Bufones dicuntur.]

p Horis. I. *statis horis.*

q Cristeus. I. *cristatus.*

r Dedit I. *reddidit.*

s In ecclesia S. Mariæ de Murrone, quæ est paululum inferimus eremo S. Onuphrii.

t *Deest haud dubie hic unus alterve versus: unum ex conjectura suppono.*

v *Id est, silentium servaret.*

x * Quia fuit monachus sanctissimi Patris Benedicti.

y Arcentur. I. *constringuntur.*

z Sex quaterdenas. I. *sex Quadragesimas.*

α *Id est, macerans, elixans. Ita mihi ad aliquem sensum adduxisse videor, quod in MS. legitur,* undas non teneras.

β Versibus. I. *versiculatim.*

γ *Intelligit opuscula spiritualia S. Petri, de quibus alibi.*

δ

A δ *Id est, quamvis multos regeret.*

ε Tempestum. I. *tempestivum opportunum.*

ζ Decies quadrato. I. *tota una Quadragesima.*

η * Nota quod Auctor hic non loquitur, quod Fr. Petrus fecisset miracula; quia tempore quo versus præsentes composuit, nondum canonizatus fuit per Papam Clementem V Avenione; cujus miracula Auctor hujus operis descripsit in libro tertio hujus sui metrici operis, quod incipit, Jam cœli convexa tenens—— ut infra loquitur.]

θ * Et sic fuerunt quinquaginta anni] *vitæ scilicet in eremo actæ. Porro quæ nobis visa menda et corrigenda, hæc sunt* :

℣. 333 hic, *lego*, huic.
339 pie gererent animo. *l.* pio gererent animos
346 suspicit. *l.* suscipit. 348 direque. *l.* diraque.
349 Invidiosa manu. *l.* Invidia, magnis.
353 Et satis est ede. *l.* Ædibus et satis est.
356 illam. *l.* illum.
367 patteque tenebris. *l.* pactæque tenebræ.
368 quam. *l.* qua. 370 erat et. *l.* erit ut.
403 vestire. *l.* nescire. 403 Tendemus. *l* Tentemus.
B
408 Subsistit. *l.* Substitit. 412 pavidum. *l.* pavidus.
417 mani. *l.* immani.
452 Magnus teque. *l.* Angustaque.
453 resurgit. *l.* resurget.
455 quibus atra placet. *l.* placet arcta istic.
466 Quoque fide lato *l.* Qua deleta fide.
467 duo. *l.* suum. 484 multa. *l.* culta.
488 Cervicalve rudens. *l.* Cervical vel uter.
508 undas. *l.* unquam.
509 Non teneras. *l.* Contenerans.
511 Sat. *l.* Sed. 529 vixit. *l.* jussit.

LIBRI III CAPUT I.

De accessu Cardinalium Aquilam et Cœlestini coronatione.

Præfatio auctoris illibenter scribentis quod innuitur

Hactenus hæc fama fuerant vulgata per urbes,
Dum sibi virtutem sereret, dum vivere clausus
Flagitat, at secli strepitus mundumque fugacem
Linquere, nec aliud : quod quamvis posse tacere
Hac serie versus mallem, quia strictus amore
Ante viro, placidumque mihi se præbuit inde
Papatu; reserabo tamen, quæ culmine tanto
Gesserit. Et pulchrum est generi narrare futuro
Et sibi votivum, nec non exempla timendi
Tam varios casus hominum, sic celsa sub imo,
Sic mutata gradu summo, vel forte retecta.
Sed neque credendum, fraudem vestisse columbam
Tempore sic longo : multis nam semita vitæ
Paupertas, cultusque sui postponere curam :
Multorum regnare malum, præcellere cunctos
Mortiferum quibus est. Prompte parvumque sede- [mus
Nos equusum, modicasque manu transcurrimus [undas;
Fluminis intrepidi submersi forte profundo,
Cornipedisque solo collisi saltibus acris.

Cœlestinus, Cardinalibus non fidens,

Incipiens igitur sociatus *a* Cardine Murro,
Nocte sub ingressa, Fratres ubi *b* templa levabant,
Descendit mansitque dies : inibique futuri
Pontificis magni dextrum latus, ordine verso,
Excepit Carolum Regem, qui præsidet arvis
Apuliæ; laicæque manus subrepere passim
Consiliis tentant divi in præcordia Patris
Ecclesiæ. Nam gnarus opes, et jurgia mundi
Temnere, pomposam Juris vitaverat artem;
Nec scripturarum clausos recludere nodos
Decrevit, Fratrumque cohors, sub dogmate [Patris D

A. JACOBO CARDIN. EX MS laicos in consilium asciscit :

Degentum, non culta satis, sed rustica turba,
* Montibus altisonis : quo factum est, ut sibi magni
Crederet hic laicos, quos Juris in arte peritos
Prudentesve ratus. Serpit sic nescia ritus
Gens *c* nova, dum metuit Pater almus frau- [dibus arctum
Ingenium * vinci Procerum, dubiique sodales
Redduntur Fratres, proprium ne forte Senatus
Compellat mutare gradum; si gloria mundi
Cesserit, ut pridem, rubra in Collegia Patrum.

per epistolam se excusat ab itinere Perusino :

Inde gravis, decreta quidem, processit herilis
Littera *d* Pontificis, qua se non pergere longe
Posse fatebatur, cœlo dum ferveat æstas
Frigoribus solitum montanis : quo neque Cœtum
Turbari voluit, fragilis si tendere gressus
Usque Aquilam properet; senii nam torpida [virtus
Non sinit, æstivo segetes torrente calore,
Difficili accessu Perusinum scandere saxum.
Hæc voluit pensare Patres, et quærere quidnam E
Congruat Ecclesiæ, votumque *e* retexere verbis.
Ipse tamen vastam *f* colloso cespite terram
Ingrediens Aquilam, non plenam civibus urbem *g*,
Sed spatiis certis signatam ob spemque futuram,
Intumidus vilem Murro conscendit Asellum,

CAP. II Aquilam venit invectus asino,

Regum fræna manu dextra lævaque regente.
Pontificis visu plures stupuere, videntes,
Sic humilem, memorando Deum, * cui præbuit omnis
Obsequium natura placens, sedisse quietum

Christi exemplo :

Hoc animal, dum Juda, *h* suis * effusa colonis,
Obvia prostravit vestes, ramosque recisos
Detulit in laudem Christo viridantis olivæ.
Ast alii mitem potius gestare silenter
Commendare *i* animum, * largisque sedere coruscum
Cornipedem phaleris, ubi celsa potentia morem
Hunc sibi deposcit. Quid ni? sed credimus *k* [inde
Exemplum potuisse capi, quo lapsa voluptas
Excessisse modum Cleri cognosceret unquam,
Si ventura Pater, ceu pridem *l*, florida signis
Providus ostentet : populus * nunc captus in isto [est.
Quædam facta, licet virtutis imagine fulta,
Despicimus quandoque sequi; si casus et amens

Laicum Secretarium sumit, F

Simplicitas] non cauta manus se fudit in illa.
Ast remanens Aquilæ, nondum veniente Senatu,
Officiis variis præfecit Murro novellos
Aprutios, laicumque sibi non more vetusto
Assumpsit *m* Scribam (deerat fiducia Cleri)
Samnitumque *n* Pater (forsan cui plurima culpa
Adscribi potuit) Vicecancellarius Almo

suasu Archiep. Beneventani.

En datur. At fraudis vicina pericula purus
Quis caveat, letale malum? cum dogmata sacra
Tam legis quam * scita Patrum novisset : * at idem
Haud radiat, lucere datus; cœlique Joannem
De Castro dixere virum, terrena colentem.

CAP. III Cardinales qui scripserant ne Aquilam vocarentur,

Interea sublimis *o* Apex in singula Cœtus
Ambigui, ne forte moras illectus amaret,
Scripta recensebat rogitantis, ut ipse Priorum
Assectetur iter, veniatque videre cupitus
Cardineos Proceres, quos nec suadentibus ullis
Advocet absentes. Ne præbeat ergo nefandum
Exemplum, procedat Herus, si forte remoto
Sidere contingat Romanæ ad culmina Sedis
Assumi quemquam; pensetque pericula morbi
Et sumptus, fervente die si tempore messis
Curia, distantem, non aptam moribus, urbem

acceptaPetri excusatoria,

Quærere cogatur : justo libramine moti,
Non minus his validas causas reticere fatentur.
Primitus hæc scripsere Patres rumore tremendo
Perusii; suscepta tamen post *p* littera summi
Pontificis

A Pontificis, subduxit eos rescribere blande

iterum ei supplicitor scribunt :

Hæc eadem, firmando magis, quin q clausa revelant :
O Pater alme Patrum, quæ jam tacuisse videmur
Pandimus. En Durum est nobis accirier intra
Apuliæ Regnum : nam non oblivia carpunt
Martini consulta Patris, sumptumque viritim
Consilium, dum magna precum submissio Gallum
Adventare Ducem Regno deposceret armis,
* Insultante manu, Siculi per claustra Pachini,
Aragonum ; fremeretque novis suspensa futuris
Parthenope. Nam Papa sacer, succurrere discens
Casibus Obsedis r melius regnoque citati,

et exemplo Martini 4 monent ne in Regno alieno subsistat :

Substitit, et propriis legit non cedere terris;
Quamquam animus vallare suos hostesque fugare,
Promptior, et dubio quibus illa petita placerent
Nec * Fratres deerant; melior sententia s vicit.
Nec tamem optandum est Proceres quocumque vocari
In longum, licet illa jugo t sit subdita tellus
Romanæ Sedis. Subeant, quæ scripsimus olim,
Exemplum, mores, grave damnum, murmur v, egestas.
B Haud vestri non cura movet fessæque senectæ x.
Est gravis Augusto longe procedere motus :

seniumque et æstum prætexenti

Sed faciente Deo (pro cujus amore fideli
Atque timore, Pater [*tanti grave pondus honoris*
Excipies humeris]) plenum sumsisse laborem
Possitis : pluresque modos non deesse putamus
Auxilio, si forte placet variare quietem.

lecticam offerunt.

Namque potes provectus equo conscendere clausam
Lecticam : nec longa dies seu tempora sacrum
Nos facient spectare Patrem, quem cernere lætum est.
Ne vestras turbare velis discrimine mentes
Culminis auspiciis : ne tantum subdola possit

CAP. IV Iterum se excusanti

Lingua malum suadens, Christi non commoda quærens
Sed propriis inhians, iterum te iterumque rogamus,
Illustris pietate Pater, precibusque moramur.
His visis Murro, geminos ex ordine Fratres,
Non missos gravitate Patrum, sed sponte ruentes,
Cum veniens Aquilam Senior visisset, Hugonem
Scilicet Alvernum, ac Ursino stipite natum y
Levitam; rubris jussit z depromere missos
C Cardinibus senium, morulæque retexere causas,
Dum calet æstivum tempus. Recipitque secundo,
Præsule transmisso Veteri qui præsidet Urbi,

suadent ut saltem Regno exeat.

Vota Ducum, saltem proprias accedere terras
Instantum, si forte negat Perusina per arva
Tendere iter; precibusque rogant assistere Regem;
Cui memorant collata Patri, collataque nuper
Ecclesia donante sibi, vult dum Ethna rebellis

Sed Carolo R. obnoxius Petrus,

Aragones; variosque canunt non deesse pericli
Eventus, et grande malum stimula Parentes.
Perstitit immotus precibus, legitque Coronæ
Murro Aquilam : Carolusque, volens, ne dixero pompas
Sed regnum montrare suum, Proceresque novellos
Et rubros augere Duces, rogitare Potentem,
Dissimulet monitis. * Contemni heu ! verba Senatus
Visum erat haud dubium. Utinam non causa morandi
Tu fueris, dum posse putas te tollere culmen !

mortuo Card. Latino,

Hæc inter, Cœtum * repetisse insignia Præsul,
Chrismate sacrandus (quamvis non venerit ardens
Ordo Patrum) fertur : stimulos sic addere norunt. D
Sed casum patiente Deo (dum sustulit altum
Pontificem nobis, delatum ad celsa Latinum)
Est modus inventus magnæ novitatis, et urgens

pro eo jubet Hugonem Card. fieri Ostiensem Episc.

Spernere consilium promptum; quo Præsulis almi
Funere vix gelido Cœtu distante, sacrari
* Mandaret Murro, post hæc sacrandus α, Hugonem
A Patre Samnitum; nec non insignia rubra
Sumeret, et mantum β, mitram cinctamque lapillis

et Aquilæ sumit insignia Pontificia.

Obrizoque auro, fuerant hæc danda Perusi
Levitæque manu rubri : sed tanta γ Vetusto
Confert Neapoleo. Transfert tunc nomina Petrus
In Cœlestinum, quod vulgat plenibus idem
Neapoleo. Subjecta pedum dant oscula proni
Pontifices, Reges, Clerus, Comites, Proceresque :
Ipse tamen populo dextra, prospectus ab alto,
Exhibuit sublimis Apex signacula Christi.
Hæc postquam novere Rubri, seu morte Latini

Hoc cognito festinant eo Cardinales.

Fracti animos, celerant ad tanta pericula cursim.
Cumque dies Sacræ δ celebris venisset in orbem,
Vestibus ornati byssis auroque decoris E
Insistunt operi Proceres, Præsulque novellus
Velletrensis ε Hugo liquidam fundebat olivam

ipsumque consecrant :

In caput Electi, cui Pallia candida lanæ,
Insuper altari, grandis Levita Mathæus
Obtulit : et frigium gemmis auroque coruscum,
Post celebrata Deo Missæ solennia, Papæ
Imposuit capiti, * populi spectante corona.
Deforis et thalamus campo η sublimis aperto
Structus erat, juxta templum; quo turba sedentem
Cerneret hunc Apicem, nimium * copulata pedestris.
Hinc albo provectus equo, processit in urbem
Quam dixere Aquilam. Servat processio ritum,

ceremoniis alias describendis.

Ante Ducem tendens, longis clamoribus actum :
Discubuitque suis cum Fratribus ordine Præsul,
Ut docet antiquis regni mos, festa peragrans.
Scripsimus hæc propere, nostras laxare camenas,
In successoris sacri vestigia proni.
Non quia sit votum nobis captare favoris
Prœmia, seu laudes operis : sed novimus illum
Urbe θ sacra sumpsisse gradus insignia; Patrem
Deforis : et melius spectacula nostra ι relucent.

ANNOTATA.

a * Petro de Columna, qui eum sociavit in descendendo.] F

b * Abbatiæ S. Spiritus.]

c * Scilicet laici], *ritum et jurium ecclesiasticorum ignari, sic irrepunt.*

d * Missa ad Cardinales Perusium.]

e * Ut scilicet Cardinales sibi rescriberent super his.]

f * Magnificam et spatiosam ; non tamen planam, sed ad modum collium.]

g * Nam nondum est tota habitata : sed Aquilani diviserunt terram in partes, sperantes eam impleri.]

h Juda. 1. *Judæa.*

i * Id est, commendabant] *tamquam convenientius statui.*

k * Approbat Auctor, quod melius fuisset equitare equum cum humilitate : sed ex eo quod D. Petrus equitavit asinum, dicit potuisse capi exemplum.]

l * Si ita bene se habuisset in Papatu, ut prius se habuit ante Papatum.]

m * Bartholomæum de Capua.]

n * Archiepiscopus] *Beneventanus.*

o *Id est, Pontifex singulariter sublimis.*

p

p * De qua supra facta est mentio.]

q * Nam prius dixerant, quod aliis rationibus, non minus gravibus, hoc scribebant, quas tamen celabant.

r Obsedis * id est, Regni Siciliæ, citati, id est, commoti.] *Ita glossulæ : sed non intelligo quomodo Sicilia vocetur* Obsedes.

s * Ut non iret in Regnum Martinus] *etiam* * in dubio amissionis Regni.]

t * Nam Regnum Siciliæ *(quo et Neapolis comprehenditur cum Calabria)* est feudum Ecclesiæ.]

v * Scilicet Curialium.]

x * Respondet Collegium ad rationem, quam fecit Fr. Petrus et allegabat in sua littera, quare non posset ire.]

y * Scilicet Neapolionem.

z Depromere. 1. *exponere Cardinalibus.*

α * Nam D. Hugo Cardinalis, effectus est Episcopus Ostiensis ab Archiepiscopo Beneventano, et postea consecratus est Fr. Petrus ab isto D. Hugone.]

B β *In Actis Gregorii VII per Centium Camerarium descriptis* 25 *Maji, legemus quod mox ab electione indutus fuit* rubea chlamyde et Papali mitra insignitus : *hæc autem chlamys in Ceremoniali Centii Camerarii apud Cangium vocatur Pluviale, cum dicitur quod* Electum Prior Diaconorum de Pluviali rubeo immantat.

γ * Petro jam seni.

δ *Id est Dominica, in qua moris est Pontifices consecrari :* Sacra *autem substantive hic dicitur Consecratio, sicuti in Francica lingua eadem appellatur* le sacre *fortassis, etiam Italis* il sacro; *sed utrisque masculine, hic vero usurpatur feminine.*

ε * Nam qui est Episcopus Ostiensis, est etiam Velitrensis : sed tantum ratione Episcopatus Ostiensis sibi debetur consecratio Papæ, ex privilegio dato *Ecclesiæ Ostiensi.*

ζ * In quo fuit constructa ecclesia Collis-madii.]

θ Urbe sacra, * id est, Roma.

ι Nostra. 1. *Urbana.*

In hujus Capitis contextu quæ mutavimus sunt ista.

9 timenda, *lego*, timendi.
32 Moribus, *l.* Montibus.
36 Vincis, *l.* Vinci. 57 qui, *l.* cui.
59 suas... coronas., *l.* suis colonis.
63 largumque, *l.* largisque.
C 69 ni, *l.* nunc.
81 stila, *l.* scita : et, *l.* at.
88 illis, *l.* ullis,
107 Insultare, *l.* Insultante.
114 Fratrum deerat, *l.* Fratres deerant.
117 Sedi suberant, *l.* Sedis subeant.
126 Sed, *l.* seu. 137 missis, *l.* missos.
151 temni, *l.* contemni. 155 repetens, *l.* repetisse.
163 Mandat, *l.* Mandaret. 165 Sumpeserat, *l.* sumeret.
184 populo spectante coronam, *l.* populi spectante corona.
187 populata, *l.* copulata.

CAPUT II.

Acta Cœlestini in Pontificatu minus probata Cardinalibus.

Regredimur. Sic ille sciens, non nescius *a* omnis,
Non etiam ignarus sensus, et congrua fandi;
Sed titubans, aliosve timens, reverensque Senatum: *Latinæ linguæ non multum assuetus,*
Ut Proceres, soliti verbis intingere fucos,
Ante Ducem levi matrum sermone referrent,
Consultum. * Hesperii interdum dum plura scientem
Non reputant : quem pene modum, vulgaria semper D
Pauca loquens, servabat Herus : nam publica numquam *A Jacobo Cardin. ex MS.*
Hic responsa dedit. Magnis committere *b* causis,
Ut vice regnantis nunc hic, nunc alter adesset
Verba sonans, veluti Papæ transfusa per ora, *et fere per alios respondere solitus,*
Seu ductus *c* seu sponte levis, nec crede superbum.
Et licet indoctus libris ac nescius *d* viæ
Cœlestinus Apex, quosdam Cathedralibus altis *varias promotiones facit,*
Imposuit, tituloque dedit; Patriarchaque nomen,
Accipit, et varii Abbates : et forte coacte,
Vel *e* quasi, siderei collis montisque Casini,
Compulit heu ! Monachos habitus assumere Fratrum. *et Cassinenses ad suum Ordinem compellit.*
Degentum sub lege Petri : nonnullus ab inde,
Dum parere negat, Monachus tunc exulat (O quam
Deciperis! quamvis alios * *f* infamia fœdat)
Sic solus tu plura facis. Decet ista Senatum.
Ut lateant, quæ scire solet? Formandus ab illo es
Consilio : nam nulla quidem consulta sequendi
Vis te constringit, oculos aperire valebunt.
Venerat ecce dies, ignota *g* ad culmina tollens, E
Qua Cœlestinus Proceres augere Senatus *Cardinales 12 creat,*
Flagitat, et votum complet : nam bis repetitos
Sex creat, et Gallos septem, paucosque Latinos;
Quinque tamen . binos Fratres sub lege morantes
Instituit propria; nullum, quem subdita Sedi
Immediata parit tellus, ex ordine Patrum
Murro dedit. Quæ causa fuit, quæ forma creandi
Hos Proceres, si nosse cupis, depromere gratum est.
Fertur, et annuimus, Carolum scripsisse futuros
Pene omnes Proceres, Regique placere volentem *ex aliena fere suggestione*
Hos Gallos statuisse viros splendere Galeris
Murronem, reliquosque Duces celasse rubentes
Hoc; tribus exceptis, quos jussit operta tenere;
Scilicet Alverno, qui longe præscius horum
Extiterat cum Rege patre, Ducibusque duobus *h*
Romanis. Alios Proceres non certos habebat
Rumor ad usque diem Veneris, quæ proxima cursu
Sabbata *i* præcessit. Tunc omnes advocat una
Pastor : et, ut structus fuerat suadente ministro *k*
Astuto, processit Herus, dans nomina scriptis
Certa sibi Procerum, votumque requirit in illis
Consiliumque Patrum semotum. Gaudet ab inde F
Se fecisse duos Rex : * mire turbidus autem
Redditur Alvernus *l*, dum sperat ad ardua certum
Assumi, nec scripta legi, proh! nomina cernit.
Addidit errato diris processibus *m* asper
Insuper hoc Murro, quod cum sibi Roma dedisset
Sceptra sui, dudumque viam succinctus ad Urbem
Tenderet eximiam, Petri Paulique dicatam
Sanguine, subductus Carolo Cœtuque *n* sequente.
Parthenopen deflexit iter. Sed primus arctam *Neapolim migrat, renovat legem Conclavis*
Gregorii legem statuit, qua Claustra *o* subire
Cardineos Apices jussit, Pastore vacante
Ecclesia. Quondam lex illa timenda *p* recessit
Concilii, suspensa prius, renovata per istum.
Quam licet * assiduo laudent vulgaria plausu ;
Certa tamen verum docet experientia, casus
Hinc substare Orbi, Cleroque pericula *q*, grandes
Urgentesque * metus, infandaque crimina, nondum
Antiquis congesta malis, incumbere Sponsæ
Heu dolor, heu lacrymæ ! Patimur *r* sine murmure sævum, *Beneficia temere confert :*
Quod loquimur, vulnus, vulnus, miserabile vulnus.
O quam multiplices inducta potentia formas
Edidit, indulgens, donans, faciensque *s* recessu,
Atque vacaturas concedens atque vacantes *t*;

A

A. JACOBO CARDI EX MS CAP. X

Assumens precibus nonnullum, ad culmina Sedum
Pontificum, variosque gradus, absente Senatu,
* Absque via. Sed forte morans, exire paratus,
Urbe Aquila; samnita Pater (quia doctior ille
*Et simulare sciens) confert erroribus unum
Dictu præcipuum. Nam cum mors atra sepultum
Alterutrum Procerum *v*, Pastoris dogma professum
Acciperet; Monachi dimissis vestibus atris,
Præsulis induitur *x* habitum, pertingere sperans
Irrubrare caput: serpensne oblita veneni est?
Sic suadent, mediique monent, quibus ille tenetur
Strictus amore gravi. Qui, quamvis longius essent
Dispersi Proceres, nollentque videre sodalem
Hunc sibi præsentes, hiemis nec tempora sacra
Quatuor *y* ingruerent; cœnam post, ordine *z* Præsul,
Presbyter efficitur Cardo, rubrante Galero
Cervicem, infra claustra domus assumptus ab illo.
Nubila nec deerant: pluvias resolutus habebat
Imber, et intonuit cœlum grave murmur. Eodem
Tempore conveniunt acciti adscire Rubentes
Hunc Patribus, seu forte velint, seu forte recusent:
Namque sequebantur plures ex Ordine Papam,
Qui faciunt mandata Patris, volitumque sequuntur.
Non sic applaudunt facto, nec vota secundant
Cardine sublimes, qui jam adventare priores *α*
Parthenopem; sed corde stupent, et turbida mittunt
Verba Duci, legantque duos, qui et Cardine præsunt,
Atque negant talem sic factum sidere *β* secum;
Ocius erratum rogitantque ut corrigat Heros
Flexilis, et Cœtum ne perturbare serenus
Flagitet: et fortis reddit patientia magnum
Pontificem, dum facta velit limare quietus.
Cum jam multa forent variis sermonibus acta;
Et spes Presbyteri pectus stimularet anheli;
Tandem consilio facta est concordia Fratrum
Huncce modum: Herus quod* cessit portare Galerum
Cardinis, ac juri pridem distantibus illis
Quæsito. Tunc sacra Ducum fit sessio juxta
Pontificem, morisque senis discussio quondam
Servatur, pro parte tamen: nam tempora desunt
Talibus. Omnipotens! Curnam sic protinus omnes,
Sic properant rehabere virum concorditer; inquam.
Quam causam substare putem, non dixero* tuto.
Sed timor urgebat; tacite spes addita Cœtum
Impulit, ut renuens *δ*, iterum resideret in ampla
Sede Patrum. Nec laudo Ducem his, nec laudo sedentem.
Principio sed pauca lues et parvulus error
Crescit in augmentum: patet hoc errore viarum.
Quid prodest productus honor, quid concita secli
Gloria? Dum moreris, neque lustras mentibus *ε* annum.
Sed tamen ipsa docent nos, pervia *ζ* tempora fastus.

Beneventanum Archiepiscopum — *Cardinalem haud rite facit,* — B — *qui recta muntibus aliis* — *ea lege cedit* — C — *ut iterum assumatur.*

ANNOTATA.

a Omnis, * id est, totaliter.]

b * Id est, committebat.]

c Ductus, *l. inductus ab aliis.*

d * Inexpertus in agibilibus.]

e *Rem habeo clarius in margine*: Quomodo quasi compulit Monachos Montis Casini ut sumerent habitum suum.

f *Alias** qui scilicet habitum Cœlestinorum sumebant viliter.] D

g * Quia plures fecit Cardinales, quos non cognoscebat.]

h * Matthæo Rubeo et Jacobo de Columna.] *Vides autem Auctori huic familiare esse nomen* Ducis *in appellando tam Pontificem quam Cardinales, aut etiam Principes seculares.*

i * In quibus fuit facta ordinatio] *scilicet* 18 *Septembris in Quatuor Temporibus: erat enim anno* 1294 *litt. Dominicalis* C.

k * Bartholomæo de Capua,]

l * Nam iste Hugo fecerat inscribi unum amicum suum, inter alios qui futuri erant Cardinales: et subito, cum facta esset publicatio aliorum Cardinalium, non audivit suum nominari: de quo fuit dictus Hugo Cardinalis valde stupefactus.]

m * Propter vitæ asperitatem, vel quia in hoc se durum et asperum ostendit.]

n * Nam Cardinales consenserunt.]

o * In Concilio Lugdunensi de arctatione Cardinalium.] *Est autem hæc Gregorii X constitutio* 2 de Electione: *in qua præscribitur forma Conclavis ejusque leges: sed ea numquam deinde fuerat reducta in praxim, et Cœlestini innovatio etiam innota fuisset, si eam successor Bonifacius non confirmasset: sic autem ea hodieque observatur.* E

p * Nam illa Decretalis fuit arcta.]

q * Loquitur hic Auctor de incendio quod fuit Carpentorate, tempore vacationis Ecclesiæ post mortem Clementis V] *anno* 1314, *quando* Cardinales 23 intrantes conclave, cum ibidem aliquamdiu perstitissent, non valentes concordare... concorditer exierunt, *ut loquitur Bernardus Guidonis in Chronico Rom. Pontif. apud Raynaldum; casum tamen incendii (quem hinc indubitanter discimus ab eo qui interfuit) non expressit, sed ait id factum,* suborta gravi et grandi turbatione inter familias ipsorum Cardinalium.

r *Nam a prædicta discessione post biennium tandem convenire consentientes Cardinales, an.* 1316 congregati sunt in Lugduno, pactis prævIIS quod non includerentur, et quod possent de Lugduno recedere quando vellent: quæ tamen eis non fuerunt observata, quatenus pro majori bono rei publicæ, quæ præfertur privatæ, compellerentur Ecclesiæ providere: *ita idem Bernardus. Et quidquid hic quiritetur Auctor, constat utilissimum fuisse observationem illius Constitutionis, nec ea unquam inde processisse incommoda, quæ ipse prosuo animi dolentis affectu ominatur, si unicam illam vicem excipias.* F

s *Id est,* per resignationem, *quantum conjectura assequor.*

t *Subintellige, Ecclesias et beneficia.*

v * Statim post suam promotionem ad Cardinalatum mortuus fuit Frater P. (*Petrus*) qui erat de Ordine Papæ Cœlestini.] *Creatus enim* 18 *Septembris obiit* 11 *vel* 12 *Octobr. Errarunt porro qui Abbatem Cassinensem fuisse scripserunt, aut ex Monacho Cassinensi primo Abbatem S. Sophiæ Beneventanum, deinde Archiepiscopum: nec minus erravit eos corrigens Oldoinus noster, quando non indicat statim mortuum fuisse Petrum, sed Electoribus Benedicti VIII eum adnumerat.*

x *Quem scilicet deposuerat, gratiam Cœlestini captans assumptione monastici habitus.*

y * Nam non erant quatuor Tempora.] * *quibus moris dumtaxat erat Cardinales creare, quod jam pridem in Ordinationibus sacris per Romanos Pontifices servatum, diu etiam post hæc tempora in viridi observantia mansit.*

z * Nam post comestionem] *id facium æque præter morem, quam quod qui* * erat Archiepiscopus, factus fuit Presbyter Cardinalis.

α

A α * Nam aliqui Cardinales Papam præcesserant] *Neapolim et hi factum improbarunt. Oldoinus autem ex MS. Suession. Chronico addit, quod* die 24 Octobris D. Papa Cœlestinus venit Theanum, et ibi substitit octo dies, et ibi existentibus sex Cardinalibus promovit Fr. Joannem de Castro-cœli.

β * Id est consistere] *aut potius considere.*

γ * Id est, per hunc modum.]

δ Renuens, *id est, cedens, abdicans.*

ε *Obiit enim Joannes die 22 Februarii anni 1295 ut scribit Oldoinus : in hoc tamen errans, quod ei suffectum velit Petrum de Aquila supra memoratum; cum ille, ut jam dictum, haud ultra dies 38 in Cardinalatu vixerit : rectius autem Ughellus immediate sufficit Joannem alterum, ex familia Capuana, Conertensem antea in Hibernia Episcopum, 6 Non. Octobris 1295, uti ex Registro Bonifacii VIII habetur.*

ζ Pervia. i. *transitoria esse fastus humani.*

Pauciora hoc Capite occurrerunt corrigenda, hæc videlicet.

204 experii, *lego,* Hesperie.
219 illos, *l.* alios. 247 Murro, *l.* mire.
260 et duro, *l.* assiduo. 263 sinus, *l.* metus.
B 272 Sine, *l.* Absque.
274 Dissimulare, *l,* Et simulare.
289 cum veniunt, *l.* conveniunt.
300 en, *l.* et. 305 cessat, *l.* cessit.
306 atque, *l.* ac.
307 Quæstio, *l.* Quæro.
312 tutum, *l.* tuto.

CAPUT III.

Consilium de renuntiatione quomodo sumptum et executioni mandatum a Cœlestino sit.

Per Adventum reclusurus se,

Jam sacer instabat Domini recolendus in orbem
Adventus, celebresque dies, quibus ille supremi
Æternique Patris, non tactæ Virginis alvo,
Filius, ut sponsus Thalamo cum expectat eburno,
Humanum salvare genus procedere * dictus.
Et meminit sublimis Apex, * quod tempore sacro
Illecebras carnis sit mos vincire caverna;
Quamque procul degat, strepitu nunc tentus inani,
Præsul. Et ob causam *a* legit se condere cella
Nunc etiam sub parte *b* domus cœlumque videre

tres Cardinales sibi substituit :

Semotum : nam posse tribus nunc Cardine fultis
C Contulerat, dederatque suo quasi nomine cuncta
Ut facerent; celare putans se carcere, raro
Obtutu revidendus Apex. Silvester ut ales
Cum caput abscondit *c* gallus, lacrymabile visu,
Corpore se toto venantibus abdere credens
Decipitur, capiturque manu. Sed littera nondum
Pontificis bullam meruit, * licet acta figuris
Scripta foret; Romana means cum pergama gressum
Ursina de stirpe satus Levitaque primus

quod ægre ferente Cardinale Rubeo,

Regreditur. Miratur Herus sic cuncta perire,
Optabat reducem fieri, ne Sponsa maritis
Credatur nupsisse tribus. Suspenditur ergo
Littera *d,* dum varias pensant adhibere medelas
Pontifici Proceres : pepulitque molestia major
Hanc, licet ingentem : parvus majore fugatur
Motus, et ardenti tenebratur tædula sole.
Namque Pater titubans, quondam vicinus Olympo
Nunc *e* profugus, se posse capi captumque teneri

suam ipse sortem queritur :

Fraudibus Eumenidum, summo proventus honore,
Cesserat angustum Regalis culminis aulæ
In latus, et meditans sibimet lacrymabilis inquit,
(Ut nos *f* viva Patris docuit vox) Si mihi posse D

A. Jacobo Cardin. ex MS.

Quod volui quodcumque datum sub sidere cœli
In fragiles animas fertur; cur quærere pacem
Possumus, et stabilem vitæ curare salutem
Subjectis, nostrique mali dimittere curas
Cogimur invalidi? Numquid sic imperat Auctor
Humani generis? sic jus, sic lucidus ordo
Naturæ, voluitque Deus? Sub culmine casum
En patimur. Nescire viam regnare volentem
Præcipitare jubet. Distat concordia Fratrum :
Distat, et arguimur multis sermonibus illinc
Atque isthinc. Adversa videns mutando vagatur
Sic animus dubiis : Numquid præcidere funem

et animi dubius

Est opus, et melius Romanam linquere Sedem
Pontifici, qui sceptra tenens in pace gubernet
Ecclesiam, si posse datur fastigia nobis
* Reddere Papatus, primumque reposcere cursum
Ad eremum, vitamque specus sub sidere puram?
Hæc inter consedit Apex, parvusque libellus
Occurrit, quem Murro suæ solamen habebat
Inscitiæ, montana colens, servatus ab olim E
Et Juris nonnulla docens, excepta labore

incidit in locum de cessione ;

Arteve prudentum. Digitis pater ergo volumen
Vertit, et intuitus discit per singula cautum
Cedere concessum *g* Clero, manibusque Priori
Abbatis : quem si qua movet discreta cupido
Cedendi, placitum Prælati supplice voto
Imploret : similique modo procedat ad Urbis
Pontificem Præsul. Subigit si causa recessum
Sufficiens, neque causa levis, religare *h* ligatum
Hunc poterit passim : clauduntur nexibus alæ,
Ut nequeat volitare volens, injussus ab illo *i.*
Hæc secum volvens modici cudebat acumen
Ingenii suadens sibimet, quod cedere fas est.

in quam propendens

* Ilicet edictis grandis sed subiit obex,
Talia dum pensat Murro : nam proxima *k* turba
Majorum cessisse manu spectatur, ut omnis
Ordo docet : sed Papa præest, quo celsior alter

hæsitat eo quod non habeat se majorem cui eam faciat.

Nescitur. Quisnam ergo modus, si cessio primum
Exposcit? Trepidans nusquam vestigia firmat,
Sed jubet acciri coram, cui fatur, amicum :
Disjice fuscantem nebulam, quo lumine verum
Cernamus, dubiisque pedem firmare labantem

Intelligens autem etiam sibi eam licere

Incipias. Solio numquid decedere nobis
Est licitum, cui paret honos et subditur orbis? F
Dic age, perque Deum, perque omnia sidera *m* testor.
Ille tamen cautus mentem simulare coegit :
Cur, Pater, hic opus est? Quænam cunctatio curam
Ingerit? Optatis absiste gravare quietem :
Hæc præter * fundata Pater, curanda per orbem.
At vigil instabat, quoad incipit *n* ore soluto :
Subsit causa, potes; potes (indubitabile, causa
Subsit ut asserimus) colli religare catenam,
Et tibi vivendi solitum deposcere cursum.
Ilicet hoc placuit. Nostrum est disquirere causam,
Inquit Apex; nec causa deest, sed quæque *o* laborat
Nos stimulans. Vocat inde alium, quo certius esset
Consilium. Firmabat idem. Gaudebat anhelus
Presbyter altipotens, statuens in corde relatum.

statuit Papatu se abdicare.

Sic avis e nido tentans volitare novello,
Si trepidat sulcare viam, firmatur et audet,
Dum videt allabi matrem persæpe * volatu,
Insidendo locum voluit quo adducere prolem. Cap. XII
Et licet edoctus partem delegerit anceps
Alterutram, remeare volens (ceu blanda * columba,
Aucupis ad rivos, ubi fallit retia casu,

Pectora

A. Jacobo Cardin. ex ms

A Pectora seu leviter fugit percussa sagittis,
Tendit ad excisæ rupis fastigia pennis)
Attamen absconsi pandit secreta cubilis.
de quo consultari intelligentes Fratres
Nonnullis Procerum, quorum consulta reposcit
His super; an siquidem, cocco quæ Purpura* vestit,
Expediat sibimet regimen postponere Sedis
Romanæ, cui tanta quies abrupta labore est
Non bene proficuo; cui sic, heu! damna* minatur
In mortem non multa dies. Sed verba latenter
Subrepunt aures hominum, mentesque levantur
Auditu: sed magna stupet pars rustica *p* Fratrum
Hæc noscens amplexa Petrum (quis *q* fallere servum
Possit in obsequio jugem) quin cautius illum
ne faciat deprecantur,
Vertere nituntur voto, lamentaque produnt.
Cur abigis crudelis oves? cur morsibus agnos
Exponis, natosque, Pater? Nos turba fidelis,
Nos famuli, nos dogma tuum per cuncta secuti:
Nos alium, nos præter te non novimus ullum,
Non etiam sperare placet: nos plantula Patris
Culta manu; semenque satum pietate colebas.
Progeniem, quam falce necas, sic deseris atrox?
B Numquid et (immunem casus te credimus) ausint
Ardentes *r* fidei dudum* jactare procellis
Nos, genus indoctum? Pavidi terrebimur ausis.
Cap. XIV
Sæpius hæc lacrymis: furtim tamen ocyus omnem
Parthenopen subigunt fractis irrumpere portis
In loca Castelli, quibus ille moratur in antris.
et Neapolitanos ad obsistendum concitant:
Sic *s* agitur: tabulasque ferunt, cellamque recludunt
Nobilium pars magna ruens: quæ voce petebant
Præsulis aspectum, securos reddere promptum,
quos ad se violenter ingressos,
Quod malit* perstare gradu, quam cedere Divus.
Dum ruerent quærendo domum, videre repostam
Litterulam, qua doctus erat, si cedere dignum
Æstimat O quantas passa est divisa figuras!
Nam Fratres *t* te errare viam sine lumine credunt.
At Pater attonitus senior, non sponte videndus
Turbidus exibat, faciem demissus *v*, et* arcem,
Per mediam stolidum tentans placare tumultum,
Atque gemens; Animo majus quam *x* verba sed, inquit,
Cordis in archivo gerimus: civesque fatemur
placat Petrus consilium dissimulans:
Sic dare prævisis, Christo donante, quietem;
Quod laus digna sibi, vobis pax, nostra salusque
C Proveniat merito precibus diffundite corda,
Ut faveat pietate sua, qui secula condit.
Post ternos binosque dies, coeunte Senatu,
Commemorat vitæ discursum primitus acti
tum quinto post die convocatis Cardinalibus
Temporis, et grandes Christi miserantis Olympo
Virtutes, et dona Dei, tranquillaque fructus
Otia: quos mores paupertas nacta quieta est,
Attulit in laudes fulgentis in omnia Christi.
Nec sibi cum factu tribuit; dehinc flebilis infert:
Defectus, senium, mores, inculta loquela
Non prudens animus, non mens experta, nec altum
Ingenium, trepidare monent in Sede periclum.
petit eorum consilium.
Quare humilis petiit blande suffragia Patrum,
Consiliumque pium; numquid sit cedere tutum,
Ecclesiamque juvet, fugiat si nescius artem.
Finierat* lassatus Apex, natura *y* * cubantum
Expectans responsa Ducum: cui, plurima docti,
Postque moras et verba diu pensata labore,
Sic fantur; Nunc, alme Pater, licet alta senectus
Suadent illi ut se experiri aliquamdiu velit,
* Præcipitet stupeatque novis; tamen insita cordi
Et librata* fovet; postquam consulta benigne
D Nostra petis; visum est, ut quodam tempore vires
Paulisper tentare velis in Sede Monarchæ,
Non renuens Apicem divini culminis, Orbi
Proficuum, celebrisque loci tibi præmia dantem,
Si libet (ut petimus) pravis avertere mentem
et feliciora omnia spondent,
Consiliis quibus omne malum, damnosaque mundo
Procedit novitas; placeat desistere tantis
Ac non auditis, quibus et maculare* videris
Pontificis famam; vosmet recreare serenum,
Orantes speramus Herum sic auspice Christo
(* Si, Pater, assistant sacri suffragia Cœtus)
Quod sponsam Deus ipse suam, cui vulnera nexus
Tersit Amor, tersitque cruor, divinaque tersit
Vulnera Serpentis pietas, sub Principe tanto
modo eorum consiliis utatur,
Proteget, ac placidam faciet reddetque quietam.
Nec celare juvat jamjam, quod viscera cordis
Obsequio gestant, quod (ni prudentia mores
Hos alio vertat) durum est in culmine postum
Discrimen nescire suum, navimque tumentes
Evitare sinus, quæ sæpe laborat in undis.
et ea propter Processiones indicunt.
Quapropter jubeas Cleri procedere turmas,
Ordine solenni voces in templa sonantes,
Tuque roges Divum, cui lumina clara subastant,
E Ut prius inspiret sacro liquefactus amore,
Quid melius, quid Sponsa velit, quidve utile mundo est.
Juxta dicta Patrum processit in ordine Clerus,
Cantica depromens, * tensisque licentia fibris
Panditur in voces, Missæque celebria Cardo
Quisque *z* jubet dicenda domi. Deus ipse rogatus
Sæpe venit: sic corda jacent affusa petentum
Ut vox *α* applaudens resonat; nec fallere verum
Inscius attentat, quisquis versatur in urbe.
Cap. XV
Ille simulans se a proposito mutatum.
Interea Murro post tot consulta virorum
Atque repugnantes animos, avertere verba
Cedendi, longeque suas protendere curas
Dissimulans, ceu vera loquens, aliisque vacare
Sollicitus, quo ad illa *β* domus secreta Patresque
Crediderint, hunc nolle gradum dimittere primum.
Cumque foret generata fides, omnesque putarent;
Rex etiam, miri cœpisse oblivia facti
Immemorem variumque Petrum, clarente per ortum
Sole, die festo Luciæ Virginis almæ,
in festo S. Luciæ
Coccineam chlamydem vestitus, signaque gestans
Cœlestinus Herus Papæ, conscendit in unum
Cum Patribus* thalamum pallens; doctusque latenter
F Portabat clausum spiritum (nec defuit ejus
Aucto) *γ* et incipiens vetuit *δ* ne Cardo loquenti
Obstaret, de hinc clausa legens edixit amicis:
Defectus, senium, mores, inculta loquela,
Non prudens animus, non mens experta, nec altum
de charta recitat abdicationis formam,
Ingenium, cura solerti cognita nobis,
Cedendi causas subigunt, quo casibus orbis
In* præsens obstare volens, animæque salutem
Quærere, Papatus oneri cedoque favori [et]
Fascibus, in Cœtu Procerum manibusque videntum,
Ecce libens et sponte. Patres: sed parvula quædam
Presbytero celebri Missæ opportuna *ε* tenemus
Ornamenta. Duces, prono succurrite mundo,
et novi Pontificis eligendi potestatem facit
Et date Pastorem, viridantia pascua dantem
Præbentemque gregi, rectum, doctumque perennis
Pandere iter vitæ, nostrosque ut corrigat actus,
Obnixe petimus, cum devius impulit error:
Nam multis variisque modis errasse fatemur.
Audito sermone Patris, suspiria dulces
Cap. XVI
Accipiunt animos Procerum, lacrymæque per ora
Decurrunt. Quis mira videns non flectitur, inquam,
Quamvis duruerit? Refugis* quod postulat omnis,
Indoctus prudensque simul. Sic ergo gementi
Respondit Levita *ζ* prior, mandante Senatu.
Alme

A Alme Pater, si tanta tuis constantia votis

Petunt Cardinales ut conditionem appositam tollat,

Certa manet, veluti * dicto sermone patenter
Ostendis, nec posse datur discedere, quin hunc
Sumamus calicem; placeat quod pura voluntas
Nil sibi contineat: cupit hanc decessio legem,
Fascibus ut cedas; nec conditione fruendum
Credit: et hoc Juris testatur docta facultas.

et decreto firmet Papam posse cedere.

Insuper (ut dubium procul omne loquentibus absit)
Constituas, ut quisque volens pro tempore Præsul
Romanus substare gradu, decedere Fratrum
In manibus possit, nec non Collegia sacra
Cardine fulgentum, valeant ceptare recessum
Pontificis. Concessit Herus, statuitque licere
Singula, ceu Rubeus dictans ex ordine prompsit.
Et referunt Decreta novis β jam condita libris.

CAP. XVIII atque renuntiationem acceptant.

Tunc abeunte foras Petro, Collegia pensant
His super: et viso quod cessio digna volentis
Assumi, referunt placidos admittere Cœtum
Discessus: ipsumque rogant, ut stare serenus
Eligat, implorans humili suffragia voto
Divina in plebem, populo sine Præsule mœsto.
Non deerant lacrymæ verbis: nam languidus ille
Secedens * illinc, habitus mutaverat omnes
B Papatus, chlamydem vestitus terga pilosam.

CAP. XIX Redit ergo ad statum privatum,

Fit Monachus, qui Papa fuit; simplexque Sacerdos,
Præsul; et inclinans aliis, cui regia sceptra
Imperii Diadema sacrum, Mitræque bicornes,
Illustris spectandus Herus, Clarissima turba,

cui Pontifici omnes suberant:

Religionis amor, Clerus, Milesque, pedester,
Agricolæ duri, profugus mercator, et orbis
Paruerant, si jura colunt, Christumque salutis
Auctorem novere suum. Proh! deviat amens
Gentilis Parthus, nec non sibi nomina Sarræ
Quique volunt, gens * cassa fide, gens perfida cœlo,
Pene Oriens totus, tota Africa, parsque sub Arcto
Ignorans servire Deo, de jure ι subacti
Præsulis imperio, Christi vice cuncta gerentis.
Musa, licet tempus foret ut pausare Poeta
Posset ab incœptis, qui longa per æquora vectus
Nunc portu recubare potest: tamen excitat ardor

circa quod dubia 4 movet Auctor.

Ingenii, juvenem κ dubiis intendere mentem
Quattuor: An potuit? Potuit quia cedere, nunquid
Expediens? Cur Murro senex, cur sumpsit honoris
Papatus insigne prius? Quid majus habendum.
Hunccine dimissum, vel tunc fugisse λ relatum
Cum dederant Proceres? Cur demum summa potestas
Permisit variare Petrum, qui tempore grandi
Obsequio placuit? Sed ne diffusius ultra
Quam deceat curramus, equum subsistimus, unum

et ad coronationem successoris transit,

Summopere * aggressi metris narrare, coronam
Præsulis, et Cleri pompas per mœnia claras,
Dum novus insigni Pastor diademate Romæ
Urbe sacra fulget: nam Regni texere fastus
Hos, quasi præcipuum lassantibus organa * metris.

ANNOTATA.

a * Supradictam] *scilicet.*

b * Nam fecit sibi cellulam quamdam in parte aulæ domus Regis]

c * Phasianus] *Aldrovandus Ornithologiæ lib. 13 cap. 5 id confirmat ex Tertulliano; causamque refert in illius animalis stupiditatem.*

d * Per quam dabatur potestas tribus] *scripta quidem, sed necdum bullata.*

e * Nam nec sibi videbatur esse in illa perfectione, in qua fuerat in minore statu].

f * Scilicet, Auctorem operis: nam oretenus sibi dixit quæ sequuntur: post cessionem tamen.] D

A. J. COB. C RDIN EX MSS.

g * Nam quilibet communiter potest cedere, et prosequitur Auctor in speciali qualiter singuli possunt cedere.]

h Religare. i. solvere.

i * Scilicet Papa] *cui soli talis est circa Episcopum potestas.*

k * Prior, Abbas, Episcopus]

l * Id est, Superiorem].

m * Id est, omnes Sanctos.]

n * Amicus ille, quem Cœlestinus consulebat.]

o * Nam sunt plures causæ cedendi: scilicet senium et desiderium humilis ac privatæ vitæ.]

p * Qui erant de Ordine Fr. Petri.]

q * Auctor loquitur] *Idem infra aliquoties notatur ad similem parenthesim.*

r * Id est, ferventes contra nos, ut scilicet nos dicant esse hæreticos.]

s * Nam Neapolitani subito irruperunt in castellum, et portas fregerunt.]

t * Credebant quod Cœlestinus nesciebat per se renuntiare, nisi haberet schedulam, quæ quasi sibi erat lumen.] E

u * Nam talis erat suus mos.]

x * Plus portabat in corde quam verbo ostenderet.]

y * Cubantum. i. *considentium.*

z * Nam quilibet Cardinalis fecit dici Missam in domo propria.]

α * Si ita Deum corde rogamus ut ore].

δ * Domestici sui familiares.]

γ * *Non est facile divinare, quisnam scripti* Auctor *hic indicetur. Erit forte qui Card. Cajetanum suspicetur: sed suspicionem hanc diluit Stephanus, antea testatus hunc dissuasisse renuntiationem.*

δ * Nam prohibuit, ne alii Cardinales impedirent eum loquentem.]

ε * Volebat namque Cœlestinus retinere quædam ornamenta ad commodum Missæ.]

ζ * Matthæus Rubeus]

η * Id est, acceptare]

β *Librum 7 Decretalium intelligit quas Clementinas vocant, in Concilio Viennensi an.* 1313 *ordinatum. Hic ego versus operi jam pridem composito additus intelligitur, sicut alii fortassis plures, de quibus id non æque facile certoque statui potest: quare nec curavimus eos ex nostra conjectura notare.*

ι * Nam secundum veritatem sunt Papæ.]

κ Nam Poeta erat juvenis.]

λ * Datum Papatum.]

Syllabum nunc habe mutatorum in hujus Capitis contextu.

ÿ. 325 divus, *lego*, dictus. 326 quis. *l.* quod.
338 nec dicta. *l.* licet acta.
369 Addere. *l.* Reddere. 387 Ut licet. *l* Ilicet.
402 funda. *l.* fundata. 414 velata. *l.* volatu.
417 columna. *l.* columba. 423 nescit. *l.* vestit
426 minantur. *l.* minatur. 441 jaculare. *l.* jactare.
449 præstare *l.* perstare. 460 armum *l.* arcem.
481 laceratus. *l.* lassatus. cibantum. *l.* cubantum
485 Præcipiat. *l.* Præcipitet. 486 foret *l.* fovet.
494 videntur. *l.* videris. 497 Sic. *l.* si.
513 templisque. *l.* tensisque.
531 thalamo. *l.* thalamum. 539 preces *l.* Præsens.
542 Pater. *l.* Patres. 553 quos. *l.* quod.
557 dato *l.* dicto. 578 ille. *l.* illinc.
588 cara. *l.* cassa. 605 egressi. *l.* aggressi.
608 metro. *l.* metris.

ejusdem

A

EJUSDEM JACOBI CARDIN.

de Electione et Coronatione

S. D. Bonifacii Papæ VIII

Libri duo.

PRÆFATIUNCULA.

Opus pridem promissum,

Ad prælibandam utcumque hujus libelli materiam, sciendum est, quod Auctoris dudum intentio fuerat, Coronationem Romani Pontificis texere metro, ad aliqualem exercitationem ingenii, et quia nullus pene Auctor, stylo prosaico, vel carmine, alicujus triumphum Principis reserasse conspicitur. Itaque cum hoc gestiret in voto, et hoc ipsum fuerat pollicitus (prout alter libellus, quem de promotione cessioneque Cœlestini composuit, evidenter insinuat) fortassis non absque divinis auspiciis factum est, ut Sanctissimi nostri Patris et Domini Bonifacii, divina providentia Papæ octavi, qui ipsum ad Cardinalatus honorem provexit, Coronatio mirabilis describenda B occurreret, quam in Basilica Principis Apostolorum de Urbe celebratam solenniter, heroico carmine dictaret : nam in hoc, voto celebritas, pollicitationi debitum, et labori fructus accommodus respondebat. Hanc ergo materiam, gradu provectus Auctor describendam aggreditur : hanc et divino favente præsidio perficit inchoatam. Sic igitur coronationis triumphus prædicti Sanctissimi Patris, gestorum servata substantia, more poetico phaleris insignitur : nam a longis retroactis temporibus, nullius Romanæ Urbis Antistitis sic celebris, sic præclara Coronatio memoratur. Facta itaque Propositione et Invocatione, ut moris est Vatibus, ad Narrationem acceditur, quæ in duos distinguuntur libros. Primus namque narrat, qualiter idem Sanctissimus Pater electus Neapoli, revocatis quæ per Cœlestinum inepte transierant, profunda hieme, de servitute quodammodo Romanam Ecclesiam eripiens, Romam accessit coronandus. Secundus vero describit solennitatem consecrationis, Coronæ fastigia, ac processionis solennia, prout antiquitas hæc servanda decrevit. Et ut prædicta limpidius clareant, utriusque libri capitula subnectuntur.

de argumento hactenus intacto

et scribi dignissimo,

in duos libros Auctor partitur.

Incipiunt Capitula Libri I.

C

Incipiunt Capitula Libri II.

LIBER I.

De electione Bonifacii Papæ VIII, et reditu in Urbem.

E

Quamvis vecta gradu teneant vestigia Vatem
Immeritum, titulisque datum * sit crescere nomen;
Dum Levitarum numerum, dum sanguinis * ostro
Ingredimur fasces ; quæ vasta licentia pridem,
Angitur in metris : nam publica munia tempus
In commune rogant expendi : ea vita Senatus.
Attamen infecti memores, operisque futuri
Polliciti, diadema sacrum Bonifacius Heros
Invitat reserare suum. Nec voce rogamur,
Aut nutu : sed verus amor, reverentia tanti
Pontificis suadet. Nescis, Pater inclite, nescis,
Suppetat ingenium nobis, seu cura loquendi
Hæc fuerit. Dubiturne modus, quo gesta coronæ
Possimus reticere tuæ, quos Cardine vestis,
Majorumque locas solio; qui gesta Prioris
Scripsimus ? Idcirco nostris furabimur horis
Tempora, nec prorsus deerit tunc auspice cœlo
Obsequium, Christoque datum multisque salubre,
Præcipue si facta canat sublimia Musa.
Sed quia deficimus, tecum confidimus ausum
In plenum perferre diem, Deus ipse : rogatus
Omnipotens det posse Pater, det scire supernus
Filius, inceptis det fluida pectora Flamen.
Jam veneranda Ducum, Cleri stipata catervis
Turba, novum lectura Patrem, convenerat aula.
Regis : et excusso bis quino lumine Phœbi,
Lege dato, Proceres obstructis marmore valvis
Carcere clauduntur : nec non servata priorum
Tempora sunt morumque senum, Missæque celebres
A Patribus, vocesque Ducum resonare per hymnos,
Sermoque diffusus. Post hæc procedere visum est :
Scrutantesque suum per clausa silentia votum
Mox reserant, patuitque viris haud spiritus idem,
Sed quasi conformis. Nam plurima nomine Fratrum
In te conveniunt (alii licet altera fassi)
O Cardo Benedicte Sacer Levitaque quondam,
Eligeris : nam digna quidem concordia vocum
Accessit, Pater alme (Patrum nec promptior ausit
His aliud) * culpam celansque fuisse rubentem
Quisque tuo submissa pedi dedit oscula supplex.
Sic igitur lacrymans, ac molis pondera librans,
Assensit gestare jugum ; jam doctus ab ante
Quis labor et meritum cruciet, quam publica cura
Pontificem. Roseis spinas substare cruentam
Floribus haud dubitat, * ceu Pastor conscius ævi.
Cumque foret Benedictus ei de fonte perenni
Nomen,

Auctor jam Cardinalis eoque occupatior,

Bonifacii tamen a quo promotus est coronationem aggreditur,

invocato rite Deo.

CAP. I.
F

Cardinales de more clausi,

scrutinio eligunt Benedictum Card.

CAP. II.
qui electioni suæ assentiens,

A

assumit nomen Bonifacii,

Nomen, ut excrescens fieret, majorque secundis
Rebus hic, atque adeo laudem converteret Heros
Gestorum in laudes, Præsul Bonifacius inde
Dicitur. In voces modularis spiritus almas
Concrepat : at populus festinat : currere Miles

non valde acceptus Regi.

Tentat in auditum ; Caroli spes *a* cepta precando
Defecit, miserante Deo. Sunt ista relatu
Digna, quod et Patri, nec non sibi præstita noscens
Munera ab Ecclesia, vultus avertit *b* et ora.
Nec Matrem violare licet, quin libera possit
Desponsare virum. Caveant quicumque * sinistris
Fraudibus injectant oculos, ac ipsa Potentum
Formidet subjecta manus : sic gloria præstat.

CAP. III.

Forsitan acceptum est præludi * carmine famam
Præsulis : ut radient *c* prævisa poemata sensus

Erat is ortus Anagniæ :

Fortius, ignoto * gustentur gesta triumpho.
Clara domus genuit, quam nutrit Anagnia *d* * colle,
Gajetana virum. Dives, ceu carmina *e* Vatum
Insinuant, urbs illa fuit, dictoque vetusta :
Sed longe majore gradu prælata refertur
Florida, cui triplices nostro producere plantas
Tempore concessum est, quæ Petri *f* Sede Monarchæ
Imperio cunctas subigunt de jure Cathedras.

B

et tali gradu undequaque dignissimus ;

Quos inter prælucet Herus, cui scandere fasces
Jus erat. Et Legum *g* titulum sortitus ab olim
Sæpe tulit leges causis, et perculit hostem
Sæpe, repercussit contundens spicula victor
Sæpe. Fuit mens alta viro, fœcunda juventus
Et docile ingenium. Solers astutia, promptum
Obsequium, secura palam prudentia fari
Præsulibus, fecere viam, qua tractus in altum
Cresceret. Hinc Scribæ munus Papalis adeptus,
Omnia pertractans, clarus dictamine, quondam
Cardine præfulsit rubeo, Levita *h*, Sacerdos,
Cardo manens Benedictus Herus, nunc culmine [summo
Imperat. O pietas miserantis in omnia Christi

Christo succurrente suæ Ecclesiæ,

Ecclesiæ ! cujus lacrymis et vulnere diro
Sanamur, gens cæca malo, cæcata parentum
Delictis ; dum tantus Apex, qui secula, mores,
Pontifices, Clerum, Reges, Proceresque, Ducesque,
Et Gallos Anglosque procul, fraudesque minasque,
Terrarumque plagas, orbemque reviderat omnem,

tum maxime egenti talis viri :

Romanæque Sedis statum ; veteranus in illa
Eligitur : pensata quidem medicina, coæquans
Languores ; tibi, Christe Deus, si proxima nobis
Tempora prospicimus, successit in ardua prudens
Fluctibus in mediis. Hortus *i* Campania talem

C

Edidit, ac tantam produxit Anagnia prolem.

CAP. IV qui considerans damna,

Protinus auspiciis, roseo velamine fulgens
Aurato in thalamo, Fratrum circumdatus orbe,
Orsus Præsul ait : Laceratæ vulnera Matris
Proh dolor ! aspicimus, casusque pavere futuros
Cogimur. Heu ! nostrum quis tanta pericula, tantas
Ignoret fraudes ? Quisnam sub Principe *k* [puro
Ambigat, effrontes maculis fœdare colorem
Ecclesiæ tentasse dolos ? quæ Sponsa marito
Servabit placitura thorum frontisque pudorem,
Assistente Jesu : Deus est qui, sponsus et auctor

ipsi illata per simplicitatem Cœlestini,

Et caput, et virtus, merces quoque digna sa- [lutis.
Ecclesiæ siquidem passus * nutare carinam [est]
Demeritis nostris. Vobis nam cognita virtus
Simplicis inscitiæ Murronis ; quamque patenter
Inscius, effrænis, captus, seductus, et expers,
Pronus in omne datum *l*, mores confuderit [omnes.
Nil gravitas pensi, nil lenta modestia curæ,
* Spectatrixve rei fuerat : quin clausa latebat
Verborum virtus. Numquid sibi cognita, Fratres,
Quæ dederat bulla, quibus et jam mente coacta
Annuimus ? Quamvis oblata reposcere dona

D

A. J. COBO CARDIN EX MS hujus acta rescindit,

Judicium * dictare animi ; nec credimus, inquit,
Quod liceat passim concessis absque reatu
Quosque frui. Quærenda via est, qua rite mederi
Posse datur morbis, ne blande serpere virus
Incipiat. Siquidem, cum nobis, quærere [longum
Singula quæ latitant, similis medicina venenum
Educat ; carboque, vomens *m* sua lumina, fœdum
Omne superpostum consumat ; quodque sub antris,
Devoret in cineres. Igitur vacuata jubemus
Viribus indulta, et quæ temnens Murro Se- [natus
Cardineos Apices tunc summus contulit Heros,
Largitusque dedit ; series ceu cassa notabat
Limpida *n* Scripturæ, cui plumbi lamina filo
* Hæserit. Haud vestrum voto deposcere casu

die 27 Decembris,

Consilium. Proceres, cura est, seu quærere [votum :
En patet excessus, plebisque piacula clarent.
Numine forte Dei, sacri tunc festa Joannis
Orbita *o* conduxit, quibus hæc sunt gesta, novata :
Ut Romam *p* fecisse legunt, cum sævus et ardens
Christicolum mortes, animam transmisit [averno

E

Domitianus Herus, gladiis extinctus iniquis,
Sic cupiens steriles Cererem producere terras
Ignibus exurit filices, aut scindit aratro
Undosis cultor factis ex ordine sulcis ;
Saucia *q* multiplices jactat post semina fructus.

CAP. V. deinde Romam festinans,

Et licet hibernos cœlum diffunderet imbres,
Mosque foret gelidas potius refovere medullas
Ignibus accensis, quam carpere motibus agros.
Attamen ut Petri Sedes, compressa dolore,
Libertate frui Sponsumque revisere posset;
Admonitis sermone gravi dictoque salubri

post monita Neapolitano et Regi relicta,

Regnicolis, laudando fidem ; Caroloque secundo,
Et pia subjectos pascat clementia Regno,
Attritos bello vastisque laboribus actos ;
Cœpit iter Præsul Capuam, montemque Ca- [sinum ;
Inde Ceperani *r* transvexit flumina ponte.

excipitur Anagniæ,

Cumque per effusos peteretur Anagnia campos,
Obvia multiplici discurrit milite pompa :
Excipiensque Patrem rupes nativa, pedestres
Effudit choreas, jussas occurrere palmis.
Illuc nobilium Procerum pars magna vetustæ *s*
Urbis in adventum Papæ deferre Senatum

F

Venerat : at sumpto *u* Romana attingere Præsul
Mœnia festinans, patriam civesque relinquens,
Continuavit iter, quoad altam cerneret Ur- [bem.
Nec labor, aut [algor] fessos, sumptusve *x* gravare :

Romamque in occursum effusam ingreditur

Tanta quies animis, libertas reddita cum sit.
Roma, velut sponsum remeantem carcere ab hostis
Exceptura foret, frontem vestita coronas
Vadit in occursum, * ludensque excurrit in [arvis
Miles, Eques : Clerusque canens sua thura ministrat
Pontifici. Primum Laterani templa novellum
Suscipiunt Patrem, confestim Principis aula
Clavigeri Petri gaudens suscepit euntem.
Hic locus, hic thalamus, sedes quoque festa [* sacrando.

ANNOTATA.

a Spes cepta. i. *concepta, qua scilicet aliquem suæ factionis eligendum speraverat.*

b *Scilicet non valens dissimulare rancorem : quomodo igitur subsistere potest dictum Ptolomæi Lucensis in Annalibus ? quod Bonifacius,* licet Regem Carolum multum exasperasset Perusii, *tamen* suis ministeriis et astutiis, factus est *non solum* Dominus Curiæ, sed

A. JACOBO CARDIN. EX MS.

A *sed etiam* amicus Regis. *Platina eumdem culpat, ut qui* non sine ambitionis crimine *ad Pontificatum pervenerit. Apertius etiam Ciacconius ait, noctu ad Regem accessisse : spemque ei fecisse recuperandæ Siciliæ, si ejus opera Pontifex efficeretur, itaque cum Cardinalibus Regem egisse ut non alium eligerent. Sed putamus hæc omnia ab ejus æmulis fuisse conficta. Tandem tamen collegit se Carolus, et Electo, cujus favore plurimum egebat, genus omne obsequii detulit, Coronationi cum filio præsens, ut infra lib.* 2 ỳ 215 *legetur.*

c Radient. I. *irradient, illustrent.*

d *In colle enim sita* Anagnia *est, Hernicorum veterum caput.*

e *Virgilius lib.* 7 *Æneados.*

Hernica saxa colunt, quos dives Anagnia pascit.

et Silius Italicus (de qua sibi lecto æque ac de Virgilio gloriatur Auctor in Præfatione).

Frugiferis Cerealis Anagnia glebis.

f * Nam fuerunt tres de Anagnia] *Romani Pontifices, videlicet* Innocentius III, Gregorius IX, *et* Alexander IV, *omnes intra proxime elapsos centum annos electi, videlicet an.* 1198, 1227 *et* 1254.

g Titulum, *scilicet Doctoralem, uti id intelligit Ciacconius aliique.*

B h A Martino IV factus Diaconus Card. S. Nicolai in Carcere Tulliano, et a Nicolao IV Presbyter SS. Silvestri et Martini in montibus tit. Equitii, *ut idem Ciacconius.*

i * Quia Campania est hortus B. Petri] *aliis* Felix *cognominata, hodie* Terra di lavoro, *quod in ea colenda utilissime labor impendatur.*

k * Cœlestino] *puro criminis, sed fraudibus decepto.*

l *Id est, præceps ad quidvis largiendum.*

m *Id est, ardens carbo.*

n Membrana vacua, sed bullata, *inquit Ptolomæus Lucensis.*

o Orbita. I. *circumvolutio anni,* novata, *jam enim novus annus ex stylo Romanæ Curiæ inchoatus erat a festo Nativitatis.*

p *Post cædem Domitiani, acta ejus rescidit Senatus.*

q Saucia, *subintellige, tellus.*

r Ceperanum *castrum, Pontificiæ ditionis limes ad Garilianum flumen, olim Lirim, distat Monte Cassino* 9 *circiter milliaribus : et hinc Anagniam Duplo fere abest spatio.*

s *Veteris scilicet Romæ.*

t *Id est arbitrium eligendi duos Senatores, Magi-* B *stratum Kalendis Januarii proxime inituros.*

u Sumpto. I, *electio* * scilicet Senatu.

x *In MS. sic legebatur hic versus.*

Nec labor aut fessos sumptusve gravare labores

et in margine notabatur. I. * gravavere. *Verum ultimum verbum, defectu verbi,* algor, *quod exciderat, fuisse substitutum a librario, versum utcumque supplere volente omnino credo : mallem etiam,* gravarunt, *legere. Cetera quæ correxi sunt hæc.*

ỳ. 2 sic, *lego,* sit. 3 ortu *l.* ostro.
4 quo *l.* quæ 39 culpans. *l.* culpam.
45 sic. *l.* ceu. 57 senili. *l.* sinistris.
60 carmina. *l.* carmine. 62 gustantur. *l.* gustentur.
93 collem *l.* colle. 92 ortus *l.* Hortus.
102 dolis. *l.* dolos. 106 mutare. *l.* nutare.
112 Spectatrix veri. *l.* Spectatrixve rei.
116 distare. *l.* dictare. 129 Hæserit, *l.* Hæserat.
165 laudensque. *l.* ludensque *vel* plaudensque.
170 sacrandus. *l.* sacrando.

LIBER II.

De coronatione Bonifacii VIII.

Ordo observatus anno 1191.

Quoniam *quæ hoc Libro describuntur ab Auctore nostro satis intelligi nequeunt, absque exacta ceremoniarum in hujusmodi actibus usitatarum cognitione; præter* D *earum declarationem inferius subjungendam, juxta Pontificale Venetiis excusum anno* MDLXI, *placet ex Centio Camerario (qui centum dumtaxat annis ante Bonifacium vivebat scribebatque, factus deinde Cardinalis ac denique anno* MCXVI *Romanus Pontifex sub nomine Honorii III) ordinem electionis Ordinationisque Pontificalis transcribere, ex Annalibus Cardinalis Baronii ad annum* 1191 *: sic autem habet :*

1 Mortuo Romano Pontifice et sepulto, omnes Cardinales ad propria revertuntur secundum antiquam consuetudinem. Secunda vero die conveniunt in Ecclesia, et Missa mortuorum cantata, omnes similiter secundum consuetudinem antiquam recedunt. Tertia autem die iterum omnes in ecclesia congregati, et Missa sancti Spiritus ibidem primitus celebrata, tractant de electione. Et perscrutata Cardinalium voluntate ab aliquibus de ipsis, in quem major et melior pars convenerit Cardinalium, prior Diaconorum ipsum de Pluviali rubeo ammantat, et idem Electo nomen imponit: ipsumque deinde duo de majoribus Cardinalibus addextrant usque ad altare, ubi prostratus adorat, Primicerio cum schola Cantorum et Cardinalium cantantibus, Te E Deum laudamus.

circa modum electionis,

factæ in Lateranensi,

2 Quo facto ab Episcopis Cardinalibus ad Sedem ducitur post altare, et in ea (ut dignum est) collocatur : in qua dum sedet Electus, recipit omnes Episcopos Cardinales, et quos sibi placuerit ad pedes, postmodum ad osculum pacis. Surgensque de Sede, ducitur a Cardinalibus ad sedem lapideam per porticum, quæ sedes dicitur Stercoraria, quæ est ante porticum Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis; et in ea eumdem Electum ipsi Cardinales honorifice ponunt, ut vere dicatur, Suscitans de pulvere egenum, et de stercore erigens pauperem, ut sedeat cum principibus et solium gloriæ teneat. Post aliquantulam moram, stans juxta eamdem sedem Electus, accipit de gremio Camerarii tres pugillatas denariorum, et projicit dicens; Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo, tibi do.

post quam Electus de stercoraria sede levatur,

3 Tunc autem accipit ipsum Electum Prior Basilicæ Salvatoris Patriarchatus Lateranensis, cum uno de Cardinalibus vel uno de Fratribus suis. Venientibus autem per eamdem porticum, juxta ipsam Basilicam Salvatoris, acclamatur : Domnum Cœlestinum (*eum scilicet de quo hæc scribebat Centius,* Tertium *ejus nominis*) S. Petrus elegit. Sicque ducitur F ab illis usque ad gradus portæ, quæ videlicet porta est in introitu Palatii venientibus de ecclesia ad palatium ipsum : ibique Judices eumdem Electum accipientes, ducunt eum per palatium usque ad basilicam S. Silvestri. Ubi vero ventum est ante Basilicam ipsam (super cujus arcum, qui sustentatur de duabus columnis porphyreticis, est imago quædam Salvatoris, quæ a quodam Judæo percussa olim in fronte sanguinem emisit, sicut hodie cernitur) idem Electus sedet ad dexteram in sede porphyretica : ubi Prior basilicæ S. Laurentii de palatio dat ei ferulam, quæ est signum regiminis et correctionis, et claves ipsius basilicæ et sacri Lateranensis palatii : quia specialiter Petro principi Apostolorum data est potestas claudendi et aperiendi, et ligandi atque solvendi, et per ipsum Apostolum omnibus Romanis Pontificibus.

acclamationes excipit,

et ante oratorium S. Silvestri accipit ferulam et claves,

4 Et cum ipsa ferula et clavibus accedit ad alteram sedem, similem et ejusdem lapidis : et tunc reddit eidem Priori tam ferulam quam ipsas claves. In qua dum aliquantula mora quievit, cingitur ab eodem Priore zona rubea de serico, in qua dependet bursa purpurea, in qua sunt duodecim sigilla pretiosorum lapidum et muscus. Qui quidem Electus in istis duabus sedibus sic sedere debeat, ac si videatur inter

zona et bursa accingitur,

A inter duos lectulos jacere, id est, ut accumbat inter Petri principis Apostolorum primatum, et Pauli doctoris gentium prædicationem. In zona notatur, continentia castitatis; in bursa, gazophylacium, quo pauperes Christi nutriantur et viduæ; in duodecim sigillis, duodecim Apostolorum potestas designatur; muscus includitur, ad percipiendum odorem, ut ait Apostolus, Christi bonus odor sumus Deo. In qua secunda sede dum sedet Electus, recipit omnes Officiales Palatii ad pedes, et postea ad osculum : et deinde sedens ibidem recipit de manu Camerarii denarios argenteos valoris decem solidorum, et projicit eos super populum : hoc facit tertio dicendo, Dispersit, dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Istis peractis ducitur per ipsam porticum ad iconas Apostolorum, quæ per mare Romam venerunt nullo ductore, et intrat basilicam S. Laurentii : in qua postquam peregerit prolixam ante proprium et speciale altare orationem, pergit ad Papalem cameram; ubi cum pro sua voluntate pausaverit, pergit ad mensam.

duciturque ad oratorium, palatinum S. Laurentii,

5 Post hæc autem in proxima die Dominica, Electus, cum omnibus Ordinibus sacri Palatii et Nobilibus Romanis, vadit ad ecclesiam B. Petri; et ante altare majus, prout in Ordine continetur, ab Episcopo Ostiensi specialiter et ab aliis Episcopis de B Curia consecratur; hoc addito, quod si forte Episcopus Ostiensis præsens non fuerit, Archipresbyter Portuensis seu Velitrensis interesse debeat consecrationi. Qua consecratione finita, Prior S. Laurentii sacri Palatii ponit Pallium super Altari : quod ipse Prior propria manu debet parare : et statim Archidiaconus cum secundo Diacono dat in manu Pontificis, et solus Archidiaconus dicit Pontifici : Accipe Pallium, plenitudinem scilicet Pontificalis officii, ad honorem omnipotentis Dei, et gloriosissimæ Virginis ejus Genitricis, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et sanctæ Romanæ Ecclesiæ : et nihil aliud. Statimque ipse Archidiaconus, cum Priore basilicario aptat Pallium prædictum super Pontificem, intromissis spinulis aureis tribus ante et retro et in sinistro latere, in capite quarum sunt innexi tres hyacinthini lapides : et sic ornatus accedit Pontifex ad altare, et ibi celebrat honorifice Missam. Et notandum quod laudes ab Archidiacono cum Cardinalibus, Subdiaconis et Scriniariis dicuntur, Epistola Latina cum Græca, Evangelium Latinum cum Græco, et omnes aliæ solennitates tunc fiunt sicut in C secunda feria post Pascha.

sequenti Dominica vadit consecrandus ad S. Petrum

consecratus accipit Pallium,

6 Missa autem celebrata, revertitur ad Palatium Coronatus, cum processione et honore arcuum, repræsentatione Legis a Judæis, et thuribulorum a Clericis Romanis, et jactibus totidem et tanta quantitate factis, sicut in secunda feria post Pascha. Sciendumque quod Cardinales omnes, Græci, Primicerius cum schola Cantorum, Præfectus, Senatores, Judices et Advocati, Scriniarii, Præfecti navales, schola Crucium, et Capellani, tale presbyterium et taliter datum accipiunt, quale in die Paschæ superius nominatum recipiunt : Subdiaconi autem singuli singulos meloquinos habent, quod tamen non fit in aliqua prædictarum solennitatum : nam non dantur eis, sicut ibidem scriptum invenitur, etiamsi triginta vel amplius essent, nisi duodecim meloquini. Universæ etiam scholæ Palatii, Clerici Romani pro thuribulo, et Judæi pro repræsentatione Legis et structura arcus, tale presbyterium recipiunt et taliter, quale datur in coronationibus aliis Domini Papæ. Pincerna insuper et Marescalcus, tam de comestione quam aliis donariis, remunerantur similiter, excepto quod capita porcorum aptata non habeant, nec de clareto : Familia quoque et Curiales presbyterium habent juxta Camerarii voluntatem.

revertitur solenni pompa Lateranum

ubi donativum singulis elargitur.

7 Si vero electio facta est in ecclesia S. Petri, D post nominationem ducitur Electus a duobus Cardinalibus, cantando Te Deum laudamus, ad altare : ubi prostratus postquam adoravit, ponitur in sede post altare : et ibi Episcopos et Cardinales et quos sibi placuerit recipit ad pedes, et postea ad osculum pacis : et proxima die Dominica consecratus, ibidem cantata Missa cum solennitatibus superius nominatis, et coronatus, revertitur ad Palatium, factis omnibus aliis sicut est superius per ordinem enarratum. Antequam autem intret in Palatium, descendit ad sedem stercorariam : ibique sedens sicut moris est, et faciens jactum ter replicatum sicut superius dictum est, accipitur a Cardinalibus, et ducitur per porticum ipsam ad ecclesiam basilicæ Lateranensis : et ascendens sedem post altare, recipit Canonicos ejusdem ecclesiæ ad pedes et deinde ad osculum pacis : quo facto pergit per Palatium usque ad sedem S. Silvestri, ibique sedet, et facit omnia in eodem loco et in antea, sicut dictum est superius ordinatum.

Si autem electio facta est in Vaticano,

mutantur aliqua in dicto ordine :

8 Si autem extra urbem fuerit electus et non consecratus, omnia fiunt ordine supra dicto, sive fiat descensio et consecratio ejusdem Electi in ecclesia S. Petri, seu in ecclesia Lateranensi idem Electus E descendat. Quod si electus et consecratus fuerit extra Urbem, et a parte Lateranensi venerit ad Urbem, omnes Clerici Romani occurrunt ei extra Urbem induti, cum crucibus et thuribulis in processione; et sic intrat ecclesiam Lateranensem, et fiunt alia omnia sicut superius est narratum hoc excepto quod cum descenderit ad sedem stercorariam, et per porticum vadens ecclesiam Lateranensem intraverit; non statim ascendit ad altare, seu ad sedem, sed veniens inferius in choro majori ante Cruces, finito Te Deum laudamus, dicit : Adjutorium nostrum in nomine Domini, etc. Sit nomen Domini benedictum etc. hoc facto ducitur ad altare, et prostratus orat. Qui postquam oraverit sedem majorem ascendit, et ibi Canonicos ejusdem ecclesiæ ad pedes recipit et ad osculum pacis. Si vero descenderit ad ecclesiam S. Petri consecratus, omnia fiunt sicut in ecclesia Lateranensi, hoc excepto quod ibi non est sedes stercoraria : et proxima die sequenti celebrata Missa non coronatus revertitur ad Palatium : antequam intret ecclesiam descendat ad sedem stercorariam, ibique sedens prout moris est et faciens jactum (sicut superius est enarratum) accipitur a F Priore Lateranensi, et cum uno Cardinali ducitur per porticum ad ecclesiam, et omnia facit sicut superius est denotatum.

ubi etiam si extra urbem electus,

eamque ingressus descendat ad Lateranum

vel Vaticanum.

CAPUT I.

De Ceremoniis coronationis Papalis ante Vaticanam Basilicam factæ.

Jamque dies *a* sacro Papæ celebranda triumpho
Exoritur, Titan cœlum purgare serenus
Cœperat, atque jubar Phœbi clarentis ab ortu
* Fortius agnorat devictus *b* Aquarius æstu.
Et Pater, auroræ roseo velamine fulgens,
Ingreditur sacra templa Petri : Mantoque relicto,
Induitur, niveum zona succinctus *c* Amictum;
Velaturque caput texto radiante monili *d*,
Haud faciem, solito colli circumdare nuda
Pontificis : fulvo micat et carbunculus auro
Insitus *e*, et variæ fulgent in pectore gemmæ,
Et stola demissis pendet *f* conjecta lacertis.
Nec deerat byssus tunicæ *g*, manicataque vestis
Levitæ; Casulaque capax a * fornice forma,
Post longas habitura plicas, contracta ministris.

C. P. I. Electus, Pontificaliter indutus

omnibus sacris paramentis,

A

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

Cornua h fronte gerit, duplicem signantia legem :
Legem quippe novam Christi, veteremque figuram
Alterius, quas nosse suum i, quas condidit idem
Omnipotens. Chirotheca manus, digitosque venustat

una cum Cardinalibus,

Annulus, et cubitum lævum cingitque Mani- [plus.
Nec non Cardinei Proceres, distinctus ut ordo
Cuique dabat, sumpsere habitus discrimine k fuci
Nullo, namque color tingens in sindone vestem
Consimilis. Sic ergo dies ornata refulsit :
Sic et Pontifices vicinæ plebis, in urbem
Acciti, festis aderant : sic turba bicornis l
Seu casu seu sponte foret, visura regentis
Imperium : sic parva cohors Romana m * subad- [stans,

CAP. II.

* Levitis incincta ruit, tunicataque n Regno.
His comptus sublimis Apex, sandalia gestans
Ornamenta pedum, dextra lævaque resedit

progreditur ad altare S. Petri :

In Procerum o armillis : mediusque accessit ad altum
Egregiumque decus fidei, venerabile donum
Christicolis, altare Petri, de marmore cæsum,
Porphyriisque gerens fulvis a celte p co- [lumnis

B

Quattuor argenti q cœlum, quod tempus in atrum
Verterat; ac subterfusi sub tegmine cupri
Corpora sacra tenens, totum veneranda per orbem,
Ætherei Petri, Pauli r quoque Gentibus almi
Doctoris : quo solus Apex solusque Sacerdos
Chrisma capit flagrans : decet hæc nam gloria Pri- [mum.

post alias Episcopalis ordinationis ceremonias,

Cumque genu flexo sedi prostratus, et s auro
Procubuisset Herus (simul omnis et infula circum
Pontificum supplex in faldistoria t pectus
Fuderat) et læto resonasset murmure, u Vices
Atque Duci * pressent x sacras in vertice palmas,
Suspensusque liber capiti non clausus in altum
Præforet y; is Præsul cui subditur Ostia, Tibrim
In mare deducens, faciem conversus in illum
Qui sacrandus erat, præstansque altaribus [idem,

ungitur ab Episcopo Ostiensi

Incipit ampullæ liquidum perfundere chrisma
In caput, atque brevi digito complere z coronam,
Et complere manus. Quid ni? si balsama signant
Non falsis commixta dolis, sed sponte virentem.
Mixta oleo cur ista? Notant in Præsule fa- [mam
Balsamus, inspirans citri recalentis odorem,
Atque oleum, clarere Dei sub lumine mentem :

C

Quippe * docet, famam populo Christoque celebrem
Conservare domum. Curnam uda est sphærica cer- [vix?
Cur manus? En facies operum signata per [artus,

in capite et manibus,

Quæ pia, dum blanda palmæ sacrantur oliva.
At capitis summum signans rationis acumen
Balsamus * obliniat, faciens incendia sacri
Flaminis. Hæc præter, quam sit veneranda potestas
Illius, frons uncta docet : testatur et actum
Officii linita manus. Jam claudere cœptum
Maturabat opus Sacrans, ubi mystica α fucis
Verba micant, sensusque patent gravitate referti.

CAP. III

Pallia β tunc humeris, crucibus candentia nigris,
Imposuit Levi rubens, quibus aurea puros
Saphyros defixit acus : laudansque γ monile,
Fert sublime datum : certo non * limite septum
Posse δ, sed effusas ubertim suscipe vires

accipit Pallium a Card. Diacono :

In genus omne virum, pulso discrimine sexus ;
Ad Patris ingeniti, Geniti quoque Flaminis [almi,
Virginis intactæ Matris nascentis ab ortu,
Et Petri Paulique Ducum renovatus honorem,
Ecclesiæ titulo Romanæ, suscipe signum
Hoc tantæ virtutis, Apex ε, de corpore sumptum

D

Principis ætherei. Posthæc sacratus adaucto ζ
Insidens thalamo summus Bonifacius Heros,
Cruribus affusum demisso poplite Cœtum,
Atque alios Patres suscepit, et oscula passim
Cornibus η exhibuit; Digno clementia vultu

recipit pedum oscula :

Panditur, atque genu supremum posse re- [flexo :
Namque decet fasces parvis radiare serenum.
* Et magnis monstrare virum, si naribus θ ef- [flant.

CAP. IV.

inchoat gloria in excelsis.

His ita consurgens, nascentis cantica Christi
Inchoat, ι Angelicam vocem sonitumque tubalem
Effert, et celebris Missæ solennia complet.
Haud alii Procerum : nam delibuta Coronas
Non prius in festis quam dictet Epistola sensus
Turba silet; Princepsve canit sed libat κ eodem
Tiro novus varias impulso gutture voces :
Concrepat inde chorus, duplicat sua vulnera λ [pason :
Hic petit unisonum, stabili firmatus in unco,
Et liquidas errore vago modulamine voces

prosequente choro.

E

Per medium, perque omne solum, perque ardua [firmat.
Ille tonus Romanus avet; clarum Diapente
Ille canit; ferit ille gravem quartam μ Dia- [tesron
Lubricus in vocem ; nescit consistere pernix
Italus, ipsa notas refricans, ceu nubila guttas :
At flatu melior vox Gallica, lege morosam
Præcinit, et guerblis ν geminans retinacula punctis
Instar habet duris percussi incudibus æris.
Nec tantum Clerus, sed divis vestibus usi
Causarum Patroni aderant; magnoque tumultu,
Dum Levita canit summo præconia Papæ.
Exclamare pio Laudes de more celebres. ξ

CAP. V

Superveniunt Nobiles Romani :

Interea titulis redimiti, sanguine et armis
Illustresque viri, Romana a stirpe trahentes
Nomen, in emeritos tantæ virtutis honores,
Intulerant sese medios, festumque colebant.
Aurata fulgente toga, sociante caterva.
Ex ipsis devota domus præstantis o ab Ursa
Ecclesiæ vultumque gerens dimissius altum
Festa Columna jocis, nec non Sabellia mitis,
Stephanides senior, Comites ο, Anibalica proles,
Præfectusque urbis, magnum sine viribus π omen,
Atque alii Proceres, super hoc Campanus, et [omnis
Notabilitas, Clerus, populus, plebs, doctus, et in- [fans,

F

Ac matrona gravis, juvenis, confractus ab annis,
Advena, seu civis, turmis ρ spectare triumphum
Porticibus sacrum, partimque invisere templum
Atque audire tubas vocum confundere pulsus.
Jam dudum officii juvat explicuisse labores,
Missarumque pium templi intra septa triumphum,

et finita Missa,

Descripsisse metro : dehinc Regnum ς texere * [menti est,
Atque * animo [et] ritus, Clerus quos servat ab [olim
Extra progrediens, populo plaudente Co- [ronæ.

CAP. VII.

in gradibus Basilicæ S. Petri,

Est gradibus præstans spatium τ, de marmore [stratum
Undique sub divo, cui subjacet infima tellus,
In plateam, meliusque υ viam fortassis in amplam.
Quod magnum latumque patet, quod et eminet [altis
Porticibus, patulisque domus ad lumina lu- [stris.
Hinc facile est Diadema Ducis spectare, togatum
Cernere diffusas series : hoc sistitur aptum
Et solium thalamusque loco : quod protinus Heros,
Ut prius, insignis casula variante colorem,

A Insedit, sacris pedibus subsellia calcans.
Tunc senior Levita manu Diadema, vetustum
Imperii signum, Pavonis cortice φ candens
Pennarum, intexto gemmis radiantibus auro
Vallarum in gyrum, cui summo in vertice Carbo χ
Evomit et subtus gemmarum maxima flam- [mas,
Imposuit ψ capiti: Sphæræ subiitque figuram,
Accipiens frigium, lapidum fulgoris inane
Quondam, sed nivei plenum candoris, acute
Vertice contextum, gemma nunc temporis *aa* au- [ctum.
Hoc Romana tenens quondam fastigia Cæsar,
Imperitans mundo, magnus pietate Monarcha,
Constantinus Apex statuit, dum primus in orbe
Fonte sacro purgatus Herus, proprium sibi Re- [gnum *bb*
Seu Phrygium manibus Silvestri in vertice pressit,
Officiumque humilis gessit *cc* stratoris, ab [ipso
Mundatus *dd* lepra, monitus per somnia Princeps.
Qui, licet terris Petri successor apertum
Et clausum retinere queat procul obice cœlum,
B Confessor tamen ipse sacer latitabat in antris,
Martyrii palmam devoto pectore zelans:
Usque quo advectus coram stetit; atque profantem
Audiit Augustum. Petri Paulique ducatu,
Post scelus exosum, postisque in crimine metis,
Ad Christum veramque fidem sanctum quoque do- [gma
* Venturo Baptisma datur, miracula clarent.
O pietas immensa Dei, spatiosa per omnes!
O virtus! o digna salus! cui parcere pulchrum est
His, quibus inspirans miserando noscere casus,
Atque pati miseris, homines se credere magnos,
Fortunamque brevem, subjectis pandere dex- [tram
Innocuam; ut sese credunt trivisse superba,
Dum proprios superant animos, jam cæde cruentos.

coronatur novus Pontifex,

tiara seu regno, quale S. Silvester a Constantino accepisse dicitur.

ANNOTATA.

a Die Dominico XVII Kal. Februarii *uti habet Ciacconius.*

b * Nam sol tunc erat in Aquario.]

c * Id est Camisum: nam Papa non utitur Amictu proprie, sed Humerali, quod vulgariter dicitur Fano].

d *Id est mitra gemmata, ex quo retro per collum defluunt infulæ.*

C e *Latum-clavum intelligerem seu fibulam auream gemmis interstinctam, qua Cappa adstringitur, nisi mox diceretur, Casulam seu Planetam indutus Pontifex processisse: igitur Crucem pectoralem, similibus gemmis fulgentem, intelligas licet.*

f * Stola ad talos demissa *] *per humeros et brachia.*

g * Tunicella] *vulgo dicta, et* * Dalmatica.

h Cornua *ipsius mitræ intellige.*

i *Subintellige,* officium est, *seu,* ad ipsum pertinet.

k *Id est, paramenta alba, pro suo cujusque gradu.*

l *Multitudo externorum Episcoporum, tunc forte præsentium vel spectandi causa advectorum.*

m *Hæreo nec definio quos hic intelligere debeam, an custodiæ Pontificiæ deputatos equites, an turbam Clericorum, Levitis seu Diaconibus permixtorum.*

n *Nec hoc capio, nec conjectura occurrit quæ placeat satis.*

o *In corona seu circulo multiplici Procerum.*

p * Albo maculante] *sed quomodo hoc* a celte? *An vult indicare columnas non simpliciter porphyreticas, sed immissis cadentis marmoris celaturis distinctas?*

q Argenteum cœlum. *Hos est* Ciborium *quod toties in Vitis Pontificum apud Anastasium Bibliothecarium legitur, ac nominatim in S. Gregorio,* Hic fecit ciborium B. Petro Apostolo, cum columnis suis quatuor ex argento puro. D

r * Nam saltem pars ossium parvorum S. Pauli fuerunt posita in altari B. Petri.

s *Id est super tapete, cui aurum intextum: quod in Pontificali Romano, ubi describuntur ritus in ordinatione Pontificis adhibendi, sic legitur:* Omnibus paratis Electus accedat ad altare: et deposita mitra procumbat super faldistorium, et oret. *Est autem* Faldistorium *sella plicatilis humilisque; de cujus etymo varii varia. Mihi vox Longobardica esse videtur, a* Falden *plicare, et* stoul *sedes, in qua euphoniæ causa* l *mutatur in* r, *ut* Faldestorium *sit pro* Faldestolio. Falden *autem media quædam dialectus est inter* falten *Germanicum, et* Vauden *Belgicum: et ita habetur etymon ipsi rei accommodum, nec longe quæsitum.*

t *Ast nunc Pontificale, solum* scabella *ceteris concedit, super quæ inclinati orent,*

u *Ita lego, ubi scriptum erat* Vias, *et intelligo non solum* Kyrie eleison, *quod vicissim sive alternis dicitur: sed etiam* Letanias, *quæ post Kyrie eleison præscribuntur, si illas tunc non cantaverit Chorus, sed ipse cum ceteris recitaverit.* E

x *Id est* Pressissent: *nam sedente post Litanias sine mitra Electo;* Consecrator et Assistentes ceterique Episcopi ponunt ambas palmas super caput, dicentes, Accipe Spiritum sanctum.

y *Prius tamen idem Consecrator* imponit librum Evangeliorum super cervicem Electi.

z Intincto pollice dextræ manus in sacrum Chrisma, ungit caput Electi, formans primo signum Crucis, quo Coronam totam amplectatur: deinde ungit reliquum Coronæ. *Post varias autem, quas Pontificale habet, preces, etiam* ungit manus.

α Fucis. 1. *Figuris, Præfatio enim quæ mox subjungitur, ut habetur in Pontificali, prolixe meminit habitus Pontificalis, Moysi a Deo olim præscripti,* ut intelligentiæ sensum de exemplis priorum caperet secutura posteritas, ne eruditio doctrinæ ulli deesset ætati, cum et apud veteres reverentiam ipsa significationum species obtineret, et apud nos certiora essent experimenta rerum quam ænigmata figurarum etc. *plura huc spectantia.*

β * Pallium est de lana alba, quo Papa super alia paramenta utitur.] F

γ Monile *figurate dicit ipsum Pallium, quod Pontifici pro torque seu monili ad collum appenso est.*

δ *Verba Prioris Diaconorum, Pallium Pontifici imponentis, hæc sunt:* Accipe Pallium, sanctam plenitudinem Pontificalis Officii, ad honorem omnipotentis Dei, et gloriosissimæ Virginis Mariæ ejus matris, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et Sanctæ Romanæ Ecclesiæ.

ε Apex. 1. *o Præsul seu Papa: in hoc enim sensu voce illa identidem utitur Auctor.*

ζ Cathedram eminentem *appellat Pontificale solium.*

η Cornibus, *id est, mitratis Episcopis; non solum ad pedis ac manus sed etiam ad oris osculum eos recipiens, quæ gratia nunc solum Cardinalibus, et quidem omnibus fit, etiam non Episcopis.*

θ *Id est, si superbiam spirent.*

ι Gloria in excelsis Deo.

κ * Cum eodem] : *verum neque sic capio sensum tam hujus quam præcedentium versuum, quos sagaciori conjectatori explicandos relinquo: videtur tamen aliquid a Bonifacio hic factum dici præter morem aliorum Episcoporum.*

λ Nam diapason se habet in dupla proportione sicut

A sicut duo ad unum.] *Sed et hæc aliaque sequentia Antiquiarium Musices peritum exigunt, ab inexpertis, quantumvis Notæ accumulentur, non facile intelligenda.*

μ Diatesron, *contracte pro* Diatessaron.

ν Guerblæ *videntur esse plurium notarum conjugationes* (uncos *nostri vocant*) *licet* Querulis *scribatur in ecgrapho Codicis Sulmonensis.* Gu *pro* W *supponi notissimum est,* gyrus *autem Germanis* Wirbel, *Belgis* Wervel *dicitur, quod optime quadrat ei figuræ musicæ, quæ plures simul notas quasi in gyrum torquet.*

ξ *Res intelligetur si Pontificale consulas : ibi enim leges :* Dictis orationibus sedet Pontifex, et Prior Diaconorum cum ferula descendit ad confessionem B. Petri cum Subdiaconis, Auditoribus, Scriniariis, id est, cum Secretariis et Advocatis : quibus in duas acies distributis, sic ut in qualibet acie sint ex omni ordine faciunt Laudes Pontificis, stantes capitibus detectis, Papa et omnibus aliis sedentibus in loco suo. Prior Diaconorum incipit solus alta voce quasi legendo : Exaudi Christe. Subdiaconi, Auditores, Scriniarii, et Advocati respondent, Domino nostro N. a Deo decreto summo Pontifici et universali

B Papæ, Vita. Et sic ter dicitur per Priorem, et toties per alios respondetur. *Et hæ Laudes clauduntur per breves Litanias hoc modo* Salvator mundi, *et subjungendo,* Tu illum adjuva, *idque ter : tum bis,* Sancta Maria *et* Tu illum adjuva : *ac denique semel* S. Michael *etc. nominando ex unoquoque Sanctorum ordine unum alterumve, et subjungendo* Tu illum. *Nota autem, Advocatos ipsos quoque* divis vestibus usos, *id est Pluvialibus indutos fuisse, ut infra magis apparebit.*

ο *Id est familia Ursina, Ecclesiæ præstanti ceteris, id est, Romanæ devota; tum iis temporibus famosiores* Colonnæ, Savelli, Stephanesci, Conti, Annibaldi.

π *Quippe qui, ut nunc, sic et tunc totus pendebat a nutu Papæ, ab eo lectus : nunc autem* Gubernator ducitur : *olim autem erat dignitas post Imperatoriam prima, etiam quando Consules adhuc nomine tenus stabant.*

ρ Turmis, *id est, turmatim confluebant spectare etc.*

ς *Id est, Coronationi faciendæ per impositionem* Regni, .i. *tiaræ.*

τ *Pontificale;* Finitis laudibus, dicitur Epistola Latine et Græce, et proceditur in Missa ut alias usque ad finem... Pontifex... cum omnibus, ut in Missa paratis, procedit ad suggestum super gradus basilicæ Apostolorum Principis.

C υ *Non enim tam* Platea, *quam* Via *dici poterat, quæ ante Vaticanam basilicam tendebatur olim, nunc autem in amplissimam aream et porticibus circumdatam extensa est, disjectis utrimque ædificiis plurimis.*

φ *Pontificias Tiaras ex albis pavonum pennis contextas olim fuisse hinc fortassis primum disces.*

χ Carbo .i. *Carbunculus, Pyropus.*

ψ *Formula cum qua Tiara (quæ nunc est triplex, olim simplex erat) jam datur, hæc est.* Accipe Tiaram [tribus coronis ornatam,] ut scias te esse Patrem Principum et Regum, Rectorem orbis, in terra Vicarium Salvatoris nostri Jesu Christi, cui est honor et gloria, in secula seculorum. Amen.

aa *Indicatur quod Tiara hæc olim fuerit simpliciter candida absque gemmis.*

bb *Gemmato diademate usum* Constantinum *etiam ex aliquibus ejus nummis habemus : quod autem Pontificiæ Tiaræ inferne circumducta Corona ejusmodi originem habeat, velim certius probatum legere. Interim video imagines Pontificum, ut nunc habentur,* Silvestri *antecessores omnes nudo vertice exprimere, ipsumque primum inter eos pileatum, seu Tiara (quæ formam veteris pilei Romani habet) tectum conspici : neque displicet conjectura pridem animo meo obversans, quod scilicet* Silvester, *vel proprio motu, vel* Constantini *jussu; istud libertatis notissimum signum assumere voluerit, quia Ecclesia eatenus sub Imperatorum gentilium servitute gemens, per Constantinum Christianum emancipata quodammodo fuit, et sui juris facta est plurimisque libertatibus ab eodem Imperatore donata.* D

cc *Difficile est dicere quis Imperatorum primus hoc officium honoris detulerit Romano Pontifici, non ideo tamen minus hujus ritus initium gratis ad* Constantinum *refertur.*

dd *Quæ de lepra et baptismo* Constantini *Romæ celebrato per S. Silvestrum, ex hujus Actis etiam Baronii judicio fabulosis, passim credita hic assumuntur, expensa dabimus ad diem quo* Constantinus *ut Sanctus colitur* 21 *Maji.*

Præter notata sat multa : pauca mutata indico :

℣. 4 Portior, *lego* Fortius. 14 forfice. *l* fornice.
28 subestans. *l* subadstans.
46 presset. *l.* pressent. 58 decet. *l.* docet.
63 oblimat. *l.* obliniat. 72 limine *l.* limite.
87 Est. *l.* Et. 90 complet. *l.* complent.
128 mihi *l.* menti.
129 animi. *l.* animo. 145 cubito. *l.* subtus.
165 venturum. *l.* venturo.

E

CAPUT II.

De ordine Processionis a Vaticano ad Lateranum.

Ordo Processionis talis consuevit hactenus observari. Primo Crux; secundo equus faleratus ad dextram; tertio portantes duodecim vexilla parva; quarto duo Præfecti navales, pluvialibus induti; quinto Archiepiscopi et Episcopi forenses; sexto Abbates Urbis; septimo Episcopi Cardinales; octavo Presbyteri Cardinales; nono Scriniarii et Advocati sericis induti; decimo tam Subdiaconi Regionarii, quam schola Cantorum cum Græcis; undecimo Subdiaconi Basilicarum, et Domini Papæ, duodecimo Diaconi Cardinales proximi Papæ, bini incedunt. Ante Pontificem aliquantulum sequestratus incedit Prior Subdiaconorum regionariorum cum tobalea; Decimo tertio Dominus Papa coronatus incedit : post Dominum Papam Præfectus Urbis, indutus manto pretioso, et calceatus una Zanca aurea, altera rubea; et circa eum Judices pluvialibus induti. Archidiaconus vero, si esset, inter Dominum Papam et inter Cardinales Diaconos deberet incedere, cujus Archidiaconi et Prioris Basilicæ Lateranensis Palatii, portantium ferulas, est ordinare Processionem; sed nunc loco Archidiaconi istud officium facit Prior Diaconorum. Prior Basilicæ, juxta Primicerium inter Diaconos Cardinales et Subdiacones debet incedere Dominus Jacobus Gajetanus etc. F

ORDO PROCESSIONIS

Ex Pontificali Romano Venetiis excuso MDLXI.

Primo incedunt Valisarii Cardinalium suo ordine, et deinde eorum familiæ, et omnes laici mistim ut eis placuerit. Tum per ordinem isti sequentur : Tonsor et Sartor Papæ cum valisiis rubeis, in quibus sunt vestes quæ pertinent ad Sanctissimum Dominum nostrum : Familiares et Scutiferi Papæ : Nobiles Curiæ minores et Nepotes Dominorum Cardinalium : Scala Papæ, panno rubeo cooperta, quam portat equus albus, ductus per unum ex Parafrænariis, purpurea veste indutum : qui postquam Papa ascendit equum cum ista scala, vadit in ordine suo, dextera equi habenas, sinistra rubrum ferens baculum. Hunc sequuntur duodecim Cursores Papæ, etiam rubris vestibus induti, equestres, portantes duodecim vexilla rubra, bini et bini : inde tredecim

Vexilliferi

Hic editor ex suo judicio longa parenthesi jubet mutari ordinem vexillorum, et Vexillum Ordinis Hierosolymitani cum alba Cruce in rubro, jubet sequi Vexillum Teutonicorum in quo est Crux nigra in albo: si autem adesset Vexillum Cruciatæ Crux rubra in albo (quia est universale omnium Christianorum) illud jure optimo ponendum esset in loco digniori id est postremo

Vexilliferi Regionum Urbis, cum suis vexillis: duo alii, cum duobus Cherubim super lanceis, in vestibus rubris et omnes equestres sint. Tum Vexillifer Populi Romani: deinde Vexillum album cum Cruce nigra, quod portat Procurator Ordinis B. Mariæ Theutonicorum: Vexillum cum armis Papæ, quod aliquis magnus Nobilis portat: et demum Vexillum Ordinis Hierosolymitani rubrum cum alba Cruce, quod Procurator ejus portat. Isti quinque Vexilliferi habebunt equos cataphractos sive bardatos, et coopertos tela sericea usque ad talos equorum cum insigniis suis: ipsi autem erunt armati, acsi ad prælium essent ingressuri, dempta galea, cum lacernis ex tela etiam sericea cum insigni: et singuli Vexilliferi habebunt quatuor pedites cum lacernis boccasinis, cum insignibus Dominorum suorum.

Post Vexilla procedunt duodecim equi albi sine sessoribus, phaleris aureis ornati, instrati carmesinis, quos duodecim parafrænarii ducunt, rubra veste induti, et baculum rubrum in sinistra portantes. Hos sequuntur quatuor Nobiles, pilea quatuor carmesina supra baculos quosdam deferentes, qui Scutiferi honorarii vocantur. Cubicularii deinde sequuntur, equitantes in suo habitu: Oratores laici et non Prælati, simul cum Baronibus et majoribus Nobilibus. Tum Subdiaconus Apostolicus, cum Cruce Papali et suis Collegis, parati omnes ut in Missa, et apud Crucem duo Magistri Ostiarii cum suis virgis. Post hos duodecim familiares Papæ, rubra veste induti, portantes duodecim intortitia accensa ante Sacramentum Corporis Christi, pedites. Inde duo familiares Sacristæ equestres, etiam rubro induti, portantes laternas argenteas cum lumine ante Sacramentum. Et post eos ducitur per familiarem Sacristæ, rubro etiam indutum et baculum in sinistra habentem, equus albus, mansuetus, ornatus ut illi duodecim, portans Sacramentum, habens ad collum tintinnabulum bene tinniens: et supra portatur baldachinum cum insignibus Papæ et Sacramenti, per cives Romanos, qui inter se mutantur terdecies, ut unaquæque Regio habeat suam partem. Post Sacramentum equitat immediate Sacrista, qui, ut ceteri Prælati, habet equum totum coopertum boccasino; et ipse et omnes alii parati sunt ut in Missa, cum paramentis et mitris.

Sequuntur deinde duo Præfecti navales, et in eorum absentia duo Nobiles, induti ut Advocati et Secretarii præter almutiam: et post eos ipsi Advocati et Secretarii præter almutiam: et post eos ipsi Advocati et Secretarii cum almutiis. Cantores deinde equitant cum superpelliceis: tum Acolythi, Clerici Cameræ, et Auditores, cum superpelliceis supra rocchettum: Subdiaconus Græcus et Latinus, et Diaconus Græcus [et Latinus] ut in Missa. Sequuntur dehinc Prælati cum equis coopertis, et ipsi cum mitra et pluviali; Abbates forenses, Episcopi, Archiepiscopi: Abbates Urbis: Episcopi assistentes Papæ; Patriarchæ et Diaconi [Cardinales] cum Dalmaticis, Presbyteri [Cardinales] cum Planetis, Episcopi Cardinales cum Pluvialibus. Procedunt duo Diaconi assistentes Papæ et inter eos medius Prior Diaconorum, si ipse dixit Evangelium. Prior Diaconorum ferulam in manu portare debet, et totam Processionem ordinare, et illa ordinata equitare in loco suo.

Procedit tandem summus Pontifex, super equum album, phaleratum, coopertum a parte posteriori stragiola carmesina, sub baldachino, quod octo magni Nobiles sive Oratores portant. Cum Papa per scalam, quam superius dixi, ascendit equum, major Princeps qui præsens adest, etiamsi Rex esset aut Imperator, stapham equi Papalis tenet, et deinde ducit equum per frænum aliquantulum. Si Imperator aut Rex soli essent, id est non esset alius Rex, soli equum ducerent cum dextra manu: sin vero esset alius Rex, dignior a dextra, alius a sinistra frænum teneret: si non sint Reges, digniores ducant equum: et postquam Imperator, Rex, vel alius magnus Princeps aliquantulum equum duxerit, substituantur alii duo magni Nobiles eorum loco; et mutentur. Si vero Pontifex non equo, sed sella veheretur: quatuor majores Principes, etiamsi inter eos Imperator et quivis maximus Princeps adesset, in honorem Salvatoris Jesu Christi, sellam ipsam cum Pontifice humeris suis aliquantulum portare debent: sed aderunt etiam quatuor validi Pontificis familiares qui pondus sustineant; ita ut Principes ipsi, in signum piæ religionis ac reverentiæ, magis quam ad onus subeundum, manus apposuisse videantur; qui etiam mutabuntur, pro hominum et itineris dispositione. Similiter et octo Nobiles, qui baldachinum super caput Pontificis ferunt, mutabuntur post aliquod spatium, et equos suos ascendentes in ordine suo equitabunt; et eorum loco nobiles Cives Romani usque ad Lateranum baldachinum portabunt, mutabunturque per vices, sicut de baldachino Sacramenti diximus.

Ante Pontificem Conservatores, Capita regionum, et alii Magistratus ac Nobiles Urbis pedites præibunt; et Prætoriani milites cum eis, accincti gladiis circiter centum, et baculum in manibus portantes, ad custodiam corporis Pontificis. Circa Pontificem, aliquando ante, aliquando post, equitabit Marescallus sive Soldanus Curiæ, cum duobus sacculis pecuniarum ante sellam, et ipsas pecunias projiciet super populum, ad pressuram dimovendam. Primum jactum pecuniarum faciet cum Pontifex incipiet se movere, alium apud Pontem Adriani, tum in area apud Montem-jordanum, inde in area Parionis, deinde alium apud S. Marcum, postea apud S. Adrianum, et demum ubicumque magnam pressuram apud Pontificem viderit: et ut facilius possit transire, ad partem transversam jaciet pecunias.

Post Pontificem immediate sequuntur duo Cubicularii secreti, medium tenentes Auditorem Rotæ Decanum, qui servit de mitra; et deinde duo Medici cum Secretario principali in medio, si ille non est Prælatus. Subsequitur deinde umbella rubri coloris, quam unus Serviens armorum, præter galeam totus armatus, eques portat. Postremo equitant, Vicecamerarius si non est paratus, et omnes Prælati non parati, Protonotarii, Auditor contradictorum si non est paratus, et similiter Corrector litterarum (qui si sint parati, equitant in loco suæ promotionis) et omnes togati. Vicecamerarius baculum in manu portat: et pertinet ad eum curare, ut ordo a Priore Diaconorum datus servetur in Processione. Et secundum antiquas consuetudines, Camerarius Papæ non portat ferulam, si est Cardinalis, sed ejus Vicarius et Vicecamerarius: quia non ad Cardinalem, sed ad Camerarium pertinet. Hoc igitur ordine ad Lateranum procedunt. *Hactenus ordo iste: in cujus descriptione occurrit minus notæ significationis vocabulum barbarum* Boccasinus, *de quo interrogati Romani respondent, linei panni speciem esse subtilitate præstantis, quemadmodum Belgis est quem Cameracensem appellant; ideoque laternis formandis servire, adferri autem ex Oriente, unde et censeo nominis rationem petendam inde, quo etiam se offert* Bochar *urbs Asiæ ad Oxum flumen: sed nolo hic divinare.*

METRUM JACOBI CARD.

CAP. VIII *Prælata Cruce*

Ergo ubi posta morulam Patribus procedere visum [est.

Principio, Crux celsa Dei suffectaque celsis,

A

* Ingenti rutilans hastili, fertur in altum.
A JACOBO CARDIN. EX MSS. et vexillis, Post ipsam * phaleratus equus, detectus ab ante,
Velatusque rubro Scarleti tergora *b* nacto,
Cigneus ad dextrum vehitur. Vexilla sequuntur
Ordine bis seno tenus : et pluvialibus ambo
Navales Præfecti adeunt; quos protinus omnis
Infula Pontificum sacrato vertice candens
sequuntur Prælati Subsequitur : numerum veniens Romanus, et Abbas
Aggerat : hos retro lento procedere passu
Pontificum veneranda cohors, pars una Senatus,
Aggreditur : clausis pars altera septa planetis
Presbyterum gravitate sua succedere dignum.
Disputat at longo protensa sub ordine turba
Scribarum, Doctumque simul, legumque Professum
Hos tantos sectare Patres; cœtusque canentum
Cantores, Cum Græcis aliisque viris, qui psallere doctum *c*
Ensiferum * posuere Ducem, post terga priorum
Incedunt : similisque manus, tunicata per artus,
Pontifici Romanæ Urbis postrema ferebat
Cardinales, Agmina, qua filum rectæ servavimus alæ
Nos Levitarum cuneus, nos illa Senatus,
Dalmaticas vestita togas, pars nobilis una.
B Ilicet assequitur, scandens mantilibus albis
Tectos undique equos legio, sed juncta *d* bicornix,
Ut festo clarere die possetque triumphis
Fecerat. Hac serie Proceres incedere ritus
Edocet : hoc etiam (ne fors abolescat in ævum)
In scriptis monumenta tenent; sed vadere recto
Tramite quis poterat? Durum est servare *e* maniplos
Indoctos doctosque viros, ubi plurimus urget
Impetus, et varii lætis se cœtibus addunt.
CAP. IX Pontifex tiara insignis, Dumque moras piget esse via, finemque laboris
Poscimus, hinc est Summus Apex, cui tanta relucet
Gloria, sublimi frigio vestitus et auro,
Cornipedemque sedens niveum, sub tegmine nacti,
Mandentemque genis, ibat quo lætior aura.
Adventabat equo candens ad bemata *f*, bella
Aurataque super palla; nam *g* cuspide pluma
Cyprensi consuta nitet. Tunc lota tenebant
Illustres Gallique Duces, Carolusque secundus
Regibus duobus fræna tenentibus, Rex Siculus, Carolusque puer prolesque juventam
Floridus, Ungariæ materno a stipite nomen
Regis habens : dextram Pater accipit, atque sinistram
Filius; ardentes habitu, quos uvea tinxit
Grana *h* rubens; siquidem Terræ per rura Laboris
C Hi Reges sociare Patrem venere volentes :
Jure tamen : nam sceptra tenet vassallus ab ipso
In feudum Siculus. Nec non de more *i* vicissim,
Divisum sortita locum. Romana *k* Senectus
Id peragit Procerum terræ cœlique Ministro.
Dum pergit sacratus Apex quem circuit amplus
Miles eques, post terga ruens festumque decorans,
Apulus et Gallus, Romanus et inclitus, omnis
Nobilitas Campana, sequens vestigia summi
Principis, an numerum poterit quis pandere metro?
procedit sub baldachino, Deficimus, vincique juvat : succumbere rebus
Verba placet; voliti est (mentem ne oblivia captent)
Quod rubeis, croceisque *l* rigis umbracula velent
Mixta Ducem, fari radius ne verberet illum
Objectus; laterisque Comes paulumque sequester
Præfecto Urbis aliisque sequentibus. Quod ferat obsequium, pretiosum gaulape *m* nari
Sublevita Prior; manto *n* quod splendidus, una
Auri succinctus caliga *o*, succinctus et una
Scarletti, ponendus erat Præfectus et almæ
Urbis Apostolicum juxta, comitantibus illum
Judicibus, * tectis Pluviali corpora *p* scisso *q*.

D

ANNOTATA.

a *De hac* morula *sic Pontificale.* Quoniam plerumque, antequam hæc completa sunt, hora est satis tarda, et longa ad Lateranum restat via, multaque ibi adhuc sunt peragenda, consueverunt aliquando Pontifices et Patres sustentationis gratia aliquantulum cibi sumere. Paratur refectio in atrio domus Archipresbyteri Basilicæ pro Pontifice et Cardinalibus, pro aliis Prælatis in vicinis domibus Canonicorum. Coronato Pontifice veniunt ad refectionem, et interim parantur quæ ad Processionem opportuna sunt. *Ita olim : nunc autem per novæ Basilicæ extructionem, domibus illis dejectis, omnia in vicino Palatio Vaticano fieri necesse est.*

b Nactum *pro Natto scribi, juxta illius ævi morem, facile capio : sed* nattum *pro* Natta (*quod stoream significat*) *necdum reperi : quiquid sit apparet ephippium seu equi stragulum dorsuale intelligi : iterumque repetitur* ℣. 209 sub tegmine nacti.

c * Id est Paulum] *Apostolum, qui de se dicit*, 1 *Cor.* 14, Psallam spiritu psallam et mente. E

d *MS.* seu juncta, *correxi* sed juncta : Juncta *autem* bicornix *mihi videntur dici* bini cornicines, *additi equestri huic legioni, quam guardiæ Pontificiæ fuisse licet existimare.*

e Maniplos. 1. *ordinem manipulorum.*

f *Ita puto ex mente Auctoris posse restitui huc versum, qui omni sensu carens in MSS. sic legitur.*

Adventabat equo candens diademata palla

Vestigia enim Græcis βήματα, *a* βάω *vado : ut sensus sit, quod equo instrata palla alba veniebat usque ad pedes eaque pulchra et pretiosior quam si fuisset auro texta, quia consuta ex plumis Cypriis vel opere Cyprio, cujus infra meminit Glossula ad* ℣. 87 *lib.* 2 *de Canoniz.*

g Cuspide. *acu.*

h Grana, *Italis est bacca cujusdam arboris, similis hederæ, cujus usus est ad tincturam ejus quod vocant scarlatum.*

i *Sic enim præcipit Pontificale, ut* postquam Rex, aut alius magnus Princeps, *qui* forte adfuerit, equum aliquantulum duxerit, substituantur duo magni Nobiles eorum loco, et mutentur, *utique ad certas stationes.*

k *Romanorum Senatorum primores intelligo.*

l Riga. 1. *linea, Teutonibus* Ryke, *ut appareat vocem Lombardicam esse.*

m *In Margine sic legitur.* De Subdiacono portante gausape pro naso tergendo, *quod obsequium paulo post desiit, ut apparet ex sequenti Prosa : ubi* Gausape, *quod antiquis vestem militarem ac villosam, aut etiam tapetium villosum significabat, appellatur* tobalia *id est* Mappa *seu* mantile; *unde in MSS. Consuetudinibus Catalaniæ apud Cangium*, ad gausape alicujus sedere, *idem est quod* ad mensam, *seu conviva alicujus esse.* F

n *Per* mantum *investiri Præfectum Urbis ex Actis Innocentii III docet Cangius in Glossario, et ipsum in Ceremoniali Romano describitur,* aureo limbo circumtextum, apertum a parte dextra : *in quo distinguitur a Pluviali, seu Manto Pontificali : idemque etiam inter Regia paramenta numeratur.*

o *Infra in Prosa pro* Caliga *dicitur* Zanca, *quod Academici Cruscani interpretantur* tibiam, *sed apparet hic pro tibiæ operimento aut ocrea accipi : eadem colorum varietas notatur in umbella Pontificia.*

p *Id est anterius aperto; cum Casulæ antiquæ seu Planetæ undique clausæ essent unde oportebat in sacris ipsam ad latera sublevari per ministros, et super brachia complicari ad eorum liberum usum : quod quia difficile erat, paulatim invaluit usus latus casulæ utrimque succingendi ac denique aperiendi usque ad humeros, ut nunc*

A *nunc fit ; non desunt tamen variis locis hujusmodi rotundarum casularum exempla, non solum picta sed vera et ad memoriam antiquitatis vel etiam Sancti alicujus servata, ut illa S. Bernardi ad Scaldim prope Antuerpiam. Atque ita intelligitur quid supra* ℣. 14 *sit* — Casulæ a fornice forma — Post longas habitura plicas, *cum fuerit scilicet* contracta *a* ministris.

Quia in Coronatione successoris Benedicti XI facta anno 1303, 27 *Octobris nonnihil mutatum fuit, et ipse Auctor eidem ut Cardinalis Diaconus interfuit, placuit ei hanc Prosam interponere, quam ecgraphum nostrum habet post versum* 185, *ego initio Capitis aptius referri puto : et quia in Pontificali Romano, quod ad totius Ecclesiæ Catholicæ usum typis Plantinianis excusum circumfertur, desunt ea quæ ad Ordinationem et Coronationem ipsius summi Pontificis pertinent, non gravatus sum etiam curioso talium rerum lectori Processionis Pontificiæ ordinem legendum exhibere, ex Pontificali Venetiis apud Junctas excuso anno* 1561 : *ubi fortassis etiam ipsi Romani haud pauca invenient, ab hodierna observatione diversa; sicut hic inveniuntur multa, antiquitus non observata.*

B *Pauca in hoc Capite correcta exhibeo.*

℣. 175 Ingenito, *lego*, Ingenti.
176 quadratus, *l.* phaleratus.
187 His putat, *l.* Disputat. 191 potuere, *l.* posuere.
193 Pontificis, *l.* Pontifici.
201 Et docet, *l.* Edocet.
240 textus, *l.* tectis.

CAPUT III.

Reliquæ dictæ Processionis et solennitatis ceremoniæ.

CAP. X Populo benedicens Pontifex,

Sic igitur vadens, redimitus tempora Regno,
Summus Apex, propriam signabat acumine dextræ
Devotamque sibi cupidamque invisere plebem;
Quæ laudes exclamat Hero, quæ et vivere longum
Optat. At incluso sibimet condicere Præsul
Posset, dum metuit summæ fastigia molis;

cogitando susceptum onus interne compungitur :

Causa laboris honos, timor intus, gloria pulsans
Deforis : ac thalamo sublimis in æthera Petri
Quisque præest, paveat; * vix tam sub turbine vita
Expedit. O quam orbis durum est disponere habenas!
Hæc dum Pastor agit; Senior Levita priorque,
C [*Et conjunctus ei Proto-camerarius, istic* a]
Effigies ubi sacra manet *b*, protractaque tandem
Cernitur, aspectu rutilans a numine divo
Effigies; vacuas gestantes pollice *c* ferlas
Diffusas repetunt acies, illasque recursant
Sæpius; et legem statuunt, ne forte vagentur
Immemores, redeantque sua consistere *d* scala.

CAP. XI pecunia in populum spargitur,

Hoc illi : verum populus *e* lustraverat Urbem
Arcubus, in morem veterem, qua tendere mos est,
Atque frequens Patrem currens stipabat euntem :
In quem jactus erat validæ *f* per cuncta monetæ.
Sive auri, seu forte nitens argentea stridat,
Consulibus quondam licuit dispergere passim
Quodque genus nummi, vetitum nunc temporis aurum
Jactari in vulgus : tenet hæc insignia Princeps.

hastiludia celebrantur :

Instaurat populus varios ad ludicra ludos,
Atque secans animos studia in contraria plebes
Pascitur obtutu. Juvenum pars pascitur amplas
Excerpsisse manu faleras, pars altera pubes
Infremit alispedum nudari vestibus *g* ancas,
Purpureasque dolet fronti decedere vittas :
Pars laudes, pars gliscit opes, pars ludere campo
Certat, et obliquas effringere cursibus hastas.
Pars stupet insuetas *h* senii succrescere pompas

D Spem præter : sic fracta dies, mirata vetustum
Tempus, ut extollat *i* compellitur invida præsens.

A. Jacobo Cardin. ex MSS. Pontifici occurrit gratulabundus, Clerus,

Occurrunt ad festa viri, vexilla ferentes
Ecclesiæ, de sorte *k* Dei * qui nomine Clerus
Dicitur, in partes varias redolentia thura
Obtulit : oblata *l* suscepit, sumptaque in ignes
Intulit, atque focis signatis pectore fumum
Accepit: psallente choro, dum flexilis unda
* Arrigitur fumi, spiratque vaporibus ignis.
Ecce super Tibrim positum de marmore Pontem
Transierat, provectus equo ; turrique relicta

CAP. XII item Judæorum turba Legem præferens :

De *m* Campo, Judæa canens, quæ cæcula *n* corda est,
Occurrit væsana Duci. Parione *o* sub ipso
Quæ Christo gravidam legem plenamque sub umbra
Exhibuit Moysi. Veneratus et ille figuram,
Hanc post terga dedit, cauto sermone locutus :
Ignotus Judæa Deus, tibi cognitus olim;
Qui quondam populus, nunc hostis; qui Deus et Rex
Obnubi patitur, præsentem temnere mavis,
Quem fragilem reputas hominem sperasque futurum ;
E Et latet ipse Deus. Gentes accedere norunt,
Tu fugis : in propria venientem pellere sæva

his ille suam exprobrat incredulitatem

Non metuis : roseum pro te pius ecce cruorem
Fudit humi, quem dira necas, et credere stulta
Detrectas : moritura ruis, quia nescia sensus:
Sed redeas, miserante Deo, dum Christus in ara,
Filius et verbum Patris, de Lumine Lumen,
Nostra salus, tensis manibus sub stipe pendet :
Tempus erit quo justa dabit, meritumque laboris
Judicio reddet, Judex super æthera vivus *p*.

CAP. XIII

Hos linquens, qua et Sacra *q* via est, qua templa coluntur
Marci, quaque ferox juvenisque Adrianus in armis *r*,
Romulei qua templa jacent, celsusque Colossus,
Quaque * pius colitur Clemens, qui dexter *s* eunti est,

et ad Lateranum pervenit :

Progrediens Princeps, Lateranum summus in orbe
Appulit; haud frigium, mitram sed vertice gestans,
Pondere confectus nimio. Tunc Cœtus ovantum
Ac si festa Patris caperent exordia, pompas
Ostentant, ludosque novant, clanguntque tubarum

ubi omnia ludis et plausu fervent :

Æra, repercusso laterum per concava statu.
At litui stridere vices, et cymbala strident :
Tympana congeminant sonitum, nec verbere tunsa
Discunt ferre gradum, tibi sed cornubia *t* substant
F Quæ digitis commota canis. Ciet ergo juventam
Cornipedumque animos extollit buccina clangens
In stadium : clypeos, hastas, vexilla, togasque,
Et faleras jam vulgus habet, velitantia jactu
Plaudentum, quasi fine dato currentibus armis.
At Lateranensis gaudens domus inclita templi
Concrepat in laudes, campanas solvit, et omnes
Concentu resonant; contusaque dura metalla
Fune tamen contracta tremunt. Sic templa per urbem

Ibidem ille post Laudes pecuniam distribuit :

Pone viam fecere Duci *v* Primusque Sacerdos
Cardineus, sacram Princeps dum tendit ad aulam,
Ut Levita prius cecinit, præconia, septus
Judicibus, declamat Hero, laudesque perorat
Olli *x*. Quin residens Silvestri in * limine Divi,
Munera divisim largitur *y* Cardine fultis,
Præsulibusque aliis, Clero, Laicisque Ministris
Summus Apex, humeros roseum vestitus amictum

CAP. XIV collocantur in sede Stercoraria :

Hæc ita, ne immemores videamur quærere fastus,
Ac humilem tempsisse domum, solennia Cleri
Pandimus : en Sedes capiens de stercore nomen
In platea est circa templum, despecta parumper

A

A. JACOBO C. ROIN. EX MSS.

Visa novis, quia fœda loco : qua maximus Heros
Hoc fortasse die recubans, ubi primitus illic
Non foret z adventu positus ; ter missile jactat
In populum, faturque docens ; Non aurea nobis,
Argentumque nitens vobis ad gaudia non sunt :
Quod tamen est, hoc prompta manus dispergere tentat α.

Inde ad porphyreticus traductus

Ergo potest, sine fraude, pie de stercore sumptus
Credi summa tenens, solium et de pulvere nactus
Principibus recolendus Apex, a Numine divo
Compositus Talique die perducitur inde
Ante fores Templi, binas ubi purpura Sedes
Porphyreas nativa tenet : super accubat illas,
Et dextra ferulam sanctæ Pater accipit ædis,
Sanctorum [et] claves, ad sacra palatia vectes
Insuper ; et læva positus, servanda redonat,
Illa viro : Zonaque Pater succingitur illic,
Ad quam purpurea bursa est appensa, lapillos
Bis senos referens pretiosos, sculpta sigilla,
Et muscum, quæ magna notant præsagia ; magna,
Si sensus gravitate suam cernatur β. Ab inde

nummos in populum spargit:

B

Poplite submisso, Papalis culmina tecti,
Imperiique * domum vigiles γ qui ex munere servant,
[*Ante pedes sternuntur Heri : quibus ore benigno*]
Susceptis, effusa manus ter spargere nummos
Inchoat, ac fatur : Justus dispersit abunde,
Pauperibusque dedit : manet hæc in secula secli
Justitiæ virtus δ. Post hæc sub imagine ε ductus,

traducitur ad Sancta Sanctorum ;

Quæ mare per liquidum nullo ductore sub Urbem
Pervenit, sublimis Apex ζ Laurentia templa
Ingreditur, quæ jure sibi meruere Capellæ
Præcipuum nomen, Cleri, populique relatu
Sancta Sanctorum, quid ni? Sandalia η Christi
Et caput ætherei Petri ϑ Paulique celebris,
Christiferæque crucis maculas ubi sanguine tersit
Et scelus humani generis Salvator et auctor,
Reliquiæque aliæ, celebri conduntur in * arca ι
Hac igitur coram lacrymas in pectore κ fudit
Dulcis amor pietasque viri, ceu credere fas est.

mensæ accumbit in Palatio,

Exurgensque iterum, modicam pausansque per horam
Discubuit thalamo Princeps, qua Regia sese
Protendit : magnique Duces tutusque Senatus,
Et Reges, Proceresque aliis discumbere mensis.

C

Quique suo sedere loco : fulgebat ab auro
Tecta domus. Reticere juvat velamina muri,
Et vestes, mensæque situs, fulgentia Bacchi

ministrantibus et Regibus.

Pocula, gemmatos Calices, et fercula; quonam
Ordine servitum est ; quemnam diademata λ Reges
Cum ferrent gessere modum : sedereque sacros
Inter Pontificum Levitarumque Priores,
Post primum exhibitum, tantis astantibus, aurum :
Utque Patres mensa surgentes fundere lymphas
Cœpissent, summoque Duci, sibimetque reversis
Ad mensas : iterum festumque μ reducere Patrem
Nos etiam sub clausa juvat fastigia tecto :
*Multus enim magnusque labor venturus adibit
Pontificem, vincetque malos, subdetque superbos.

CAP. XVI

Auctor absoluto opere

In longum defluxit iter, quod sumpsimus arcto
Scribere, dum placidos infert novitate labores
Res invisa prius : variat defixa futuris
Lux animi, quod nulla queat depromere certum,
Ni* teneant stabilem præsto firmata colorem
Sed satis est, si gesta quidem, si cognita vates

D

Exprimat : hinc celso residens sublimis Olympo,
Qui parvos regnare jubes, depressa superbis
Colla ligans, dirum jaculatus ab æthere telum ;

Deo gratias agit

Te petimus, succide metum (ne forte per agros
Effusis, non prompta quies, sed turbida sedes
Occurrat) carmenque velis succedere nostris
Temporibus. Nec nostra quidem, sed Gloria Divo
Ingenito, Genitoque simul præstetur, et almo
Spiritui, qui posse dedit, finemque laboris.
Amen.

ANNOTATA.

a *Versum hunc, qui ad complendum sensum exigebatur, de nostro adjecimus, conformiter eis quæ legimus in Pontificali, quod ad Priorem Diaconorum et Camerarium pertinet curare ut ordo Processionis servetur.*

b *Supra molem Adriani* qua transeundus ponte Tiberis est, erectam spectari effigiem Sancti Angeli, unde et arci et ponti jam vulgo nomen notissimum est : huc usque ergo cum processisset pompa, ad instaurandos ordines procurrerint Diaconorum Prior et Camerarius, quos dixi, prius quam illa pontem transire inciperet.* E

c Vacuas ferlas, .I. *ferulas puras, nulla cuspide præmunitas.*

d Scala, .I. *ordo cujusque.*

e Lustraverat, .I. *illustraverat, ornaverat.*

f Validæ per cuncta .I. *probæ, legitimæ,*

g Ancæ, .I. *coxendices seu clunes equorum.*

h Senii, .I. *Veteris temporis.*

i Extollat, .I. *elevet, contemnat.*

k Clerus *enim Græce, Latine* Sors *vertitur; unde nomen* Clericis, *Deo quasi in sortem et peculium proprium datis.*

l *Scilicet Pontifex : sed de hac ceremonia nihil Pontificale : unde nec definire licet, quo loco ea facta sit ; conjecture tamen possumus in ipsa area S. Petri, cum jam Pontifex inciperet progredi, id factum fuisse, idque a Clero ipsius Apostolicæ Basilicæ.*

m *Inter Ghettum (ita vicus Judæorum appellatur) et Parionem, ubi illi occurrerunt Pontifici, medius jacet Campus Martius, in quo pervetus turris instructa horologio, et nunc intra Piorum ædes comprehensa, ad quam illi convenerant obviam ituri.*

n Cæcula, *diminutivum a* Cæca, *cæcutiens.*

o *Parionis platea, uni ex* 14 *Urbis Regionibus nomen tribuens, ab area Montis Jordani (in quam a ponte venitur recta trapezitarum via, vulgo Bancorum) paulatim se laxans, pro basi habet ædes Ursinorum, ubi publicis dicteriis famosa informis Pasquini statua consistit.* F

p *Rem totam sic notat vetus Pontificale.* Cum Pontifex venerit ad Montem-Jordani, Judæi illi obviam veniunt, genuflexi Legem Pontifici offerunt, lingua Hæbraica legem laudant, et hortantur Pontificem ut illam veneretur. Pontifex vero illis auditis in hanc sententiam respondet : Sanctam Legem, viri Hebræi, et laudamus et veneramur, utpote quæ ab omnipotenti Deo per manus Moysi patribus vestris tradita est : observantiam vero vestram et vanam interpretationem damnamus atque improbamus, quia Salvatorem, quem adhuc frustra expectatis, Apostolica fides jam pridem advenisse docet et prædicat, D. N. Jesum Christum, qui cum Patre et Spiritu sancto vivit et regnat Deus, per omnia secula seculorum. Sed quia non numquam accidit ut Judæi populi multitudine opprimantur, solent aliquando obtinere pro eorum securitate, ut id faciant super antemurale arcis S. Angeli, in angulo, ad viam qua itur ad Palatium. *Dicunt autem qui viderunt offerre ipsos Legem, non descriptam in libris foliatim percurrendis*

A *rendis, sed in continuis unius membranæ voluminibus, antiquo veterum more, qualia etiam nonnulla videre est in Bibliotheca Vaticana.*

q *De* Sacra Via, *antiquis celeberrima, multa erudite disserit Alexander Donatus lib.* 2 *cap.* 12 *: ut autem ea hic sumitur, apparet ipsam ex parte esse quæ vulgo dicitur* il Corso, *et versus Lateranum flectenti pompæ offert se ad dextram, juxta ædes et palatium S. Marci.*

r *Circumito ex parte Capitolino monte, occurrit forum Romanum, nunc Campus Vaccinus : in eo consequenter ad sinistram ecclesia* S. Adriani, *qui pingi solet ut Miles, et SS. Cosmæ et Damiani, olim* Romuli (Romuleum *appellat Auctor ut versui serviat) atque* Colossæum *seu Amplitheatrum Titi, a Colosso Neronis juxta olim sito nuncupatum.*

s *A Colissæo in Lateranum via recta euntibus ecclesia* S. Clementis *nunc ad sinistram est : sed constat his posterioribus seculis multas vias cura Romanorum Pontificum plane mutatas esse.*

t Cornubia *quidem nomen est civitatis in Anglia, sed Auctor per quamdam allusionem eo est usus, aut quia Cornubiorum inventum esse credidit, tympanorum*
B *pulsum ad fistulam regere ; aut quia significatum voluit fistulam, non illam rectam instar tubi, quali utuntur Germani; sed cornu instar reflexam, quæ vulgo* Cornetta *appellatur.*

v *Pontificale vetus hic interponit sequentia.* Cum Pontifex ad ecclesiam Lateranensem pervenerit, descendit in porticum ecclesiæ, et a Canonicis illius honorifice paratis excipitur cum Cruce. Descendit Pontifex ex equo, et Prior Canonicorum Lateranensium offert Crucem osculandam Pontifici, quam Diaconus Cardinalis accipit, et ad Pontificis, cui prius Tiaram extraxit, os ponit. Osculata Cruce Pontifici ponitur Mitra, et Regnum datur in manibus Auditoris. *Tum sequitur de Sede stercorea, ut hic infra, et pergit Pontificale.* Pons ligneus recta linea, a porta ecclesiæ principali ad altare majus excitatur, cum pluteis hinc inde pectoribus tenus (altitudo circiter quinque pedum, latitudo sex aut septem) qui alteri ponti jungitur, simili modo constructo, a porta qua ascenditur per ecclesiam ad Sancta-Sanctorum venienti, quod fit, ut Pontifex a populi multitudine non opprimatur. Circa altare, a gradibus et supra, omnia circumcirca tabulis clausa esse debent, ut per pontem tantum capellam intrent. Præcedentibus igitur Canonicis et cantantibus te Deum laudamus, Pontifex cum Cardinalibus intrat eccle-
C siam ; et ante altare majus, supra faldistorium procumbens sine mitra, aliquantulum orat : deinde surgens, benedicit populo : inde cum mitra ascendens et sedens, recipit ad osculum pedis Canonicos Lateranenses. Deinde Pontifex per ipsum pontem adscendit ad palatium Lateranum, per portam quæ est in ecclesia. Et cum perventum fuerit in primam aulam, quæ aula Concilii appellatur, sedet Pontifex in sede sibi parata apud tabulam lapideam in capite aulæ, quæ dicitur Mensura Christi : et hinc inde apud eum stant Domini Cardinales.

x Prior vero Presbyterorum Cardinalium, stans ante Papam convenienti intervallo, cum Subdiaconis, Auditoribus, Advocatis, et Scriniariis, facit Laudes Domino nostro, ut fecerat Prior Diaconorum in S. Petro. Prior Presbyterorum et alii qui faciunt Laudes stant detecto capite ; Pontifex vero sedet cum mitra, alii Cardinales stant cum mitra. Hoc tamen fieri solebat in introitu ipsius portæ, in primo plano, antequam ad aulam prædictam veniatur : commode tamen in hunc locum translatus est hic actus, propter illius loci angustiam. Finitis laudibus Papa procedit ad capellam S. Silvestri. *Ea autem capella extra templum fuit, alio quam nunc loco.*

y *Hæc largitio vocatur* Presbyterium, *et in Pontificali præscribitur facienda post adita Sancta-Sanctorum hoc modo.* Inde surgens cum mitra revertitur ad capellam S. Silvestri, in quam intrans sedet super sedem ibi paratam. Tum deponit mitram, chirothecas, pallium, planetam, et assumit pluviale et mitram simplicem, et sedens dat Presbyterium hoc modo. Cardinalibus duos aureos et duos grossos argenteos. Veniunt Cardinales, et profunde caput inclinant ante Pontificem, porriguntque ei mitram apertam, in quam Pontifex immittit pecuniam : illi autem accepta pecunia manum Pontifici osculantur. Pecunias capit Pontifex in gremio Camerarii. Alii Prælati genuflectunt ante Pontificem, et accipiunt in mitra unum aureum et unum grossum, et osculantur dextrum genu Papæ. Alii vero Prælati et Officiales accipiunt in manu tantumdem, et osculantur pedem. D A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

z *Id est, nisi forte in primo suo ad Palatium Lateranense adventu, statim ab electione istic positus fuerit : quod enim moris fuerit Electos statim ad possessionem Palatii Lateranensis inducere, ex Anastasio notissimum est.*

α *Ceremoniam hanc ita explicat Pontificale,* Pontifex a Priore et Canonicis Lateranensibus ducitur ad marmoream Sedem ante portam principalem a sinistra stantem, quæ Stercoraria appellatur, et ibi eum sedere faciunt : qui ita tamen sedet, ut magis jacere videatur. Ad quem mox accedentes Cardinales elevant eum honorifice, dicentes : Suscitat de pulvere egenum, et de stercore elevat pauperem, ut sedeat cum Principibus et solium gloriæ teneat. Surgens Pontifex accipit de gremio Camerarii, sibi assistentis, quantum pugno potest complecti pecuniarum, ubi tamen nihil prorsus sit auri et argenti, spargit inter populum dicens, Argentum et aurum non est mihi, quod autem habeo hoc tibi do. E

β *De his ita Pontificale.* Finitis laudibus Papa procedit ad capellam S. Silvestri : ibi ante portam capellæ sunt duæ sedes porphyreticæ perforatæ, et ibi sedet Pontifex super primam. Ad quem Prior ecclesiæ Lateranensis accedit, et genuflexus dat Pontifici ferulam in manu, in signum correctionis et regiminis; et claves ipsius basilicæ ac palatii Lateranensis, in signum potestatis claudendi et aperiendi, ligandi et solvendi : *Ubi Poeta noster* vectes *Palatii a* clavibus *ecclesiæ videtur sejungere.* Surgit deinde Papa cum ferula et clavibus, et sedet in altera sede porphyretica ad aliam patem : et ibi restituit eidem Priori ferulam et claves : et ab eodem præcingitur super planetam, sedens, cum cingulo quodam sericeo rubro, cum bursa etiam sericea et rubra, in qua sunt duodecim lapides pretiosi cum musco : *quorum mysteria supra vidimus explicata a Centio Camerario.* F

γ *De his quia nihil habet Pontificale, et sensus imperfectus hærebat, ex conjectura supplemus versum deficientem.*

δ Tunc Pontifex præcinctus et sedens, e gremio Camerarii capit denarios argenteos omnifariam, quotquot potest manu continere, et super populum spargit dicens : Dispersit dedit pauperibus, justitia ejus manet in seculum seculi. Et hoc ter facit. In istis duabus sedibus Pontifex sedet ut in prima stercoraria : *an recumbens potius quam sedens? Ita videtur : alioqui enim id frustra hic adderetur.*

ε *Ea est imago Salvatoris, olim a Judæo percussa uti supra ex Centio legimus; et sub oculo dextro atque ad barbam adhuc servans vibices inde relictas, teste Raspano in descriptione Basilicæ Lateranensis : Sed de miraculosa ejus transvectione alibi nil legitur : dicitur autem et* ἀχειροποίητος, *et Salvatorem repræsentare ætate duodennem, ut fuse Pancirolius.*

A. JACOBO CARDIN. EX MSS

A ξ Oratorium S. Laurentii *idem quod* Sancta Sanctorum, *nunc una cum* Scalis sanctis *alio loco positum, olim palatio Lateranensi inhærebat.*

η Scandalia : *de iis alibi nihil inveni.*

ϑ Capita SS. Petri et Pauli *inde ad ipsam Basilicam Lateranensem postea transtulit Urbanus V an.* 1370, *uti rursum dicemus* 31 *Maji, ad Vitam B. Jacobi Veneti.*

ι Arca *hæc* cypressina *est, inquit Pancirolius*, multis seris clausa, intra se continens plurimas capsellas et lipsanothecas : *eamque ibi reposuit, qui locum instaurarat, Leo III.*

κ *Scilicet per internam compunctionem : non enim de externis lacrymis agit Auctor; et quia de internis nihil potest nisi ex præsumptione affirmari, prudenter addidit*, ut credere fas est. *Pontificale solum dicit, quod ductus Pontifex ad Sancta Sanctorum,* super faldistorium sine mitra genuflexus orat.

λ * Nam cum coronis aureis servierunt] *uterque scilicet Carolus, pater et filius.*

μ *Refertur hoc ad supra positum* reticere juvat.... festumque reducere : *interim ex Pontificali ritum hujus accubitus accipe.* Dato Presbyterio, *de quo supra ad versum* 333, Pontifex cum Cardinalibus ascendit B ad palatium Lateranense, et ducitur ad mensam solenniter paratam, et ibi sedet; Episcopo Ostiensi dante sibi aquam ad lavandum manus, duobus Diaconis tenentibus tobaleam : et eo loto, factaque benedictione mensæ, omnes sedent. Papa autem sedet solus in una mensa eminenti, diversis magnis vasis aureis et argenteis super eam positis. In mensa vero quæ est ad dexteram mensæ Papæ, sedent Episcopi, et post eos Presbyteri Cardinales : et in mensa quæ est ad sinistram Diaconi Cardinales : et ab utraque parte successive erunt mensæ omnium Prælatorum et aliorum Dominorum et magnorum Nobilium. Et stabit Papa, ut dictum est, indutus et calceatus, et mitram habebit in capite : Cardinales vero habebunt superpellicia cum camisiis et mantellis et mitris albis simplicibus, et ita comedent, et omnes Prælati similiter. Coram Papa serviant Laici majores et nobiliores, etiamsi essent Reges; coram Cardinalibus et aliis omnibus familiares eorum digniores. Comestione finita Papa lavabit manus ut prius, et quilibet Cardinalis similiter sedendo, serviente fundente sibi aquam. Cardinales autem qui assistunt teneant tobaleam, unus ex una parte et alius ex alia, et sic sibi invicem mutuo serviant : quibus omnibus lotis C surgunt, et gratias agunt Deo. Deinde Papa a duobus Cardinalibus reducitur ad cameram, ubi sacris vestibus exutus et discalceatus, quiescit : Cardinales autem et Prælati redeunt ad hospitia sua, æque cum mitris, sicut in comestione steterunt.

Hactenus Pontificale, circa quæ multa hodie mutata esse oportet, tum aliis de causis, tum quia ab illo tempore omnia fere ædificia sacra et profana circa Lateranensem basilicam (quorum ichnographiam licebit apud Rasponum videre) mutata sunt : eorumque loco nunc nihil stat nisi palatium, a Sixto V post hujus Pontificalis editionem ædificatum, ante annos circiter centum, cum Sanctis Sanctorum etiam novis.

Mutata à nobis correctionis causa in textu hæc sunt.

℣. 249 victam, *lego*, vix tam. 278 quo, *l.* qui.
283 Argenti fumis, *l.* Arrigitur fumi.
309 prius, *l.* pius.
332 lumina doctus, *l.* limine divi.
338 sednes, *l.* sedes. 361 domus, *l.* domum.
375 ara, *l.* arca. 394 Magnus, *l.* multus.
400 timeant, *l.* teneant. 405 cœlum, *l.* telum.
406 pompa, *l.* prompta.

D

EJUSDEM S. GEORGII CARD.

De Canonizatione S. Cœlestini Libri tres.

PRÆFATIUNCULA.

Jam dudum hujus operis Auctor de religioso ac sanctitatis eximiæ viro, Fratre Petro de Murrone Eremita, dum adhuc corporales carperet auras, quoddam metricum solenne opus perfecerat, quod in tres libros seriosius est distinctum; continens ejus ad Papatum electionem, assumptionem, et vitam; ejus in Papatu gubernationem et regimen; ac ipsius miram et insolitam Papatus et summi fastigii cessionem. Putabat siquidem in iis, quantum ad ea quæ præfatum Fratrem Petrum videbantur contingere, finem assumpto imposuisse negotio. Sed humana præcedens divini altitudo consilii, cognita Sancti merita longe excellentiore fine composuit : nam et eum polo cœlestibus collocavit agminibus, et terris Canonizatione celebri per Ecclesiæ ministerium colendum induxit, quibus et gloriosior metrico labori E meta daretur. Profecto anno Domini millesimo trecentesimo decimo tertio, tertio nonas Maji, per Clementem Papam quintum, Pontificatus ejus anno octavo, Avenione existentem, examinatione ac deliberatione præhabitis, ejus exigentibus meritis, dictus Frater Petrus Sanctorum catalogo celebriter est adscriptus; a cessione Papatus ejusdem Fratris Petri decimo nono, obitus vero ipsius anno [decimo tertio.] Hæc Auctor diligenti meditatione revolvens, et divinæ Majestatis convenire præconiis, et Sancti meritorum congruere laudibus, nec non propriæ devotioni correspondere proprie satis æstimans, ut rursus eumdem nunc almificum Confessorem versibus præcinat, præfatam Canonizationem, gestorum servata fide, hoc opere metri florida modulatione depromit, quod in tres libros absolvit. Primo namque eorum in ejusdem Fratris Petri, quondam Cœlestini, Papatus cessione, et Bonifacii Octavi assumptione, ubi antiquum opus finierat, reassumens; prosequitur, qualiter pro animi sui quiete, ac Ecclesiæ tranquillitate, vir sanctus ad remotas regiones properabat accedere; qualiter inventus, nolens ducitur; qualiter, et quanta idem a Bonifacio benignitate susceptus, et sedulitate exhibitus; qualiter autem pie, et sancte, Castro-fumonis in Campania sito, migravit vir ille sanctus ad Dominum : ac insuper qualiter Ferentini, in quodam sui Ordinis Cœnobio, decenter, religiose, et honorifice fuerit ecclesiastica sepultura reconditus. F Et quia Narrationis ordo continuationem requirebat historiæ, de ipsius Bonifacii Papæ VIII obitu, ac Benedicti Papæ Undecimi ad Papatum assumptione, ipsiusque defunctione Perusii, ac vacatione ibidem post obitum succincte percurrit; nec non demum de Papæ Clementis V ad Papatum promotione (qui Archiepiscopus Burdegalensis existens, absens in Burdegalensi Provincia, electus tamen Perusii, Collegium ad partes Gallicanas accivit; quique Fratrem Petrum Sanctorum catalogo adscribi decreverat) opportunam interserit mentionem. Secundo autem horum libro, inquisitionis vitæ et miraculorum remissionem, ejusque discussionem, approbationem, definitionem, seu Viri sancti Canonizationem, illiusque celebria, ritusque vetustos, magnaque maturitate digestos (tamquam qui prædictis interfuit, et ut Cardinalis Levita ministravit in illis) faceto, veridico, rhetoricoque sermone prosequitur. Tertio vero libro, miraculorum ejusdem sancti Viri narrationem, tam floride, quam vere retexens; et si ejusdem sancti Vitæ meminerit, eam nunc tamquam in præcedenti opere prolixe prosecutus, nequaquam in formulas exarat;

Qui se olim finivisse opus putabat,

celebrata ejus Canonizatione

novum aggreditur,

divisum in tres libros, quarum primo obitus et sepultura,

cum successione Bonifacii, Benedicti atque Clementis,

2 *Canonizatio*

3 *Miracula explicantur.*

A exarat; sed se illam venusto et fideli metro scriptitasse congaudet. Ac denique ad se Auctor humiliter rediens, beneficia totis sibi tribus operibus collata a Deo, ejusdem sancti Petri meritis, ne supra se inaniter efferatur, recognoscit; et ad cœleste consortium, in illo Regis Regum Christi exuberanti æternoque convivio epulaturum, una cum Confessore almifico, se obnixe postulat introduci. Sed ut prædicta limpidius clareant, ipsorum trium librorum Capitula subnectuntur.

CAPITULA LIBRI I.

Continuatio hujus operis ad finem alterius, quod idem fecerat de Fr. Petro. Cap. 1.

Quomodo cum Papa Bonifacius Neapoli post renuntiationem Fr. Petri de Murrone electus in Papam, vellet eum secum ducere, idem Frater occulte fugit. Cap. 2.

De Coronatione et Consecratione Papæ Bonifacii Romæ, ad continuationem operis succincte narrata. Cap. 3.

B Quomodo Fr. Petrus non fuit inventus in Cella supra Sulmonem, sed in littore Vestæ Civitatis. Cap. 4.

Quomodo Fr. Petrus, inventus Vestæ, deducitur ad Papam Bonifacium Anagniam, et tandem positus est in Rocca-Fumoni in Campania. Cap. 5.

De obitu Fratris Petri de Murrone. Cap. 6.

Miraculum de Cruce, quæ apparuit in ejus morte. Cap. 7.

De sepultura ejus Ferentini, et exequiis. Cap. 8.

Quomodo tempore Bonifacii Federicus de domo Aragoniæ et Siculi ex una parte, et Rex Siciliæ scilicet Carolus secundus de alia, ad pacem venerunt: et de factis quibusdam parentelis inter prædictum Regem Siciliæ et Federicum. Cap. 9.

De Indulgentia omnium peccatorum, concessa Basilicis Apostolorum Petri et Pauli quolibet centesimo per Papam Bonifacium. Cap. 10.

De captione Papæ Bonifacii Anagniæ, et ejus liberatione tertia die. Cap. 11.

De Creatione Benedicti Papæ Undecimi, qui statim mortuo Papa Bonifacio infra decem dies fuit electus Romæ. Cap. 12.

De Creatione Archiepiscopi Burdegalensis in Papam, qui dictus est Clemens Quintus. Cap. 13.

C De Obitu Domini Matthæi Rubei Cardinalis Perusii, et ejus Epitaphio: cujus Corpus nono anno post suum obitum delatum est Romam, et inventum est integrum: qui fuit avunculus Auctoris operis. Cap. 14.

De Coronatione Papæ Clementis Quinti Lugduni, Rege Francorum præsente, et casu qui accidit in ea. Cap. 15.

Quomodo Clemens Papa, stans Lugduni, commisit inquiri de Vita et miraculis Fr. Petri de Murrone, Rege Francorum hoc supplicante. Cap. 6.

CAPITULA LIBRI II,

De remissione inquisitionis, quam tempore Domini Clementis quinti miserunt Commissarii, super vita et miraculis Fr. Petri, et ejus examinatione per ipsum Papam et Cardinales. Cap. 1.

De pronuntiatione Papæ, primo in secreto cum Collegio, super vita sancta Fr. Petri et probatis miraculis, quod esset colendus ut sanctus Confessor. Cap. 2.

De convocatione Prælatorum in aula, et oratione Papæ Clementis ad eos, cum ipsis exposuit vitam Fr. Petri sanctam, probatam, et miracula; et re- D sponsione Prælatorum, et verbis postmodum dictis per Papam. Cap. 3.

A JACOBO CARDIN. EX MSS.

De die, qua Papa Clemens Quintus ivit, ad Ecclesiam Avenionis, ut canonizaret Fr. Petrum; et pluviæ quæ [cecidit] miraculose ea die, cum esset æstus intensus; et descriptione tam accessus Papæ, quam Ecclesiæ, quam etiam luminarium in ea. Cap. 4.

Descriptio mitræ et paramentorum Papæ, et Cardinalium et aliorum Prælatorum; ac pulchra oratio Papæ Clementis in Canonizatione Fr. Petri, cum quibusdam ceremoniis. Cap. 5.

Quomodo et quibus verbis Papa pronuntiavit Canonizationem S. Petri de Murrone, invocando Dominum et Sanctos. Cap. 6.

Verba ipsius pronuntiationis, et Indulgentiæ datæ in ipsa. Cap. 7.

Quomodo facta Canonizatione Papa Clemens incepit Te Deum laudamus, et de quibusdam Ceremoniis ibi servatis. Cap. 8.

Quomodo Papa Clemens celebravit Missam ad honorem Dei de S. Petro de Murrone, sicut de uno Confessore, et de reditu singulorum ad domos. Cap. 9. E

CAPITULA LIBRI III.

Procemium in miracula S. Petri de Murrone Eremitæ. Cap. 1.

De miraculis ante Papatum: et primo de miraculo feminæ, quæ visum recuperavit. Cap. 2.

De miraculo curati a mania vel furore. Cap. 3.

De miraculo puellæ, curatæ a fistula pedis. Cap. 4.

De Miraculo mulieris, curatæ ab hectica. Cap. 5.

De miraculo curati a scrofula. Cap. 6.

De miraculis factis in Papatu: et primo de miraculo mulieris contractæ liberatæ. Cap. 7.

De miraculo feminæ, ex infirmitate factæ croceæ, curatæ. Cap. 8.

De miraculis factis post renuntiationem: et primo de eo, qui recuperavit visum. Cap. 9.

De miraculo Crucis, quæ apparuit in ejus morte, de qua supra facta est mentio. Cap. 10.

De miraculis post mortem: et primo de paralytico curato. Cap. 11.

De eo, qui nec stare, nec ambulare poterat, curato. Cap. 12. F

De duabus mulieribus contractis, miraculo curatis. Cap. 13.

Incipiunt Miracula, quæ non fuerunt posita in littera Clementis Papæ Canonizationis, et primo continuatio dicendorum ad dicta. Cap. 14.

Miraculum pulchrum de saltu rupis. Cap. 15.

De miraculo pulcherrimo Angeli, in specie militis apparentis. Cap. 16.

De Spiritu prophetiæ, quem ante, et post Papatum habuit. Cap. 17.

Quomodo omnia peccata sua fuit confessus Bonifacio post renuntiationem suam. Cap. 18.

Brevis, sed rhetorica, et quasi totius vitæ S. Petri et morum commendatio, ubi Auctor loquitur. Cap. 19.

Miraculum seu mirabile donum concessum Auctori in versificando, dum præsens Canonizationis opus describeret. Cap. 20.

Finis operis, in quo Auctor narrat mirum et improvisum totius operis processum, et finem, et gratias Deo et Sancto agit, petens Sancti juvari meritis. Cap. 21.

Præmittit itaque Auctor narrationi Proœmium, quod, ad Sanctum veluti Cœlo præsentem audientemque sermone directo, quadrifariam dividit. Primo namque

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

A namque Sanctum metrici operis, jam pridem de vivente ab ipso Auctore compositi, memorare; secundo sui Canonizationem eumdem jubere describere; tertio se ipsum Auctor tantis describendis imparem fore; ac demum quarto Canonizationis insigne se jussum, Sancti fultum præsidio, aggressum denuntiat. Denique ejusdem Sancti patrocinium flagitans, juvaminis ejus præsidio operis finem se consecutum sperat; ut sic aureo opus fine diluceat, quod seminis præjacti principio latuit, quodque medio herbeo colore concreverat viridante: quo fit ut totius summæ alludatur exordio, ubi dictum extiterat.

Jactatum crescere semen efficiat,
Herbamque novam dilucidet aurum.

LIBER PRIMUS

De gestis a cessione Petri usque ad Canonizationem.

Propositio

Jam Cœli-convexa tenens, sidusque supernis
Sedibus admissum, memoras, narrasse profundum
Et *a* mirum texisse metrum, dum terrea mentem
B Celabat *b* natura tuam, dum fervida seclo
Diva fides, spes diva foret, dumque ignea tecum
Est virtus *c* mansura tibi: at nunc prodere mundo
Summa jubes, recolente Pater, * prædulcibus auris
Dum frueris. Licet ergo parem me haud talibus ausis
Nec dubitem, tentabo tamen, munimine tanti

et invocatio.

Fisus, ut aggrediar repetentem claustra Monarcha,
Te rursus laudare Patrem, jam morte repostum
Sideribus, scriptumque Polo. Tu respice nostros
Affectus, illosque juva *t*: tua proderit umbra,
Ut rutilet flavum producti seminis aurum.

CAP. I *Post Cœlestini cessionem*

Cesserat æthereis, cœlo pascendus et astris,
Exigui deserta loci secreta reposcens,
(Ut pedibus subfixa Dei mens inclita dulces
Limpidius gustaret aquas, ignara laboris
* Curis solicitæ Marthæ, comitata sororem)
Cœlestinus Apex; cunctis mirandus, et orbis
Insolitus *d* temptor; cautus tamen ipse recusat,
Ingenii *e* metitus opes, cum pascua dudum
Florida virgultis melius *f* sibi cognita poscit.
At summum sortitus erat Bonifacius inde

CAP. II *Papa factus Bonifacius,*

Culmen Apostolicum, celebri provectus honore
C Assensuque Patrum, sacram et sacrandus ad Urbem
Accelerabat iter; monitis hunc ducere tentans,
Quem purum sanctumque putat. Sed callida purum
Ne capiat fraus docta timens, successibus *g* ardens
Efficitur: nam mane volens discedere Præsul
Parthenope, petiisse fugam præcedere jussum
Comperit. En Senior, titubans discrimina secli
Et rursum violare specum, sub nocte quietos

illo clam digresso

Fallit et immersos somno, sociosque labori
Custodesve sui, magnis anfractibus actus:
Et secum comitante uno, qui dogmate Patris
Atque animi virtute viget, roburque *h* juventæ
Cinctus erat, celebris tendebat ad ardua cellæ
Sulmonis, remeare putans solitisque potiri.
Sic dulces modulata sonos sub carcere docta
Picta *i* avis, invasa jaculis, ubi libera Cœlo est,
Remigat in caveam: res mira videntibus hæc est,
Sed Præsul procedit iter, solersque per omnes

CAP. III *Romæ coronatur:*

Nuntia transmittit caute *k* celatque recessus,
Quodve velit * durum: primamque ingressus in Urbem
Pontificum sublime opus, ac liquidare peruncto
Chrismate cervicem, Regni diademate pressam,
Et veteres ritusque sacros Romanaque complet
Festa, per effusam Clero plaudentia Romam. D

CAP. IV *Cœlestinus solicite perquisitus,*

Interea vigiles noscunt, discursibus apti,
Ad cellam redire virum, clausumque requirunt
Illic: nec licuit tantum comprendere Patrem,
Seu aberat, seu tectus erat, seu mira paventem
Gratia velati, veluti devotio Fratrum
Certa tenet. Tandem multo defessa labore
Solicitudo, vagum discit sub littore *l* Vestæ
Hunc fore, diffisum pelago: nam sanctior ille
Murro senex tacitos properabat adire recessus,
Occultasque plagas, Græcamque invisere terram;
Ut lateat, sibimetque vacet, caveatque, futuris
Schismatibus ne causa foret tantisque periclis.

et frustra mare conatus trajicere.

Sed mare silvestrem *m* fugiens cœlumque perosum,
Ipsiusque Dei parens obtutibus, almum
Ter reicit, ter fucit humo, ter * turbine venti
Dispulit, et siccis navim detrusit arenis.
Qua nautæ novitate stupent, mirantur, et hærent
Inspiciuntque Patrem: quis sit, quo tendat, et unde
Digressus rogitant. Quid ni? Miracula terrent,
Et facies veneranda senis, suffultaque barba,
Florida canities, vestis villosa, relucens
Simplicitas indocta plicas, vulgataque fama E
Cedentem latitare Patrem, Regisque sonorum
Edictum; quibus exciti condiscere tentant,
Conjiciuntque hunc esse Petrum, clausimque revelant
Sed quis tanta queat, tantumque obducere nomen?
Indubie viget igniculus sensimque patescit,

Vestæ agnoscitur et honoratur:

* Plebisque arrectos trahit ad spectacula vultus.
Undique visendi causa concurritur, et qua
Perrecturus erat subsistunt, huncque verentes
Inclinant flectuntque genu, velluntque pilosum
Quadrupedem sessoris equum, ac asinumque *n* rudentem,
Præciduntque togam; morum fiducia tanta est.
Nam justi meritis tergi sua crimina vulgus
Sperat, et incolumes reddi languoribus ægros,

CAP. V *persuasusque redire ad Bonifacium*

Sic * fugiens mundum, munde reducitur. O quam
Mundi crescit honos, laudisque insignia clarent,
Dum redit ad caulam, * lactis dum congerit urnam,
Pastoremque *o* sequi mavult, ubi dulcia sumpsit
Pascua, montanis Murro nutritus in herbis,
Solaturque suo desertos dogmate Fratres.

CAP. VI *ab eo benevole excipitur,*

Hic *p* humilem comitans, vallatuque undique turmis
F Adscitisque aliis clara virtute modestis,
Quos sublimis Apex Bonifacius atque secundus
Rex Carolus misere illi, deduxit euntem
Murronem, grate susceptum, plurima * dando
Si cuperet. Primaque domo formosius apta
Collocat hunc Præsul, blandeque amplectitur Almum,
Alloquiturque senem placidis sermonibus Heros:
In tantumque pium movet, ut consistere promptus
Arce velit Castri Fumonis (sicque resedit)
Quæ vehitur celso sublimis ad æthera colle,

et in arcem Fumonis ductus

Non facilis gressu, nec bello pervia et armis:
Sic munita situ est: inibique fluenter [eidem]
Exhibitis sociisque datis, sed cœlica spirans
Parce usus, parceque * cibis, morem usque priorem

CAP. VI *ibidem febri moritur,*

Observare studet, memorans in pectore cœlum.
Jamque aderat tempus, quos sors humana senectam
Expeteret, cœlumque senex, patriamque manentem
Advena, contemptor mundi, civesque superni
Concivem, servumque Deus, sua præmia præstans
E merito, gemmis crasso vernantibus auro
Serta caput cingi *q*. Siccis humoribus ardens
Febris adest, stimulatque senem, sacrisque potitum
Exhalare

A Exhalare piam cogit ad sidera mentem.
O felix! Papale decus supremaque calcans
Quæque, supergressus vincensque per omnia luxum,
cruce super cellam apparente, CAP. VII
Ingrederis cœleste solum, terrasque supernis
Commutas, fineque probas te attingere palmam.
Cujus in abscessu, * rutilanti in lumine * parvis,
Crux micat * in tignis. Visa est vertigine versa;
Parva tamen, quia parvus erat, nam mente subextans
Ut magis eniteat; jussisque in singula subdi,
Huncque cruci fixum mundo, mundumque vicissim
* Huic doceat, memoremque crucis memoremque laborum *s*.
Inde Ferentinum delatum corpus, honesto
CAP. VIII *et prope Ferentinum sepelitur.*
Ingeritur tumulo manibus sub dogmate Fratrum.
Inque loco * stanti digne solenniter actis
Exequiis, dum Cardo præest a Præsule missus;
Et, Celebrem, sublimis Apex Bonifacius Heros
Missam *t*, doctus ait Romæ. Reverentia, quid ni?
Promeruit Patris: quondam diademate fulsit
Papali, mirusque fuit virtutibus orbi.
B Post hæc grata suis succedunt secula votis
CAP. IX *Bonifacius Aragoniis reconciliatur,*
Et redeunt proni, submotis nisibus illi,
Aggressi Siculas longo jam tempore terras,
Aragones *v*; vallantque piam dulcedine pacem
Conjugiis, pelagi bellorum turbida passi
Fluctibus; et rident magno huic agitata per orbem
Pontifici, ac variis replentur tempora miris.
Quorum uno celebri fama, seclisque salubri
CAP. X
Centeno largitur opes, ceu carmina dudum
Nostra *x* canunt, reseratque prosæ diffusio * nostræ;
Jubilæum celebrat,
Discite centeno detergi crimina Phœbo;
Discite, si latebras scabrosi criminis ora
Depromant contrita sinu, dum circulus anni
Gyrat, perque dies quindenos extet, et urbis
Incola tricenos, delubra patentia Patrum
Ætherei Petri Pauli quoque gentibus almi
Doctoris subeant, ubi congerit urna sepultos.
Multa facit, multosque juvat multique gravatos
CAP. XI *Anagniæ proditus a suis*
Se reputant. Nonus *y* dum sic elabitur annus,
Heu! gravis alluvies, funesta et morbida, nostris
Nec seclis audita lues prorumpit, et audens
Ingruit. En capitur residens sublimis in alta
Sede Petri, summa Christique Vicarius Urbe,
et ab inimicis captus,
Urbe sua, tectisque suis, manibusque suorum,
C Quaque satus, raptis congestis undique gazis.
Qui scelerum auctores, quæ *z* causa est, * quidve α repensum
Quid loquimur? Radiante die trinaque labante,
Irruit in stolidos plebs docta furentibus armis:
Hos cerebro, quosdamque manu, quosdamque recisis
Naribus evertit: capitur qui maximus horum β
ac tertio die liberatus a populo
Extiterat; summusque Pater, jam carcere liber,
Protinus hunc solvit; rediens festinus in almam
Urbem, quippe sacram, mire circumdatus orbe
Romamque gloriose reversus,
Vallatusque armis. O mira potentia, tantis
Enodata malis! Numquam sic glorius armis,
Sic festus susceptus ea, Cleroque decorus
Insignisve fuit γ...........
Prima Patrem Sedes Laterani suscipit, inde
Ætherei Petri, cujus miracula seclo
Clara patent; siquidem primum defendere servum
Tutarique Patrem curæ est, devotius illi
Obnixum: tumuloque suo procumbere δ templo
Claviger imperitat. Pauco nam tempore fluxo
moritur sepeliturque ad S. Petrum,
Decursoque die, lecto prostratus anhelus
Procubuit: fassusque fidem, veramque professus
Romanæ Ecclesiæ, Christo tunc redditur almus
Spiritus, et sævi nescit jam Judicis iram ϵ,

Sed mitem placidamque Patris, ceu credere fas est. D
A. JV OBO CARDIN. EX MSS.
Roma novis concussa tremit, sævumque minatur
* Martis opus, ceptas ζ timor est prorumpere flammas
CAP. XII *et mox sufficitur Benedictus:*
Et clarere palam, stipulas seu conditus ignis
Incendit facilis; Christi at clementia tantis
Occurrit, lymphasque jacit. Benedictus eodem
Tempore η suscipitur, vir clarus: cumque Coronam
Cœpisset Frigiique decus dum curreret annus,
[*Eripitur nostro Nonis Quintilibus orbi*]
Et Sedes Romana vacat, Perusina per alta.
Undenusque fluens magno sub turbine mensis
Bertrandum θ elegit, cujus nec tempora nobis
CAP. XIII *et hunc Clemens absens in Gallia:*
Prodere dat volitum, dictum cognomine del Got.
Unum flere libet: nono jam præfuit anno
Urbe procul, gradibus Roma provectus ab ipsa.
Germanusque suus ι, qui Lugdunensis et inde
Cardo fuit Romanus Apex, de stipite Vasco,
Clemens dictus erat, distansque ad culmina vectus.
quo Cardinales ad se vocante
Quo Cœtum mandante Alpes transire, vel omnem,
Vel partem; Levita Prior κ, procedere promptus,
E
Decubuit moriens, toto præsente Senatu
Exequiis, laus digna viro: memorandaque pandam
Ipsius, sermone λ brevi si hunc claudere metro est.
moritur Matthæus Card. Rubeus
Si pietas, si recta fides, si candida quemquam
Ornavit titulis Clero laudanda venustas,
Te tulit ante Patrem; tecum puerilibus annis
Concrevit, cunctosque tibi virtutis amictus
Induit. En fortem monstrant adversa, modestum
Prospera, prudentem finis, mensura refertum;
Devotumque Deo lacrymæ, justumque fatentur
Munda manus, sincerus amor, zelusque calescens
Ecclesiæ; quamque esse caput, quamque esse magistram
Credideras, servasque fidem: nam Cardine vexit
Te juvenem, te natum Ursa, teque Urbe coruscum,
Pollentemque genus: multis ornatis, et ornas
Eloquium sermone gravi, fervesque disertus
Ingenio studioque simul, quo doctus utroque
Efficeris: merito magnos conscendis honores
Magnus, et his aucto fulget sub nomine virtus.
Fulget et Ursa domus, dum sis Livita Mathæe,
Perusiique sepultus
Cui Rubei cognomen erat Cardoque juventa;
Et senio confractus abis, pandisque futuris
Te moriente mori. Non sic datur omnibus unum
Vivere, quo cauti vigilemus, et inscia sortis
Atque horæ, mens ipsa vacet rogitare salutem:
Quam te promeritum miseratio pauperis effert,
Quæque sacro μ Elistæa dedit, corpusque refossum
nono post anno refertur Romam incorruptus.
Illæsum mirata, tuam reffudit in Urbem,
Membra genis, unguesque manu, firmosque capillos
Vertice, quosque ν artus nono ξ redolentia Phœbo,
Quæ stabili allusere animo niveoque pudori.
Convenere Patres trans Alpes, parteque in ipsa
Qua fluit in Rhodanum pallens mitisque Saona,
Lugdunumque suo reddunt munimine septum.
CAP. XV *Clemens Lugduni coronatur.*
Hic fræni diadema ferens, * dextratur o habenis
Francorum a Rege illustri: signumque verendum
Occurrit, diadema cadens π: nam pressus in arcto est
Atque * ruinosi cecidit sub pondere muri,
Oppressique fuere ρ alii, dum fræna tenerent
Magnanimes. Quid tanta velint, disquirere vanum est
Auguriis, novitque Deus monstrare futurum.
CAP. XVI
Hoc ς residens, Rex grande τ movet sumpsitque verenter
Summus Apex, veneranda Petri committere gesta
Inquirenda procul, Patribus suadentibus unum

A. JACOBO. CARDIN EX MSS. *et causam Fr. Petri examinandum suscipit.*

A 245 Illud idem. Variis consistimus inde sub oris,
Oceani pelago confinibus; ante Coronam
Burdegalis ν. * positi Pictavis φ, flumine parvo
Ambita; Rhodani plenum * mox cernimus alveum,
Avenione siti; sacrum recipitque Vienna
Concilium χ octavi mensis; paulumque moramur
Avenione ψ iterum. Datur illic debita nostro
Gloria, diffuse quam nobis texere voti est.

ANNOTATA.

a Mirum, * non ratione metri seu styli, quia hæc esset vana: sed ratione materiæ, quæ fuit mira: sicut electio ejus qui fuit Eremita, et renuntiatio Papatus.]

b * Bene dicit, terrea natura: unde in Job, qui habitant domos luteas et terrenum habent fundamentum.]

c *Caritas, quæ sola manet in cœlo, cessantibus Fide et Spe.*

d * Nam pauci sunt similes, qui Papatui renuntiarent.]

e * Quia non erat tantæ capacitatis, ut fuisset expediens.]

B f * Et magis habebat notam in eremo vitam contemplativam].

g Successibus, *scilicet improvisis et inexpectatis,* ardens .i. *æstuans præ solicitudine; nisi malis legere* Secessibus.

h * Nam erat juvenis socius quem secum assumpsit.]

i *Psittacum intelligit.*

k * Ad quærendum Fr. Petrum: non enim manifestabat Bonifacius; *quod scilicet Petrum vellet apud se custodire.*

l Vestiam *passim alii nominant, uti etiam hodie dicitur: sed affectatione quadam veteris etymi, quasi a* Vesta *Dea sumpti, videtur Auctor* Vestam *dicere.*

m *Id est, Eremitam, luci publicæ subducere se cupientem.*

n *Excusat auctor* superabundanter *addi,* que:

o * Papam Bonifacium.] *Laudat ergo Petrum Auctor, quod post regustatas eremi delicias, secutus sit Pastorem inde avocantem.*

p Hic, *scilicet,* mundi honor.

q *Hemistichia duo* frangi perfectius Austris, seque Deo gelidum *hic inter currebant: qua quia nullum faciebant sensum, et hic videbatur absque illis clarus;* C *malui ipsa loco eximere, quam in iis fatigare me lectoremque.*

r * Alias Finisque probat, sine licentia] *Ita auctor in margine, alibi minime scrupulosus, quare hic retinui quod erat liquidius.*

s *Hunc versum, loco non suo descriptum reperi, ante ultimum versum Capitis* 8.

t *Rem clarius explicat titulus, in margine positus, diversus ab eo qui supra notatur in principio his verbis:* Quomodo Bonifacius Papa, audita ejus morte, celebravit Missam pro eo: *quod alius nemo annotare curavit.*

u *Scilicet Fredericus Arragonius, regnum Trinacriæ ab Ecclesia se tenere professus, et Carolo Regi Siciliæ cis Pharum, id est Neapolitani Regni, pace inita reconciliatus anno* 1303.

x * Nostra scilicet Carmina quæ sequuntur: Discite etc. posita in centesimo seu Jubilæo, libro facto per auctorem hujus operis.

y Anno 1303 in Vigilia Nativitatis B. Mariæ, dum Bonifacius in patrio solo, et civitate propriæ originis suæ, cum sua Curia resideret, ubi tutus esse amplius merito crederetur, in gente sua et populo et natione, ibidem, consciis aliquibus domesticis suis, proditus fuit. *Ita Bernardus Guidonis apud Raynaldum num.* 41; *addens, quod ejus* captionis et D sceleris vexillifer fuit Guilielmus de Nogareto de S. Felice, diœcesis Tholosanæ, complicibus et consentaneis Columnensibus, ex quibus duos olim decapellaverat Cardinales, *scilicet Jacobum et Petrum supra sæpe nominatos, postquam illi, ut ait Ptolomæus Lucensis, ad an.* 1297, occasione Stephani de Columna, qui thesaurum Papæ fuerat deprædatus, famosam contra eum libellum sparserant, asserentes ipsum non esse Papam, sed solum Cœlestinum: unde citati quod comparerent factique contumaces, in consistorio publico, tamquam schismatici et hæretici deputati, capellis rubeis Cardinalatus privati, bona etiam ipsorum, et filiorum D. Joannis, videlicet Agapiti, Stephani, et Sciarræ, fuerunt confiscata etc. *Fuerunt illi postea, in gratiam Regis, a Clemente V restituti loco suo.*

z *Causa fuit, discordiæ inter Bonifacium et Philippum Pulchrum Regem Franciæ, quem ille gravibus perstrinxerat sententiis, graviora etiam meditans: quare* Guilielmus, qui *(ut S. Antoninus ait)* pro Rege Franciæ tractatum duxerat capturæ Pontificis, minatus est, quod ligatum ipsum duceret Lugdunum, ut in generali Concilio solenniter deponeretur. *Sed et hunc* E *insigniter confudit Bonifacius, et intrepidum se hoc in casu ostendit, habitum omnem Pontificium indutus, itaque præstolans quid de se ferocientes statuerent.*

α *Intelligo vindictam secutam; videturque spectari mors infelix Phippi, anno* 1314 *obita in venatione: cui post hæc scripta accessit infelicitas trium filiorum, consequenter Regum, qui omnes absque liberis obierunt ante annum* 1329, *regno in Valesios transeunte. Anagnina quoque civitas ex eo tempore fere ad nihilum decidit, uti pulcherrime describit Papyrus Massonius in Bonifacio VIII; addens quod cives id agnoscentes Clementem VII exorarint, ut, misso ad se Episcopo populum ab illa majorum noxa eatenus inexpiata liberaret, sicut et factum est an.* 1524.

β *An Guilielmus? an vero Sciarra? De hoc solum Antoninus ait, quod urbe* cum complicibus ejectus *fuerit,* pluribus ex eis captis et aliis occisis.

γ *Alterum hemistichium,* cunctos ubi ferrea texunt, *omisi, quia sensum non habet, donec vera lectio inveniatur.*

δ *Id est, in eodem templo sibi contumulari.*

ε *Bonifacii famam multis calumniis, non solum a Francis olim, sed etiam hoc seculo ab ejus gentis scriptoribus laceratam, videtur vindicare voluisse Deus,* F *detectione integri ejus corporis, post annos fere* 300, *facta anno* 1605, *eodem quo obierat die* 11 *Octobris: cujus inventionis Acta vide apud Raynaldum ad an.* 1303 *n.* 44. *Credibile est ab eo moriente iteratam fidei formulam, quam Bzovius ex eoque Oldoinus ad Ciacconium recitant.*

ζ Ceptas * Id est, conceptas]

η *Electus est Benedictus XI ex Ordine Prædicatorum, Episcopus Ostiensis,* 21 *Oct. decimo post decessoris obitum die, ipso quo Conclave ingressi sunt Cardinales, primo scrutinio.*

ϑ *Electus absens in Gallia* 5 *Junii anno* 1305.

ι Beraldus del Got, *Francis hodie* de Gout, *ex Archiepiscopo Lugdunensi creatus Cardinalis Albanus an.* 1294 *a S. Petro Cœlestino, defunctus an.* 1297.

κ * D. Matthæus Rubeus] *Nicolai Papæ III Nepos.*

λ Epitaphium *appellat Auctor in titulo: fecerat illum Cardinalem Urbanus IV anno* 1261, *adeo ut* 43 *annis in eo gradu steterit.*

μ Sacro .i. * sepulcro, *utpote in terra sacra Christianorum ritu:* Elistæam *autem non* Clistæam *dici Perusium, jam diximus in primo opere ad* ℣. 386 *lib.* I.

ν Quousque artus .i. *per omnes artus.*

ξ *Id est, anno* 1315, *anno autem sequenti creatus est*

A *est Cardinalis, Neapolionis Ursini ex fratre nepos, Matthæus Ursinus, mortuus Avenione an.* 1340; *hujus vero corpus Romam relatum dicitur, ac primum in sacello S. Catharinæ Senensis, mox in Sacrario, nunc in ecclesia S. Mariæ supra Minervam cum ossibus Latini Card. Ursini conditum haberi in arca marmorea; quem et Patres Prædicatores, quorum Ordinem professus fuerat, inter Beatos referunt, et miraculis claruisse dicunt juxta Bzovium; cum Bzovius Ciacconium alleget, qui in suo gemino opere anni* 1599 *solius meminit translationis (allegato nescio quo Chronico Prædicatorum) tamquam factæ* in sacellum S. Catharinæ ab se constructo. *Ubi si intelligatur S. Catharina Senensis, gravis est anachronismus; cum illa solum obierit anno* 1381, *annis* 41 *post hunc ultimum Matthæum. Omnibus itaque expensis, vehementer suspicor,* Matthæum *quidem Juniorem Avenione sepultum mansisse; eum vero qui Romam translatus est, esse seniorem; translatum autem esse agente illius fratre, ibidem Theologo Ordinis celeberrimo, et S. Thomæ familiari, nomine Romano; in cujus fortasse gratiam sacellum S. Catharinæ Virg. et Mart. ab ipsomet Matthæo conditum fuerit; sed quia communiter hic* Rubeus *cognominabatur,* B *confusus a posteris sit cum suo synonymo juniore, noto sub solo cognomine Ursini: sicut confuso est utraque Catharina.*

ο Dextrarius *equus ille appellatur ab Italis ac Francis, qui ad manum ducitur: et sic* dextrari *hic significat, deduci ab aliquo habenas tenente.*

π * De capite Papæ.]

ρ *Qui scilicet Regi in eodem obsequio successerant viri primarii.*

ς *Nominativus est absolutus pro ablativo, ætati isti nimis quam frequens:* Hoc *ergo, id est, Clemente sedente. Sic infra rursum lib.* 2 ℣. 83

τ Rex grande movet, *subintellige, negotium.*

υ *Id est Burdegalensis,* * scilicet Clementis] *ex illa metropoli ad Cardinalatum assumpti, unde etiam vulgo dicebatur* Cardinalis Burdegalensis.

φ *Pictavensis enim civitas posita est ad Clarum, exiguum flumen: quod deinde in Vigennam atque cum hoc postea in Ligerim immersum, primum secundumque nomen amittit.*

χ * Quia duravit fere per octo menses] *a Kal. Octobris anni* 1311 *usque ad sequentis anni Majum: eosdem octo menses habemus in Prosa proœmiali, et consentit Bernardus Guidonis, ultimam sessionem habitam asserens* mense Majo pridie Nonas, *uti annotavit Gabriel Cossartius tom.* XI *Concil. col.* 1596; *ita* C *modeste corrigens decessorem suum Philippum Labbe, qui in Synopsi Conciliorum prius vulgata* ad sesquiennium. vel (ut alii) biennium *tenuisse Concilium dixerat. Errori fortassis causam præbuit, quod indictum fuerit anno* 1307 *in proximum biennium, rursumque non comparentibus ex condicto Patribus, dilatum ad alterum biennium, atque ita solum cœptum anno* 1311.

ψ *Nam Lugduni coronatus* Clemens *varias urbes circuivit, Burdegalam, Pictavim, Avenionem, ubi fuit anno suo* 4, 5, *et* 6, *donec inde egressus est, proximior ut esset Viennæ, et ad Concilium futurum commodius omnia præpararet.*

Loca judicio nostro mendosa et ideo mutata hæc sunt:

℣. 7 quæ dulcius. *lego* prædulcibus.
19 Curæ soliciti. *l.* Curis solicitæ.
44 divum. *l.* durum.
68 turbata vento, *l.* turbine venti.
77 Et trahit avectet plebes. *l.* Plebisque arrectos trahit.
85 fugiunt. *l.* fugiens. 87 latio. *l.* lactis.
95 dantem. *l.* dando. 105 tulit. *l.* cibis. moresque priores. *l.* morem usque priorem.
119 rutilans in lumine parva. *l.* rutilanti in lumine parvis,
120 insignis. *l.* in tignis. 124 Hunc. *l.* Huic.
127 stantem. *l.* stanti. 142 nostra. *l.* nostræ.
158 qualeve pensum *l.* quidve repensum.
182 Matris. *l.* Martis. 184 Incendit. *l.* Incendi.
227 repostum. *l.* refossum.
228 miranda. *l.* mirata. res fudit. *l.* reffudit.
235 destratus. *l.* dextratur. 238 minoso. *l.* ruinosi.
247 positam. *l.* positi.
248 concernimus alvum *l.* mox cernimus alveum.
252 diffusis. *l.* diffuse.

D *A. Jacobo Cardin. ex MSS.*

LIBER II.

De discussione causæ ipsaque canonizatione solenniter Avenione celebrata.

CAP. I. Processum informationum.

Ergo ubi *a* commissum magnarum indagine rerum
Perfecere viri, longisque laboribus acta
Sollicitudo *b* cliens; gestorum scripta figuris
Publica transmittunt, propriis monumentaque signant
Sculpturis, ceræ impressis; mittuntque loquacem
Litterulam, quæ gesta ferat, summamque fatetur.
At Clemens transmissa volens disquirere *c*, certum
Commisit; variisque modis, multosque lacessit
E Patribus, dum plura petit, dum forte vagatur,
Nec semper quæ vera patent. Sudavimus illic.
Sudavere alii, sudor nec defuit [ulli.]
Nemo Patri Patrum residet, dum singula tentet.
* Hæc multis *d*, multisque locis, multisque diebus
Cura fuit. Fragilem *e* tanti est proferre repostum
Quemque polo: Sedes Petri nec fallitur istis,
Nec fallit: cui posse datur decernere soli
Judicium tanti *f*. Non passim prodigit amplum
Immensumque datum, licet esset pluribus idem
Spiritus, * et mores credi meruere Beatum
Murronem, finisque sacer, mirandaque vitæ.
Quid moror ardentes animos, quod carpere *g* promptos?
Dona Dei radiant, jam jam miracula clarent
Illius discussa palam, cœtuque vicissim,
Vitaque collucet, firmantque probantia testes *h*
Consiliumque Patrum. Nec defuit inde, probatis
Tutus Apex: capiti deponens vertice mitram,
Atque genuflectens, vitam virtutibus almam,
Magnaque sanandis profert miracula morbis
Impendisse virum: nec non complexus utrumque,
Intulit hunc celebrem mundo terrisque colendum
Esse Patrem, sacrum Confessoremque vocari
Decrevit, prudenter agens, cauteque recensens
Præteritum. Clausim sunt hæc *i* decreta. Deinceps
Advocat in mediam, qua se protendit in aulam
Regia, Pontifices varios, cunctosque ministros
Romanæ Sedis; nec non præsente Senatu
Fatur, Et immensos suscepimus ecce labores,
Et Fratres * nostri *k* pariter, quod nosse putamus
Vos etiam. Quæsita prius depromimus ecce,
Et vitam, moresque sacros, firmataque scimus
Testibus indubie Petri miracula quondam
Murronis; quæ scita palam, nec clausa tenemus,
Ad fidei incrementa sacræ, vestramque salutem,
Pauca tamen reclusit Apex: quin cautius idem,
Neve magis vel forte minus dicendo labaret,
Singula diffuso promi dictamine jussit.
Illicet ardentes, positi sub limine *l* sedum,
Pontifices laudanda canunt, mirandaque pandunt;
Quisque loco residens, alternatimque resurgens
Quisque loco, et rogitant. Pensum *m* procedere rectum
Judicium

E *Cardinalibus examinandum committit Clemens*

CAP II. qui omnibus probatis

F *de eo refert in Consistorio secreto,*

CAP III ac deinde in publico:

communique voto,

JACOBO CARDI. EX MSS. canonizatio decernitur.

A Judicium Ecclesiæ, cunctis gaudentibus una,
Ructavere n omnes, dignum [et] conscendere Divum.
Ad Pater auditis placidis o rumoribus, inquit :
Nec Sedi p voti est, soli cui dicere q festum
Competit, aut nostro tantis subducere honori,
Sed volumus summis s Fratrum concernere dictis :
Quodque pius nobis dignabitur atque refundet
Ipse Deus, prompte complebimus : huncque profusis
Flectite vos animis : * facere [hoc] præcordia poscunt.

CAP. IV. Die 5 Maji

Postquam cuncta suis sunt elimata figuris,
Et faciles t habitura moras digesta; parumper
Substitit. Et sacris posito jam limite rebus,
Læta dies oritur, festi prænuntia, guttis
Solis cauma rigans pluviisque recentibus æstus,
Grata Patri, Cleroque placens, segetesque refundens,
Expectata diu, Tauri u sub limine Phœbum
* Ante ferens; roseo manti qua tectus amictu,
Albentemque pilis equitans de more venustum
B Cornipedem, Clero præeunte sub x ordine templum

in Cathedrali Avenionensi,

Ingreditur, festis Clemensque celebrior instat.
Surgit in effusæ fortisque cacumine rupis
Sacra domus veneranda Dei Genitricis et almæ
Virginis, haud magno fundatum schemate templum
Urbe quasi media, spectans sic undique Cives
Avinione locus; cujus pars diruta quondam
Castrum erat, * sacrum rediit nunc omnibus usum.
Hæc Domus ardentes apiumque liquamina ceras,
Undique transjectas trabibus, faculasque liquentes
Læta dabat, foribusque suas funalia flammas
Fundebant variisque locis, quæ y lumine verum
Monstravere jubar cœli, fulgoribus huncque
Esse polo meritis divino munere fultum.

CAP. V residens Pontifex,

Ingressusque sacram Genitricis Virginis aulam,
Festus adest thalamus; pennarum gloria z candet,
Aurea α * latescit capiti, vestitur et auro
Coccus acu mantique decor, variatque rigentem
Serica vestitum byssus sub imagine β Patrum.
Conseditque throno, thalamo sublimior arcto :
Consedere Patres γ bassis sub sedibus δ albi,
Prælatique omnes : strato sub ε pulvere vulgus

orationem habet de sanctitate Fr. Petri,

C Hincque ait : Exulta ζ laudaque Sion, quia magnus,
Magnus, et exulta; medioque tui, quia Sanctus
Israel. * Haud prisca fit nobilitate refulgens
Murro genus, * pectusve sciens doctrinave magnum
Hunc facit : in silvis verum experientia cautum
Longa facit. Siquidem secli suffragia Justo
* Huic deerant : sed magnus erat, grandisque beatum
Vita dedit, zelusque calens fervere per omnes,
Et pietas, humilisque modus, vincensque superba
Simplicitas, mentisque nitor, subtractaque mundo
Paupertas, miranda sui districtio virtus;
Hæc magnum fecere virum cœloque sacrandum,
Si Deus η annuerit. Nobis miracula clarent,

rite probata,

Et fratres θ novere palam, * discussit et illa
Longa dies magnusque labor. Vos * ergo rogate,
Nosque oraturos cognoscite, quod Deus * adsit
Omne bonum tribuens, perfectum quodque rependens,
Nec tantis errare sinat Sponsamque ι redemptam
Sanguine, sed nostros miseratus dirigat actus.

D Dixerat, et surgens nobis astantibus, inquit

et, Veni creator, intonat,

Proclamatque, Veni replens pia corda Creator
Spiritus, et genibus stravit se in * pulvere, flexis
* Quoque aliis; surgitque iterum : cui vertice mitram
Imposui * dextra minimus Levita, sed ordo
Quippe dabat. Stetit inde, Chorus quoad cantita κ complet,

ac jussis legi Actis,

Post jubet ut reseret * contexta labantia λ scriptor,
Et vero sermone legat tam μ culmine gesta,
Quam post, quamque prius. Doctus dictamina pandit
Quæ Bullæ scriptura tenet, reserantia vitam,
Quæ metris radiat nostris. Miracula * quin et
Bulla tenet : pangemus ea et diffusius infra,
Ejus in augmentum nostro modulamine laudis,
Si pius assistat dictans sua carmina Murro.

CAP. VI. palam enuntiat,

Hæc ubi perfectum sumpsere exordia finem,
Afflavitque Deus volitis, firmumque petitis
Judicium; sublimis Apex depromere votum
Inchoat. Æterni ad Patris, Natique coævi,
Flaminis æterni (quibus una potentia, * summa,
E Omnipotens) laudem, Mariæ Virginis almæ,
Et Petri, Paulique Ducum, Michaelis et omnis
Militiæ cœlestis opem, fideique salubris
Incrementa sacræ, divo munimine fulti,
Sanctorum Petri Pauli, nostro quoque fulti,

CAP. VII. Petrum habendum et colendum ut Sanctum :

Consilioque Patrum, vestrisque suasibus, inquit;
Nos Fratres Petrum, quem de Murrone vocatum
Fama docet, celebrisque ciet super æthera tolli
Sanctorum thalamo, meritis suadentibus altis,
Sancimus dignum adscerbi, Justumque piorum
Scribimus hunc numero, statuentes indique ν plebem
Huic obitus celebrare diem, et devotius omnem
Confessoris ei festum persolvere cœtum,
Nos, quibus hæc solis Petro est concessa facultas :

præsentibus Indulgentias concedit :

Insuper attritis nec non peccamina fassis,
Annua quos sacrum dederit spectare sepulcrum
Quæque dies leti, quinque annos quinque ξ quadrages;
Octavamque infra denos quater ο insuper unum
Laxamus, si quidem positum π pro crimine pondus.
Dixit, et inde Pater jubilans in cantica surgit,
Teque Deum laudamus, ait, vocisque sonoræ

CAP. VIII intonat Te Deum :

Haud decor emulcet ρ pavonis imagine : cuncti
F Id peragunt, lætique canunt, versumque sequentem σ
Levita τ ad lævam residens, Clerusque vicissim
Respondet υ. Tunc summus Apex Collectam et in alto
Fudit, et expleto nostrum sibi funditur. Amen.
Confiteor φ Levita dehinc, thalamisque verenter
[Compono excelsis Apicem; nomenque beatum]
Militis ascripti memorant. Sua tempora servans
At Præsul largitur opes, largitur et illas
Ut libet indulgens, precibus Sanctumque novellum
Invocat, et tivro veteranis jungitur illi.

CAP. IX. et populum cum benedictione dimittit.

Signataque manu turba χ, prædicit * aperte
Se Petri memorem, celebris solennia Missæ
Festa impleturum, verbis et facta * repensat.
Nam celebrat solennis Apex, et canduit ψ albis.
Hincque albis albere omnes : hinc cerea flammis
Illuxere, vagis tremulisque hinc lumina fumum
Consumpsere focis mirum, sua pabula pastis.
Fundamenta etiam dant hic pia cantica, voces
Laudibus hinc resonant, explentur cœlica divis
Officiis ω remeant ex tunc ob gaudia læti

A Quique domum; gaudere pium, sperare salubre est.

ANNOTATA.

a * Id est, inquisitionem commissam per Papam super vita et miraculis: de qua commissio ne supra facta est mentio], *videlicet in Prosa ad totum opus præliminari num.* 18.

b * Id est serviens] *seu subserviens examini.*

c Aliquem committere *Italica et Gallica phrasi dicitur, quod Latini* alicui aliquid committere *dicerent; et* Commissarii *designantur ad testes audiendos: fortassis autem legendum pluraliter* Certos, *ut intelligantur plures Commissarii in hanc causam nominati.*

d * Nam ista examinatio facta fuit in multis locis, et apud Mediolanum et Viennam, per aliquos Prælatos; et Avenione, per Papam et Cardinales.]

e Fragilem, *id est hominem,* referre. 1. *pronuntiare ac definire Sanctum.*

f Tanti, *subintellige,* Viri *vel* momenti.

g Carpere. 1. * discere.]

h * Nam modus maxime accommodus, ad probandam alicujus vitam et miracula, est probatio per idoneos testes].

B i *In Consistorio, ut vocant, secreto.*

k *MS.* nostrique simul *et in margine dicitur* * Super abundat conjunctio, Quæ, causa versus.] *Sed malui aliam vocem synonymam substituere in gratiam lectoris, per quam non esset opus licentia, sensum obscurante.*

l *Id est, intra spatium quod sedilia occupabant.*

m Pensum. 1. * pensatum et libratum.]

n *Infra lib.* 3 ℣. 99 Ructare *pro* dicere *poni notatur.*

o * Quia placuit sibi, quod Prælati volebant et supplicabant pro ejus canonizatione.]

p *Sic libro præcedenti versu ult. dicitur* nobis voti est: *fortassis tamen et hic et ibi melius legeretur,* votum.

q Dicere. 1. * indicere.]

r * Tantis. 1. * in tam grandi negotio.]

s Summis. 1. *extremum auditis.*

t *Id est sic digesta, quod* * de facili perfici poterant.]

u * Nam sol tunc erat in Tauro] *utpote* 5 *Maji: ingreditur autem sol Tauri signum circa* 20 *Aprilis.*

x * More consueto præcedentibus Papam ad ecclesiam Cardinalibus Prælatis et ceteris Curialibus:

C non tamen ibant parati, sed in pannis laneis.]

y * Nam faculæ et intortitia repræsentant Christum Dominum, qui est verum lumen.]

z *Ita supra lib.* 2 *de Coronat.* ℣. 142 *describitur Tiara,* Pavonis cortice candens pennarum.

α Aurea, *scilicet* corona *ipsi tiaræ prætexta, eaque lata.*

β * Quia in pluviali Papæ erant imagines Sanctorum Patrum, de serico et auro laboratæ et acu, operis Cypriensis seu Anglicani.

γ *Glossula* * magnis bassis: *ut licet humiliores Pontificia sede, magnæ tamen fuisse intelligantur.*

δ Albi. 1. *Superpelliceis, ut æstimo, induti.*

ε * Quia in terra sedebat.

ζ * Quia thema Papæ fuit: Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in te Sanctus Israel.] *Isaiæ* 12. 6.

η * Quia Papa utebatur his verbis, Fr. Petrum de Murrone canonizandum, si Deo placuerit, ante canonizationem.]

θ * In omni sermone et litteris Papa vocat Cardinales, Fratres. Si tamen in speciali alios vocat, [*solos Episcopos vocat*] Venerabiles Fratres nostros; Presbyteros et Diaconos Cardinales vocat in litteris etc. dilectos filios.]

D ι *Hic rursum abundat explendi versus causa conjunctio,* que.

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

κ * Papa, postquam surrexit stetit, quo usque chorus complevit Hymnum, quem Papa inceperat, Veni Creator.]

λ Labantia. 1. * currentia: nam labant et currunt dictamina, licet non sic, nec ea lege ut metra]: *intelligit autem Bullam prosa descriptam.*

μ Culmine. 1. * in Papatu.

ν * Id est, universalem Ecclesiam: nam universalis Ecclesia illi subest: et ea propter Papa mandare potest, quod in obitu alicujus Sancti festum faciat.]

ξ Quadrages. 1, * Quadragenas.]

ο * Id est quadraginta quinque] *scilicet dies.*

π * De injunctis sibi pœnitentiis.

ρ * Nam Papa non habebat vocem canoram nec placidam: imo male cantabat, ad modum pavonis, qui male cantat.]

σ * Ora pro nobis Beate Petre, Alleluya.]

τ Diaconus serviens Papæ ex parte sinistra.]

υ * Ut digni efficiamur promissionibus Christi Alleluya.

E φ *In ordine scilicet ad Benedictionem, cum Indulgentia Papali recipiendam, Diaconus nomine totius populi Confessionem facit.*

χ * More solito dicendo, * Benedictio Dei omnipotentis etc.]

ψ *Quia de Confessore facturus alba sumpsit paramenta.*

Sequuntur correctiones a nobis huic libro factæ:

6. 1 Magnis. *l.* Magnarum. 13 His. *l.* Hæc.
19 en. *l.* et. 38 nostrique simul. *l.* nostri pariter.
59 dictum. *l.* dictis. 59 facile. *l.* facere.
67 Acta feres. *l.* Anteferens. 76 spatium. *l.* sacrum.
85 lactescit, *l.* Latescit. 93 An. *l.* Haud.
94 Pertusve. *l.* pectusve. 97 Hæc. *l* Huic.
104 decessique. *l.* discussit etc. 105 ergo. *l.* idque.
106 omne. *l.* adsit. 112 pectore. *l.* pulvere.
113 Quique. *l.* Quoque 114 dextris. *l.* dextra.
116 contecta. *l.* contexta. 119 quidni. *l.* quin et.
128 summus. *l.* summa. 161 apertum. *l.* aperte.
163 repensant. *l.* repensat.

F

LIBER III.

De Miraculis S. Petri, tam in Bulla propositis quam aliunde Auctori certis.

Hactenus effuse magni præconia festi,
Quo pius empyreo, fulgentique agmine sursum
Inseritur cœlo, celebris Confessor et almus,
Panximus, et vitæ meritum, ac *a* agrestia dudum,
Post ceteris firmata modis: nunc dicere fas est
Mira viri, solidis seclo radiantia signis,
Naturamque super: quibus est patefacta duobus
Certa fides, hunc esse Polo. Miracula nondum
Sufficiunt (quia sæpe malis ostendere verum
His datur) at nomen tantum propensius illis
Confertur, quibus ipsa deest natura, vel artis
Docta manus, vel forte modus: nam tempora firmant
Quidquid agunt; nostrum sed mirum perficit instans *b*.
Vita etiam non sola probat, quia cognita solum
Soli hominis sit vita Deo, quo quodque peractum
Est opus intento, finis perfectior illi
Cognitus, unde poli sidus conscendimus amplum:

Narraturus Sancti Miracula,

deligit notata in Bulla,

61 Nec

A
A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

Nec cupimus reserare vagum, sed pandere certum
Deficimus; creditque fides persæpe, quod arctum
Non probat ingenium : stabili subsistere gratum est,
Quodve Petri sacrata docet sententia Sedis.

CAP. II. de cæca illuminata,

Femina lipposis affecta laboribus, et jam
Cæca oculis, visuque carens, cui nulla mederi
Ars potuit; confisa Petri de munere labem
Tergi posse oculis, eremi sublimia ducta est :
Cumque Crucem parvam, Sancti de munere missam,
Luminibus vacuis posuisset, et anxia sese
Signasset Crucis auxilio, portante marito;
Confestim miserante Deo sua lumina visum
Accipiunt, gaudetque videns gaudentque videntes.

CAP. III. amente restituto,

Cum furor immanis tantum vexasset anhelam
Alterius mentem, quod cordis sæpe ligatus,
Atque catenarum stringentibus undique nodis
Ille foret, ne forte sibi, vel forte sodali
Officeret; ductus Petri ad spectacula demens,
Exhibito se pane cibat, quem Sanctus eidem
Contulerat : rediitque quies, per singula compos
Efficitur, nulloque puer post tempore palpat,
B Illius immanis cursus sentitve furoris.

CAP. IV. fistula curata.

Ecce puella gravi, dum putrida fistula buccas
Inveterata facit, trepidat confixa dolore,
Neve pedem fluidum, vel cæsum parvula perdat :
Namque pavens medicus cogit trepidare parentes,
Tantus amor natis, pietas, compassio tanta est.
Quid Pater ipse? gemit : quid Mater? murmura pandit :
Femina quid? lachrymas retinet, sed turbida fundit.
Ventum erat ad Petrum, portata puellula coram :
Inde pius patitur afflictus, inde medetur.
Nam faciens tria signa Crucis super ulcera, sanam
Reddidit, ut modico vestigia nulla subessent
Ulceris : haud dubium quin clara piacula *c* curant.

CAP. V. item hectica,

Altera quam febris consumens *d* Ethica * lecto
Defectam recubare facit, nec surgere, quamvis
* Illa velit, patitur * sibi vita; favore ministri
Sub panno recubans *e* hora, quem Murro jacenti
Miserat; exurgens, medico diffisa, parentem
Lætificat, gaudetque pium, reveretur et almum.

CAP. VI. scrofula,

Deformisque manu scrofula, signatus ab illo
Sanus abit, curatus eo : tumor ille superstans
Delituit morula, gallique simillimus ovo.
Hæc peragit deserta colens, eremoque moratus
C Murro : sed assumptus supremi ad culmina fastus,

CAP. VII Papa curat contractam,

Destitit haud signis. Mulier contracta per artus
Nec se ferre valens, portata juvamine patris
Unde viam facturus erat; signacula dextra
Excipiens devota Patris, curatur in hora :
Fœta fides, et fœtus honos, fœtissima merces
Illius incumbens meritis a numine divo.

CAP. VIII et ictericam privatus autem cæcam. CAP. IX

Curaturque modo simili, perfusa colore
Femina subcroceo, non fidens gressibus ægra.
Postquam etiam folio Papatus culminis Heros
Se posuit, læsum restaurat lumine visum
Crux Patris, linita oculis manibusque potentis.

CAP. X. In obitu crux apparuit. CAP. XI.

Crux pretiosa viro, mortis sub tempore signum
Emicuit, sed parva, nitens, vertigine versa
Ostioli medio; non postibus indita, vano
Aere sed volitans, corpus * quoad inde remotum est.
Post obitum secreta * tenens cœlestia pauper,
Dives *f* opum, sidusque potens, donisque refertum,
Signa novat. Nam voce carens, linguaque tremiscens,

postea juvatur mutus et paralyticus,

Quoque actu tremulus, nec firmus gressibus, hærens
Lecticulo (quia membra fluunt, nec pacta *g* resistunt)
Ad loca reductus, miram quibus ille peregit
Vitam eremi, zonamque Patris per singula cinctus
D Membra, jacens surrexit ovans, laudesque rependit
Sanus, et ex toto morbi discrimina nescit.

CAP. XII. gressu privatus,

Sicque alius standi ac gradiendi commoda sensus
Perdiderat, celerisque manus (et tristius) usum :
Ecclesia recubans noctu, qua corpus humatum
Almifici Murronis erat, de mane resurgens
Se sanum reperit extemplo, seque fatetur.

conctractæ duæ.

At brachiis *h* geminæ, noctis phantasmate, tractæ *i*,
Perdiderant dextrumque latus : tumuloque jacentes
Ilicet, et meritis Sancti precibusque juvantur.

His addit Auctor sibi nota,

Hæc Clemens decreta dare,* hæc et Bulla sonoris
Pandere *k* litterulis. Christi clementia fandi
Quod volitum,* det posse; sciens sic clangere verum,
Ut cupimus fidum. Nam visa Fidelibus ex nunc,
Nec suspecta oculis ructabimus *l*, agnita dudum
His, quibus hæc coram fuerant digesta, quibusve
Hæc impense, suis nobisque per omnia caris.

CAP. XV quod transiturus locum inter rupes,

Quodam quippe die, plenus dulcedine Murro
Ardentisque animi, properabat cedere terris,
Ut sata conspiceret, coleret, perfunderet imbre
E Mellifluo, vel sorte locum perquireret arctis
Fratribus, aut eremi sese concluderet antro :
Haud aliud quidquam se dignum crederet * unquam,
Montibus in solitis * non pronus *m* currere passim.
Dum juga, Saxosis canentibus undique silvis,

nive impeditum,

Pergreditur, bino secum comitante sodali;
Ecce nives celare viam, cœlumque tenebrat
Nix tenebrosa *n* cadens, occurruntque invia fessis
Dum collis se scindit *o* apex. Procedere Murro
Non valet : at fisus Christique juvamine fultus

cum transiliit,

Transiliit, versusque stetit; sociosque paterne
Ut transire velint hortatur, et ocius ambos
Sollicitat pavidos, stupidosque videre novellum
Mirandumque Patris :* et ad hæc cunctantibus, inquit,
Filius obnixe jam pareat ilicet istic,
Igne calens fidei, baculo subvectus et orans,

et socios transire fecit.

Virtutis merito; proprium * quæ subdere mavult
Jussibus alterius volitum. Confidite : tutum
Est iter; et dubios firmabit subdita *p* calles.
His fisi juvenes præcisa pericula transnant,
F Miranturque virum, nec saltus organa *q* norunt.
Magna animi virtus et magna potentia : liber
Efficeris, si servus eris; servus quoque liber
Erigitur, si libra cadens sic corruit imis,
Sic latus elatum ventosa per aera tollat *r*.

CAP. XVI. Item quod Lugduno rediens

Temporibus, quibus ille senex deductus *s* Eoo
Gregorius sublime decus conscendit, et ardens
Consilium venerandum egit Rhodanoque Saonaque
Circumfusa *t* Urbe; hic *u*, completis undique votis,
Ad cellam remeare parat, per rura reversus
Tam Lucanæ Urbis quamque et Pistorica circum
Culta. Viro juvenis, facie redimitus, et albo
Albus equo residens, crispis rutilantibus auro
Crinibus, et teretis munitus acumine dextra
Hastilis, quod sæpe manu vibrabat et armo,
Huic comitem se fecit iens, faturque, Quamobrem

per viam latronibus insessam,

Per loca suspectis, nec pervia gressibus, ultra
Tenditis in mortem, vel magna pericula rerum?
At Petrus et Fratres (nam tres sociantur euntes)
Dixit, Et adjuti Christo duce tendimus istac,
Qua tutum speramus iter : sit formula nobis
Tutamenque fidele suis. Tunc protinus ille

Obsequium

A Obsequium spondens, lætus discessit; euntes
ab iisque invasus,
Hortatur. Dum Murro viam procedere tentat,
Tres, quibus incertum dubium x committere vitam,
Conjunxere sibi. Pavidi comitantur, et illos
Suspectos habuere viros. Proceditur: arctam
Invenere viam. Tunc visa sequentibus apta
Arcta loci species: invadunt quisque Sodalem:
Quos tres famosi y tetris thoracibus* angues,
ter miraculo defensus sit,
Torvi oculos, linguasque vagi, quin ore reciso
Invadunt tremulos, illosque *vorare laborant.
Tunc Murro pietate favet, Fratresque vicissim
Orant, quisque suum nec non protexit z amicum:
Latronesque viis gradiuntur. At inde citatis
Cursibus, et *segni moti pietate, nocendi
Dum se præbet iter concluso limite dirum,
Invadunt iterum pura dulcedine tutos:
Quos etiam divina pios custodia texit
et ductus ab Angelo,
Sic iterum α. Tunc Murro suos præcedere conans
(Nam bullam β servare studet, qua vota secutus
Sancta foret, validam) sociis subducitur *ægre
Consilium γ ut caperent, pravis quia credere mors est.
B Ecce sequens juvenis δ, gestu facieque venustus
Atque hilaris rediens, occurrit, et abdita pandens.
An timor invasit? Numquid sociare recessu
Malueram? Nunc ergo viam tendamus, et ecce
Me comitem: tutabor iter, quod nulla timoris
Causa erit: et plexus verborum dulcia, Fratres
Alloquitur, lætusque means, complexus habenas
Cornipedis, jaciensque in longum hastile per amplum
in forma equitis apparente.
Aera, ceu doctus, nullo conamine dextra
Suscipit, atque pedum* stapis ε calcaria firmat.
Pulcher equus, gestusque placens, formosaque vultus
Est facies, et dulce loqui, sinceraque morum
Planities: positosque loco dimittit amicos.
Jam tutis vos stare locis cognoscite, Fratres,
Dixit, et aversus disparuit. Inde serenus,
Protinus hunc summi Regis laudate Ministrum.
Murro ait, o quam mira Dei protectio servis!
Angelus altipotens, cœlo demissus ab alto,
Venit, et afflictos solatus tempore casus
Hic fuit; occurrens non cognitus, *usque supremus
Christus adest dubiis tendentibus ocius Emaus
Et terræ prostratus Herus suspiria fundit:
Fundit, et oppressos ex tunc sacra visa ζ remulcent.
C
CAP. XVII
Item quod præsciverit mortem Card. Latini et Papam futurum,
Ergo Deo fisus sis, sperans; ille coercet
Ille tegit; firmatque suos, nec deserit Auctor.
Num norat ventura Pater? Sibi conscia puri est
Mens, arcana Dei reserans prædicta Latino;
Sive Patris letum vicinæ mortis, ut ille
Se potius cinerem credat, quam Cardine fultum;
Sive quod et jussus, ceu Fratribus, ardua cunctis
Scribere Cardinibus fuerat, proponere sacrum
Sedi Pontificem celerent; quod ni properarent,
Ira Dei graviter desæviet, iraque fervens.
Utque η illi mors cito venit, sic gloria parvo
Post etiam. Quin Papa manens ventura prophetat
ac Bonifacium sibi successurum,
Successori almo, quem Papam jamque futurum
Innuit, ac aliis expressius idque revelat
Pontificis sic ore θ meat, aliique fatentur
O felix! tibi grande datur, tibi grande cupitum
Præstat Eliseo munus jam verus Elias,
Spiritus ut geminus tibi sit, donumque profandi,
Atque ministrandi nobis miracula donum.
At tua κ simplicitas, perfectio, puraque mentis
cui etiam voluit post abdicationem confiteri.
Relligio, devota fides,, spes firma salutis
Illo se reserant, quod dulcis, in omnia verax,
Cuncta ævi commissa tui peccamina pandis

D Summo Apici: quæ causa senem λ remanere coegit,
A. JACOBO CARDIN. EX MS.
Post cessum Papale decus discedere promptum.
CAP. XIX.
Synopsis virtutum Petri:
Si majora velis forsan cognoscere, vitam
Inspice: si vitam, veterataque μ tempora lustra:
Tempora si prudens complecteris, accipe famam:
Si famam respexit odor, tu suspice Fratres:
Si fratres, et dogma legas: eremi quoque dogma
Si capias, perames: si jam dulcedine tractus
Allicerîs, metire tuas per singula vires:
Si vires, exempla legis, sectare: perennis
Tunc pudor, et candor, laxæque modestia linguæ,
Paupertas, victusque arctus, frenantia luxum;
Et pietas, modus ac humilis, fraternaque mentis
Integritas, imitanda tibi, veneranda tibique
Occurrent. Ne siste gradum: sed respice cautus,
Quod lectus sit summus Apex post ν tempora, quodque;
Tam subito, tam pauca sciens, tam multa scientum
E Auxilio; mundique regens se noverit orbem,
Abjiciens culmen: quod Fratribus abdita fassus:
[*Nec minus encomio, dignum nec laude minori*]
Censeo, quod profugus, profugi quod florida causa:
Quodque volens, nolensque fugam longare vocatus,
Huc ξ rediit, sprevitque nefas; vitavit ineptam
Desidiam; moresque senex complexus Eoos,
Prosequitur; priscamque petens per tempora vitam,
Qua functus cœlo fruitur, cernitque regentem
Cuncta Deum, Christumque, Ducem. Non ille o rependit
Judicium, quod sæpe datum est, purgavit et auctor
Quod Solii fortasse fuit: limavit et idem π,
Quæque volens errata comi, dum spirat in alta.
Cumque aliis Petri meritis collata retexo,
CAP. XX.
Compellor texendo datum diffundere donum;
Fatetur Auctor.
Ne velut ingratus sileam, vel forte superbus
Ascribam, vel forte vagus, quæ * munera cepi,
Cum meritis majora suis attingere spes est.
Ecce ego desuetus longo jam tempore Musis,
Post quasi quindenum multis currentibus annum,
quod desuetus pridem versificare,
Assumpsi narrare sacrum super æthera Petrum.
Mira juvans nostris accessit gratia parvis
Versibus. En dudum versus persæpe revolvens,
Quindenos fecisse die lætabar; et auctos
F Vicenos, rarove magis: nunc orbita nobis
Quadraginta ρ Seni deduxit sæpe citato
Scribere, ceu ς poteram, vel lentus scriberet alter,
multo celerius solito
Vicenos: pluresque pedes quandoque sub hora
Improvisus ego, decies quater orbe volutos,
Fundere, ceu lentus signabam metra figuris,
hoc ultimum opus absolverit.
Materies nec culta prius, nec carmina dudum
Versa manu: dedimusque dies super omnia quinque
Vicenosque super. Non nobis gloria, nobis,
Sitque Deo Petroque. Viris qui magna capescunt,
Hæc modicum fortasse forent: nos dona putamus.
His læti cœlo positum laudemus: et inde
Cœlicolæ fasces, Clerus, populusque sequentes
Dogma Patris, mundique situs, Terræque-laboris
Unde ortus, tantique viri primordia surgunt.

Multa quidem, et præclara miracula fecit Cœlestinus quintus, quæ non sunt in hoc libro, aut non pervenerunt ad aures Auctores, aut scribere noluit.

ANACEPHALEOSIS.

Nunc mihi jam redeo, videorque videre quid egit
Summa

A. JACOBO CARDIN. EX MSS.

A Summa Dei pietas, quid gratia, quidve superni
Consilii altiquetudo manens, dum * prendere * Sancti
Tanti fecit opus. Siquidem, qui nescius horum,
Quidve agerem, cœpi, cecini pia consita Petri;
Ignarus, quis * tanti Apicis diadema * reportet
Papa sacer, cui pompa sacris alluderet Urbi,
Quisvo etiam finis claresceret undique seclo
Murronis, nosterque Sabas quo tenderet usque;
Quo ς juvenisque * morarer, avens consumere cœptum,
Quove τ loci: nam (vera loquar) suscepimus, inquam,
Hoc opus, et geminos Nicolao Præside quarto
Bis υ tulimus, versusque suo versavimus orbe:
Et quia pomposis phaleris redimire triumphum
Summum animi intentum, tercentum scandere versus
Haud spes ulla fuit: tantis moderatio frænat.
Inde moræ luctus Romanæ Sedis: et illas
Scripsimus, ut lentum poscebat in ordine fatum:
Occurritque Petri miranda creatio, mira:
Mira sed ejusdem Patris decessio nostris
B Explanata modis: licuit nec carpere φ pausam,
Carpere, jam dudum nobis ad culmina vectis
Cardinis. Hinc noster Bonifacius ipse triumphans,
Urbe sacra reseratus Apex, post χ tempora, quidni?
Impatiens novitate sua discurrere metris.
Ipse status ψ pausare dehinc finemque libello
Ponere: nec licuit: post tempus namque repostus
Sideribus sacer ille senex, cognomine Murro,
Extitit, exactis ter quinque labantibus ω annis.
Occurrit, quam celsa dies, quam grata volenti
Scribere: nec placidum fuerat dimittere terris,
Quem cœlo insertum fecit super æthera scribi
Ecclesiæ manibus Deus ipse, potentior omni.
Inde Petri quondam Murronis carmina rursum,
Dum licuit, dum mœsta suum suspectat amicum
Sponsa vacans afflicta dolis, solatia casus
Panximus, et cœlo positum terrisque colendum
Almificum. Nunc ergo pium rogitare *aa* Supernum:
Possumus, et divam nobis inflectere mentem
* Præcipue, ut meritis fulgentia regna quietis
Ejus, omnipotens tribuat Pater, idque coævus
Filius, inspirans nobis det Spiritus almus.
C Laudis honos, laudisque decus, laudisque * sonorum
Sit Tribus impensum; sit Petro gloria laudis
Confessori almo, mire sua carmina danti,
Cum quo cœlicolis juncti regnemus in ævum.
Amen.

ANNOTATA.

a * Nam ejus vita fuit nimis agrestis et aspera, quam Auctor in primo libro descripsit seriose, in illo Capitulo. Est locus Aprutii.]

b Mirum .i. *miraculum, ex eo probatur quod instantanee fiat.*

c *Id est*, * miracula.]

d Hecticam *medici appellant, id est habitualem et difficilem solvi, vulgaris tamen usus* Ethicam *mavult pronuntiare, absque ullo ad* ἦθος *(quo mos et consuetudo notatur respectu) quo alias posset haud omnino inepte referri.*

e * Per horam tantum.]

f * Dives in futuro, in hoc autem seculo quantum ad divitias temporales pauper: vel etiam Dives nunc, quantum ad divitias spirituales.]

g Pacta .i. * compacta.]

h .i. *Mulieres duæ,* * positæ super tumulum statim sanatæ sunt.]

D i * Tractæ .i. contractæ.]

k * Nam in canonizatione Petri, quæ Papæ Clementis Bulla continetur, hæc miracula posita sunt.]

l Ructabimus .i. * dicemus]. *Ita cum hic ipse se explicet Auctor, patet quid voluerit eodem verbo utens præcedenti libro* ℣. 52. *item l.* 2 *Actorum* ℣. 461 murmura ructant. *Nota autem non* ructare, *sed* ruptare *ubique scribi.*

m *Id est, non solitus absque causa vagari per ipsos illos montes, in quibus degebat.*

n * Nam licet nix sit in se alba, tamen cadens facit tempus tenebrosum].

o *Qua enim parte fissus collis alias transibatur, nunc via deerat, nive implente hiatum illum.*

p * Scilicet virtus humilitatis et obedientiæ.]

q * Quia non viderunt quibus instrumentis, vel quo modo transierint.]

r *Miraculum præcedens ab illo nullo auctore indicatum invenitur: sequens etiam habent Alliacus et Maffæus lib.* 2 *num.* 6.

s *Cur* Gregorium IX *(nam de hoc agitur) qui origine Capuanus fuit,* Eoo deductum *dicat Auctor, non caperem, nisi infra* ℣ 236 Eoos *ipse Auctor marginali glossula interpretaretur* Cœlestes. *De cœlo ergo datum Gregorium innuit.* E

t *Id est, Lugduni.* u *Scilicet* * Fr Petrus.]

x * Nam erant latrones vel mali homines.]

y Famosi *videntur his dici,* famelici, *licet primæ syllabæ quantitas brevis obstet: nam in his non usquequaque scrupulosus hic Poeta est, uti non uno exemplo apparuit.*

z * Nam Fr. Petrus et socii juvabant illos latrones, ut amicos].

α * Quia tertio latrones eos invaserunt.]

β *Privilegium Papale quod in Concilio obtinuit.]

γ *Ita ut hærerent dubii quod esset sibi agendum.*

δ * Scilicet Angelus qui se primo illis obtulerat.]

ε Stapiæ, stapides, staphæ, *ut re sic nomine veteribus Romanis ignotæ, apud purioris Latinitatis scriptores non inveniuntur: origo vocis videtur esse a teutonico* stap *vestigium, passus unde* stappen *gressum figere, passus formare :* opstappen *et* asstappen *ascendere et descendere.*

ζ * Nam semper fuerunt gaudentes de gratias illis facta.]

η * Nam prophetia verificata est quia D. Latinus mortuus fuit, et ipse Fr Petrus fuit electus in Papam: et videbatur consonare cum dictum fuit, quod scriberet Cardinalibus omnibus, tamquam Fratribus.] F

ϑ * Nam ab ore D. Bonifacii audivit Auctor, quod Cœlestinus existens Papa innuit sibi quod esset futurus Papa post eum: et etiam idem expressius audivit Auctor ab aliis]: *quæ mirum est ab aliis scriptoribus non esse observata.*

ι * Scilicet Christus.] *Hoc vero nisi sic poneretur in margine, merito* Elias *intelligeretur* Cœlestinus, *relinquens* Bonifacio, *tamquam Elisæo spiritum duplicem, docendi et miracula faciendi.*

κ *Cœlestinum alloquitur Actor.*

λ *Id est, Cœlestino causa remanendi Neapoli post abdicationem fuit voluntas confitendi novo, cum esset electus Pontifici.*

μ *Iterum superabundat,* que.

ν *Id est, post diuturnam Sedis vacationem.*

ξ Huc. 1. *in ditionem Pontificiam, imo ad Curiam Bonifacii.*

ο Deus] *non severe judicavit Petrum, sed purgavit quidquid forte in Papatu deliquit.*

π * Fr. Petrus] *etiam ipse se castigavit, volens expiare omnia sua errata.* ρ * Fr. Petro.]

ς Morarer *Id est. Quamdiu tardarem consummare cœpta.*

τ

A τ* Nam incepit Romæ, et finivit Valentiæ.]

υ *Id est, quatuor annos quibus sedit Nicolaus Papa IV impendimus studio Poetico, intendendo ceremonias Coronationis Pontificalis cujuscumque versibus circiter trecentis completi.*

φ Pausam carpere. 1. *cessare ab opere: explendi autem versus causa repetitur verbum* Carpere.

χ* Quia non statim postquam fuit Cardinalis fecit opus Bonifacii, sed plures post annos, *puta sub annum* 1300.

ψ Status * *scilicet* Cardinalitius.]

ω *Postquam scilicet scripserat opus de Bonifacio.*

aa Supernum 1. *Sanctum Petrum.*

bb *Sequitur consueta clausula:* De celebri S. Petri de Murrone Eremitæ, qui sponte Papatui cedens rediit ad eremum, Canonizatione, libet explicit. Deo gratias, Amen. *et additur versus, pluribus scriptoribus claustralibus usitatus post absolutionem alicujus codicis:* Qui scripsit scribat, semper in Domino vivat: *ac denique:* D. Cœlestinus ab Aquila fecit primum, *id est,* scripsit, *haud dubium quin Ordinis ipsius monachus.*

B *Quæ autem in hoc tertio Libro corrigenda putavimus, hæc erant.*

ỳ. 25 lentum, *lego* lecto.
54 Ille. *l.* Illa. nisi. *l.* sibi 77 quid. *l.* quoad.
78 tenent. *l.* tenens. 91 te templo. *l.* extemplo.
95 his' *l.* hæc. 97 dat. *l.* det.
107 inquam. *l.* unquam. 108 ne. *l.* nōn.
118 nec nec. *l.* et ad hæc. 122 quod *l,* quæ.
149 sed mittere. *l.* committere.
155 vocare. *l,* vorare.
160 sævi natu. *l,* segni motu.
166 inquam. *l.* ægre. 177 scapiti. *l.* stapiis.
187 atque. *l.* usque. 210 perfecto. *l.* perfectio.
219 suscipe. *l.* suspice.
238 senes complevit. *l.* senex complexus.
247 munere. *l.* munera. 260 signabat. *l.* signabam.
272 pendere. *l.* prendere. Sanctum tantum *l.* Sancti tanti.
275 tantus apex diadena reportat. *l.* tanti apicis diadema reportet.
279 moratur. *l.* morarer.
309 Præcipuam. *l.* Præcipue.
312 sonorus. *l.* sonorum.

C *Hactenus illa: in quibus fortasse nonnulla inveniret Lector, quæ vel mutata nolit, vel aliter velit in meliusque mutari: quare de interpunctionibus quoque monitum eum velim, nostro arbitrio omnes esse formatas, sæpeque diversissimas ab eis quas ecgraphum habebat, omni sano sensui contrarias: adeo ut nihil obstet quo minus aliter quidpiam legere vel corrigere quis volens, libere id agat, absque ullo ad nostras interpunctiones respectu; iis mutatis subinde reperturus quidpiam melioris sensus, quod nos latuit.*

OFFICIUM DE SANCTO

Ab eodem Jacobo Cardinali compositum a.

Religiosis viris, amicis carissimis, Priori Generali, Definitoribus Capituli Generalis Ordinis S. Petri de Murrone, Jacobus, miseratione divina S. Georgii ad Velum-aureum Diaconus Cardinalis, salutem et sinceræ dilectionis affectum.

Historiam, quam dudum per nos heroico metro inchoatam, hoc vocationis præteritæ tempore devotione perfecimus; vitam: mores, regulam, electionem ad Papatum, gesta in eo, renuntiationem, obitum, canonizationem; postremo quoque miracula sancti Patris, Confessoris atque Pontificis, Fratris Petri de Murrone, quondam Cœlestini Papæ quinti, Ordinis vestri ac observantiæ præcipui sub B Benedicti regula Fundatoris, ardua (ni fallimur) rhetorica, veridicaque descriptione suffultam: succinctamque prosam, ejusdem historiæ materiam enodantem, Vobis primo ac Ordini vestro destinare decrevimus. Sed negotiorum occupatio multiplex, dum præfati correctioni operis nos ad plenum non permisit intendere; fuit causa, ne nunc Vobis ac Ordini vestro correctum idem mitteretur opusculum narrativum. Verum ne interim nostræ devotionis modulus sileat, quin imo sub dulcis harmoniæ musica ipse vesterque chorus eidem egregio Confessori laudibus jubilet; Responsoria tria, una cum Versibus, Alleluia in littera cantuque, et Orationes tres per nos compositas de ipso Confessore, per Fratrem Petrum de Romano, Priorem monasterii S. Mariæ de Collemadio, Ordinis vestri, latorem præsentium, qui nuper pro negotiis ejusdem ordinis ad Romanam Curiam venerat, destinamus. In ejusdem igitur Sancti laudem et gloriam, quæ mittimus, grate suscipite; illaque ipsius festivo applicetis c Officio decantanda; non devotionem ex munere, sed (ut quæsumus) utcumque munus ex nostra devotione pensantes; illumque mihi apud Deum vestris precibus intercessorem adhibete propitium, quem et se rogari pro me peccatore, quemque pro me se intercedere dignari confidimus exoratum, Datum etc.

D A. Jacobo Cardin. Ex MSS.

Responsorium I.

Te cultorem eremi, sponsionis nostræ veneramur exordium: cujus veritatis flagrans simplicitas, seu nubes cœli fontibus referta, * mellea defluebat et rorida. Alleluia. ỳ. Nam mira tibi in peccatorum reductione suavitas, vita trahens, et morte e retrahens; verbo regens, exemplo erigens. Mellea defluebat etc.

Responsorium II.

Fit Monachus, qui Papa fuit; simplexque Sacerdos, Præsul; et inclinans aliis, * cui regia sceptra paruerant. Alleluia. ỳ. Imperii diadema sacrum mitræque bicornes: Cui etc.

Responsorium III.

Nos tuis, Pater, laudibus impares, tua juvari prece deposcimus: ut quem adeptum cœlestia pangimus, * Te virtutis humilitate sectemur. Alleluia. ỳ. Nam omnis, qui se humiliat exaltabitur, et qui se exaltat humiliabitur. * Te virtutis etc. Gloria Patri.

Alleluia.

O felix! Papale decus supremaque calcans,
Quæque supergressus, vincensque per omnia luxum
Ingrederis cœleste solum, terrasque supernis
Commutas, et fine probas te attingere palmam.

Oratio.

Grata tibi quæsumus, Domine, B. Petri Confessori tui atque Pontificis. pro nobis apud te intercedat oratio, quæ et nos humilitatis ejus imitatores efficiat, et ad ipsius consortium felicitatis adducat. Per Dominum nostrum etc.

Secreta.

Nostræ devotionis obsequium, Deus, miseratus admitte,

J. JACOBO CARDIN. EX MSS.

A admitte, quod intercedente B. Petro Confessore tuo atque Pontifice, tanto Majestati tuæ reddatur acceptius, quanto majoris patrocinii interpellatione fulcitur. Per Dominum nostrum etc.

POST-COMMUNIO.

Sumpta, misericors Deus, cœlestia nos Sacramenta purificent, quæ hodierna die, pro honore tuo, in B. Petri Confessoris tui atque Pontificis sanctificatione percepimus reverenter. Per Dominum nostrum etc.

ANTIPH. AD MAGNIFICAT *f*.

Alme Pater, natos memora, quos sacra profudit Relligio, memoransque doce, doctosque reserva, Ne pereant, sed eant, in cœlum dirige calles. Alleluia.

ANTIPH. AD BENEDICTUS.

Te cœlo insertum nobis assistere terris
Poscimus, ut celebrem sectemur in ardua Patrem.
Alleluia, Alleluia. *g*

B ANNOTATA.

a *Ultimo huic opusculo titulum talem Auctor scribit:* Incipit Legenda B. Petri Confessoris atque Pontificis de Murrone: *et Legendam quidam destinaverat sibi dividendam in Lectiones ad Matutinum, sed cur id factum non sit ratio mox redditur in Epistola, quæ in MS. vocatur* Prologus, *inscriptus, non* Abbati, *sed* Priori Generali et Definitoribus Capituli generalis, *idque post electionem Joannis XXII factam anno* 1316 5 *Septembris: meminit enim Auctor* Vacationis præteritæ. *Quis autem ille* Prior Generalis? *Lelius Marinus lib.* 4 *cap.* 11 *in fine* Matthæum de Comena *nominat, quasi is Ordinem rexerit* Generalis Abbas *toto sexennio ab anno* 1314 *ad* 1320. *Viderint Patres Cœlestini, unum* Generales *sui, quatenus toti Ordini præerant, non fuerint initio dicti* Priores: *vix enim fieri potest, ut in titulo erraverit Cardinalis, stylo Curiæ assuetus, adeoque pro more Romanorum Curialium in titulis definiendis accuratissimus.*

b *Licet sub ditione* Veneta duo sint loca, dicta* Romanum; *item* Romanium *alius, vulgo* Romagno: *tamen patriam, unde hic* Petrus *non habet, potius crediderim in Regno Neapolitano quærendam.*

c *Opto discere an hæc fuerint unquam ad usum chori recepta a Patribus Cœlestinis: diu certe est quod in usu non fuerunt.*

C d *Additur* Alleluia: *quia fere semper in tempus Paschale incidit festum S. Petri.*

e * Id est, a morte].

f *MS. sic habet:* Sequentes duas Antiphonas idem Jacobus Cardinalis, Diaconus S. Georgii ad Velumaureum composuit, post confectam primam epistolam positam in principio libri: *hinc fit quod in Prologo præmisso non fiat mentio Antiphonarum.*

g *Denique in calce libri eadem illa Epistola sub eodem quo primum titulo retexitur, nescio qua de causa, nisi ad denuo testandum affectum Auctoris erga Ordinem, occasione prædictarum Antiphonarum, anno forsan* 1320 *aut serius missarum.*

VITA

Auctore Petro de Aliaco Episcopo Cameracensi, postea Cardinale S. R. E. tit. S. Chrysogoni.

Ex MS. Rubeæ-Vallis, collato cum editione Laurentii Surii.

PROLOGUS.

Ad Religiosos Ordinis S. Cœlestini.

Caritativis quorumdam venerabilium Patrum vestri sacri Ordinis, Fratres carissimi, precibus inclinatus, timens licet ac trepidus, scribere præsumo: D quis de quo? Sane Petrus de Petro, Episcopus de Episcopo: sed parvus de maximo, infimus de summo, scelestus quoque ac peccator indignissimus de cœlesti ac dignissimo vestri sancti Gregis Pastore primo atque præcipuo, immo totius olim Christianæ Ecclesiæ sanctissimo Præsule Cœlestino. Cujus vitam gestaque mirifica, universum jam per orbem radiantia, dum litteris commendare verbisque meis pollutis, potius quam politis, laudibus illustrare gestio; rem utique meis viribus, meis quoque imparem meritis aggredior: vereorque ne pondere laudis, quam meruit, obrutus, magis imbecillitatem ingenii mei et eloquii ruditatem detegam, quam virtutes suas, sicut æquum est, repræsentem. Sed de superno confisus auxilio, Sanctique hujus ac orationum vestrarum suffragio, historiam ordior.

INDEX CAPITUM LIBRI I.

HISTORIÆ LIBRI I

In quo exornantur ab ipso Sancto scripta.

Fuit itaque vir eximia virtute laudabilis, re ac nomine Petrus, in petra quæ Christus est, firmiter stabilitus, stabiliterque firmatus: qui super hujus solidæ petræ indissolubili fundamento a puerilibus initiis per incrementa virtutum proficiens, usque virum perfectum meruit pervenire. Hic ergo de Abrutio in partibus Apuliæ natus, spiritu quam carne, et animo quam origine nobilior, ex parentibus mundana generositate humilibus, sed Christiana virtute nobilibus, ortus est. Fuerunt autem patri ejus, Angelerio nomine, ex Maria uxore sua, instar Patriarchæ Jacob, filii duodecim. Vacabant devoti parentes

A parentes, quantum eis facultas erat, hospitalitati pauperum, et eleemosynarum largitioni, aliis quoque piis operibus: et Deo, ut de data sibi ab eo prole unum aliquem deligeret, suis servitiis specialius mancipandum, assiduis suspiriis et indefessis orationibus postulabant, Nec sua spe frustrati sunt: quia non deserit Deus sperantes in se. Hunc nempe ex duodecim Fratribus, velut alterum Joseph, a Deo singulariter dilectum et suis fore præelectum obsequiis, divina providentia, sapienter cuncta providens, multis indiciis, signisque mirabilibus ac memorabilibus declaravit. Nam in nativitate sua matri ejus, dum puer egrederetur ex utero, quasi quadam religiosa veste indutus apparuit *a*. Cumque vix sextum attigisset annum, tanta tamque mirabiliter in eo divina gratia relucebat, ut nihil sanctum ac religiosum auditu perciperet, quod in corde reconditum non servaret. Unde et de cordis sui thesauro bona proferens, matri suæ sæpe dicere solitus erat: Volo esse bonus servus Dei. Sic spiritus libertatis, ubi vult spirans, divinam huic puero servitutem suaviter inspirabat. Sic puer sanctus proficiebat ætate; sed supra ætatem, Spiritu sancto cooB perante, magis magisque proficiebat sapientia et gratia apud Deum et homines. Quamobrem magnificabat mater ejus Dominum, et in Deo salutari suo spiritualiter exultabat.

Natus parentibus piis:

a proficit sapientia et gratia:

2 Jam vero defuncto patre suo in senectute bona, relicta uxore cum septem filiis (tunc enim alii obierant) beata mater, et vere tali prole beata, filium hunc suum tradere scholæ ac studio litterarum decrevit. In ea autem nocte, qua priori die puer legere cœpit, defunctus pater cuidam commatri suæ in somnis apparuit, dicens ei: Constituit uxor mea filium nostrum Petrum litteralibus tradere studiis. O quam bene mihi sibique ac aliis multis! Dic ergo ei, ut si unquam me vere dilexit, nunc in hoc ostendat, quod constanter perficiat quod incepit. Nec hoc absque speciali Dei provisione factum esse credendum est: nam humani generis inimicus, felicibus hujus pueri successibus invidens, sanctum matris propositum per se suosque ministros impugnare satagebat. Tentabat imprimis puerum, ne studio animum atque operam daret. Tentabat etiam de invidia fratres ejus, sicut olim fratres Joseph, improperabantque matri, quod ipsis laborantibus, ille otio vacaret et quieti. Tentabat rursus quemdam illius terræ divitem, qui puero blandiens, dicebat quod suorum omnium eum heredem constitueret, ut sic per secularia desideria C animum suum ab amore Religionis abduceret. Tentabat denique matrem ejus per quemdam divinum, seu verius diabolicum virum, qui suadebat ei hunc a studio tollere, et alium minorem filium litteris instruere, quia hic cito moriturus esset, nec fieret, prout ipsa speraverat, servus Dei. At nec sic tamen potuit constans ac fortis mulier a suo mutari proposito: recordabatur quippe atque inde confortabatur, cogitabatque ac sæpius animo revolvebat, quæ dicta fuerant de puero, et verificabatur in ancilla, quod de Domina Evangelium loquitur: Maria conservabat omnia verba hæc, conferens in corde suo.

patre mortuo studiis applicatur,

frustra id impedire conato dæmone

Luc. 2

3 Fidelis autem Deus, qui neminem ultra quam possit ferre tentari permittit, post memoratas tentationes diabolicas, etiam divinas consolationes adhibuit, deditque (sicut ipse in Scriptura promittit) cum tentatione proventum. Si modum quæris, audi mirum dictu, audituque novum atque insolitum. Erat puer iste simplicissimus adhuc, et jam primum brevi in tempore Psalterium legere didicerat. Cum beatissimam Virginem et S. Joannem Evangelistam stantes juxta crucem Jesu sæpe videret, visus est ad ipsum descendere, eumque consolando Psalmos cum ipso dulcissime decantare. Angelos quoque de cœlo lapsos, velut pædagogos suos eum instruendo, vidit D in somnis sibi assistere; et si quid forte pueruli more cum suis coætaneis minus decens aut dicere aut facere a diabolo tentatus fuisset, suavi cum increpatione piaque castigatione corrigere. Vidit præterea mater ejus in somnis, quod puer iste custos erat multarum, sicut nix, candidarum ovium: quod ipsa nimis litteraliter intelligens, non parvæ turbationis sibi primitus causa fuit: sed postea turbatio hæc in admirationem, et admiratio in consolationem versa est. Nam filius, cum vix esset duodecim annorum, jam quasi prophetico spiritu somnium spiritualiter exponens, se multarum bonarum animarum futurum pastorem esse prædixit.

1 Cor. 10,

Divinis fruitur consolationibus adhuc puer;

A. PETRO ALLIACO.

4 Sed nec silenda sunt stupenda miracula, quæ ad consolationem matris et filii Dominus facere dignatus est. Fuerat mater triginta annorum spatio et amplius tam gravi infirmitate detenta, quod dexteri lateris debitum vigorem usumque perdiderat. Ipsa, ut Deo devota et fide plena, spe curationis ad locum quemdam sanctum peregre proficiscitur, et una nocte priori sanitati restituta curatur. Hic quoque filius ejus, dum adhuc trium annorum puer esset, ligno acuto in dextero oculo percussus, excæcatur. DespeE rantibus autem medicis de naturali ejus cura, non desperabat mater de spirituali medicina: sed de beata Virgine confidens; ad quamdam ejus ecclesiam puerum deferens, ibi una nocte vigilat et orat: et dum maternus oculus inter devota precum suffragia lacrymatur, oculus filii ipso mane sanus et absque macula restauratur. Quid plura? Alius etiam filius jam adultus, dum messem componeret, arista frumenti ejus oculo inhærente, multis diebus huc atque illuc discurrens, quærensque auxilium et non inveniens, die ac nocte præ dolore nimio clamitabat. Cui mater compatiens, ad priorem medicam convertitur, et ut huic filio, sicut et alteri, medelam adhibeat, humiliter deprecatur. Et ecce adveniente diei luce, minor *b* filius in fratris oculum respicit: et aristam, quæ erat in oculi medio, sine ullo medicamine, solis eam apprehendens digitis, foras mittit, sanitatemque restituit. Rursus devota mater, quodam magnæ famis tempore deficiente sibi pane, cum pro sua suorumque sustentanda vita nullum humanum superesset remedium, ad divinum, et jam in se ac suis filiis expertum, refugit subsidium; convertitque se ad Dominum, et suppliciter orat, ut huic necessitati misericorditer provideat. Mane auE tem imperat filio, ut falcem tollat, et in agrum vadat. Recusabat ille, dicens: Ad quid vadam? Messis quidem adhuc viret: nihil proficiam: nondum enim tempus erat messis. Tandem tamen agrum ingreditur, matri obediens; in cujus medio tanta messis alba et matura, quanta eis fuerat necessaria, invenitur. Nec prætereundum arbitror aliud memorabile, quod eidem muliereulæ contigit, miraculum. Cum enim esset ad Dei Sanctos devotissima, et eorum festivitates magno cum honore coleret, in festo decollationis B. Joannis Baptistæ, quia sequenti die panem facere opus erat, sero illo fermentum disponere volens cœpit cum timore aquam in farinam mittere: et ecce tota farinæ massa subito visa est vermibus scatere. Tunc illa tremens et in terram cadens, a Deo veniam precatur: et statim farina in statum pristinum revertitur. Magna sunt hæc et mira opera tua, Christe, et sive matris, sive filii, sive (ut pie credimus) utriusque meritis facta sint, ad tui nominis gloriam et in hujus Sancti reverentiam, perpetuis erunt seculis prædicanda.

sanatu mira-culo matre,

sanatur ejus ac fratris oculus læsus,

b

et necessitati domesticæ succurritur

5 Hactenus ergo peractis puerilibus annis, deinceps ad provectioris ætatis gesta progredimur. Itaque puer sanctus, factus adolescens, sic jam eremiticæ vitæ et solitudinis fervebat amore, ut cordi ejus

A ejus divinitus illud propheticum merito crederetur inscriptum : *Ecce elongavi fugiens, et mansi in solitudine.* Et rursus illud : *Elegi abjectus esse in domo Domini, magis quam habitare in tabernaculis peccatorum.* Sed quia eo tempore nullus erat in patria servus Dei, cum quo sui propositi exequendi consilium posset habere congruum, ultra vicesimum suæ ætatis annum æstuanti desiderio suo satisfacere distulit. Tandem vero cuidam socio suo cordis secretum aperuit ; Quid, inquit, facimus? Exeamus de patria nostra, et relictis parentibus rebusque omnibus, nudi nudum sequamur Christum, et ad ei serviendum liberius longinquam solitudinem adeamus : verum ut nihil temere et sine Ecclesiæ consilio aggrediamur, Romæ Sedem Apostolicam consulamus. His suasionibus acquievit ille, et cœperunt pariter ambulare. Sed expleto unius diei itinere, male tenax propositi pœnituit, et ad patriam consanguineosque reverti persuasit. Cur ita? Sane quia non satis tractus erat ab eo, de quo Veritas ait : *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.* Sed hic noster Petrus, a Patre cœlesti tractus et inspiratus, inconstanti socio constanti animo ita respondit : Confido in Domino, quia si tu me dimittis, ipse me non dimittet, qui sperantes in se non B deserit. Solus ergo et humano, licet non divino, destitutus consortio, propositum iter aggreditur : in quo post multos labores, terrores atque pericula, unum ei præ ceteris relatu dignum contigisse legitur. Erat in monte quodam Eremita, ad quem dum lætus et gaudens accedere disponit, pro eo maxime, quod is Romam se iturum diceret ; antequam eremiticam cellam intraret, Spiritus Domini illum prohibuit, ne ei cordis sui secreta panderet, sibique illius hypocritæ vitam inhonestam ostendit, et ab ejus consortio periculoso prohibuit. In eodem vero loco altera quadam die, cum sanctus adolescens, absente Eremita, cellam ejus intrasset ; cumque facta nocte non sine multo timore, quam diu potuit, in oratione vigilasset ; aggravatus somno, in terram cadens, obdormivit. Et ecce subito turba magna Angelorum et Sanctorum sibi adesse videbatur, et in ore cujuslibet eorum rosæ rubeæ apparebant : ipsi quoque cœlestes modulos suavesque cantus, supra modum delectabiles, resonabant. Mira res : sed quæ sequitur, mirabilior. Ipse namque hujuscemodi cantus per aliquantum spatium, etiam postquam a somno fuerat excitatus audivit, adeoque lætus et securus factus C est, ut spirituali gaudio satiatus, duobus tantum sustentatus panibus duobusque piscibus quos secum detulerat, solus ibi decem diebus permaneret.

[illegible]. Psal. 54. Psal. 83. Hortatur Petrus socium ad vitam solitariam : Joan. 6. eodem re[s]iliente solus pergit, et cœlesti cantu recreatus, exiguo cibo 10 dies vivit :

6 Post hæc autem Deus, viarum suarum custos comesque præcipuus, propositum Romæ iter distulit, ostenditque illi in monte alio locum, in quo saxum magnum invenit, et sub eo fodit parvam, in qua tegeretur, foveam, quæ vix ad ipsum erigendum atque extendendum poterat sufficere : et ibi trium annorum spatium in magna vitæ austeritate peregit. Hoc ergo in loco, inter multas divinæ bonitatis consolationes, vix crederes, quantas in suæ conversionis principio, vigilando et dormiendo, diabolicæ malignitatis tentationes invictus miles pertulerit, et quam patienter, velut alter Job, sicut bona de manu Domini, ita et mala suscipiens, cum divini nominis benedictione diversa et adversa mundi, carnis, et dæmonis prælia superavit. Sed omnia narrare longum esset, et ad alia festinat intentio.

degit triennio in fossula : Job. 1.

7 His itaque tribus annis in loco memorato peractis, quibus ipse tamquam aurum in fornace probatus est, suadebant sibi, qui ejus noverant sanctitatem, ut Ordinem susciperet Sacerdotalem. Cujus rei causa Romam pergit, ibique Dei Sacerdos efficitur : ac deinde ad montem Murronis accedit, ibi quamdam D cryptam inveniens, in qua sibi habitare complacuit. Cujus sancti hospitis virtus mirabilis etiam signo mirabili declaratur. Nam cum primo locum intravit, ecce subito coram eo magnus serpens egreditur : qui virtutis ejus non ferens præsentiam, ab eo loco discedens, penitus disparuit. Ibi ergo vir sanctus per quinquennium manens, ab eo, cujus omne datum optimum et omne donum perfectum desursum est, plurima recepit munera gratiarum : et tamen se magis ac magis coram Deo humilians, et indignum peccatorem existimans, aliquando cogitavit relinquere Missæ officium, tractare formidans tanti mysterii sacramentum, exemplo summi Eremitæ, quo inter natos mulierum non surrexit major ; exemplo quoque beatorum Confessorum Pauli, Antonii, Benedicti, aliorumque Sanctorum, quibus amica fuit eremi solitudo. Itaque eo sæpe et multum hæc secum cogitante, ut salubre posset super his accipere consilium, Romæ Sedem Apostolicam adire disposuit. Sed ecce appropinquante die, quo debebat iter arripere, de nocte venit ad eum in visione quidam Abbas nuper defunctus, qui primo sibi Religionis habitum contulerat. Quem ille per Deum vivum adjurans, quid sibi agendum sit, humiliter postulat. Ipse vero E ei Missam cum timore et tremore dicere persuasit, et ita disparuit. Eodem quoque die quidam sanctus Monachus, cui confiteri ipse consueverat, idipsum, quod Abbas in visione dixerat, consulens, eum ad sacri mysterii celebrandi traxit fiduciam. Heu ! bone Jesu, heu ! cum quanta cordis amaritudine et frontis erubescentia hæc merito audituri sunt, qui magnis adhuc vitiis obvoluti, tantum Sacramentum intrepide ministrare præsumunt.

Romæ Sacerdotio initiatur, in monte Murronis habitat 5 annis, Matt. 11. ad sacrificandum divinitus animatus,

8 Sane ab hac temeraria damnabilique præsumptione, quam studiose sibi præcaverit humilis servus Dei, non solum præmissa, sed ea etiam quæ sequuntur ostendunt. Nam ob sacri hujus mysterii reverentiam magna ei rursus perplexitas oritur, quidnam sibi agendum esset, cum nocturna pollutione corpus suum maculari contingeret ; licet tamen animus ejus mundissimus, tali immunditiæ possetenus resistere niteretur. Et cum a religiosis Fratribus quæreret consilium, si eodem die celebrandum esset, vel a celebratione cessandum ; nec esset una omnium sententia, aliis sic, aliis aliter sentientibus ; pia mens ejus in dubio fluctuans, ad auxilium recurrit divinum. Et ecce in somnis assistere ei visus est Christus, hujus dubietatis perplexitatem dissolvens ; F eumque parabolica similitudine instruens, quod si asinus suus, id est, brutale et irrationale corpus, pro innata consuetudine suam faceret immunditiam ; non propter hoc rector ejus, id est, rationalis animus, a consensu immundæ carnis illecebræ alienus, deberet ab ascensu cœlestium, hoc est a contemplatione divinorum, vel ab exercitio spiritualium mysteriorum torpere. Qua visione consolatus servus Dei, mentis quietem spiritualemque lætitiam resumpsit, intelligens ob involuntariam legique mentis suæ repugnantem carnis pollutionem, non eum oportere a divini Sacramenti communione cessare

doctusque id nec propter pollutiones nocturnas omittere :

9 Sed hoc exemplum non sine magna discretionis moderatione debemus suscipere : quippe qui huic Sacerdoti sanctissimo valde dissimiles sumus, longeque a sua perfectione et animi sui puritate distamus. Quamobrem diligenter considerandum nobis est, quod nocturna pollutio ex quadruplici causa potest procedere. Aliquando ex crapula, aliquando ex peccati aliqua cogitatione prævia, aliquando ex superfluitate vel debilitate naturæ, et aliquando ex diabolica illusione. Et licet nulla istarum de se videatur esse peccatum, quia cum in somnis ligatus sit usus rationis, non potest tunc proprie fieri peccatum, quod non est voluntarium ; aliquando tamen hujuscemodi

quod ut secure fiat,

A cemodi pollutio potest esse effectus consequens ad peccatum. Ideo summopere debemus in nobis advertere, si in causa pollutionis inveniri possit aliquod peccatum præcedens, sive veniale, sive mortale. Veniale autem dicimus, si peccatum in sola delectatione sine consensu deliberativo finitur : mortale vero, si delectationi deliberatus consensus adjungitur. Hac igitur consideratione prævia, triplex est a nobis regula observanda. Prima, quod quando certitudinaliter constat, vel etiam probabiliter dubium est, quod pollutio ex peccato mortali ortum habet, tunc a Communione abstinendum est de necessitate. Secunda, quod quando constat aut verisimiliter creditur, pollutionem non habuisse ortum ex peccato mortali, sed solum ex veniali, quia expresse invenitur non præcessisse consensum in delectatione, tunc abstinendum est de honestate; ita quod non mortaliter peccat qui communicat, sed venialiter, nisi quando urgens necessitas vel alia rationabilis causa excusat. Tertia, quod quando certum est aut verisimile, pollutionem ex peccato non consurgere, sed ex naturali debilitate vel superfluitate vel diabolica illusione, non consentiente animo sed potius renitente, tunc in arbitrio est communicare vel abstinere, ita quod communicans non est vituperandus, sed etiam abstinens propter Sacramenti reverentiam laudandus est, et securius agere videtur : quia non est facile discernere, ex qua causa procedat pollutio, et an sine peccato acciderit, vel ex mortali aut veniali peccato. Speciale tamen est in sancte et religiose viventibus, quemadmodum hunc vixisse constat, de quo nobis sermo est : si enim tales sentiant per fervorem pœnitentiæ et devotionis cor suum a tali macula, et ejus sequela spiritualis gustus infectiva purgatum, non necesse habent dictis coarctari regulis, quo minus salubriter valeant accedere ad altare. Si etiam ex illusione diabolica cuiquam talium accidat pollutio, non præcedente in eo hujus illusionis causa, sed magis præveniente causa contraria, et hoc ei frequenter acciderit, et illis præcipue diebus quibus maxime communicare tenetur, propter hoc a Communione cessare non deberet, quia signum est, quod diabolus fructum Eucharistiæ, quem communicando perciperet, auferre conatur. Et ad hoc trahendum est illud sancti hujus exemplum, quod supra narravimus : et aliud quoque exemplum, quod de alio quodam sancto Monacho legimus in Collationibus Patrum, cui consultum fuit in casu præmisso communicare : et sic diabolus videns intentum suum consequi non posse, ab illusione confusus et illusus cessavit. c.

triplex assignatur regula.

10 His itaque, occurrente incidenter occasione, interpositis, ad historiam revertamur. Igitur vir sanctus, peracto in Monte Murronis quinquennio, quia adjacentes silvæ destructæ fuerant, et ab hominibus cultæ, majorem solitudinem cupiens; ab eo loco ad montem Magellæ se transtulit, et ibi sub quadam magna crypta habitare decrevit. Discedentibus autem ab eo duobus sociis, qui secum advenerant, quia eis minime placebat locus ille, ipse nihilominus solus remansit. Illi vero post paucos dies, cum quem in Christo visceraliter diligebant, secuti sunt. Quid mirum? Quomodo enim non diligerent et sequerentur eum, qui eos vice versa diligens, si infirmi erant corpore, supportabat : si pusilli corde, confortabat : si pigri aut negligentes, excitabat : si obliviosi aut improvidi, commonebat? O felix illa societas, mutuæ caritatis vinculo copulata, cui cum esset trinitas corporum, ei tamen erat unitas animorum! Cui congruebat illud Apostolicæ laudis præconium; Erat eis cor unum et anima una, et erant eis omnia communia. Cui denique dignum erat psallere illud Davidicum : Ecce quam bonum et quam jucundum, habitare fratres in unum. His ergo tribus Fratribus in sanctæ Trinitatis nomine congregatis, non loci amœnitas, sed animi caritas, habitationem illam desertam fecit esse jucundam. Memoratam siquidem cryptam montis illius, hispidi penitus et prærupti, sed unde planum iter eis esset ad supernam patriam, non fastuoso murorum ambitu, sed humili clausura, de fasciculis ex frutetis spinisque composita, vallaverunt; et in ea pauperrimum ac modicum sibi fecerunt habitaculum, ut ex eo tandem amplissimum cœli palatium divites ingredi mererentur.

In monte Magella,

sibi ac duobus Sociis cellam sepit :

Actor. 4, Psal. 132.

D *A. Petro Alliaco*

11 Sed adversarius fraternæ caritatis diabolus novam eis tentationis occasionem suscitare nititur. Nam mense Junio, dum terram illam jam fervida torruit æstas, ecce nocte quadam visum est viro Dei, totam cellam per circuitum igne succendi. At ille Fratres suos evocans : Surgite, inquit, velociter, et omnia foras projicite. Illi autem surgentes, et videntes cellam ardere, secum deferentes quæ poterant, quantocius effugerunt, et rursus adversus eum murmurare cœperunt, quod ad talem locum inhabitandum venisset : credebant enim ignem ab alto montis vertice descendisse. Sed vir sanctus a Deo confortatus, in corde suo proposuit locum illum nullius adversitatis occasione relinquere, etiamsi corpus suum torqueri contingeret incendio. O magnum virtutis opus! Statim ut hic ignis caritatis in cordis sui secreto accensus exarsit, alius ignis ab exterioris habitaculi loco, quasi somnium fuisset, evanuit. Licet autem plures ex devotis amicis suis, causa spiritualis consolationis eum quandoque visitantes, inhabitationem illam, tamquam eis gravem et difficilem, dissuaderent servo Dei; ille tamen arguentes eum non redarguens, sed, ut erat mitis et humilis corde, vultu placido, mente tranquilla per mitia verba eos temperans, respondebat : O carissimi, tunc ad hunc locum libenter et faciliter venietis, cum veniendi voluntas ex magno devotionis fervore processerit. Quod verbum, quasi a Spiritu sancto prophetice dictum, efficaciter impletum est. Nam cito post, multos eorum atque aliorum devotorum tantus accenderat ardor, ut certatim ad eremum et sacram illam solitudinem properarent, et ad eum deinceps mundum relicturi venirent. Qui licet, quantum poterat, eos suscipere renueret, imperfectum suum humiliter allegans, et dicens se ad aliorum pastorale regimen simplicem esse minusque peritum, et ideo desiderare semper manere solitarium; tamen caritate victus, aliquando assensum præbuit, et quosdam ad consortium eremiticæ ac monasticæ vitæ recepit.

cujus apparens incendium,

sua constantia evanescere facit,

et plures socios admittit :

E

F

12 Multis autem magnis ac mirabilibus signis Spiritus sanctus declarare voluit, quod locum illum, tamquam speciale sibi habitaculum elegerit. Primum siquidem, cum Fratres ibi habitare cœperunt, quædam columba apparuit, quæ semper cibum capere videbatur in eo loco, in quo postea altare oratorii situatum est : et ibi sæpius habitans, etiam dum Officium cantabatur, adeo Fratribus erat domestica, acsi ab eis fuisset enutrita. Et ut hæc apparitio vera esse et non sophistica crederetur, operante illo Spiritu veritatis, qui supra Christum in columbæ specie apparuit; hæc columba non ibi parvo tempore, sed trium annorum spatio, in sanctæ Trinitatis nomine, sub ea qua dictum est d domesticitate permansit. Nec hoc signum digno effectu caruit. Nam postea ad honorem sancti Spiritus pulchrum ibidem oratorium constructum est, et ad impetranda ejus spiritualia dona, illuc plurimi cum ingenti devotione etiam de longinquis partibus advenerunt, quibus Paracleti consolatio et munificæ largitatis ejus gratia non defuit.

ob columbam ibi familiarem,

Matth. 3 ad honorem S. Spiritus oratorium construit.

13 Quanta vero et quam magnifica munera gratiarum

A tiarum Spiritus sanctus in eo loco postea contulerit, admirari magis possumus quam referre : pauca tamen ex multis sequens narratio declarabit. Quadam enim die, cum aliqui de patria vicina ad dictum oratorium convenissent, et eis servus Dei de verbo vitæ loqueretur, supervenerunt quatuor viri de alia patria; in quorum adventu tam vehemens in eo spiritus caritatis exarsit, quod vix se poterat continere. Unde velociter exclusis a se prioribus convicinis, et illis qui supervenerant receptis, cum Fratribus ad reddendum Deo laudes oratorium pariter intraverunt. Et dicentibus illis divinum Officium, ecce subito audire cœperunt sonum multarum et magnarum ac suaviter resonantium campanarum. Unde illi valde attoniti mirabantur : erat enim locus ille ab omni hominum habitatione tam remotus, ut nullus inde campanæ sonus posset audiri. Exeuntibus autem illis ab oratorio, erectis auribus et elevatis oculis in cœlum, tanta rei novitate permoti, devotas præ gaudio lacrymas fundunt, et Deo debitas gratiarum referunt actiones. Quid plura? Post habita cum viro sancto salutaris eruditionis colloquia, dispersis et datis pauperibus omnibus bonis suis, Christum pauperes secuturi, sacræ Religionis habitum suscipiunt.

A PETRO ALLIACO in quo campanarum sonus divinitus editur,

B Sed nec illud est sub silentio transeundum, quod hujuscemodi campanarum sonus ac strepitus, non tunc, aut semel solum, sed sæpenumero nocte dieque, horis præcipue divini Officii, auditus est : nec solum ab illis Fratribus, sed a pluribus etiam aliis de vicinis urbibus et adjacentibus locis : nec æqualis semper : nec ab omnibus æqualiter : sed in majoribus festivitatibus major audiebatur pulsatio : in ipsa quoque Dominici corporis elevatione major campana, et quæ dulcius ceteris resonabat. Et cum tantus esse ille sonus, et adeo repleret auditum, ut vix posset quandoque sine læsione tolerari : tamen (quod est dictu mirabile) quanto quis aures ei ac commodabat attentius, tanto remissius audiebat. Unde si vera sunt hæc, imo quia vera sunt, satis cognoscere possumus, sonum illum non phantasticum fuisse, sed vere cœlestem, divinoque formatum miraculo. Quod etiam ex hoc evidenter conjicimus, quod per hunc sonum constat aliquos a duplici, mentis scilicet et corporis, infirmitate fuisse sanatos, et ab infestatione diabolica liberatos. O igitur verum, et veræ ac miræ virtutis sonum! qui non solum corporis, sed etiam cordis aures, ceterorumque vires membrorum, animorum quoque virtutes tam efficaciter penetravit.

isque major in solennioribus festis :

C 14 Jam vero nos, qui cœlestium campanarum sonos narravimus, etiam cœlestium spirituum voces silere non debemus. Audiebantur enim ibi sæpius dulcissimæ voces, suavissimique cantus Angelici, quandoque in cella viri sancti, quandoque in oratorio Fratrum, ipsis divinum Officium cantantibus : quandoque vero etiam cessantibus ipsis atque pausantibus, quasi eis ferentes auxilium, fortius resonabant. Vidit ibi et audivit vir sanctus multa secreta cœlestia, quæ singulatim exprimere longum esset. Sed unum inter cetera jure subticeri non potest. Cum enim ipse semel in aurora diei solitarius sederet in cella, et aperta fenestra in libro suo legeret, ecce subito apparuerunt extra cellam complures spiritus gloriosi, qui euntes per circuitum loci, dedicationis Officium decantabant. Quo finito, eorum visio statim evanuit. Postea tamen cuidam Fratrum vir quidam splendidus apparuit, dicens ei : Scias, quia hoc oratorium a Deo ædificatum et dedicatum est. Et hoc tibi dabo signum in testimonium veritatis : hoc enim mane, cum sacratum locum intraveris, lampas, quæ ante altare accenditur, nullo apparente qui eam deferat, huc atque illuc oleo plena movebitur. Quod et factum est, videntibus et admirantibus Fratribus universis.

et cantiones Angelorum auditæ, dedicationem celebrantium :

15 Sed sicut locus iste a Deo specialiter electus D et dilectus fuisse, præcedentibus signis pluribusque aliis indiciis declaratur; sic diabolo non ambigitur fuisse singulariter odiosus. Unde plures Fratrum sæpe viderunt turbas dæmonum, in silva circa hunc locum rugientium, volentiumque sed non valentium introire. In quadam insuper Quadragesima, cum Fratres multo jejunio et orationi ceterisque operibus bonis, quantum poterant, se dedissent, tanto magis malignus ille spiritus tentabat eos subvertere : sed adjuvante eos Spiritu sancto, nullatenus potuit prævalere. Qui cum eos interius in corde lædere nequivisset, sicut de B. Job legitur, exterius ipsos lædere tentavit in corpore. Job. 2. Nam Dominica in Passione de nocte, antequam ad vigilias surgerent, aperte eis apparuit, nec facile est exprimere quanto eos timore ac tremore percusserit. Unus autem illorum eversis manuum digitis, earum usum perdidisse credebatur. Clamabat ille, et cum illo ceteri : non eis erat alicubi securitas : non in cella, non in choro, non in ecclesia, quia ubique teterrima videbant dæmonia. Sed vir sanctus hæc sentiens, in cella sua orans, misit ad eos, dicens quod in divino perseverarent officio, nec his diabolicæ fraudis machinamentis succumberent, sed resisterent fortes in fide. Facto autem mane hæc omnia evanuerunt phantasmata. Sic ergo dispensante optima Dei providentia, hi servi sui, ad suæ probationem fidei et virtutis exercitium, inter varias Spiritus sancti consolationes, etiam has aliasque plurimas maligni spiritus tentationes perpessi sunt, sicut magnus Christi athleta, qui ait : Ne magnitudo revelationum extollat me, datus est mihi angelus satanæ, qui me colaphizet. 2 Cor. 12

visi etiam dæmones in eo infesti :

16 Hæc autem, quæ hucusque pie ac fideliter, Christo teste, retuli, ideo certiori fide majorique devotione me revereri fateor, qui ab hoc sancto viro, non ad sui gloriam, sed ad Dei laudem et proximi ædificationem, pure et simpliciter narrata historiæ veritate, ac propria ipsius manu scripta, in cella ejus inventa sunt. Non enim arbitror quemquam, qui vel tenuem sensum religionis habeat, tantum sacrilegii crimen velle committere, ut putet eum in hoc scripto fuisse mentitum. Absit a quolibet, qui sub Deo vivit, ista suspicio : horrescat hoc audire animus humanus, c quia non est hominis vox ista, sed dæmonis. Neque enim vir iste sanctus hoc quæsivit aut indiguit, ut vel a se vel ab aliis ullis mendaciis laudaretur. F Nam cum multa illius gesta innotuerint mundo, quia non potuerunt celari, tamen innumerabilia esse dicuntur, quæ, sicut de B. Martino legitur, dum ipse jactantiam vitavit, occuluit, nec in hominum passus est notitiam pervenire : quippe qui humanam laudem supergressus, et mundi gloriam calcans, virtutis suæ conscientia, cœlo teste, fruerετur. Ceterum si forte in his, quæ ipso auctore de gestis ejus superius memoravi, offendat aures, quorumdam nimium delicatas sermo rusticior, super vos, Fratres carissimi, mea erit excusatio. Nam qui mihi tribuistis hujus Sancti gesta narrare, illud etiam concedere debuistis, ut mihi liceret, exemplo illius, sermonum phaleras et verborum ornamenta contemnere.

fides supra dictis adhibenda quia a S. Cœlestino scripta fuerunt.

ANNOTATA.

a *Non solum matri apparuit, sed revera coram omnibus sic prodiit, eo modo quo solent aliqui galeati nasci, parte scilicet secundinarum caput obvoluti, quod raræ felicitatis præsagium existimatur. Tellera in Vita Italica addit, quod* pellicula parvulum involvens, sic fuerit nigro et albo variegata, ut referret colores ejus

A ejus habitus, quo donandus erat Ordo ab eo nasciturus.

b *Marinus cap. 3 ait, Petrum jam tum fuisse Clericum.*

c *Indicatur Auctor Collationis 22 apud Cassianum cap 6, ubi hæc prolixe pulchreque narrantur : sed et præcedentibus Capitibus similia Doctrinæ hic propositæ traduntur : eodemque facere potest ex Palladio. Hist. Lausiacæ Caput 68.*

d *Surius, Latina magis phrasi,* domestica consuetudine.

PROLOGUS LIBRI II.

Habac. 3. Eccli. 15. Psalm. 49

Cogor nunc, Fratres carissimi, et merito compellor dicere cum Propheta : Domine, audivi auditionem tuam, et timui. Audivi quippe Dominum Sapientis voce docentem, quod non est speciosa laus in ore peccatoris. Audivi rursus per Prophetam peccatori dicentem : Quare tu enarras justitias meas, et assumis testamentum meum per os tuum? Audivi ergo, Domine Deus, hanc tuæ eruditionis atque com-
B minationis auditionem, quam si cordis, sicut corporis aure perceperim, nimirum timui. Quomodo enim non timerem peccator indignus, cum se timere asserat Propheta sanctus? Quomodo, inquam, non vehementer timerem, aut quomodo tam obliviosus præmissorum auditor, vel meæ conditionis tam immemor essem, ut absque timore et erubescentia mihi temere arrogarem hujus sancti Petri Confessoris laudes exprimere, et suas imo potius gloriosi Dei in Sancto ejus virtutes enarrare, qui multis et magnis oneratus peccatis, et adhuc carnis passionibus obnoxius, suavitatem Spiritus necdum senserim, tantam indignus sapere dulcedinem? Ideo non immerito proposueram manum a calamo retrahere, et in his, quæ superiori libello narrata sunt scribendi audaciam terminare. Sed jam video, dilectissimi Fratres, quod vestris desideriis præmissus meæ narrationis sermo nondum satisfacere valuit ; nisi etiam illa scribam, quæ de hoc viro sancto a devotis suis Fratribus, veridicis utique ac fidelibus auctoribus, tradita sunt, et in veritatis testimonium etiam Apostolica auctoritate firmata. In hoc ergo non meæ, sed vestræ voluntati, obtemperans, cui resistere caritas vetuit ; de vestris etiam, non de meis orationibus et meritis, confisus, ad illa scribenda securus
C et audax, utinam non præsumptuosus et temerarius progredior.

INDEX CAPITUM.

CAPUT I.

Raræ ejus virtutes. Regula pro monasteriis suis a Gregorio X probata Zelus animarum. E

Sed unde potius exordiar, quam ab oratione, cujus in hoc sancto viro tam fervens, et tam jugis et frequens fuit devotio, ut eam magis mirari valeam, quam referre? Vacabat enim nocte dieque devotis orationibus : et licet terram corpore, cœlum tamen mente habitans, jam quasi divinis frui videbatur colloquiis. Surgebat media nocte cum Propheta, ad confitendum nomini Domini : et expleto matutinali officio, legebat *a* Psalterium cum litaniis et suffragiis quamplurimis, nec deerant oris vocibus cordis gemitus, et abundantes fluvii lacrymarum. In aurora vero Missam tam devote celebrabat, ut etiam mentes adstantium quodam ardore caritatis accenderet. Qua finita, iterum, ut prius ad psalmodiam et orationum suffragia recurrebat. Ac deinde singulis horis Deo debitum persolvens officium, non solum septies in die, sed quasi continue divinis laudibus cum lacrymis et genuflexionibus insistebat. Si quid vero temporis superesset, quo ab oratione cessaret, non illud dabat otio vel quieti, sed aut necessitati naturæ, aut utili exercitio ac labori. Scribebat enim libros et conpingebat, vel suebat vestes suas, aut suorum confratrum, ut tentator malorum diabolus, in bonorum operum labore semper eum inveniret occupatum. F

Assiduus in oratione, — Psalm. 118. — *a* — *Missam devotissime celebrat,* — *manibus laborat;*

2 Ut autem sanctus vir Dei orationi ac contemplationi vacaret liberius, carnem suam miris modis spiritui subjici et servire cogebat. Unde eam velut hostem domesticum totis viribus domare studens, nec sanus, nec infirmus carnibus vescebatur. Vinum quoque rarissime bibebat, sic tamen aqua mixtum, ut videretur vini speciem perdidisse. Semper etiam, nisi in Dominicis diebus, jejunabat ; nec ea, quæ gustui saperent *b*, sed quæ vix debilitatem corporis ejus sustentarent, assumebat in cibum. Et cum hæc ageret quotidie, specialiter tamen sexta feria arctiori jejunio, in pane scilicet et aqua, carnem suam affligebat, in se compassionem exercens Dominicæ passionis. Sed licet cibo et potu parcissimo uteretur, de eis tamen, velut de magnis Dei beneficiis, devotas et largifluas gratiarum actiones Domino exhibebat. Et ut corpus suum parce, sic animam abundanter pascebat, eam sacræ Scripturæ et aliorum sanctorum librorum lectione, velut spirituali cibo et potu, jugiter reficiens, illud firmiter gerens in animo, Non ex solo pane vivit homo, sed ex omni verbo quod procedit de ore Dei.

carnibus numquam vescitur, — *b* *feria 6 arctius jejunat;* — Deut. 8.

A. PETRO ALLIACO.

sex Quadragesimas observat,

A 3 Licet vero ipsa, quam diximus, abstinentia potuisset merito sufficere, ea tamen vir Dei minime contentus, sex *c* annis singulis Quadragenas observabat, in quibus uno tantum insipido ferculo utebatur: et in tribus earum in pane et aqua jejunans, quandoque solis foliis caulium absque pane, quandoque solis crudis fructibus vescebatur. Nec enumerari facile aut narrari potest, quanta austeritate die noctuque majoribus se abstinentiæ frænis astrinxerit, quibus humanam fragilitatem quasi inhumaniter refrænans affligebat, ita ut insectari ipsam mortem et rapere velle videretur. Unum quippe ab eo gestum traditur, quod plurimis fortasse, ut de Origene ait Eusebius, minus perfecti sensus esse videbitur, sed perfectæ fidei indicium continens. Quodam enim Quadragesimali tempore, quasi fortiora tormentorum genera excogitans, ut jejunium austerius adimpleret, et divinæ contemplationi vacaret attentius, in foveam quamdam descendens, solum panes decem et octo cepas pro sustentatione intulit. Et ecce cum ibi imbrium et nivium frigorisque nimia invaluisset asperitas, vestimenta ejus glacierum tenacitate sic adhæserunt circumstantibus foveæ parietibus, ut B viginti diebus immobilis permaneret, in Dei laudibus tamen perseverans. Et expleta hujusmodi Quadragesima *d*, cum supervenissent quidam devoti, qui pro sancta ejus benedictione accipienda ad eum tunc accedere soliti erant, ipsum quasi semivivum repererunt: et inde cum fletu et planctu eum trahentes, et accenso igne refocillantes, adhuc ibi quinque panes, qui superfuerant, invenientes, mirati sunt *e*. O quam mirabiliter tanto tempore eum quinque panibus pavit in antro, qui multa hominum millia quinque panibus satiaverat in deserto! Postea tamen audivit vocem sibi dicentem, eumque divinitus docentem: Frater Petre, inquit, noli tam grave onus asello tuo imponere: quia si eum perimis, inde coram Deo redditurus es rationem. Quo audito, se deinceps a tam gravibus et importabilibus corporeæ fragilitati oneribus aliquatenus temperavit. Sed hic te alloquor, o mira Dei providentia. Qui enim cuncta sapienter suaviterque disponis, cur hujus servi tui animum in tantam et tam immoderatam, ut ita dicam, pœnitentiam attrahere voluisti, a qua eum postea tuo pio moderamine retrahere decrevisti? Sane hoc ideo, ut magnum fidei ejus zelum ostenderes, et per hoc arduum, et magis admirandum quam imitandum exemplum, nos molles nimis et desides, C ad qualemcumque pœnitentiam provocares. Sic Abraham ad immolandum filium excitasti, non ut immolando occideret, sed ut occidere volendo, obedientiæ justitia innotesceret, et justi obedientia ceteris exemplum demonstraret.

et unam in fovea frigore constrictus,

ac quinque panibus solis victitans.

Cilicio vestitur,

catenaque ferrea,

4 Nec solum fidelis Dei servus in abstinentia plurima, in jejuniis indesinentibus, in vigiliis pene jugibus: sed etiam in rebus ceteris admirandam cunctis seculis pœnitentiæ austeritatem observare satagebat. Ipse namque vilibus multum et asperis vestimentis indutus, ciliciis de pilis equorum reticulatis et nodosis utebatur, sicut Baptista Joannes de pilis camelorum vestiebatur. Fuit ille magnus doctor et prædicator pœnitentiæ: iste vero magnus ejus imitator et discipulus: magna tamen quædam de discipulo narramus, quæ de magistro non legimus. Hic namque ad nudam carnem catenam ferream, vel quandoque ferreum circulum deferebat: hic strati mollitiem spernens, super terram ac nudis tabulis, vel cancellatis craticulis, vestitus cilicio et præcinctus lumbos ferreo circulo aut catena, dormiendo jacebat: et pro pulvinari lignum aut lapidem, vel aliquid hujusmodi capiti supponebat. Et, quod mirum est dictu, etiam infirmus numquam molliori lecto usus fuisse perhibetur. Quid plura? D Hic in quibusdam prædictarum Quadragesimarum temporibus solo cilicio pro omni veste usus est. In quibusdam vero cilicio, superimposita lorica, cujus pondere caro ejus per subintrantes cilicii nodos sæpius vulnerata, sanie et vermibus scaturiens putrescebat. Quid hic dicimus? Unde tanta in mortali et fragili corpore fortitudo? Unde tam fortis in homine debili tolerantiæ virtus? Sane tam longum tamque austerum martyrii genus homo Dei supra hominem, non humana, sed divina virtute sibi specialiter assistente, tolerare potuisse credendus est. Ideoque fieri potuit, ut tam onerosum jugum non solum fortiter et libenter, sed leviter et suaviter tolleraret illius gratia, qui ait: Jugum meum suave est, et onus meum leve. Matth. 11,

et duriter cubare solitus.

5 Congruebat igitur, ut lucerna hæc ardens et lucens non absconderetur sub modio, sed supra candelabrum poneretur, ut luceret omnibus qui in domo Dei sunt. Ideoque cum aliquamdiu latuisset in eremo, postea palam innotuit mundo. Virtutum namque suarum splendor, et rutilans caritatis flamma, et odorifera omnimodæ sanctitatis fama ita generaliter dispergi longeque ac late diffundi meE ruerunt, ut ad sanctæ vitæ societatem, ejusque imitationem multos allicerent. Unde factum est, ut tanta ad eum multitudo Fratrum, suo subdenda magisterio et exemplo docenda conflueret, quod ad eorum convenientem habitationem varia oportuerit loca construere. Quæ cum pauperrima essent, non desinebat vir sanctus Fratrum paupertatem sua visitatione consolari, et beatæ paupertatis Christi eis documenta atque exempla proponere, ceteraque præcepta et Evangelica consilia, quæ ipse singula summo amore et studio impleverat, summa diligentia implenda docere. Et ne pusillus grex, quem sic ovili Christi aggregaverat, dispersus periret, cum audisset vir Dei omnes Ordines, per Apostolicam Sedem non approbatos, debere cassari, in generali *f* Concilio Lugdunensi, tunc sub Gregorio Papa X celebrando; ipse ut pius et verus Pastor, animam suam ponens pro ovibus suis, non sibi nec laboribus suis parcens, licet debilis et confractus, non equitando, sed pedibus eundo, assumptis secum duobus Fratribus, iter illud longum et asperum cum magno vitæ suæ periculo arripuit. Sed Dei auxiliante gratia illuc perveniens, ultra quam sperabat, in oculis summi Pontificis gratiam invenire meruit, et privilegium confirmationis sui Ordinis sub B. Benedicti Regula impetravit. Quod benedictus Deus pia F dispensatione fieri voluit, ut benedicta illius sancti Patris Regula, tunc multum, et nunc magis a quibusdam (pro dolor!) solo nomine monachis conculcata, per novam hujus sancti Ordinis institutionem relevata, in melius reformetur.

Multos sibi adsciscit socios:

in Concilio Lugdunensi impetrat a Gregorio X ordinis confirmationem:

6 Nec prospero fine et fructuoso eventu frustrata est regulatissima ordinatrix, et ordinatissima omnium ordinum regulatrix Dei voluntas atque dispositio. Nam post immensos illius itineris labores, post innumera viæ pericula, post latronum *g* insidias, a quibus miraculose, misso sibi divinitus nuntio in effigie militis, super equum album sedentis et ejus viam dirigentis, ereptus atque liberatus est, *h* post alias quoque varias tribulationes et molestias, quas non solum in se, sed eo absente etiam in Fratribus suis et eorum monasteriis et bonis, a quibusdam illorum locorum Episcopis pertulit; post hæc, inquam, tam diversa et adversa laborum atque periculorum genera, tandem divina eum protegente gratia, ad propria reversus, cum ingenti gaudio et omni exultatione suscipitur. Et cito post, congregatis undique Fratribus suis, in monasterio sancti Spiritus de Magellis generale Capitulum celebrat: ubi eodem Spiritu inspirante multa cum eis de observatione mandatorum

in reditu servatur a variis molestiis.

D mandatorum Dei et dictæ Regulæ pertractans,

statuta condit, i

plurima statuta *i* valde salutaria ad reformationem monasticæ disciplinæ utiliter ordinavit. Et ex tunc et deinceps multa loca et monasteria, etiam quædam quæ monachorum nigrorum fuerant, suo Ordini mancipavit *k*. Crevitque adeo ejus sancta

k

Religio, ut in brevi triginta sex loca Domino dedicarit, in quibus fere sexcenti Fratres et oblati, cum multa devota familia, variis virtutum et bonorum operum exercitiis insudabant. Et quia multi devoti

habet sub se 36 loca

seculares, habitum religionis assumere non valentes, societatem et participationem Ordinis habere zelabant, constituit quamdam Confraternitatem: in qua sub certis salutaribus observantiis, in pluribus civitatibus et locis, innumera utriusque sexus multitudo, in misericordiæ aliarumque virtutum operibus proficiens, Christo et membris ejus pia exhibebat obsequia. Sic Deus novellæ vineæ, quam per servum suum plantaverat, magnum in tam brevi tempore dare voluit incrementum, simulque multiplicavit gentem, et magnificavit lætitiam. Nam de hujus Religionis multiplicatione et magnificatione totus

B exultabat orbis, et virum Dei ac Fratres ejus, tam-

Confraternitates instituit:

quam Sanctos, universus exaltabat populus: quippe cum Deus non solum per eum, sed etiam per plurimos Fratrum suorum, multa et magna miracula sua *l* mirabili gratia edere dignaretur.

l

7 Nec solum, ut prædiximus, sed aliis miris et inenarrabilibus modis fuit ei magnus caritatis zelus:

magno zelo procurat salutem animarum,

non solum ad suorum Fratrum, sed etiam ad cunctarum animarum salutem. Nec enarrare facile est, quot de faucibus diaboli animas extraxerit, quot a via pravitatis ad viam pietatis, a vanitate ad veritatem, a cupiditate ad caritatem, a superba elatione ad humilem subjectionem attraxerit. Unde factum est, ut ejus doctrina et exemplo, viri et mulieres circumadjacentium locorum omnes pene religiosi viderentur. Quod si inter eos lis aliqua aut discordia oriretur, si quod scandalum, si quid bonis moribus adversum nasceretur, ejus auctoritate et consilio quasi divino quodam mandato territi, cuncti fuerunt ad emendationem conversi. Sed quis exprimere sufficiat misericordiæ zelum, quem ipse specialiter gerebat erga pauperes? Ipsos quippe non solum spirituali, sed etiam corporali refectione fovebat. Unde cum ad eum undique confluerent, eis

benignus in pauperes, Psal. III.

ultra quam dici possit compatiens, eleemosynas erogabat. Cumque multa ei et suis pauperibus Fra-

C tribus donarentur, ipse tamquam fidelis dispensator, Prophetæ doctrinam secutus, dispersit omnia et dedit pauperibus: et ideo justitia ejus manet in seculum seculi. Sic ergo omne quod ipse possidebat, omnium quasi commune patrimonium erat. Nam ut inopibus alimenta, dotes virginibus, remedia infir-

m

mis, et oppressis subsidia largiretur, *m* præcepit suis Fratribus non solum oves et boves et alia monasteriorum suorum animalia, sed etiam argenteos calices et sericas vestes aliaque pretiosa ecclesiarum ornamenta vendere: ut harum rerum pretia in pretiosiorum eleemosynarum præmia commutaret. Nolebat autem Fratres suos aut divitiis abundare, aut rebus pretiosis delectari, sed paupertatem Christi tenere, ac eorum pauperem vitam exemplo Apostoli et secundum regulam B. Benedicti ac sanctorum Patrum documenta, manuum suarum laboribus sustentari.

8 Confluebant autem ad eum non solum pauperes, sed etiam divites, et omnium statuum homines, et

ad se venientes optime instituit,

ecclesiastici et seculares: quos juxta suæ exigentiam conditionis devote, reverenter ac humiliter suscipiens, spirituali eleemosyna, verbo scilicet sanctæ doctrinæ, velut cibo spiritualis alimoniæ, pascere et abundanter reficere satagebat. Et licet vir ille simplex et rectus non multum foret peritus, D

A. PATRO ALLIACO.

aut magna litterarum scientia præditus, illa scilicet quæ stultitia est apud Deum (quia, ait Apostolus, quæ stulta sunt mundi, elegit Deus ut confundat fortia) tamen divina sapientia repletus, omnes salubriter instruebat, singulos juxta congruentiam suorum statuum specialibus monitis erudiens. Cumque non solum simplicibus et popularibus, sed etiam disertis et sapientibus de divinis rebus loqueretur; non tentabat verba proferre diserta, sed fortia: nec ad audientiæ popularis illecebram cultu fucata, sed ad divinam gratiam et gloriam consequendam rudi veritate simplicia et simplici puritate utilia. Unde quia doctrinæ ac vocis ejus puritas, et pura sinceritas non eloquentiæ viribus utebatur ad virtutis argumenta, sed rebus; ideo manifeste et evidenter aderat ei divina gratia, per quam innumeros sui

1 Cor. 1

sed absque fuco verborum,

imitatione ad virtutum opera provocabat: quippe qui non solum verbo, verum etiam in opere consummatæ disciplinæ præberet exempla. Hoc autem de eo singulariter admirandum narratur, quod nullus erat tot vitiorum laqueis irretitus, aut tantorum peccatorum pondere pressus, qui sancta facie E ejus prospecta, et auditis ejus verbis mellifluis, ad conscientiæ compunctionem non rediret, vel ab ejus præsentia absque consolationis gratia recederet. Et qui eum semel viderat, illum revidere cupiebat ar-

compunctosque ac consolatos dimittit

dentius: ideoque tanta ad eum populorum frequentia concurrebat, quod non erat ei omnibus loquendi facultas; sed ut ejus visione consolarentur, locum aliquem eminentiorem ascendebant, ut data ab eo benedictione recederent: ubi quandoque plures infirmi et dæmoniaci ejus precibus et meritis sanabantur.

ANNOTATA.

a *Surius vertit* Psalmos Pœnitentiales.

b *Maphæus*, Panis *inquit*, quo vescebatur, multo erat semper tempore ante decoctus, scatensque sæpius vermibus, durus etiam instar lapidis, qui vix frangi nedum incidi posset: quem et ipse solebat per æstatem ad solis æstum ponere, quo decoctior etiam aridiorque redderetur.

c *Surius solum* quatuor Quadragesimas *scripsit: sex autem sic partitur Tellera parte 3 cap. 2; ut prima fuerit, quæ vulgo Major dicitur, communis omnibus Christianis: secunda a Feria 2 post Octavas Paschæ usque ad Pentecosten (et huc facit quod scripsit ipsemet Opusc.* I, *parte* I *cap.* 2. Licet quidam dicunt illos quinquaginta dies, qui sunt a Paschate usque ad Pentecosten esse a jejunio exemptos; si tamen aliquis ex devotione jejunet, non est prohibendus: atque utinam semper jejunassemus!) *tertia a festo SS. Petri et Pauli usque ad festum Assumptionis Mariæ dierum* 48: *quarta dierum* 47, *ab Exaltatione sanctæ Crucis* 14 *Septembris ad finem Octobris: quinta dierum* 46, *a die Sanctorum Quatuor Coronatorum* 8 *Novembris ad Natalem Domini: sexta, ab Epiphania fere usque ad Quadragesimam majorem.*

d *Maphæus:* Exactis viginti diebus.

e *Idem addit:* Sed et alio tempore Quadragesimæ non leviora his aggressus est. Relictis enim sociis inhabitavit rupem quamdam cavatam, nudo corpore, solum indutus cilicium: dunoremque numquam Quadragesimam, propter nimiam frigoris asperitatem, se egisse ipse confessus est.

f Concilium *illud* Lugdunense *celebratum fuit an.* 1274, *a die* 7 *Maji ad* 17 *Julii.*

g *Maphæus causam addit, quia* in Lucensi agro ac Pistoriensi, cum cives utrimque gravissimis odiis agitarentur, turbata erant itinera a pessimis grassatoribus,

A JACOBO ALLIACO.

A grassatoribus, qui insidiabantur non tam rebus quam vitæ transeuntium. *Non tamen inter hos, sed his aliisque Guelfis confœderatis bellum Contra Pisanos fuit, ut scribit certior istarum rerum testis Ptolomæus Lucensis ad hunc ipsum an.* 1274. *Sic autem habet:* Hoc eodem anno Guelfi Tusciæ, videlicet Florentini, Senenses, Pistorienses, Pratenses, S. Miniati, S. Geminiani, Vulterranenses, Collenses, cum Lucensibus fecerunt societatem contra Pisanos, et duravit guerra duobus annis.

h *Maphæus:* Hac vadentem sanctum hominem comitari visus est, albo quidam invectus equo atque insigni præstans forma, commonereque amice ut cautius saluti suæ prospicerent, propter infestos qui circum latitabant viarum insidiatores. Prætergresso eo deinde longius, ex silva quadam quam in'roierant, tres in eum atque in socios simul latrunculi, quasi opulentam prædam nacti, irruerunt: sed miro Dei judicio, tres utique pari numero serpentes, ac si opem sanctis hominibus allaturi viderentur, impetum in eos fecerunt. Qui exterriti fugatique, cum inde divertentes alio in loco illis denuo insultassent, a tribus denuo serpentibus exturbati pulsique effu- B gerunt. Tandem præeuntem longe illum socii, compresso gradu adhortati sunt ut retrocederet: animadvertebant enim nihil immutatum insidiatorum ipsorum animum, anhelantem omnino quod conceperant perficere. Dum autem retro quantocius iter agerent, rursus formosus ille eques, qui primo eos periculi, quod postea offenderant, certiores cautioresque fecerat, læto obvians vultu; securo ut animo essent hortatus est: quos et recta simul deducens via, numquam, donec ab omni viarum discrimine erepti fuerunt, incomitatos reliquit: atque ubi ad locum [securum] pervenerunt, indicato ad quod profecturi erant oppido, statim disparuit,

i Statuta *hæc approbavit ipse factus Pontifex, per Bullam quæ habetur tom.* 1. *Bullarii, atque ex parte in Supplemento recitabitur.*

k *Maphæus in particulari hæc addit:* Deinceps multa ab aliis destituta desolataque monasteria refecit, refectaque dedit habitanda Monachis suis: præsertimque monasterium in Fayfolis vocatum, dicatumque nomini Virginis Mariæ, cujus olim Abbas, quem supra memoravimus, habitum ei primo Religionis dederat. Hoc cum neglectum penitus dirutumque esset restauravit ipse, reparavit, ornavit, C auxit insuper opulentis quæ ante ei debebantur prædiis atque amplissimo monachorum cœtu, magna cum omnium circum habitantium populorum gratulatione ac veneratione... captus postea amore solitudinis, secedens inde, alium quem noverat sanctæ vitæ virum loco sui suffecit. Verum urgente tyrannide cujusdam Simonis præpotentis hominis, qui sex annos vim injuriamque inferre sanctis Monachis numquam destitit, migrarunt inde consilio et monitu optimi Patris: atque in monasterium aliud, quod B. Joannis in Plano nominatum est, ubi tutius tranquilliusque degerent, se transtulerunt, quod et item egregie repararunt, ornatiusque ac opulentius non multo post tempore reddiderunt. *Hactenus ille: nos de illis duobus monasteriis plura inferius dicemus. Faber perperam* de Fesulis *expressit, sunt enim* Fæsulæ *Tusciæ civitas olim ampla nunc exigua prope Florentiam.*

l *Miraculorum partem aliquam exponit Maphæus, prius quam agere incipiat de Ordine instituto: nos ea summatim recensuimus, et plenius infra relaturi sumus.*

m *Locum hunc Surius sic mutavit.* Plerumque præcepit suis Fratribus oves et boves et alia monasteriorum suorum animalia, cum audiret ea multiplicata, vendere: et ex ea pecunia et nova construebat monasteria, et pauperibus largiebatur. D Argenteos autem calices et sericas vestes, aliaque pretiosa ecclesiarum ornamenta, vendi aut aliis ecclesiis donari curabat, ne Fratres rebus pretiosis delectarentur: multa enim ei donabantur, aurum, argentum, vestes, cera et alia complura, quæ ille per sui Ordinis monasteria, aliorum quoque Religiosorum, et per seculares ecclesias solicite distribuebat.

CAPUT II.

Fuga ad loca magis secreta. Summus Pontificatus admissus, et depositus.

Licet autem vir Dei quarta et sexta feriis totius anni, ac in quatuor Quadragesimis ab hominibus sequestratus, Deo et sibiipsi vacans, nullius admitteret colloquium; hoc tamen non contentus, illam, quam prædiximus, inquietudinem et popularis frequentiæ molestiam non ferens, sed ut indesinenter divinis meditationibus inhæreret, vitam secretiorem habere desiderans; deliberavit subterfugere multitudinem; et a communi conventu Fratrum, quem ipse fundaverat, ad alium locum desertum discedere, Quod cum ille Fratribus indicasset: Cur nos, inquiunt, Pater, deseris? aut cui nos desolatos relinquis? Ipse vere eos flentes et gementes consolans: Non vos, inquit, filioli, relinquo, sed quod facere dispono, pro mea et vestra utilitate facio. Ego quippe senex sum, et consueta hactenus onera portare non possum: sed a vobis absens, semper auxilio et consilio præsens ero. Igitur cum, assumptis secum paucis Fratribus, secessisset ad locum secretissimum S. Bartholomæi de Legio, ubi credebat se hominibus ignorari; abscondi tamen non potuit lucerna super candelabrum posita: sed multo plus, quam antea, ibi a populo quæsitus et frequentatus, virtuosæ lucis suæ opera mundo declarare compulsus est. Ipse vero terrena fastidiens, cogitavit adhuc ad locum altiorem atque difficiliorem ascendere. Et assumpto secum uno socio, in supremo montis Magellæ veniens, descendit ad quamdam *a* cryptam, ad quam sine periculo non poterat haberi accessus; ut ubinam degeret, nullus agnosceret; vel agnoscens, illuc accedere formidaret. Ibique ad honorem S. Joannis Evangelistæ constructo oratorio, pro se et duobus sociis cellas *b* ædificans, per plures annos mansit. In quo loco multa per eum miracula *c* Dominus ostendere dignatus est. Cumque nec sic latere potuisset, et major ibi hominum multitudo concurreret; ut eorum laboribus parceret atque periculis, redire disposuit ad montem Murronis, ubi primo suæ conversionis tempore manere consueverat. Quem loci illius incolæ, mentes eorum instigante Deo, cum innumera utriusque sexus multitudine, cum processionum solennitate, cum oblatione devota munerum ad Dei cultum pertinentium, cum jubilo laudum et exultationum, quasi Angelum de cœlo missum, officiose et honorifice susceperunt. *d*

Certis temporibus nulli loqui solitus,

E

magis tamen solitarius degere volens,

secedit ad S. Bartholomæi de Legio,

a *inde in montes Magellæ.*

F

b

c

d

10 Igitur vir sanctus ibi in cella reclusus, plusquam unquam alibi, magna cum austeritate vivebat: seque ad finem appropinquare conspiciens, holocaustum Deo odoriferum magis ac magis offerre studebat. Sed cum ibi per anni et mensis unius spatium habitasset, placuit Divinæ providentiæ eum de cella extrahere, et ad novi certaminis campum dirigere, ut fortis athleta majoris gloriæ coronam perciperet. Nam cum Sedes Apostolica, post obitum Nicolai Papæ quarti, propter Cardinalium discordiam, biennio et amplius viduata Pastore vacasset; et ipsi apud Perusium congregati, iterum de celebranda electione tractarent; unus eorum, qui primæ vocis honore

Eligitur in summum Pontificem,

A honore fungebatur, Fratrem Petrum de Murrone, in Summum nominavit Pontificem. Ad quam vocem ceteri stupefacti, inspirante ac instigante Spiritu sancto, eum concorditer elegerunt: quod rarissime alias contigisse legitur. Impedit quippe sæpe hujus electionis concordiam malignus ille spiritus discordiæ, qui cæca ambitione superbos homines ad hujus honoris culmen desiderandum imprudenter ac impudenter impellit. Facta igitur illa tam mira et inconsueta electione, cum de ea singuli ingenti lætitia et inenarrabili gaudio exultarent, solus ipse vir sanctus nimio mœrore grandique lamento repletus est. Et cum de hoc ejus honore totus populus lætus, inspirante Domino, prosiliret; humiliter ille recusare satagebat, indignum se titulo tanti honoris existimans, ut dignus magis fieret: magis enim dignus efficitur, qui quod meretur, recuset. Nec sibi sese excusare satis erat, sed latenter cum uno *e* socio, cui cordis sui secretum prodiderat, fugam capere attentavit. Verum subita populi multitudine circumventus, cum evadendi spes non esset, Papalem dignitatem, magis violentatus, quam voluntarius, acceptavit: non enim tamquam idoneum B se ad illud officium testabatur ascitum, sed velut indignum ab illa vitæ monasticæ disciplina querebatur expulsum.

e fugam capiens retinetur:

11 Ipse ergo a monachorum cœtu ad summum Pontificium raptus, tanta districtione omni ævo suo propositum solitudinis custodivit, ut nihil de præteritæ humilitatis tenore laxaverit, aut de adjecto sibi honore blanditus sit. Unde cum audita suæ electionis fama, Reges Siciliæ et Hungariæ *f* veloci cursu ad eum pervenissent, et relicta cella ad monasterium sancti Spiritus cum eis descendisset, et peractis ibi aliquantis diebus ire Romam disponeret; non magnum equorum apparatum, sed parvum asellum sibi adhiberi præcepit. Quod Reges admirantes et Cardinales *g*, aliique viæ suæ comitantes vestigia, suadebant ne hanc Ecclesiæ Dei inferret injuriam. Sed ab incepto humilitatis proposito eum frustra conantur abstrahere: nam usque ad civitatem Aquilæ super asellum sedens, honorabili ac innumerabili turba comitatus accessit. Hoc autem ab eo factum est, non quidem superba singularitate, quasi alios, qui aliter fecerant, reprobare voluerit: sed singulari humilitate, quæ a sanctæ rusticitatis monasticæ consuetudine nec facile nec cito avelli potuit. Hos quippe magnificos apparatus, sive in equis sive in vestibus ac aliis exterioribus ornamentis, quos plerique pompas vocant, a tempore B. Silvestri Papæ sancti Patris, non solum Summi Pontifices, sed et alii mino- C res Episcopi, non ad suam, sed ad Christi, et Ecclesiæ ejus gloriam extollendam introduxisse credendi sunt: quos exterius cum temperantiæ moderamine observare, interius tamen servata humilitate, non est vanitatis aut vitii, sed est virtutis ac meriti. Unde graviter increpandi sunt illi et præcipue monachi, qui sub prætextu humilitatis, propter hujus consuetudinis observantiam, statui Episcopali superbe detrahunt. Multa namque in talibus decent Episcopos, quæ non decent monachos, aut eorum Abbates vel Prælatos, sicut B. Bernardus testatur, dicens: Alia equidem est causa Episcoporum, alia monachorum. Scimus enim, quod illi sapientibus et insipientibus debitores cum sint, carnalis populi devotionem, qua spiritualibus non possunt, corporalibus excitant ornamentis. Quod autem Christus illam singularem hujus servi sui humilitatem non sibi aut Ecclesiæ suæ imputaret ad injuriam, sed ad honorem, singulari voluit declarare miraculo. Nam cum multi post eum infirmi portarentur, ut saltem possent ejus tangere fimbriam vestimenti (erat enim totius populi mira erga eum fidei devotio) homo

excipit Reges Siciliæ et Hungariæ:

f

g in asello venit usque Aquilam:

(quamvis liceat Pontificibus quosdam præ se ferre apparatus)

quidam filium suum, ambobus pedibus claudum, D portans, cum ad virum sanctum præ multitudine non valeret accedere; asello, de quo descenderat, puerum imposuit: qui sanitate recepta, ab illa hora firmiter ambulavit. *b*

A. PETRO ALLIACO claudum sanat:

12 In dicta igitur civitate Aquilæ, vocato Cardinalium cœtu, Pater sanctus, in festo Decollationis S. Joannis Baptistæ, Coronam aliaque Apostolica suscepit insignia. Et quia in terris habitans jam cœlestis erat, et cum Apostolo vere dicere poterat, Nostra conversatio in cœlis est; in sua coronatione, Deo (ut credimus) inspirante, Cœlestini nomen accepit. Ipse quoque, ut vere Cœlestinus, cœlestem thesaurum Indulgentiarum Apostolicarum *i* liberaliter aperuit. Cumque Prælati et Principes essent ei ad petenda beneficia Ecclesiastica importuni, cogitavit non solum divitibus temporales, sed etiam pauperibus spirituales divitias impartiri. Deinde vero, cum ad preces Regis Siciliæ venisset Neapolim, ibi cum sua Curia aliquamdiu residens, fecit ordinationem unam duodecim Cardinalium: inter quos ex suo Ordine duos Fratres elegit, ut cum illis in Pontificio spirituale haberet consortium, cum quibus ab E ipso tirocinio militiæ spiritualis, seu in cœnobio seu in eremo, contubernium ei fuit. Ipse namque cœnobitica professione et anachoreticæ sublimitatis perfectione ita diligenter instructus atque inflammatus erat, ut etiam in Papali camera et augusto palatio cellam ligneam angustamque sibi et eremiticum fieri voluerit habitaculum, ut in alto humilis, inter turbas solitarius, inter divitias pauper viveret, sicque liberius orationi ac contemplationi vacaret.

h

coronatur assumpto nomine Cœlestini, Philip. 3.

i

creat 12 Cardinales,

quasi in solitudine vivit

13 Ibi ergo assidue cogitare cœpit, qualiter hujusmodi Pontificali honore, velut importabili onere deposito, abjectaque temporali solicitudine, ad antiquam solitudinem repedaret. Cumque peritorum consilio id jure ac sine animæ suæ discrimine fieri posse comperisset, ita in hoc cor suum animumque firmavit, ut ab illo proposito nullus eum dimovere potuerit. Quid plura? Cum ipse anno quasi dimidio Sedi Apostolicæ præfuisset, tandem in vigiliæ *k* sanctæ Luciæ, celebrato Fratrum suorum consistorio, ibi libere cessit Papatus oneri et honori. Et depositis Pontificalibus insigniis, de alta Petri Sede descendens Cœlestinus, ut cœlestem sedem conscenderet, ad pedes eorum quibus præfuerat humiliter Petrus prosternitur. O humilitas singularis! rara utique, sed ideo merito pretiosa, non solum in cœlis sublimibus præmiis exaltata, sed etiam in terris singularibus extollenda præconiis. Unde ut inter executionem hujus facti et ipsius tandem et admirationem, nulli dubio mentis judicio fluitarentur, F miraculum, quod prima die post ejus renuntiationem Dominus per eum facere dignatus est, certum indicium fuit. Nam cum post ejus Missam quidam claudus membris contractis sese ad pedes ipsius prosterneret, accepta ab eo benedictione, sanus erectus est: quod profecto non fieret, si quod ab eo gestum erat, tamquam indignum Dominus reprobaret. Erubescant itaque, qui huic humilitati superbe detrahentes, temerarie dicere ausi sunt, hoc non ex virtute, sed ex vilitate animi, processisse. *l* O dignam igitur Papatus renuntiationem, quæ, quantum ad solidam gloriam pertinet, multis Papalibus dignitatibus præferenda est! O gloriosum virum, qui si nihil aliud dignum honore memoriæ gessisset, hoc tamen facto tam admirando et a paucis, proh dolor! imitando, *m* abunde se posteritati commendasset! Multo plus siquidem commendationis et gloriæ rejecta, quam recepta dignitas contulit: et ei ipsa abjectio honoris, quam acceptio, honorabilior fuit: atque ideo felicior, quia non solum temporali, sed æterna mercede carere potuit. Heu! heu! utinam hoc

k Abdicato Papatu,

benedictione sanat claudum

l

m

A. PETRO ALLIACO

A hoc honorandæ humilitatis exemplum hi imitari meruissent, qui in hoc nostro tam misero tamque luctuoso tempore, superbi honoris culmen insectari nisi sunt: non jam fere triginta *n* annis Ecclesia Christi eorum horrendo dissidio ac nefando schismate lacerata maneret. Sed omissa nunc lacrymabili querela super hoc miserando pariterque erubescendo statu Ecclesiæ, ad propositum redeamus.

ANNOTATA.

a *Maphæus hoc modo locum describit.* Erat is in summo apice Magellæ montis, distans a planitie sex circiter millia passuum; ex quo descendebatur ad quamdam cavernam, sitam in frontispicio vallis, præterfluebatque illam flumen, quod Orfontem vulgus appellat. Hic est ille gelidus fluvius Ufens, per imas quærens iter valles, cujus corruptis paucis litteris meminit Virgilius Æn. VII. Nec vero facilis erat illuc descensus. Quare ut tuto cum luberet posset descendere, fabricaverat sibi solerti artificio uncos ligneos, quibus innixus, ab omni quod imminebat illi periculo securior liberiorque evadebat.

b *Addit Maphæus*, cubicula pro hospitibus, si B qui advenissent.

c *Horum quoque partem Maphæus exponit; alibi plenius referenda.*

d *Idem sic prosequitur.* Ac tunc quidem delegit sibi quod inhabitaret Segezeanum, vetustum quoddam oppidum, fabricata ibi domuncula, quod a Sulmone duobus millibus passuum, a novo autem sancti Spiritus monasterio quingentis tantum distabat. *Atque hic Librum secundum finit Maphæus, tertium deinceps exordiens.*

e *Petrarcha lib.* 2 *de Vita solitaria Sect,* 3 *cap.* 18 *appellat* Robertum Salentinum, discipulum S. Petri. *Hujus, ut Beati, Vitam habemus dandam* 18 *Julii.*

f *De* Carolo Martello, *titulo tenus* Rege Hungariæ, *jam alibi actum*

g *Non* Cardinales, *sed* Cardinalium Legati, *scilicet Archiepiscopus Lugdunensis, et Urbevetanus atque Pactensis Episcopi, in comitatu illo usque Aquilam fuerunt.*

h *Maphæus id factum ait*, quando vir sanctus de asello descendit in oppido, quod Castellum-vetus dictum est: *distat* 8 p. m. *Aquila.*

i *Idem Maphæus*, Omnibus qui tunc adstiterant, uberiore quam unquam auditum est relaxatione, C veniam omnium peccatorum plenam consummatamque concessit. Idem fecit octava post die, quo desiderium servandarum animarum impleret vir magnus et simplicissimus. Donavit quoque eamdem Indulgentiam ecclesiæ B. Mariæ, quæ Collis-Madii vocata est, quotannis in die Coronationis suæ, publicoque insuper potestatis Apostolicæ privilegio roboravit.

k *Ipso* S. Luciæ festo *id factum, scribit Jacobus Cardinalis.*

l *Hic inserebatur locus ex Petracha citante Ambrosium: cujus verba satis est jam semel superius integra exhibuisse.*

m *Maphæus hoc loco congerit exempla Imperatorum Romanorum; qui licet Gentiles, Imperium tamen vel abdicandum censuerunt tamquam intolerabile pondus, vel reapse eo se abdicarunt: quos nihil attinet adnumerare, cum sint ex Cæsarea historia noti.*

n *Incepit schisma istud an.* 1378 *post mortem Gregorii XI, quando Romæ electus fuit Urbanus VI, et contra eum Fundis Clemens VII, qui post Urbani mortem sedit contra ei subrogatum annum* 1389 *Bonifacium IX. Clementi vero defuncto sub annum* 1394 *successit Petrus de Luna, dictus Benedictus XIII; seditque partim contra Bonifacium IX, partim contra successores ejus Innocentium VII et Gregorium XII: huic autem et Benedicto accessit tertius anno* 1409 *Alexander V, successoremque accepit anno* 1410 *Joannem XXIII: donec tribus illis, qui simul Papatum sibi arrogabant, pro bono pacis ecclesiasticæ, exauctoratis in Concilio Constantiensi an.* 1415; *electus tandem est an.* 1417 *Martinus V, post annos* 37 *quibus Schisma duraverat: atque hinc intelligitur Vita præsens scripta esse circa annum* 1408.

CAPUT III.

Vita privata: arcta custodia. Mors, sepultura.

Postquam igitur Papali honori, quem miseri superbe rapere aut adeptum retinere cupiunt, vir ille felix humiliter renuntiare cupida aviditate studuerat; illo honore maximo, velut onere mortifero depulso, ad suave jugum Christi, in pristina solitudine ferendum, lætus redire satagebat. Unde (ut narraverunt, qui viderunt) tanto ille fugiebat cum gaudio, tantaque signa lætitiæ spiritualis oculis ac fronte gestabat, dum sibi redditus liber abscederet, ut in vultu ejus nescio quid Angelicum reluceret. Ideo, ut a quodam *a* egregio dictum est: E Ejus ascensus, quam mœstus, quamque contra animum suum fuerit, descensus lætus et spontaneus declaravit. Sed quam indignam his tam dignis meritis ac moribus suis procellam exceperit, audiamus. Ille namque Bonifacius, qui ei in Sede Apostolica successerat; quam non mœstus, ut ipse, sed lætus, utpote ambitiosus, ascenderat, et quem vir sanctus sibi successurum prædixerat; cum licentiam redeundi ad cellam suam, ab eo pedibus suis prostratus reverenter et humiliter postulasset, terribilibus ei verbis negavit: timebat enim, ne forte vir sanctus a devoto sibi populo tamquam Summus Pontifex coleretur, maxime quia in dubium vertebatur, utrum ipse Papatui resignare potuerit. Igitur cum ab illius timidi ac territi, ideoque terribilis hominis conspectu, vir simplex et rectus a Neapoli clandestine fugiendo abscederet, ut propositum, quod ante renuntiationem disposuerat, implens, Deo pacifice solitarieque deserviret; ne vel ipse vel alius hanc fugam inobedientiæ aut alterius culpæ ream esse crederet, Deus per eum miraculum facere dignatus est. Nam in via, assistente sibi Abbate monasterii *b* Casinensis cum pluribus aliis, mulier quædam F filiam suam, ambabus manibus paralyticam, lacrymose clamans ejusque auxilium postulans, præsentavit. Cui ille, ut pius erat, misericorditer compatiens, sanctæ Crucis signum fecit: et ex illa hora subito sanata, perfectum manuum suarum usum recepit. Post hoc vero, cum tandem ad cellam suam pervenisset, coram altari humiliter et devote prostratus, Deo gratias referebat. Quem etiam singuli cum gratiarum actione, tantaque exultatione et veneratione susceperunt, ut ejus præsentiam vel aspectum quasi cœleste aliquod beneficium ampleotentes, non minus ei, quam Angelo, si e cœlo delapsus hominibus se offerret, venerationis impenderint.

Redit hilaris ad eremum: a

Signo Crucis sanat paralyticam: b

15 Audiens itaque Bonifacius, ille tumidus utique, sed timidus, et tumore adeptæ gloriæ turgidus, et timore adimendæ turbatus; audiens, inquam, virum Dei, absque sua licentia discessisse, timuit, eum non ad cellam suam, sed ad alium migrasse locum, ad Papatum, cui renuntiaverat, resumendum. Ideoque propere misit post eum Camerarium *c* suum et Abbatem Casinensem: qui eum reperientes in cella rogaverunt, ut ad Papam cito rediret, ne ejus indignationem incurreret. Ipse vero protestationem allegans, quam ante renuntiationem fecerat

reducendus ad Bonifacium Papam fugit: c

A fecerat, supplex orabat, ut Summus Pontifex eum in solitudine pacifice vivere permitteret, pollicitus se nulli hominum, nisi solis suis Fratribus, locuturum. Qua promissione recepta, Camerarius ista Papæ relaturus discessit. Sed ecce alius supervenit nuntius, Apostolicas litteras Camerario deferens, ut absque mora virum sanctum etiam involuntarium reduceret. Cumque idem Camerarius ad cellam non sine impetu et furore rediret, hæc ille fide digno relatu præsentiens, abscondit *d* se et clandestine fugit, exemplo Christi, qui Herodis persecutionem fugiendo, in Ægyptum deferri voluit, et in Evangelio a Judæis, ipsum lapidare volentibus, se abscondisse legitur, et discipulos suos docuisse, ut cum persequerentur in una civitate, fugerent in aliam. O miranda et miseranda persecutio! Ipse corporis viribus destitutus, et propter ultimam senectutem otio et quieti, quam itinerum labori habilior, ad partes Apuliæ in obscuram silvam, ubi quidam servi Dei habitare dicebantur, per loca abscondita et ignota, uno tantum Fratre comitatus, latitandi causa fugere cogitur. Sed quod stupendum est, quamvis mutato habitu consueto, vilissima chlamyde indutus, aliis quoque quibus poterat modis absconditus incederet; tamen quocumque pergeret, agnoscebatur: et quandoque a pueris, quandoque a provectis viris, qui numquam eum viderant, proprio nomine vocabatur. Cumque in silva cum Fratribus tempore Quadragesimæ remansisset, supervenientibus illis, qui ut invenirent et captivum ducerent persequebantur eum, inde abire compulsus est. Et videns se in illis partibus occultari non posse, *e* mare transire disposuit: paratoque vehiculo, sed male prospero vento, cum per quindecim milliaria navigasset, ad terram iterum impellitur: et juxta civitatem, cui nomen Vestia *f* est, applicuit.

d Matth. 2. Joan. 8. Matth. 10

vilissima indutus ab omnibus honoratur:

B

16 Postquam vero circa maris littus aliquot diebus vir sanctus frustra tranquillum navigandi tempus expectasset, Capitaneus dictæ civitatis hæc audiens, eum captum detinuit, et hoc Papæ ac pluribus Principibus intimavit. Rex autem Siciliæ, tunc Romæ degens, a Papa mandatum accepit, ut de regno suo eum ad se venire, et secure ac celeriter duci faceret. Ad quod exequendum, Patriarcham Hierosolymitanum *g* et Priorem sanctæ militiæ, cum quibusdam Religiosis et nobilibus viris, regia auctoritate misit. Ipse vero, cum tam reverenter et tanto honore fungeretur, ubique etiam occurrente sibi innumerabili multitudine, cum tanta cordis alacritate a cunctis suscipitur, ut vix de die, obstante populi importunitate, exire valentes, nocte media iter aggredi cogerentur *h*: nec tamen sic evadere poterant, quo minus ante diluculum rursus circumdarentur a populo. Erant tunc multi, qui viro Dei suadebant, ut se Papam faceret nominari, dicentes eum de jure non potuisse renuntiare Papatui. Ipse vero constantis animi, et justi rectique indeclinabiliter tenax consilii, licet super hoc iterum deinde ac sæpius interpellatus, firmus in proposito perstitit, asserens id, quod juste fecerat, etiam si non fecisset, voluntarie se esse facturum *i*. O vocem hominis vere constanter humilis, qui honorem, per quem tam contemptibilem persecutionem evadere potuerat, perseveranter contemnit, et summum sibi honorem in summa humilitate constituit! Ideo Christus, qui humiles exaltare promittit, servum suum in hac persecutione clarum fecit, ac multis miraculis *k* gloriosum: quæ omnia hic tacere contentus essem, nisi unum me referre cogeret admiratio. Postquam enim de regno Siciliæ exiverat, postquam a dictis Regalibus nuntiis Camerario Papæ traditus Campaniam intraverat, de nocte occultissime in Anagniam missus, prope Cameram Papæ in quadam domo arctissime reclusus est. Quo in loco, ut quantus esset, qui ibi captivus tenebatur, ostenderet, voluit Dominus hoc cum miraculo declarare. Erat in illa Papæ Curia Archiepiscopus *l* Consentinus, tam intolerabili dolore calculi variaque gravatus infirmitate, ut eo a medicis derelicto, ipse et omnes qui eum videbant, de ipsius corporali salute desperarent. Jamque familia ejus et sibi vestes lugubres, et magistro suo paraverat exequias: dum ille devotas preces Deo fundens, per sancti viri merita salutis auxilium postulabat. Et ecce subito, oratione facta, perfecte sanus effectus est, ac ita plene convaluit, ut sequenti die hoc Domino Thomæ, quem Pater ille sanctus de ordine suo Cardinalem assumpserat, ad Dei et servi sui gloriam nuntiaret.

mandato Regis Siciliæ ductus ad Pontificem,

Anagniæ arctissime habitus,

D A PETRO ALLIACO.

l liberat calculo Consentinum Archiep.

17 Sed quem Christus sic honoravit et mundo gloriosum ostendit, qualiter ille Christi Vicarius inhoneste ac injuriose tractaverit, audiamus. Habuerat enim multa cum viro Dei colloquia *m*, et tam sancta et humilia responsa ab eo receperat, ut merito deberet ad ejus compassionem moveri. Sed obduratus cæca ambitione animus, difficile flectitur. Igitur in consistorio Cardinalium fingebat consilium quærere, quid de illo viro sibi agendum esset. Cui cum plures dicerent, ut ad cellam, quam semper desideraverat, eum, prout humiliter postulabat, libere redire permitteret; ipse non piæ caritatis, sed propriæ crudelitatis usus consilio, deliberavit in arcto eum carcere detinere. Missus est itaque ad castrum Fumonis *n*, et in fortissima turri reclusus: et adhibitis sex militibus, et aliis triginta satellitibus ad ejus custodiam, die noctuque ita tenebatur arctatus, ut nulli hominum ad eum patere posset accessus. Petiit autem, ut duo sibi darentur Fratres, cum quibus divinum ageret Officium: qui sibi concessi, illius carceris angustiam diu ferre non valentes, inde extrahebantur *o* infirmi. Erat enim tanta ipsius turris arctatio, ut vir sanctus, ubi habebat pedes dum Missam celebraret, ibi caput reclinaret dum dormiendo quiesceret. Sed, pro pudor! sic Bonifacius ille, alter Herodes, Petrum servabat in carcere: sic injuste decernitur vir innocens in carcerem, et talem carcerem custodiri, qui nuper custos erat et Pastor totius ovilis Christiani. O vere horrenda sententia, imo vere Herodiana sævitia! Qua igitur procella verborum tam impium nefas obrui meretur? Certe ad hoc monstruosum facinus invalida nostra deficit lingua, ad quod etiam nec Ciceronis eloquentia sufficeret. Sed admiranda et summis laudibus extollenda est viri sancti virtuosa constantia, quo non solum patienter, sed etiam gaudenter hujus carceris ignominiam, multo magis quam antea Papalis aulæ gloriam sustinuit. Nec propter improbitatem custodum aut aliam molestiam, murmur in eo aut querimonia resonuit, vel aliud impatientiæ signum apparuit: sed illud potius spiritualis lætitiæ verbum protulit; Cellam, inquit, desideravi, cellam habeo. O ineffabilem virum, nec labore victum, nec morte vincendum: cujus virtus carcere, cujus patientia dedecore vinci non potuit. Sentiant igitur alii, quod libuerit; ego vero censeo, talem in tali viro carcerem, non indigne æquiparandum esse martyrio. Nec æstimare queo in eo, qui tam horrendum opprobrium tam æquanimiter ferre voluit, etiam martyrium sustinendi defuisse voluntarium animi propositum: et hoc, quam illud, ei tolerabilius fuisse arbitror, quo brevem, quam longum cruciatum est tolerare facilius. Itaque quid de eo rectius dixerim, quam quod de alio *p* sanctissimo Confessore scriptum legimus: Etsi ei gladius persecutoris defuit, palmam tamen martyrii non amisit?

E

n castro Fumonis inclusus,

F

patientiam exercet martyrio comparandam.

A. PETRO ALLI .CO

q Prædicto obitu suo,

A 18 Postquam autem fidelis athleta diu ac legitime certaverat, justus et misericors Dominus, volens ei pugnæ suæ palmam et victoriæ coronam reddere, hoc modo laboribus, quos per sexaginta quinque *q* vitæ suæ [eremiticæ, annos pertulerat, finem imponere disposuit. Consueverat vir sanctus ab Ascensione Domini usque ad Pentecosten, ob reverentiam Spiritus sancti, jejunio, orationi atque silentio instantius solito vacare, et ad omnem se devotionem exercere ferventius. Quam observantiam etiam in illo carcere, quo decem mensium spatio arctatus fuerat, custodivit. Cumque ita die sancto Pentecostes Missam devotissime celebrasset; milites, ad ejus custodiam deputatos, ad se vocari fecit, eisque dissolutionem sui corporis infra proximam Dominicam imminere prædixit. Ab illa autem die cœpit gravissime infirmari, et certus de morte, fecit sibi ministrari extremæ Unctionis Sacramentum. Quo recepto, jacebat vir sanctus non super culcitram aut paleam, sed super tabulam solam cum tapeto vili, coopertus chlamyde. O mira in infirmo corpore sani animi fortitudo! O fortis et insuperabilis paupertatis et humilitatis dilectio! Appropinquante vero mortis suæ agone, exitum suum psalmis et orationibus, quantum poterat, adversus diaboli insidias munire studebat; et ut secum in eis assidue vacarent, Fratres suos instanter et humiliter hortabatur. Unde cum ipsi in divinis pariter perseverarent laudibus, ipso die Sabbati hora vespertina, eo dicente Psalmum : Laudate Dominum in sanctis ejus : statim completo versu, Omnes spiritus laudet Dominum, cum flatu tenuissimo emisit spiritum, cum sanctis et beatis spiritibus Deum in perpetuum laudaturus. O beata mors! O felix gloriosusque vitæ finis! immo vero non finis vitæ suæ, sed alterius meliorisque initium : nunc enim nascitur, qui sic moritur. Auditis igitur novis de morte ipsius, Bonifacius Papa, licet plurimum inde gavisus fuerit, tristitiam tamen fingens, exequias ejus in ecclesia sancti Petri de Urbe cum Cardinalibus solenniter celebravit. Misitque unum Cardinalem *r* et Camerarium suum, qui cum omnibus Episcopis et plurimis Religiosis de provincia Campaniæ corpus ejus ad ecclesiam S. Antonii de Ferentino, quam ipse noviter construxerat, honorifice transtulerunt, ubi juxta majus altare cum debita veneratione sepultum est : non enim tantas Sancti illius Reliquias jacere inhonoratas decuit, quem admiratio puræ ac sinceræ vitæ adeo venerabilem fecit.

accipit sacram Unctionem,

et feliciter excedit e vita,

sepultus in S. Antonii de Ferentino.

C 19 Ut autem vitæ suæ sanctitatem omnipotens Dominus sibi gratam et acceptabilem esse probaret, idipsum multiplici nobis insinuavit miraculo. Sed solum hic duo recitare sufficiat, quæ ejus concomitata sunt obitum. Primum. Quidam milites, qui eum custodiebant in carcere, tam Papæ quam aliis pluribus retulerunt, quod a feria sexta usque ad horam mortis ejus, viderunt ante januam cameruIæ suæ Crucem coloris aurei, non affixam alicubi sed mirabiliter pendentem in aere. Quo miraculoso Crucis signo patenter ostensum est, Crucem pœnitentiæ, quam ille per carnis mortificationem jugiter portaverat, Domino placuisse. Sed et quanti meriti apud Deum fuerit, aliud miraculum declaravit. Erat enim discipulus quidam ejus Robertus Salentinus, ille videlicet, cum quo vir sanctus, dum primum ad Papatum fuisset electus, fugam tentavit : sed cum evadere non valeret, ab eo quæsivit, an se ad excelsa tractum et coactum sequi vellet? Ipse autem, qui a magistro didicerat mundum spernere, Christum vero et ea, quibus ad Christum pervenitur, diligere : Quæso, inquit, ut et labori et periculo meo parcas, meque potius cellæ inopis et tuti otii successorem, quam divitis et solicitæ gloriæ participem velis. Quod et factum est : nam D illo Romam abeunte, iste in solitudine perstitit. Hic ergo dignus ejus discipulus, non multo post, beatam ipsius animam, e carcere gemino ereptam, ad sidereas scandentem sedes videre meruit. Qui tanto miraculo stupens, interrogavit, an se tunc etiam sequi, an quid aliud agere juberet? Ille vero, ut in solitudine maneret, admonuit : et sic cœlum petens, inter verba disparuit. Hic autem consilii memor, tandem longo confectus senio, post magistrum abiit, magna sanctitatis opinione et mirabilium fama operum relicta. Alia vero pene innumera virtutum atque miraculorum signa *s*, quibus vir sanctus ante et post mortem claruit, hic narrare omittimus, et ad ea, quæ super his diffuse scripta sunt, et diligenti examine certis auctoribus et veridicis testimoniis approbata, lectorem remittimus. Ex quibus hoc concludere sufficiat, quod propter miraculorum ac meritorum claritatem, post longam de ejus canonizatione facienda disceptationem, tandem per Clementem Papam quintum, sanctorum Confessorum Catalogo annumeratus est, Anno Domini MCCCXIII tertio Nonas Maji, ab ejus autem transitu, anno circiter XI. *t* Fuitque ejus festivitas instituta XIV Kalend. Junii, qua die post labores hujus vitæ, in Christi quievit pace.

Crux aurei coloris ante obitum visa,

et anima ejus cœlos petens.

Sanctorum Catalogo adscribitur.

E

20 Hæc igitur, auxiliante Deo, ad suam et gloriosissimi Confessoris sui laudem conscripsi. Quidquid autem minus dixero, necesse est ignorantiæ meæ potius, quam illius gloriæ derogetur : latius enim virtutum ejus merita laudumque præconia diffunduntur, quam ut meo valeant sermone concludi. Si vero quis voluerit ejus opera honoresque operum tradere monimentis litterarum, certum est quia tanta sunt de eo ac talia, quæ et majus opus et majorem requirant opificem. Ego tamen hic, quanta potui brevitate, inserui pauca de multis, inter quæ etiam nonnulla sunt, quæ pene veritatis fidem excedere judicari possent, nisi ea vera ac certa testimonia approbassent. Sed ut huic operi finis in ejus adhuc laudibus imponatur, singulos Sanctorum titulos, quos singulariter in se complexus est, brevi sub compendio colligamus. Igitur ut Apostolus, doctrinam Christi verbo et exemplo populis prædicavit; ut Martyr, corporis tormenta carcerisque supplicia pertulit; ut Confessor, die noctuque orationibus et pœnitentiæ operibus ferventissime vacare studuit; ut Virgo, concupiscentiam carnis robusto ac integro munditiæ ac sanctimoniæ tenore calcavit. Quid plura? Ut Pontifex et Pastor bonus, ovili Christi prodesse cupivit, sed præesse contempsit; ut electus Sacerdos, dignum Deo sacrificium obtulit; ut Doctor egregius, discipulorum mores salutaribus documentis instruxit; denique ut Eremita sanctissimus, solitudinem, paupertatem atque humilitatem, pœnitentiæque austeritatem singulari fervore zelavit. In hoc autem ultimo cunctos ita præcessit, ut cum Ægypti Monachos prædicari, laudari Anachoratas, Eremitas mirari audiam, hunc tamen semper excipere audeam, nec ei Monachorum quempiam comparare. Ab infantia quippe, post prima fidei rudimenta, cum majorem perfectionis gratiam desiderare cœpisset, in monastica disciplina præpostera velocitate caritatis, pene cœpit ante perfectus esse, quam disceret. Denique tantam in ea perfectionem adeptus est, quam nullæ unquam litteræ dignis laudibus prosequentur. Qua in re cum discurrere per singula et numerare cuncta onerosum sit, ad probationem hujusmodi perfectionis hoc solum arbitror satis esse, quod summum Sacerdotii gradum, ad quem Dei judicio et cum universæ plebis favore sublimatus fuerat, ob amorem solitariæ et monasticæ vitæ deseruit. Illa tamen sancta et contemplativa solitudo, quam activæ solicitudini

Virtutum ejus ac laudum recapitulatio.

quia ut Apostolus, Martyr, Confessor et Virgo,

fuit etiam Pontifex, Sacerdos, Eremita,

Cælestinorumque Fundator.

A solicitudini, optimam cum Maria partem eligens, prætulit; non sibi soli, sed plurimis profuit, totique Ecclesiæ Dei utilem fructum fecit. Nam ex his, quos in solitudine spiritualiter genuit, durat hodie religiosa successio: quæ continue non solum numero sed et merito crescens, fructuosis virtutum operibus et exemplis, nedum militantem Ecclesiam pascit et recreat, sed etiam triumphantem lætificat: ad cujus lætitiæ participationem ille nos pervenire concedat, qui est benedictus in secula seculorum. Amen.

ANNOTATA.

a *Scilicet Petrarcha de vita solitaria sect.* 3 *cap.* 18, *ubi late hanc abdicationem laudat, sicut vidimus.*

b Abbas *hic* Cassinensis *fuit Thomas de Rocca, an.* 1296 *Nonis Julii vita functus. Maffeus ait, Sanctum tunc fuisse in itinere* ad monasterium S. Germani, *quod est ad pedem montis Casini : et sequens miraculum factum ait* in oppido quod Casale-novum dictum est, *situm media via inter Neapolim et Casinum.*

c Thomam *appellat Maffeus, et deinde dicitur* homo callidissimus : *Marinus* Theodoricum de Urbe-vetere, *postea Cardinalem et Abbatem Casinensem : sed hoc nomine Abbatem Casinensem nullum novit M. Antonius Scipio : pro ipso autem Ciacconii recognitor anno* 1295 *Theodoricum reperit, S. R. E. Camerarium et Electum Pisarum.*

d *Addit hic idem Maffeus,* Unde factum est ut Camerarius, graviore ira commotus, per cavernas undique ac secretiora quæque perquireret, adigeret etiam jurejurando omnes Fratres majoris monasterii, nunc minis quemque terrens, nunc contra donis alliciens, quo eum sibi manifestarent. Simplicissimum insuper quemdam Fratrem, cui erat cum Cœlestino assiduus convictus, in vincula conjici jussit, ut ibi miserrimo exitu consumi faceret. Post hæc transactis in eo latibulo duobus circiter mensibus, cum intelligeret Cœlestinus silvam quamdam in regione Apuliæ bonis sanctisque viris habitari, convertit eo animum; comitatusque uno socio, mutato habitu, tandem illuc intra dies quatuor pervenit.

e *Sequentia sic narrat Maffeus :* Tum peractis ibi aliquot diebus, cum solicitius a Pontifice indies magis perquireretur, trans mare statuit ire, sperans hac saltem via tuto sibi vivendum esse. Communicato igitur cum duobus sociis suis eo consilio, petiit C mare : quod quam primum turbatum est, quasi id Dei voluntate prohiberetur. Peractoque ibi mense, cum mare pacatum videretur, rursus illo transitum attentante, misceri fluctibus atque agitari magis cœpit. Tandemque cum sex ibi egisset dies, secunda aura navem intravit: navigans ea die tantum quindecim circiter millia passuum : nam insaniente rursum mari, delatus est ad littus juxta civitatem Vestiam. Ubi cum novem dies mansisset, non potuit diutius se occultare : nam renuntiatus Præsidi ejus civitatis, statimque ad eum deductus est : is vero, quasi ingentem nactus prædam, confestim id Pontifici per litteras significavit. Nec segnior Pontifex qui tunc Anagniæ agebat, misit Carolo Regi Siciliæ; mandans ut quam cautius posset duci ad se Cœlestinum curaret : non enim tuto id facere is audebat, ne sibi quasi suspecto inter ducendum eriperetur. Paruit Pontifici Rex : misit nuntios idoneos ac præpotentes, reduxit hominem, reductumque ei obsignavit.

f Vestia, *vulgo* Viesti, *vel* Vieste, *in extimo cornu Iapygiæ, quæ hodie Capitanata dicitur, in eaque illius provinciæ parte, cui a* Monte Gargano *nomen est, distans Anagnia circiter* 160 p. m. *Fabro perperam dicitur* Ostia.

D g *Lelius Marinus lib.* 4 *cap.* 4 *duobus istis tertium addit quemdam* Domnum Ludovicum, *cujus qualitas ignota manserit,* Patriarcham vero Hierosolymitanum *vocat* Guilielmum Estendardum, magnum Regni Neapolitani Cancellarium ; *atque ita habemus ante hac ignotum nobis successorem Radulfi de Grandivilla, a Bonifacio Papa degradati, qui inter hunc et Antonium Dunelmensem Episcopum, pro anno* MCCCV, *titulum Patriarchalem gessit.*

A. PETRO ALLIACO

h Unde et tardior ejus profectio erat, *inquit Maffeus.*

i *Maffeus,* Affirmans nihil se unquam liberius egisse, acturumque denuo ubi nondum factum esset.

k *Idem Maffeus decem circiter miracula sic paucis enumerat.* Apud P. Martinum Vallis gaudii, Petrum ex eodem loco natum, qui decem annos vi manuum penitus destitutus ac alterum pedem claudus erat ; Mariam quoque mulierem ex eodem oppido, annum jam integrum dæmonio graviter vexatam, liberavit; Matthæum etiam Salernitanum, qui alterius lateris omnem vim penitus omiserat. Sed et lumen oculorum cuidam ex oppido Matalona restituit. Apud Capuam E quoque puero, qui septem annos natus nihil unquam locutus fuerat, linguam expedivit. Alium etiam ibi puerum ex Cervinaria oppido, qui octo jam annos numquam gradi potuerat; ac Castellanum quemdam, qui alterius brachii, nimio affligente eum dolore, virtutem amiserat, incolumes reddidit. Erexit insuper claudum quemdam ex oppido S. Vito : loqui etiam fecit alium ex oppido Insula, cum longo jam tempore nihil fari potuisset.

l Archiepiscopus Consentinus Adam de Pusiaco, *Gallus, Caroli Regis Cancellarius.*

m *Maffeus,* Accersiri eum ad se Pontifex jussit, multa interrogans, multaque de fuga illius sciscitans. Prostratus vero ipse, supplexque pedibus ejus advolutus, constanti animo rationem imprimis sui reddebat; dehinc ut solitariam, quam tantopere semper optaverat, degere vitam se permitteret, rogabat : futurum quippe ut summam ita pacem animi atque tranquillitatem uterque assequeretur. Cui nihil ille assentiens, veritus ne id aliquando malo suo concessisset, statuit eum arcere penitus ab omnium colloquio recludereque arctius. Duos itaque fere menses eum in civitate Anagnia occultissime detinuit : nam interim extrui fecit in Fumone oppido arcem fortissimam atque munitissimam, ubi eum F claudi summaque cum custodia servari mandavit *Sed erravit Maffeus, quod arcem credidit tam cito extrui potuisse. Cellam in arce, qualem ipse definiverat Cœlestinus, extrui Bonifacius jussit : eidem jam persuaso ut istic manere vellet, uti malumus credere Jacobo Cardinali, quam hisce auctoribus malignius omnia interpretatis, prout a Bonifacii inimicis audiverant. Quamvis fieri potuerit, permittente id ad virtutis exercitium Deo, ut præter Pontificis mentem durius tractatus fuerit Sanctus. Monachi etiam, qui cessionem molestissime tulerant, non videntur de Bonifacio potuisse bonam opinionem suscipere, ut eum non arguerent inclementiæ : quod hic monitum oportuit, ne invectivæ, præsertim Petri Alliacensis in Francia ex mente Francorum scribentis, quemquam commoveant.*

n Castrum-Fumonis, *vulgo* Fumone, *ibidem in Latio prope Alatrium, Anagnia distans non plus quam* 10 p. m. *Auctor quidam MS. Italicus ante annos centum asserit, antiquitus* Castrum S. Simonis *fuisse appellatum, quod nomen usu sic corruptum sit.*

o Ægrotantibus igitur eis, *inquit Maffeus,* alii qui succederent bene valentes dabantur, mutatis illis sæpius.

p *Is est* S. Martinus, *Turonensis Episcopus.*

q *Maffeus ait, obiisse Sanctum* anno vitæ suæ 87 : *præcitatum*

EX ITAL. MARINI

A *præcitatum MS. Italicum annos ætatis* 81 *numerat: fierique facile potuit ut numeri per cyfras ita scripti, male transcripti fuerint, saltem ubi discordant* 1 *et* 7: *verumtamen tanta ætas nequaquam credibilis videtur, nec a quoquam scriptorum admittitur.*

r *Lelius Marinus nominat* Cardinalem S. Cæciliæ Thomam, *ipsius scilicet Sancti discipulum supra memoratum.*

s *Maffeus hæc in Epitome Summarii præterita fere omnia, sic perstringit:* Nec vero quæ viventem eum percelebrem reddiderunt, defuncto etiam signa defuerunt. Sanatus est enim ab hydropisi, quam gravem diu passus fuerat, Veletrinus quidam Gerardus, cum ad sepulcrum ejus delatus esset. Itidem et Gallici duo, alter a febre, alter a manus longa spasmatione. Ferentinates etiam quædam feminæ, cum una earum Abbatissa alterius lateris vim omnem penitus amisisset, alia Margarita conjugata scrofam ingentem in gutture haberet, alia vero brachii alterius virtute caderet, atque alia cæca prorsus existeret; Leonardus etiam puer quidam ex eadem civitate, cum tres annos claudicasset; Marca item puella
B quædam ejusdem civitatis, novem annos nata, cum nec loqui nec latere dextro se movere potuisset. Curatus etiam est Jacob Reatinus Sacerdos, gravi diu egestate, graviori valetudine oppressus: Archiepiscopus itidem Mediolanensis cum quartana febre diu pessimeque torqueretur: itidem et Antonius Episcopus Lucensis, cum nulla ejus vitæ salus a medicis speraretur: nec minus alius Campanus, qui propter malam longamque valetudinem lumen oculorum amiserat: Transpadanus etiam alius, cum sine ulla spe medicorum, pectus esset scorpione transfossus: Tuscus item quidam, qui gravissime ægrotans, non esse aut bibere, non loqui insuper aliquid potis erat. Sed et Antonius monachus Carthusiensis, qui cardiaco morbo quinque et decem annos ad exhalandam usque animam vexatus erat: famulus etiam cujusdam monasterii, qui dum equo onus solus imponere vellet crepuerat, ejus ope implorata attactoque sepulcro, incolumes evaserunt. Nullus erit dicendi locus, si cuncta exequi voluero: sed ne illud, quod fuit omnium celebratissimum spectaculum, omittam. Philippa enim mulier, nobili genere orta, quæ lecto jam sex annis decubuerat, ita ut nec elevare nec movere se ullo modo poterat; cum dormienti ei ter senex quidam eremita canitie venerandus apparuisset, monuissetque ut ad sancti viri tumulum sanitatem consecutura concederet, paruit; deferri se jussit,
C delataque, ubi primum catenam ferream, qua ille nudam supra carnem cingi solebat, contigit, pristinæ est statim valitudini restituta.

t *Legendum esse* anno XVII *supra ad Bullam Canonizationis notavimus.*

SUPPLEMENTUM HISTORICUM

Ex Italico Lelii Marini.

PRÆFATIO.

Scriptores Vitam Sancti,

Inter eos qui sui temporis acta scribunt, et longe præterita in lucem proferunt, hoc communiter interest, quod priores facile fidem inveniant, propter ea quæ lectorum quisque visa sibi cognitaque, vel ab amicis majoribusque audita meminit; difficulter alii, nisi fidei suæ quasi vades exhibeant antiquos et idoneos testes. Itaque sancti Patris nostri Cœlestini Vitam (ad quam, per omnes temporum circumstantiarumque minutias digerendam, neminem hactenus video intendisse animum) quam diligentissime potero explicaturus, congruum duxi docere lectorem, quibus adjumentis subnixus ad scribendum accesserim. D
Vidi ergo quam scripsit Dionysius Faber Francus, annis ab hinc pluribus quam centum monasterii nostri Parisiensis Prior; in qua præcipue secutum se profitetur doctissimum Theologum Petrum de Alliaco, Cardinalem Episcopum Cameracensem, auctorem vetustissimum, et temporibus illis vicinum, quondam Confessarium Caroli V Franciæ Regis; cujus scriptionem Lipomanus et Surius inter Vitas Sanctorum retulerunt, et Cameracensium Cathedralis ecclesia honorificentissime servat; ipsius Sancti festivitatem cum ingenti celebrans reverentia, ut testatur Faber cap. 32. Ejusdem vitam etiam scripsit Octavianus de Bononia Monachus Cœlestinus, impressam Bononiæ anno MD, et Poeta Nocturnus Neapolitanus, ternariis Italicis, anno MDXX, rogatus a D. Alexandro a Cruce, tunc Priore Bononiensi, et sub annum MDL Abbate Generali. Denique P. Benedictus Gononus, Congregationis nostræ Monachus, editæ a se Vitæ addidit Annotationes aliquas, satis opportunas. His autem E
non contentus, legi insuper quidquid de Sancto scripserunt Historici, Platina, Blondus, Sabellicus, Martinus Polonus, Pandulfus Collenucius, Paulus Regius, Bugattus, et alii antiquiores recentioresque, apud quos multa vera est invenire, quædam etiam ex opinione vulgi parum certa, aut etiam ex fabulosa majorum traditione. Alfonsus Piacconius, de Vitis Pontificum auctor novissimus, multa ab antiquitate sumpsit, præcipue circa Pontificatum Cœlestini; quædam tamen, absque idoneo fundamento tradita, citra debitam discussionem recepit; quibus merito præferantur quæ Ptolomeus Lucensis inter historias sui temporis nobis reliquit, ut a se coram ex parte visa.

recenset Vitas ab aliis prælo editas

2 Majus et clarius lumen attulit mihi historia stupendæ electionis ad Papatum, abdicationisque secutæ, minutim et sincerissime scripta, hexametris versibus atque in tres libros divisa, a Cardinali S. Georgii Jacobo Cajetano, qui fuit ipsi Sancto ante Papatum devotissimus; et ab eodem jam Papa promotus ad Prælaturam: qui pertexuit quidquid Romæ gestum est Sede vacante, et multa in Pontificatu acta, cum brevi enarratione vitæ; atque insuper duobus libris exposuit Coronationem Bonifacii Papæ VIII. et aliis tribus libris Canonizationem Sancti ejusque miracula. Invenitur opus hoc manuscriptum, F
et Ordini nostro ab auctore Cardinali dedicatum, apud P. Coabbatem et Vicarium Generalem nostrum D. Franciscum de Agellis; quod olim totum Aquilæ egi, et postea ab ipsomet transcriptum accepi, cum multis aliis instructionibus suo loco referendis. Habeo insuper duo antiquissima manuscripta, quibus satis minutim Sancti vita exponitur; alterum in membrana, quod occasione visitationis reperi in Archivio monasterii nostri Bergoniensis S. Nicolao sacri, et ab uno discipulorum Sancti compositum fuisse ex prooemio constat; alterum, ex variis tractatibus compilatum, auctores habens ejusdem discipulos varios, prout quisque quæ viderat sciebatque chartæ mandavit; in quorum capite locatur Commentariolus ille, quem de sua juventute primisque progressibus ipsemet Sanctus post se reliquit.

et manuscriptas a coævis,

3 Habentur etiam in Congregatione nostra multa alia antiquissima MSS. quorum plurima variis occasionibus vidi, creduntur que omni fide dignissima, propter eorum summam inter se conformitatem, et quia apparet ab ipsis Sancti discipulis fuisse confecta; stylo quidem simplici, sed congrua cum Processu ad Canonizationem formato, approbataque testimonio Francisci Petrarchæ auctoris gravissimi et antiqui in lib. 2 de Vita solitaria Sect. 3, Cap. 18; ubi meminit operum Sancti trifariam divisorum, secundum triplicem ejus statum, ante Papatum, in eo, et post eum

ac denique Processum pro Canon anni 1306.

A eum, sed dignorum (ut ait ipse) quæ sublimiori stylo percurrantur. Scrutatus deinde amplissimum S. Spiritus Murronensis archivium, plurima istic adjumenta reperi; sed nullum certius præstantiusque quam Processum, anno MCCCVI de mandato Clementis Papæ V in ordine ad Canonizationem formatum; in quo examinati fuerunt plures quam trecenti viginti Testes, fide dignissimi : inter quos multi conditione, gradu, et prælatura insignes, multi etiam ipsius Sancti discipulatu gloriantes : cujus Processus, licet antiquitate corrosi ac mutili, exemplum mea manu descripsi; Summarium vero reperi in archivio monasterii Collismadii prope Aquilam, apud prælaudatum Vicarium nostrum tunc ibi Priorem, qui etiam ipsum per se redegerat in breviorem epitomen, haud indiligenter a me lectam et cum originali textu collatam : atque his consonant quæ in Canonizationis Bulla referuntur. Ex istis aliisque multis præsentem historiam compilavi : cui de meo nihil addidi præter ordinem, declarationem, atque examen argumentorum, quod libenter subjicio Ecclesiæ, Superiorum, et sapientiorum.

Quid inde in hoc supplemento dandum.

B 4 *Hactenus in Præfatione Marinus, universæ Cœlestinorum Congregationis Abbas Generalis præpositus sub annum* MDCXXX, *in opere tunc Mediolani Italice impresso, cum dedicatoria ad Serenissimum Principem Mauritium Cardinalem Sabaudiæ tit. S. Mariæ in Via-lata Ordinis Protectorem. Distinguitur illud in libros quatuor, quorum primus vitam Cœlestini privatam, secundus initia et progressus Ordinis ab eo instituti usque ad Pontificatum, tertius electionem ad eumdem ipsiusque abdicationem et miracula hanc secuta complectitur, quartus denique persecutionem a successore toleratam, mortemque et gloriam subsecutam continet. Ex quibus ea dumtaxat excerpere consilium est, quæ in prægressis monumentis Vitæ Actorumque Cœlestini non satis clare expressa habentur, tamquam perpetuum unum ad illa Commentarium : quare nullum alterum titulum, quam Supplementi Historici, collectioni huic dandum putavi : quæ autem illustrationis causa adjeci ipse ea [ ] discernuntur : cetera Marini sunt, sensu potius quam numero et ordine verborum.*

CAPUT I.

De natalibus sancti et Secessu in eremum.

In Comitatu Molesino natus,

C Anno humanæ salutis millesimo ducentesimo decimo quinto (quo ejus mense aut die non reperitur scriptum) in hanc mortalem lucem venit Petrus, postea de Murrone cognominatus, ac deinde Cœlestinus Papa V; Christianam Ecclesiam gubernante Innocentio Papa III, Romanum Imperium tenente Frederico Rogerio sui nominis II, eodemque Rege utriusque Siciliæ. Patriam ei fuisse Æserniam, antiquam Samnitium civitatem, communis opinio habet : sunt tamen vetusta MSS. (quorum pars prior scitur ex Prologo scripta esse ab uno ex discipulis, et hic putatur fuisse B. Robertus Salentinus) ubi in Castello S. Angeli natus dicitur : et Nocturnus Poeta, Limosinum sancti patriam facit : [quæ duo loca situ conjunctissima, vix octo P. M. Murrone, sed plusquam octodecim distant Æsernia] simul autem omnia Comitatus Molisini sunt, olim etiam sub nomine Terræ laboris id est Campaniæ felicis comprehensa; sicut etiam aliquando nomine Apuliæ vel Aprutii, Neapolitanum regnum usque Calabriam nuncupabatur. Atque hinc factum, ut Jacobus Cardinalis lib. 2 cap. 6 ambiguus hæreat, Aprutione an Terræ laboris adscribendus sit Comitatus Molisinus, [cujus caput cum sit Æsernia, quodam quasi præcipuo jure Sanctum hunc, ut civem suum, erectis statuis ac publicis monumentis veneratur, etsi alioqui integri diei iter, quo patriam suam a Castro Sangrio distare indicat ipse Sanctus, supra nominatis locis ad XXV p. m. remotis, magis faveat quam Æserniæ, XV dumtaxat milliaribus a Castro illo dissitæ.]

dicta una a castro Sangrio,

D

EX ITAL. MSS.

a familia obscura,

6 Pater Anglerius, Maria *a* mater dicebantur : quorum quod cognomen, quæ familia fuerit, hactenus in obscuro manet. Nam quod aliqui ex nepotibus Sancti postea inveniantur nominati cum addito Anglerii, id credendum est more gentis sumptum a patre vel avo esse, non autem familiæ fuisse proprium. [Sic etiam armaria illa tessera, quæ in Ciacconio aliisque picturis Cœlestino additur, Leonem argenteum habens, in alta cerulei campi scandentem, ac rubra fascia transversim septum, a nepotum aliquo potius assumpta postea, quam antea a majoribus usurpata dici potest. Vix enim credibile est quod eam usurpaverit Petrus in Papatu : et qui diligentius ista est scrutatus Claudius Franciscus Menestrier Societatis Jesu, negat se talis usus exempla ulla inter Pontifices certa reperisse, ante Bonifacium VIII, et ab hoc exemplum ad ceteros fluxisse existimat.] Notabile est autem, quod ita a carne et sanguine abstractus semper vixerit Sanctus, ut postquam e paterna excessit domo, nihil cum sibi conjunctis unquam negotii habuisse legatur in ullis suis actis; quin et alibi ægre invenitur memoria aliquorum ex eis, et solum ex D. Francisco Agellis audivi, in regio Zecchæ Neapolitanæ archivio registratum inveniri, in quodam membrano Codice, Caroli II Regis diploma, [a Ciarlanto in Memoriis historicis Samnii relatum lib 4 cap. 22] quo idem Rex testatur se pridem per patentes litteras Secreto Apuliæ et Bajulationis Foggiæ injunxisse, ut Nicolao Angeleri fratri, ac Gulielmo et Petro Roberti Angeleri nepotibus qu. Sanctissimi Patris D. Cœlestini, olim sacrosanctæ Romanæ ac universalis ecclesiæ summi Pontificis, et eorum heredibus, ex eorum corporibus legitime descendentibus, provideretur; Nicolao quidem de annuo reditu unciarum auri decem, Petro autem et Gulielmo seu cuilibet eorum de annuo redditu unciarum auri quinque, percipiendo per eos in terris seu bonis fiscalibus Regni, sub debito militari servitio per eos præstando, contemplatione dicti sanctissimi Pontificis. Ubi quod simpliciter a patris et avi *Angeleri* nomine frater et nepotes Sancti cognominentur, absque ulla honorificentiori appellatione Spectabilis, Providi, Circumspecti, aut simili, quodque ad militare servitium obligentur, indicium fecit omnino plebeæ conditionis etiam tunc omnes fuisse.

vix scitur consanguineos habuisse

E

Vicennis solitariam vitam init,

7 Patrem puer admodum Petrus amisit; mater quæ in studiis educandum curavit, vixisse potuit usque ad annum ejus vigesimum, quando patriæ deserendæ eremumque petendi consilium, diu mente agitatum, executioni mandare cœpit. Ac primum apud ecclesiam S. Nicolai in capite Pontis prope Castrum Sangrii diebus plurimis commorato, deinde decem diebus in cella *b* eremitica vicini montis, ostendit Dominus montem alium, ubi permansit per spatium trium annorum. Equidem fateor nusquam scriptum reperisse me, quis mons ille fuerit; in Aprutio tamen, ubi fere totam suam vitam eremiticam egit, hunc quoque fuisse dubitare vix possum. Credibile vero est ei qui S. Mariæ de altari dicitur, estque Ordinis nostri supra Palenam, prærogativam hanc posse concedi. Antiqua enim incolarum traditio habet, quod cum is locus, serpentibus aliisque venenatis reptilibus abundaret; ibi habitans juvenculus adhuc Sanctus, omnes in perpetuum depulerit; quod non male convenit cum tentatione molestissima, quam ab ejusmodi animalibus initio suæ anachoreseos passum se scribit. Est autem locus in vertice montis,

b

A montis, ad partem Orientalem qua mare Adriaticum despicitur, subtus habens præcipitium immane, in eoque vallem; ex qua sicut ascendi illuc non potest, sic nec in eam dimitti visus absque horrore; quem augerent frequentes ursi, inde ad usque Sancti oratorium venientes nisi ibidem velut cicures oberrarent familiariter. Aiunt porro accolæ, scaturientem ibidem fontem ipsius Petri precibus fuisse elicitum; ejusque aquam adversus omne morborum genus salubrem experiuntur.

EX IT. E. MARINI *et post triennium in monte exactum,*

factus Romæ Sacerdos,

8 Hic maturam Sacerdotio suscipiendo nactus ætatem, persuasus est ei se initiandum offerre: sicut fecit Romæ, aut quia prosequi volebat primum suum intentum, cum quo egressus e patria fuerat, sumpturus ibi de reliqua vita sua consilium; aut quia sacros omnes Ordines absque interstitiis suscipere cupiebat, quo citius ad dilectam solitudinem reverteretur, quod sine dispensatione aliqua fieri non poterat. Verum qui in priori loco plus quam volebat frequentabatur, alium sibi quærendum constituit. Et intelligens quod in Monte Murrone, duobus P. M. supra Sulmonam, habitaverat vir quidam sanctus, Fr. Flavianus de Fossa-nova nuncupatus (forsitan istius Abbatiæ c et Cisterciensis Ordinis monachus) com- B modum eum sibi quoque futurum credidit: atque circa Sulmonam incidit in juvenem annorum circiter quindecim, Raynaldum Gentilem nomine, postea medicum Sulmonæ. Hic anno ætatis suæ LXXX, Christi MCCCVI, productus Testis XXIII, sub juramento asseruit, quod rogatus a Petro ut monstraret eremitorium, in quo Fr. Flavianus pœnitentiam egerat; non solum ei viam ostendit, sed etiam usque eo deduxit: deinde quod requisitus, ut post tres vel quatuor dies illuc rediret, rediturum se promiserit; sicut et fecit, deferens ad illum panes aliquot. Tunc ipsum quidem ibi non reperit, speluncam tamen ingressus notavit locum, in quo decubuisse Sanctus videbatur, silicibus stratum, expectavitque reversurum; reversum vero interrogavit, cujus rei causa abfuisset. Asperioris, inquit, loci quærendi causa circuivi montem. At Raynaldus, Expecta donec hiems fuerit et ningere cœperit: tum experieris quam asper sit locus. Itaque fecisse Sanctum ait, et tempore non parvo ibi substitisse, in exercitio pœnitentialis vitæ quam ducendam elegerat.

in Murronem transit

jam tum habitu religioso indutus,

9 *Addidit idem Raynaldus Petrum cum istuc primum venit, indutum fuisse Monachali habitu et barba rasum; cum autem ex ipsiusmet Sancti relatione nul-* C *lum tempus inveniatur medium, inter Sacerdotium susceptum et accessum ad Murronem, non videtur recipi posse, quod per conjecturam utrique interponit Faber cap. 5 sic scribens:* In reditu apud monasterium B. Mariæ de * Fœsulis multa caritate susceptus, atque religiosa Fratrum sub D. Benedicti magisterio militantium conversatione ædificatus, monachale schema habitumque suscepit. Ibi autem solita monasterii probatione examinatus, sub obedientiæ jugo pugnare eminus, non tam humana eruditione, quam divina unctione sufficienter edoctus erat: quapropter ex fraterna acie ad singularem eremi pugnam duce spiritu iterum rediit, petitoque et obtento commeatu ad Murronis montem secessit. *Sane his in verbis apparet studiose affectata obscuritas, videri volentis moram in monasterio brevissimam statuere, et tamen* solitam *(utique anni ut minimum unius)* probationem, *ut* jam pridem *expletam, supponere: cui si inveniendum esset tempus aliquod, non posset reperiri nisi ante annum ætatis vigesimum: quod facit Marinus jubetque nos credere ab anno decimo sexto vel septimo monachum factum Petrum, ex voto et desiderio viventis tum adhuc matris, ibidem usque post obitum ejus mansisse. Sed neque hoc patitur Sancti de se narratio, quasi consilii incertus, nec habens aliquem Dei servum quem consuleret, inter*

* imo Faifulis

accit mo quanto tempore,

metum et desiderium vitæ eremiticæ fluctuans, in petria D *manserit usque ad annum vigesimum; ac demum cum uno solo consilii sui conscio comite egressus sit, nulla ullius monasterii facta mentione, vel Abbatis sine cujus licentia abiisse nefas sit credere.*

10 *Agnoscit difficultatem Marinus: sed tamen quia mox narratur in Murrone apparuisse Sancto* Abbas defunctus, qui huic primo dederat habitum Religionis: *et quia idem jam Pontifex in Bulla privilegiorum, monasterio sancti Spiritus concessorum, sic loquitur;* B. Benedicti Ordinem, in quo, dum juventutis nostræ progressio ordinaretur, professionis nostræ vota devovimus, singulari ac præcipua devotione diligimus: *quia hæc, inquam ei videntur tam clara, ut ingressus in monasterium atque professio negari nequeat; consequens esse putat, ut sua de tempore anteriori sententia recipi debeat. Verum habet Ordo Benedictinus quosdam (seu* Monachos *seu* Eremitas *vocaveris parum interest) ad modum fere eorum qui apud Mendicantes dicuntur Tertiarii: qui suscepto de manibus Abbatis alicujus aut Episcopi habitu, sicut extra monasterium vivere decreverunt, sic etiam extra illud suam peragunt probationem; post quam alicujus quasi professionis vota nuncupant, iis æque in perpetuum adstricti (in quo a* E *prædictis Tertiariis differunt) ac ceteri viventes in monasterio, nisi quod obedientiæ, non quidem voto, sed exercitio careant, suo arbitrio relicti. Talem die* XXI *Maji inveniemus S. Godricum in Anglia, annis centum ante Cœlestinum: talem etiam hac nostra ætate a prima quondam pueritia familiarem mihi, habet hæc nostra Antuerpiensis civitas, D. Gasparem ab Herstraten, ab annis fere triginta intra ipsam urbis frequentiam comparato sibi eremitorio solitarie agentem, et hoc quo scribimus anno* MDCLXXXI *ad petitionem Ducis Mechlenburgensis Catholici nominatum Episcopum Suerinensis ecclesiæ, jam inde ab hæreseon exortu Pastore viduatæ: qui de manu Antuerpiensis Episcopi habitum sumpsit, interque ejusdem manus Benedictinæ Regulæ observantiam, secundum usum Eremitarum istius Ordinis, est professus. Ad hunc igitur modum dixerim fecisse S. Petrum, tempore illius triennii, quod egit in prima suæ anachoreseos mansione; videlicet ab alicujus proximi monasterii Abbate, qui vel ad eum venerit, vel ad se excurrentem exceperit, sumpsisse habitum Religionis, et suæ professionis vota devovisse; quod quia exiguæ operæ ac moræ fuit, neglexerit Sanctus in scripta referre, æque ac infinita alia, quæ illo triennio contigerunt.*

et utrum in monasterio aliquando Novitius,

aut potius ab initio Eremitum Benedictinum professus.

11 *Ut ut est*, venit in Montem-Murronem Petrus F circa annum Domini MCCXXXIX, ætatis suæ XXV: quis autem præcise locus ab eo tunc lectus fuerit nusquam reperitur expressum: plura vero diversis temporibus scitur inhabitasse, quibus nomina fuerunt S. Mariæ de Murrone, sanctæ Crucis in sublimiori montis vertice, S. Onufrii post primum in ascensu milliarium supra Segezanum, quod circa vitæ ejus extrema fundatum fuit. Et quidem pro loco S. Onuphrii faciunt multi, eo quod ibidem conspiciatur cryptula sua, ægre hominis unius capax: sed et hunc situm in ultima lectum senectute probabimus infra. Quapropter verosimillimum mihi videtur, ipsum sancti Spiritus locum, initio dictum fuisse S. Mariæ de Murrone: nam ibi cryptæ et speloncæ erant, secessui eremitico aptæ, uti videre est in oratorio subterraneo infra Chorum et Presbyterium; et quidquid circumcirca nunc cultum est, antea dumosum ac silvestre fuit, adeoque perquam asperum. Scitur autem Sanctus locum primum dimisisse, propterea quod culturæ aptatus minus jam horridus esset; et tamen in superiori montis parte, nullus invenitur locus qui aliquod humani olim cultus vestigium vel indicium referat. Non scitur etiam quod eo in monte olim fuerit ecclesia aliqua, quamvis varias

Prima ejus in Murrone mansio ibi fuisse videtur,

ubi nunc ecclesia S. Spiritus:

A varias postea ædificandas Sanctus circumcirca curaverit; in quibus fuit ecclesia S. Crucis, cujus adhuc rudera supersunt, et ad quam sæpius se recipiebat: sed in primo montis ascensu juxta radices ejus invenit vel statim a principio erexit sacellum S. Mariæ Murronis dictum, ad quod Congregatio nostra originem sumpsit. Sane Nicolaus Berardi, cœmentarius Sulmonensis, dixit, quod Petrus fabricari fecit duas ecclesias, sibi contiguas et fornice tectas, S. Mariæ et S. Joannis: quas crediderim, successu temporis ampliato loco, in unam majorem sancti Spiritus ecclesiam fuisse conversas.

hic ministri sui absentis peccatum videt,

12 Hic ergo quotidie Missam celebrans, utebatur ministerio adolescentis cujusdam laici; quem cum aliquando Caramanicum natale ejus oppidum misisset [quinto circiter milliario in Boream remotum a Murrone] is concupiscentia carnis victus, in fornicationem lapsus est. Hoc ejus peccatum divina revelatione edoctus Petrus, redeuntem accessu prohibuit, suaque sibi habere jussit: tum causam interroganti, crimen objecit, abjectumque in genua clementer paterneque correxit, imposita pœnitentia: post quam in bono proposito perseverans, effe-B ctus est Clericus; et quod sibi contigerat proprio ore testatus est, quemadmodum ex vetustis MSS. habetur, narrantque Faber [Maffeus] et alii. Adunatis ibidem paulatim discipulis aliquot, cœpit Consortium et Collegium appellari; ipseque Petrus, Rector ac Prior; sicut habent instrumenta publica donationum, loco S. Mariæ de Murrone factarum in manus Fr. Jacobi de Sulmona, anno MCCLI die IX Maji, per Ludovicum Manfredum, Equitem et consiliarium Regium, ejusque conjugem Isabellam de Luco. Unde etiam confirmatur, ipsum esse locum postea sancti Spiritus dictum: donantur enim quædam culta et inculta circumcirca, quæ constat circum præsens sancti Spiritus monasterium esse sita. Quin etiam eodem instrumento servant sibi donatores jus pascendi centum capras, quas habebant in domo, dictæ ecclesiæ etiam nunc vicina, ea Conditione, ut post eorum mortem, tam domus quam horti adjecti, ipsæque capræ transeant in potestatem jam dicti Collegii: et nunc Abbatia sancti Spiritus, velut jure quodam hereditario, certum numerum caprarum atque ovium pascit eo loco, quem usui suo donatores reservaverant.

et socios aliquot ac fundos recipit

ANNOTATA.

C

a *Vincentius Spinelli matri addit cognomentum* de Leonibus.

b *Idem addit quod sanctus juvenis* invenit hic quasi divinitus et accensum focum et aquam in vase allatam.

c *Idem hoc asserit absolute, quod ab alio conjectanter scriptum invenerat, vereor tamen ut certius quam ille instructus*

d *Idem addit*, Ab Episcopo Sulmonensi et Capitulo S. Pamphili licentiam obtinuit ad pedem Murronis ædificandi sacellum, quod propter tenuitatem operis cito consummatum fuit Deiparæque virgini consecratum: *exindeque digreditur ad devotionem Ordinis erga magnam hanc Matrem pluribus explicandam.*

CAPUT II.

Secessus in Montem Magellæ, et vitæ ibi actæ, rigor atque miracula a Petro facta.

An. 1244 transit ad M. Magellæ.

Anno secundum calculum nostrum MCCXLIV, Murronem, magis quam suo proposito conveniebat jam cultum, post quinque annos ibi traductos, deseruit Sanctus: duobusque assumptis sociis (quos conje- D ctare possumus fuisse ex tribus ei postea individuis, Franciscum et Joannem Atrienses atque Angelum de Caramanico) secessit in partes montis Magellæ, in diœcesi Theatina: ibique (juxta relationem cujusdam veteris MS. in monasterio S. Spiritus de Magella) primo substitit, in loco quem vulgo Parietem-Ursi nominat. Sed cum etiam huc ad eum, jam fama et miraculis notum, confluerent multi; rogavit Deum ut alium sibi locum ostenderet, transiitque ad Ripam-rossam seu Rupem-rubram vulgo dictam, ubi cœpit modicum mapale construere. Verum admonitus ab Angelo, ascendit in ipsum montem; in eoque tugurium ex cespitibus atque arborum ramis fabricavit: quæ vixdum cooperta tecto fuit, quando diabolus ei ignem injecit, sic ut totum consumi videretur, diffugientibus præ timore sociis. Orante autem Petro, Angelus aquam in caraffa seu phiala allatam aspergens incendio, flammas extinxit; restitutoque in pristinum statum tugurio, Sanctum confirmavit in proposito extruendi ibidem ædem sacram. Quin et columba divinitus advolans, in rostro schedam attulit, significantem quo loco poni fundamenta deberent: et per biennium istic versata tandem disparuit. Ita MS. illud, de quo nihil amplius nunc dictum velim.

ex [illegible]

ubi extructa ædicula

E

14 Fuit autem in principio oratorium illud parvum, eo verosimiliter loco, qui hodie dicitur S. Margaretæ; ad quem per multos gradus lapideos ascenditur; ubi etiam parvulam sibi cellam condidit Petrus, quæ nunc quoque ejus nomen servat, estque sub ecclesia majori. Hujus cellulæ cum aliquando fenestram apertam dimisisset Sanctus, libellum suum manualem, corio piloso opertum, in ea relictum, corvus quidam abstulit et abscondit, pro sua innata rapacitate. Reversus ille librum requirit, optime memor loci ubi eum posuerat; deinde viso corvo, id quod res erat intelligens, In virtute, inquit, Jesu Christi mando, ut librum sublatum continuo referas. Paruit corvus, et librum statim unde ceperat retulit: Sanctus vero mox sequenti die convocatis in Capitulum Fratribus factum narravit, erudiens illos ad laudandum Deum, cujus voluntate ad nutum hominis obediunt volucres cœli et pisces maris. Crevit cito celebritas loci, et amplius oratorium faciendum fuit, cujus fabrica anno MCCXLVII primum fuit absoluta. Interim contigit ex fabris unum de alto labi, et lapsu contritum expirare: quod cum mœsti socii Sancto retulissent, accurrens ad locum, cucullum quem induerat exuit, eoque cadaver cooperuit. Deinde jussis omnibus præsentibus eum orare, ipse coram altari prostratus, post aliquantam moram surrexit in pedes; et explicato vultu supra mortuum signum Crucis efformans, cucullum resumpsit; moxque receptis vita ac viribus ad opus rediit, qui jacuerat mortuus.

librum a corvo sublatum recipit,

fabrum ex lapsu mortuum resuscitat,

F

15 Concurrebant ad fabricam promovendam omnis generis homines, quos inter ex vicino Roccæ-Morici oppido pius sacerdos fuit, Thomas nomine; qui (sicut antiqua omnia MSS. referunt) cum suis ipse manibus operaretur, die quodam monachis esuriali, quo nihil ciborum coqui consueverat; mandavit Sanctus Fr. Joanni de Atria, ut præpararet aliquid, saltem pro D. Thoma. Respondit ille deesse oleum: tanta tunc Patrum illorum egestas erat. Cui Sanctus, Nihilne, inquit in cucurbita superest? Nihil, inquit Joannes. Tu tamen, inquit Sanctus, eam accipe et igni admove, forte calefacta tantum stillabit, quantum coquinæ pro D. Thoma faciendæ sufficiet. Paruit Joannes, et ab igne vasculum calefactum recipiens, oleo plenum invenit. Nec dissimile est aliud, quod ex eisdem MSS. referam, narratum a Roberto de Sala, quem Beatum nuncupamus, velut auditum

oleum e vacuo vase promi facit,

et vinum ad Missam:

EX ITAL. MS.

A auditum ex Fratribus Nicolao de Serra, Angelo et Rainaldo de Gesso, qui fuerunt ex primis Sancti discipulis. Contigit aliquando in eodem loco deficere vinum ad Sacrificium, nec enim consuetudo fert in totum annum vina condere, quia modico opus est : nec eo loci adest unde accipiatur. Nihilominus ad altare Sanctus, vestibus sacris instructus, accessit; perveniensque ad Offertorium ampullas postulavit. Quas cum vacuas esse ministri responderent, jussit tamen eas porrigi sibi : et illi vacuas monstraturi, tam aqua quam vino plenas invenerunt, miraculoque obstupuerunt.

deciduum dentem refigit,

16 Fr. Nicolaus de Serra, ex primis discipulis unus, non valens servare quod sibi indictum erat silentium, retulit, quod Sancto ad mensam accumbenti dens unus excidit. Ille vero gratum illud acceptumque habens, manu eumdem prehendit; et post modicam orationem loco suo reposuit, adeo firmiter hærentem, ac si numquam excidisset. Fecit autem illud tam dextere, ut observare id potuerit nemo, præter proxime assidentem Fr. Nicolaum prænominatum et Fr. Angelum de Caramanico, eum qui postea in carcere Bonifacii VIII obiit, nam hoc expresse in MS. additur. Anonymus autem discipulus, qui Sancti actiones et vitam in scripta

erogatos panes multipliciter recipit,

B retulit, diffuse narrat id quod ex depositione Fr. Jacobi de Pacentrano, Testis CXCI relatum in Summario legi de tribus panibus, qui soli in loco S. Margaritæ residui erant, in totidem pauperes distributis; pro quibus ipso prandii tempore ignoti homines duo duos saccos panibus plenos ad ostium tulerint ac disparuerint. Distat autem locus S. Margaritæ modico intervallo ab ecclesia S. Spiritus, ex cujus posteriori atrio illuc ascenditur per scalam multorum graduum ex vivo lapide, propter eminentiam situs; habetque oratorium parvum cum cella, ubi forsitan commoratus est Sanctus tribus annis, quibus fabrica S. Spiritus sub manibus operarum fuit. Unde sequeretur eodem tempore factum esse miraculum, quod secutum sit haud absimile aliud, ab eodem discipulo Sancti in manuscriptis, et a Fr. Jacobo in Processu ac deinde in Summario, quod vidi, relatum.

ædem divinitus consecratam intelligit,

17 Perfecta autem fabrica (ut supra dixi) anno MCCXLVII, fuisse ipsam divinitus consecratam (sicuti Sanctus scripsit, et deinde Fratri alteri per visionem confirmatum est) reperitur etiam in manuscriptis, et additur dies quo facta sit res, XXIV mensis Augusti, Decollationis S. Joannis Baptistæ sacer [anno

C jam notato incidens in feriam V.] Additur etiam quod post cantatum Dedicationis Introitum, *Terribilis est locus iste* etc. apparuerit Joannes Evangelista, Missam dicturus cum aliis duobus, Diaconi et Subdiaconi more indutis; quibus mysteria sacra peragentibus, supervenerit Majestas divina cum Beatissima Virgine Sanctoque Joanne Baptista ac immenso splendore; finita autem Missa, Benedictionem ab ipsa Dei Majestate fuisse pronuntiatam; ac deinde tres Angelos ecclesiam visibiliter circumeundo cecinisse, *Quod factum est, Consecratum est, Testimonio Angeli confirmatum est.* Eadem res sequenti mox Dominica fuit alteri Fratri, sicut ipse Sanctus retulit per visionem novumque miraculum confirmata, exindeque vulgato sermone celebrata. Fuit nihilminus Sacerdos quidam, Jacobus de Castellione (locus hic ad fluvium Piscariam est juxta Abbatiam S. Clementis XV lapide a Magella) qui de veritate ejusmodi dedicationis vehementer dubitans, rogavit quemdam Sancti discipulum, moribus et vita probatissimum, nomine Rogerium Angelicum, ut divinitus sibi majorem facti istius certitudinem impetraret. Annuit Rogerius, oravitque : Jacobus autem nocte quadam profunde dormiens, vidit in somnis

de quo dubitans Sacerdos per visum confirmatur.

ipsum Sanctissimum Benedictum in habitu sacrificali stantem ad altare in ecclesia S. Spiritus, seque D eidem ministrare; ascendentem vero dicta Confessione Patrem, ex pyxide quadam super altari posita, tribus digitis sumere pulverem quemdam nive candidiorem; de quo in uno altaris cornu ponens, dicebat, *Quod factum est;* deinde in altero, *Consecratum est;* ac denique in medio, *Per Angelum confirmatum est.* Disparente autem visione evigilans Sacerdos ille, cuncta ex ordine Fratribus in Capitulo retulit, et summa deinde in veneratione locum habuit. Videtur autem, licet nullum tempus in MS. signetur, res accidisse post obitum ipsius Sancti; neque enim alias necesse habuisset bonus iste Sacerdos, pro certiori notitia recurrere ad prædictum Rogerium Anglicum, eumdem verosimiliter, qui postea sub annum MCCCL cum titulo Provincialis nominatus invenitur in fundatione monasterii S. Hieronymi de Cæsena.

Quam horrida tunc ibi solitudo?

18 Quam asperam ibi vitam egerit Sanctus, ex ipso loci aspectu optime, non male tamen intelligi poterit, vel ex sola verbali descriptione. Dicamus ergo, quod ea pars Majellæ montis, quam habitationi suæ Sanctus elegit, ad Orientem et Septemtrionem respiciens Adriaticum mare, eidem veluti imminere videatur; supra omnes vicinos montes E ipsumque Appenninum sese erigens, adeoque declivis ac præceps, ut cum primum illac secundum littus in Apuliam transirem, visus sit mihi quasi murus, rupibus præcisis continuatus. Interior vero sinus ad Meridiem, ubi sanctus Pater noster substitit, præter alias asperitates, multas habet valles, densisissimis et altissimis silvis ab imo sursum horrentes et obsitas; unde siquis vel usque ad mediam altitudinem montis, ne dicam usque in verticem ascendat; et oculis circumactis consideret, quam procul ab omni habitatione humana reductus consistat, per vias pene invias illuc deductus, inhorrescat necesse est, præsertim in hieme, dum omnia nivibus obsita geluque rigentia intuebitur. Et tamen usque hodie locus iste habitatur a monachis nostris, quin etiam frequentatur ab externis, solitis per copiam nivium, vastitatem vallium, et silvarum densitatem iter moliri cum instrumentis quibusdam, quæ ipsi sibi ex funibus et lignis in modum circulorum conficiunt, confectaque plantis subligant, ad superandas nives; idque ut vel piæ suæ erga locum religioni faciant satis, vel Patrum necessitatibus succurrant cum opus fuerit. Mense tamen Julio atque Augusto F alia longe facies ridet istic, ubi ecclesia S. Spiritus est; et floribus quasi vernis vestitum tunc solum, quamdam terrestris paradisi præfert imaginem.

quam aspera vestis,

19 Quod vestitum Sancti attinet, is etiam vilissimus atque asperrimus erat; scilicet supra loricam ferream, tunica ex filis lanæ retortæ contexta, et scapulare atque cuculla, ex parabiliori qui inter montana ista reperiebatur panno. De colore nihil legitur, neque hunc Sancto crediderim curæ magnæ fuisse; ex ipsa autem panni vilitate judicari etiam de colore possit, fuisse cinereum, nigroque quam albo propiorem. Tunica tamen erat procul dubio magis alba : quia hic usus in ordine perseveravit, et talia sunt quædam B. Roberti unius ex discipulis vestimenta, quæ hodieque servantur pro Reliquiis. In

et cujus coloris?

Francia tamen servatus est ab antiquo usus, deferendi sub aliis vestibus habitum coloris leonini, idque dicitur fieri in memoriam primi habitus, quem Sanctus Pater in eremo portavit : et talem vidi sub aliis vestibus cujusdam Fr. Benedicti de Evolis, anno MDV cum magna sanctitatis opinione mortui. Cum autem vestium aliquid rumpebatur, solebat ipse eas sua manu resarcire; nec verecundabatur alterius cujusvis coloris partem ei aptare, vel tunicæ tritæ novi

A novi panni segmenta plura apponere, sic ut quandoque centonem citius quam vestem dixisses. Ut plurimum nudipes ambulabat absque tibialibus calceisque, nisi iter ageret aut Missam celebraret, vel domo esset pro aliqua necessitate egrediendum. Hieme tamen adhibebat socculos laneos viles, et sandalia lignea.

quam assidua psalmodia

20 Grandi studio multifariam sibi auxerat Sacerdotale pensum : siquidem ad Officium quotidianum jungebat Horas, in honorem B. Mariæ Virginis ante annos plusquam ducentos olim a Petro Cardinali Damiano ordinatas, et ab Urbano Papa II in usum deductas. Laudes etiam ac Vesperas Sanctorum omnium, ad imitationem Cluniacensium ex institutione S. Odilonis. Idque totum non privatim, sed in choro communiter cum aliis Monachis suis ; quibus fere usque ad hæc nostra tempora usus uterque duravit. Ab eodem fonte credi potest manasse consuetudo, ut post lectionem Martyrologii ad Primam Precesque sequentes, Oratio peculiaris fiat pro Abbate Generali totaque Congregatione, eique subjungantur Psalmi, cxxii, Ad te levavi, cxxviii De profundis, cxli Voce mea Dominum clamavi, et cxlv

præter horas canonicas ?

B Lauda anima mea Dominum, pro defunctis fratribus, propinquis ac benefactoribus Congregationis nostræ ; quod licet ex parte immutatum sit per editionem monastici Breviarii jussu Pauli V ; eatenus tamen adhuc viget (et quidem ad omnes Monachas propagatum, cura D. Celsi Amerighi nostri tunc Generalis, et ad reformandum Breviarium adhibiti) ut, Psalmus De profundis pro illis recitetur. Finitis Officiis humeros et dorsum subjiciebat vimineis virgis, quas disciplinas vocamus, non solum diebus Quadragesimalibus, sextisque Feriis et Vigiliis Sanctorum (sicut noster fert usus) ad expiandas culpas quotidianas, easque quæ in nostro Capitulo solent accusari : alias vero ipse sibi sexaginta ictus infligebat, flagris corrigiatis eo utens.

ad suadendam pœnitentiam quam efficax sermo,

21 Colloquia ejus, singulari devotione condita, efficacissima erant ad animarum conversionem, morum emendationem, et pœnitentiam de peccatis persuadendam : quod non nullis ex Processu exemplis confirmare placet. Catanea, uxor cujusdam Notarii Joannis Rizardi de Sulmona, retulit, quod cum maritus suus esset homo flagitiosus et impius, missus est ad eum, ut ipsam, oculorum visu privatam, Sancti precibus commendaret, quarum etiam postea fructum optatum retulit ; contempsit autem Sanctum,

C indignatus, quod noluisset permittere ut mulier veniret in suum conspectum. Sed benigne invitatus ad colloquium, atque inter sermocinandum de vita sua perversa increpitus, cujus omnis ordo fuerat Sancto prophetice revelatus ; tantam in se sensit commutationem, ut alius plane ab eo qui fuerat, jejuniis, pœnitentiis, orationibus atque operibus pietatis deinceps vacarit : atque in hujus beneficii partem mariti exemplo venit ipsa Catanea, post visum recuperatum.

vel etiam simplex aspectus :

22 Petrus Grassus, Notarius Caroli II Regis Siciliæ atque Neapolis, similiter testatur, quod Comes Montis-Feretrii Guido, vir bellis clarissimus, qui Urbinatis civitatis Dominium acquisivit sibi, et usque ad hæc tempora in posteris tenuit ; homo ut militaris sic sanguinarius, intelligens omnes qui in conspectum Petri, ad Pontificatum electi veniebant, ad meliorem vitam traduci ; voluit id etiam ipse experiri. Ad ejus autem Coronationem cum aliis principibus viris profectus, rediit cum proposito seculi dimittendi et habitum S. Francisci sumendi ; sicut et fecit, nequidquam postea a Bonifacio Papa VIII sollicitatus ad arma, pro eo contra Prenestinos Columnensesque resumenda. De se autem affirmat ipse Grassus, quod prima vice qua ipsum visitare voluit in sua eremo degentem, mox atque ille D ante fenestellam se exhibuit, ex qua solebat benedicere populo, supplici clamore id postulanti, inhorrescentibus etiam capitis sui pilis contremuit ; tantumque devotionis ardorem concepit animo erga Sanctum, ut nisi matrimonio illigatum se scivisset, continuo assumpturus fuerit habitum religiosum. Petrus quoque Thomæi de Sulmona, Testis xxii, retulit, quod viderit et audiverit omnes illos, quibus Sanctus corporale aliquod beneficium præstitit, spiritualem quoque fructum tulisse emendatioris vitæ : in quo eidem ceteri omnes Testes assentiuntur.

EX ITAL. MABIL.

quanta cura pauperum

23 Magno autem caritatis affectu ferebatur in subsidia pauperum, ideoque eorum sibi indiculum confici curabat, per homines pios ac fideles, in iis quibus morabatur locis, in illos distribuens etiam ultro quæ sibi mittebantur ; nihilo minus liberalis erga eos qui alia de causa veniebant ad ipsum. Ita Franciscus Joannis de Rocca-Morici Testis cxxv, et vidisse se ait sæpius, et de ipsa Sancti manu aliquando pecuniam accepisse. Mulieribus autem quas a suo conspectu colloquioque arcebat, et puellis nubilibus quarum pudorem noverat propter inopiam periclitari, succurrebat per alios, idque quam poterat occultissime. Sed quanto ille plus largiebatur, tanto magis E providebat Deus ne deesset unquam quod erogaret, quin et ab eo data aliquando crescebant inter accipientium manus. Evidens hujus rei experimentum sumpsit aliquando D. Catanea, diversa a priori, quæ pro singulari suo erga Sanctum affectu haud procul ab ejus cella habitationem sibi delegerat. Hæc enim cum aliquando peregrinos tres excepisset hospitio, et a Sancto panes commodari sibi petiisset, duos ab eo benedictos accepit (nec enim plurium suppetebat tunc copia) ex quibus cum ipsa ac maritus suus tresque peregrini commedissent essentque satiati, unus hospitum animadvertens quid ageretur ; Quid hoc rei est ? inquit. Duos solum panes habuimus, et ecce satiatis nobis plus etiam superest quam initio erat.

semper habenti quod largiretur.

Prophetico spiritu prævidet

24 Ceterum ad proximorum corporale æque ac spirituale auxilium, adjumento ei magno erat prophetiæ donum, quod ei donorum omnium Auctor contulerat, et cujus exempla varia proferuntur in manuscriptis. In his est, quod cum ecclesia S. Mariæ de Murrone ædificabatur, operarum unus, qui sub spelunca quadam arenam effodiebat, interim dum Sanctus more suo in cella clausus orationi vacabat ; admonitus per nuntium ab eo ad se missum F ut egrederetur de spelunca quantocius, minime frustra se obedivisse intellexit, cum post se speluncam vidit corruisse. Caramanici homo erat valens ac sanus, cui ad se venienti Petrus dixit, Confitere peccata tua, quia cito visitabit te Dominus. Rediit ille domum, et post biduum inde elatus ad sepulcrum prædictionis fidem confirmavit. Auctiori postea Ordine, novitius quidam Aquilani monasterii graviter tentatus, luctam suam internam revelavit Priori suo : qui ad Sanctum Patrem consilii causa eum dimisit. Hic vero consolatus eumdem, et Romam migrare justum animavit, dicens : Vade, fili, in nomine Domini, quia ibi cito attinges finem tuum. Quod ille Aquilam reversus multis dixit, et ex vero prædictum sibi esse eventus docuit, decimo post quam Romam appulerat die, vita functus. Jacobus de Molisio, Monachus noster, habitans prope Roccam-Morici, in S. Georgii ad pedem Montis-Majellæ, consolationis capiendæ causa veniens aliquando ad Patrem nostrum, inter alia hæc ex eo verba audivit : Fili, vade, et confortare in Domino : animam autem diligenter præpara et a peccatis emunda, prope est enim ut ab hujus mortalitatis carcere libereris. Ille tunc sanus, vegetus, hilarisque

lapsum speluncæ,

et mortem quorumdam proximam.

EX ITAL. MARINI.

A que nullam tunc quidem fidem verbis talibus adhibuit; sed intra paucos dies lapsus in morbum, mortem quam crediderat viciniorem sibi esse didicit.

Ad se venientis herniam curat absens,

25 Atque hæc aliaque a variis relata, scripta fuisse reperiuntur per discipulos Sancti, vitam ejus ordinate complexos : quæ etiam hoc quod sequitur referunt, tamquam ejus cui accidit juramento firmatum. Lanciani (quæ civitas Aprutii est ad mare Adriaticum, qua parte Majellam respicit) loco annuis nundinis celebratissimo, vixit Notarius quidam Pamphilus : qui post testimonium de variis Sancti miraculis datum, rupturam se passum dixit in dextro latere perquam dolorificam; a qua ut curaretur; tradidit se in manus expertissimi cujusdam Chirurgi Guardia-Greli, fama similium curationum celebris, et plusquam quinque menses mansit absque fructu sub ejus cura, qui alios multos similiter affectos intra secundum aut tertium mensem curaverat. Cum igitur tam ipse quam medicus spei nihil haberent super, recordatus miraculorum quæ per Petrum fieri dicebantur, vovit ad eum se iturum. Dies Jovis tunc erat, et proximo Sabbato ire constituerat : sed ipso præstitutæ diei mane de lecto surrecturus, sanum B se esse sensit. Agnovit ergo se præventum in beneficio; cui ne esset ingratus, assumpto socio exivit alacer, gratias acturus suo sospitatori. Venientem autem, nec nisi sequenti die amissum, cum vidit genua flectere, dixit voce severa : Miser Pamphile et infelix : uxorem habes bonam et castam, et adhuc cum alia muliere te coinquinas? Quomodo sic te pateris a diabolo decipi? Mortaliter peccas, et pessimam rem facis. Nunc ergo pœnitentiam age de peccatis, teque emenda : videbat enim infirmitatem istam in pœnam peccati immissam ei fuisse. Agnovit Pamphilus vera dici, sed negavit ab ea se consuetudine posse avelli. Tum Sanctus, misericordia motus, secessit aliquantum; et post brevem ante altare orationem revertens, Bono, inquit, animo esto, fili, spero quod deinceps relapsurus non sis in peccatum istud, pœnitentique imposuit satisfactionem congruam et dimisit hominem. Ille vero non solum a peccato abstinuit, sed nec vultum nec sermonem mulieris istius postea videre vel audire voluit.

et adulterii consuetudinem novit ac corrigit.

Discipulum ægrum Romæ sanat,

26 Quo tempore Nicolaus Papa III ex hac vita migravit, id est anno MCCLXXX die XXII Augusti, e Tuscia revertens Sanctus, in monasterio quod suus Ordo Romæ habebat, Montorii dicto, adeo graviter infirmum reperit Robertum quemdam monachum, accedente ad C morbum etiam tertiana febri, ut neque movere se posset, neque ulteriorem vivendi spem accipere a medicis. Hunc ergo visitans atque consolans; Bono sis, inquit, animo : quantumcumque enim lassus exhaustusque tibi videare, non morieris : deinde monuit ut Deo se commendaret : atque hoc dicto abiit, infirmo ipso ejus precibus se plurimum commendante. Die altero, cum recursuram febrem expectaret Robertus, cœpit is econtra habere melius : revisentique ad se postridie Sancto, et qualiter se haberet interroganti, dixit, Bene, Pater, per Dei gratiam et tuas orationes. Tum Petrus : Mihi nullæ inquit, agendæ gratiæ, sed Deo et B. Bartholomæo Apostolo, cujus dies præcesserat : habitaque ab omnibus pro miraculo est tam subita convalescentia. Eidem Roberto in campis agenti obvenerat infirmitas, quæ non solum corpus sed spiritum quoque acedia gravi occupavit, et ad omnia exercitia spiritualia hominem inutilem fecit, quod eum magis torquebat quam morbus suus. Ergo in orationem prostratus cœpit remedium postulare a Deo per merita sancti Patris. Hic vero ei per visionem apparens, porrigere videbatur largam corrigiam atque dicere, Accingere, fili, et robustior eris. Paruit ille, simulque evigilans plusquam alias unquam exhilaratum D animatumque se sensit : et magis quam ceteri omnes Quadragesima ista se exercuit, jejuniis, silentio, orationibus et vigiliis, ad stuporem aliorum omnium Fratrum. Quod hic insertum volui, alibi fortasse minus commode collocandum.

ejusque mœrorem apparens lenit.

CAPUT III.

Institutio, conformatio, propagatio et regimen Ordinis a Sancto instituti.

Sociis in Murrone colligi cœptis ab an. 1250

Quo tempore cœperit Sanctus, et quo loco primos recipere socios; quinam etiam illi fuerint, nuspiam scriptum reperitur. Unum constat, quod eorum numerus haud minimus fuerit, quando ex Murrone Magellam discessit, duos dumtaxat comites ducens, ceteros sub Vice-rectoris a se constituti regimine relinquens. Scriptores deinde plerique affirmant, utrobique sic crevisse numerum, ut cum eum loca duo adeo tenuia arctaque non caperent, coactus paulatim sit plura alia recipere. Interim apud nos certius nihil est, quam primum fuisse locum S. Mariæ de Murrone, in quo recipere cœperit stabilia bona. E Horum prima fuerunt fundi illi, quos supra diximus donatos a piis conjugibus, Ludovico Mamfredo et Isabella de Luco, IX Maji anno MCCLI, Mamfredi Regis III, Indictione XV. Inveniuntur etiam scripturæ aliæ, quæ continent donationes factas Fr. Petro Vice-Priori Magellæ et Eremitæ ibidem, de omnibus fundis juribusque pertinentibus ad ecclesiam S. Mariæ de Murrone, signatæ anno MCCLXIII, die VIII Septembris, Mamfredi Regis anno V. Quæ scripturæ, ut cum prioribus verificentur, distinguendum est duplex initium Mamfredi, primum anno MCCXLVIII, quando vivente adhuc patre, sed ad Parmam gravi clade affecto, Entiique alterius filii nothi Sardiniæ Regis captivitate afflicto, tyrannidem usurpavit; quam deinde extincto patre, confirmavit contra fratrem Conradum, pro Rege passim habitus, præterquam a Neapolitanis, Capuanis et Aquinatibus : alterum, quando post mortem Innocentii IV, Conradini Nepotis tutelam sibi arrogans, rursus omnia in suam redegit potestatem; sparsoque de morte nepotis rumore, Regio in habitu publice comparuit sub finem anni MCCLVIII vel initium sequentis.

et paulatim multiplicatis.

an. 1259 datur facultas condendæ amplioris ecclesiæ

28 Juxta alterum hoc Mamfredi Regis initium, inveniuntur datæ litteræ, primum Fr. Jacobi Episcopi Valvensis et Capituli S. Pamphili Sulmonensis V Junii, anno Domini MCCLIX et Mamfredi I : quibus Fr. Jacobo et Fr. Petro Eremitis (qui haud dubie ex F primis sociis fuerunt) nomine Fr. Petri Eremitæ Magellensis (nostri scilicet sancti Patris) acceptantibus; ejusque successoribus facultas datur ædificandi ecclesiam, ad honorem beatissimæ Virginis in contrata Murronense. Intellige ampliorem novam pro illa quam prius ibi habuerat Sanctus, quæque tunc adhuc Episcopali jurisdictioni subjecta, anno primum MCCLXIII libera dimissa fuit Fr. Petro Vicepriori et Eremitæ Magellensi : nec tamen cito consummata, siquidem adhuc anno MCCLXVIII Clemens Papa IV centum dierum Indulgentias concessit, manus auxiliares porrecturis operi (ut loquitur) sumptuoso. Quin nec anno MCCLXXIV perducta ad finem, siquidem etiam tunc illa fuit : in Privilegio Gregorii Papæ X, adhuc appellatur ecclesia S. Mariæ : quæ plene perfecta dedicataque sancti Spiritus nomen postea tulit, atque ab ipsomet Petro in Capitulo generali declarata est Caput Congregationis totius, electo in Abbatem Onufrio Comensi, abolito ex tunc omnino priori nomine; sic ut deinceps nulla amplius fiat mentio S. Mariæ Murronensis. Mutandi autem nominis causa fuit, quam supra diximus, et propter quam etiam omnia deinceps a se constructa loca

in monte Magellæ, caput Ordinis futuræ.

A loca sub nomine Spiritus sancti dedicavit. Omisso etiam titulo Prioris S. Mariæ de Murrone, in distribuendis per loca Prioribus usurpavit Petrus titulum Prioris S. Spiritus de Magella, usque dum suus Ordo, auctoritate Urbani Papæ IV anno MCCLXIV, incorporatus fuit Ordini S. Benedicti.

Hic anno 1264 incorporatur Ordini Benedictino :

29 Constitutionis Urbanianæ tenor, directus Episcopo Theatino (Nicolaus hic dicebatur) hujusmodi est. Cum sicut ex parte dilectorum filiorum Rectoris ac Fratrum eremi S. Spiritus de Magella diœcesis tuæ, fuit propositum coram nobis, ipsi, qui nullius Ordinis observantiæ sunt adstricti, Ordinem B. Benedicti profiteri eique incorporari desiderent, et ipsius informari etiam institutis : Nos eorum propositum favore benevolo prosequi cupientes, Fraternitati tuæ per Apostolica scripta mandamus, quatenus, si est ita et eis facultates propriæ suffragantur, adeo quod idem Ordo possit ibidem perpetuis futuris temporibus observari; eumdem Ordinem in eremum ipsam, si expedire videris, inducas, eosque incorpores Ordini memorato, sine juris præjudicio alieni. Datum apud Urbem-veterem Kalendis Junii, Pontificatus nostri anno secundo. Fecit mox quod B sibi mandatum erat Episcopus, factumque declaravit per litteras datas Theate XXI Junii, Indictionis VII, anno MCCLXIV, cujus transumptum authenticum, scriptum XXVIII Octobris ejusdem anni, servatur in Archivio Murronensi. Atque hæc fuit prima confirmatio Apostolica, post quam crevit Ordo numero monachorum atque locorum, quæ in secunda confirmatione Gregorii X, sub annum MCCLXXIV, fuerunt sedecim, ac paulo post triginta, et Monachi sexcenti; pastoralem suam curam ad omnia extendente Sancto. Qui licet plerumque Magellæ consisteret, ad initia tamen fundationum plerarumque præsentem se sistebat, non tantum in Aprutio, sed etiam in Campania Romana, Florentini, Anagniæ, Sculculæ et Soræ : quin et Romæ subinde erat, propriæ vel alienæ devotionis causa loca sancta visitans, aut devotis amicis faciens satis; nescimus tamen quibus præcise temporibus.

eaque res anno 1274 confirmatur,

Sancto ideo ad Concilium Lugdunense profecto :

30 Occasionem petendæ Confirmationis secundæ dedit fama late vulgata, de novis Ordinibus in Concilio Lugdunensi supprimendis : quare assumptis sociis Joanne de Arri Sacerdote, et Placido de Morreis laico, mense Novembri anni MCCLXXIII, media licet hieme, illuc se contulit; incertum quando, sed ut minimum ante finem Martii sequentis, adveniens C Lugdunum. Hic in ea domo, quæ tunc Templariorum erat, hospitanti, sicut ait Benedictus Gononus in Notis ad vitam, per noctem ab Angelo revelatum fuit, quod eam possidere deberent Fratres sui, et ibidem monasterium construere. Etsi autem pannosus esset et vestitu exteriori contemptibilis, a summo tamen Pontifice honorifice est susceptus. Monitus quippe (ut ait Faber) in spiritu summus Antistes, divinum aliquid in beato viro latere cognovit; neque tam ad vultum ejus exteriorem, quam ad interioris hominis dignitatem attendit. Sed ut in conspectu quoque totius Concilii gratiam inveniret Sanctus, operatus est Dominus circa personam ejus insigne miraculum in ecclesia S. Pauli, in quæ cœtus habebantur. Cum enim jubente Pontifice, Missam coram eo celebraturus, cucullam exuisset sacris induendus vestimentis; remansit cuculla divinitus suspensa in aere ad solis radium, transeuntem per fenestram vitream; constatque ex MSS. monasterii Lugdunensis, tam ipsum ad quod celebravit altare, quam vitream illam, in veneratione fuisse usque ad tempora hæreticorum, qui utrumque destruxerunt. Ceterum erubuit vix simplex ad splendorem pretiosissimorum, quæ pro tali ministerio, tali occasione peragendo, offerebantur vestimentorum; quippe vilibus dumtaxat, mundis tamen, in eremo assuetus. D Igitur super hoc non parum anxiato ejus spiritu, confestim apparuerunt divinitus allata ipsa illa simplicia paramenta, cum quibus divina mysteria celebravit, assistente et stupente cum præsentibus aliis multis Pontifice.

ubi gemino miraculo coram Papa honoratus,

EX ITAL. MARINI.

31 Potuit hoc in die S. Benedicti accidisse, eoque miraculo motus fuisse Pontifex ad mandandam celerem expeditionem Bullæ, sequenti die XXII Martii MCCLXXIV signatæ, cujus partem visum est hic attexere. Sic ergo habet. Gregorius Episcopus, servus servorum Dei, Dilectis filiis, Priori monasterii S. Spiritus de Magella, ejusque Fratribus tam præsentibus quam futuris, regularem vitam professis, in perpetuam rei memoriam. Religiosam vitam eligentibus Apostolicum convenit adesse præsidium, ne forte cujuslibet temeritatis incursus, aut eos a proposito revocet, aut robur (quod absit) sacræ Religionis infringat. Ea propter, dilecti in Domino filii, vestris justis postulatis clementer annuimus, et monasterium S. Spiritus de Magella, Abbatem proprium non habens, sed per Priorem solitum guberE nari, Theatinæ diœcesis, in quo divino estis obsequio mancipati, sub B. Petri et nostra protectione suscipimus et præsentis scripti privilegio communimus; imprimis siquidem statuentes, ut Ordo monasticus, qui secundum Deum et B. Benedicti Regulam in eodem monasterio institutus esse dignoscitur, perpetuis ibidem temporibus inviolabiliter observetur. Præterea quascumque possessiones, quæcumque bona idem monasterium in præsentiarum juste et canonice possidet, aut in futurum concessione Pontificum, largitione Regum vel Principum, oblatione Fidelium, seu aliis justis modis præstante Domino poterit adipisci, firma vobis vestrisque successoribus et illibata permaneant : in quibus hæc propriis duximus exprimenda vocabulis.

Bullam obtinet signatam 22 Martii,

qua Ordo eximitur a jurisdictione Ordinarii,

32 Locum ipsum in quo præfatum monasterium situm est, cum omnibus pertinentiis suis; ecclesiam S. Georgii de Rocca-Moricii... S. Joannis de Monte-Magellæ, S. Bartholomæi de Logio, S. Cleti de Motillulo, et S. Mariæ de S. Angelo de Inter-montes... S. Mariæ de Murrone, S. Antonini de Campo-Jovis, S. Joannis de Aqua-sancta, S. Comitii de Acziano, S. Spiritus de Isernia, S. Mariæ de Agello, S. Antonii de Ferentino, S. Antonini de Anagnia, S. Leonardi de Sculcula, et S. Francisci de civitate Antena... et quidquid juris in Theatina, Valvensi, F Iserniensi, Anagnana, Ferentinensi, Sorana diœcesibus monasterium vestrum noscitur obtinere... Sane novalium vestrorum, quæ propriis manibus vel sumptibus colitis, de quibus hactenus aliquis non percepit, sive de vestrorum animalium nutrimentis, nullus a vobis decimas exigere vel extorquere præsumat. Subsequuntur et alia Privilegia plurima, qualia liberis et ab Ordinariorum jurisdictione exemptis Ordinibus fere nunc competunt, cum subscriptione ipsius Papæ et Cardinalium duodecim. His instructus Sanctus, superatisque viarum periculis variis, Magellam revertit in Junio, mense postquam inde discesserat octavo. Est autem fama Florentiæ, quod in itu redituve visitans suo more nosocomia, ægros ibi omnes signo Crucis signaverit; ideoque civitas illa Patronum eum ibi adlegerit, festumque singulari cum apparatu ludisque instituerit celebrandum, conveniente ad ejus ibi ecclesiam quotannis magistratu. Ita tradit D. Theophilus Basilii Discursu XVIII, rursumque mihi confirmavit per epistolam, velut sibi dictum a Priorissa Sanctimonialium ministrantium in hospitali S. Bonifacii, quæ id ipsum ex ore Prioris paulo ante defuncti, hominis perquam pii et docti, audivisse sæpius affirmabat; itemque a Sanctimonialibus hospitalis S. Matthæi, cujus etiam curam

recensitis ecclesiis singulis.

In itinere variis locis miracula facit Petrus,

EX ITAL. MARINI.

A curam idem Prior gessit. Dicitur similiter quod Mantua transeunti concessus a Gubernatore fuerit locus, quem ibi nunc Ordo possidet: et quod Comi Missam celebraverit super altari majori ejus ecclesiæ, quam ibi quoque Ordo noster habet.

et reversus placat Episcopum Theatinum,

33 Reverso autem cum lætitia Patre, publicatisque quæ secum attulerat Privilegiis, timore correpti sunt qui pauperculorum bona impune diripuerant, et pœnitentia ducti restituerunt ablata: sed nec Episcoporum quisquam ausus est Ordini, tam solenniter confirmato, ullam inferre molestiam. Solus Nicolaus Theatinus Episcopus, ejus ab Ordinariis exemptionem suam interpretatus injuriam, ita exarsit in virum Sanctum ejusque socios, ut novum Ordinem in totum convellere cogitaret, omnemque ad id moveret lapidem. Quamobrem Petrus, humilitatis et patientiæ dono imbutus, Deum exoravit, ut Nicolai averteret iram, illumque placabilem redderet. Interim infirmatur Episcopus, et fere ad portas mortis deducitur: qui ad cor rediens, Sanctum virum rogari fecit, ut sui misereretur, futurus deinceps novelli Ordinis benignus protector. Petrus vero suis precibus Episcopum Domino commendans, sanitatem non sine miraculo impetravit ei: qui di- B vino flagello correctus, ipsum ejusque Ordinem summa deinceps caritate amplexus, a diœcesana jurisdictione immunem fecit, cuso diplomate, ipso adhuc anno MCCLXXIV.

fit Abbas monasterii de Faifulis

34 Exinde augeri magis Ordo, et Beneventanus Archiepiscopus Capuferrus monasterium S. Mariæ de Fayfulis [forsitan primo nomine dictum de Fagifoliis, a Fabro perperam scriptum de Fœsulis] restauratum reformatumque cupiens, ipsum donavit Sancto sub annum MCCLXXVI, Abbatem eum ibi constituens: sub eoque titulo invenitur anno jam dicto Fr. Matthæus Episcopus Iserniensis scripsisse Fr. Petro de Murrone, Abbati ecclesiæ S. Mariæ de Fayfulis Beneventanæ diœcesis, ac universis Fratribus suis, apud Iserniam commorantibus in ecclesia S. Spiritus de novo constructa, Ordinis S. Benedicti. [Apud Ughellum vero tom. 8 col. 219 ipsius Capuferri invenitur rescriptum judiciale, datum anno Christi MCCLXXVIII, Nicolai III Papæ anno II, Fr. Petro Abbati S. Mariæ de Faifulis, ejusque successoribus regulariter intrantibus, ad quæstionem de aquatione in usum monasterii, in controversiam adducta ab Œconomo ecclesiæ S. Nicolai; quo statuitur, ut irrigatio tam hortorum quam pascuorum ipsis ad libitum relinquatur, dum modo ea fiat alter- C natione, ut molendinum ecclesiæ prædictæ, cujus respectu quæstio mota erat, a suo non cesset opere.]

muto loquelam donat

35 Hic cum ageret Sanctus; colonus quidam ex Castello-veteri [est hoc media fere inter Beneventum et Consentiam via prope civitatem Montis-Marani, unde intelligas haud procul abfuisse monasterium de Faifulis, cujus nunc nomen ac memoria intercidit] colonus, inquam, filium quinquennem habens a nativitate mutum, motus fama miraculorum quæ de Petro spargebatur, ad illum accessit, opem implorans, adhibitis etiam amicis intercessoribus. Quibus cum Sanctus respondisset, non eum se esse qui posset mutis loquelam reddere, irent et sua singuli negotia curarent; nec a precibus miser pater cessaret, sed adstantes etiam monachos ad commiserationem moveret; motus denique etiam Sanctus, se convertit ad altare, jussitque ut secum omnes flexis genibus Pater-noster recitarent. Tum consurgens signum Crucis formavit super os pueri, et vinculum linguæ ejus solvit, stupentibus cunctis et patre multas insuper gratias agente: qui deinde post aliquot dies revertens, ex peculio suo duas capellas attulit in agnitionem beneficii. Ad quod subridens Sanctus, munus quidem oblatum recipi vetuit,

ac Magellam redit,

homini vero pauperculo etiam eleemosynam dari D jussit, ut disceret gratias ac dona Dei non esse temporali mercede remunerandа. Post aliquod vero tempus S. Petrus, alio ex discipulis ibidem pro se Abbate constituto, Magellam rediit; itaque instrumenta anni MCCLXXXI, III, IV, et VI appellant iterum Fr. Petrum cum solo titulo Prioris aut Rectoris S. Spiritus de Magella. Videntur autem nostri numero quadraginta, post sex annos persecutionis ibi toleratæ a quodam Simone, inde emigrasse circa annum MCCLXXXV ad monasterium S. Joannis in plano, ad pedem montis Gargani, juxta Castellum Porcina dictum, Lucerinæ diœcesis *a*.

a

Discedit ad loca secretiora an. 1284

36 Interim Sanctus, pertæsus frequentiæ, ad se in Magellense monasterium venientium, loco suo substituens ibi Vicarium (nec enim quisquam eo vivente volebat titulum Prioris assumere) secesserat ad S. Bartholomæum de Legio, circa annum MCCLXXXIV: indeque post duos vel tres annos abiit Orfontem, ibique mansit ad annum circiter MCCLXXXXII, quando Murronem revertit, uti infra dicitur. Cum autem ad S. Bartholomæum se transtulit, socios quidem assumpsit aliquos, quibus ad divina Officia Missasque uteretur, nomina tamen eorum nusquam exprimuntur: solum præsumere licet, eosdem fuisse, qui ad extremum vitæ Sancto adhæsisse leguntur, et nominantur Franciscus de Atria, Angelus de Caramanico, Nicolaus de Serra, et Berardus della Guardia. E Ubinam vero locus S. Bartholomæi fuerit, non facile definivero, propter varium loquendi modum quo Testes de eo agentes loquuntur: ex omnibus tamen inter se collatis hoc consequi videtur, in superiori Magellæ montis parte fuisse. Hic cum aliquando Missam celebrare vellet, minister (qui erat prænominatus Berardus della Guardia, quique inter juratos Testis CLXXXX factum retulit) significavit vinum deesse: quapropter jussu Sancti expeditus mox puer est versus locum S. Georgii, prope Roccam Moricii ad radices Magellæ, qui vinum quæreret. Jamque hora Tertiarum advenerat, et necdum redierat puer, ad Missam tamen se cœpit parare Sanctus. Monitus ergo iterum de vini defectu, utque missum pro eo puerum expectare vellet; nihil omnino respondit, sed Missam exordiens, prosecutus eam usque ad Offertorium est. Tum vero signo dato ministrum monuit ut ampullas porrigeret. Ille qui ambas laverat, et alteram aqua impleverat, vacuam alteram ostendit, negans vel in domo vinum esse. Rursus tamen dato signo institit Sanctus, factoque super vacuam ampullam signo Crucis, fudit in calicem quantum sibi F placuit ex ea, jam tantum vini continente, quantum duabus Missis sufficeret. Quo viso sic motus minister est teneræ devotionis affectu, ut non cessaverit a lacrymis toto tempore Sacrificii: hoc autem peracto cum reliquam vini portionem, velut animo corporique salubrem futuram, sumere ipse vellet; rursus vacuam ut ante ampullam reperit.

in ipso montis vertice:

ampullam vacuam, benedictione sua vino implet,

infirmos sanat,

37 Plura alia miracula ibidem operatum esse Sanctum, constat ex dictis Testium; sed nulla in particulari exprimunt; locum autem hunc a loco Orfentis non satis clare distinguentes, probabile nobis faciunt, multa ex iis quæ referuntur ut facta apud Orfentem, huc pertinere. In duobus enim apud Orfentem locis visum sibi Sanctum aiunt, quorum alter debet intelligi locus S. Bartholomæi; in quo dicunt signanter manuscripta venisse quemdam ex Paterno Castello, infirmitate gravissima laborantem: quem consolatus verbis blandis, cum etiam Cruce signasset, paucos intra dies sanitatem perfectam infirmus recuperavit. Ad fontem autem istum, qui Orfentis dicitur, scaturitque in valle quadam existente inter summa Montis-Magellæ cacumina, Petrus Philippi de Luco Testis LVII accidisse ait, et publica

incendium arcet.

A publica fama constare, quod dum ibi morabatur Sanctus, eam montis partem, quæ silvis densissima est, ignis corripuerit, stragem circumcirca magnam edens cum ingenti strepitu ardentium arborum. Quo excitus sociorum unus, et caput per fenestram exerens, statim horrore plenus exclamare cœpit, Quid hic agimus? ecce mori omnes necesse est: Veni, Pater, et vide rem funestam. Venit ille, vidit incendium, et socio dixit; Ne metue: auxilio nobis erit Deus, nosque ab hoc igne liberabit. Res mira! Silvas totas absumpsit flamma, sed locum Sanctum numquam attigit. Priusquam tamen ad alia Sancti in istis locis miracula transeamus, paucis lubet explicare quando et quomodo mutatum fuerit regimen Ordinis nostri, post Sancti ad loca secretiora recessum *b*.

Sancto regimen abdicante,

38 Quod ad tempus attinet, nulla post annum MCCLXXXVI amplius invenitur scriptura, in qua Sanctus appelletur titulo Prioris vel Rectoris. Unde certum nobis videtur, ipsum ex tunc se penitus abdicasse omni regimine in aliquo Capitulo generali; subrogatumque tunc ei fuisse Robertum illum, qui in instrumento de electione primi Abbatis vocatur B Prior monasterii S. Spiritus de Magella, absque ulla mentione sancti Fr. Petri. Cujus autem patriæ fuerit Robertus iste, non magis invenitur, quam cujas fuerit Robertus alius, quem S. Petri de Montorio Romæ Priorem sanctus Pater sanarit anno MCCLXXX: de Roberto autem Salentino, non est locus hic cogitandi, quia hic tunc necdum sumpserat habitum: eodem autem tempore alii alibi Priores quoque fuerunt, uti ex similibus scripturis constat, ac nominatim Fr. Sinibaldus, velut anno MCCLXXXV Prior in S. Spiritus de Murrone. Atque in hunc modum perrexit Ordo Regi a Prioribus, usque ad annum MCCLXXXVII, quando die XIII Septembris Indictionis primæ, in Monasterium Magellense convenerunt viginti duo Patres ad electionem Abbatis, qui monasterium istud totumque Ordinem digniori cum titulo gubernaret, præsidente in Capitulo prædicto Fr. Roberto Priore ibidem, cujus etiam manu scriptum habetur instrumentum de electione die sequenti facienda.

an. 1287 creatur Abbas Generalis Magellæ

39 Tunc vero visum fuit per formam compromissi procedere, electique sunt consensu communi Fr. Stephanus de Calvellis, Fr. Gualterius de Guardia, Fr. Joannes de Tucollis: qui ad majus altare secedentes, auditis singulorum votis atque sententiis, C maturaque deliberatione præmissa, unanimiter convenerunt in personam religiosi ac discreti Fr. Francisci de Adria absentis, monachi ejusdem monasterii S. Spiritus de Magella. Hunc cum Fr. Joannes de consensu suorum duorum collegarum Abbatem renuntiasset, secundum formam actis Electionis insertam, post decantatum Te Deum laudamus, itum est in Capitulum: ubi deputati sunt Fr. Joannes de Tucollis et Fr. Bernardus del Como, qui electionis confirmationem Romæ peterent a venerando Priore et Capitulo Basilicæ S. Petri, cui immediate suberat monasterium. Præsente ad omnia et scripto excipiente Antonino Berardi de Caramanico Notario publico, coram testibus D. Thoma de Rocca-Morici Capellano S. Angeli Vicennensis. D Petro de Rocca-Morici, D. Jacobo Capellano S. Angeli de Raort, Jacobo Gualteri de S. Angelo: subscribentibus Patribus viginti duobus, Fr. Roberto Priore, Joanne Sacrista, Joanne de Tucollis, Gualterio de Guardia, Jacobo de Penna, Placido de Morreis, Roberto de Guardia, Anselmo de Guardia, Jacobo de Molisio, Rogerio de Monte-Rosso, Nicolao de Pacentro, Roberto de Lama, Nicolao de Caramanico, Philippo de Rigo-nigro, Gualterio de Serra, Petro de Aversa, Mattheo de Manupello, Petro de Rocca Montis-plani, Jacobo de Manupello, Georgio de Genua *c*. Obiit D paulo post Franciscus iste Electus cum opinione sanctitatis, interque alios pingitur cum titulo Beati, aut certe ultro se abdicavit, successoremque accepit Rainaldum de Rigo-nigro, qui adhuc anno MCCLXXXX invenitur fuisse Prior S. Spiritus de Morrone; et tamen anno MCCLXXXXIII successorem etiam ipse habuit Fr. Onuphrium, Abbatem Ordinis tertium.

Fr. Franciscus de Atria,

EX ITAL. MARINI.

et post eum Rainaldus de Rigo-nigro

ANNOTATA.

a *Vincentius Spinelli de Simone isto addit, quod post monachorum discessum, qui censuris ecclesiasticis contra tyrannum fulminatis frustra conati fuerant locum retinere, lapsus in gravissimum morbum extremam quoque incurrerit paupertatem, et quod miserabilius est impœnitens excommunicatusque obierit.*

b *Hic consequenter prosequitur Vincentius explicare donum prophetiæ concessum Sancto, et gratiam curationum imperiumque in dæmones, allatis exemplis quæ vel omnia vel pleraque referuntur infra a Lelio; inter cetera autem narrat draconem, viatoribus infestum, ab illo fugatum esse; indeque vult sumptum esse insigne Ordinis, ubi supra tres montes plantatam Crucem circumvolvitur serpens demisso capite, assurgentibus hinc inde duobus liliorum ramis: et hos quidem a Regibus Franciæ datos ait, ad insinuandum quod Monachi non laborant neque nent. Interim Maurolycus in mari Oceano Religionum anno* 1613 *insigne illud sola Cruce definit, cui circumplexa sit littera S, in memoriam primi præcipuique monasterii S. Spiritus prope Sulmonem: et hujusmodi Crucem Cœlestini in Belgio monachi hodieque assutam vestibus suis gerunt: quapropter istud de Serpente, quod alius antiquior nullus retulit, vehementer mihi suspectum fit.*

c *Quis credat hæc non esse sumpta ex ipso publico instrumento, cui annus et dies mensis sic adscripti sint, uti hic indicantur, videlicet* 1287 14 *Septemb.? Interim Vincentius omnia hæc, cum iisdem personarum præcipuarum circumstantiis narrat, ut acta anno* 1274, 18 *Junii: et quod magis mirum est, agens postea de Sancti secessu in Orfontem, socium ei jungit Franciscum Atriensem, quasi oblitus quod eum jam ante fecerat Abbatem generalem. Ex hoc autem aliisque capitibus persuadeor, quoad historiam magis credendum Lelio, ut accuratiori longe scriptori, et singulorum quæ asserit fidem allegatis fideliter documentis adstruentem: Vincentio vero sufficere laudem, quod phrasim adhibuerit* F *hac ætate in Italia æstimatiorem, id est metaphoris grandibus et exquisito verborum cultu exornatam, dicam? an obscuratam.*

CAPUT IV.

Miracula in secessu eremitico facta ante regressum in Murronem.

Miraculorum a Sancto patratorum facturus relationem, ordior a mortuis suscitatis: quorum primum, Romæ contigit, dum ibi esset Sanctus in loco quodam devoto, quem etiamnum (inquit antiquus scriptor) Ordo ibi habet, atque adeo verosimiliter in S. Petri de Montorio. Defunctus vita erat Frater quidam laicus, nomine Placidus, is forsan cui cognomen de Morreis, quique Sanctum comitatus in Franciam usque ad mortem postea ipsi adhæsit. Hunc cum sepelire Monachi vellent, jubente Sancto in diem sequentem dilata res est. Ille autem dormientibus aliis solus manens in oratorio, apud defunctum in oratione pernoctavit. Mane sacrificium Missæ peregit; inde accedens ad cadaver, illud signo Crucis consignans, arrepta manu, magna cum fiducia spiritusque fervore, clamavit, Fr. Placide, in nomine

Sanctus Romæ mortuum suscitat,

A nomine Jesu Christi surge. Et surrexisse eum qui mortuus fuerat, habetur in variis antiquissimis MSS. idemque in Processu asseruit Fr. Bartholomæus de Transacqui Testis CLXII, Sancti ipsius discipulus, tamquam auditum ex ore Fr. Gualterii de Sulmona, ipsiusque Fr. Placidi aliisque multis, qui Romæ tunc habitabant. Hoc solum inter ejus relationem et manuscripta interest, quod Bartholomæus dicat Sanctum stetisse in oratione tota die usque ad Completorium.

EX IT. L. MARINI.

41 Recordor etiam, quod cum Romæ darem operam Theologiæ, et undique conquirerem memorias Sancti, curaturus ut eæ in æs sculperentur, sicuti postea factum; in veteri quodam MS. legerim, quod et in alio simili legisse se asseruit D. Franciscus de Ajellis, quod Sancto iter agenti aliquando contigit vesperi hospitium ingredi, ubi domum totam reperit in luctu, propter mortem patris familias. Sed Sanctus cum socio, totam noctem apud cadaver perstitit Psalmis recitandis intentus; eaque transacta, cum mane jussisset mortuum surgere in nomine Domini, recessit quam potuit occultissime, declinavitque a via publica, ut ne agnosceretur ab eis, qui agnito B miraculo secuturi erant, sicut et secuti sunt, sed benefactorem suum numquam assequi potuerunt. Jam miraculum cœmentarii, de muro ecclesiæ Magellensis lapsi, alibi relatum est: proinde sequitur hic immediate, quartus in loco Orfentis resuscitatus, sicut habent MSS. vetusta archivii Bergomensis. Laborabatur ibi aquarum penuria, quare duo quidam viri pii, ex iis qui Sanctum assectabantur, cum animadvertissent ex quodam montis loco stillantem aquæ guttam, decreverunt, ad commoditatem et refocillationem ascendentium, cavare saxum quoddam durissimum, in quo ea exciperetur. Hoc dum agunt, eorum alteri a manubrio exiliens malleus ferreus, tanta cum violentia frontem perculit, ut mortuus corruerit. Accurrit ad Sanctum lacrymabundus socius; qui causa planctus intellecta, bono animo hominem esse jussit, cum eo se iturum promittens; prout fecit, post modicam in cella orationem; manumque ducens supra jacentis caput, ac vulnus lacrymabile intuens, in fletus etiam ipse prorupit, et plagam ter signans sanctissimam Trinitatem invocavit. Nec mora, surrexit homo in pedes alacer, sed in signum miraculi cicatricem in fronte diebus postea aliquantis tulit: sicuti refertur in MSS. a me visis.

et in itinere hospitem defunctum,

ac Magellæ alium.

42 Venio ad cæcos illuminatos, inter quos primam C se offert ex castello Sangrii puella nomine Trotta, filia Benedicti, quæ ex quadam infirmitate retinuerat cæcitatem jam tribus annis toleratam. Hæc audita fama miraculorum Petri latius indies manante, concepta in eum fiducia, quia per se accedere ad eum non poterat, ducta fuit a matre in Montem Magellæ, comitantibus eam propinquis suis Francisco Cavalerio et Roberto de Raone: quorum ultimus, utpote Sancto notior, prægressus, retulit quem in finem eam adduxissent. Et ille quidem aliquanto commotior, Quomodo, inquit, etiam feminas adduxisti? Scito ergo in hisce locis nec esse eas, nec venire debere. Tandem tamen addidit, Rogabo Deum; et puellæ benedixit, formato super eam Crucis signo. Benedictione autem recepta, inquit illa, statim videre cœpi nec duce egui ad revertendum. Exindeque bene vidit semper, ac bene videbat, quando ipsa XIII in ordine Testium rem declaravit, attestantibus ei prædictis duobus, Testibus XV et XVI. Jacobus filius Stephani de Caramanico penitus amiserat videndi facultatem, post morbum gravem toleratum. Hic a * patre suo Joanne ductus ad S. Petrum, et misericordiam postulans; ab eodem, oculos ad cœlum elevante, signatus, visum perfectum recepit, juxta testimonium Petri Berardi Guinisii, et communem D eo loco famam scripto affirmatam.

Illuminat puellam cæcam,

* *forte* patruo.

43 Sacerdos annorum viginti quatuor, Jacobus dictus, de S. Euphemia in diœcesi Theatina prope Magellam, gravi infirmitate valde obfuscatos habebat oculos, frustraque fuerat sub cura medicorum unum et dimidium annum. Tandem pater ejus Stephanus, Sancto devotus, huic filium adduxit in S. Joannis de Orfente. Ille vero ei dixit, cum recte videbas, numquam voluisti ad me venire: nunc autem cæcus assistis. Tum quæsivit de ratione victus et curæ quam adhibuerant. Atque hæc omnia missa facito inquit, quia nihil profuerunt: sed volo ut cæruleas istas vestes deponas, mundoque renunties, et iniquitatibus quibus teneris. Deinde mandavit ut maneret in ecclesia, ubi eum fecit pallio quodam operiri usque ad horam Matutinarum, quando illuc ingressus est ipse cum Fr. Francisco de Adria, Fr. Nicolao de Serra, et Fr. Angelo de Caramanico, cum libro et candela accensa ad Officium recitandum. Cumque incepisset dicere, Gaudete justi: cœpit etiam Sacerdos clare ac distincte videre omnia: cum ipsisque Officium ac ceteras preces prosecutus, deinde semper sanis oculis est usus. Ita ipse jam an- E norum quinquaginta duorum de se Jacobus Sacerdos retulit, Testis XLIII, attestantibus sibi Petro de Lisa Teste LXXIII, et Frederico Nicolai de S. Euphemia Teste LXXIV; et addentibus publicam esse famam in oppidis S. Euphemiæ, Caramanici et Rocca Giberti. Atque hinc intelligitur, etiam ante ultimum recessum aliquando agere solitum Sanctum apud S. Joannem de Orfente, jam inde ab anno MCCLXIV.

Sacerdotem caligantem,

44 Circa annum MCCLXXXIX Caramanici Sinibaldus quidam et uxor ejus Gentiluccia habebant filium nomine Matthæum, mensium octodecim puerum, cui infirmitas obveniens dextrum oculum extinxerat. Erat autem Sinibaldus per quam familiaris Sancto: quare infantem ipsi detulit, visum ei ut redderet supplicans. At ille, Hoc, inquit, Dei opus est, frater, nec ego tanti meriti sum: tamen orabo pro illo. Aderat ibi etiam D. Thomas, Abbas S. Clementis prope flumen Piscariam, qui et ipse intercedebat pro puero apud Sanctum. Tum ille eum accepit in brachia, dicens, Benedicat tibi, fili, omnipotens Deus; deditque patri cruculam ligneam, quam filii collo alligaret, et ea ipsum signavit, simulque sanum Sinibaldo restituit. Ex eo autem tempore puer ad majorem quoque ætatem provectus, oculum clarum habuit, qui eum antea habuerat panno obductum: et Archiepiscopus Neapolitanus anno MCCCXI oculum F eumdem omni macula carentem inspexit. Sinibaldus autem pater Testis LXXX, et Gentiluccia mater Testis LXXXI, cum D. Gualterio Thomæ de Caramanico Teste LXIII, dixerunt rem accidisse anno MCCLXXXIX.

puerum coclitem unum,

45 Petrus filius Ser-Joannis D. Petri de Sulmona, decennis puer, integri mensis spatio tam gravem patiebatur infirmitatem in oculo dextero, ut vix aut ne vix quidem eo videret aliquid, ipseque ex loco suo egrediens procideret foras: medicis Sulmonensibus aliisque, post adhibita frustra artis suæ tentamenta omnia, fieri posse negantibus, quin oculi illius usum penitus amitteret. Intelligens interim puer, quanta in Orfente Deus per Sanctum operaretur, rogavit patrem ut illuc eum duceret, quia sperabat firmiter ibi se sanandum. Avus pueri, Petrus etiam ipse dictus, equo impositum adduxit ad Nicolaum Jacobi de Sulmona, Clericum perquam familiarem Sancto, rogans ut huic sistere puerum vellet. Roganti annuit Nicolaus, manuque prehensum puerum induxit ad Sanctum, exponens casum et preces adjungens mediatrices. Motus ad hæc Sanctus, recepit puerum, et sæpius consignavit, complures orationes interim recitans. Deinde dedit ei tres hostias

alterumque.

A hostias sacrificales, et aliquantulum panis, dicens, Quotidie mane unam ex hostiis hisce manduca cum buccella hujus panis, genibus antea in terram flexis ter recitans Pater noster. Tum eum aqua benedicta conspersit, et continuo puer melius habere cœpit: cumque id quod sibi erat injunctum implesset, omnino liberatus a malo fuit. Divulgatum mox tota civitate miraculum, omnes qui puerum noverant gaudio implevit; ipse vero annos natus viginti quatuor Testis LV, et Nicolaus Jacobi de Sulmona Testis LXXXVIII, dixerunt id accidisse ante annos XV, atque adeo anno MCCLXXXXI.

Mulier subito cæca ac surda

46 Sulmonæ etiam erat Catania quædam, filia Mag. Benedicti Medici et uxor Notarii Joannis Rizardi. Huic die quadam inter vicinas mulieres sedenti ac nenti obvenit tanta conturbatio atque vertigo capitis, ut amisso penitus visu, nec eas quidem jam conspiceret inter quas sedebat, neque voces earum discerneret; sed eas audiret velut ex antro quodam procedentes. Illis autem contentiori voce clamantibus, respondit sibi caput dolere, neque se videre quidquam. Data ergo ei puella quæ ipsam domum deduceret, ab ea intellexit oculum dextrum sibi plus quam sinistrum prominere foras. Jacuit illa B diebus pluribus inter acutos magnosque dolores (octo vel decem dies dicebat ejus pater) quasi alienata a mente, nec proficiebant applicata remedia.

per visum monetur ad Petrum ire:

Tandem concepta fiducia in Sanctum, fama miraculorum ubique celebratum, magis confirmata fuit per visionem hujusmodi. Videbatur sibi esse in ecclesia S. Pelini prope Sulmonam, ibique juxta altare conspicere senem iisdem indutum vestibus, in quibus postea vidit B. Petrum; audire etiam voces dicentium, Accede ad eum qui assistit altari, ipse enim tibi monstrabit viam: accedentis autem manum apprehendere senem, ac dicere, Vade per istam plateam, indigetando rectam qua erat eumdum viam. Experrecta deinde maritum cœpit instantissime rogare, ut duceretur ad Sanctum: sed is, alienissimus a fide adhibenda mirabilibus quæ referebantur, uxoris afflictæ preces contemptim accepit; tandem tamen importunitati ejus cedens diem, constituit et modum quo esset deducenda, ligata scilicet supra equum, ne decidere posset, utpote cæca.

ducens hanc ad eum maritus,

47 Sic in Orientem abeuntes ipse cum ægra, in comitatu Mag. Rainaldi Gentilis Medici, Jacobi Benvenuti, Mag. Angeli de Trano, Nicolai Mag. Joannis, et unius famulæ; cum pervenissent ad lo- C cum, Raynaldus, velut a prima juventute Sancto (sicut supra vidimus) familiaris, una cum marito infirmæ ad eumdem ingressus, causam sui adventus exposuit. Ille vero adductas mulieres ægre tulit, eoque magis quod Raynaldus conscius esset consuetudinis suæ, quare amoveri eas jussit; indignante vehementius Joanne Narito, utpote carnalia dumtaxat sapiente, ac parum reverenter Sanctum alloquente. Rainaldus vero modeste excusabat factum, instabatque humiliter ut Deum pro infirma deprecari dignaretur. Tu vero, reponit Sanctus, nosti, non meum, sed Dei opus istud esse. Conversusque ad Joannem (hujus enim spiritualem necessitatem magis attendebat, quam corporalem uxoris) seductum in partem de vita sua, qualem duceret, interrogat. Cui ille: At nos, inquit, curemus id propter quod huc venimus. Tum Sanctus, placide sermonem resumens, sed majori spiritus fervore incensus, Audi inquit, fili; cœpitque ei multa ad animæ suæ statum salutemque spectantia prædicare, quæ tantæ fuerunt efficaciæ ut prius sanatæ sint plagæ ejus spirituales, quam uxoris corporales oculi illuminati; conversusque in alium plane hominem, cum admiratione cunctorum, perquam honestam ac religiosam deinceps vitam duxerit. Interim vicino in loco sedens et expectans mulier obdormivit, viditque ad se portari D Sanctum a magna hominum multitudine, supraque eam formare signum Crucis, uti fit ad Evangelium, atque ita sibi visum restitui; manere tamen supra oculos quoddam veluti pondus, de quo interroganti quid factura esset, respondere videbatur Sanctus, Accipe, et liga, ac tibi repone.

EX IT L. M RINI ad frugem bonam convertitur.

deinde ipsa sanatur,

48 Sub hæc experrectæ maritus adstitit, afferens a Sancto cruculam ligneam ex ejus collo suspendendam: quam cum devote accepisset, eaque a capite ad pedes sese signasset; subito cœpit videre clare, omni infirmitate soluta. Quare mox ad Rainaldum rediit Joannes, rem ut acta erat narrans; illique spectatum accurrenti eminus inclamans Catania, Mag. Rainalde, inquit, video te: cumque vellet ipsimet Sancto per se agere gratias, has ut Deo referret Petrus jussit, domumque discedere. At illa: Gratias, inquit, ago Deo et ipsi: certa autem Deo ex hinc servire, volo interrogare eum de modo quo id facere possim. Sanctus autem id sibi referenti Joanni respondit: Redi, nec cuiquam aliud dicas, quam quod uxorem sanaverit Omnipotens Deus, ipsa vero quotidie genu flexa dicat in gratiarum actionem aliquoties Pater-noster. Similia etiam inculcata sibi dixit Mag. Rainaldus. Cataniæ vero misit etiam Sanctus E panes duos, rotundum unum, oblongum alterum, jubens ut cum suo comitatu exinde comederet: sic enim solebat facere venientibus ad se. Mulier autem præ gaudio et certitudine recuperatæ sanitatis, equo revehi noluit, sed pedes descendit de monte: ad cujus radices invenit plusquam decem pueros, qui antea cæcam viderant, ducique ab aliis. Hi, videntem per seque ambulantem intuiti, clara voce cœperunt dicere, Benedictus Deus: quia ecce mulier, quæ antea montem cæca ascendit, revertitur illuminata. Divulgato autem per civitatem miraculo, prius quam illuc intraret, viri ac mulieres multæ exierunt obviam, desiderantes rei seriem intelligere; et quacumque transibant, egrediebantur omnes suis domibus, laudantes Deum de tali miraculo.

rediens cum admiratione excipitur

Eadem plures juvat Crucula a Sancto accepta,

49 Dixit eadem Catania, quod etiamnum devote servabat Cruculam, qua mediante obtinuerat sanitatem; ac deinde supra multorum oculos male affectos posuerat, quorum aliqui omnino curati fuerant, aliqui multum levaminis senserant: quin etiam ad alias infirmitates eamdem applicans, similem erat experta effectum, integra quandoque valetudine reddita ægris, et magno saltem solatio iis semper F allato. Addebat aliud etiam magis mirabile, videlicet quod cum ipsa et maritus, aliique supra nominati socii itineris cum famula, universim septem, comedissent de duobus panibus a Sancto datis quantum voluerunt; plus superfuerit panis, quam erat antequam de eo gustassent. Quod ipsa animadvertens, cœpit exclamare, Non videtis miraculum? et quomodo postquam comedimus omnes ex panibus istis, plus habeamus adhuc quam habuimus antea? Collegit ergo devote reliquias, et usque ad annum MCCCVI ac finem Maji, quo istud jurata dixit, easdem servans, adhuc sibi superesse de eo pane dixit. Fuit autem Catania Testis XIX, eique attestatus est pater suus Testis XVIII, et Medicus prælaudatus Testis XXIII omnesque dixerunt rem accidisse ante annos quindecim, atque adeo circa annum MCCLXXXXI.

et panes datos multiplicari miratur

Cæca dua

50 Mulier quædam Asculana in Piceno, cæcitatem incurrerat, et fama S. Petri attracta fecerat se ante cellam deferri, expectans ibi una cum aliis pluribus, Sancti benedictionem expetentibus; qui tandem fenestram aperiens, populum Cruce signavit, et subito mulier illuminata fuit, sicut referunt manuscripta vetera. In civitate Pinnensi apud Marrucinos Aprutii populos, alia mulier, Civitas nomine, uxor Richardi Joannis qu. Porphyrii, annum quintum cæca

A cæca, in Orfentem adducta a marito, non inde prius decessit quam visum meritis sancti Patris recuperasset: nec viæ duce eguit domum revertens, quemadmodum in MS. dicitur, allegatis Testibus Richardo mulieris marito, Jacoba commatre sua, et Matthæo Nubilo, aliisque multis. Ortonæ ad mare, quidam nomine Genuensis, dum in vinea sua laborat in die S. Antonii, incurrente in oculum dextrum sarmento ita graviter læsus fuit, ut nihil eo videret amplius; neque adhibitis ad curam medicinis quidquam proficere potuit, ingravescente quotidie malo. Denique Orfentem ivit, Sancto se stitit, et signo Crucis ab eo benevole signatus, perfecte videre etiam eo oculo cœpit, attestante eidem Mag. Dominico Gregorii aliisque pluribus, ut refert MS.

EX ITAL. MS. BINI.

et oculus læsus curantur:

51 Franciscus Cavalerius ex castello Sangrii, habens filium triennem nomine Fridericum, a nativitate surdum ac mutum; assumpto socio Roberto Raone, Magellam cum puero, venit ad Sanctum, et causam cur venisset exposuit. Cui Sanctus, Quare eum ad me deduxistis, qui non nisi homo simplex sum? debuissetis illum commendasse Deo, et ipse auxilium præstitisset: spero tamen in misericordia B ejus quod opem feret. Erat tum forte Sanctus in cœtu plurium monachorum, et Cavalerius optime notus erat Patribus. Ergo puerum in medio sumentes, cœperunt patrem de ejus infirmitate, de familia sua, deque aliis rebus interrogare; transactaque hora missos fecerunt hospites, reddendo patri puerum atque dicendo, Vade et Deum pro eo ora. Ita digressi e monasterio cœperunt puerum nominatim appellare, et hic audire ac respondere, in utroque proficiens indies magis ac magis; cum aliquo tamen linguæ impedimento: quod ei etiam adultiori adhæsit, ex eo quod infans olim in focum lapsus fuerat. Idipsum affirmaverunt Franciscus et Robertus prænominati, Testes XV et XVI.

item surdus ac mutus puer,

52 Richardus Berardus de Rocca-Moricii, affligebatur valde propter filiam suam Bartholomæam, quæ nata ipsi muta ac debilis, decimum fere annum jacebat in lecto, nec loqui nec movere se valens. Cumque multæ inde toti familiæ existerent molestiæ, easdem aliquando narravit Sancto Richardus. Ille vero eidem compatiens, Noli conturbari, inquit, fortassis enim te consolabitur Deus. Tum rogare cœpit pater Richardus ac dicere: Quin tu, Pater, oras Deum ut consolari me dignetur circa hanc filiam? quia revera maximo oneri est mihi. At ego, C respondit Petrus, peccator sum, indignus cujus preces exaudiat Deus: tu autem justior me es. Nihilominus vade ad mensam, et post prandium ad me redito. Paruit ille, et finito prandio ad Sanctum redit: qui dedit ipsi crustulam tosti panis, oleo illitam cum sale ac pipere, quam a se benedictam ferret filiæ. Sic dimissus regressusque, limen suæ domus vix attigerat, cum puella soluto linguæ vinculo appellavit eum dicens, Da mihi crustulam. Cui pater, Dabo, inquit, si surrexeris. Ergo illa in pedes se erigit sana atque incolumis, crustulam accipit, acceptamque comedit, loquens clare ac distincte, et in omnem partem tam expedite se movens ac si numquam fuisset infirma: itaque vixit postea annis quinque. Omnia autem hæc accurate exposuit Richardus pater Testis III, attestantibus ei Notario Philippo Teste CXII, ejusque Fratre Gentili Teste CXIII, ambobus filiis Richardi, fratribus Bartholomææ, eorumque civis ac coætaneus, Nicasius Testis CXIV; dixerunt autem id accidisse ante annos XVI, atque adeo anno MCCLXXXX. Manuscriptum quoddam addit, multos Monachos præsentes fuisse, credo cum crustulam filiæ dandam accepit Magellæ a Sancto Richardus.

et puella muta ac debilis.

D

CAPUT V.

Alia ejusdem temporis miracula.

Guilielmus de Colle, alto, diœcesis Pinnensis oppido, annos natus triginta, retulit quod ante Pontificatum Sancti intumuerit sibi genu adeo graviter, ut tibiam totam inutilem redderet, nihilque proficientibus remediis præscindendam hanc medici judicarent. Non poterant parentes ejus inducere animum, ut filium sic mutilatum cernerent; malebantque eum mori quam diu torqueri. Cum igitur extra spem humani auxilii positus miser, nocte quadam jaceret in lecto, in quo seipsum nec movere poterat; audivit viditque in somnis mulierem sibi dicentem, Surge, Guilielme, et vade ad Petrum de Murrone, hic te sanabit. Cumque ille replicaret: Quomodo autem ad eum ire potero, qui nec de loco in quo jaceo, movere me valeo? addidit illa: Surge, Surge: facile illuc ibis. Sub hæc experrectus et fiducia plenus, cum visionem suam exposuisset parentibus, eisque idem persuasisset; ligatus supra jumentum ne cadere posset, advectus Magellam est, E ubi Sanctus tunc erat, comitantibus eum Bartholomæo Simeonis de Causano Teste CLX, et Landolfo Simeonis de Causano Teste CLXI: qui cum appulerunt, occupabatur dicenda Missa Sanctus, quare solum eminus, nec propius accedere valens, ægre Sanctum conspicere potuit Guilielmus. Finita Missa causam adventus sui exponentibus, dixit Sanctus, bono animo ut essent, nec dubitarent. Deinde dedit eis hostias novem cum modico pane, jubens per dies novem quotidie unam ex hostiis sumere cum buccella panis illius. Hoc cum ipso die facere cœpisset Guilielmus, cœpit etiam toto corpore contremiscere, et quasi syncopen passus die tota subsistere ibidem debuit. Postea cessante tremore, viam ingressurus, equum ipse conscendit per sese, quod antea facere non potuisset, et domum rediit; deinde per reliquos novem dies, unam semper hostiam cum buccella sumens, sanatus est; optimeque ambulans, non nisi exiguum aliquem in genu sensum doloris percipiebat; sed hic etiam infra mensem cessavit. Ita Guilielmus ipse Testis XIV; qui cum addat quod Sanctum nosse cœperit tribus ante Papatum annis, conjectare possumus rem actam fuisse anno Christi MCCLXXXXI.

Sanat Sanctus tumefactum genu

per panem a se datum;

54 Thomas Joannis Gualterii de Rocca-Moricii, F quinque continuis mensibus mansit sic debilis ac dissolutus membris omnibus, cum totius corporis inflatione enormi, ut neque in pedes stare, nec ambulare, nec sedere posset, neque tangere quidquam, nedum manibus apprehendere; adeoque sive manducandum seu bibendum esset, seu alteri alicui corporali necessitati serviendum, opus habebat alienis manibus juvari ad singula: nec profuerant remedia copiose adhibita. Quare illectus fama miraculorum quæ spargebatur, portari ad Sanctum voluit; et a consanguineis suis Gualterio de Granella Teste LXXXXII, atque Bartholomæo de Abbateggio Teste LXXXXIII, supra asinum ligatus, Orfentemque deductus, propter multitudinem hominum qui illuc accurrerant, non potuit sicut erat offerri Sancto: sed solutus ab asino, per manus assistentium promotus est usque ad cancellos altaris, ad quod Petrus Missæ sacrificium faciebat, ejulans interim propter cruciatus quos gravissimos tolerabat. Finito autem sacrificio venit ad eum Sanctus, interrogatumque de suo malo audivit longanimiter, ac denique omnia ejus membra suis pertrectans manibus signum ei Crucis impressit, Deumque oravit. Hoc facto, subito in pedes surrexit Thomas, ambulavitque et manducavit

item toto corpore inflatum et inutilem

suis manibus eum contrectans:

A manducavit coram omnibus ibi præsentibus, clamantibusque, Benedictus sit Dominus, Benedictus Dominus: Miserere nostri, sancte Pater, miserere nostri. Thomas autem pedes inde recessit, multis eum deducentibus domum suam, pro admiratione tam grandis miraculi. Post triduum vero etiam tumor omnis evanuit, nec ullas mali reliquias amplius pertulit; per se deinde cuncta coram Inquisitoribus Apostolicis declaravit Testis LXXXX, attestante etiam sibi Leonardo Berardi Teste LXXXXI, qui licet præsens miraculo non fuerit, specialem tamen curam Thomæ gessit, cum esset super asinum alligandus.

Baronem quoque paralyticum

55 Gualterius de Montone S. Valentini, Testis CXVI, narravit quod antes annos sedecim, adeoque anno MCCLXXXX Orfentem profectus ad Sanctum, invenerit ad Baronem quemdam ex Valle-prete, annis septem paralyticum a cingulo deorsum, sic ut absque alieno auxilio neque pedibus consistere, neque de loco in locum movere se posset. Nisi quantum super nates reptans ipse se per terram protrahebat; adductus autem illuc erat supra equum, et B jacebat humi ante altare, orans cum lacrymis, interim dum sacrificabat Sanctus. Ipse vero Gualterius deinde ad eamdem mensam cum nobili illo manducavit: qui post prandium locutus cum Sancto ab eo redivit, vidente ipso Teste, plane liber a morbo; atque per se conscendens equum, expedite domum regressus est.

pedibus debilem,

56 Blasius Rainellinus, quem manuscripta quædam Lanzanensem, alia Ortonensem faciunt, non erat ex gravi quadam infirmitate sanatus perfecte, sed remanserat ei a plantis pedum usque ad genua algor quidam, quo impediebatur ambulare, aut etiam pedibus solo insistere; idque ei contigit a festo S. Andreæ Apostoli, usque ad diem Jovis ante Carnisvale, cadentem in XVIII Februarii. Nocte autem sequenti apparuerunt ei, tamquam vigilanti, Sancti Julianus et Ruffinus, totam domum miro splendore illustrantes; dixeruntque ei, Visne sanari? Illo autem optante ut talis Dei voluntas esset, sin minus cito ipsum de hoc mundo tolleret; Ergo, inquiunt, vade ad Fr. Petrum de Murrone, id est ad monasterium S. Spiritus ibidem positum, et dicito Priori, ut tibi donet aliquid earum rerum quæ nisi in usu fuerunt. Fecit homo primo mane quod sibi fuerat imperatum, seque illuc portari curavit, et visionem exposuit coram omnibus Monachis: positusque ante C altare, eodem in loco eodemque momento temporis sanatum se sensit, ac lætus pro accepto beneficio domum rediit. Exclamant hic quadam manuscripta, O quam dignus est a populis honorari, cujus cum adhuc viveret sanctitas de cœlo publicabatur a Sanctis: atque hinc videor mihi posse inferre, quod res contigerit dum adhuc Petrus inter mortales ageret. [Ita Marinus, cujus conjectura evidenti ratiocinio confirmatur. Dies enim Jovis ante Dominicam Sexagesimæ (ab hac enim sua illa Hilaria ordiuntur Itali, quæ Carnis-vale appellant) concurrens cum XVIII Februarii, haberi nequit, nisi quando Pascha celebratur I Aprilis, vel die præcedenti si fuerit annus Bissextilis: atqui toto illo tempore, de quo posset esse dubitatio, utrumque semel dumtaxat contigit, primum anno MCCLXXIV litt. Domin. G, alterum anno MCCLII, litteris Domin. G F, nec iterum similis concursus fuit, nisi post annos plus minus octoginta. Sancti autem qui hic apparuisse dicuntur, Julianus Martyr Soræ, XXVII Januarii; et Rufinus, Marsorum in Pelignis Episcopus, XI Augusti cultum habent illis in partibus celebrem.]

a SS. Juliano et Ruffino missum:

mulierem contractam,

57 Granata, uxor Judicis Leonardi de Sulmona, annos quatuor brachiis ac digitis sic contracta, ut iis uti, nullo modo posset, nec tamen remedium malo inveniretur ullum; intelligens illuminationem Cataniæ cæcæ, factam ad Orfentem anno MCCLXXXI, fiduciam etiam concepit consequendæ per Sanctum sanitatis, rogavitque maritum ut ipsum illuc duceret. Quod cum is facere recusaret, reprehendi metuens (sciebat enim quantum Petrus horreret congressum feminarum) misit pro se atque uxore consanguineum suum Philippum, qui morbum desideriumque mulieris ei indicaret. Hic ab eo hostias aliquot cum panis segmento, et pulverem ex herbis confectum attulit, a Granata cum recitatione Dominicæ orationis manducanda: quo facto, secutam quæ optabatur sanitatem affirmarunt ipse Judex Leonardus et uxor Granata Testes XXXX et XXXXI. Similiterque iidem deposuerunt, quod pari modo per jam dictum Philippum deprecati Petrum pro filio suo tunc septenni Marino, propter incurabilem hecticam deposito a medicis, acceperint cruculam ligneam, e collo pueri suspendendam, cum pomo mali manducando: qui ad primum hujus pomi gustum convaluit, totoque sexennio supervixit.

D *ex Ital. Marini.*

puerum hecticum,

58 Bartholomæus, Pamphili Rizandi de Sulmona et Gemmæ uxoris ejus filius bimulus, mordaci quadam infirmitate sic corrodebatur, tum aliis in membris, tum ipso in vultu, ut ambesis labris dentes ei nudarentur, atque leprosus æstimaretur, medicis malum pro incurabili deserentibus. Suaserunt ergo matri mœstæ consanguinei, virtutem S. Petri experti sæpius, ut huic illum mitteret; quod illi tanto facilius persuasum est, quanto certius noverat, quid suæ cognatæ Notarii Joannis de Sulmona uxori Cataniæ accidisset. Ita ipso Joanne comitata filium Orfentem detulit, ubi Joannem ad se ingressum rogavit Sanctus, num filium haberet: hic vero, Non habeo, inquit, sed habet frater meus, quem ut proprium diligo; sed ecce gravi tenetur infirmitate, cui ut remedium facias rogo. Cui Sanctus, Confide, quia Deus juvabit ac liberabit eum. Atque hoc dicto super corpus pueri signum Crucis formavit ante et retro, puer autem intra paucos dies plene convaluit, miraculum attestantibus post maritorum mortem Gemma et Catania; quibus contestans Maria Gualterii de Sulmona, annum XIII agi dixit, qui numerus pertingeret ad annum MCCLXXXXII: omnes autem simul deposuerunt, factum jam juvenem innocenter ac laudabiliter vitam ducere.

E *et olim lepra exesum,*

59 Cum aliquando Sanctus pro more suo, Quadragesimalis observantiæ tempore, reclusus ageret, venit ad eum ex Calabria quidam Presbyter, Simon dictus, a matrona nobili illarum partium, quam fama vulgata miraculorum fecerat fiduciam in eo habere. Hæc per prædictum Sacerdotem rogabat, ut ubicumque Sanctus ageret, accipere mereretur aquam in vasculo, pariter ad id misso, qua ille manus lavisset. Non poterat cum Sancto loqui Sacerdos, per Monachos tamen eidem assistentes indicavit mandatum sibi negotium: nec mora, impletam aqua per se benedicta lagenam reddi jussit Presbytero: qua cum lavisset devota mulier, mundata est a lepra qua multum laborabat: atque post triginta dies eumdem Sacerdotem remisit ad gratias agendas. Factum hoc ab eo coram Mag. Gentili pictore, tum occupato pingendæ cellæ ipsius Sancti; idemque ex cujusdam monachi pariter præsentis ore habuisse testatur auctor manuscripti unius. Nicolaus, filius Petri Balduini de Sulmona, puer duodennis, duplici scrofula guttur stringente et inflante deformis, post varia incassum adhibita remedia, fuit a patre deductus ad Sanctum: qui puero confiteri sibi peccata jusso, Crucula cypressina in manus sumpta guttur ejus signavit, et mox sanavit malum; ejus parentibus Petro et Gentiluccia Testibus, LXXXIII et LXXXVII, ipsoque Nicolao jam XXVIII annos nato Teste LXXXIV, et

matronam leprosam, F

incurabiles scrofulas,

A et addente ipsam eamdem Cruculam sibi fuisse donatam a Sancto.

dolores nephriticos, 60 Gualterius Thomæ de Caramanico Sacerdos, duobus ante Papatum Sancti annis gravissimos dolores colicos et pleuriticos patiebatur, quibus accedebant nihilo leviores a calculo et arenis cruciatus: et hi jam duodecimum diem sævientes nulli cedebant remedio. Itaque super asinum vehi sese ad Sanctum fecit in Orfentem, comitantibus D. Rizardo Berardi et D. Berardo Elizæi, Testibus postea LXIV et LXV: coram quibus preces lacrymasque effundens, auxilium petivit a Sancto. Hic bono animo esse hominem jubens, manu tetigit infirmum, et Crucem eidem impressit, dicens, Deus per suam misericordiam adjuvet te. Abiit Sacerdos, et sequenti mox nocte una cum urina excrevit ingentem copiam arenarum et calculorum, mane autem plane liberum se sensit, ac liber deinceps fuit, prout ipsemet retulit Testis LXIII, æque ac socii Sacerdotes duo prænominati, asserentes id accidisse circa annum MCCLXXXXII: idemque contestantur Joanna Angeli et Alisia Thomæ, soror ipsius Gualterii Testes LXVI et LXVII.

B *hecticam inveteratam,* 61 Hectica laborans D. Florentia, cujus et in Summario nominatim et absque nomine in Bulla Canonizationis fit mentio; non solum de lecto surrexit postquam super se hora una habuisset pannum lineum, ex parte Sancti sibi allatum a patre anno MCCLXXXXI; sed eumdem capiti suo obvolvens, foras prodiit in conspectum stupentium ad rem prodigiosam vicinorum: regressa autem in domum cum se reclinasset in lectum, rursum mane absque ullius auxilio surrexit toto corpore valida, et carne plena, octoque annis adhuc superstes etiam liberos peperit. Ita testantur Giffredus maritus ejus Testis LXXXII, Notarius Odo de Sulmona Testis CIV, Gemma uxor Benedicti Angeli de Sulmona Testis CV. Ad Orfentem etiam accidisse quod in Summario habetur de curata fistula inguinaria, Gualterii Joannis de Casali Comitis, diœcesis Theatinæ, testati sunt Leonardus Berardi de Rocca Moricii Testis LXXXXI, et D. Oliverius de Casali Comitis Testis CLIII, aliique tres proxime sequentes in ordine Testium.

enormem herniam, 62 Jacobus Joannis qu. Danielis quinquagenarius, Testis LIX, juratus deposuit, quod ante annos quindecim, id est circa annum MCCLXXXXI, ad sanctum Patrem in Orfente morantem tulit, quædam C paramenta Sacerdotalia, una cum calice, ex cujusdam defuncti testamento ipsi donanda. Dum autem ibi esset, vidit hominem senem eodem advenientem, clamantemque insano pene modo, Pater sancte, ora Deum pro me. Accurrit Jacobus ut videret quid esset, visuque et tactu cognovit, miserum adeo enormiter esse disruptum, et viscera cum intestinis pene omnia dependerent ei extra ventrem: quare commiseratione ejus tactus, vidensque male affectum a frigore, propter pluviam quam in via sustinuerat, thoracem quemdam suum eidem vestiendo fovendoque commodavit, atque ut in ecclesiam posset penetrare adjuvit, ubi Sanctus Missam celebrabat. *sudante interim Crucifixo:* Hujus dum finis expectabatur, vidit imaginem Crucifixi, vicinam altari, inclinare caput, defluente ex eo usque ad pedes aqua per modum sudoris. Quod admirans, accessit propius ad eamdem imaginem, eique admovit grana precatorii serti cujusdam, sibi a Sancto donati; quibus deinde se usum ait apud multos utriusque sexus infirmos, cum eorum notabili solatio. Finita autem Missa, infelix ille Sanctum rogavit, ut Deum pro se deprecaretur: qui ipsi per Fr. Angelum (de Caramanico dictum, ut opinor) pulverem quemdam misit cum cibis sumendum. Sumpsit ille statim coram ipso Jacobo, atque abiit una cum illo per quatuor milliaria usque ad S. Sianium [quis hic aut quando colatur nescio] quæsivitque D ex eo, quomodo haberet. Bene, inquit alter: et sic erat: nec enim ullum in corpore ejus supererat vestigium illius tam enormis rupturæ. Quod videns Jacobus gratias egit Deo, et suam prosecutus est viam itinere alio.

63 Magister Grimaldus de Aquila, faber murarius, dum fabricabatur ecclesia S. Mariæ de Collemadii, grande quoddam pondus attollens crepuit, *sanat herniosos duos,* ut amplius laborare non posset, Dolebat ipse, et condolebant ei Monachi: post plures autem dies ivit ad Sanctum, et quod contigerat sibi lacrymabundus exposuit. Is facto super eum Crucis signo, pulverem quemdam ipsi dedit, quo uteretur, hominemque dimisit. Qui vespere eodem ad villam S. Eusanii hospitium cepit, mane autem sumpsit de pulvere illo cum vino: statimque sanatum se lætatus est, ut habent manuscripta, atque ex iis Faber: unde intelligitur Sanctus in Orfente fuisse, eo tempore quo ecclesia prædicta construebatur. Pucchianici etiam, ut habent eadem manuscripta, Simon quidam filius Leonardi, dicebat se in sinistro inguine ruptum aliquando, a patre suo delatum fuisse oblatumque Sancto: qui post Missam venit ad eum, E ipsumque signans super eum oravit: quo facto consolidata caro ejus est, attestantibus miraculo Leonardo patre ac matre pueri, nec non Bartholomæo Gentili.

64 Cum apud S. Spiritum de Magella aliquando moraretur Sanctus, quidam ex loco qui Carceres dicitur, adduxerunt hominem a dæmone insessum: *liberat energumenum,* qui in conspectum ejus veniens, clamare cœpit atque obniti, ne propius accedere cogeretur. Sedens autem Sanctus ad cancellos altaris, jussit miserum ad se pertrahi, alapamque infligens, Egredere, inquit, diabole, a creatura Dei. Nec mora; cecidit in terram quasi mortuus energumenus, et orante Sancto post mediam horam sanus surrexit; exindeque devotus sancto Patri vixit, ut referunt manuscripta. De se autem ipso narravit Nicolaus, dictus Zaurellus de Sulmona, Testis XXXXV, annum agens XXXI; *curat epilepsiam,* quod cum esset annorum novemdecim, epileptico morbo absque spe salutis laboraverit; suadente autem matre sua Margarita iverit ad Sanctum in Orfentem, qui ipsum jussit caput ponere supra ligneos quosdam cancellos, cœperitque ex libro legere. Post horam vero postulans aquam benedictam cum thuribulo, aspersum incensatumque dimisit, mandans ut F toto mense ab igne et aqua locisque excelsis abstineret, deinde humanam nullam medicinam sumeret. Ab eoque tempore dixit se liberum fuisse: idem autem de eo asseveravit mater sua Testis XXXXVI; Matthæus autem Simeonis qu. Rainaldi Mancini de Sulmona Testis CXXIII. dixit, præsentem sæpe se fuisse dum caderet, ac supra sic lapsum pluries recitasse Psalmos aliquos; eique attestatur etiam Sulmontina, Joannis Petri de Sulmona.

65 Stephanum Gerardi de Acziano furiosum, ut dicitur in Summario, vinctis manibus, et pedibus *rabiem,* subtus asinum colligatis, adduxerunt Sancto, Valens Petri, consobrinus Stephani Testis LI, Petrus Alexandri Testis XXXIV, Thomas Petri qu. Joannis Poteti de Galliano, Gerardinus Berardi, atque ipsius furiosi mater Velleta de Acziano Testis XXXV. Quibus cum ille responderet, abirent inde, quia Sancti Petrus et Paulus juvare eum poterant ubicumque esset; dixerunt, quod imminente jam nocte, non audebant recedere nisi gratia aliqua impetrata. Tum vero panem eis dedit, infirmo præbendum: de quo cum hic manducasset avide, cœpit per seipsum libere ambulare: atque mentis sane compos exinde fuit. Contigit autem hoc circa annum MCCLXXXVIII, attestatique

A attestatique miraculo sunt præter jam dictos, Odorisius Joannis de Acziano sexagenarius Testis XXXVII, et Gemma Testis XXXVI, ille patruus hæc vidua ipsiusmet Stephani tum mortui, absens quidem dum res ageretur, se toto uno mense maritum sic infirmum passa, ejusque obsequiis intenta. Petruccius de Abmamonte de Rocca Moricii, per triduum tam gravi afflictus fuit epilepsia, ut licet noctu dormiret bene, tota tamen die velut mortuus absque sensu esset, adeoque debilitatus, ut de vita actum crederent medici. Hunc fratres sui Matthæi et Raimundus, ligatum in asino, magna cum fiducia advexerunt Orfentem, circa annum MCCLXXXXIII; quem cum Sanctus, ut rogabatur, sanctis suis manibus attigisset, supraque eum formasset Crucem; surrexit in pedes, et panem ab eodem sibi datum manducavit, atque exinde valuit optime. Addit autem Matthæus, etiam tum cum ista deponebat, anno MCCCVI, 11 Junii, Petruccium sanum in habitu monastico vixisse, sed non addidit in qua Religione.

paralysim,

66 Sequenti porro die III Junii, retulit Petrus Romani de S. Valentino, sexagenarius Testis CXXXVIII, quod ante annos viginti et amplius, cum esset apud S. Joannem de Orfente, ubi tunc morabatur Sanctus, viderit nobilem Neapolitanum, adferre puerum tam graviter epilepticum, ut nec unam quidem horam posset se tenere in pedes nisi sustineretur: sed postquam a sancto Patre ad preces genitoris fuit Cruce signatus, sedit, stetit, manducavit sanus. Similiter Franciscus Joannis de Rocca-Moricii Testis CXXV narravit, quod filia sua Francisca, quadam vertigine capitis sic laborarit, ut totis sex mensibus ipsum non potuerit firmum tenere. Cui malo remedium aliud non inveniens, relicta domi puella, ipse in Orfentem ivit ad Sanctum, orationumque ejus postulavit suffragia. Promisit benigne quod rogabatur Petrus, atque reipsa implevit: oratione autem facta dimittens Franciscum: Vade, inquit, et ut ipsam Deus liberet, Pater-noster devote recita. Quod cum per viam fecisset, sanam domi filiam reperit.

item epilepsiam, B

et vertiginem.

CAPUT VI.

Reditus in montem Murronis et gesta usque ad Pontificatum.

Post annos in Orfentis asperrimo loco plures traductos, nec ibi se posse tenere dilectam solitudinem videns Petrus, in Murronem mense Junio rediit: redeunti autem occurrerunt supplicabundi Sulmonenses, quorum matronæ Crucem argenteam cum ejusdem metalli thuribulo ipsi obtulerunt; similiter etiam vicini ex Pacentrano, communi decreto progressi cum lampadibus et cereis ac multo concentu, pretiosa munera exhibuerunt. Cellam autem sibi elegit supra Segezanum, quod nunc destructum cernitur, in jugo montis ad meridiem, quam S. Onuphrio nuncupavit; et ubi ipse postea factus Pontifex altare consecravit, in illa angustissima cellula, quæ ibi etiamnunc visitur. Habet locus iste amœnissimum in planitiem Sulmonensem prospectum, et vestigia cellarum ibi adhuc residuarum frequentes monachos habitasse ostendunt. Testatur autem Rittus Mag. Rogerii de Sulmona Barbitonsor Testis LXXXXIV, quod cum locus S. Onuphrii construebatur, concurrebant Sulmona atque ex vicinis locis certatim viri feminæque; beatumque se æstimabat quicumque potuisset vel lapidem unum, vel aliud quidpiam ad fabricam faciens suis manibus apportare. Gemma quoque filia Gualterii de Pacentrano Testis CI, annos triginta numerans cum audiretur, se quoque ex iis unam fuisse professa est: itemque

C *Redeunti occurrunt Sulmonenses.*

eique extruunt cellam S. Onuphrii,

D Galitia, uxor Joannis Pilosi de Sulmona, triginta quinque annos nata, Testis LXXXXIX.

EX ITAL. MARINI.

68 Interim ad montis radicem procedebat etiam fabrica monasterii S. Spiritus, quod Caput Ordinis facere cogitabat, et factus postea Pontifex futuris temporibus habendum constituit, sicut hodieque est, munifica piorum quorumdam Regum ac Principum liberalitate auctum dotatumque. Nimis tamen angusta erat ecclesia, quam ut capere posset populum, ad audiendam Sancti Missam benedictionemque percipiendam, undequaque affluentem. Itaque in loco eminenti, conspicuo ac plano ante ipsam ecclesiam, istic ubi nunc ejus atrium est, hospitiis et ædificiis magnificam in speciem extructis cinctum, erigi suggestum fecit; unde posset sacrificans conspici a cunctis in ipsa montis declivitate consistentibus. Huc autem sanctus senex anno MCCLXXXXIII. Dominica die, quinta [non Junii, sed Julii] mensis descendit cum discipulis suis: vidensque multitudinem tantam, suæ memor fragilitatis in tam copiosas prorupit lacrymas, sequentibus exemplum discipulis, ut ægre potuerint sese in pedes erigere præ affectus teneritudine. Tandem tamen assurgens, populo conspiciendum se præbuit, magnis vocibus exclamanti, Kyrie eleison: multi enim effuse plorabant propter devotionis excessum. Deinde sacras vestes induit, ibidem præparatas a discipulis ministrantibus; Missamque dixit, quam absolvere ægre potuit propter affluentiam lacrymarum, quas non inane aliquod gaudium, sed propriæ vilitatis cognitio affectusque caritatis ciebat. Hanc ejus virtutem insignemque humilitatem multis miraculis tali occasione illustravit Deus.

dum fabricatur nova ecclesia S. Spiritus:

ubi cum in campo Missam fecisset Petrus,

E

69 Finita Missa factaque confessione et absolutione, eo quo Prælati solent modo (ita referunt manuscripta) benedixit populo, extenta manu Crucem exprimens, et clara voce pronuntians consuetam formulam: quam secuta est gratulatio ingens exultantium quod enim recipere ac videre meruissent, maxime propter evidentiam signorum, eo in actu ac tempore divinitus ostensorum. In his fuit quod Joannes Ricardi, dictus Collus de Sulmona, Testis LXXXIV, narravit de filia sua Florisenda: quæ pede uno per integri anni spatium adeo debilis, ut gressum nullum formare posset; cum intellectum fuisset, quod Sanctus in aperto campo Missam dicturus erat; illuc porta ab ipsomet patre, elevataque inter brachia quando dabatur benedictio; mox ut domum relata fuit, ante ipsas ædes in pedes locata, ambulare cœpit ex voto patris, qui ea cum fiducia ipsam detulerat ad locum sacrificii. Benevenuta etiam Testis CXXVI, uxor Gualterii Mancini de Sulmona, aliquot diebus post puerperium fallente vestigio sinistrum pedem loco moverat vel etiam fregerat; cui cum chirurgus quam potuit curam adhibuisset, nihil inde melius mulier habuit, itaque septennio toto mansit gradiendi facultate privata. Hæc deinde audita fama Missæ, a Sancto loco patenti dicendæ, patrem suum Joannem de Bugnara, valde amicum ac familiarem Sancto, suumque maritum exoravit, ut illuc se portari facerent. Nec frustra: quo enim delata in jumento fuerat, inde pedes revertit, ad Sancti benedictionem consolidato vel reaptato osse, quod male affectum erat.

sanat puellam gressu privatam,

F

item mulieris invalidam pedem;

70 Antonia de Pratola, nocte quadam manducans avidius, obsessa (ut credebatur) a diabolo fuit, cœpitque præter morem agere inverecunde, amenter vestes exuens, seseque nudam oculis domesticorum conspiciendam offerens, cum magna confusione consanguineorum, auxilium ei ab humanis remediis per menses quatuor frustra quærentium. Hæc eodem per vim adducta, ad signum Crucis quod Sanctus formavit, tres carbones evomuit, allisaque in

alias dæmone liberat,

EX ITAL. MARINI.

A in terram hora integra velut exanimis jacuit; tum sana surrexit, et cum suis domum reversa est hilaris; prout habetur ex depositione Augustinæ uxoris Joannis de Sulmona Testis XXXXII, Nicolai Simeonis qu. Rainaldi Mancini Testis XXXI, aliorumque trium Testium scilicet XXX, LIII, et XXV. Refertur hoc etiam in Summario; ubi quod sequitur de altera energumena, confirmari potest asseveratione ibidem præsentium Margaritæ Testis XXXXVI, quæ erat mater Nicolai Zaurelli de Sulmona, et Sulmontinæ Joannis Petri de Sulmona Testis XXXXVII. Addidit autem Margarita, quod viderit etiam ab ea carbones evomi, Sulmontina vero, quod conspexerit prodeuntem ex ejus ore fumum, et quosdam qui manibus tractabant carbones, a dicta muliere (ut aiebant) ejectos. De alia quoque energumena sibi ignota dixerunt Catania, uxor Joannis Rizardi, Testis XIX; Pandolfus Joannis Palumbi, Testis LXIX; D. Gentilis Archipresbyter Sulmonensis, Testis LXXI; Berarda uxor Rainaldi Mancini, Testis LXXXXVI, Donnadabene uxor Machabæi, Testis LXXXXVII; Æmilia filia Leonardi Avelli, Testis C. D. Franciscus Gualterii qu. Alberti, Testis CXXVII; omnes Sulmonæ nati; dixerunt, inquam, ignotam sibi mulierem, illuc vi adductam, exclamasse, Nolite me ducere neque sistere coram eo, qui me totam adurit, et quo nullus melior inventus est a tempore S. Joannis Baptistæ. Cumque conversus Petrus toti populo benedixisset, ad ejusdem populi preces energumenæ illi singulariter benedixit; quæ similiter veluti carbones evomuit, ac libera mansit. Addit autem Archipresbyter prænominatus, quod toto quo Missa canebatur tempore, non potuerit cohiberi, quo minus inconditos clamores ederet, seque versaret partem in omnem, eluciari e manibus tenentium cupiens.

carbones evomere visas;

B

71 Denique cum sanctus senex, dimisso populo, ad S. Spiritus monasterium se recepisset; accesserunt ad eum ex illis qui Missæ interfuerant, Joannes Pilosus et D. Franciscus Gualterii qu. Alberti de Sulmona, fratres adducentes ei puerum triennem Nicolaum, ipsius Joannis filium; qui eatenus numquam locutus erat et videbatur mutus remansurus. Hunc manibus suis sacratis contingens Sanctus, eumque Cruce signans, Redi, inquit, fili, redi cum Deo: et subito loqui puer cœpit, ac patrem nominatim appellare. Illi autem nocte quidem ibidem manserunt; mane vero domum regressi cum essent, advocans Galitiam uxorem Joannes, Scito, inquit, filium nostrum loqui. Quæ exiliens præ gaudio, interrogare cœpit quomodo id accidisset; et sicut audivit jurata retulit, Testis LXXXXIX; quemadmodum etiam deposuerunt ipse Joannes, Testis CXXXIII; ejusque frater D. Franciscus, Testis XXXVII atque Æmilia et Gemma prænominatæ, Testes C et CI.

et puero muto loquelam donat,

C

72 Transacta illius diei celebritate, cum jam Ordo (qui licet Benedictinæ professionis esset, passim appellabatur Fr. Petri de Morrone) per loca plura dispersus esset, monachos multos numerans; et Magellense S. Spiritus monasterium, quod eatenus præcipuum fuerat cum titulo Abbatiæ, asperiori situm esset loco, quam ut eo sæpe possent convocari Patres ad celebranda Capitula generalia; iidem ad monasterium S. Spiritus de Murrone convenientes, ipsum potius in Abbatiam erigendum, eoque primatum Ordinis transferendum esse decreverunt; atque in locum vel mortui vel abdicantis se secundi Abbatis Rainaldi de Rigo nigro, tertium Abbatem elegerunt Onuphrium Comensem, quem jam ab anno MCCLXXXX et sequenti diximus nominatum hujus monasterii Murronensis Priorem. Idem autem invenitur ultimo die Februarii anni MCCLXXXXIV, vacante Apostolica Sede, notatus ut Abbas monasterii S. Spiritus in diœcesi Valvensi (quod est monasterium Murronense) Ordinis S. Benedicti, et caput monasteriorum S. Spiritus de Magella et S. Petri in Vallebona; eidemque inscribuntur ipsius Cœlestini Papæ V Apostolicæ litteræ, datæ mense Septembri anni ejusdem. Unde antecedentia cum sequentibus conferenti, verosimile fit, Capitulum istud celebratum fuisse circa medium Septembrem anni MCCLXXXXIII. Et huic conjecturæ favet, quod præcedentium subsequentiumque Abbatum creatio fere facta sit mense Septembri, sicut postea in Chronologia Abbatum notabimus.

Ordinem ultiplicato

D

in Murrone eligitur 3 Abbas generalis.

CAPUT VII.

Miracula Sancti degentis in cella S. Onuphrii.

Interim vero non fuit Petri caritas otiosa circa externos: nam cum eo quo Capitulum celebrabatur tempore, Mag. Rainaldus de Alifa adduxisset filium suum Joannem, difficili asthmate laborantem atque incurvum; Cruce signatus pariterque erectus a Sancto est, et molestia illa liberatus, ut habent manuscripta. Ex his etiam habetur, ab eodem Alifano oppido a Mag. Matthæo adductum quinquennem filium, in urina reddenda grandi calculo impeditum: quem simili benedictione sanatum a Sancto, pater domum reduxerit lætabundus. Dimisso Capitulo recepit se Sanctus ad S. Onuphrium atque angustam illam cellam, quæ præter altare vix hominem capit, habet autem fenestram cum crate ferrea, per quam aspectus est in locum ampliorem, pro iis fabricatum, qui videre eum vel alloqui per dictam fenestram cupiebant. Quamvis autem ibi inclusus staret et raro se videndum daret, crescebat nihilominus pietate et numero, pia quam instituerat hominum secularium Confraternitas; ita ut in aliquibus locis mille capita, alibi sexcenta aggregata censerentur, magno cum publici exempli fructu: quod ipsum celebriorem Petrum quaquaversum reddebat, præter miracula, quæ ibidem facta jam lubet commemorare, præmisso uno temporis paulo anterioris.

Curatur asthmaticus,

E

Sodalitas instituitur:

74 Sir-Alexander Berardi de Sulmona, Testis XXXXIV, Canonicus Valvensis et Sulmonensis, neptem habebat Franciscam, ex sorore Gentilitia Teste XXXXV; quæ annos tres et dimidium nata, dum inter æquales ludibunda petras jacit, ab una earum percussa fuit in talo pedis sinistri, unde plaga ei facta, et ex plaga infirmitas incurabilis fistulæ, pelle pluribus locis hiante. Toto autem triennio adeo nihil ad ejus curationem profectum a medicis est, ut Mag. Richardus chirurgus Sulmonensis Testis L, ad puellam vocatus, mox ac pedem viderat recusaverit eum tractandum suscipere; adhibitisque aliquibus lenitivis medicamentis puellam pro desperata dimiserit. Multam in S. Petro fiduciam habebat patruus Sir-Alexander, sciens tamen quantum abhorreret a congressu feminarum, in puerum transformavit neptem veste mutata; atque ita secum duxit ad sancti Spiritus prope Sulmonam, causamque sui adventus et mali atrocitatem exposuit. Cui sanctus: quare puerum ad me duxisti? Quia, inquit alter, medicinam ei faciendam desperant medici, ideo eam a tuis precibus expeto. Ast hoc, inquit Sanctus penes Deum est: simul et pedem retexit ac signo Crucis ter signavit. Tum cœpit puella, quæ eatenus gressum formare nequiverat, aliquantum ambulare, atque intra paucos dies integre convaluit; adeo ut nec cicatrix quidem aliudve vestigium priorum vulnerum in pede remanserit. Prædictis attestatur etiam Gentilucciæ ipsius mater septuagenaria, puellæ avia, Testis XXXXIX; ipsa autem et alii omnes ultima die Maji anni MCCCVI dicunt, rem accidisse ante annos tredecim

sanatur puellæ pes exulceratus,

F

A tredecim menses undecim eoque amplius, atque adeo mense Aprili anni MCCLXXXXII; unde consequens est id non contigisse, cum ad monasterium S. Spiritus descendisset Sanctus, occasione generalis Capituli, sed priori alia, puta ratione fabricæ quæ struebatur.

75 Pandulfus Joannis Palumbi de Sulmona, Testis LXIX, ex fratre Sermentino nepotem habuit Nicolaum, unius oculi luce sic privatum, ut eo omnino nihil videre puerum multis constaret experimentis. Certus ergo de miraculis quæ Sanctus plurima operabatur, ad eum in cella S. Onufrii reclusum accessit, ejusque orationibus nepotulum commendavit. Cui Sanctus, accipiens positam juxta altare candelam, unam ex eis quæ fuerant in festo Purificationis benedictæ; Vade, inquit, et ex hac candela Crucem formato, quam linteolo involutam ligabis ad collum pueri, adeo laxe ut e collo pendens possit commode elevari usque ad oculum infirmum, nec necesse sit eam ideo de collo demi: atque hoc faciens recitabis tertio Pater noster, interim ipsam Crucem sæpe super oculum illum ducens, fortassis enim providebit de remedio Deus. Redivit continuo domum Pandul-

et pueri oculus excæcatus;

B fus: prius tamen quam faceret aliquid, novi experimenti causa clausit manu oculum videntem, alterique deinde objiciens varia, interrogabat puerum num videret quidpiam, coram ipsius matre Thomasia Teste LXX. Ipso autem negante se videre quidquam, fecit Pandolfus quæ jusserat Sanctus; iterumque sumpto priori experimento, oculo qui cæcus fuerat videre jam puerum apparebat; minus tamen clare, inquit mater, quam altero: quare adductus fuit ad præsentiam Sancti, ac deinde utroque oculo æqualiter vidit. Huic autem miraculo, præter jam dictos patruum et matrem pueri, attestatæ sunt mulieres Sulmonenses tres Berarda, Donnadabene, et Gemma, alibi memoratæ, Testes LXXXXVI, VII, et VIII.

76 Joannuccius, filius Jacobi qu. Joannis Cavacensis et Aulentis uxoris ejus, toto quidem corpore natus erat perfectus, sed triennio integro nihil loquens videbatur omnino mutus esse, nec valebat pedibus suis insistere. Huic ad se adducto in S. Onuphrii, atque per Monachum socium commendato, misit Petrus per eumdem Monachum frustum candelæ, cum segmento panis et precatoriis granis aliquot. Quæ cum mater puero in manus dedisset, statim emisit vocem, appellans matrem; et vigore in cruribus accepto, cœpit ambulare; ad utrumque

item puer mutus et debilis,

C vero liberam deinceps habuit linguæ et pedum facultatem, eadem per annos octo quibus supervixit usus, uti retulit ejus mater Testis CII, et frater Jacobus Falcus Testis CIII: qui etiam dixit, fratrem suum vixisse usque ad ipsum dati testimonii annum MCCCVI; unde colligitur res accidisse circa finem dicti recessus ad S. Onuphrium, vel etiam post abdicatum Pontificatum. Juliana, uxor Campliti della Torre, patiebatur anginam adeo gravem, ut tonsillis nimium inflammatis ipsum etiam guttur corroderetur, et remedium ab medicina frustra adhibita nullum jam speraretur, atque adeo moritura mulier crederetur. Ergo pro ea qua erga Sanctum ferebatur devotione, oravit Joannem de Bugnara, patrem Benvenutæ, Nicolao Mancino Sulmonensi nuptæ (ejus quæ hæc retulit Testis CXXVI, ut oculis suis visa) qui Joannes frequenter ac familiariter consueverat itare ad Sanctum, quatenus pro Dei et Virginis beatissimæ amore, aliquid sibi mitteret, quia non aliter sperabat se sanandam. Ivit Joannes, casuque exposito, Cruculam ex candela factam cum frusto panis accepit, mandatumque ut Juliana omni deinceps Sabbato in honorem Deiparæ jejunaret: quod cum illa facturam se recepisset, et Cruculam collo, panem ori admovisset, liberata est ab infirmitate sua.

gravis angina,

D 77 Angelus Joannis qu. Alberti de Sulmona, triginta circiter annorum, Testis CVII, retulit, quod in pueritia passus sit annis integris duobus gravissimam plagam in sinistra tibia, eamque opus fuerit sex locis incidere: a parte autem suo atque a patruo Angelo deportatus super equum ad cellam S. Onuphrii, receptus a Sancto sit: qui solutis fasciis plagam tangens et Cruce signans, subito eum sanaverit tam perfecte, ut qui eques venerat, pedes redire potuerit. Addidit autem mater pueri Matthæa quinquagenaria, Testis CIX, filii tibiam, cum domo abduceretur, fuisse plane marcidam: ut autem ille sedecim annorum fuerit quando curatus est, non potuit id contigisse nisi circa annum MCCLXXXXIII. Attestatus porro miraculo est Rainaldus Ursi de Sulmona, Testis CVIII. Mulier quædam, Soror Gemma Incarcerata nomine, ex Castello Montis-belli, octodecim annis contracta eodemque delata, per magnam quam habuit erga Sanctum devotionem liberata est, sicut manuscripta referunt. De fratre porro suo Angelo refert Franciscus Joannis de Rocca-Moricii, Testis CXXV, quod molesta febri plus quam duos

EX ITAL. MARINI

tibia exulcerata,

annis 18 contracta,

E menses laboraverit: quare ipse Franciscus ad cellam Sancti abiit, eique post varia fratrem infirmum commendavit: qui libenter pro eo se oraturum recipiens, buccellam panis homini dedit, jussitque eam fratri manducandam porrigere. Hoc cum æger in nomine Petri fecisset fidenter, statim convaluit.

78 Benedictus Thomæ de Sulmona Testis LX, filium habuit nomine Nicolaum; qui etiam ipse annos natus viginti, personaliter comparuit, in ordine Testium Testis LXVIII. Hic cum esset annorum septem, factus a ventre deorsum paralyticus, adeo rigida habebat crura, ut lignorum instar juncturis carere viderentur ad flexum, nullumque eorum sensum haberet; totumque annum quo ista ei duravit infirmitas, ad omnes corporis necessitates alienis manibus egeret. Multa ei remedia applicanda curaverat pater, sed frustra omnia: tandem recordatus Sancti, in cella Onuphriana miracula facientis, filium asino superligatum illuc adduxit; tantamque ibi invenit utriusque sexus multitudinem, ut ægre se potuerit cum filio ad locum ubi Sanctus erat penetrare. Huc autem ut pervenit, ita egit cum Fr. Angelo de Caramanico, ut ipse puerum sumpserit intro ferendum; qui ibi ad horam unam eum tenuit, deinde retulit patri, in manibus habentem quasdam ficus siccas, cum Crucula lignea sibi donatas a Sancto; dixitque,

puer paralyticus.

F Revertere cum puero isto, et hanc Crucem fasciis ejus involve, et bene spera, quia Fr. Petrus tetigit ipsum et oravit pro eo. Statim autem cœpit aliquanto melius habere puer, et sensum quemdam membrorum eatenus inutilium: domum autem reductus, indies profecit ad plenam sanitatem, quam denique intra mensem obtinuit, quocumque libuisset ambulans. Testantibus autem id patre ac filio, attestata est etiam mater pueri Aldruda, Testis LXVIII; itemque Rittus Mag. Rogerii chirurgus, Testis LXXXXIV; et vicinus Benedicti, D. Gualterius Canonicus Sulmonensis, Testis CX.

79 Melioratus Joannis de Sulmona, annos natus LXV, Testis XXXIX, narravit se habuisse filiam sterilem, pro qua, ab annis a dicto testimonio quatuor decim, Petrum in sua prope S. Spiritum cella manentem oraverit, ut prolem ipsi a Deo impetraret. Cui cum Sanctus respondisset, æquum esse quod postulabat, ab eoque recessisset Melioratus; octiduo post sensit mulier se concepisse, et legitimo tempore peperit filium Nicolaum nomine, qui tunc erat annorum tredecim: postea autem parere desiit, quo evidentius pateret miraculum. Addit idem Melioratus, quod cum prædicto suo nepoti Nicolao adhuc anniculo obvenisset scabies, adeo tenax et maligna, ut

Sterili proles impetratur.

EX ITAL. MARINI. *sanatur scabies,*

A ut totam faciem instar lepræ operiret, visumque extinctura timeretur; eumdem transmisit Sancto per Rainaldum Ursi de Sulmona: qui cum infante domum revertens, dixit Meliorato, quod propter confertam multitudinem hominum, devotionis causa istic assistentium, non potuerit quidem per seipsum Sancto in manus infantem tradere; sed ipse populus eum intuitus acceperit tradideritque per manus, usque dum perferretur ad cellam Sancti; ubi hic eum apud se retinuit, donec ipse Rainaldus veniret atque reciperet. Intra octavum autem ab inde diem perpurgatus fuit ab illa scabie, nec quidquam tale amplius passus Nicolaus. Meliorato autem hæc jurate affirmanti, adstipulatus est alius quidam Testis CXXXIII.

hernia incurabilis in puella,

80 Elisabetha, filia Notarii Bonhominis de Sulmona, triennis effecta, periculosam in inguine rupturam incurrit, nec poterat propter nimiam corporis teneritudinem commode curari, atque ita mansit alterum triennium; quando Bartholomæa, uxor Bonhominis et puellæ mater, Testis LXXVI, confisa meritis Sancti, vicinum quemdam suum Mag. Rainaldum Gentilem, Sancti amicum, enixe rogavit, B ut ipsi commendaret filiam suam, quam illi mittere voluisset, nisi Sanctus vetuisset ad se introduci femineum sexum. Cumque deinde ipsius Elisabethæ frater, Rainaldus alius, ad Sanctum quoque ivisset, ei de suis peccatis confessurus, et accepta pœnitentia sororis infirmitatem declarasset; quæsivit Sanctus utrum manducaret. Affirmante autem Rainaldo, dedit ei hostiam quam sumeret, Cruculamque ligneam cum duobus osseis ex serto precatorio granis, de collo infirmæ suspendendam. Quo facto hostiaque comesta, subito redintegrata fuit ruptura illa. Erat autem Rainaldus Bonhominis, cum hæc deponeret Testis LXXV, annorum quadraginta [ideoque oportet ut facta hæc sint initio resumptæ habitationis in Murrone.

et viro:

Eodem, et quidem ad cellam S. Onuphrii, advenit Mag. Andreas Bartholomæi de Sulmona, Testis CXVII, ex lapsu infelici ruptus circa virgam tam graviter, ut commode ambulare non posset, nec remedium ab arte incassum adhibita speraretur; neque enim incidi poterat loco tam periculoso. Cumque ipsam rupturam Sancto ostendisset: Vide, inquit, fili, ne forsan quia juvenis, etiam sis peccator, idque tibi divinitus acciderit, ut pœnitentiam agas et vitam corrigas; deinde in rupturam, Cruce signatam, impressit digitum, hominemque dimisit: C qui ab eo tempore sanum se sentiens, miraculum tota civitate vulgavit, et ad illud affirmandum accessit eidem uxor sua Bartholomæa quinquagenaria, Testis CXVIII.

puer epilepticus,

81 Odorisius, filius Benedicti qu. Eustachii de Sulmona, annos natus sedecim, malum epilepsiæ incurabilis patiebatur: quare consanguineus ejus Jacobus de Pacentrano, qui deinde mortuo Oderisio hoc deposuit, Testis LXXII sexagenarius, duxit eum ad S. Petrum, in Murrone, ubi Vallanitium dicitur, commorantem; flexisque cum puero genibus dixit: Placeat obsecro Pater, juvenem hunc, qui morbum caducum patitur, incantare. Ille autem placide: Non ita, inquit fili, non ita loquaris: ego non novi incantare: et signum Crucis super puerum fecit, qui deinde numquam relapsus fuit.

et alius contractus.

Maria Gualteri de Sulmona quadragenaria, Testis XXI, dixit quod filium suum Laurentium, ab anno quinto vitæ suæ contractum, portaverit ad fontem, scaturientem juxta cellam Sancti, in eoque in Dei et Fr. Petri nomine laverit: lotus autem eductusque de fonte, jam solitus ab illa contractione pedibus ambulaverit Sulmonam, unde suspensum a collo mater attulerat: postea autem alio ex morbo obiit.

82 Sesquiannum, inquit Dionysius Faber, et manuscripta antiqua confirmant, mansit Sanctus sic D reclusus usque ad Pontificatum; unde sequitur, quod haud diu post celebratum in Murrone Capitulum generale, reclusio illa cœperit, finienda circa medium Julium anni MCCLXXXXIV. Quod si miracula aliqua referantur, ut biennio toto citius facta in loco S. Onuphrii et S. Spiritus, ea solum probant illic eum ante reclusionem suam aliquando fuisse, utriusque fabricæ dirigendæ et ordinandæ ergo.

Undique ad Sanctum accurritur

Interim innumeri homines accurrebant ad eum, quia (sicut dixerunt Mag. Stephanus Briccii de Capua chirurgus, Testis X; et Manfredus Gilberti de Luco, Testis XXXVIII) magno devotionis affectu ferebantur ad eum conspiciendum, intermissis propterea negotiis propriis, ipsumque intuentes exultabant gaudio spirituali, movebanturque ad lacrymas et planctus: quæ fuit specialis prærogativa, divinitus concessa Sancto.

etiam turmatim,

Hinc legitur, idque ipsum retulit Mag. Nicolaus Berardi murarius Sulmonensis, Testis LVI, ad Petrum reclusum in Murrone venisse Carolum II Regem Neapolis, ejusque filium Carolum Martellum Regem Hungariæ. Quia autem non poterat audire nec alloqui singulos, ideo fecerat sibi fe- E nestram, per quam impertiretur poscentibus benedictionem suam; felicemque se reputabat (ut ait Benedictus Thomæ Testis LX) qui eum vel conspicere potuisset: nec ad alium ullum visa est tempore illo tam universalis devotio populorum, sicut ait D. Gualterus Thomæ de Caramanico Sacerdos Testis LXIII. Unde fiebat ut viæ ad illum ducentes semper essent plenæ populo eunte ac redeunte, uti deposuit Joannes de Aczano Testis XXXVII. Et Mag. Petrus Thomæ de Sulmona, Medicus ordinarius monachorum nostrorum in conventu S. Spiritus, addidit, quod quiscumque malæ vitæ homo in ejus se dabat conspectum, continuo movebatur ad pœnitentiam.

et plures quam locus possit naturaliter capere,

83 Sed operæ pretium fuerit audire Petrum Grassum Neapolitanum, Notarium Regium, Testem VIII: qui post laudatum Petri vitam, ut asperam, sanctam atque exemplarem, Hinc, inquit, fiebat ut ex vicinis remotisque locis frequens ad eum concurreret populus: ita ut aliquando eunti redeuntique multitudini angustæ essent viæ semitæque. Quoties autem Sanctus se monstrabat populo, vix ullus aderat, cui non erumperent lacrymæ atque suspiria, ex interna compunctione provenientia. Mirabile autem imprimis erat, quod cum supercilium montis, et planities in quo erat constituta cella, ægre caperet homines centum, tamen absque ulla cujusquam læ- F sione ibi aliquando colligebantur ad tria hominum millia: quin etiam per semitatem illam, qua illuc scandebatur, extremæ ætatis viri feminæque ascendebant ut juvenes, velociter atque expedite. Nec minor erat fiducia, quam passim in ejus intercessione ac precibus collocatam habebant populi, quam si fuisset jam tum canonizatus.

et quidem hiemali tempore.

Addit autem Franciscus Gualterii qu. Alberti de Sulmona Testis CXXVII, quod eo tempore istis in partibus nullus fere erat sermo nisi de B. Petro. Concursus autem iste non solum fiebat amœno ac placido tempore, sed etiam media hieme; sic ut opus esset cives Sulmonenses venire cum ligonibus bidentibusque ad complanandam viam per nives. Et Joannes Pilosus Testis XXVIII asserit, etiam se aliquando functum esse eo complanandæ viæ officio: et Joannes Pilosus asseruit, curæ sibi fuisse, ut nives omnes de medio platearum tollerentur.

CAPUT

A

CAPUT VIII.

Electio Petri in Pontificem, coronatio Aquilæ, et alia ibidem Acta.

Interim per mortem Nicolai Papæ IV vacua facta *Post diuturnam Sedis vacationem,* Apostolica Sedes, IV Aprilis anni MCCLXXXXII, distrahebat vota animosque Cardinalium, super electione novi Pontificis multipliciter discordantium; donec tandem, Deo mirabiliter operante, in Fr. Petrum de Murrone convenerunt suffragia, anno MCCLXXXXIV die V Julii; quæ publico signata instrumento Murronem delata fuerunt. Hujus instrumenti originalis charta hodie in Archivio Apostolico servatur, intra capsulam, panno serico interius obductam, cura et *electus Petrus* sumptu Domini Penia bonæ memoriæ, anno MDCIII illuc illata de mandato Clementis Papæ VIII, cum eatenus asservata fuisset in archivio S. Spiritus de Murrone, pendentibus ex ea uniuscujusque Cardinalis subsignantis sigillis in cera rubra ex filo albo. Fuerat illa, ex causa quadam, Romam delata, perveneratque in manus prædicti Domini Penia tunc B Auditoris Rotæ, eruditissimi atque pientissimi Prælati. Hinc cum in notitiam venisset Cardinalium aliquot, iique ipsam videre optarent; requisivit illam a Monasterii Murronensis Patribus D. Penia, acceptamque dedit Cardinali Fachinetti; hic Cardinalibus Bellarmino et Antoniano tradidit, deinde habuit eam Baronius, ac demum Clemens Papa VIII, qui commendata multis laudibus sancti Pontificis Cœlestini memoria, et exemplo abdicationis ab eo factæ, jussit in Apostolicum Archivium reponi; dicens, ibi securius asservandam, et cum commodo tam ipsius sanctæ Sedis quam Ordinis Cœlestinorum.

85 Accepto electionis suæ nuntio, sanctus Pater *venit Aquilam,* Aquilam abiit. Qua istuc via iverit non invenitur scriptum, verosimili tamen conjectura dici potest, quod transierit planitiem Pratolæ atque Rajani, et succedentes planitiei isti montes: siquidem legitur descendisse ex asino ad Castellum-vetus, quod primum post dictos montes occurrit: et quod hic ejus descensus commoditatem præbuit rustico, filium utroque pede debilem portanti, imponendi eum jumento vacuo, sanumque recipiendi. Eodem in itinere, juxta burgum Aczanum nomine, una solum leuca Aquila distans, benedictione sua sanctus Pater sanavit epilepticum puerum, nomine Doricellum, C filium Berardelli qu. Jordani de Aczano, quemadmodum ex pueri matre Gemma audivisse se retulerunt Velleta Testis XXXV, et Odorisius Joannis Testis XXXVII, Aczanenses ambo. Quo die Aquilam *quo invitati Cardinales,* Sanctus pervenerit nusquam invenitur expressum, verosimile est tamen paulo ante vel post initium Augusti illuc appulisse. Hic dum Cardinales Perusio ad se venire jussos expectat, varios Curiæ suæ creavit Ministros, Caroli Regis subditos omnes, atque imprimis Scribam seu Secretarium Laicum quemdam Bartholomæum de Capua, Vice-Cancellarium Archiepiscopum Beneventanum, aliosque. Cardinales vero, qui ipsum invitarant Perusium, metuentes ne per viam cunctaretur, aut forte Perusium accedere detrectaret, aliis scriptis litteris rogabant eum, ut more aliorum electorum Pontificum vellet ipse accedere ad Collegium Cardinalium. Consideraret quod morborum periculis exponendi forent, si cogerentur omnes ad iter tam longinquum, inter excessivos ejus temporis calores: quamque sumptuosum ac damnosum futurum esset, si tempore messis tota Curia Romana esset transferenda in urbem remotam, minusque aptam ritibus ac moribus suis. Protestabantur etiam alias esse graves causas, quas non conveniret mandare litteris, profectionem dissuadentes. D

EX ITAL. MARINI.

86 Acceptis porro suorum Legatorum litteris, *multum se ei excusant.* atque de mente Petri certiores redditi, denuo ad eum scripserunt, Patrem eum tunc primum appellantes, longe quam ante submissius modestiusque; excusantes tamen profectionem, eo quod durum videbatur omnibus minimeque securum sese tradere in potestatem Regis Caroli, intrando ejus regnum, propter diversitatem sententiarum quæ fuerat in Collegio jam inde a tempore Martini Papæ IV, in suppetiis Carolo contra Aragonenses ferendis; imo tunc decretum fuisse, ne Pontifex cum Collegio excederet urbe Roma ad succurrendum aliis. Non debent, inquiebant, Patres ad qualemcumque locum pertrahi, etiam remotum, licet Regnum illud subjectum sit obedientiæ Apostolicæ Sedis. Meminisse dignaretur, quod jam ante scripserant, cavendum esse, ne res nova transiret in exemplum posterorum, contra usum antiquum; cogitaret damna cunctis obventura, populorum querelas, et annonæ penuriam iis in locis per quæ esset messis tempore transeundum; neque existimaret parum sibi curæ esse E senectutem ejus ac valetudinem, tali tempore haud dubio periculo exponendam; confidere tamen non defuturam Dei opem, cujus amore onus adeo molestum acceptaverat. Addebant posse eum vel in lectica portari, et modicis itineribus venienti minus esse periculi; se autem paratos adventum ejus etiam longiori tempore expectare.

87 Vix hasce litteras acceperat Petrus, quando *Sed ipse in proposito constans,* ultro Aquilam venerunt Cardinales duo, Hugo Arvernus et Neapolio Ursinus; quibus mandavit sanctus Pater, ut Cardinalibus scriberent, causas ob quas nolebat tali ætate talique anni tempore accedere Perusium. Venit præterea Episcopus Urbevetanus, missus a Collegio cum aliis litteris, quibus rogabatur, ut, si minus Perusium, saltem veniret ad locum aliquem Status Ecclesiastici. Per eumdem legatum rogabatur Rex Carolus, ut memor beneficiorum a Sede Apostolica et sacro Collegio acceptorum, id ipsum suaderet Petro; indicabatur etiam fieri posse, ut variis de causis superventuris opus adhuc haberet auxilio Patrum, quos tunc non expediret habere offensos. Et ille quidem finxit se iis morem gesturum, sed cito apparuit exiguæ curæ ipsi fuisse Cardinalium preces, quin potius id eum agere ut pro suo commodo Pontificem teneret apud se. Mansit ergo firmus in proposito Petrus, et cum F consilio Cardinalium qui aderant, decrevit Aquilæ consecrationem suscipere et coronari, etiamsi alii *mortuo Cardinali Ostiensi,* absentes vel recusarent vel tardarent venire. Dum ultro citroque commeant litteræ, moritur Perusii die X Augusti Cardinalis Latinus Ostiensis Episcopus, electionis auctor primus, et pridem Sancto notus ac bene affectus, utpote solitus ipsi ejusque monachis quotannis mittere eleemosynam liberalem. Hac morte intellecta, et sublato impedimento quod adferebat absentia ejus, cui ex officio incumbebat Pontificem coronare, substituit ei Cœlestinus Ugonem Presbyterum Cardinalem, jussitque a Beneventano Archiepiscopo consecrari Episcopum Ostiensem.

88 Eodem tempore accepit Petrus de manibus *ibidem se declarari facit,* Cardinalis Neapolionis Ursini pallium rubrum aliaque Papæ Electi insignia, assumpto ad hoc pro Cardinali Matthæo Rubeo nondum præsenti, cui ut Diaconorum Cardinalium primo id alias fuerat deferendum: mutatoque nomine Cœlestinus est dictus, proclamante ipsum Cardinali Neapolione. Tunc certatim omnes, tam ecclesiastici quam laici Prælati ac Principes, ad pedum oscula accesserunt; totique populo, qui fere infinitus accurrerat, Pontifex extenta

EX IT. L. MARINI.

A tenta manu benedixit : nova autem ac nova turba succedente, necesse ei fuit sæpe redire ad fenestram, sublatoque clamore benedictionem postulantibus impartiri. Atque hæc omnia facta crediderim post festum Assumptæ Virginis, nisi malit aliquis in ipso festo gesta opinari : quando etiam designatus fuit dies futuræ consecrationis XXIV Augusti, Decollationi S. Joannis Baptistæ sacer, [idemque eo anno, habenti litteram Dominicalem C, Dominicus.] Hac determinatione audita, Cardinales, qui adhuc septem Perusii supererant, videntes absque ipsis si cunctarentur peragenda omnia, mutaverunt consilium, unusque post alium, nihil sibi invicem super ea re locuti, Aquilam accesserunt, videlicet, Gerardus Sabinensis, Matthæus Portuensis, Joannes Tusculanus, Petrus S. Marci, Matthæus Ursinus, Jacobus Columna, et omnium in veniendo ultimus Benedictus Cajetanus. Quibus et ceteris assistentibus, dicta die coronatus est in capacissima, si qua alia, elegantissimaque ecclesia S. Mariæ de Colle-madio prope Aquilam, quam ipse Sanctus curaverat exstruendam. Deinde productus ad infinitam populi multitudinem, stantem in plano ante prædictam ecclesiam, tunc

et in ecclesia Collis-madii coronari,

B amplissimo, nunc vero circumductis vinearum et hortorum maceriis longe strictiori, faustas omnium acclamationes excepit, eisque benedixit.

89 Peractis consecrationis et coronationis ceremoniis, Clerus omnis totaque Curia novum Pontificem solenniter deduxit Aquilam, equo albo invectum, fræna tenentibus hinc inde Regibus Siciliæ et Hungariæ. Mansit autem Aquilæ Cœlestinus toto mense Septembri : quo tempore Rex Carolus, suum erga Pontificem affectum volens declarare, donavit XXX die Septembris Murronensi S. Spiritus monasterio Castellum Partolæ, et monasterio S. Mariæ de Collemadio alia quædam castella ac fundos, cum amplissimis pro utroque loco privilegiis : quæ etiam Cœlestinus auxit, aucta suorum monachorum spirituali jurisdictione, per multa loca et oppida, independenter ab Ordinariorum potestate. Die autem præcedenti, scilicet XXIX Septembris, in favorem ecclesiæ ubi fuerat consecratus, sequentem Bullam expedivit. Inter Sanctorum solemnia, S. Joannis Baptistæ memoria eo est solennius honoranda, quo ipse de alvo sterilis matris procedens, fœcundus virtutibus et sacris eulogiis fons, Apostolorum labium et silentium Prophetarum, in terris Christi præsentiam, caliginantis mundi lucernam, ignorantiæ obor-

ubi perpetuam Indulgentiam concedit,

C tis tenebris, verbi præconio et indicii signo mirifico nuntiavit (propter quod ejus martyrium, mulieris impudici indictum intuitu, mysterialiter est secutum) Nos qui in ipsius Sancti decollatione capitis, in ecclesia S. Mariæ de Colle-madio Aquilensi Ordinis S. Benedicti, suscepimus diadematis impositum capiti nostro insigne, hymnis et canticis ac fidelium devotis oraculis cupimus venerabilius honorari. Ut igitur ipsius Decollationis festivitas in d. ecclesia præcipuis extollatur honoribus, et populi Domini devota frequentia tanto devotius et ferventius honoretur, quanto inibi quærentium Dominum supplex postulatio gemmas Ecclesiæ, donis micantes spiritualibus, sibi reperiet in æternis tabernaculis profuturas; omnes vere pœnitentes et confessos, qui a Vesperis ipsius Festivitatis Vigiliæ, usque ad Vesperas Festivitatem immediate sequentes, ad præmissam ecclesiam accesserint annuatim, de Dei omnipotentis misericordia et BB. Petri et Pauli Apostolorum ejus auctoritate confisi, absolvimus a culpa et pœna, quam pro suis merentur a baptismo commissis criminibus et delictis. Datum Aquilæ III Kal. Octobris, Pontificatus nostri anno primo.

90 Quam grata divinæ majestati fuerit ejusmodi institutio, frequentibus deinde miraculis manifestavit : quorum hic aliqua referam, prout in veteri D manu scripto inveniuntur, ab auctore professo se ea scribere summa cum fide. In Rocca-Moricii diœcesis Theatinæ, multis post datam Indulgentiam transactis annis, vivebat Notarius quidam Firmus nomine (sunt autem Notarii iis in locis supra vulgus litterati ac sapientes) postea etiam factus Sacerdos. Hic dum Aquilam undique concurritur ad Indulgentiam præfatam, ipseque in foro luderet, habens in manu balistarium arcum, interrogans populum quo irent; et intelligens quod Aquilam ad Indulgentias, O gentem, inquit, stultam ac fatuam? Nonne videtis vos perdere laborem itineris? Tam est ibi Indulgentia a culpa et pœna, quam ego potero spiculum hoc in isto lapide vivo defigere. Et hoc dicto armavit arcum, et in petram direxit spiculum; directum autem penetravit tam alte, ut nisi manu violenta extractum, non esset inde removendum. Lætabundus simul et admirabundus ad hæc populus laudavit Deum; Notarius vero in se conversus, saxum illud cum inhærente ei jaculo appendit collo, tremens ac lacrymans; ceterisque in Murronem euntibus se jungens, ibidem publice confessus est suæ incredulitatis peccatum, coram Monachis et omni populo; et ostentans E saxum jaculo confixum, ibidem reliquit sub clavi custodiendum, ad memoriam et instructionem posterorum.

variis postea miraculis confirmatam,

91 Alio tempore Fratres duo ex Ordine Prædicatorum, ad conquirendas vicatim eleemosynas emissi, inciderunt in similem peregrinorum turbam, in Murronem causa Indulgentiæ euntium, eisque suadere modo omni conabantur ne frustra eundo laborarent. Sequenti autem die, cum vellent iter institutum prosequi, subito excæcati quærebant viæ ducem : unde admoniti dixerunt ad invicem Justo Dei judicio id evenit nobis, quia heri explosimus Indulgentiam, ad quam populus iste properabat. Voverunt ergo, quod si visum recuperarent per merita S. Petri, etiam ipsi illuc accederent ad lucrandam Indulgentiam; nec de ea amplius contemptim loquerentur. Exauditi autem a Deo et Sancto ejus, pristinam receperunt videndi facultatem, et votum suum impleverunt. Addit auctor antiquus, numquam aut raro Indulgentiæ istius anniversarium recurrere, quod non aliquo insigni miraculo honestetur. Sanctus vero, postea Neapoli existens, die XXVIII Novembris concessit multas particulares Indulgentias, certis diebus impetrandas ab iis, qui visitarent eccle- F sias monasterii S. Spiritus Sulmonensis aliorumque ab eo dependentium, quæ ecclesiæ ab ipsius in Papatu nomine vulgo appellantur Cœlestinorum.

punitis eam contemnentibus,

92 [Neque solum veritatem istius indulgentiæ, inquit in Vita Italica Tellera, voluit miraculis comprobatam Deus, sed etiam valorem : refertur enim quod Fr. Vincentius Frederici, celebris sui temporis concionator, sub anniversariam recurrentis Indulgentiæ diem Aquilæ præsens, rogaverit Superiorem monasterii, ut sibi committeretur sermo habendus ad primas Vesperas, quod facile obtinuit. Sed cum pridie aliquibus civium indicasset, validis rationibus se comprobaturum eorum sententiam qui sustinent, Indulgentiam istam, non esse consueta Plenaria majorem, et quidem in Conciliis generalibus antiquatam, adeoque abolendam illius promulgandæ consuetudinem, sparsa per civitatem fama sic temere dictorum verborum, plebem sic contra ipsum commovit, ut ab inferendis ei manibus ægre potuerit a nostris Patribus coerceri. Ille autem ex eo tempore humanum omnem sensum memoriamque videbatur amisisse : adeo ut cum ex amicis, eum ad se revocare volentibus, aliquando aliqui verbatim ei Ave Maria prælegerent, numquam potuerit verba repetere. Interim urgeri videbatur ad mortem letali infirmitate

aut dubiam facientibus.

A infirmitate quæ ei supervenerat, sed in hac lucidum aliquod intervallum indulgente Sancto, suam ipse culpam agnovit; eoque invocato sensum ac memoriam recepit, tantumque virium ut potuerit per mediam civitatem supplicabundus ad ecclesiam Collis madii pedibus ire, fune ad collum substricto, ibique veniam deprecari. Quam ille quidem consecutus est, non tamen sanitatem: siquidem recrudescente morbo reversus in patriam, haud diu post vitam ibidem commutavit cum morte; exemplum daturus aliis, nimis quam facile explodere solitis Indulgentiam Cœlestini, ut caveant indignationem Domini ac servi sui super ipsos venturam, nisi resipiscant.] Nunc istis velut in transitu dictis, ad Cœlestinum revertamur.

Prospicit ecclesiis vacantibus:

93 Didicerat ille quidem Latinam linguam, sed desuetudine longa amiserat prompte culteque loquendi facultatem; hinc libentius utebatur idiomate vulgari: et Cardinales, existimantes eum illitteratum esse, eadem cum illo lingua in consistorio loquebantur. Verba tamen publice non nisi parcissime faciebat, et nunc uni nunc alteri assistentium injungebat ut dicerent sua vice ac nomine id quod erat
B respondendum, sicut hodieque Principes multi solent facere in publicis audientiis. Quia autem per diuturnam Apostolicæ Sedis vacationem etiam multæ ecclesiæ, non solum Cathedrales, sed etiam Patriarchales insigniaque monasteria vacabant Prælatis, curavit eis quam primum consulere absque acceptatione personarum. Ditionum etiam Pontificiarum necessitatibus in utroque statu satagens providere, Gubernatores Legatosque instituit. Et hujus solicitudinis specimen extat in Historia Bononiensi Cherubini Ghirardaccii Augustiniani lib. 10, ubi Nobilem virum Robertum de Gomay, Romandiolæ totius Gubernatorem constituit, per Breve datum Aquilæ v Idus Septembris; quod vel ideo totum hic placet inserere; et ut intelligatur Cœlestinus, quamvis prudentia seculi fallaci ac fraudulenta careret, et per eamdem sæpe deciperetur ipse lucis filius; non tamen ineptum fuisse negotiis publicis administrandis, sed providum atque prudentem. Sic ergo, post consuetæ salutationis formulam, Roberto jam dicto scribit Pontifex.

Romandiolæ præficit

Robertum de Gomay in temporalibus,

94 Etsi exigente Pastoralis officii debito, de statu terrarum omnium, in quibus Romana mater Ecclesia obtinet principatum, proximis præservando successibus, prospicere teneamur; tamen circa terram provinciæ Romandiolæ, diutinus vexatæ hactenus mo-
C lestiis guerrarum, validis agitatæ procellis et dissidiorum diris incursibus laceratæ, tanto solertius artem intentæ considerationis extendimus, tantoque propensius reddimur de statu ipso feliciter dirigendo soliciti, quanto specialius ad nos et eamdem Ecclesiam noscitur pertinere, ut nostræ provisionis remedio suffragante prædicta provincia stabilis tranquillitatis dulcedinem sentiat, et Rectoriæ prosperitatis eventibus jucundetur. Levantes igitur in circuitu oculos mentis nostræ, personam tuam strenuitatis insigniis decoratam, discretione præditam, ac multiplicis probitatis titulis insignitam, ad exequendum in hac parte desiderium cordis nostri, duximus eligendam. Et ideo te in d. provincia Romandiolæ ac civitatis Bononiæ, Bretenorii, ac pertinentiarum eorumdem partibus generalem Rectorem in temporalibus duximus statuendum; in illis tibi plene Rectoris provinciæ officium committentes, petendi nihilominus et recipiendi, nostro ac ipsius Ecclesiæ nomine, civitates, castra, fortalitias, et loca quælibet, omniaque bona et jura, quæ in iisdem partibus ad nos et Ecclesiam ipsam pertinent, et quæ nobis et Ecclesiæ ipsi debentur; et ea defendendi ac Ecclesiæ conservandi, disponendi quoque, ordinandi, præcipiendi, puniendi, pœnas imponendi, et impositas exigendi, mandandi, ac insuper faciendi et exequendi omnia et singula in supradictis partibus, quæ ad nostram et ipsius Ecclesiæ jurisdictionem pertinent temporalem, et quæ prospero statui partium earumdem noveris expedire; contradictores etiam et rebelles, temporali discretione qua convenit, appellatione postposita, compescendi expressa tibi, tenore præsentium, plenaria potestate. Sic itaque præmissæ Rectoriæ officium et alia diligentiæ tuæ commissa, tamquam vir industrius, fidelis et strenuus, constanter et solicite prosequaris, quod tui officii ac aliorum tuæ industriæ commissorum executione laudabili, Deo gratus et apud nos commendandus appareas, nostramque et omnimodam Ecclesiæ gratiam uberius consequi merearis. D

EX ITAL. MARINI.

Jubetque inflictas ab aliis mulctas moderari:

95 Accipiens autem quod ejusdem provinciæ Rectores ipsorumque officiales, diversis Rectoriatus temporibus, condemnationes fecerunt et pœnas inflixere diversas, ad quarum satisfactionem seu solutionem ipsorum condemnatorum non sufficiebant facultates; Nos, inquit, licet nolimus excessus delinquentium præterire inultos, tamen pia meditatione pensantes, quod in Arca fœderis Virga continebatur et Manna, volumus super hujusmodi pœnis et condemnationibus illam moderationem et temperantiam debitam observari, quod delinquentibus congrua castigatione punitis, lenimentum misericordiæ omnino non desit, nec aliis tribuatur materia delinquendi. Itaque eidem Roberto per Breve, similiter v Idus Octobris signatum, mandat, quatenus pensatis attentius et consideratis excessibus, injuriis, offensis, delictis, conditionibus personarum seu locorum, prædictas pœnas et condemnationes moderare studeat, prout secundum Deum juxta suæ discretionis arbitrium viderit faciendum, super his plenam et liberam ei faciens potestatem. Deinde III Idus Septembris Mag. Petro Archipresbytero Ecclesiæ de Buclanico Theatinæ diœcesis, iisdem partibus Legato a se lecto, sic scribi fecit: Cum habearis discretione præditus ac solicitudine circumspectus, dignum duximus ut te nostris et Ecclesiæ servitiis deputemus, quem nobis industrium et fidelem tua merita repræsentant. Cupientes itaque ut status provinciæ Romandiolæ ac civitatis Bononiæ, Bretenorii et pertinentiarum eorumdem prospere conservetur, ac eorum negotia a Rectore salubriter dirigantur, tibi in eisdem partibus jurisdictionem in spiritualibus auctoritate Apostolica duximus committendam, usque ad nostræ beneplacitum voluntatis. Denique eodem die scribens Archiepiscopo Ravennati, Episcopis, Abbatibus etc. universis quoque Nobilibus Potestatibus seu Rectoribus Provinciæ, mandat, quatenus eumdem Petrum benigne recipientes, et honore debito pertractantes, eidem in omnibus quæ ad eamdem jurisdictionem pertinent intendere et obedire curent. E F

in spiritualibus Petrum Archipresb.

CAPUT IX.

Cœlestini constitutiones variæ, profectio Neapolim.

Renovat legem conclavis:

Qua ratione ipsius Romanæ urbis regimini prospexerit Cœlestinus, non invenitur expressum: est tamen verosimile quod illuc miserit Matthæum Cardinalem Ursinum, magnæ experientiæ virum; quem reperimus fuisse Romæ cum Neapoli erat Pontifex. Considerans autem eorum qui tunc erant Cardinalium paucitatem, et exiguam inter ipsos concordiam, libertatem etiam quam illi sibi arrogaverant mutandi vacante Sede loci, et electionem ubi et quando placitum erat faciendi: utrique malo mederi cupiens, primo

EX ITAL. MARINI *creat Cardinales 12,*

A primo decrevit eorum augere numerum, sic facilius habiturus ministros fideles, per quos a contentionibus istis remotos facilius Ecclesiastica negotia curarentur. Itaque post Idus Septembres, conscio Rege ac tribus Cardinalibus dumtaxat, Hugone Alverno, Matthæo Ursino, et Jacobo Columna, ceteris in Consistorium advocatis, eorumque sententiis requisitis, nominavit duodecim Cardinales; gaudente Rege, ad cujus suggestionem plerique lecti fuisse credebantur, et in his Franci septem; gaudente etiam Cardinali Cajetano, cujus ex Fratre nepos Benedictus inter alios quinque unus erat; non item Cardinale Ostiensi, vidente frustratam spem, quam pro suo quodam nepote habuerat. Legem quoque Gregorii X in Concilio Lugdunensi latam, de ritu et forma tenendi conclavis, suspensam ab Adriano Papa V, et abrogatam a Joanne XXI, renovavit; quam deinde Bonifacius VIII, nulla Cœlestini mentione facta, inseruit sexto Decretalium tit. de Electione, Cap Ubi periculum. Sed Cœlestini revera id opus esse, agnovit Jacobus Cardinalis S. Georgii: qui licet vehementer improbet consilium, ut periculi plenissimum, propter ea quæ mortuo Clemente V anno MCCCXIV contigerunt
B Carpentorate, conclavi dum in eo essent Cardinales incenso eorumque ædibus spoliatis; ipsa tamen illius usque in præsens tempus observantia numquam intermissa; ostendit utilissimum plane ac necessarium fuisse.

confirmat ordinis a se instituti statuta, et privilegia auget,

97 Postea cogitare cœpit de Congregatione quam instituerat magis magisque stabilienda, spe magna ductus totius Benedictini Ordinis ad ejus exemplum reformandi. Ergo ibidem Aquilæ v Kal. Octobris ampla eidem contulit privilegia, quæ passim extant in Bullariis, scribens Dilectis filiis Onufrio Patri Abbati monasterii S. Spiritus de Sulmona Valvensis diœcesis, ejusque Coabbatibus et Prioribus ac Prælatis, monasteriorum, prioratuum, membrorum et locorum eidem monasterio S. Spiritus subjectorum, eorumque conventibus, collegiis et Fratribus Ordinis S. Benedicti, præsentibus et futuris in perpetuum, hoc principio: Etsi cunctos Ordines, plantatos in agro sacrosanctæ ac universalis Ecclesiæ, paternis prosequamur affectibus, et ad statum ipsorum tranquillum et prosperum solicite intendamus: Beati tamen Benedicti Ordinem (in quo, dum juventutis nostræ progressio ordiretur, Professionis nostræ vota devovimus) singulari et præcipua affectione diligimus, et zelo sincerioris et strictioris
C caritatis afficimur circa ipsum: et ad suæ stabilitatis et promotionis incrementa felicia opem operamque solicitam impendentes, speramus in Domino, quod idem Ordo, ab antiquis annis in divinæ laudis caritate fundatus, per vestræ solicitudinis studium... restauratus, amissi luminis propriam reassumere poterit, in summæ lucis (quæ Christus est, potentia, claritatem. Cupientes igitur ut circa præfatum Ordinem hujusmodi nostræ caritas affectus eniteat operis per effectum. Statuta, Constitutiones, Instituta et Ordinamenta, in eodem Ordine pro salute vestra facta, auctoritate Apostolica confirmamus, et canonice imposterum facienda volumus et mandamus ex tunc inviolabiliter observari.

eique aggregat monasterium Casinense,

98 Spem hanc magis postea promovit, Neapolitani itineris occasione divertens Casinum, [ubi Thomas de Rocca duodecimum tunc annum Abbas præerat] hortans monachos ut ab se institutæ Congregationi Casinense monasterium aggregari paterentur, simulque habitum admitterent, cum ejusdem instituti sodalibus concolorem. Quomodo autem id successerit, apud Casinenses scriptum reperit Arnoldus Wion, indicavitque in Annotatione ad cap. 9 lib. 1 Ligni vitæ, asserens in expositione Regulæ Benedictinæ, scriptæ a D. Richardo ibidem Monacho, super cap. 21 Regulæ de Decanis monasterii, D
sic legi: In anno Domini MCCXCIV mense Octobris, Indictione VII (imo VIII jam inchoata a Septembri, Cœlestinus autem et Bonifacius successor non inveniuntur notasse Indictionis annos) Domnus Cœlestinus Papa V, qui antea vocatus fuit Fr. Petrus de Murrone, homo magnæ sanctitatis, venit ad monasterium Casinense; et volens dictum monasterium unire Religioni suæ, induxit Monachos pro majori parte, ut reciperent suæ Religionis habitum, qui habitus erat coloris camelini et vilissimi panni, et misit de monachis suis quasi quinquaginta. Primo nos fueramus nigri, et mutavit nomen Decani, qui post ipsorum adventum vocatus est Prior. Adveniente proximo festo S. Luciæ renuntiavit Papatui in civitate Neapoli, cui successit Domnus Bonifacius VIII, qui primo nominatus fuit D. Benedictus Cajetanus, homo maximæ scientiæ et probitatis de Anania: et revocavit omnia facta per d. Cœlestinum, exceptis Cardinalibus quos idem Cœlestinus fecerat: et ego fui unus de revocatis, qui fueram effectus Abbas monasterii S. Justinæ de Padua. [Hactenus Richardus, unde Wion et ex eo Marinus inducunt E
Angelerium II, Ordinis Cœlestinorum, Abbatem LXII, tamquam hoc ipso anno institutum, et anno sequenti mense Martio mortuum. Sed qui post eos elogia et seriem Abbatum Casinensium texuit Marcus Antonius Scipio Placentinus anno MDCXXX, Thomam Abbatem LX in vivis retinet usque ad Nonas Junii anni MCCLXXXXVI; cui eodem anno ac mense suffectus a Bonifacio sit Pontius Abbas LXI, ac sexto post mense defunctus successorem acceperit anno MCCLXXXXVII Angelerium, ex eorum quidem numero quos Cœlestinus Casinum direxerat, sed a Bonifacio consecratum: cui auctori, publica documenta secuto, tanto certius credimus, quanto apud Richardum minus invenimus, mentionem ullam mutati aut constituti a Cœlestino Abbatis.]

non tamen Abbatem novum ibi constituit

fovet paupertatis Franciscanæ zelatores,

99 Atque hac occasione confirmati a Cœlestino Ordinis dicta sunto: qui dum adhuc Aquilæ moraretur, quidam ex Ordine Fratrum Minorum primigeniæ paupertatis zelatores, uti narrat Marcus Ulissiponensis parte 2 Chronicarum lib. 5 cap. 27 et sequentibus, quorum præcipui Conradus Offidanus, Jacobus Tudertinus, Petrus de Monticulo, Thomas de Trevio, aliique, evectionem Cœlestini suam esse occasionem rati, de consensu Fr. Raimundi, haud ita pridem creti Ministri Generalis, decreverunt ex suo numero mittendos ad eum Fr. Petrum Macera- F
tensem ejusque socium F. Liberatum, qui illi ante Papatum familiares fuerant, suumque zelum ei valde probaverant, ut a sua Sanctitate, nomine omnium Religiosorum in strictiori observantia Regulæ vivere volentium, facultatem impetrarent vivendi extra obedientiam laxiorum; sic ut hi, concessis sibi utentes privilegiis, non possent ipsis esse impedimento, volentibus ad litteram id servare quod profitendo voverant. Papa autem Cœlestinus, qui multos Sanctos ex Ordine cognoverat, vir sincerus et paupertatis atque humilitatis Evangelicæ æmulator studiosissimus, petitione ipsorum intellecta vehementer laudavit consilium, mandans Fr. Liberato et socio ejus, ut conarentur vitam quam maxime possent spiritualem ducere, secundum Regulam S. Francisci aut etiam magis: addens se quoque voluisse ejusmodi paupertatem apud suos inducere, sed quia multiplicari eos optabat, congruum duxisse eisdem proprietatem bonorum temporalium concedere. Itaque absolvit eos ab obedientia Ordinis, cum facultate alios similiter absolvendi, atque ad suam observantiam adjungendi. In litteris autem desuper expeditis, mandavit, ut eis tamquam sibimet ipsi obediretur; pro bono tamen pacis servandæ, voluit ut vocarentur,

eosque eximit ab obedientia Ordinis

A tur, non Fratres Minores, sed Pauperes eremitæ; quos alii deinde appellaverunt Eremitas Domini Cœlestini. Ultra hæc commendatitias eis dedit ad D. Neapolionem Ursini, Cardinalem S. Adriani, virum liberalem et benignum promotorem causarum piarum. Quæ tam prospera initia reformandæ observantiæ, licet tantum non fuerint post Cœlestini abdicationem dissipata, ab his tamen ortum habuerunt Clareni, qui hodieque perseverant, inquit Marcus, sub annum MDLX scribens.

Sulmonæ Cardinalem unum creat;

100 His aliisque rebus peractis decretum habebat Cœlestinus Romam migrare cum Curia universa: sed Carolus, privati sui commodi quam communis studiosior, persuasit ut Neapolim prius adiret. Quod cum esset Cardinalibus indicatum probatumque, plures eorum, ne simul omnes proficiscentes arctiora sibi in mensa hospitioque facerent omnia, eo versum prægressi sunt: ipse vero Cœlestinus in viam se dedit Sulmonamque petiit initio Octobris. Hic vero cum esset, contigit mori unum e duobus, quos de suo Ordine Cœlestinus creaverat Cardinalibus, Petrum nomine: in cujus locum cum ille, non expectato ordinario Quatuor-temporum proximi Decembris recursu, nec quæsito consensu Cardinalium, aut absentium habita ratione, in monasterio ipso S. Spiritus Archiepiscopum Beneventanum suffecisset; initium hoc fuit gravium quas passus est molestiarum. Eodem tempore et forsan eodem die, Sanctis Martyribus Dionysio ac sociis sacra, facta est dedicatio altaris Majoris in ecclesia S. Spiritus, cujus anniversarium toti Ordini pergit haberi festivum, reperiturque fides facti descripta his verbis: Hæ sunt Reliquiæ, quæ reconditæ sunt in hoc venerabili altari majori S. Spiritus de Murrone, quod sacravit Cœlestinus V, sub nomine Domini nostri Salvatoris MCCLXXXXIV. Imprimis de ligno sanctæ Crucis, de lacte B. Mariæ Virginis, Apostolorum Petri, Pauli, Andreæ et Thomæ, Stephani Protomartyris, Cosmæ, Felicissimi, Antonii et Agapiti Martyrum, Gregorii et Leonis Pontificum, Agathæ Virg. et Mart. Restitutæ Virg. Et eodem anno obiit quidam Cardinalis, et fuit hac die nona Octobris: et die sequenti fuit dedicatum altare S. Onufrii in cella: et est hic et ibi absolutio plenaria omnium peccatorum, concessa per Cœlestinum Papam, omnibus hanc ecclesiam annuatim visitantibus. Post dies autem aliquot in sancti Spiritus actos cum monachis suis, ut par est credere, Sulmonæ etiam in ecclesia S. Pamphili sacrum Missæ officium C celebravit: ibique, sicut ante et postea in itinere, varia fecit miracula, quorum aliqua jam memorabo.

et in Murrone altare dedicat,

Neapolim proficiscens

101 Relegebat eamdem qua venerat viam, et Rajano transiens (locus est in valle Sulmonensi) ipso aut potius altero itineris cœpti die sanavit Amatam illam contractam, ad viam publicam delatam a patre, de qua alibi dictum: cumque ad sancti Spiritus prope Sulmonam venisset Angela, etiam alibi memorata, toto corpore quadriennium tumida atque inutilis, a Thoma marito suo duci se illuc super asinam fecit: sed Pontifex jam Sulmonam celebrandæ Missæ causa abierat. Quem prævertens maritus, antequam ille ad ecclesiam Cathedralem pertingeret, uxorem ex asina sumptam locavit ante fores. Hanc ergo alta voce clamantem ac dicentem, Sancte Pater, adjuva me quia infirma sum, ingrediens et egrediens Sanctus benigne respexit, ac singulariter benedixit. Postquam autem turba transiisset, rursus eam voluit Thomas super asinam collocare; sed illa jam libera ac sana pedibus ire voluit, ivitque: et miraculum forsitan ipsa quoque testata fuit post mortem Sancti; testati certe sunt, ex eodem unde advenerat ipsa S. Euphemiæ castro, D. Jacobus Testis XXXXVI, Fredericus Nicolai Testis LXXIV, Pe- trus de Lisa Testis LXXXVI. Ex membraneis etiam D manuscriptis habetur, quod Guillielmus Eques regius, toto corpore leprosus et in facie atque collo misere deformatus, similiter Sancto obviam iverit; susceptaque benedictione statim apparuit toto vultu immutatus, et suum sospitatorem porro Neapolim usque deduxit, adjunctus aliis Sanctum comitantibus.

sanat infirmam,

leprosum

EX IT L. MARINI.

102 D. Maria Gualterii de Sulmona, Testis XXI, filium habuit Laurentium, annorum quinque, quando Sanctus Missam dixit in campis ante ecclesiam sancti Spiritus, exindeque manserat usque ad annum ætatis octavum, contractus membris ac gressu privatus. Hunc ipsa, cum illum jam factum Pontificem ibi esse audiret, tulit humeris suis ad fontem, cellæ ipsius propinquum, et in eo lavit: qui continuo sanatus suis pedibus redivit Sulmonam cum matre, mortuus autem erat quando id Maria coram Judicibus Apostolicis deposuit anno MCCCVI. Eadem promotione audita, chirurgus quidam Capuanus, nomine Mag. Stephanus Bricii, pro magna quæ circumferebatur sanctitatis fama, videre Cœlestinum cupivit; cumque in hoc desiderio obdormivisset, in somno eidem apparuit Sanctus, ad litus maris genuflexus: a quo Stephanus indulgentiam suorum pec- E catorum petiit, atque ut pro peccatis populi exoraret Dominum. Respondit autem Papa, Libenter fecero, sed etiam tu ora pro me. Cui Stephanus, Ecquid autem dicere ego potero? Quod, inquit ille, tibi inspiraverit Deus. Tum Stephanus, durante adhuc somno, quamdam orationis formam concepit; et mox expergefactus, metuensque ne sibi elaberetur de memoria, inclamavit famulam, ut atramentum sibi calamumque adferret; atque hæc verba scripsit, quotidie deinceps devote recitanda, Deus qui B. Petrum, Monachum et Eremitam, ad Papalem dignitatem, non humana, sed divina provisione, sublimare dignatus es; præsta quæsumus, ut sicut ipsum in carne ad tua sancta servitia constituisti humilem et fidelem, sic eumdem in mente facias cœlestem gloriam adipisci, et nos pro ejus meritis ab infernalium et terrenorum insidiis et judiciis liberemur. Per Dominum nostrum etc. Ita ipsemet retulit Testis X.

et contractum,

apparet se videre cupienti in somnis,

dictatque orationem pro se dicendam:

103 Judex Antonii de Aversana, Capuanus Medicus, Testis XII, de viro quodam Matalonensi retulit, quod squammis obductos habens oculos omnino amiserat videndi facultatem; ad quem curandum evocatus ipse, frustra suam artem expertus fuerat oculis illis depurgandis, quibus nihil vidit longo tempore (Faber et MSS. annos quatuor numerant) idque antequam Pontifex crearetur Petrus. Cum autem hic Capua transitum haberet, idem medicus ipsum istum Matalonensem vidit totum hilarem ac lætabundum, ac si grandem thesaurum invenisset: qui interrogatus num bene videret, Optime respondit video, idque acceptum refero sanctitati Fr. Petri. Similiter Mag. Stephanus Bricii prænominatus, eumdem hominem visum sibi esse asseruit, auditumque dicere, quod cæcus fuerit; ac publice coram multis profitentem tunc se illuminatum, quando sanctus Papa super oculos suos Crucis signum in particulari formavit. Rizardus de Pelegra, famulus Sancti in Pontificatu ac forte etiam antea, Testis V, vidisse se ait puerum ex oppido S. Germani, mutum a nativitate: qui cum esset Sancti benedictione sanatus, omnis populus accurrebat ad puerum, loquentem respondentemque audire cupiens.

illuminat cæcum,

et curat mutum.

104 Credibile est circa finem Octobris Neapolim advenisse Cœlestinum, ubi reperit Cardinales vehementer commotos, ob Beneventani promotionem, se inconsultis et absentibus factam; quibus pacandis hæc tandem inita ratio est, ut Cardinalatui renuntiaret

Neapolim appulsus et in castello novo receptus,

Ex Ital. Marini.

A tiaret Beneventanus, cum fiducia eumdem ceteris consentientibus recipiendi, quod et factum est. Utrum autem ibi aliquid in favorem Caroli egerit Cœlestinus, nemo explicat: hospitabatur autem in Castello, ut vocant, novo supra mare, ubi intra aulam quamdam amplissimi illius palatii etiamnunc sculpta cernitur renuntiatio Papatus, ibidem facta. Appropinquante deinde Quadragesima S. Martini, eamdem et Dominici Adventus tempus arctiori in silentio pœnitentiaque acturus (nam Quadragesimam sanctæ Crucis, propter distractiones itineris, minus potuerat observare) ligneam sibi cellulam fecit in secretiori parte palatii fabricari, quæ præter ipsum atque altare vix quidquam caperet. In hanc autem se recludentem ne opus esset interturbari pro quolibet negotio, tribus Cardinalibus potestatem omnem necessariam delegaverat, ad causas quascumque tractandas: quos licet nemo nominet, præsumere possumus ex singulis Ordinibus fuisse unum, ac verosimiliter Hugonem Arvernum Episcopum Ostiensem, Benedictum Cajetanum Presbyterum S. Martini, unumque ex Diaconis forte ipsummet Jacobum Cajetanum vice absentis Matthæi Ursini B primi Diaconi: nam Beneventanus Vice-cancellarii munere fungebatur. Sed prius quam super hac delegatione Apostolicæ litteræ, jam confectæ, consueta firmarentur Bulla; revertens Roma Ursinus disturbavit consilium, ne pro uno tres Papæ regere Ecclesiam dicerentur.

cellam sibi ad secessum struit.

CAPUT X.

Cœlestinus, abdicato Papatu, post electionem Bonifacii VIII, clam eo fugit ad solitudinem.

Animadversis Curialium fraudibus,

Dum istum in modum altercantur Cardinales, cœpit Cœlestinus ipse animadvertere, multa a suæ Curiæ ministris per fraudem contra jura Canonesque committi; et quandoque unam atque eamdem gratiam duabus aut tribus personis concedi, promoveri etiam multos minus dignos; quodque est gravius, inventæ sunt quædam chartæ puræ, ad quascumque liberet gratias inscribendas jam bullatæ: quæ licet in aulis Principum, quantumvis oculatorum fere ordinaria vitia sint; ipse tamen suæ senectuti et imperitiæ adscribebat specialius singula, animoque angebatur plusquam dici potest. Credo etiam tunc ei in manus venisse, et solicitudinem auxisse quamdam Fr. Jacoponi epistolam, quæ inter ejus rythmos C vulgariter impressos quinquagesimum quartum locum obtinet. In hac enim insignis ille mundi contemptor, et quem antea permagni fecerat Petrus, ipsum admonebat; videret etiam atque etiam, se, Pontificali dignitate elatum, admotum esse ad lapidem Lydium, ubi examinata ejus sanctitas, vera an ficta sit patesceret; positum esse in scopum, quo omnium intenderentur oculi; Curiamque Romanam assimilandam fornaci, in qua exploratur aurum scoriaque discernitur. Magnam sane infelicitatem esse, si Deum aliquis perdat propter ejusmodi buccellam: quodque suo collo jugum exceperit, quo forsitan trahendus esset in damnationem æternam: denique caveret sibi a fraudibus et technis curialium et adulatorum, nihil aliud quam commoda sua spectantium.

et accepta B. Jacoponi epistola,

106 Talibus exterius impulsus monitis, et interno cogitationum conflictu agitatus; manus immittit in librum, quem ipse in solitudine scripserat, proque suo privato solatio extulerat ab eremo, continentem Psalterium, et quædam collectanea ex jure Canonico, cum tractatu de vitiis ac virtutibus, variisque exemplis et sententiis sanctorum Patrum, ab ipsomet per titulos digestis: qui liber etiam nunc venerabiliter conservatur in monasterio Collis-madii D [nunc vero etiam sub titulo Opusculorum habetur impressus Neapoli, anno MDCXXXX cura Cœlestini Telera Sipontini] unde apparet Cœlestinum non adeo fuisse imperitum quam aliqui existimarunt, quin potius in Canonibus æque ac Scripturis versatum satis commode. Ibi autem requirens aliquid ad suam in hoc discrimine instructionem, folio 99, sub titulo De renuntiatione et numeris CXXX atque CXXXIII notatis in margine, reperit hæc ipsissima verba: Simplici beneficio potest renuntiare quis sicut vult: sed Prælaturæ non nisi ex causa et licentia, scilicet propter humilitatem et meliorem vitam, propter conscientiam criminis, debilitatem corporis, defectum scientiæ, malitiam plebis, et irregularitatem personæ. Episcopus autem renuntiare non potest nisi in manu Papæ: sed alia renuntiatio debet fieri in manu ejus a quo habetur institutio. Folio etiam 121 sub eodem titulo et numero marginali scriptum invenitur: Item si quis vult renuntiare, vocet Superiorem nuntio, ut recipiat concessionem ipsius. [Habentur ea verba nunc sub uno titulo simul edita pag. 419 Opusculi XI parte 2 cap. 6] suntque extracta ex sacris Canonibus in Decreto ad Causam VII quæst. E I. et in Decretali Gregorii de Renuntiatione Cap. Admonet; ac specialiter relata in Decreto Innocentii III Cap. Nisi cum pridem.

cogitat de Papatu abdicando:

et legit quæ ipse in eam rem scripserat:

107 Sed hæc omnia non solvebant dubium, quod postea etiam Scholas Universitatesque distraxit et torsit, utrum ista caderent in renuntiationem Papatus, cui nulla superior dignitas est, quam loca jam signata supponunt. Postquam autem ipso effectu patuit, quid consilii secum agitaverit Cœlestinus; sparsa per urbem fama est (sicut deposuit Petrus Grassus Notarius Regius Testis VIII) divinitus Cœlestino allapsas esse has Christi voces, Quid prodest homini si universum mundum lucretur, animæ vero suæ detrimentum patiatur? Atque hinc fortasse nata est turpior fabula, a Genebrardo aliisque credita, quasi mala fraude aliquis per cannam eidem dormienti insonuisset ut se Pontificatu abdicaret. Modum rei gestæ et deliberationis totius ordinem clarissime exposuit Jacobus Cardinalis, et quomodo post dies aliquot convocato Cardinalium Consistorio, ipsam iis exposuerit; qui primum absolute dissuaserint cessionem, deinde moram saltem tantillam petierint, donec indicta supplicatione publica cleri ac populi divina voluntas certius exquireretur. Quid inde successerit habemus ex Ptolomæo Lucensi qui F Processioni interfuit, factæ circa festum S. Nicolai [verosimiliter pridie, id est quinta Decembris, tunc in Dominicam cadente.]

tum re communicata cum Cardinalibus,

108 Jamque videbatur alia omnia cogitare Cœlestinus, sive revera flexus precibus populorum, seu potius prudenti dissimulatione sopitas volens turbas in populo subortas: cum accersito secretius Cardinali Cajetano, denuo ipsum consuluit: qui (ut ait S. Antoninus parte 3 Tit. 2 cap. 8 ante art. I.) sciens desiderium Pontificis de resignatione, suasit ei, ut antequam ad hoc procederet, ad tollenda scandala quæ possent contingere, prius faceret Constitutionem, qua declararetur, quod Romanus Pontifex posset cum vellet pro salute sua cædere Papatui et renuntiare, exemplum inducens Clementis Papæ, qui creatus Pontifex a B. Petro renuntiavit Papatui, ne illud in consequentiam et exemplum duceretur, ut per voluntatem et electionem prædecessoris successor in dignitatibus Ecclesiasticis institueretur: unde Linus post Petrum sedit, post Linum Cletus, post Cletum Clemens tunc Sedem accepit. Placuit hoc Cœlestino, et Decretum super hoc edidit, quod habetur Extravag. de Renuntiatione lib. 6 ubi dicit Bonifacius. Quoniam aliqui curiosi, disceptantes de iis quæ

præsertim Benedicto Cajetano,

Constitutione edita quod liceat Papæ se abdicare,

A quæ non multum expediunt, et plura sapere quam oportet contra doctrinam Apostolicam temere appetentes, in dubitationem solicitam, an Romanus Pontifex, maxime cum se insufficientem agnoscit ad regendum universalem Ecclesiam et summi Pontificatus onera supportanda, renuntiare valeat Papatui ejusque oneri et honori, deducere minus provide videbantur; Cœlestinus Papa V prædecessor noster, dum ejusdem Ecclesiæ regimini præsidebat, volens super hoc hæsitationis cujuslibet materiam amputare, deliberatione habita cum suis Fratribus Ecclesiæ Romanæ Cardinalibus (de quorum numero tunc eramus) auctoritate Apostolica statuit, Romanum Pontificem posse libere resignare....... Facta igitur prædicta Constitutione, in festo B. Luciæ sequenti in publico consistorio coram omnibus Cardinalibus deposuit mitram Papalem, et alia insignia Papalia, renuntians publice Papatui et omni juri ejus.

id reipsa facit 13 decembris

109 Hactenus Antoninus, qui utinam, aut alius pro eo, ipsam Constitutionem verbotenus retulisset! Certe quod videtur indicare eam pridie S. Luciæ Cardinalibus prælectam, non concordat cum relatione Jacobi Cardinalis, ipsam renuntiationem inexspectatam Cardinalibus accidisse dicentis, et tum B primum suggerente Cardinali Ursino factam esse mentionem de Constitutione in futurum condenda: qua ab ipsomet Ursino scripta, et a Cœlestino ceterisque ex Ordine Cardinalibus signata, primum acceptata perfectaque fuerit renuntiatio. Hujus formulam, nescinus unde acceptam, primus protulit Ciacconius hujusmodi. Ego Cœlestinus Papa V, motus ex legitimis causis, id est, causa humilitatis et melioris vitæ et conscientiæ illæsæ, debilitate corporis, defectu scientiæ, malignitate plebis, et infirmitate personæ, et ut præteritæ consolationis vitæ possim reparare quietem, sponte ac libere cedo Papatui, et expresse renuntio loco et dignitati, oneri et honori; dans plenam et liberam facultatem ex nunc sacro cœtui Cardinalium eligendi et providendi, dumtaxat canonice, universali Ecclesiæ de Pastore. Sunt tamen quibus suspecta hæc formula sit, aut salem videatur interpolata ex libello superius allegato [verum cum eadem fere omnia referantur a Cardinali Stephanescio

ex formula præconcepta.

———Senium, mores, inculta loquela,
Non prudens animus, non mens experta, nec altum
Ingenium———non video, nisi solam Plebis malignitatem, quæ possit in dubium revocari, quia ejus non meminit Stephanescius: nec est absimile C vero quod eas omnes causas, quas ipse in suo libello notaverat olim, Sanctus pro sua humilitate crediderit in se ad abdicationem sufficientes; etsi revera non erant in gradu tam prægnanti, cum ex dictis constet, non omnino mediocriter litteratum Canonumque expertem fuisse.]

Electus successor Bonifacius

110 Renuntiatione peracta, credibile est Sanctum in aliquam cellam recepisse sese, ubi quod reliquum erat Adventualis jejunii absolveret, et futuræ Electionis præstolaretur eventum, quatenus Successori suo posset de peccatis confiteri, plenamque ab eo absolutionem accipere. Et electus quidem in Vigilia Natalis Domini Benedictus Cajetanus est, dictus Bonifacius VIII: qui primum benigne Petrum excepit: sed in animo habens eum secum abducere Romam, aut saltem extra ditionem Regis Caroli, minime gratum habuit, quod petiit ad suam eremum dimitti: [quin potius ei imperasse videtur, idque insinuat Cardinalis Stephanescius ut Romam se conferret, ejus deducendi curam commendans Abbati Casinensi. Hic eum certe comitatus est, nec id potuit invito Bonifacio fecisse, multo minus secutus fuisset honorificus ille ac numerosus Cardinalium ac Principum virorum comitatus, quem cap. 33 Faber describit, si contra expressum Pontificis mandatum fuga clam inita fuisset. Deductio D ergo hæc, in speciem causa honoris facta, revera ad cautelam custodiæ ordinata a Bonifacio fuit. Quod intelligens Petrus, contraque fidem sibi datam id esse ratus, aut saltem præter intentionem cum qua Papatui cesserat; statuerit non solum sine crimine, sed etiam impune sibi futurum, si ad Caroli Regis regnum solitamque solitudinem se reciperet: nec ausurum quemquam istic sibi inferre molestiam, ubi talem esset habiturus protectorem.] Ut ut erat, intentionem fugæ tunc adhuc ocultam ab omni culpæ suspicione liberavit Deus, quando ad ejus per Casalenovum transeuntis benedictionem, sanavit puellam manu utraque contractam. Abbas autem curationem puellæ plenius experiri desiderans, duos Carolinos argenteos in terram projecit, jubens ut ipsa sibi eos collligeret: quod puella solutis et expeditis manibus perinde fecit, ac si numquam paralysi contractæ fuissent.

jubet ut Romam eat

EX IT L. MARINI.

Ille curata paralytica,

nocturna fuga custodes suos fallit cellam repetens:

111 Cum autem ad S. Germanum, ad pedem montis-Casini positum, ventum esset; ibique in monasterii ipsius hospitali domo nox esset agenda; Presbytero cuidam bono ac pridem noto, consilii sui arcanum revelavit Petrus, adjurans ne cuiquam illud aperiret. Implevit hic non solum fideliter quod erat adjuratus, sed etiam auxilium porrexit: jumento siquidem ministrato eadem nocte latenter ipsum perduxit in domum suam, verosimiliter a via communi abjunctam, cum uno solo comite, ubi diem istum egit; noctu vero iterum profugiens, equo vectus, pristinam S. Spiritus cellam repetiit. Cives autem Sulmonenses ceterique accolæ adventanti occurrerunt cum incredibili exultatione: visusque est infirmis omnibus suus rediisse medicus, in quibus Joannes de Lisa paralyticus eodem accurrit asino invectus, postea autem Testis CLXXV juratus deposuit, se benedictione et attactu Sancti sanatum esse. Idem affirmavit ejus uxor Gemma, Testis CLXXVI in Summario miraculorum post renuntiationem. Interim Bonifacius, ab Neapolitana urbe ut melius potuit sese expediens, initio anni MCCLXXXXV occurrit Abbati Casinensi et aliis, qui Petrum Romam deducturi præcesserant; intellectaque ejus nocturna fuga, expedivit post eum Camerarium suum, non Thomam, sed Theodoricum Urbevetanum; qui Petrum jam in cellam reductum reperit, et recessus sui causam rationabili responso reddentem audivit. Addit MS. unum, quod Petrus statim deposuerit vestem qua fuerat usus delicatiorem, puta albam, et vilem quali assueverat tunicam sumpserit. [Verum hoc in ipsa Renuntiatione factum videtur Stephanescius Cardinalis indicare, cum ait quod Sanctus die illa

unde extrahendus

———Habitus mutaverat omnes
Papales, chlamidem vestitus terga pilosam.]

per 2 menses occultus latet,

112 Interim discesserat Camerarius, sed ab occurrente sibi nuntio cum novis mandatis redire compulsus, cum Sanctum reperire non potuisset, repertos in ejus cella simplicissimos duos Fratres ad quæstionem abduxit; quorum alter infirmus, cum sequi nequiret, dimissus est; alter Anagniam, quo condixerat Pontifex, est adductus et carceri mancipatus: quem quidem Angelum de Caramanico in quibusdam MSS. nominatum invenio. Sanctus vero post actum in suis latibulis Januarium ac Februarium menses, recepit se in quamdam Apuliæ silvam, vili in habitu et posita quam gestare solebat cuculla, uno cum socio, qui videtur fuisse Thomas Sulmonensis; nam et captivum postea est secutus, et Prior S. Spiritus factus testimonium dixit de miraculis eo itinere patratis. Retulit autem, quod cum vespere quodam hospitium in uno obviorum castellorum quærerent, pueri omnes, qui eo tempore (ut fit) in vicis pla teisque

rursumque fugiens passim agnoscitur.

EX ITAL. MARINI.

A teisque ludebant, subito cœperint simul omnes ac sæpe clamare; Fr. Petrus de Murrone, Ecce Fr. Petrum de Murrone, Ecce Sanctum illum Fr. Petrum de Murrone. Die altero, cum in quodam oppido subsisterent, vidit eos loci Parochus, secutusque ad hospitium quo diverterant, dixit Sancto, Certe tu es Fr. Petrus de Murrone. Quarto autem die perveniens ad silvam quo tendebat, cellam eremiticam repererunt, in qua vivebant Eremitæ duo; senex unus et valetudine debilis, juvenis alius; qui licet numquam vidissent Sanctum, agnoverunt tamen, salutantesque dixerunt, Certe tu es Fr. Petrus de Murrone, lætanterque eum exceperunt. Currebat tunc sanctæ Quadragesimæ tempus, XVI Februarii inchoatæ; ibi ergo se reclusit Sanctus usque ad Dominicam Palmarum, cadentem in XXVII Martii, quia Pascha illius anni celebratum fuit III Aprilis.

iterum requiri se sentiens,

113 Fama interim Sancti, in illa silva latitantis, nescio qua via erumpens, pervenit ad quemdam Ordinis Benedictini et nigri habitus Abbatem monasterii Coratæ: qui sive devotionis causa, seu explorandi et Carolo Regi qui quæri Petrum adducique jusserat gratificandi studio, illuc excurrit cum septem monachis; B silvamque scrutatus totam quidem est, sed quod Sanctum repererit, ut credidit Faber, verosimile non est. Quænam porro silva illa fuerit, nec scriptum est, nec facile divinaveris: dicunt enim quod ex Aprutio in Apuliam eunti tota regio silvosa appareat. Prius tamen quam Apuliæ planitiem ingrediaris, per montes mediterraneos, inter ipsos montes circa Ariciam grandis est silva, quæ usque ad planitiem extensa a multis Eremitis habitatur. Sunt ibidem etiam aliæ silvæ, tum illa quæ a S. Leonardo, tum quæ nomen habet Incoronatæ inter Foggiam et Cirignolam, æque Eremitis frequens; quæ cum quatriduo distet Murrone, proxima autem sit monasterio S. Mariæ de Corata, propiorem etiam vero conjecturam præbet, quod ipsa sit illa de qua agimus. Hic ergo a prædicto Abbate se quæsitum intelligens Petrus, tutum non credidit ibi manere: sed de mari trajiciendo cogitare cœpit. Unum ergo ex fideliter sibi adhærentibus sociis (quorum utinam nomina fuissent memoriæ commendata!) misit ad monasterium S. Joannis in Plano versus montem Garganum, prope castrum Porcinæ (quod suppresso Abbatiæ titulo suo Ordini olim adjunxerat) et Priorem illius loci consuluit: qui consilium probans, de paulo transegit cum navicularis vicinis, ut navim C ad nutus suos paratam haberent.

trajecturus mare

transit ad montem Garganum:

114 Sabbatum Sanctum agebatur et secunda Aprilis, quando ad silvam revertit socius, et quid egisset annuntiavit. Ergo nihil ultra cunctatus, hospitibus Eremitis valedixit Sanctus, et ad prædictum monasterium S. Joannis ipsa feria secunda Paschali appulit: est autem sesqui diei iter inter ipsum et silvam Incoronatæ. Quem ubi Prior ac Monachi viderunt, qui circiter quadraginta tunc ibi erant, proruperunt in planctum, ut scribunt discipuli ipsius Sancti, estque per se nimis quam credibile: interque eos mensem fere totum egit Petrus, præstolans opportunam navigationi tempestatem. Talis cum tandem videretur affulgere, illeque jam esset conscensurus, iterum insurrexit mare, quasi thesaurum tantum extra Italiam ferre recusans. Sexto autem post die, cum illud jam pacatum videretur, navimque ascendisset Sanctus, rursus eum mare rejecit in littus, quinque millibus passuum ab urbe Vestia, ubi novem diebus occulti substiterunt; donec tandem, prodente eos fama ipsorumque nautarum suspicione, Capitaneo loci revelatus in urbemque inductus est, et ibi detentus donec consultus Bonifacius, quid eo factum vellet, renuntiaret. Non fuit inutilis Vestiensibus

repulsus ad terram semel iterumque

Vestiæ apprehenditur

mora illa: narrat enim Judex Jacobus Pasquitius D Testis VII, quod inter multos, pro recuperanda sanitate accurrentes ad Sanctum, advenerat etiam quidam dictus Judex Thomas, Judicis Laurentii filius, grave in collo apostema seu tuber induratum ferens, cui medici curam facere nullam potuerant: quem et liberatum viderit, et ab ipsomet audiverit meritis Sancti id sibi concessum. Dicitur etiam prope civitatem esse puteus, ad quem fuerit captus Sanctus (ac forsan jam captus ibidem quietis causa aliquantum resederit) cujus aqua devote sumpta, quotidianis experimentis comperiatur ad varios morbos utile remedium esse.

CAPUT XI.

Retractus a fuga Cœlestinus illustratur miraculis, et Fumone inclusus sancte moritur.

Ducendus ad Bonifacium

Secutus Bonifacium Anagniam Carolus, impetraverat ab eo Regni Siculi investituram die XXV Februarii; quare ab eodem, mense Martio ejusdem Regni coronam Romæ adepto, haud difficulter impetravit, ut Petrum ad se adducendum tuto honorificeque curaret, prout factum ejus discipuli scribunt, E æque acsi etiam tunc Pontifex ille fuisset. Quod autem suggerentibus, ut dignitatem, velut non rite depositam, resumeret, dicitur respondisse; id etiam ex ejus ore audivisse se ait discipulorum unus, qui reliquam sancti Patris vitam mandavit litteris. Ceterum ex miraculis quæ contigerunt per viam, facile intelligas, iter Vestia fuisse Rodiam, inde Foggiam, atque hinc forte Trojam (nam Luceriam adhuc Saraceni tenebant [inquit Marinus, sed fallitur: recepta enim erat a Christianis anno MCCLXVI]) deinde per Vallem gaudii finesque Beneventanos; denique Matalone, Capua, Theano, Miniano, Venafro, Aquino, San-Germano, Florentino, Anagniam. [Ea miracula jam partim ex Summario in Sylloge, partim ex Maffæo in Annotatis ad Vitam per Alliacum descripta sunt: et horum quidem primum de Petro paralytico, in Valle-gaudii curato, a Marino dicitur accidisse die VII Junii, uti et de Maria energumena, allegaturque fides Petri de Cremona Testis I. Die vero IX Capuæ curati dicuntur pueri duo, alius loquela, alius gressu privatus; de quibus idem Maffæus. Curationi Raimundi de Vairano scrofulas patientis, F ex ampliori Summario, additur ipsiusmet Raimundi fides Testis CCXI, et alterius Testis CCXV: et Robertinæ, similiter scrofulosæ, curationem affirmasse dicitur Testis CCXIII, et alii tres ex ordine sequentes. Venafranus quoque Petrus, pro seipso a cæcitate liberato, Testis CCVII comparuit; eique contestati sunt pater ejus Nicolaus Testis CCIX, chirurgus Simon de Casale Testis CCVII, et Nicolaus Dominæ Terentinæ de Venafro Testis CCVIII. Joannem quoque asthmaticum in castro Florentino curatum se vidisse, affirmarunt Testes CCXXXXVIII et IX. Castellanum autem cujus brachium curatum Maffæus ait, Faber aliique dicunt fuisse Præfectum turris cujusdam Capuanæ, positæ ad pontem in egressu urbis versus Teanum. Atque hæc strictim sufficit indicasse, et ad præcitata loca lectorem remisisse. Cetera quæ addi ex Marino possunt, nunc accipe.]

varia miracula patrat per viam:

sanat manum contractam,

116 Argentii erat quidam, manum alteram paralyticam atque contractam habens, quam suo contactu Sanctus sanavit. Quod cum evidentius probare vellet Petrus Grassus Notarius, Testis VIII ibidem assistens, curiosius exploravit hominis illius manum curatam; et considerans juncturas digitorum, vidit in cute afcris livorem pellis, et in palma ipsius manus, ad quam contracti digiti fuerant, quinque cavitates

A vitates ab iisdem impressas. Interrogatus autem a Grasso quomodo id ei acciderat, respondit, quia antea habuerit digitos intra palmam contractos, quos extendere cœperit tactus et benedictus a Sancto. Addidit autem Grassus, publicum fuisse sermonem de multis miraculis in via factis, quorum quidem ipse testis oculatus non fuerit, fidem tamen minime ambiguam habere se dixit. Petrus de Cremona Testis I, dixit, quod in castro Altavilla territorii Beneventani viderit manibus pedibusque contractum, qui Sancto se sistens curatus sit, cum ipsius Testis admiratione maxima, videntis eum manus extendere, et citra impedimentum ambulare. idem meminit energumenæ in Burgo-novo signo Crucis liberatæ.

cæcum illuminat,

117 Ex Manuscriptis autem et Fabro, præter jam memorata, habetur, quod die VIII Junii Feria IV ante festum S. Barnabæ, Matalonensis, quidam visu privatus, lumen reciperit oculorum, Sancto obviam occurrens in platea : et quod sequenti die IX Junii, meretrix publica Capuæ, joci causa potius quam devotionis obviam Sancto facta, mox atque vocem ejus audivit, tanta compunctione fuerit interius mota, ut delicias carnis serio aversata, cum

meretricem convertit,

B animo peccata præterita quam severissime castigandi, secesserit in solitudinem, ubi reliquam vitam sancte exegerit. Sunt qui addant, in eadem urbe etiam energumenam liberatam esse. Teani autem Nicolaum quemdam, mutum ab annis quindecim, loquela donatum facto Crucis signo : et a malignis spiritibus absolutos, mulierem ac puerum. Miniani, loco super viam publicam inter Teanum ac Venafrum sito, nunc destructo, dum ibi hospitabatur Sanctus, puella erat manibus capta et toto corpore debilis. De hac retulit Philippinus Surrentinus de Capua Testis XI, quod vidit eam adferri ad Sanctum, qui rogatus pro ea oraverit ipsique benedixerit : quodque infirma eodem momento manus extenderit, ac libere ambulaverit. Philippo autem attestati sunt Petrus de Cremona Testis I, Petrus Nicolai Malapeze de Venafro Testis CCVI, Nicolaus Dominæ Terentinæ Testis CCVIII, Nicolaus Malepeze de Venafro Testis CCIX, et Fr. Thomas de Sulmona Testis CLXXI. Addunt manuscripta quædam quod mulier infirma, quæ Sancto transeunte super lectum fuerat exposita in platea ad ejus benedictionem, lecto dimisso sana domum rediit. Dum autem Aquini esset Sanctus, vidit et vidisse testatus est Guilielmus Estendardus Conestabilis Regni, qui jussus fuerat Sanctum deducere, et Bonifacii ministris tradere mox atque

energumenas liberat,

infirmos sanat

C Pontificiam ditionem attigisset ; mulierem, a dæmonio pridem vexatam, coram omni populo liberari a Sancto. Sed et alia plurima contigerunt, quorum (ut inquit discipulus supra allegatus) ratio iniri non potuit ; maxime postquam in Camerarii Pontificii manus traditus est Sanctus, propter præcipitem illius festinationem.

118 Quantum ex ratione itineris colligere possumus, venit Anagniam Sanctus medio circiter Junio; ubi licet consulenti circa eum Bonifacio suaderent alii ut ad desideratam solitudinem suam ipsum remitteret ; aliis tamen visum id est perquam periculosum, propter multorum animos a novo Pontificatu aversos, et inhærentes pluribus scrupulos de valore renuntiationis a Cœlestino factæ. Cellam igitur optanti, in Castro Fumonis ad custodiam firmo cellam, qualem verosimiliter Sanctus ipse designarat, ad formam ejus quam in Murrone habuerat, fieri jussit: ubi circa medium Augustum reclusus fuit, numquam deinde auditus queri vel de arctitudine loci, vel de severitate custodum, omnes ab ejus accessu prohibentium præter paucos Fratres, et quidem per vices mutatos, quod tantas angustias eorum valetudo ferre non posset. Hi licet nusquam nominentur, haud ta-

Fumone in cella a se designata clausum,

arcteque habitum

men absque ratione præsumere possumus, inter eos fuisse Fr. Berardum de Colle-alto, postea Abbatem, Bartholomæum Transacqui, et Thomas de Sulmona: quos spe futuræ mercedis consolari solebat Sanctus, si quando videbat eos abjectiori animo ferre carceris istius molestias, et exiguam humanitatem custodum. D

EX ITAL. MSS.

119 Quanta autem reverentia prosequeretur successorem suum Bonifacium, vel ex eo patet, quod multi auctores evenisse scribunt paucis post ejus istic inclusionem diebus. Dicunt illi, quod pridie Decollationis S. Joannis Baptistæ (hoc autem festum solebat Sanctus devotius agere, propter plura eo die accepta divinitus beneficia) ipsi Bonifacio apparuerit Præcursor Sanctus, vultu terribili graves ei minas intentans, si Petrum arctius quam vellet ipse contineret : alia quædam Manuscripta habent, quod dormienti ostenderit se Sanctus ipse Petrus in habitu Pontificali. Utrumque potuit contigisse ; utroque autem vel alterutro territus vehementer Bonifacius, advocatum ad se Theodoricum Camerarium, et quemdam sibi fidum Cardinalem, Fumonem confestim ire jussit, et videre quid ageret Petrus. Eunt illi, et rupis atque turris Præfectum interrogant. Respondet hic, ipsum intus modeste agere. Ingressi autem inveniunt occupatum inchoanda Missa, ritu funebri peragenda, et Confessionis verba pronuntiantem : quod multum sunt admirati, tum quia tam mane, tum quia tali ritu die festo faciebat. Expectarunt autem reverenter donec absolveretur sacrificium, sub eoque rem magis stupendam viderunt. Dum enim elevaretur Corpus Christi, conspexerunt similiter elevatum in aera Sacerdotem sanctum, plus quam medium cubitum a terra, splendorisque divini radios super ejus caput usque ad Missæ finem permanentes. Illa autem finita, actisque Deo gratiis, ad missos Pontificios conversus Petrus, benigne eos salutavit, et de causa adventus interrogavit. Illi vero, sanctitatem viri jam alias experti, humiliter ei se prosternentes, causam, quam vel revera nesciebant, ab ipsomet Bonifacio occultatam sibi ; vel nescire simulabant, certam nullam dantes, alia omnia prætexebant. Tum vero spiritu plenus prophetico atque illuminatus a Deo : Scio, inquit, quod Bonifacius mei causa multum laboraverit nocte hac : sed dicite ei ex parte mea, ut agat absque solicitudine et intrepide quod sui est officii : ego sorte mea contentus vivo, Deumque pro suæ Beatitudinis salute et prosperitate deprecor.

missi a Bonifacio exploratores,

vident sub Missa elevari :

ex eoque adventus seu causam discunt,

120 Obstupuerunt illi notam fuisse Sancto adventus sui causam : Camerarius autem etiam hoc se miratum ait, quod solito citius et quidem de Requiem missam dixisset. Sanctus vero aliquantulum cunctabundus, et quasi formidans revelationem sibi divinitus factam communicare cum aliis; tandem, Novi, inquit, optime hodie agi solennitatem S. Joannis Baptistæ, specialiter a me honorandam : sed hac nocte significavit mihi Dominus, quod Rex Hungariæ, amicus meus carissimus, a vinculis hujus mortalitatis solutus, ad vitam transiit immortalem ; festinavi autem expiatorium pro eo Sacrificium offerre, ne diutius detineretur in Purgatorio, a quo liberatam ejus animam videre merui tempore Offertorii : præterea volui vestrum adventum prævenire, ne eo defferretur ejus auxilium. Hæc cum relata essent Bonifacio, in expectationem missorum suorum suspenso, animum ejus vehementer serenarunt: notavit autem diem et horam revelationis Petro factæ, ejusque veritatem aliis post nuntiis ad se Neapoli allatis comperit. Interim regimini Ordinis anno MCCLXXXXV, mense Majo vel potius Septembri, renuntiavit Onuphrius Comensis, successoremque in Abbatia S. Spiritus Sulmonensi atque Generalatu accepit

E

et mortem Regis Hungariæ.

EX [illegible] MARINI.

A accepit Joannem de Tutulio, qui primo Capitulo generali interfuerat, et postea a Bonifacio Papa VIII die III Junii obtinuit Confirmationem novam Ordinis.

Die Pentecostes infirmatus

121 Novem integros menses Fumone in custodia egerat Sanctus, quando ibidem se præparavit ad mortem, jejunio consuetuo ejus temporis, quod a Paschate decurrit usque ad Pentecosten. Quadam autem Dominica post Missam dictam infirmari se sensit, molesto dextri lateris apostemate : quod advocati a custodibus medici letale judicarunt. Quare extremis munitus, paulatimque deficiens, tandem expiravit inter Psalmos, extrema voce suaviter decantatos, die Sabbatho sub vesperam, XIX Maji. De Miraculo Crucis, in cella apparentis magna parte diei usque ad horam obitus (sunt etiam qui dicant pridie cœpisse apparere) Testes coram Judicibus Apostolicis fuerunt Rizardus de Pelegra, qui Sancto ipsi ministraverat; Gregorius de Silva-muri Ferentinus, unus ex militibus ejus custodiæ tunc deputatis. Testis CCLXXXXIII; Landulfus Rainaldi de Silvamuri, diœcesis Florentinensis, Testis CCCXIV ; et Doctor Nicolaus Verticelli, Canonicus Neapolitanus, Testis IX ; qui dixit, quod ad curandas exequias profectus cum Cardinali S. Cæciliæ, id affirmari passim audierit, tam a ministris quam a militibus, obsequio et custodiæ Sancti morientis appositis. Qui autem eidem aderant permissi non sunt ad eamdem Crucem videndam de cella egredi, ut habent manuscripta : quin neque post mortem Sancti, volentes eam indicare Fratribus aliis, ipsis licuit egredi; custodibus mandatum se habere asserentibus, ne cui obitum Petri paterentur innotescere, antequam rediisset Roma nuntius ad Pontificem, ipso expeditus momento, quo Sanctus animam tradidit Creatori.

apparente ante cellam Cruce,

B

pie moritur

Foramen clavo factum in cranio,

122 In sacro illius cranio, quod annis singulis bis exhibetur spectandum populo, in ecclesia S. Mariæ de Colle-madio prope Aquilam, supra aurem dexteram cernitur manifeste foramen quadrangulare, neutiquam naturale, sed quale relinqueret infixus violente clavus ordinarius, quem Aprutini Brixianum, Longobardi de Quadraginta appellant. Hinc nata traditio, tum in Ordine quam in civitate, clavum istum a militibus adactum fuisse ad accelerandam Sancto mortem : cujus traditionis monumentum hodieque supersit, in vetustissima quadam capella, S. Petro Cœlestino dicata ecclesiæ S. Mariæ de Magella in Pelignis, ubi vita et miracula Sancti, opere perquam vetusto ut apparet, cernuntur depicta : interque alias picturas sub ipsomet arcu una est, repræsentans Sanctum, genuflexum ante altare coram Cruce, cum libro in manu ; atque a tergo hominem, veteri more vestitum comatumque, qui una manu clavum, altera malleum tenens, videtur illum per caput adigere : exhorrescentibus ad facti immanitatem, qui retro ad ostium depicti assistunt, Monachis vultumque avertentibus : et supra illam picturam adscripta leguntur verba, hoc mortis genere Sanctum obiisse affirmantia.

C

fidem fecit mortis violentæ

et reperitur adhuc clavus cum sanguine,

123 Similis fama et traditio habet, quod clavus iste a monachis ibidem præsentibus subductus diligenterque conservatus fuit ; sitque ille ipse quem accepimus ante non multos annos esse hac ratione inventum. Adm. R. P. Abbas D. Franciscus de Agellis, diligentissimus antiquitatum nostrarum observator, inter alia multa quæ suggessit, mihi dignatus est etiam significare ; quod anno MDLXXXXVII curiosius inspicire volens Reliquias, quæ sciebantur esse intra capsam insertam muro capellæ, in honorem sanctissimæ Virginis Mariæ stantis ad dextrum latus majoris Altaris, in ecclesia Abbatiali S. Spiritus prope Sulmonam ; jussit murum ab intus frangi, subtus monumentum familiæ de Canibus Sulmonensibus ; eduxeritque exinde arcam continentem Corpus B. Roberti de Sala, cui mox a morte sua Sanctus apparuit in cœlum ascendens, et inter sancta illa ossa pyxidem rotundam, mensura medii fere palmi, undique pictam coloribus cum operculo. Quam aperiens D. Franciscus prænominatus, invenerit plenam variis minutisque Reliquiis : quas inter erat clavus, mediam palmam longus, ligatus intra panniculum sericeum decolorem, cum particulis sanguinis congelati, colore fusco. Hæc explicanti mihi, inquit ille, aderat P. Hieronymus de Nicotera, magnæ in similibus curiositatis et experientiæ ; qui tamquam peritior etiam judicavit sanguinem esse : atque id ipsum affirmarunt Tiberius Monti, medicus Sulmonæ excellentissimus ; et Marius Veluci, chirurgus ætatis et experientiæ magnæ, omnesque convenerunt in eam sententiam, quod iste erat clavus, quo factum erat foramen in sacro capite. Et ideo, inquit idem, majoris certitudinis causa, cum proficiscerer Aquilam ad Indulgentias sub medium Augustum anni prædicti, ipsum clavum illuc detuli, ad experiendum utrum vere quadraret foramini : et coram Bartholomæo Crispo aliisque Nobilibus Aquilanis, dum reponerentur Reliquiæ, populo exhibitæ, applicui foramini clavum : qui præcise intrabat usque caput, ea qua cranium tangebat parte ferruginosus, quod creditum est extitisse a sanguine ibidem adhærente. Hactenus ille : vidi autem ipsemet inter alias Reliquias prædictum clavum in ecclesia S. Spiritus Sulmonensis, colligatum cum ipsis particulis concreti sanguinis, et foramen in cranio factum sæpius inspexi.

D

foramini congruens.

E

Alia tamen quam naturali morte functum,

124 [Est tamen perquam difficile creditu, quod quæ de extremo Sancti morbo passim ab auctoribus Vitæ scripta creditaque fuerunt, conficta sint omnia atque a consciis vulgata ad dissimulandum crudele factum ; sive ex propria Præfecti aut custodum malitia, sive (quod gravius foret) occulto ministrorum ipsius Bonifacii mandato, mortem ea ratione Sancto acceleratam quis dixerit. Quantumcumque enim magnus fuisse dicatur metus, qui Bonifacianæ parti studentes movisse potuit, ad cavendum ne vita Petri longior firmaret factionem adversantium Pontifici Cardinalium, Jacobi et Petri Columnensium, palam libellis editis affirmantium, non esse Bonifacium verum Pontificem, utpote viventi Cœlestino nec renuntiare valenti super inductum : quantumcumque, inquam, magnus fuerit ejusmodi metus, refugit nihilominus animus a credendo scelere, ad illum metum tollendum non multum valituro, et gravius Deum ad vindictam concitaturo, maxime cum jam decrepito et mox conficiendo ærumnis seni in janua esse mors videretur. Ut autem tam scelestus fuerit quisquam ; ut etiam vivente Bonifacio vel supprimi atrox fama potuerit, vel aliunde erumpens refutari velut calumnia Columnensium : an potuit etiam sic occultari, Bonifacio mortuo, cum jam esset elevatum de terra corpus ; et audirentur undique accersiti Testes ad instruendam causam Canonizationis ; quos inter videntur fuisse aliqui in extremo Sancti agone præsentes? Interim restat excogitanda verosimilis aliqua causa terebrati, si non in vita, saltem post mortem cranii, quam malim feliciori conjectori dimittere : modo non accusetur Bonifacius, contra quem plurima mentientes adversarii sui, in Concilio Viennensi prolixe auditi, nihil unquam tale intulerunt, nedum probarunt.

vix apparet credibile.

F

CAPUT

CAPUT XII.

Sepultura Sancti juxta Ferentinum, eamque secuta miracula.

Qualemcumque in morte Sancti partem habuerit Bonifacius, vix est qui dubitet quin ea lætatus sit, tamquam exinde securius Sedem suam possessurus : misisse autem ad Castrum Fumonis ad funus curandum Camerarium suum Theodoricum, cum Sancti discipulo Cardinali Thoma, dicunt omnes; sed ita, ut dicere videantur simul eos ivisse. Verum non sic intelligi posse auctores, apparet ex depositione Testis IX, Nicolai de Verticellis, narrantis, quod quando cum suo Cardinali, cujus erat Auditor, Fumonem venerunt; invenerunt corpus intra ligneam capsam in suggestu positum, unaque Theodoricum Camerarium, et militem ex ministrantibus unum, a quibus intellexerit apparitionem Crucis ante cellam visæ. Prior ergo ad nuntium Fumone missum excurrit illuc de mandato Bonifacii Theodoricus, corpusque confestim composuit, ut decuit : supervenerit autem cum familia Thomas : qui post prandium ibidem cum aliis sumptum (sicut refert Nicolaus) discessit ad ecclesiam S. Antonii prope Florentinum, dispositurus omnia ad sepulturæ officium quam splendidissime peragendum. Interim adfuerunt exciti e tota vicinia Prælati Clericique : quibus deducentibus et pompam ordinante Camerario, postridie, id est XXI Maji ac feria II hebdomadæ, delatum corpus sacrum est ad prædictam Ecclesiam; ubi ipsum præstolabatur Cardinalis, jam sacris indutus ad Missam exequialem celebrandam : quæ inter contigit miraculum grande, quod prædictus Testis his verbis recitat.

Composito per Camerarium Papæ cadavere,

Officium funebre facturus Thomas Card.

126 Dum venturum funus præstolatur paramentis sacrificalibus indutus Cardinalis, convertens sese ad Priorem loci interrogat, Ecquis cantaturus Evangelium sit : cumque id ipsius arbitrii esse respondisset Prior, Cardinalis cuidam adstantium ibi Monachorum, Induere, inquit, ut Evangelium cantes. Cui Monachus, Plurimi, inquit, Domine mi, dies sunt quod vomui et vomo sanguinem; et subito coram omnibus spuere cœpit perquam copiosum. Nihilominus Cardinalis : O te miserum! Fiduciam habe in divinæ potentiæ virtute, et majestatem ejus ora, ut per merita hujus sancti Patris sanitatem sibi restituat. Age, induere, canta Evangelium, et sanaberis. Hæc audiens idem Testis, qui etiam ipse diu graviter affectus fuerat in sinistro latere, neque incumbere ei commode poterat, cœpit intra se Deum orare devotius, ut sibi quoque per ejusdem sancti Patris merita succurrere dignaretur. Oculosque in Monachum illum intendens, qui ut jussus fuerat se signans induerat Dalmaticam Diaconalem, numquam eos ab illo removit quoad duravit Officium, neque vidit illum vel semel salivam ejicere, nedum sanguinem : sed nec deinceps, sive in prandio cui Monachus ille et ipse Testis assiderunt, sive per multos quibus Cardinalis ibi mansit dies, vel minimum incommodum pati eum vidit; sed econtra audivit publice profitentem, se plane sanum esse. Ipse quoque Verticellius nullum post hac laborem in latere affecto sensit, quo minus ei pro libitu incumberet absque dolore. Dolendum est autem quod oblitus fuerit illius Monachi nomen exprimere.

jubet evangelium cani a monacho sanguinem spuente,

qui mox sanatur et alius a pleuritide.

127 Sepultum fuit sancti Patris corpus juxta altare majus ejusdem ecclesiæ, eo loco qui hodieque in veneratione est : et quidem profunde admodum, si verum est quod ait Christophorus Landinus supra Dantem, mandasse Bonifacium, ut ad decem ulnas cavaretur terra, ne facile videri aut inveniri posset. Ipse autem Romæ in ecclesia Vaticana, fortassis eodem quo Florentini die, exequias Petri, ut decessoris sui, solenniter celebravit. Sparsa mox obitus ac sepulturæ fama animos excitavit miserorum, qui ad Fumonensem carcerem penetrandum non fuerant ausi se conferre, expetituros a mortuo, qualia meminerant vivum operatum miracula. Inter primos fuit Veletrinus quidam hydropicus, Gerardus de Pedemontio, qui in Hospitali S. Spiritus Romæ decumbens, audita morte Sancti, ad requirendum sepulcrum abiit; et proximo ab exequiis celebratis die illuc adveniens, sanitatem accepit; Romamque revertens, passim obviis prædicavit virtutem novi Sancti. Addunt autem Manuscripta, testem huic miraculo accessisse Nicolaum de Bucchianico Monachum Sacerdotem, qui Gerardo adhuc infirmo obviavit in via Romana, deinde sanum vidit in loco S. Antonii. De curata vero a sex scrofulis Margarita Florentinensi, post admotam eis a Cardinali Thoma (aliquot dies apud sepulturam morato) catenam Sancti, testimonium dixerunt quatuor Testes scilicet CCCVI, VII, IX, X.

Alte defossi corporis sepulcrum

EX IT. L. MARINI.

adiens hydropicus, convalescit.

Attactu Catenæ, qua Sanctus se cinxerat, curantur scrofulæ

128 D. Lætitiæ Clementis Abbatissæ in S. Matthæi Florentinensis, ex voto facto adeundi sepulcri, a continua et intolerabili febre ibi curatæ, Testi CCL, quæ ob amissum totius dexteri lateris usum sensumque jacuerat sesquiannum in lecto testatæ sunt ex eodem monasterio adductæ Sanctimoniales atque contestes, CCLI, II, III, IV et V, D. Flos, soror ipsius D. Lætitiæ, D. Sophia, tunc (id est anno MCCCVI) post eamdem Abbatissa. Romana, filia Nicolai qu. Matthæi de Florentino et Philippæ uxoris ejus, non solum brachium dextrum emortuum, sed totum etiam latus ferebat. Hæc quam ab aliis remediis diu tentatis frustra speraverit sanitatem, a sepulcro votive adito retulit, id affirmantibus testibus octo CCXXV, VI, VII, CCXXXXIV, V, VI, VII, VIII, et CCCVIII. Tertio autem illuc deferri a matre Jacoba oportuit Leonardum, filium Ambrosii Claricii de Florentino, qui triennium totum contractus et claudus, sinistrum pedem habebat emortuum; idque testati sunt non solum pater ac mater pueri, sed etiam D. Bartholomæus Abbas S. Salvatoris, D. Joannes de Rosella Abbas S. Appollinaris, Joannes Rizius Miles Florentinensis, ejusque uxor Romana. De Fresolonensi contracta, sed anonyma, deposuerunt Testes CCVII et VIII, itemque CCXXXI ac CCXXXI cum CCXXXX. Quemadmodum et de Lætitia, filia Leonardi, sexennium contracta, deposuerunt Testes CCLXIX, CCLXX, I, II, III, IV. Similiter recenseri possent Testes, quinque, sex, aut septem, attestati curationibus miraculosis Jacobi filii Mariæ Nicolai de Patera, Mariæ Ferrariæ, Palmæ Landulfi de Patera, Fr. Joannis de Bucchianico Silvestrini, Petruccii filii D. Belluciæ.

paralysis,

contractio

et morbi alii.

129 Florentinensis quædam mulier, sancto Patri devota, a multo tempore lumen omne oculorum amiserat; cumque per seipsam accedere ad sepulcrum non valeret, commatrem suam ad ecclesiam S. Antonii pro se legavit, pro Dei amore aliquid petituram a Monachis loci, quod Sanctus vel in usu habuisset, vel saltem aliquando attigisset : Si enim id obtinuero, inquiebat, certa sum illuminandam me esse. Ivit mulier, sed nihil impetravit : quare animi ægra, ne prorsus vacua reverteretur ad commatrem, tulit aliquid ex pulvere sepulcri; atque reversa injecit in oculos pridem cæcos. Hi autem statim aperti magnam utriusque mulieris fidem fuisse probarunt : quarum prior ad sepulcrum veniens pro agendis gratiis, retulit ordinem rei gestæ, prout in manuscriptis invenitur. Ex quibus etiam habetur de muliere altera, similiter Florentinensi, cujus

Pulvisculo sepulcri illuminatur cæca;

A cujus filius jam septennis, neque crescebat nec loquebatur, sed mœsta voce continuo ejulans parentes affligebat suos; donec mater eum Sancti sepulcro imposuit, sanitatem ei aut mortem petens; et sanitatem obtinuit, quam bonam optare poterat.

Ex it. l. Marini.

130 Hugo famulus Fr. Michaelis, Prioris in monasterio S. Bartholomæi de Trisulto, ex Ordine Carthusiensi in diœcesi Aletrina, cum in quadam monasterii villa solus imponere jumento vellet grave pondus frumenti, tam magnam incurrit herniam ut ad omnem laborem esset inutilis. Significavit ergo Priori casum; qui misello compatiens, Alatrum misit ad quemdam Magistrum chirurgum, si forte is eum curare posset. Hic autem viso malo respondit, opus esse incisione: quod cum patrono suo mœstus retulisset famulus, Confide, inquit, fili, Deoque et S. Petro de Murrone te commenda. Vovit ergo quoddam anathema, una cum candela portandum ad tumbam; ex eaque hora melius habere cœpit, et voto impleto liber omnino extitit; ita testantibus quinque monachis Carthusianis, inter quos ipse Prior Fr. Michael Testis CCLXI, et Fr. Deodatus Testis CCCXXII.

ad illud delatus herniosus sanatur,

item infirmus Sacerdos invocato Petro,

Sacerdos quidam de Barraneris, Jacobus Reatinus B nomine, tribus annis infirmus jacuerat, et infirmitatem aggravabat paupertas longe maxima; unde pertæsus vitæ, sæpius mortem invocabat. Dumque inter has angustias nocte quadam versatur, lectulo incumbens cœpit recolere quæ multa audierat de miraculis S. Petri Murronensis, Deumque rogare ut sibi per merita ejus succurreret; postea vero obdormivit, interque dormiendum copiosus toto corpore sudor erumpens sanum hilaremque dimisit, sicut suomet postmodum ore retulit, et habent manuscripta.

131 In Curia Romana Prælatus quidam erat, nomine Antonius, Capellanus quondam Cardinalis Gerardi Parmensis Sabinensis Episcopi, recens autem promotus ad Episcoparum civitatis Lunensis, qui in gravissimam lapsus infirmitatem, extra spem vitæ positus a medicis erat. Quod cum Cardinalis Gerardus aliique amici ejus ferrent dolenter; ipse eidem per suum Capellanum mandavit, ne spem abjiceret, quamvis humana deficerent omnia, sed Deo sanctoque Petro se commendaret. Paruit consilio æger, factaque oratione cœpit continuo habere melius, et intra paucos dies convaluit, cum magno Cardinalis ipsius et aliorum gaudio. Episcopus autem, voti solvendi causa ad Sanctum corpus visendum accedens, Missam ibidem celebravit; et pannum, auro in C textum, sepulcro insternendum donavit. Ita omnia MSS. et Faber cap. 44. Tempus manuscripta non exprimunt, sed ex numero anni MCCII, quo obiisse Cardinalem Ciacconius ait Kalendis Martii, intelligimus id citius factum esse. Similiter ex tempore quo Anagniæ moratus est Bonifacius, colligimus circa annum MCCCIII accidisse, quod eadem Manuscripta narrant de Mediolanensi Archiepiscopo Francisco Fontana Parmensi, creato primum anno MCCLXXXXVI; quod febrim quartanam patiens, se prostravit ante sepulcrum, et a die post sequenti amplius eam passus non est: addebat autem, se in alia etiam quadam sua infirmitate præsentem Sancti opem expertum, ideoque ad eum familiarius veluti ad medicum suum proprium recurrere.

et Episcopus Lunensis Romæ æger ad mortem;

atque Archiepiscopus Mediolan.

132 Vir domo nobilis, et unius Lombardicarum urbium Prætor (Potestatem appellant) in quodam prælio transfixus jaculo, per balistarium arcum emisso, interque manus famulorum ad locum tutiorem sublatus, creditus est ab advocatis ad vulnus curandum medicis servari non posse. Hoc intellecto erexit ipse se homo, vovitque si præsens discrimen mortis evadere sibi contingeret, pedibus adire sepulcrum sancti Patris Fr. Petri de Murrone. Nec vanæ fuerunt preces: convaluit ut optaverat, votumque D implevit, ut asserunt Manuscripta; sed tempus, et viri nomen atque urbis cui præerat tacent. Si tamen historicos Mediolanenses Corium atque Bugatum consulas, invenies omnes Lombardiæ civitates ab anno MCCL usque ad MCCCX et adventum Henrici Lucemburgii Imperatoris, civilibus bellis, seditionibus, factionibusque arsisse. Curialis quidam ex Hetruria, nomine Vita, in aliorum plurium societate quam devotissime accessit ad sepulcrum Sancti: dicebat enim quod Anagniæ passus erat gravissimam infirmitatem, adeo ut nec loqui posset, nec manducare aut bibere, sensibus tamen omnibus consistebat sibi, neque decumbebat lecto, sed stabat ambulabatque, medicinam requirens malo suo, ast nullam reperiens. Tandem vero recordatus est venerabilis Petri, qui ipsum ab alia infirmitate quandoque sanarat; vovitque cum lacrymis ejus sepulcrum visitare ac subito convaluit et loquelam recepit. Omnibus ergo prædicare cœpit auctorem et celeritatem curationis suæ, pro qua Deo etiam gratias retulerunt quotquot eum noverant. Ita Manuscripta.

item letaliter saucius,

graviter infirmus,

133 Anno millesimo trecentesimo sexto, in festo Annuntiationis B. Mariæ, Leo de Guarcino et uxor E ejus Maria, cives Florentinenses, filiolam suam Mariam novennem detulerunt ad sepulcrum Sancti, quæ amisso lateris totius dexteri usu, sic ut nec manum nec brachium movere aut extendere posset, etiam loquelam amiserat, idque ei jam tribus mensibus duraverat. Ut autem sepulcrum attigit, statim manum brachiumque extendens loqui cœpit, prout testatos esse parentes eadem Manuscripta asseverant. Atque hæc aliaque plura miracula, facta in ecclesia S. Antonii, non fuerunt in Processu relata; propterea quod qui super iis audiri debuissent ac potuissent Testes, longius aberant. Interim etiam alibi varia contingebant miracula, præcipue in cella, monasterio, atque ecclesia S. Spiritus prope Sulmonam, ubi quædam Sancti catena servatur, qualis penes mortuum reperta fuit; aut forsitan illamet ipsa istuc Florentino translata intelligo enim hic nullam amplius esse. Exempla in Summario posita, ea tantum hic repetam quæ in Processu distinctius explicata habentur, ex juratis depositionibus testium.

et latere uno paralytica.

134 Anno MCCLXXXXVIII puer duodennis, nomine Thomas, filius Jacobi Thomæ, qu. Lucæ de Caramanico, paralysi dissolutus, nec ambulare, nec pedibus insistere, nec loqui omnino valebat; alias F præterea quasdam patiebatur infirmitates, nec ullis humanis remediis (quæ spatio duorum circiter mensium fuerant adhibita) juvari potuerat. Tandem pueri pater, devote affectus erga ea eremi loca quæ sanctus Pater præsentia sua vivens consecravit, infirmum suum imponens asino, cum Merita uxore sua et matre illius, deduxit ad locum S. Spiritus prope Sulmonam. Prius autem quam pervenirent ad monasterium, videns Jacobus cellam Sancti, in supercilio montis non longe distantem: Vide, inquit puero, locum ubi mansit Pater sanctus, teque ipsum Cruce signa. Suspexit ad locum puer; et quamvis ægre, motam elatamque ut potuit manum duxit in Crucem, quod antea facere nequivisset. Postea in vicina aqua, cui Sanctæ cognomen inditum, exutum vestibus totum laverunt: sed absque fructu. Tandem ad S. Spiritus appulsi rogarunt Monachos, ut siquid de rebus S. Petri haberent, id vellent supra paralyticum suum ponere; quia non dubitabant, quin esset ejus meritis sanandus. Responderunt illi quod penes se habebant catenam, qua cingi supra nudum solebat Sanctus, in eremo pœnitentiam faciens; eamque puero supra caput, ad collum, et per membra duxerunt. Quo facto stetit ille in pedes, et ambulare et

Sanatur puer paralyticus

in Murrone Sancti catena tactus:

A et loqui cœpit, ad stuporem omnium : sicut etiam ipsemet, annos jam natus novemdecim, Testis LXXVIII, attestatus est parentibus suis prædicta narrantibus, Testibus LXI et II.

135 Anno MCCLXXXXIX, die VIII Julii, contigit præclarum illud, quo miraculorum relationem concludit Maffeus Vegius, in Notis ad Caput 3 Vitæ relatum, de Philippa uxore nobilis cujusdam Palenensis Richardi de Pratis : habeturque in Processu confirmatum ab octo testibus, inter quos fuerunt Fr. Robertus de Cinque milia diœcesis Valvensis CXXXXVII ; et CXXXXVIII Fr. Berardus de Colle-alto diœcesis Pennensis, Abbas totius Ordinis; et Fr. Thomas de Sulmona, Prior S. Spiritus. Manuscripta vero addunt, miraculo cum fieret præsentes adstitisse, præter Priorem jam dictum, Fr. Venturam Cellerarium, Fr. Joannem della Rocca Portionarium, Fr. Joannem de Coraya Sacristanum, Mag. Nicolaum de Sulmona, Mag. Gerardum de Venetia, Mag. Adam Ferrarium, Thomam della Marca, et Ricciardum de Pratis, maritum ipsius mulieris eamdem comitatum. Sic etiam Thomæ pueri decennis liberationem a dæmonio, postquam catena prædicta cinctus esset a Monachis; et quomodo statim recepto totius corporis vigore, cœperit ambulare; exposuerunt mater pueri Sulmontina Testis CXIX, ac tres sequentes in ordine, Joannes, Nicolaus, et Bartholomæus, omnes ejusdem Sulmontinæ filii, quorum ultimus matrem comitatus, suis ipse oculis vidit omnia : et in Summario additur etiam Fr. Thomas loci Prior. Dixerunt autem II Junii anni MCCCVI, annos plus minus sex esse, quod res contigerit.

eadem liberatur energumenus :

B

136 Judex Leonardus de Sulmona, Testis XXXX, post mortem Sancti accidisse sibi dixit, ut per dexteri inguinis herniam quam incurrerat, intestina, sibi in scrotum defluentia, magnos per biennium causarent dolores : quibus tamen præ verecundia non audebat remedium ab arte postulare, confidens se illius meritis sanandum, cui vivens valde familiaris fuerat. Cum ergo nocte quadam sub auroram de ejus sanctitate magna cogitaret, et miracula eam testantia expenderet; manum applicuit, ut sæpe solebat, ad partem affectam, reponens intestina in locum suum unde descenderant : quo in actu manifesto sensit ipsa sibi firmari, et consolidari herniam; miraque consolatione perfusus, ægre tantum vocis formare potuit, ut uxori suæ Granatæ, idem postea loco XXXXI testatæ, diceret se meritis S. Petri de Murrone curatum esse : exindeque bene se habuit.

Herniosus invocato Petro curatur :

C

137 Mag. Rainaldus Medicus Sulmonensis, octogenarius. Testis XXIII, retulit, quod anno MCCCIV transiens per ecclesiam S. Mariæ ad Petram Alduni de Sulmona, ibidem viderit magnam multitudinem virorum atque mulierum; causamque requirenti dictum est, violenter illuc inductam fuisse Marsicanam, uxorem Nicolai de Coliana, a dæmonio agitatam. Intravit ergo, conspexitque quod mulier avertebat vultum, corpusque torquebat, ne cogeretur intueri objectas sibi Deiparæ ac Sanctorum imagines, et ægre teneri poterat. Transiit autem ad quoddam suum prædium, quo iter intenderat, indeque revertens adhuc ibi reperit eamdem cum eadem muliere turbam. Tum recordatus Cruculæ ligneæ, quam penes se habebat olim acceptam a Sancto, cum ea signavit dæmoniacam dicens; In nomine Domini nostri Jesu Christi Nazareni crucifixi et per merita Fr. Petri de Murrone, liberet te Deus : et addidit Dominicam orationem, itaque discessit. Paulo autem post audivit populum transeuntem ac gratulabundum quod mulier illa liberata esset : modumque liberationis quærens, intellexit; ipsam ad vomitum coactam, mox a vomitu sibi ipsi Crucis signum fecisse, ac discessisse ab omni vexatione immunem : quod ut certius cognosceret quæsivit eam ipse, inventamque interrogavit, ac vidit formare Crucem absque impedimento illo, nec dubitavit meritis S. Petri id acceptum referre.

tactu Cruculæ ab eodem donatæ

liberatur obsessa :

D

EX ITAL. MARINI.

138 Nicolaus ex civitate Pennensi, annorum viginti adolescens, per quemdam qui sibi obvenerat morbum, a festis Natalitiis anni MCCLXXXXV usque ad ultimam Dominicam eamdemque XXIX Maji anni MCCCVI, manibus pedibusque sic contractus fuit, ut non posset pedibus insistere, vel modice gressum promovere, nisi cum scipione, atque hoc etiam difficulter ; quod si absque scipione tantillum nitebatur consistere, continuo in terram recidere se crebro expertus erat. Interim audiverat late sparsam famam miraculorum sancti Patris, et erga solitudinis ab eodem cultæ loca pie affici cœperat. Quare, sic ut erat, contractus et debilis, ab oppido Roxanensi (quod diœcesis Pennensis est, et Sulmona distat, passuum millibus viginti quatuor) huc se conferens, necesse habuerat totos duos menses impendere viæ minime longe, tum quia vires perquam exiguas habebat, tum quia alieno egebat auxilio. Porro Paulus de Ursa (quod fuit Castellum Sulmonæ propinquum in monte vicino ecclesiæ S. Spiritus, nunc destructum) Paulus, inquam de Ursa, Testis CXV die II Junii examinatus, asseruit, quod ipsum Nicolaum ad dies decem domi suæ habuerit, donec ad ecclesiam abiit, non tam incedens per viam, quam trahens debile suum corpus. Cum ergo eum Monachi vidissent, audivissentque exponentem suæ infirmitatis incommoda gravia, atque devotionis fervorem qui eum illuc adduxerat; super asinum posuerunt ligaveruntque, deducendum sursum ad cellam S. Onuphrii, ubi Sanctus habitaverat. Dies lunæ erat atque penultimus mensis, quando in montem pervenit infirmus : et ibi noctem illam egit. Dormiens autem visus est sibi videre Sanctum, albis indutum, prolixaque barbæ canitie venerabilem, qui sua omnia membra contrectans extendebat solidabatque. Sub hæc disparuit visio, experrectusque a somno Nicolaus audivit campanæ ad Matutinum in S. Spiritus sonantis pulsum : seque in pedes elevans, absque scipione cœpit ambulare per cellam : sed quia nox obscura erat, non ausus egredi, expectavit auroram : et facto die sanus vegetusque descendit de monte, relicto istic baculo, Deoque gratias agens, qui eum per merita sancti Patris sanaverat : quod etiam fecerunt Monachi, salvum incolumemque intuiti, et juvenem apud se diebus aliquot habuerunt, interim dum fama miraculi multos ad eum videndum allicit. Erat tunc Sulmonæ Archiepiscopus Neapolitanus cum Episcopo Sulmonensi, ex Commissione Apostolica intendens Testibus in ordine ad Canonizationem Sancti audiendis; coram quibus ipse juvenis, Testis CXXX, die III Julii cuncta exposuit, attestantibus sibi prædicto Paulo de Ursa, et Matthæo de Abmamonte de Rocca Moricii Teste LXXXXV. Summarium alios his Testes addidit, scilicet CLXX Fr. Robertum de Salle, CLXXII D. Nicolaum Archipresbyterum Ursanum, CLXXXVIII Fr. Benedictum de Colle Magellæ, CLXXXIX Fr. Rainaldum de Gesso diœcesis Theatinæ, CC Fr. Joannem de Rocca-cambii, et CLXX Fr. Thomam de Sulmona.

sanantur paralyticus

E

pernoctans in cella Sancti.

F

CAPUT XIII.

Canonizatio Sancti, miracula, et veneratio Reliquiarum ejus.

Post transitum Sancti ab hac mortali vita, crevit Ordo ejus numero locorum et personarum : neque in

EX ITAL. MARINI.

Dilatato etiam in Franciam Ordine

A in Italia substitit, sed etiam in Franciam penetravit anno MCCCIV, sub auspiciis Regis Philippi Pulchri : qui monasterium ædificavit amplum, in deserto Amberti prope Aurelianas, sub titulo S. Mariæ : cui post annos quatuor addidit alterum sub titulo B. Petri in Monte Sciattri. In Italia autem a Joanne Pippino fundatum fuit monasterium S. Bartholomæi anno MCCCII Luceriæ-paganorum in Apulia ; et apud Magellam Neapolitanam monasterium S. Petri, ubi etiam fundator ipse sepultus jacet, cum honorifico epitaphio. Porro Joannes de Tucolio, penes quem regimen Ordinis erat cum Sanctus moreretur, anno MCCLXXXXVIII confirmatus in officio, adhuc gerebat titulum Abbatis anno MCCC die VII Augusti, quando constitutus est a Thoma Cardinali S. Cæciliæ executor testamentarius. Anno autem MCCCI mense Majo suffectus ipsi est Abbas Berardus del Como vel (ut alia instrumenta habent) de Como : inveniturque nominatus in Apostolicis litteris ac privilegiis Benedicti XI, anno MCCCIV, mense Martio, sequenti autem Majo decessit dignitate, successorem nactus Berardum de Colle-alto diœcesis Pennensis : sub quo auctoritate Clementis Papæ V anno MCCCVI B formatus est Processus Aquilanus, ad quem etiam ipse comparuit Testis CLXVIII.

et mutatis ter Generalibus,

sub Clemente V

140 Etenim mortuo Bonifacio VIII, successerat anno MCCCIII Benedictus XI ; quo erga memoriam Fr. Petri, miraculis clarissimi, longe melius affecto, cœptum est inter Cardinales de eo canonizando tractari. Sed mors ejusdem Benedicti, anno MCCCV secuta, abstulit ei facultatem in opus reducendi optimam voluntatem, quam in Bulla Privilegiorum Ordini concessorum testatus fuerat. Cum autem suffectus ei Clemens Papa V, et Lugduni in Gallia coronatus, ibidem Sedem Apostolicam constituisset, ferventius agi in negotio cœpit. Vivebant tum adhuc, ex iis qui Petrum crearant Pontificem Fr. Hugo ab ipso factus Episcopus Ostiensis, Joannes Buccamatius Tusculanus, Matthæus et Neapoleo Ursini, Jacobus et Petrus Columnenses : ex iis autem quos ipse creaverat, Joannes, Presbyter Cardinalis SS. Marcellini et Petri, Fr. Robertus Francus Tit. S. Potentianæ, Landulfus Brancatius Neapolitanus tit. S. Angeli Diaconus Cardinalis, Guilielmus Bergomensis tit. S. Nicolai in Carcere Diaconus. Vivebant etiam Theodoricus quondam Camerarius Bonifacii VIII, æquior defuncto quam viventi fuerat, tunc Cardinalis Episcopus Prænestinus : nec dubitandum quin huic causæ multum faverint prædicti duo C Columnenses, a Bonifacio male habiti, sed ab ejus successoribus restituti in integrum. Præcipue tamen ad eam inclinabatur per se ipsemet Clemens : quare ad examen causæ deputavit Archiepiscopum Neapolitanum, [Jacobum Viterbiensem Ordinis Eremitarum S. Augustini, ab Aloysio Torello inter Beatos Augustinianos adnumeratum Centuria 2 cap. 50] et Episcopum Valvensem seu Sulmonensem [Fredericum] ; quo inter tractandum negotium mortuo, soli Archiepiscopo causa omnis commissa est per expressum Breve.

assumitur tractanda causa canonizationis.

Audiuntur jurati Testes,

141 Cœperunt illi creditum sibi judicium exercere Neapoli anno MCCCVI die XIII Maji ; et examen per alia deinceps loca prosecuti sunt, videlicet Capuæ XXV ejusdem mensis, in Castello Sangrio XXVII, Sulmonæ XXIX et diebus sequentibus ; IV Junii in monasterio S. Spiritus, ac rursum Sulmone die VI ; denique Florentini et in monasterio S. Antonii, ubi erat sacrum corpus. Examinati autem fuerunt primus quidem Eques præcipuus in regno Neapolitano Petrus de Cremona, secundus Guilielmus Estendardus Magnus Comestabilis Regni : CCLXXXVIII fuit Fr. Jacobus de Pacentrano ex Ordine S. Dominici, præter alios Religiosos, Canonicos, Sacerdotes, Doctores, Sancto quondam familiarius notos. Fuerunt etiam D examinati multi ejus discipuli, plurium ejusdem actionum conscii, diuque cum ipso versati : inter quos præcipui Berardus de Colle-alto, omnis fortunæ cum Sancto particeps, Testis CLXVIII ; B. Robertus Salentinus, annos tunc habens XXVI, quorum XVII in ordine egerat ad eum a Sancto admissus apud Orfentem, Sanctulus passim cognominatus, qui ei in cella sua duobus annis ac mensibus decem continuo serviverat, postea etiam miraculis clarus, Testis CLXX ; Robertus de Guardia sexagenarius, habens in Ordine annos XXXV, et continuis septem annis cum Sancto conversatus Magellæ, Testis CXXXXIIII ; Thomas de Sulmona, annos XXXV in ordine numerans etiam ipse, tunc Prior monasterii S. Spiritus, Testis CLXXI ; Bartholomæus de Transacto sive Transacque, annorum ætatis suæ LV et XXXX in Ordine, quibus semper fuerat in comitatu Sancti ante et intra Papatum, Testis CLXII ; Robertus de Cinquemiglia diœcesis Valvensis, CXXXXVII ; Benedictus de Colle-Magellæ, CLXXXVIII ; Rainaldus del Gesso, CLXXXIX : Joannes de Rocca-Cambii, CC ; Franciscus de Theate, CCCV ; Antonius de Florentino, CCCVI ; E Franciscus de Olivala diœcesis Cerunensis, Prior S. Antonii prope Florentinum, CCCVII ; Gualterius de S. Eusano, CCCXV ; Deodatus de Castellione, CCCXXII ; Gregorius de Isernia, CXXXXIV ; Nicolaus de Calumbano diœcesis Theatinæ, CLXXXVII ; Berardus de Guardia, CLXXXX.

elevantur ossa,

142 Dum examen hoc fieret, curatum est ut Sancti corporis ossa honorabilius collocarentur, ab Inquisitoribus visitanda. Quare ipso mense Majo extracta de sepulcro sunt, in quo eatenus immota jacuerant, a Bartholomæo Episcopo Ferentinate, Teste CCLXXXVIII : cui de suavi eorum fragrantia deponenti, attestati fuerunt ex ordine consequenter auditi, Joannes de Caudillo Canonicus, Rofridus D. Petri de Florentino, Nicolaus de Florentino, et Judex Nicolaus de Caserta ; qui addidit quod tunc pro sua devotione circum sepulcrum duxerit quoddam cingulum, illudque apud se servans, cum nocte quadam doloribus colicis vehementissimis torqueretur, ipsum circumdederit corpori, ac mox sanatus fuerit. Sic factum examen cum accepisset Clemens Papa, Cardinalibus et auditoribus suis viris doctissimis excutiendum commisit ; prout fecerunt in variis successive locis, Monpellerii, Viennæ, et Avenione. Quam autem accurate sint acta omnia, probare potest exemplum Processus quod meis ipse oculis vidi, F ubi in margine notabantur difficultates, expendendæ a consultoribus, et deinde ad Pontificem referendæ. Hic denique anno MCCCXIII die V Maji, Fr. Petrum de Murrone Sanctum esse pronuntiavit, et cetera in Canonizationibus Sanctorum fieri solita fecit solennissimo ritu, quem Cardinalis S. Georgii præsens vidit, pars ipse et minister pompæ, accurateque descripsit. Omittebatur Pontificis titulus, et quod in Pontificatu gesserat nomen Cœlestini, quia omni eorum honori simul et oneri renuntiaverat. [Sed Clemens postea Papa IX anno MDCLXVIII utrumque ei restitui jussit, et Officium sub ritu Semiduplicis inseri Romano Breviario mandavit, cum Lectione IV propria ad II Nocturnum, et Evangelio, Ecce nos reliquimus omnia ad Nocturnum III ; atque hac nova Oratione : Deus qui B. Petrum Cœlestinum ad summi Pontificatus apicem sublimasti, quique illum humilitati postponere docuisti, concede propitius, ut ejus exemplo cuncta mundi despicere, et ad promissa humilibus præmia pervenire feliciter mereamur.]

et Petrus Sanctus declaratur an. 1313

qui mox novis miraculis illustratur.

143 Post Canonizationem varia monasteria, ecclesiæ, altaria in S. Petri nomen extructa et dedicata sunt ; multa etiam variis in locis facta miracula, quorum tamen memoria interiit, remissa (uti post evictam

A etam causam fieri solet) eorum annotandorum cura. Quædam tamen, ab oblivione vindicata scriptis hodieque superstitibus, colligere placet. Monachus quidam monasterii Montis-Casti, id est Sciattri, in Francia, quod anno (ut dictum est) MCCCVIII sub nomine Petri fundatum fuit, in Tractatu quodam per modum Epistolæ ad amicum scripto de Vita Sancti, Caput XVI sic exorditur : Nunc autem miracula quædam, quæ in partibus Franciæ post ejus Canonizationem contigisse perhibentur, recitare volo, licet forsitan et tu ipse ea audieris. [Utinam autem quæ ille Latine scripsit, Latine etiam nancisci licuisset : nunc quod possimus ex Italico Latine iterum reddita accipe, donec pro Supplemento operis originarium contextum communicent ii qui ipsum habent,] Die quodam monasterium hoc flamma corripuerat, consumptisque jam tectis atque ædibus vicinis, ecclesiæ ipsi minabatur excidium, in qua Reliquiarum S. Petri aliqua servatur. Hanc Monachorum unus (uti ipse aliique multi mihi retulerunt) cum devotione accipiens, quando jam aliud nullum remedium supererat in humanis, circum ecclesiam tulit : et subito incendium stetit, neque ecclesiam attigit, licet eo proximiorem periculo, quod pro majori B adhuc parte tecta erat stramine et arundinibus aut juncis, parata utique ad ignem concipiendum materia.

et invocatus incendium sistit,

144 Miraculum istud proximo post Canonizationem tempore accidisse oportet, siquidem adhuc ecclesia tam leviter tecta erat. De eo quod sequitur, velut unum ex miraculis factis in Francia, dubitare possis an huc pertineat; nisi credere velis, eam qua Sanctus cingebatur catenam, vel divisam esse in partes, quarum una monasterio huic obtigerit; vel non semper eamdem, sed pro locorum varietate aliquando fuisse mutatam, ita ut plura loca integram habeant. Miraculum autem ipsum sic narratur. Mulier quædam in puerperio periclitabatur, eo quod diu laborans fœtum eniti non posset : quare concepta erga Sanctum fiducia apportari sibi fecit catenam, qua supra carnem vivus cingebatur : et mox absque suo aut prolis incommodo feliciter peperit. Aurelianis quoque honesta mulier, nomine Catholica, compatiens filiæ, per aliquot dies noctesque simili in discrimine constitutæ, vovit omni anno vigiliam Sancti jejunio colere, si filia sua feliciter pareret, et voti sui rea mox facta est, edito qui matrem cruciabat fœtu. Denique subjungit idem auctor multos C febricitantes se nosse, mox atque Reliquias Sancti tetigissent vel osculati essent, liberatos a febribus; aliquos etiam quibus sanitas obtigit, statim atque ingressi erant in Ordinem, vel in ecclesiam aliquam ei dicatam.

periculose parturientem servat,

145 In alio vetustissimo manuscripto, quod modo est penes adm. R. D. Abbatem Franciscum de Agellis, legitur (et simile quid alibi memini me legisse) fuisse Pratolæ, qui locus duobus solum passuum millibus a Sulmonensi S. Spiritus monasterio distat, mulierem, inter pariendi labores positam; cui multum metuebant vicinæ, in auxilium collectæ, propterea quod fœtu in transversum acto, ipsa exanimis ac mortua appareret. Quare cum clamore valido Sanctum invocant : et statim mortuo fœtu ejecto, extra periculum fuit puerpera. Sed eo non contentæ mulieres, jam semel expertæ suarum precum efficaciam apud Sanctum, cœperunt etiam mortuo infanti postulare vitam, saltem quoad baptismum suscepisset : quod similiter impetraverunt. Sunt autem Pratolenses perquam devoti Sancto, ad cujus monasterium jure patronatus atque dominii spectat ipsorum castellum : ideoque sub ejus nomine habent suam principalem ecclesiam.

item alteram resuscitato etiam fœtu mortuo.

146 Quod attinet ad Abbatum Generalium successionem, post Berardum de Colle-alto, sub quo D Processus formari cœperant, rursum in scripturis anni MCCCX invenio Berardum de Como, utique secunda jam vice; more jam inducto singulis trienniis renuntiandi. Et hic annus ei debuit fuisse ultimus triennii sui, quando successorem accepit Manerium de Ursa, in scriptis anni MCCCXI et XII nominatum. Hic vero aut obiisse debuit aut renuntiasse necdum expleto triennio, siquidem XXVII Januarii anni MCCCXIII notatur Abbas Benedictus de Colle : sub hoc ergo celebrata canonizatio fuit. Exinde habemus in similibus publicis instrumentis, Septembri præcedenti electum pro die IV Maji MCCCXIV Matthæum de Comena, per annos sex integros usque ad XX Maji anni MCCCXX, qui invenitur, anno MCCCXVIII a Tama de Colle-Petri emisse pretio ducentarum et quinquaginta unciarum auri castrum Rocca-casalis dictum : ipsoque XX anno seculi istius accepit successorem Matthæum de Sallis; quando etiam pro meliori regimine Ordinis statutum fuit, ne cui deinceps liceret prorogare magistratum, utque qui eo functus erat, ad novennium deinceps ab eo cessaret. Juxta quam legem anno MCCCXXIII electus fuit Joannes de Sulmona, et anno MCCCXXVI Joannes de Bugnara.

EX ITAL. MSS. Generalibus iterum sexies mutatis

147 Inter istas autem successiones crevit Ordo E variis accessibus in Italia : nam anno MCCCXI fundatum est monasterium S. Nicolai juxta Bergomum, prope portam S. Catharinæ, auctore Guilielmo Longo de Aderario Cardinali; et Mediolani per Joannem Vicecomitem, Archipresbyterum ecclesiæ Metropolitanæ, anno MCCCXVII mense Martio Sede vacante [nam Aycardus solum designatus fuit Septembri sequenti] concessæ sunt nostris ædes, quas antea habitaverant Servitæ et Fratres de pœnitentia Jesu Christi; in iisque sub nomine S. Petri erectum monasterium, modo dictum Cœlestinorum : et alibi alia domicilia sunt acquisita. Sed ultimo nominati Joannis Bugnaræ Præsulatum historiæ nostræ memorabilem fecit sacri corporis Translatio Ferentino Aquilam; quippe cujus annua recordatio die XV Februarii etiam nunc toto Ordine festiva habetur : facta est autem anno MCCCXXVII, quomodo in Lectionibus tunc recitandis declaratur.

Bergomi recipitur Ordo,

et corpus Sancti Aquilam adfertur.

148 Manet nihilominus apud Ferentinates, non solum memoria, sed etiam cultus S. Petri : una cum corde, quod magna cum veneratione custoditur in ecclesia Monacharum S. Claræ Ordinis Franciscani : quomodo autem id ibi relictum inventumque fuerit, fama publica in hunc modum narrat. Postquam F sublato ab ecclesia S. Agathæ corpore, discesserant duo illi Monachi, quibus id negotii commissum fuerat; milites ad custodiam deputati, viderunt mane extinctam lampadem, quæ solebat ante arcam ardere : quam cum nullo ingenio possent iterum accendere, facile suspicati sunt id quod erat : accersitisque ad propiorem inspectionem aliis majoribus se, et allatis sacræ arcæ clavibus, placuit capsam aperiri. Quæ ubi apparuit vacua, concursum illico ad civitatis Episcopum est : et quia tunc aliud fieri non poterat, stetit intra civitatis obsessæ muros sensus injuriæ, qui tamen non omnino summus fuit, quia solum credebant corpus Sanctum ad S. Antonii receptum fuisse. Soluta igitur obsidione, itum illuc ab Episcopo; sed nihil ille reperit, quantumvis diligenter scrutatus omnia, præter cor Sancti [fortassis jam olim exenterato corpore seorsim humatum, et miraculo eatenus occulto præservatum a corruptione communi. Etenim si illud jam olim, in prima sacrorum ossium elevatione facta anno MCCCVI, consumptis carnibus repertum fuisset incorruptum, non potuisset tam eximium miraculum non referri in Processu; ubi tam singulari cura notatur suavis odoris fragrantia, dimanans a sepulcro, res in similibus

Cor apud Ferentinates relictum

urbem obsidione liberat;

EX ITAL. M BINI

A libus fere ordinaria.] Dicitur autem ex traditione, quod occasione fundandi ac fundati apud Ferentinates monasterii illuc aliquando excurrens, rogatusque manere, solitus fuerit respondere: Filioli mei, si ego discedam a vobis, cor tamen manebit apud vos: quod prophetico spiritu sic dictum esse, hoc primum casu intellectum sit.

et quotannis processionaliter fertur ad ecclesiam Ordinis,

149 Corde invento, remeavit ad civitatem Episcopus, seditioni populari compescendæ sufficere illud ratus. Nec eum sua spes fefellit: jacturam enim, quam videbant esse irreparabilem, eo pignore solati Ferentinates; ipso in ecclesiam S. Claræ deposito, decreverunt festum sancti Patris quotannis publica processione venerari, in qua cor prædictum ab illa ecclesia ad ecclesiam nostram S. Antonii deportatur a Clero totius civitatis, cum devotissimo incolarum accolarumque concursu, non sine custodia militari; placuit enim, ad securitatem æque ac pompam, singulis e domibus unum aliquem eligi, qui præsentiam suam armatus exhibeat. Postquam autem coram sacro Corde istic deposito cantata solenniter Missa est, reducitur eodem ordine ad monasterium S. Claræ, sonantibus interim totius urbis B campanis. Equidem de ista Processione jam pridem inaudieram: sed modum quo Ferentinates cor retinuerunt, primum didici per epistolam R. P. Michaelis de Bononia, quondam Prioris ad S. Eusebii Romæ, qui id ipsum se scribit intellixisse ultimum elapso Maji anni MDCXIX, ex Vicario monasterii Antoniani, ac duobus aliis insignibus civibus Ferentinatibus, dicentibus ita haberi Ferentini, et in regione illa, ex universali traditione ac fama. Servantur etiam apud Antonianos illos Patres aliæ quædam sancti Fundatoris Reliquiæ, ac nominatim maxillarum una (non memini utrum sinistra vel dextra) illud verosimiliter ab Aquilanis Patribus remissa ad eorum solatium; tum etiam pretiosa Mitra, Pontificale Cingulum, Stola atque Manipulus: de cilicio etiam atque de calceis pars habetur aliqua. In oratoriolo præterea juncto ecclesiæ, quo reducere se ad orandum Sanctus solebat, custoditur Crux e ligno antiqua, instrumentum (ut ferunt) ad dæmones expellendos Petro familiare. [Avenione etiam in ecclesia Ordinis, sub S. Petri nomine dedicata, haberi partem inferioris maxillæ, cujus pars alia Parisiis sit, docuit D. Richardus Joseph de Cambis, Toparcha de Farguez Avenionensis.]

ubi alia sancti Reliquiæ.

C

CAPUT XIV.

Corpore Aquilam translato, urbis ejus Patronum multis modis se declarat Sanctus.

Ad corpus Aquilæ expositum

Excepto ab Aquilanis corpore, et in ecclesia Collis-madii quam honorificentissime collocato, per aliquot continuos dies præsentiam istic suam successive exhibuerunt homines religione ac dignitate in Clero præcipui, præsertim Episcopus [Philippum appellat Ughellus in serie Episcoporum, novæ Cathedralis a fundamentis extruendæ auctorem] quibus volupe erat devoto frequentique populo identidem sacras ostentare Reliquias, easque infirmis admovere undique accurrentibus; quia cujus adhuc viventis tam efficacem fuerant experti virtutem, sperabant nihilo minus beneficum erga se animum futurum post mortem. Sic in manuscriptis dicitur Nicolaus quidam, cui manus contracta erat, eamdem ad usus suos recepisse sanam, cum fuit ad arcam Sancti corporis adductus: et visibiliter perfecteque ante illam sanata est mulier, pede sinistro claudicans ab ipsa sua nativitate. Matrona etiam Aquilina, ad Processionem anniversariam Sancti per seipsam in die Translationis veniens, sub ea recuperavit visum, quo multis annis caruerat. Eodem D die Gentilis, filius Joannis de Saxo (Aquilani territorii castellum est) qui per duos et dimidium annos gravi morbo sic tenebatur dejectus, ut membra movere præ debilitate non posset, ne quidem ad necessaria naturæ officia; ad eamdem delatus arcam, subito convaluit. Puella quædam de Capistrano, nomine Philippa Thomæ qu. Simonis, contracta corpore, manumque ac pedem unum intortos habens, domum redivit expedita. Et Saxensis puer, Stimulus nuncupatus, attactu capsæ recepit auditum, per sex annos deperditum. Totidem annis oculi dexteri usu ac visu privatus mansit Bernardus Joannis de de Caporciano, eodemque accedens ipsum clare videntem aperuit.

plures miraculose sanantur,

151 Puella quædam de Paganica, quod etiam est castrum juris Aquilani, nomine Joanna, totis viginti duobus mensibus ab immundo spiritu horrendum in modum vexata, non modo non permittebatur signum Crucis formare, sed nec audire orationem Dominicam, salutationem Angelicam, Apostolorum symbolum vel aliud ejusmodi. Mox tamen atque ad arcam protracta stetit, victa omnis inimicæ pote- E statis ferocia, cum sua aliorumque consolatione magna, apparuit liberata. Sed et de aliis mulieribus multis, vexatis a diabolo atque in ista Translatione curatis, testantur manuscripta. Dum autem ante arcam devotus populus freqnentissimus assistit, Episcoporum ibi præsentium unus, elata voce exclamavit, Estne etiamnum hic infirmus aliquis, qui sanari desiderat? Et mox exhibitus est ei a nativitate mutus, surdus atque claudus: cui fidelis Episcopus os Sancti admovens, auresque contingens, easdem reseravit; similiter et vinculum linguæ solvit, et manus pedesque explicavit in conspectu omnium, Deum idcirco magnifice collaudantium. Quidam etiam oculis privatus in bello, productus in medium, tactusque ab Episcopo, eosdem perfecte recuperavit. Quo intellecto cæci alii, nequeuntes præ turba illuc accedere, cœperunt clamare: O S. Petre, utinam videre possemus, quæ nunc te audimus miracula! et illuminati sunt omnes. Quotquot denique contingi sacris ossibus meruerunt, quacumque detinebantur infirmitate, fuerunt illico sanati, ut habet auctor istius MS. Auctor vero MS. Bergomensis addit, quod Archipresbyter Prætoriensis (est autem Prætorium castrum Theatinæ diœcesis) ab inimicis percussus in capite, loquelam amiserat, et in celebritate hujus Translationis cantare etiam Mis- F sam potuit.

energumenæ liberantur.

et cæci illuminantur.

152 Porro solennitas illa anniversaria, non solum in ecclesia Collis-madii nostroque Ordine celebratur: sed ab omnibus quoque civitatis Aquilanæ incolis, ecclesiasticis pariter ac regularibus: soli Fratres Minores id facere contemnebant. Ergo nocte quadam apparuit Sanctus eorum Sacristæ; reprehendensque eum quia Fratres ejus non agebant festum Translationis suæ æque ac alii, eumdem percussit; jussitque ut Fratribus mane facto ostenderet livores ex percussione relictos, ad certitudinem visionis comprobandam. Quod cum ille fecesset, assumpserunt etiam ipsi festum illud cum omni reverentia peragendum. Servatur autem ab eo tempore Corpus sacrum, eumdem suavem odorem etiamnum spirantibus ossibus, intra capsam argenteam; et omni anno bis ostenditur populo, scilicet XIX Maji quo obiit, et XXIX Augusti in festo decollati Præcursoris, quo est Pontifex consecratus Sanctus. Neque solum est ibi amplissimum illud ac sumptuosissimum templum, quod eo vivente si non consummatum, cœptum omnino fuit; sed etiam erecta postmodum singularis capella, ac nobile in ea mausoleum, ad sacri istius thesauri custodiam. Recordor etiam quod

Translationis festum negligentes Minoritæ corripiuntur,

A quod intellexerim, solitos accolas vicatim omnes quotannis processionaliter venire ad honorandum festum Sancti sub suis quosque labaris, cum certa quantitate ceræ : eumque in finem nunc quoque videtur aforis, supra ipsum sacellum, quædam quasi porticus lignea, cum unicujusque castelli insignibus, et clavo ad quem votiva cera appendebatur. Sed ea consuetudo cessavit, substituta in locum ceræ certa summa pecuniæ : qua autem id utilitate vel necessitate sit mutatum, considerandum aliis relinquo, quibus regionis illius mores conditionesque melius innotuerunt.

Obsessa urbs divinitus liberatur

153 Porro cum Aquilæ civitas, ab Aragonum Rege arctissima premeretur obsidione, nec tanto exercitui cives possent resistere, ad cœleste conversi sunt præsidium : et suæ civitatis claves ad S. Petri tutelaris Patroni sui capsam deferentes, in hæc verba flebiliter oraverunt : Sancte Petre, tua est civitas, custodi eam : ecce claves tradimus tibi. Nec irrita fuit devotorum clientum deprecatio. Apparens enim vir Sanctus quibusdam ex civibus; Ne dubitetis, inquit, neque formidetis : mea est civitas, ego custodiam illam. Sequenti autem nocte tutelaris B eorum Patronus Cœlestinus, Ducem hostilis exercitus increpatione terribili, additis ei verberibus, tam graviter corripuit, ut mane non posset exire. Convenientibus autem ad eum Militibus protestatus est, se a quodam Eremita adeo acerbe flagellatum, ut nec surgere quidem posset. Quid præterea? Magnus repente numerus armatorum, veluti e terra prosiliens, obsidionem solvit : et a civibus, trucidato Duce in cubili percussoque pastore, dispersus est universus hostium grex ; et magna strage facta, civitas est ab inimicis liberata. Tanto proinde affectu Divum ipsum, Cœlestinum dico, amant et observant Aquilani, ut incredibile videri possit iis qui præsentes non cognoverunt : idque potissimum in hoc ostendunt, quod in omnibus quas cudunt monetis ac numismatibus, ejus una facie imaginem exprimant, altera autem civitatis reique totius publicæ sculpant insigne. Hactenus Dionysius Faber, concludens Vitam a se compositam, sed prætermissis temporum ac personarum circumstantiis, quas operæ pretium fuerit distinctius nosse.

154 Obsidio illa, cujus meminit Faber, Duce Braccio de Montone Perusino, totis duodecim mensibus tenuit, per annos Christi MCCCCXXIII et XXIV, *an. 1424,* describiturque tum a Bernardino Corio in fine C quartæ partis historiæ suæ, tum peculiari libro per Angelum Fonticulanum sive Fontecchium Aquilanum : qui etiam explicat auxilium civibus a Sancto præstitum. Anno MCCCCXVIII Martinus V, Pontifex in Concilio Constantiensi factus, in Italiam venerat; et contra Reginam Neapolitanam Joannam, Joannis Caraccioli amoribus infamatam, Regem instituerat Ludovicum Andegavensem : paulo post opera Antonii Caraffæ reconciliatus Joannæ, contra eumdem Ludovicum, adjutorem illi conciliaverat Alphonsum Aragoniæ Regem; unde acerrimum inter utrumque Principem bellum exortum est, intra ipsius Regni Neapolitani fines. Eo vehementer se urgeri videntes Joanna et Alfonsus, a Regina in filium heredemque optatus, propter eximiam virtutem atque fortunam Sfortiæ, Ludovicianarum partium Ducis; ejus valentissimum æmulum Braccium de Montono Perusinum sibi conduxerunt, offerentes ei cum titulo Comestabilis Regii Capuanam et Aquilanam civitates, aliasque nonnullas arces. Per hunc anno MCCCCXXII, pulsis ab obsidione Neapolitana Sfortianis, liberati quidem periculo sunt Joanna et Alphonsus, sed hic, de Reginæ fide aut constantia diffidens, post incarceratum Caracciolum ejus amasium, ipsam quoque tentavit in suam redigere potestatem; quod ei non successit, veniente in Reginæ atque civitatis auxilium Sfortia : quo merito D reconciliata Ludovico Joanna, Alphonsi adoptione *EX ITAL. MARINI* rescissa, hanc in illum transtulit, approbante factum Martino Pontifice.

155 Cum ergo Joannæ et Ludovico, tamquam veris ac legitimis Dominis suis adhærerent Aquilani. Braccius, qui prætendebat vel dominium urbis, vel ejus Aprutiique totius gubernationem ad decennium ex priori cum Joanna et Alphonso contractu, et pro se constitutum urbis Præfectum pulsum a civibus ferebat indigne; cum occupatis aliquot circum locis nequivisset civitatem vi obtinere, in ejus obsidione consumpsit totam anni MCCCCXXIII æstatem, tanta cum pertinacia, ut inde nullis eum promissis avocare Rex Alphonsus potuerit : per hiemem vero Theate et Ortonam sese recipiens, quæ ei velut amico Reginæ traditæ fuerant, urbem firmo præsidio circumsessam reliquit. Interim Regina, auxilio junioris Sforziæ, in patris demortui locum assumpti, non solum recuperavit Neapolim, sed etiam speravit Aquilanam obsidionem solvi a suis posse opem ferentibus in eam rem Martino Papa atque Philippo Maria Duce Mediolanensi, collectoque ingenti exercitu sub Capitaneo Generali Reginæ, Jacobo Caldora. Braccius nihilominus, ut E erat animo imperterrito, urgebat stringebatque Aquilanos tam vehementer, ut ad extremum deducti *salvatis qui ad prædam excurrerant civibus* periculum, nullam jam fere spem haberent reliquam in humanis subsidiis. Ipsa tamen desperatione extrema animos faciente, cum intellexissent Braccianorum jumenta solere pasci sub Rocca-cambii; egressi noctu cum duce suo Joanne de Mattalica, atque per juga Montis canii progressi, in insidiis se posuerunt circa rupem prædictam; factaque ingenti boum atque equorum præda, cum captivis octodecim, eadem per juga revertebantur; quando Bracciani, inter Ocras et Paganicam positi eos detexerunt. Assecuti autem illos prope nostrum S. Laurentii monasterium, a monachis in Collem-madium reductis vacuum, non solum præda sed etiam vita exuissent Aquilanos, nisi clausum firmiter monasterium, cujus aditus vi faciendus mora eguisset longiori, subito patuisset, apertum a quodam Monacho, quem (quia deinceps nusquam viderunt, et Monachos omnes abesse constabat) S. Petrum fuisse crediderunt; itaque subducti in locum sunt, unde se captamque prædam tueri potuerunt.

156 Postea per noctem apparuit Braccio Monachus cucullatus, eumque ab obsidione recedere mi- F naciter jubens, scipione visus est percussisse : quod *et hoste fuso* ille, licet evigilans adhuc plagas sentiret, contemptim accepit; perrexitque obsessos urgere instantius, qui propterea civitatis suæ claves Sancto tenendas obtulerunt. Eodem autem anno MCCCCXXIV Kalendis Junii, advenit confœderatorum cum Regina exercitus in territorium Aquilanum ; et quatuor milliariis ab urbe, duobus a Braccii statione castra metati postero, die hora vigesima secunda commiserunt prælium, in planitie campi a Balneo nominati; cujus denique victoria cessit Ecclesiæ exercitui, erumpentibus ex urbe Aquilanis, et fugato qui transitum prohibere jussus erat Nicolao Piccinino. Horum enim inexpectato impetu perculsi a tergo, qui pugnabant, Bracciani, debellati fuerunt : Duxque eorum captus ac læsus die postera expiravit inter manus inimicorum. Mirabilius etiam atque evidentius patuit Sancti suos tuentis præsentia apud Collismadii monasterium, anno MDXX, cum fieret supplicatio a populo Aquilano, [cujus rei narrationem accepimus ex Manuscriptis, et contulimus cum *an. 1520* Parisina Fabri editione, atque Italica interpretatione Marini. Est autem talis in sua originaria Latina lingua, post Bullam Canonizationis descripta.]

EX IPS. MARINI. cum pericli-taretur monasterium

A 157 Quando superiori a summo Pontifice Clemente V facta Canonizatione, permulta vobis proposita sunt miracula, Fratres, quæ post Divi Petri Cœlestini, Patris nostri obitum accidisse certissimum est; ex quibus non solum integerrimi viri sanctitas, sed etiam in cœlum et inter Dei electos relatio omnibus facilius innotesceret; non omnino absurdum videtur, in eam sententiam ac rationem, aliud miraculum superioribus addere, quod omnium recentissime factum, a permultis fide dignissimis comprobatum est, et Apostolicorum Notariorum diplomate (cujus exemplar mox vobis proponemus) confirmatum. Illud autem accidit Aquilæ, anno a Christo nato MDXX circa vesperam, cum publica Aquilani populi supplicatio fieret ad Collis-madii monasterium, juxta ipsam urbem ab ipso Divo Cœlestino aliquando extructum, quo in loco vivens Pontificiam coronam assumpserat, cujus etiam corpus illuc translatum est. Sed et ea supplicatio ob id potissimum fiebat, quod Cardinalis quidam Armelinus, suadente Aquilano Comite (qui tamen paulo post Neapoli in carcere detrusus obiit) prædicti monasterii D. Mariæ de Colle-madio administrationem ambiret, sibique ejus dominium in commendam (ut vocant) dari a summo Pontifice contenderet, ad reditum et nummos potius quam spirituale ministerium anhelans. Cujus rei cum Fratres atque adeo plebs universa maximum mœrorem conciperent, ad divinam supplicationem confugerunt. Id primum a summo cœli terrarumque Pontifice, deinde vero ab ipso Beatissimo Patre Divo Petro expostulantes, ut quid in hac re agendum esset, acciperent: neque vero sanctissimam ædem, tanto antea tempore pie et religiose institutam, tam fœde ac misere collabi paterentur. Ad extremum autem, eo ipso supplicationum die, apparuit ipse Sanctus coram omnibus, diversis locis diversoque amictu, ea forma ac ratione quæ in ipso diplomate continetur. Quo factum ut ea visione, non solum Comes Aquilanus, sed etiam Cardinalis vehementissime territi, ab instituto destiterint, cœptumque consilium intermiserint; non esse tutum existimantes, adversus Deum et ipsos Sanctos temere decertare.

B cadere sub commendam,

158 Assertio Notarii publici de apparitione prædicta. Universis et singulis præsentes inspecturis, lecturis, et audituris. Ego infra scriptus Notarius fidem facio, qualiter de præsenti anno Domini millesimo quingentesimo vigesimo, mense Junio, die vero undecima ejusdem mensis, octava Indictione, Beatissimus confessor, S. Petrus Cœlestinus, cujus sacratissimum corpus in ecclesia S. Mariæ Collemadii, civitatis Aquilæ, religiose reconditum est, maximo ac mirabili splendore apparuit nonnullis fide dignis personis, hora Vesperarum, in frontispicio ipsius ecclesiæ, super votam majorem existentem in medio dicti frontispicii; indutus veste et habitu candido, cum cuculla nigra, cum mitra Papali fulgida in capite, tenens in manu dextra quoddam perlongum privilegium, in quo litteræ videbantur et apparebant, sed legi non poterant: et inspiciebat urbem Aquilanam, et vultu inclinato videbatur signum Crucis facere. Inde ab illo loco discedens, accessit ad angulum dicti frontispicii, supra ubi solent ostendi Reliquiæ et dari populo benedictio tempore plenariæ Indulgentiæ. Post visus fuit rapi, et accessit supra campanile parvum majoris capellæ dictæ ecclesiæ. Item die sequenti, videlicet duodecima præsentis mensis, eadem hora, eodem in loco, apparuit cum indumento Sacerdotali, videlicet cum camiscio albo et planeta diversorum colorum, cum camauro seu mitra Papali habenti tres coronas, et cum virga Pastorali in manu sinistra; et in dextra cum magno privilegio, in quo erant litteræ diversorum colorum, quæ minime legi poterant: ter eundo et redeundo, gravi ac nobili incessu, ab uno in alium angulum dicti frontispicii. Deinde visus est descendere in culmen tecti dicti templi, et graviter incedendo ascendit in campanile parvum majoris capellæ ipsius templi, ubi tres dependent campanæ: quarum unam bis malleo ipsius campanæ pulsavit. Mox ascendit paulo supra, et tres scintillæ ignei coloris ab aere descendentes circumdederunt eum; et statim nubes apparuit ei candidissima, et ipse cum ea discessit. Et tunc maxima tonitrua fuerunt, cum ingenti copia aquarum, quæ fere per spatium unius horæ defluxit: et fulmen magnum ab aere emissum est, quo duæ ædes urbis Aquilæ ictæ et tactæ sunt, tamen absque aliquo incommodo; et eodem die non fuit visus amplius; ut ex dictis, depositionibus, et attestationibus nonnullorum Testium, per Dominum Evangelistam Faustum decretorum Doctorem, Reverendissimique Domini Episcopi Aquilani Secretarium, rite et cum juramento examinatorum, et per Notarium infrascriptum, et in actis et scriptis et annotatis, clarius et seriosius apparet; ad quas et quæ ut in omnibus et per omnia relatio adhibeatur, meum signum apposui consuetum, cum impressione sigilli Domini Vicarii Aquilani. Hyppolytus Balneus de Aquila Notarius, de mandato, propria manu scripsi, Mensis Junii undecima.

C 11 Junii apparuit super ecclesiam Sanctus.

Quis tunc Comes Aquilanus

159 Hactenus relatio antiqua ad cujus illustrationem opportune Marinus suggerit, illum ibi sine nomine appellatum Comitem Aquilanum, fuisse, Ludovicum Comitem Montorii, ex familia Aquilana dicta Camponisa, urbis Gubernatorem annis multis sub Ferdinando Rege et Carolo V, cujus quod consilium fuerit, in ea quam pro Francisco Cardinali Armellino instituerat negotiatione, haud facile quis dixerit: infelix tamen ejus exitus præbet suspicionem magnam affectatæ tyrannidis, aut alterius minus rectæ intentionis, cui ad effectum deducendæ speraverit profuturam sibi Cardinalis illius gratiam apud Leonem Papam X, qui eum et in familiam Medicæam assumpserat, et S. R. E. Vicecancellarium crearat, et Tarentinæ, Hieracensi, Oppidensique Ecclesiis in Regno Neapolitano præfecerat; virum alias laudatum, sed immodice cupiditatis accusatum, quam deinde castigatam vidit sub Clemente VII, amissis uno fere die opibus quas collegerat omnibus, in lacrymabili urbis direptione. Fortassis etiam hoc agebat Comes, ut remuneraretur operam, sibi ab eodem Cardinali navatam antea, in favorem filii sui Joannis Francisci; cui adhuc adolescenti anno MDXV Episcopatum Aquilanum impetraverat, conservabatque, quamvis ille Sacros Ordines recusaret accipere, peculiari privilegio Papæ sic toleratus per annos octo, quando successorem accepit ab Adriano Papa VI Joannem Cardinalem Piccolomineum, Ecclesiasticum habitum commutans in Religiosum sicut scribit Ughellus, et Episcopali titulo graduique renuntians. Civitas autem Aquilana, gratam Apparitionum istarum volens memoriam relinqui posteris, publico Senatus consulto sanxit, in die S. Barnabæ illarum anniversario ducendam quotannis supplicationem, ab ecclesia Cathedrali monasterium Collis madii: et campana supra quam Sanctus conspectus est, exinde creditur peculiarem virtutem contra aereas potestates, fulgura tonitruaque cientes, obtinuisse.

qu r causa anniversariæ processionis?

160 Seniores quidam Aquilani et eo quo res contigerat tempore viventes, in quibus nominatur Cæsar Tartaglia, et non nemo ex familia Castella, Abbati Francisco de Agellis sæpius eadem retulerunt; sed variantes in causa institutarum tunc temporis supplicationum, quam aiebant fuisse pestem ac bellum, quibus Aquilana civitas affligebatur. Verum

A Verum nusquam reperi, quod eo vel consecutis annis usque ad MDXXIV, gravis ulla mortalitas urbi illi vel aliis per Italiam locis incubuerit : sed nec bellum ullum ante annum MDXXVIII videtur extitisse, si excipias excursionem quamdam seditiosorum e Sicilia Hispanorum, per Apuliam atque Aprutium circa mare usque ad Ripam-trasonam Ecclesiastici status, ubi circa Truntum fuerunt repressi. [Est tamen satis mirabile, imo vix credibile, quod Ordinis auctores habent, Commendæ a monasterio avertendæ causa institutam eam supplicationem fuisse; cum absque consensu ejus, qui tunc administrabat Episcopatum, atque adeo ipsius Comitis pro adolescente filio cuncta agentis, fieri talis supplicatio non potuerit, et hic videatur, si conspirabat cum Cardinali, oppositurus sese fuisse comprecationi publicæ adversus consilium suum instituendæ. Quare sicut non negaverim, periculum subeundæ servitutis deprecantibus monachis tali apparitione discussum fuisse; sic dubitaverim an ipsa apparitio non dederit occasionem primam instituendæ supplicationis prædictæ : vel si aliqua tunc agebatur, causam potuit habuisse saltem metum contagii, tam pestilentis quam bellici, alicunde subortum.] Atque hæc

ipso apparitionis illius die.

B sunt quæ ad Dei Sanctorumque ejus, imprimis Petri Cœlestini honorem, colligere multo studio potui; rogans illos, ut hic meus labor proficiat legentibus ad acquirendam divinam gratiam et gloriam sempiternam. In monasterio S. Mariæ Assumptæ, dictæ vulgo Novæ Cœlestinorum, Mazentiæ, Ordinis S. Benedicti, in die admirabilis Apparitionis S. Michaelis in monte Gargano, VIII Maji, anno MDCXIX.

D. Lelius Marini de Maleo Laudensis, dicti monasterii Abbas etc.

161 Addamus ex Benedicto Gonono, quod Gregorius XIII Pontifex Maximus S. Petrum Cœlestinum mirifice coluit, et ut semper eum in mente haberet, imaginem illius egregie sibi depingendam curavit, quam posuit in aula ambulatoria Vaticani. Cumque Jubilæum anno MDLXXV Romæ celebraretur, et cives Aquilani, illuc solenni pompa venientes, Sanctum ejus caput deferrent; ingressuris in Basilicam S. Petri reverenter processit obviam, Sedemque Apostolicam Capiti istic collocando obtulit, ut eam quodammodo reassumeret Sanctus, sicut diffusius narrat Petrus Crespetius in sermone de S. Petro Cœlestino : qui etiam vidisse se testatur atque legisse, in Meduntensi sui Ordinis in Gallia monasterio, egregium ejus librum de perfectione Religiosorum. Qui liber si diversus est ab Opusculo quinto ejusdem Sancti, in quo collectæ habentur ex Vitis Patrum horum sententiæ ad instructionem Monachorum utiliores, miror quomodo effugerit notitiam ac diligentiam Augustini Teleræ Sipontini Abbatis Cœlestini, qui omnia Sancti Patris opuscula restituit ad chirographa exemplaria, atque in justum volumen collecta edidit Neapoli anno MDCXXXX, sub auspicio Mauritii Cardinalis de Sabaudia Cœlestinorum Protectoris. Vincentius Spinellus, circa finem Vitæ a se compositæ dicit, sacra ossa Aquilæ servari in capsa argentea inaurata, quæ Mausoleo marmoreo insigniter laborato includitur, et Philippum III Hispaniarum Regem anno MDCX solicite egisse, ut partem sacri istius thesauri obtineret, inferendam Escuriacensi hierogazophylacio, ipsiusque exemplum præ oculis habuisse quando moriturus optavit vitam in eremo aliqua totam transegisse potius quam in regno.

D EX ITAL. MARINI. *Gregorius XIII pie affectus Sancto.*

Hujus Opuscula,

et Mausolæum. E

NOT. 23***
APP. TOM. VII
MAJI

DE S. YVONE PRESBYTERO

TRECORII IN BRITANNIA ARMORICA.

G. H.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Processibus ad Canonizationem indeque accepto Vitæ Summario veteri, ac recentiori nostro ex eisdem Supplemento cum Miraculis : de Vita per Mauritium Gaufredi edita, et recentiorum scriptis : deque habitu et patronatu Sancti.

ANNO MCCCIII. In ordine ad canonizationem,

Trecorensis in Britannia Armorica diœcesis Sanctum hunc Presbyterum protulit: eadem Officialem seu Judicem ecclesiasticum inconfusibilem prius, deinde animarum Pastorem parochialem habuit quoad vixit ; vita quoque functi corpus Matricis ecclesiæ, quam instaurandam curaverat, gremio condidit ; ac denique anno post mortem sexagesimo quarto extulit publice veneranda ejus ossa, sub Pontificatu Clementis VI, postquam hic eum Sanctorum Catalogo adscripserat. Facta est ea elevatio haud diu post Canonizationem, celebratam Avenione, anno MCCCLXVI *die* XXIX *Octobris : qui dies sub nomine Translationis non solum in ecclesia Trecorensi colitur, sed etiam in aliis ejusdem Britanniæ Armoricæ diœcesibus. Imprimis autem festive agitur dies* XIX *Maji, qua obiit : quando etiam in antiquis recentioribusque illarum partium Breviariis tres de vita Lectiones proponuntur, cum hac Oratione :* Deus qui B. Yvonem, Confessorem tuum, operibus, signis et virtutibus in Ecclesia tua clarere fecisti : præsta quæsumus, ut ejus meritis et precibus tua beneficia capiamus. *Obiit autem Sanctus anno* MCCCIII *: hoc enim probat character* Dominicæ post Ascensionem, *cum mensis Maji* XIX *die conveniens, quando Pascha fuerat celebratum* VII *Aprilis, Cyclo Lunæ* 12, *Solis* 24, *littera Dominicali* F.

B (quæ anno 1366 celebrata est)

factus an. 1330 Processus quem damus,

2 *Ad Canonizationem prædictam, jam inde a tempore Joannis Papæ XXII per Commissarios Apostolicos, anno post mortem Sancti* XXVII *Christi* MCCCXXX, *formati Processus erant : quos ex ipsius Ecclesiæ Trecorensis Codice, ad instantiam D. Grangier Abbatis de Liverdiis et nostri P. Antonii Verjusii, describendos curavit quidam Canonicus Theologalis Ecclesiæ ipsius, anno* MDCLXV. *Continebantur iis depositiones Testium ducentorum quadraginta novem : quorum quinquaginta duo de viventis ac morientis virtutibus fere responderunt, et habentur integra eorum dicta : ceteri de miraculis potissimum informarunt, sed eorum dicta pro majori parte revulsa ex codice sunt, quod tamen damnum, utcumque suppletur per Summarium miraculorum, in fine Codicis istius transcriptum. Summarium autem hoc Pontifici, et assistentibus ei Cardinalibus atque Prælatis lectum fuit, post Summarium vitæ, ex jam dictis depositionibus sumptum, quod jam ante fideliter transcriptum acceperamus et primo loco damus, tamquam monumentum omnium antiquissimum : cui verificando et confirmando producimus ordinate per plura Capita digesta verba ipsorummet Testium, singula confirmantium et enucleatius explicantium : ac denique damus Vitam recentiorem aliam, rogatu Episcopi Christophori et Capituli Trecorensis, adeoque post annum* MCCCCLXIV, *ex iisdem monumentis compilatam, a Fr. Mauritio Gaufridi Ordinis Prædicatorum, ex membraneo Codice, quem dono R. P. Jacobi Dinet, quondam Franciæ Provincialis, habemus.*

C cum Summario Vitæ inde tunc sumpto,

et Vita a Mauritio Gaufredi composita ex MS.

3 *Præcedunt Vitam hanc ultimam in jam dicto Codice Canonizationis Acta, Collationibus undecim comprehensa, quarum argumenta paucis verbis exhibemus, quia ad historiam magnopere non faciunt, et undequaque accrescens moles præsentis operis cogit omittere minus necessaria. Si quis Anecdotorum collector curiosus velit ea Acta publici luci dare, simulque exhibere specimen canonizationis seculo* XIV *usitatæ, ei quod gratis accepimus gratis offerimus, usum scilicet membranei istius codicis : in cujus fine etiam reperitur antiquum S. Yvonis Officium, cum novem Lectionibus de Vita satis prolixis, ab eodem (ut videtur) Mauritio Gaufredi ordinatis : post quas sequuntur aliæ sex Lectiones, fortassis in festo Translationis recitandæ, de ejus virtutibus ad animarum regimen pertinentibus, quæ veluti prosecutio sunt præcedentium, nec tamen usque ad Sancti mortem perveniunt, et omnes accipiuntur ex Vita prædicta, hoc peculiari exordio.* Splendor gloriæ Dei Patris et salutis auctor Dominus Christus, qui suæ admirabilis claritatis radios, ad illustrandum corda fidelium et peccatorum tenebras effugandas, cunctis præsentis vitæ curriculis solita pietate emittere non destitit ; novissime diebus istis sidus novum exhibuit suæ gratiæ, præfulgidum Yvonem, præclarum sui nominis Confessorem.

omissis Actis canonizationis et Officii proprii lectionibus.

E

Summario Britanice reddito usus auctor MS. Rubeæ-val.

4 *Sed nihil omnium ante hac dictorum videtur Trecorensis diœcesis egressum terminos, et ad exteros translatum, præter Summarium vitæ ; et hoc ipsum forsitan Britonice redditum, quod alii rursum Latinum fecerint. Et sic ipsum accepisse videtur Gillemannus, in monasterio Rubeæ-Vallis Canonicorum Regularium prope Bruxellas ; cujus ecgraphum nobis periisse magis doleremus, si ejus defectu nos oportuisset dare Vitam,* quam dictione passim mutata, *edidit Laurentius Surius ; sed fontes ipsos nacti, nihil opus habemus sectari rivos : et ob hanc causam etiam prætermittimus eam, quæ Duaci anno* MDLXXVIII *typis Joannis Bogardi excusa fuit, inter Syntagmata antiquitatum ecclesiasticarum, a Boetio Epone Rordahusanro Frisio J. C. composita, et coram utriusque Juris studiosis in eadem Universitate recitata. Præfatur his auctor in exordio, quod ea quæ dicturus est,* referunt Annales patrii Britonum fidelissimi, quibus attestantur monumenta vetustissima manuscripta, Semi-Francico Semi-Britannico sermone loquentia, quorum apud me, *inquit,* ex concessione cujusdam sunt exempla, nunc etiam Lutetiæ Parisiorum typis mandata : nam Latine nondum mihi contigit rem cognoscere. *Ita ille : nobis autem Britonica ista videre similiter necdum contigit. Spes succresceret, ex his (quæ crederemus immediate accepta ab ore testium, uti postea Latine reddita sunt) suppleri posse, quæ in Latina Versione ad Pontificem delata revelli contigit et aboleri, si ipsis usus Epo iste, aliquid haberet amplius quam contineatur in Summario vitæ : nunc vero cogimur opinari, ipsum hoc Summarium dumtaxat, Britannice redditum, Parisiis excusum, et antea Eponi commodatum fuisse.*

F et Boetio Epone.

Ex his Surius aliique accepere sua.

5 *Nihilo plus habuerunt alii, ac ne illa quidem Britannica scripta, sed Epponis dumtaxat Suriique lucubrationes, qui postea de S. Yvone scripserunt; puta Antonius Perez J. C. in oratione encomiastica, apud Patres Societatis Jesu Lovanii in Oratorio sodalitatis Marianæ*

A *Marianæ habita anno* MDCXXI, *cum ibidem dedicaretur insignis Jurisconsultorum Patroni imago, ab Apelle Belgico Petro Paulo Rubenio picta: Item Clerici Regulares S. Pauli Neapoli, eodem anno offerentes Decio Cardinali Caraffæ Archiepiscopo suo scriptam a se diffusiori stylo Vitam, communis pauperum Advocati ac Oratorii charitatis S. Mariæ Portæ-novæ apud se Patroni. Circa idem tempus, videlicet anno* MDCXXIII, *Petrus de la Haye, Toparcha de Kerckingant, Morlaci in Britannia, curavit imprimendum exiguum quemdam tractatum de Vita et miraculis* S. Yvonis, *Britonica simul et Francica lingua, quem non vidimus; credimus tamen auctorem plus aliquid habuisse ex Trecorensis ecclesiæ archivio: habuit certe, qui illum Brito-Francicum tractatulum nobis indicavit, Albertus le Grand, in Vitis Sanctorum Britanniæ Armoricæ, editis anno* MDCXXXVI: *et habuit eadem quæ nos omnia, nonnihil etiam amplioris lucis ex præsenti locorum notitia, quare nonnumquam eo in Annotatis utemur. Nescivit tamen hic auctor aliique post eum, quando allegarunt Petrum de Natalibus, non hujus, sed Henrici de S. Ursio, Catalogum Petri anno* MCCCCXLIII *Vicentiæ imprimentis, esse Appendicem illam, de quorumdam* B *Sanctorum Petro ignotorum gestis. Agitur in ea Appendice* § XVIII *paucis lineis* de S. Junone Presbytero et Confessore natione Britanno, *deque ejus pœnitentia, hospitalitate, devotione, plane illa dicuntur, quæ apparet de* S. Yvone *intelligenda esse. Sed, die mortis cum die Translationis confuso, dicitur, quod Sanctus* ultimum diem feliciter peregit 6 Kal. Novembris; *ubi etiam sic*, 4 Kal. *debuit aut voluit Henricus scribere. Allegat præterea Albertus S. Antoninum in* 3 *Parte: sed apud hunc aliud nihil invenio quam tit.* 24 *cap.* 9 § 18 *hæc pauca verba,* Quo etiam tempore (*videlicet* XX *Generalis Minorum Guillelmi*) fuit canonizatus S. Ivo.

Albertus le Grand, usus etiam archivio Trecorensi,

male allegat Petrum de Natalibus.

6 *Decuplo plures auctores, qui* S. Ivonis *cum laude meminerunt, allegat Arturus a Monasterio in Martyrologio Franciscano, et inter hos multos Ordinis recentiores, qui eum Tertiariis adscribunt. Nihil equidem detractum his cupio: maxime cum totus Ordo Minorum (cui favere S. Antoninus videtur* Yvonis *mentionem cum historia ipsius conjungens) cum, inquam, totus Ordo Minorum colendum eum assumpserit die* XXVII *Octobris sub ritu Officii Semiduplicis, tamquam* Presbyterum Ordinis Pœnitentium B. Francisci. *Non possum tamen non observare, quod in tanto numero Testium super ejus vita auditorum, in quibus etiam ipsius Ordinis Minorum aliqui, nec unus quidem inveniatur, qui* C *tale quid de eo dixerit. Indicavit ille Guardiano Guingampensi,* quod cum esset Officialis Archidiaconi Rhedonensis, et ibidem audiebat librum Sententiarum, et de Biblia in domo Fratrum Minorum, propter verba divina quæ audiebat, cœpit spernere mundana et appetere cœlestia......... *decimo autem post anno, sensualitatis eatenus repugnantis victor,* assumpsit raubas viles, tunicam videlicet cum manicis largis et amplis et epitogium, satis longas et penitus honestas, de panno albo; *non* griseo, *quemadmodum ait Albertus: neque fune se cinxit Franciscano more,* sed zona, quæ erat de modico ligamine laneo (*ut ait illa quæ partem illius servabat pro Reliquiis*) *et* sotularibus corrigiatis ad instar Cisterciensium seu Prædicatorum utebatur: *pro quibus Albertus, fide non bona,* Sandalia Minorum *substituit. In exercitio porro hospitalitatis visus est erga* Prædicatores et Minores *peculiarius affici. Quæ omnia cum non ostendant, cur Yvonem* Minores *sibi potius arrogent, quam* Cistercienses *aut* Prædicatores, *et præterea nihil ex dictis Testium queat elici; fateri oportet ea dicta, non suis, sed alienis parumque fidelibus oculis legisse Gonzagam, quando parte in Conventu* 20 *Provinciæ Turonicæ scripsit, quod* clarum evadit ex informationibus, factis super canonizatione S. Yvonis, ipsum tertii D Ordinis habitum suscepisse in Conventu Guingampensi, *cum nec hoc quidem ex eis habeatur quod unquam fuerit in conventu illo, nec ipse ejus Guardianus tale quid deposuerit.*

Franciscani Yvonem suis Tertiariis adscribunt:

AUCTORE D. P.

7 *Clarius et evidentius jus in* Yvonem *habent, tum Jurisconsulti, tum Hospitalium curatores, quibus singulari præluxit exemplo. Itaque et Neapolitano illi Oratorio, cujus supra meminimus, justissime lectus Patronus est; et Romæ Britonum natio jam olim anno* MDXI (*juxta vetustam quamdam ecclesiam, quæ nomen habebat Scropha*) *sub nuncupatione* S. Yvonis *construxit hospitale, pro suæ gentis pauperibus peregrinis; cui postea anno* MDLVIII *concessa est ipsa ecclesia restauranda, et cum cura animarum possidenda; quemadmodum possedit, usque dum certiori ejus conservationi prospectum cupiens Henricus III Galliæ Rex, a Gregorio XIII obtinuit; ut Sodalitati S. Ludovici in Urbe subjiceretur. Ibi Festum Patroni solennissime quotannis instauratur, conveniente Advocatorum Consistorialium collegio ad Sacra et Orationem Latinam, ab insigni aliquo Rhetore pronuntiandam: quales varias Romæ impressas habemus: idemque actitatur Antuerpiæ et alibi in Belgio* E *a Collegiis Jurisconsultorum, etiam eorum qui summa cum postestate jus Provinciis dicunt. Hac de re plus aliquid dicturi sumus ad calcem, occasione Reliquiarum ad ejusmodi Sodalitatum Oratoria translatarum.*

Jurisconsulti in Belgio et Italia Patronum celebrant,

8 *Ut autem omnes isti magno nituntur jure, ad vindicandum sibi Patronum* Yvonem, *eo quod vel aliquanto tempore causarum Judicem ex officio et pauperum Advocatum ex caritate, vel Xenodochum semper egerit hospitalitate privata: nulli tamen potius eum sibi proponere ad exemplum patrociniumque deberent, quam quorum institutum ordinemque altioribus excusatis ad extremum usque vitæ diem tenuit Parochiales animarum rusticanarum Presbyteri, quos Curatos foraneos vulgus appellat: ex quorum genere nescio an alium, nisi forte Martyrem Sanctis adscriptum reperturus sis præter* Yvonem. *Etenim plerique eorum non tam libera propriæ voluntatis cœlitus potenter impulsæ electione, quam destinatione aliena educationisque ab Ecclesia acceptæ necessaria obligatione ad sacros appulsi Ordines, indeque ad animarum curam admoti, sæpe priusquam bene didicerunt suas ipsi curare; dum soli inter laicos Clerici, inter idiotas litterati, cœlibes inter conjugatos nupturientesve, vivere pro muneris sui conditione tenentur, absque externis ad sacrarum studia litterarum, ad castitatis tutelam, ad morum disciplinam adjumentis; quibus abundant alii sub oculis Superiorum, inter exempla domesticorum* F *secundum proprias religiosioris instituti regulas Presbyteralia munia exercentes; hoc imprimis curare deberent, ut ad vitam* Yvonis, *tamquam ad speculum, mores exigerent atque componerent suos, domesticam formarent disciplinam, Sacerdotalia exequerentur officia, tam publice necessaria gregi suo quam ipsis privatim periculosa, nisi puris manibus sanctaque intentione tractentur, quod iis devote cultus et imitatione expressus* S. Yvo *poterit impetrare.*

quod imprimis deberent etiam facere ruralium Parochiarum Presbyteri.

SUMMARIUM VITÆ

Ex MS. Processu verbotenus compilatum anno XXVIII *post mortem Sancti.*

Recolendæ memoriæ Yvo Hælorii, Presbyter Trecorensis diœcesis, a nobilibus, fidelibus et Catholicis parentibus, ex legitimo matrimonio procreatus, futurus Sanctus, a pueritia doctus primas litteras et instructus in Grammaticalibus, Parisius audivit Logicalia, tunc quatuordecim annorum vel circa; et ibidem fuit scholaris in Artibus et determinabat quandoque: et postea audivit Decretales et Theologiam ibidem. Et viginti quatuor annorum vel circa fuit

S. Yvonis studia,

EX MS TRECOR.

A fuit Aurelianis in Studio; et audivit librum Institutionum a D. Petro de Capella, et a D. Guillermo de Blavia Decretales; et fuit instructus in Jure civili: et erat bonæ indolis et bene proficiens in studio, et honestæ conversationis: et multum devote frequentabat Missas, et dicebat etiam Horas suas. Vitas Sanctorum legendo, quando veniebat aliquid perfectionis, in quantum poterat imitari volebat. Et cum esset Officialis Archidiaconi Redonensis audiebat ibidem Quartum Sententiarum: et ex continuo cœpit spernere mundana, et appetere cœlestia.

et officia:

2 Et fuit in vita sapiens et litteratus Officialis, primo Archidiaconi Redonensis, et postea Dominorum Alani et Gaufridi Episcoporum Trecorensium. In quibus Officiis sancte et juste se habuit, unicuique justitiam celerem faciendo, sine delectu et differentia personarum; et litigantes et alios dissensionem habentes ad pacem et concordiam pro viribus reducebat. Pro pauperibus, viduis, orphanis, ceterisque miserabilibus personis gratis postulabat, et ipsorum causas fovebat, et ad eorum defensionem se offerebat, etiam non rogatus: unde pauperum et miserabilium personarum advocatus communiter B vocatur, et inter cetera dixit gratis causam matrimonialem cujusdam pauperis mulieris. Et Armigerum pauperem, vocatum Richardum le Roux, qui habebat causam contra Abbatem B. Mariæ de Relec, et non habebat unde posset ducere, dictus Yvo gratis d. causam pietatis intuitu sustinuit et obtinuit in eadem: voluit tamen antequam d. causam ducendam reciperet, quod d. pauper Nobilis juraret, quod justam causam habere credebat.

patrocinium pauperum,

3 In ecclesia de Tresdretz fuit Rector per octo annos et decem annos de Lohanec. Horas suas dicebat sine defectu, et quasi continuo deferebat secum Biblia et Breviarium. Confessiones parochianorum suorum audiebat libentissime, et eis Corpus Christi et alia sacramenta ecclesiastica devotissime ministrabat. Et deferebat super pectus pyxidem argenteam, in qua tenebat Corpus Christi, quod ministrabat infirmis. Omni die vel quasi Missas devote celebrabat, nisi infirmitate vel alio magno impedimento detentus: et frequenter, antequam celebraret, ante altare, et alibi etiam extra Missam, flexis genibus, complosis manibus, se in oratione prostrabat: et cum gemitibus, suspiriis et lacrymis, inclinato capucio et facie occultata, prolixe et devote orabat: et flebat multoties etiam infra Missam, et C etiam extra Missam. Erat orationibus multum assiduus: tempus vigiliis, orationibus, et exhortationibus expendebat.

cura animarum,

orationis assiduitas,

4 Idem noctes multoties quasi insomnes ducebat, et vix aut numquam dormiebat de die vel de nocte, nisi labore studii vel orationis aut itineris fatigatus et somno gravatus. Et licet posset habere lectos delicatos et delicate jacere, dormiebat tamen indutus vestibus suis, et numquam vel raro discalceatus. Apud villam-Martini modico stramine subtus eum ad terram, et pro pulvinari librum quandoque, quandoque lapidem ad caput habebat; et culcitram punctam, vilem, et nigram, qua se cooperiebat quandoque tempore frigoris. Et apud ecclesiam suam de Lohanec jacebat modo consimili super clidam, grossis et nodosis virgis seu baculis compositam: et prope lectum habebat Crucem cum imagine Crucifixi. Et quando hospitabatur etiam penes divites patriæ, hospites pro ipso bonum lectum fieri faciebant, tamen d. Yvo non jacebat in eo, sed indutus super terram jacebat, et somnum modicum capiebat.

somni parcitas,

lecti duritia,

5 Cum esset Officialis Archidiaconi Redonensis, cœpit spernere mundana et appetere cœlestia: et multoties habebat disputationem intra se inter rationem et sensualitatem per octo annos: in nono D vero anno ratio dominabatur sensualitati: et cœpit prædicare. In decimo autem anno dedit bonas raubas Dei amore: et per quindecim annos vel circa ante mortem suam mutavit ex toto vitam suam; et causa humilitatis assumpsit habitum, tunicam et epitogium de panno albo grosso, vocato burello seu cordeto modici pretii et valoris: et sotularibus corrigiatis ad instar Cisterciensium seu Prædicatorum utebatur. Deferebat cilicium ad carnem, et super cilicium camisiam grossam de stupis: et cooperiebat quantum poterat, ne ab aliis videretur.

lucta octennis inter sensum et spiritum,

mutatio vestis,

6 Aurelianis in Studio incipiebat abstinere a carnibus et a vino, et sexta feria jejunabat, tunc ætatis viginti quatuor annorum vel circiter. Dum erat Officialis et cum Episcopo Trecorensi, comedebat panem grossum et potagium tantum modo, et aquam solam bibebat, et exinde fuit magnæ austeritatis et abstinentiæ. Jejunavit in pane et aqua undecim annis per totam Quadragesimam et Adventum Domini et a festo Ascensionis usque ad Pentecosten, et in jejuniis Quatuor temporum, et in Vigiliis B. Mariæ et Apostolorum, et aliis jejuniis ab Ecclesia indictis. Et ter in septimana, quarta scilicet et sexta feria et E sabbato, in pane et aqua jejunabat: aliis autem diebus semel in die panem et potagium [sumebat], exceptis Dominicis, et festis Natalis Domini, Paschæ, Pentecostes, et omnium Sanctorum, in quibus bis comedebat in die. Et erat panis grossus filiginis, avenæ, hordei, furfuris vel mixturæ; et potagium pisorum, fabarum, olerum vel raparum cum sale, sine alio condimento ut plurimum; et quandoque (licet raro) adjuncto modico de farina, et aliquando de butyro. In die autem Paschæ comedebat aliquando unum ovum vel duo, quasi continuo aquam bibendo: sed cum esset cum Episcopis, vel (licet raro) amicorum devictus instantia, ponebat partem de vino in aqua: et de carnibus seu aliis cibis communibus, quos inter fragmenta pro eleemosyna reponebat, se comedere simulabat. Et in ultima Quadragesima ante mortem suam, pietate et compassione cujusdam pauperis infirmi, Yvonis nomine, nunc Eremitæ, quem tunc nutriebat, comedebat aliquando potagium, ut dictum infirmum induceret ad comedendum.

jejunium frequens et arctum,

ejusdem rara ac modica remissio,

7 Nec propter paupertatem vel indigentiam talem austeritatem suo corpori in cibis et vestibus faciebat, cum haberet bonam ecclesiam et bonum F patrimonium, de quibus honorifice poterat sustentari. Sed fuit humilis et benignus, et conversabatur humiliter, et dulciter loquebatur: et incedebat capite inclinato et oculis demissis capucio ante tracto. Et licet posset habere bonas vestes et bonum equum ad equitandum, deferebat tamen vestes humiles et abjectas, et ibat ad prædicandum discurrendo per loca pedester. Gaudebat magis esse cum pauperibus quam cum divitibus, et pauperes tractabat humiliter: et humilitatem gestu, verbis et factis humilibus demonstrabat. Honores mundanos fugiebat: et inter cetera in quodam loco, ubi consuevit convenire magna populi multitudo semel in anno, licet vellent magis audire prædicationem suam quam cujuscumque alterius; tamen voluit deferre Fratribus Prædicatoribus qui erant ibi præsentes: et dicebat humiliter, quod non erat dignus prædicare in præsentia eorum.

humilitas magna,

8 Fuit etiam magnæ patientiæ in adversis et opprobriis sustinendis et vitæ austeritatibus. Quandoque eum alii blasphemabant, et quamvis esset genere nobilis vocabant eum Coquinum: et ipse patienter et vultu hilari sustinebat. Pediculos circa collum seu super vestes illius euntes non permittebat

et patientia Sancti,

A bat auferri, sed reponebat in sinu, dicens eos dimitti debere in cadavere seu garena ipsorum.

ejusdem cura tuendi res sacras.

9 Fuit etiam pacificus et quietus et parum loquebatur nisi de Deo et verba salutis, nec irascebatur sed quæ loquebatur benigne et patienter dicebat. Et tamen pluries jacebat in sacristia ecclesiæ Trecorensis, pro custodia et defensione sacrorum et aliarum rerum ecclesiæ, quas gentes Regis Franciæ volebant capere, occasione centesimi et quinquagesimi bonorum mobilium ab Episcopo et Capitulo Ecclesiæ Trecorensis, quibus d. Yvo modis omnibus et viis quibus poterat resistebat. Et cum quidam serviens Regis equum Episcopi Trecorensis de domo Episcopali cepisset, et duceret eum; d. Yvo equum de manibus d. servientis eripuit, et ad domum Episcopalem reduxit.

Liberalitas erga pauperes,

10 In studio Parisiensi portionem carnium, quæ ponebantur coram eo in mensa, pauperibus erogabat. Tempore quo erat Officialis Archidiaconi Redonensis, Deriano qui fuit postea Prædicator, et Oliverio scholaribus dabat de tribus in tribus diebus duos denarios, et invitabat eos in festis annualibus ad comedendum, ut in Nativitate Domini et in festo B Paschæ, Pentecostes, et omnium Sanctorum, quando Archidiaconus non erat in villa: et cibariis paratis aperiebat portam magnam, et intrabant pauperes et ministrabat eis, et postea ibat ad comedendum cum duobus prædictis. Et tempore quo erat Officialis Episcopi Trecorensis, quidquid proveniebat eidem de emolumento sigilli et etiam de aliis suis bonis, vestesque et forraturas, antequam vestes de burello indueret, pauperibus erogabat. Et erat magnæ compassionis erga pupillos, orphanos, viduas, et alias miserabiles personas; et eos consilio, auxilio, patrocinio, et eleemosynis juvabat: pauperes orphanos nutriebat, et salarium magistris de suo proprio persolvebat.

et familiaritas cum eisdem:

11 Gaudebat magis esse cum pauperibus quam cum divitibus, et pauperes humiliter et misericorditer pertractabat: fuit enim homo magnæ pietatis, compassionis et misericordiæ. Pauperes confluentes ad eum recipiebat secum ad comestionem seu prandium; et eis aquam pro manibus, et ad comedendum necessaria propriis manibus ministrabat: et cum eis sedendo ad terram, magis etiam deformibus juxta se collocatis, panem grossum et potagium comedebat et aquam bibebat. Religiosos vero Mendicantes sæpe bonis cibariis et vino reficiebat, et caritative tractabat. C Pauperibus indifferenter hospitalitatem tenebat, dando eis comestionem et lectum: nam domum fieri fecerat pro eisdem, et ignem etiam faciebat eisdem tempore frigoris.

solicitudo pro iis vestiendis,

12 Pluries et specialiter tempore hiemali emebat seu emi faciebat pannos, de quibus Christi pauperes vestiebat, et alias dabat ei de suis vestibus. Et inter cetera accidit, quod idem Yvo fecerat fieri tunicam pro se, et dixit cuidam pauperi, quod indueret illam cum capucio: et pauper verecundus induit, et sic cum capucio et tunica prædictis pauper lætus recessit. Pathonada *a* et Rivallonus maritus suus cum quatuor liberis, ante mortem Yvonis per undecim annos vel circiter, venerunt ad domum ipsius Yvonis, pro eleemosyna recipienda et hospitando ibidem pro amore Dei: quos idem Yvo cum magno gaudio recepit, et dictos undecim annos vel quasi in domo sua tenuit, et ipsis providit per dictum tempus de victu pariter et vestitu.

et pro excipiendis hospitalitas,

13 Quidquid insuper tam de bonis ecclesiasticis quam de suo patrimonio habere poterat, indistincte pauperibus erogabat; et eis tam in pane quam in pecunia, blado, et bonis aliis multas et largas eleemosynas faciebat: sicque multi pauperes confluebant ad eum et sequebantur eumdem. [Contigit autem] quod furnatam panis quandoque pauperibus erogabat per frusta. D *EX MS. TRECOR.* Et cum tempore messis faceret excuti celeriter blada sua, pauperibus tribuenda; [quidam] Alanus *b* dixit ei quod imprudenter faciebat, quod bladum taliter erogabat, quod si reservaret alio tempore plus valeret. Et d. Yvo respondit, quod non erat certus si tunc temporis vivus esset. Et anno revoluto cum Alanus de blado per ipsum reservato respondisset, quod lucratus fuerat quintam partem; Yvo dixit, quod ipse majus lucrum, de suo quod tempore messium tradiderat, expectabat.

cura infirmorum et mortuorum:

Infirmos, præsertim pauperes, frequenter et libentissime visitabat, et ipsos consolabatur et confortabat, et sanctis verbis et exemplis inducebat, ut Ecclesiæ Sacramenta exciperent, et eis qui indigebant necessaria ministrabat. Defunctis dabat sudaria, et cum aliis eos portabat in feretro, et sepeliebat manibus propriis.

castitas et pudicitia,

14 Fuit homo magnæ castitatis, vitæ sanctæ, et conversationis honestæ, et pro tali deputatus est et habitus. Oculos habebat pudicos: verba ejus, signa, et opera, vita et conversatio sanctitatem et honestatem, munditiam et puritatem, et nihil eis contrarium indicabant: immo peccatum luxuriæ abhorrebat. E Sanctis etiam suis prædicationibus, exhortationibus, et exemplis, viros et mulieres, ut a carnalibus et aliis vitiis abstinerent, et ad castitatis custodiam informabat: et sic multi convertebantur ad bonum, et meliores et honestiores fiebant.

assiduitas prædicationis,

15 Prædicationi verbi Dei assiduus, frequentissime et quasi assidue insistebat: et de locorum Episcopi licentia seu mandato, per plures ecclesias et loca diversa, et inter se frequenter satis distantia, discurrendo pedester, aliquoties bis vel ter in die faciebat sermones; multitudine gentium copiosa, ad audiendum prædicationes ipsius, ex diversis partibus confluente. Fuit namque in prædicationibus plurimum gratiosus, ipsumque gentes magis volebant audire, quam quemcumque alium prædicantem: et sequebantur de parochia in parochiam, seu de loco ad locum, pro iterum audiendo prædicationem ipsius. Et cum ibat prædicando per plures ecclesias una die, revertebatur mirabiliter fatigatus et jejunus, licet fuisset a pluribus invitatus. Cum autem volebat incipere prædicare, ante sermonem et post flexis genibus et complosis manibus orabat devote, quandoque etiam lacrymando: et flebat etiam quandoque in ipsis prædicationibus, cum tanta devotione, quod multos ex audientibus quandoque ad lacrymas provocabat. F

et fructus ex ea copiosus,

Gentes patriæ esse consueverunt crudæ ad bonum et pronæ ad lascivias; sed per ejus bonas prædicationes et exhortationes, sanctam doctrinam et quasi continuum documentum, ac per ejus exempla, quæ facto, verbo et opere prætendebat, multos a suis perversitatibus et erroribus revocavit: et patria et personæ sunt in melius reformatæ. Tractator et reformator pacis, discordantes ad concordiam revocabat, et propter hoc multum frequenter laborabat.

unde magna apud omnes auctoritas

16 Plenus ergo discretione, scientia, bonitate, et virtutibus Deo gratus, tempus bonis operibus occupabat, et nullatenus otiosus. Opera caritatis et misericordiæ solicitus adimplebat, visitabat infirmos, sustentationi et defensioni miserabilium personarum vacabat, discordes revocabat ad pacem, et alia bona quæ poterat faciebat. Et honestus, humilis et benignus, magnæ patientiæ et pœnitentiæ, Missarum celebrationi, orationi, prædicationi, ac studio divinarum scripturarum assiduus, bonum exemplum sanctitatis verbo et opere demonstrabat: et erat vir magnæ auctoritatis et reverentiæ. Et licet ipse honores respueret, omnes tamen assurgebant eidem, et ibant ad prædicationes ipsius: et præsertim

EX MS TRECOR.

A præsertim parochiani eum diligebant et reverebantur ut patrem, et communiter ac publice sanctus Presbyter vocabatur. Sensus etiam ipsum conspicientis propter ejus sanctitatem mutabantur, et propter ejus magnam gratiam vix poterant homines separari ab eo.

Aspirat ad mortem,

17 Per tres septimanas antequam d. Yvo decederet, dixit quod non erat diu quod fuerat multum infirmus et crediderat mori, quod valde affectabat, dum tamen Deo placeret: quia sicut quicumque gauderet, qui hostem suum vel inimicum vicisset, sic ipse de morte gauderet, cum inimicum suum per Dei gratiam se credebat devicisse. In septimana qua decessit, fuit adeo infirmus et debilis quod se non poterat sustinere, imo interdum sustentabatur per aliquos assistentes, et sic Missam celebravit in capella suæ Villæ-Martini. Per tres vel quatuor dies ante mortem ipsius, Joannes Rector ecclesiæ de Franchet, cum Yvone Officiali Trecorensi, invenerunt ipsum vestitum tunicam et epitogium, cum sotularibus seu botis suis, in lecto suo, videlicet supra terram, et habebat lapidem pro pulvinari ad caput. Et cum dictus Officialis eum reprehenderet quia sic jaceret, et non habebat subtus se culcitram

nihil remittens de suo rigore,

B vel saltem satis de paleis seu stramentis; idem Yvo respondit, quod non erat dignus habere, et quod sibi sufficiebat illud quod habebat.

factaque confessione c

18 Tertia die ante obitum fuit confessus in lecto solito, et indutus assistentibus prædicabat, et præcepit Jabreto *c* quod iret ad ecclesiam suam pro inhibendo gentibus ne venirent ad eum; et dicendo eis quod erat in bono statu: quia gentes, audientes ejus infirmitatem, jam incipiebant ad eum confluere, et specialiter de sua ecclesia supradicta. Die Veneris ante mortem jacebat super modico palearum, indutus tunica sua et coopertus culcitra puncta, nigra et misera: et habebat capucium suum super caput extensum. Et cum Derianus dixit sibi, Vos non estis curatus: respondit, Deus scit et novit, et extendit manus junctas versus imaginem Crucifixi, quam habebat ante se.

et suscepta extrema Unctione,

19 Die sabbati post festum Ascensionis de sero extremam Unctionem multum reverenter et devote recepit: et ante conspectum suum in fenestra habebat crucem cum imagine Crucifixi, quam quasi continue cum devotione et reverentia respiciebat, et facientem officium extremæ Unctionis, respondendo ad singula. Et ministravit sibi hujusmodi Unctionem Hamo Vicarius ecclesiæ Trecorensis, de et in

C cujus parochia idem Yvo erat; adstantibus Gaufrido Presbytero et multis aliis, apud Villam-Martini in manerio d. Yvonis, in prædicto lecto de modico stramine ad terram, in qua jacebat indutus tunica, et extractum capucium tenens super caput. Qua Unctione facta idem Yvo loquelam amisit: et respiciens Crucem quæ erat ibi posita ante eum, junctis interdum manibus, et devote et frequenter se signo Crucis signans et muniens, adveniente diei Dominicæ sequentis aurora, quasi se daret sopori, spiritum exhalavit; viginti septem anni fuerunt, in festo Pentecostes vel circa proxime elapso, ut creditur Dominica *d* post Ascensionem. Et erat Yvo tempore mortis suæ ætatis quinquaginta annorum vel circa.

pientissime excedit.

d

Ingens ad mortui corpus concursus.

20 Et eadem die corpus d. Yvonis fuit deportatum quasi eadem hora ad ecclesiam Trecorensem, concurrente etiam multitudine populi copiosa, tangente et osculante cum devotione maxima pedes et manus ipsius. Et postquam fuit portatum ad d. ecclesiam fuit expoliatus raubis, quibus erat indutus, videlicet tunica, epitogio, et camisia prædictis: et camisia fuit posita inter reliquias ecclesiæ Trecorensis. Et dum corpus ipsius esset in feretro in ecclesia Trecorensi, multitudo copiosa populi virorum et mulierum cum devotione maxima tangebant et osculabantur corpus ipsius, annulosque et alia ornamenta eidem corpori tangere faciebant, credentes indubitanter ipsum Yvonem propter sua merita fore Sanctum. Et quicumque poterat tangebat ipsum, vel res suas, vel feretrum, aliqui cum capucio, aliqui cum manibus, prout melius poterant. Et maxima erat multitudo pauperum, contractorum, debilium, et cæcorum, plangentium mortem suam. D

ANNOTATA.

Quæ frequentius notanda occurrerent, ea lector in sequenti Processu requirat: hic pauca dumtaxat addimus.

a *Comparuit hæc, ut alias* Dathovada, *ad dicendum testimonium ordine* XL, *cujus verba (quoniam hic integre satis referuntur) alibi non repetimus: solum indicamus, matri adstipulari* Amiciam *filiam, Testem* XLI.

b *Fuit hic* Alanus, *Testis* XLIV, *cujus etiam verba satis est haberi hoc loco.*

c Jabretus *hic fuit unus ex quatuor liberis prædictæ* Dathovadæ: *alii fuerunt* Gaufridus *Testis* XLVIII, *et* Anquoharita *Testis* XLIX, *qui ad matris et sororis præfata dicta se retulerunt.* E

d *Die* 19 *Maji, adeoque anno* 1303, *qui etiam exurgit ex numero annorum* 27, *passim a Testibus indicato.*

PROCESSUS

Formatus anno XXVII *a morte Sancti.*

CAPUT I.

Expositio et confirmatio totius Processus per Commissarios et Notarios facta.

In nomine Domini. Amen.

Nos Rogerius *a* Lemovicensis ac Ayquelinus *b* Engolismensis permissione divina Episcopi, ac Armericus eadem permissione Abbas monasterii S. Martini *c* de Troarno Bajocensis diœcesis, Commissarii ad inquirendum de vita et conversatione ac miraculis recolendæ memoriæ Domini Yvonis Hælorii Presbyteri Trecorensis diœcesis, et ad infrascripta auctoritate Apostolica deputati, notum facimus universis, Quod anno Domini millesimo tricentesimo trigesimo vigesima tertia mensis Junii, Indictione decima tertia, Pontificatus sanctissimi Patris et Domini D. Joannis divina providentia Papæ vigesimi secundi *d* anno quarto decimo, in civitate Trecorensi, in domo seu manerio quondam Guillermi de Tornamina, quondam d. Ecclesiæ Trecorensis Thesaurarii, in præsentia testium subscriptorum Reverendus in Christo Pater Dominus *e* Yvo, eadem miseratione Episcopus Trecorensis, nobis exhibuit et præsentavit duas Papales litteras, unam apertam et aliam clausam, vera bulla plumbea in filo canabis more Curiæ Romanæ bullatas; et quoddam Procuratorium, Capituli ipsius Ecclesiæ Trecorensis sigillo sigillatum. Quas Papales litteras cum reverentia qua decet, et Procuratorium recepimus humiliter et devote: cujus apertæ Papalis litteræ tenor sequitur in hæc verba.

a b

c Commissarii Apostolici tres

F

declarant, quod anno 1330,

d

e

de mandato Joannis 22

2 Joannes Episcopus, servus servorum Dei, venerabilibus fratribus Lemovicensi et Engolismensi Episcopis, et dilecto filio Abbati monasterii S. Martini de Troarvo Bajocensis diœcesis, salutem et Apostolicam benedictionem. Exultant et gaudent in cœlis animæ Sanctorum, qui Christi vestigia imitando in asperitate vitæ carnis vitia debellarunt. Exultat

profecto

A profecto Creator æternus, cum suam humani generis creaturam, per triumphum de carnis nexibus habitum, conspicit palmam gloriæ meruisse. Exultat nec immerito Angelica turba cœlorum, cum terrenorum incolam, terræ tenebris cultu fidei et devotionis splendore fugatis, cœlestis patriæ civem factum et compatriotam supernorum civium intuetur. Decet igitur ut exultent ingentibus gaudiis cuncti Christicolæ, dum quis pro Christi nomine mundanis spretis illecebris, se pennis virtutum erigens sic profecit, quod accepit per præsentium cursum dierum bravium et habitaculum in excelsis. Sane dudum, quod non sine laudis jubilo digne læti referimus, dilectus filius nobilis vir Joannes f Dux Britanniæ, et quam plures aliæ magnæ reputationis personæ illarum partium, tam felicis recordationis Clementi g Papæ quinto prædecessori nostro tunc viventi, quam per ejusdem prædecessoris obitum Nobis, dispositione divina ad apicem summi Apostolatus assumptis, de meritis sanctitatis et vitæ, quibus recolendæ memoriæ Yvo Hælorii, Presbyter Trecorensis diœcesis, dum in humanis ageret resplenduisse dicitur; ac de miraculis, quæ ad sepulchrum ipsius, cujus corpus in Trecorensi ecclesia requiescit, virtutum Dominus fertur jugiter operari, per litteras suas laudabile testimonium perhibentes, per speciales nuntios et litteras nobis humiliter supplicarunt, ut de hujusmodi vita et miraculis auctoritate Apostolica mandaremus inquiri: ac subsequenter idem Dux et nonnullæ aliæ magnæ æstimationis personæ partium earumdem, per præmissarum supplicationum instantiam, iteratis vicibus per suas litteras similes preces super præmissis nobis duxerunt humiliter porrigendas, ut de vita et miraculis supradictis, quæ non solum continuabantur sed magnificabantur assidue, per diligentem indaginem certitudine habita, decerneremus eum honorandum in terris, quem in cœlis Dominus honorabat. At nuper carissimi in Christo filii nostri, Philippus h Rex et Joanni i Regina Franciæ illustres, nec non multi Archiepiscopi et Episcopi ac Abbates et alii Prælati regni Franciæ, Universitas quoque Doctorum et Scolarium Parisiensium, idemque Dux per alias eorum litteras, ac insuper venerabilis Frater noster Yvo Episcopus Trecorensis, et dilectus filius nobilis vir Guido k de Britannia, eximiæ devotionis zelo ad Sedem Apostolicam personaliter accedentes, ad nostri Apostolatus auditum devotis insinuationibus deduxerunt, quod idem Yvo Presbyter sic dum vixit proprium mandatis divinis subjecit arbitrium, sic contemptis mundi deliciis et mundanis omnino affectibus relegatis se Deo gratam et acceptabilem hostiam immolarat, quod per ipsius grandia præcelsaque merita multa et evidentia miracula Dominus operatur.

de virtutibus S. Yvonis edocti,

atque a Principibus rogati,

3 Licet igitur dignum existat ut humanis laudibus reverenter extollatur in terris, quem providentiæ divinæ sublimitas propter ejus vitæ merita honorari voluit; Nosque per hujusmodi grandia testimonia non modicam informationem receperimus de præmissis; volentes tamen super his cum omni quam possumus cautela procedere, et omni in hac parte maturitate servata investigare solicite veritatem; Discretioni vestræ, de qua plenam in Domino fiduciam obtinemus, per Apostolica scripta mandamus, quatenus vos vel duo vestrum, in loco vel in locis ubi expedire videbitis, de vita et conversatione ac miraculis ejusdem Yvonis Presbyteri, ceterisque circumstantiis hujus negotium tangentibus, juxta formam l, quam vobis sub bulla nostra mittimus interclusam, inquiratis diligentius veritatem; et quæ super præmissis inveneritis fideliter in scriptis redacta, sub sigillis vestris, per viros idoneos ad Sedem Apostolicam destinetis; ut per inquisitionem vestram fideliter instructi, sicut res exigit et expediens visum fuerit, securius in ipso negotio procedere valeamus. Datum Avenione quarto m Kal..... Pontificatus nostri anno quarto decimo.

ad informationem procedentes;

EX MS. TRECOR

4 Universis præsentes litteras inspecturis et audituris, humile Capitulum Trecorense salutem in Omnipotenti Salvatore. Noveritis quod nos facientes Capitulum celebrari, habito inter nos diligenti tractatu et considerata utilitate Trecorensis prælibatæ, reverendum in Christo Patrem et Dominum, D. Yvonem, Dei ac Sedis Apostolicæ gratia Episcopum Trecorensem, Procuratorem nostrum facimus, constituimus et ordinamus et nuntium specialem, ad promovendum et procurandum in Curia Romana et alibi negotium canonizationis bonæ memoriæ D. Yvonis Hælorii quondam Presbyteri; dantes eidem Procuratori nostro potestatem plenariam et speciale mandatum dictum negotium promovendi, etiam procurandi et omnia alia et singularia, quæ circa id necessaria fuerint et etiam opportuna, excepta et dempta eidem Procuratori nostro potestate nos et bona dictæ Trecorensis Ecclesiæ, quatenus nostra interest, obligandi et onerandi; quam eidem Procuratori virtute præsentis Procuratorii non concedimus neque damus: rarum firmum habentes et habituri quidquid circa dictum negotium, modo et forma præscriptis, per dictum Procuratorem actum fuerit atque gestum: et hoc omnibus quorum interest significamus per præsentes litteras, sigillo nostro, quo in et pro Capitulo utimur, sigillatas. Datum die sabbati n post festum Conceptionis beatæ Mariæ Virginis, anno Domini millesimo trecentesimo vigesimo nono.

ab Episcopo Trecor ut Procuratore usi Capituli,

5 Quibus littera Papali et Procuratorio lectis et per nos intellectis, litteram Papalem aperuimus, et ea secreto lecta et contentis in ea auditis et visis, idem Dominus Yvo Trecorensis Episcopus, præstito ab eo prout res exigit juramento de calumnia, et veritate dicenda, produxit coram nobis multos Testes; et receptis ab eis ad sancta Dei Evangelia in forma juris de perhibendo super contentis in ipsis Papalibus litteris juramentis, cum eorum singulis secreto et ad partem super vita et conversatione ac miraculis D. Yvonis ceterisque circumstantiis hujusmodi negotium tangentibus, juxta formam nobis datam, prout melius potuimus, inquisivimus diligentius veritatem: quorum nomina et dicta in eorum depositionibus inferius continentur. Deinde quidam populus de Trecorensi ecclesia, civitate, et diœcesi et partibus convicinis, in magna multitudine et turba quingentorum numero, ut apparebat et ultra, comparuerunt coram nobis: et se exinde ad partem secedentes, et habita deliberatione et tractatu inter eos, postmodum coram nobis revenientes, elevatis manibus versus ecclesiam Trecorensem et ad Sanctos, per sua juramenta unanimiter et concorditer testificati fuerunt et dixerunt, fuisse et esse publicam vocem et famam in Britannia, Anglia, Francia, Hispania, Vasconia, Normannia et in terra de o Lingua-occitana et aliis multis partibus convicinis, quod D. Yvo, tempore quo vivebat et usque ad tempus et tempore mortis ipsius, fuit et erat bonus et fidelis Catholicus, et sanctus homo, et bonæ et sanctæ vitæ, et conversationis honestæ: et quod in vita ipsius et post ejus mortem, ad invocationem ipsius et propter ejus merita, multa miracula facta fuerunt et quotidie incessanter fiunt per eumdem: insuper ad majorem cautelam, venerabilis et religiosus vir Dominus Merianus, Abbas p monasterii sanctæ Crucis Ordinis S. Augustini diœcesis Trecorensis, ibidem præsens, de mandato et voluntate ipsius populi ibidem præsentis,

receperint Testes productos:

deinde turbam plusquam quingentorum,

testantium de publica fama:

EX MS TRECOR.

A tis, præstito prius ab eodem ad sancta Dei Evangelia tacto libro corporaliter juramento, in animam suam et in animas ipsorum omnium et singulorum, testificatus est, et perhibuit omnia supradicta. Et super ipsis publicis voce et fama, etiam cum aliis multis testibus prius juratis, inquisivimus diligentius veritatem: qui deposuerunt, prout in eorum depositionibus plenius continetur.

q quodque coram viderint concursum peregrinorum.

6 Nos etiam *q*....... Trecorensem Ecclesiam, ubi est sepulcrum et corpus ipsius D. Yvonis requiescit, sæpius visitantes, et novimus et vidimus in magna multitudine, propter devotionem quam invenerunt et inveniunt ad ipsum D. Yvonem et ad ipsius sepulcrum, peregrinos concurrentes : multosque cæcos, contractos, dementes, furiosos, nec non plures alios languentes infirmitatibus variis et diversis ibidem remanentes, et S. Yvonem pro visu et sanitate sua recipiendis devotissime invocantes. Vidimus etiam ibidem naves viginti septem, ut apparebat, de argento, quod ideo clare discernere non poteramus cum essent in altum appensæ : et etiam naves cereas numero nonaginta et ultra, et multas alias imagines cereas oculorum, manuum, brachiorum, B tibiarum et pedum : et etiam multa sudaria, mamillas cereas, tarabintas *r* sive potentias ligneas, et multa alia vota cerea, circumquaque ipsum sepulcrum existentia seu appensa, in signum et memoriam miraculorum ibidem olim factorum, ad invocationes ipsius D. Yvonis, ut videbatur et publice dicebatur. Nonnulli etiam familiares nostri, per sua nobis præstita juramenta, coram nobis dixerunt, se in suo primo adventu Trecorensi sepulcrum ipsius D. Yvonis visitasse, et cum magna diligentia ipsum et lapidem in quo est sculpta imago capitis ipsius D. Yvonis ad osculandum, in memoriam et devotionem ejusdem, et omnes alias ejus circumstantias cum diligentia inspexisse et notasse; asserentes, quod ab ipso adventu citra lapis prædictus fuit et est miraculose, non per ministerium hominis, elevatus per duos digitos et ultra. Et hæc sciunt, ut dixerunt, quod magis erat tunc oppressus, et cum aliqua majori gravitate et inclinatione osculabatur quam nunc, et quidam eorum hoc mensuraverunt : quod etiam nonnulli alii præstitis juramentis coram nobis asseruerunt fore verum. De ejusmodi elevatione fuit et est ibidem publica vox et fama. Præterea comparuerunt dilecti in Christo Petrus Hermon, Joannes Rachel, Guillelmus Petri, Guillelmus C de monte B. Michaelis, Derianus de Tregrom, Alanus Peralli, Yvo Camentarii, Vicarii et Presbyteri dictæ ecclesiæ Trecorensis ; et Hamo Nicolai ac Yvo Nicolai, Clerici dictæ civitatis Trecorensis; et præstitis ab eis et eorum quolibet ac sancta Dei evangelia corporaliter tacta juramentis, dixerunt et eorum singuli per suum juramentum coram nobis, se a tempore mortis ipsius D. Yvonis et circa fuisse Vicarios et Presbyteros ipsius ecclesiæ : et per ipsum tempus se vidisse et audivisse multos cæcos, claudos, dementes, furiosos, contractos, debiles, et infirmos infinitos, infirmitatibus variis et diversis afflictos ; ac etiam quosdam mortuos, qui ad invocationem ipsius D. Yvonis frequenter, videlicet claudi ambulaverunt; cæci visum, dementes, furiosi, contracti, debiles et quamplures alii infirmi sanitatem receperunt: quod tamen propter eorum pluralitem et multitudinem ac personarum ignorantiam non possent singulariter singula exprimere, ut dixerunt, seu etiam declarare.

et copiam anathematum:

audiverint etiam testes de elevato lapide sepulcrali,

et Ministros ecclesiæ Trecor. de pluralitate miraculorum,

atque omnia rite signanda curant.

7 Et in testimonium præmissorum nos præfati Commissarii præsentibus litteris, una cum signis et subscriptionibus Notariorum subscriptorum, sigilla nostra duximus apponenda. Datum quarta die intrantis mensis Augusti, a dicta die vigesima tertia mensis Junii per nos debite continuata, Anno, D Indictione, et Pontificatu prædictis, præsentibus venerabilibus viris Magistris Jacobo Brachi-fortis Engolismensis, Guillelmo Sambuc Æduensis ecclesiarum Canonicis, et Bartholomæo de Cella, Priore secularis ecclesiæ B. Mariæ de Gratayo Bituricensis diœcesis *s* Tholosano, et pluribus aliis ad præmissa Testibus vocatis specialiter et rogatis.

Et ego Dalemant Lemovicensis diœcesis, publicus auctoritate Apostolica Notarius prædictus, præsens receptioni et omnibus aliis superscriptis, cum dicerentur et agerentur, una cum prænominatis Testibus et Notariis publicis infrascriptis præsens fui, et præsentem Processum propria manu scripsi, de mandato dictorum Dominorum Commissariorum, et in hanc publicam formam redegi, meoque solito signo signavi rogatus et requisitus.

Et ego Petrus de *t* Clousello, Clericus Engolismensis publicus Imperiali auctoritate Notarius, præmissis omnibus et singulis, una cum Notario et Testibus prædictis præsens interfui, et huic Processui, dicti Notarii scripto propria manu, me subscripti de mandato dictorum Dominorum Commissariorum, signumque in Processu præsenti apposui E consuetum.

Et ego Rogerius Potin, Bajocensis diœcesis Clericus, publicus sacri Imperii auctoritate Notarius, præmissis omnibus et singulis, una cum Notariis et Testibus prædictis, præsens interfui, et huic Processui manu propria me subscripsi, de mandato dictorum Dominorum Commissariorum, signumque in processu præsenti apposui consuetum.

ANNOTATA.

a *Sedit* Rogerius Lemovicensis *an.* 1328, *ad Archiepiscopatum Bituricensem promotus an.* 1343.

b Ayquelinus *seu* Aquilinus Engolismensis *sedisse debuit inter Guilielmum IV, anno* 1328 *ex Regesto Vaticano notum, et Eliam II, pro anno* 363 *inventum a Sammarthanis : qui tempus* Ayquilini *ignorantes, eum posuerunt ante Guillelmum.*

c *Monasterium* S. Martini de Troarno *Ord. Benedictini, vulgo* Troarn, *Abbatem hoc tempore habuit, secundum Sammarthanos,* Guillelmum Aux Espaules, *Canonicum Constantiensem, Commendatarium fortassis.*

d Joannes XXII *ordinatus an* 1316 *mense Septembri.* F

e Yvo *fuit Episc. Trecor. an.* 1327, *qui hoc ipso anno* 1330 *ad Corisopitensem, et denique an.* 1333 *ad Macloviensem Sedem translatus est.*

f Joannes Dux Britanniæ *hujus nominis* III *ab an.* 1315 *laudatissimus Princeps, obiit an.* 1341.

g Clemens V *ordinatus an.* 1305, *obierat* 1314, 18 *Apr. post quem biennio Sedes vacavit.*

h Philippus VI Rex Franciæ *cæpit anno* 1328, *obiit* 1350.

i Joanna *illius uxor, filia Roberti Burgundiæ Ducis, marito vix* 14 *diebus superstes.*

k Guido de Britannia, *frater Ducis Joannis; Comitem Ponthiveris appellat Argentræus.*

l *Hujusmodi formam vide sis in Processu de S. Francisco Paulano* 2 *Aprilis : nam quæ hic allegatur, Processui præsenti non habetur inscripta.*

m *Deest nomen mensis in ecgrapho nostro, potuit notatum fuisse* IV. Kal. Novembris; *quia Breve expeditum* 28 *Novembris, ante* 9 *Decembris, non potuisset Trecorim Avenione perferri, intervallo plusquam* 160 *leucarum.*

n Festum Conceptionis B. M. 8 *Decembris, anno* 1329 *incidebat in Feriam* 6.

o

A o Terra de Lingua occitana, *aliis* Occitania, *vulgo* Languedoc.

p Monasterium S. Crucis, *juxta oppidum de Guemkamp exstructum an.* 1135.

q *Videntur hic iterum posita fuisse, eadem quæ initio, Commissariorum nomina.*

r Tarabinta, *Britannica forte vox, alibi necdum lecta.*

s *Ecgraphum simpliciter* Tholos.

t *Hic deinde solus infra cap. 9 ad calcem invenitur signasse primorum* LII *Testium depositiones.*

CAPUT II.

Natales S. Yvonis, Studia, officia, pauperum gratuitum patrocinium.

Inter testes a die 23 Junii ad 4 Augusti auditos.

In nomine Domini amen. Sequuntur depositiones testium prædictorum, juratorum et examinatorum super vita et conversatione bonæ memoriæ D. Yvonis Hælorii Presbyteri, sepulti in ecclesia Trecorensi, per Reverendos Patres in Christo, Dominos Rogerium Lemovicensem, Ayquilinum Engolismensem Episcopos, et Aymericum Abbatem monasterii S. Martini de Toarvo diœcesis Bajocensis, auctoritate Apostolica Commissarios deputatos : quæ examinatio fuit incepta die sabbati *a*, in vigilia Joannis Baptistæ, et fuit completa die sabbati post festum B. Petri ad Vincula, Trecoris anno Domini MCCCXXX.

primus Magister ipsius Sancti,

testatur nobilitatem generis,

9 Primus Testis, discretus vir Magister Joannes Villæ-Senis, et Jurisperitus, Parochianus de Plebeparva Trecorensis diœcesis, ætatis XC annorum, ut dixit et per aspectum corporis apparebat, testis productus, juratus et diligenter examinatus, super vita et conversatione D. Yvonis Hælorii Presbyteri supradicti, per juramentum suum deposuit *c*. . . . . D. Yvonem a fidelibus et Catholicis parentibus et de legitimo matrimonio procreatum. Interrogatus quomodo scit præmissa, dixit, pro eo quod novit patrem et matrem D. Yvonis, quos vidit pluries in ecclesia Trecorensi et extra Catholice conversantes, et quod in solennizatione matrimonii ipsorum præsens interfuit, quo constante matrimonio D. Yvo natus fuit. Interrogatus de nominibus dictorum parentum, dixit quod pater vocabatur Hælori, mater vero *d* Hadou : quos parentes etiam dixit *e* Nobiles extitisse. Deposuit etiam quod præd. mater ipsius D. Yvonis dixit eidem Testi quadam die, de qua dixit se non recordari, quod D. Yvo erat futurus Sanctus, quia sic eidem matri in somnis fuit revelatum. Interrogatus de loco in quo ista dixit mater, dixit in domo parentum ipsius D. Yvonis, quæ domus vocatur Villa *f* Martini, de parochia Trecorensi ; adstantibus patre et matre prædictis et ipso. D. Yvone ; dixitque quod quinquaginta anni sunt vel circa, quod præmissa audivit. Dixit etiam se novisse D. Yvonem a pueritia sua et se fuisse conversatum cum eo Aurelianis, Trecoris, et alibi, in eisdem camera, lecto, et scholis; et ipsum se D. Yvonem primas litteras docuisse, et aliquando instruxisse in Grammaticalibus et jure civili in præd. locis : in quibus etiam locis vidit præd. D. Yvonem se gerentem honeste et valde proficientem in studio litterarum. Item dixit quod D. Yvo et ipse Testis audierunt Aurelianis librum Institutionum a bonæ memoriæ Petro *g* de Capella sacrosanctæ Rom. Ecclesiæ Cardinali, cujus D. Rogerius, nunc Lemovicensis Episcopus, nepos fuit, et a Domino de *h* Blavia, quondam Engolismensi Episcopo, Decretales, cujus D. Ayquilinus, modo Engolismensis Episcopus, nepos fuit, hujus negotii Commissarii.

matri revelatam filii sanctitatem,

C

et studia ejus Aurelianis :

alibi de studio Parisiis,

10 Testis III Yvo Sueti, Clericus de Rupe Deriani Trecorensis diœcesis, ætatis annorum sexaginta

decem, dixit se fuisse Parisius per annum vel circa continuum, in eadem camera et in eodem loco, in societate D. Yvonis, quinquaginta anni sunt elapsi vel circa : et quod ambo audiebant insimul Logicalia : et quod tunc erat d. Yvo ætatis quatuordecim annorum. *Ita ille, nimis indistincte quoad tempus, quod multo accuratius expressit* Testis X, Henricus Ficheti, Clericus parochianus de Pemerit-Gyeudi diœcesis Trecorensis, ætatis LXXX ann. vel circa, *dicens* quod sexaginta anni sunt vel circa, quod ipse cognovit D. Yvonem in Studio Parisiensi, ubi erat primo scholaris in Artibus : et vidit ipsum postmodum quandoque determinantem, in vico Straminum et postea vidit eum audientem decretales in vico de Clavo *i* Brunelli. *Et hi quidem honestæ ejus ibidem conversationi testimonium simpliciter præbent,* Testis *vero* XII Radulphus Portarn, Clericus de Lammeur Dolen. diœc. æt. LX ann. *postquam* dixit, quod cognovit eumdem D. Yvonem in Studio Parisiensi audientem Theologiam, *addidit,* quod dicebatur tunc communiter, per compatriotas et alios qui ipsum cognoscebant, quod idem D. Yvo non jacebat in lecto, sed ad terram cum modico stramine, licet lectum bonum haberet in sua camera, sicut idem Testis aliquando asseruit se vidisse. Item dixit quod etiam dicebatur communiter per illos qui conversabantur eum eo, quod portionem carnium quæ apponebatur in mensa coram eo, pauperibus integram erogabat. Interrogatus in qua camera tunc morabatur, dixit, se non bene recordari : credit tamen quod prope domum Hospitalariorum,

D

EX MS. TRECOR. *a*

et ejus ibi profectu,

i

duritia lecti et abstinentia carnium

E

11 Testis XVIII Guilielmus Petri, Vicarius perpetuus in ecclesia Trecorensi, æt. L ann. dixit, se cum eo conversatum fuisse Aurelianis per duos annos vel circa in Studio, in eadem camera : et quod tunc incipiebat abstinere : quia aliquando socii ejus comedebant carnes et bibebant vinum, et ipse abstinebat, et etiam illo tempore sexta feria jejunabat : nec vidit quod carnes comederet aut vinum biberet : et tunc erat ætatis XXIV ann. vel circa. Dixit etiam quod libenter ibat ad missas et sermones, et communiter dicebat Matutinas et Horas bene mane. Item quod *ipse, qui* quotidie et continue ibat cum eo, numquam vidit eum turbari cum socis suis, nec jurare de Deo nec de Sanctis, nec aliquod verbum inhonestum proferre, nec vidisse in eo unquam signum aliquod contrarium castitati. *Similia deposuit* Testis XXXV Yvo de Tregoezel, parochianus de Plebe-parva, ætatis LV ann. *præfatus* se cum eodem fuisse bis in studio Aurelianis. non tamen in eadem domo : sed eum frequenter videbat, et cum eo conversabatur, videlicet prima vice per duos annos vel circa, et secunda per duos annos cum dimidio.

Aurelianis continuata,

cum insigni modestia.

F

12 Testis II, discretus vir Magister Herveus de Contrevan, Sacrista ecclesiæ Trecor. ætatis LV ann. et ultra, dixit quod cum esset Officialis, de tertia parte Sigilli Curiæ Trecorensis, quæ ad eumdem ratione sui Officialatus *k* spectabat, et de bonis suis aliis largas eleemosynas pauperibus faciebat : quodque causas communes pace vel concordia terminabat, ita ut quæcumque causa, nisi esset matrimonialis, vel talis quod eam oporteret judicio terminari, vix tertio termino ad manus ejus veniebat. *Huic quoad fructus sigilli attestatur* Testis XVIII, quia vidit frequenter ipsum recipientem pecuniam pro sigillo, et statim eam receptam pauperibus erogabat. Hamo *vero* Nicolai, Testis VIII, Clericus civitatis Trecor. æt. L ann. et ultra, *confirmat quod* partes coram se litigantes ad invicem ad pacem et concordiam totis conatibus revocabat : quia vidit et audivit id pluries cum esset tunc Apparitor d. Curiæ. *Imo* Testis XXXII Dyonisius Jameray civis Trecor. æt. LX ann. *addit, quod* numquam vidit ipsum in aliquo turbatum nec iratum,

Factus Officialis emolumenta sigilli largitur pauperibus,

litigantes pacificat,

A EX MS TRECOR.

iratum, nisi quando audiebat quod aliquis injuste contra proximum suum movebatur; et tunc irascebatur illi qui injuste conabatur ducere malam causam, et cogebat et inducebat ipsum suis sanctis et pacificis verbis ad concordiam.

paci adversantes

13 *Proprio id experimento probavit* Testis XIII Gaufridus de Insula, parochianus de Ploegaznou Trecor. diœc æt. LXXVII ann. *quia* cum longo tempore litigasset cum Mag. Radulpho Portarn Clerico de Lammeur Dolen. diœc. et Jacobo ejus fratre, filiis uxoris d. Gaufredi, et nullus posset pacem inter eos conformare; quadam die, cum idem Gaufridus et uxor sua ac filii supradicti essent in ecclesia Trecorensi, D. Yvo eidem Gaufredo dixit ista verba similia : Gaufride, amore Dei faciatis pacem, vos et uxor vestra cum filiis ipsius uxoris : quia ego (si vobis placet) inter vos et ipsos amicabiliter ordinabo. Et tunc idem Gaufridus respondit et dixit D. Yvoni, per hæc verba vel similia : Domine Yvo, nullam pacem volumus, nisi illam quam jus et justitia nobis dabit. Et tunc D. Yvo dixit eidem Gaufrido et uxori, Expectate donec revertar ad vos, quia vado ad celebrandam Missam de Spiritu sancto, et rogabo Deum quod possim inter vos pacis fœdera reformare. Et Missa hujusmodi per D. Yvonem celebrata, reversus fuit ad conjuges supradictos, qui voluntati ipsius nullatenus contradicere potuerunt, ut dixit. Immo dixerunt ei, Domine, de discordia, quæ inter nos vertitur, voluntatem vestram penitus faciatis. Unde visum fuit eidem Testi, quod per preces ipsius D. Yvonis fuerunt mutatæ voluntates eorum, et quod Deus voluit quod per ipsum pax fieret inter ipsos. *Similia immediate antea dixerat præd.* Radulphus Testis XII, *addens expresse, quod* D. Yvo bonam pacem et concordiam inter partes postea fecit, et fine grato cuilibet partium terminavit hujusmodi controversiam, *quæ erat* de quibusdam bonis mobilibus et immobilibus.

dicta Missa de Spiritu S. emollit,

B

patrocinatur pauperibus gratis,

14 Testis III *num.* 10 *nominatus,* dixit, quod D. Yvo erat defensor et patronus viduarum, orphanorum, pupillorum, pauperum, et aliarum miserabilium personarum gratis. Et vidit et audivit pluries quod ipse se iis offerebat, dicens : Ego adjuvabo te pro Deo. Et specialiter recordatur de quadam vidua nomine Levevez, de parochia de Peverit, quæ litigabat cum quodam usurario d. loci vocato Rivallo Hardel, ratione cujusdam horti sive *l* Courtil. Cujus Levevez D. Yvo causam duxit usque ad definitivam, gratis, ipso vidente, audiente, sciente et assistente eidem mulieri, quæ de genere ejus erat. Testis XXX Gaufridus Jupiter, Rector ecclesiæ de Tredudel Trecor. diœcesis, æt. an. quinquaginta, *similiter* dixit, quod vidit quemdam nobilem pauperem, vocatum Richardum le Roux, parochiæ de Tredretz, qui litem habebat cum Abbate B. Mariæ de *m* Relec diœc. Leonensis. Et dum prætextu paupertatis non posset suam causam ducere, ad D. Yvonem accessit, eumdemque supplicavit, quatenus pro Deo et intuitu pietatis ipsum adjuvaret et foveret in sua justitia contra d. Abbatem, qui eidem terram suam conabatur auferre; et non poterat se defendere, cum esset quasi omni sua substantia denudatus. Et tunc D. Yvo petiit ab eodem utrum justam causam haberet. Qui respondit, quod sic credebat, et de hoc erat paratus sibi fidem facere per proprium juramentum : quod oportuit fieri antequam D. Yvo vellet se intromittere de causa prædicta. Et facto hujusmodi juramento, statim D. Yvo incepit ducere causam d. pauperis, et ad finem perduxit, et causam præd. lucratus fuit, d. pauperi suam justitiam defendendo. *Idem, tamquam de quo* illis in partibus erat publica fama *n*, *dixit* Testis XXXI, Alanus Thomæ de plebe-Loci Trecor. diœc. ætatis ann. LXX; *ad-*

l

C

m

contra potentiores adversarios ;

n

dens, quod oportuit etiam quod D. Yvo audiret testes, qui sciebant d. causam bonam esse pro d. paupere nobili. D

15 D. Oliva, relicta D. Olivarii Arrel, Militis parochiæ de Plebe-magna, Trecor. diœc. æt. LX ann. Testis XXXIII, dixit, quia vidit quod D. Yvo duxit gratis causam cujusdam pauperis contra præd. D. Olivarium maritum suum, et ipsos post longum litigium ad concordiam reduxit. *Huic matronæ proximus* Testis XXXIV Joannes de Quoitfrec, Armiger parochiæ Plebis-Petri, ætatis L ann. *qui* D. Yvonem novit per tres annos ante mortem suam; recolit quod gratis duxit causam matrimonialem cujusdam pauperis mulieris, vocatæ Filiæ Manoy, parochiæ de Lohanec, de cujus filiæ proprio nomine non recordatur. *De eadem fortassis muliere locutus fuit* Testis XIX, Religiosus vir Fr. Petrus, Abbas monasterii de Begar, Ord. Cisterciensium Trecor. diœc. æt. an. LV, *cum* dixit, quod recordatur, quod quædam mulier petebat quemdam juvenem in matrimonium, de quorum nominibus non recolit : et D. Yvo, sciens d. mulierem habere jus, sustinebat causam ipsius amore Dei. Et ex hoc d. juvenis dicebat verba opprobriosa D. Yvoni, vocando ipsum *o* Coquinum sive *p* Truannum : quod D. Yvo, præsente ipso Teste, sustinebat patienter, nec aliquid propter hoc respondebat, sed solummodo subridebat : et causam d. mulieris, parochiæ suæ, modo solito defendebat. Et cum non haberet unde solveret memorialia, quibus indigebat; rogabat Notarios Curiæ in qua litigabant, ut illa memorialia scriberent amore Dei, et ad hoc ipsos inducebat. *Similiter* Testis XXXV *prænominatus supra,* dixit, quod libentissime et frequentissime causas talium sustinebat sine salario, in Curia Episcopi Trecor. et in aliis Curiis patriæ; prout idem Testis qui loquitur vidit multoties et audivit. Et recordatur quod vidit semel D. Yvonem, defendentem causam cujusdam pauperis mulieris viduæ, vocatæ Adeliciæ Hamonis de civitate Trecor. in Curia D. Guilielmi de Tornamina, contra filium Prigentii de Ploesal. Et tunc Advocatus partis adversæ dixit multa opprobria D. Yvoni, dicenti : Non dicatis mihi opprobria, et Ego foveo causam justam. *Pari modo* Testis XXXVII, Yvo Hatoicy civitatis Trecor. ann. L, vidit et audivit, quod D. Yvo causam cujusdam pauperis, vocati Constritin, contra patrem ipsius Testis sustinuit, pro eo quod de pauper, ut credit, habebat justam causam.

convitia quandoque idcirco passus

E

o

p

16 *Juvat hic ex sæpe laudato opere Alberti le Grand de Vita, gestis, morte et miraculis Sanctorum Britanniæ Armoricæ, casus duos, prioribus non absimiles, addere, quos credere libet ex fideli auctore, licet mihi, ignoto, sumptos.* Judicavit aliquando causam matrimonialem in favorem cujusdam juvenis, puellam quamdam sibi in uxorem vindicantis : a qua sententia cum Turonas appellasset illa ad Officialem illius loci; is ad consessum adhibito Yvone, discussisque actis nihil inveniens unde constare posset de matrimonio, interrogavit Sanctum, ecquid eum movisset ad ejusmodi sententiam ferendam. Hic vero, Quod ipsamet, inquit, mihi fassa matrimonium sit. Tum Trecorensis coram omnibus interrogavit puellam; quæ audacter inficiata factum est. Cum autem etiam S. Yvo eam interrogasset, Confessa est rem ita esse. Excanduit ad hanc inconstantiam Trecorensis; et illa, Omnino, inquit, nego ipsum esse maritum meum. Cui Sanctus, Huc ades, filia, numquid mihi fassa es quod illum maritum acceperis? Imo, ait maritus meus est, et ego uxor ejus; neque dum vivam alium maritum habebo. Ad hæc attonitus Turonensis, et elucentem in hoc actu Yvonis sanctitatem demiratus, cathedra decessit, ut suam ipse sententiam confirmaret. In eadem civitate res alia contigit

F *Ex ore suo convincit puellam matrimonium negantem*

A contigit perquam mirabilis, cum illuc simili ex causa esset profectus, nobili quadam puella illuc appellante a sententia illius, contra ipsam lata in favorem æque nobilis adolescentis. Solebat sanctus Turonas veniens uti hospitio cauponariæ cujusdam viduæ ac divitis; quæ ut hac vice illum vidit, plorare incipiens, Ah! inquit, care hospes, perdita sum funditus, per impostorem quemdam, cui cras damnabor in mulctam mille ducentorum aureorum, absque ulla mea culpa. Misertus ejus Yvo, in Domino confidere jussit, causamque exponere; hanc se pro viribus evicturum, si justa sit. Duo, inquit illa, menses sunt, quod viri duo, mercatores in speciem, apud me hospitati, commendarunt mihi peram quamdam, valde ponderosam et clavi obseratam; addentes ne illam eorum alteri nisi altero præsente redderem, quod eis me servaturam promisi. Quinque aut sex dies post, dum ad ostium domus meæ consisto, iidem transeuntes cum tribus aut quatuor aliis dixerunt, Eia, hospita, in vesperam nobis para cœnam: atque ita transierunt. Paulo post adest eorum alter, et ait, Domina, tantisper mihi peram exhibe; jam B jam enim soluturi sumus debitum nostrum, his quos vidisti mercatoribus. Ego, nihil mali suspicans, peram tradidi; nec amplius deinceps ipsam aut illum vidi. Vesperi revertitur alter, et interrogat, num viderim ejus socium; Non inquam, ex quo ipsi peram tradidi. Tum ille: Peram? Perii, inquit, omnium qui vivunt spoliatissimus: non hoc tu promiseras nobis ipsam tradentibus: ergo eo ad Balivum recta, malæ fidei ream acturus te. Abiit ad Balivi Turonensis Locum-tenentem, citavit ad judicium, juratus affirmavit peræ illi inclusa fuisse scuta aurea mille ducenta, cum aliquot schedis momenti maximi: et ecce eo adducta est causa, ut die crastrina damnanda ei sim. Audita relatione petiit Sanctus ut Advocatum suum sibi sisteret, a quo adducto, cum eadem omnia intellexisset, impetravit ut causam viduæ sibi agere liceret. Comparuit ergo in judicio, comparuit etiam pars adversa. Tunc Yvo ad Judicem; Adducitur in causam, inquit, factum novum, atque ad ejus decisionem peremptorium: nam vidua hæc post adhibitam quam maximam potuit diligentiam, reperit tandem peram qua de agitur, exhibitura eam quando ex justitia tenebitur. Tum patronus actoris: Nisi, inquit, exhibeatur ea statim, frustra hæc jam jam ferendæ sententiæ injicitur mora. At Yvo: Causa, inquit, talis est: C Hospitæ, peram suscipienti, injunctum fuisse ait actor, ut ne alteri nisi coram altero peram reddat: socium ergo adducat ille, et utrique (ut condictum est) pera reddetur. Æquum peti judex censuit, et sua se fraude captum vidit actor; pallensque et tremens ita se gessit, ut omnibus in suspicionem venerit doli mali; conjectusque in carcerem, aliis aliisque indiciis accedentibus, deprehensus quis esset, convictusque in ea pera nihil nisi veteres clavos et alia ferri frusta habuisse, tertium post diem suspensus in furca est. *Hactenus Albertus, penes quem facti fides sit, donec alius auctor certior inveniatur.*

Viduæ injuste damnandæ in 1200 aureos

causam suscipiens Yvo,

eam felici astu liberat a damno.

ANNOTATA.

a *Vigilia S. Joannis Baptistæ id est* 23 *Junii, concurrens cum Sabbato, notat annum* 1330 *litt. Domin.* G.

b *Hoc etiam Sabbatum post Vincula Petri, id est post* I *Augusti, incidit in diem* 4 *mensis.*

c *Hac formula inchoantur depositiones singulæ, quam satis est semel integram posuisse.*

d *Surius nescio unde sumpta errandi occasione* (Azonis *virile nomen hic exprimit: Neapolitani, Surium secuti,* Azoniam *scribere maluerunt; Patris nomen* D Ahelorus *etiam utrobique scribitur, sed minus recte. Notat Albertus, quod Sanctus ipse signare sit solitus,* Yvo Hælorii de Ker-Martin. *Idem ait, matrem fuisse* ex familia du Kenquis, quod Franci dicerent du Plessis in Parochia de Pleumeurit Jandy prope Rupem Deriani.

Ex MS. Trecor.

e *Testis* VIII, Hælorium *patrem ait fuisse filium* Domini Savaici de Villa-Martini Militis: *unde nescio an Surius formaverit nomen* Cancieti Militis.

f *In notitia Canonizationis, danda pro Appendice hujus Processus, dicitur S. Yvo* natus de Munchi, et de parochia Munehi Trecoren. diœcesis, *quæ Alberto est* Menehi, *quarta leucæ parte Trecoris: qui etiam Yvonem natum ait* 17 *Octobr. an.* 1253, *in Villa-Martini parochiæ supradictæ.*

g Petrus de Capella, *ex Episcopo Tolosano (quod factus erat an.* 1298) *creatus Cardinalis an.* 1307, *obiit* 1312, *ferturque vixisse annis* 120: *proinde grandævus erat cum eum S. Yvo audivit.*

h Guillelmus de Blavia, *Ep. Engolismensis factus an.* 1273, *fortassis ipsi Sancto superstes.*

i *Alberto ex vulgari* la rue de Clos-Bruneau. *Idem* E *ait, primam Sancti commemorationem fuisse in platea vulgo dicta,* la rue au Fevre.

k *Idem ait,* Officium *ipsum fuisse* 50 librarum annui reditus, summæ eo tempore considerabilis.

l Curtile, *hortus suburbanus, prædium. Vide Cangium.*

m Abbatia *de* Relec, *sive (ut Mauritius scribit)* Reliquiarum, *est Ordinis Cisterciensis, fundata* 1132.

n *Quotquot fere testimonium dixerunt, passim responderunt etiam de fama publica ejusmodi rerum quas deponebant, quod porro notare supervacuum foret.*

o Coquinus, *Vide Cangium in verbo* Cocio, *quod idem est. Patet utrumque sumi pro homine vilissimo, nec nisi infimis coquinæ ministerii nato.*

p Truanus, *pluribus* Trutanus, *pro mendicabulo errabundo sumitur.*

CAPUT III.

Humilitas et asperitas S. Yvonis in vestitu et cilicii usu.

Testis XXIX Religiosus vir Fr. Guldomanis Morelli, Ordinis Fratrum Minorum de Conventu de Guengampo, ætatis LXV an. dixit quod ipse quæsivit in secreto a D. Yvone, dum infirmabatur in domo sua Villæ Martini, qualiter incepit ita arctam F et sanctam vitam. Qui cum magna difficultate respondit eidem, quod cum esset Officialis Archidiaconi Rhedonensis, et audiebat ibidem quartum Sententiarum et de Biblia in Domo Fratrum Minorum, propter verba divina quæ audiebat, ex tunc incepit spernere mundana et appetere cœlestia: et multoties habebat magnam disputationem intra se inter rationem et sensualitatem: et in illa disputatione et pugna stetit per octo annos. In nono vero anno ratio sua dominabatur sensualitati; et cœpit in raubis *a* suis prædicare. In decimo autem anno perfecta ratione se rexit, et dedit bonas suas raubas Dei amore, et assumpsit raubas viles; tunicam videlicet cum manicis largis et amplis sine *b* bottonibus, et *c* epitogium, satis longas et penitus honestas, de panno albo vocato *d* Burello, ut oves Dominicas reduceret ad amorem Christi. *Porro Constantia, uxor* Stephani Hibernici civitatis Trecor. ann. LV Testis XLV dixit quod ante dictum tempus, *quo scilicet vestem mutavit,* quadam die, de qua non recordatur, vidit D. Yvonem indutum tunica, supertunicali et epitogio de Persico *e*, cum capucio ejusdem panni foratum *f*, et calceatum *g* botis, intrantem Domum-Dei

Post octennem carnis et spiritus luctam,

a mutat habitum: b c d

e f g

EX MS TRECOR pretiosas suas vestes largitus pauperibus.

A Dei seu Hospitale Trecorense. Quem paulo post vidit exeuntem de d. Domo seu Hospitali sine capucio et supertunicali, pedibus nudis, incedentem festinanter rursus domum suam de Villa-Martini, et tenentem alam epitogii super caput suum loco capucii. Et tunc d. Testis et mater ipsius iverunt ad d. Hospitale, et invenerunt quod D. Yvo dederat uni pauperi contracto capucium, et cuidam alteri foraturam supertunicalis, et cuidam alii supertunicale, et cuidam alii cæco dederat illas botas: quæ omnia præmissa se vidisse, et a dictis pauperibus audivisse se asseruit. *Sic etiam Testis* XVI *meminit* se audivisse pluries, tempore quo morabatur in manerio *h* vocato Treguern prope Villam-Martini, quod cum D. Yvo esset Officialis Episcopi Trecorensis, et habuisset ab eodem bonas vestes fourratas, ipsarum vestium fourraturas dedisse pauperibus, ipsas vestes absque iis aliquamdiu portando, et fingendo se de fourraturis aliud fecisse.

pro iisque viles et grossas assumens,

18 *Huc etiam facit* Testis XXXVI Derianus Tregrom Presbyter diœc. Trecor. ætatis L ann. et ultra, qui novit D. Yvonem primo eo tempore quo fuit B Officialis Episcopi Trecorensis, *dicens*, quod tunc erat indutus de raubis Episcopi....... et quod postea raubam quam habebat ab Episcopo Trecorensi erogavit pauperibus, ut audivit dici: et assumpsit quamdam tunicam et quoddam epitogium et capucium de burello grosso albo, et *i* sotulares magnos altos et corrigatos, et *k* camisiam de stuppis factam grossam et rudem: et talem habitum gestavit usque ad tempora mortis per quindecim annos vel circa. Interrogatus quomodo scit prædicta; dixit quia vidit ipsum tot vicibus, quod non posset de minimo recordari, et vivum et mortuum in habitu supradicto. *Atque in hunc fere modum loquuntur Testes quamplurimi de forma ac colore et qualitate habitus, post integram conversionem assumpti, quos sigillatim nominare longum foret. Iidem testes similiter conveniunt in describenda stratus duritie, quam usque ad mortem Sanctus tenuit. Quod autem eam tenuerit multo prius quam habitum mutaret, probat* Testis XVII Alanus de Rocha-Hugonis, Domicellus ann. LX, qui vidit eum Officialem Archidiaconi Rhedonensis: et cum D. Guilielmus de Tornamina, Dominus ipsius Testis, una cum ipso Teste, facerent transitum per civitatem Rhedonensem; idem Archidiaconus eumdem D. Guilielmum invitavit. Et cum D. Guilielmus et ipse Testis essent in domo d. Archidiaconi, familiares ipsius Archidiaconi adduxerunt ipsum Testem ad C locum ibi D. Yvo jacebat, et ostenderunt eidem lectum ipsius, et dixerunt: Videte lectum, ubi jacet Magister Yvo Officialis, qui est de partibus vestris. Et discooperuerunt ex una parte lectum: in quo lecto erant frusta lignorum super terram, et aliquantum de paleis desuper, cum quodam coopertorio parvi valoris de *l* canapio. Postmodum vero idem D. Yvo, dimisso ipsius Officialatus officio, venit ad domum suæ originis Trecorensis diœc. et tandem vocatus fuit pro Consiliario D. Alani le Bruc, tunc Episcopi Trecor. Et D. Yvo et idem Testis per tempus decem annorum vel circa fuerunt insimul conversati; et tunc vidit quod D. Yvo mutavit habitum suum.

jam antea durissime cubare solitus.

Cilicium ejus quale

19 *Sub illo autem humiliori habitu quem videbant omnes, cilicium Sanctus contegebat: de quo multi Testes ex auditu, quidam etiam de visu locuti sunt: nemo tamen distinctius quam* Testis LI Hamo Lobero, civitatis Trecor ætatis LX ann. *qui* dixit per juramentum suum, quod semel dum ipse qui loquitur et D. Yvo venirent de villa quæ vocatur *m* Lauvalon diœc. Trecor. ad civitatem Trecorensem et fortiter plueret, De Yvo expoliavit epitogium suum, quod erat valde madefactum: et tum ille qui loquitur vidit D cilicium, quod deferebat circa carnem. Interrogatus, quomodo et per quam partem vidit d. cilicium, dixit quod vidit de subtus; quia dum expoliavit d. epitogium, tunica se levavit, et tunc per partem inferiorem cilicium aliquantum apparuit, quod erat de pilis brunis. Interrogatus, quantum tempus est et de loco, dixit, non bene recordatur, sed sibi videtur quod fuit in hieme bene sunt quadraginta anni et ultra, in domo cujusdam mulieris pauperis, cujus nomen et etiam nomen loci ignorat, tamen domus illa est prope viam per quam de villa de Lanvalon itur ad civitatem Trecorensem. *Sic etiam* Testis IV Nobilis vir, D. Joannes de Pestuven, Miles, Dominus ejusdem loci æt. L ann. semel post celebrationem Missæ, cum D. Yvo exueret vestimenta Sacerdotalia, d. cilicium vidit in capella manerii de Guezet, quod tamen illi valde displicuit. Testis *vero* XVIII *jam supra nominatus num.* II, interrogatus quomodo scit, quod D. Yvo portabat cilicium; dixit quod semel Dominus suus Officialis Trecorensis, vocatus Yvo, visitavit D. Yvonem in quadam infirmitate in quodam manerio suo vocato Villa-Martini, et tunc idem Officialis posuit manum supra pectus D. Yvonis, sicut moris est palpare infirmos: E et tunc Testis loquens vidit per *n* capsiliam d. cilicium, quod deferebat juxta carnem.

et quibus occasionibus, visum,

20 *Similiter* Testis III dixit, semel se vidisse casu per capsiliam ipsius D. Yvonis cilicium quod portabat ad carnem: quod dum percepit D. Yvo, immediate cooperuit et abscondit. Dixit etiam quod vidit multos pediculos, ex d. cilicio prodeuntes; et quod pluries ipsos ei voluit amovere de vestibus, sed D. Yvo non permittebat, dicens; Dimitte eos in *o* garenna eorum. *Pari modo* Testis V Gaufridus de Loanno, Rector Ecclesiæ de Rupe-Deriani Trecor. diœc. ann. LXX, dixit quod pluries vidit D. Yvonem, ponentem manum in sinu per capuceriam, pro pediculis reducendis in sinu, dicens sinum suum esse garenam pediculorum; et tunc d. cilicium apparebat. *Quid porro de cilicio illo factum sit explicans* Testis II *prænominatus num.* 12, dixit quod audivit dici a Religioso viro D. Petro Abbate monasterii S. Mariæ de Begar, quod ipse habuit a famulo D. Yvonis, dum idem D. Yvo ipsum mitteret secreto per d. famulum, in septimana qua decessit, cuidam Recluso moranti in quodam reclusagio prope Rocham-Deriani, et quod d. cilicium est adhuc in d. Monasterio *p* de Begar. *Noluit scilicet vir humillimus in eo mori, ne, quod vivus occultum manere cupiebat, omnibus eo defuncto fieret manifestum.*

pediculis plenum

postea pro Reliquiis habitum in Abbatia de Begar.

21 *Super cilicium autem vel semper vel per intervalla gestabat* camisiam de tela grossissima appellata *q* reparo, *ut loquitur* Testis XXXV, *sive, ut alii fere,* F de Stupis: *id enim* credit firmiter Testis XI Yvo Auspice, quondam servitor D. Yvonis continuus per spatium duodecim annorum ante mortem suam, quod eremita morans in quodam reclusagio *r* juxta Guengampum ætatis LX ann. item dixit quod præd. camisiam vidit ablui semel per uxorem fratris ipsius D. Yvonis, quam ante ablutionem vidit adeo coopertam pediculis quod erat horror inspicere: quodque præd. camisia erat suavis vel levis propter vetustatem: ipsam vero ablutam D. Yvo non resumpsit, sed cuidam pauperi erogavit. *Adstipulatur alius Yvonis quondam famulus* Testis XX, Hamo Tolleflam, parochiæ de Plessin diœc. Trecoren. Reclusus bonæ famæ, ætatis LX annorum vel circa: qui dixit quod per annos quatuor continuos et plus fuit famulus ejus, et post quasdam peregrinationes quas fecit, visitando de anno Jubilæo et alias limina Apostolorum Petri et Pauli, visitando etiam B. Jacobum, bis fuit conversatus cum eo per intervalla per annos duos; ita quod quando rediit de ultima peregrinatione

sicut et camisia ejus cannabina,

A tione de septem Sanctis s Britanniæ, invenit ipsum D. Yvonem infirmum de ultima infirmitate de qua mortuus est. Et tunc quando ipse morabatur cum eo, semel dum prædicaret D. Yvo et poneret manum in sinu suo vidit d. cilicium; et camisiam videbat quasi quotidie, sed utrum cilicium esset de subtus quotidie, ignorabat. Dixit etiam quod semel tradidit tunicam et camisiam suam grossam de stupis, quæ erant plenæ pediculis, matri d. Testis ad abluendum, et remansit cum epitogio ad carnem. Et dum d. mater vellet ponere dictas tunicam et camisiam ad desiccandum, D. Yvo non permisit; sed accepit prædictas: et credit quod ipse indueret ipsas ita madefactas, et per totam noctem in eisdem jacuerit: quia dixit, quod non habebat alias vestes domi, et quod mane eum vidit celebrantem cum eisdem.

quam subinde a lotione adhuc madentem induebat,

22 *Similiter paupercula* Dathovada, Testis XLIII relicta Rivallonis joculatoris de Parochia Plebisprisiac, Venetensis diœc. ætat. ann. LXXX, cum marito et quatuor liberis per undecim annos ante mortem continue morata in domo ipsius D. Yvonis, hospitando ibidem amore Dei, dixit se camisiam ejus quandoque abluisse, et vidisse tot pediculos in B eadem quod horror erat inspicere: quam camisiam faciebat D. Yvo de nocte aliquantulum ad ignem siccari, et statim totam madefactam seu madidam induebat. Item dixit vidisse et cognovisse per quindecim dies ante mortem D. Yvonis, ipsum cilicium multum grave et asperum deferentem: cumque per illud nimis gravaretur, ipsum una die dimittebat et alia resumebat. *Donec scilicet mortis suæ præscius ipsum omnino dimisit, ut dictum est*: camisia *vero* de grossissimis stupis facta (*sicut ait* Testis XVI Nobilis mulier Domina Theophana de Pestuven, parochiana S. Michaelis in littore maris Trecor diœc. æt. LX ann.) reperta fuit ipsi D. Yvoni induta cum mortuus extitit; *et juxta assertionem* Testis XXXVI, fuit posita inter Reliquias ecclesiæ: *et ex hac* ipsa *Testis* XVI *præfata D. Theophania*, habuit unum frustum et partem etiam zonæ, quæ erat de modico ligamine laneo, quæ præmissa servat et custodit honeste, ut dixit, loco Reliquiarum, propter sanctitatem ipsius probi viri.

et zona ejusdem lanea.

ANNOTATA.

a Rauba, *vulgo* Robe, *vestis, et quævis suppellex,* C *de qua vide Cangium verbo* Roba: *nam ad verbum* Rauba *aliam significationem deducit, qua vox illa sumitur pro spolio.*

b Bottones *vulgo* Bouttons, *globuli quibus vestes adstringuntur: sic* manicæ aliqualiter botonatæ, *vetantur in quibusdam statutis apud Cangium.*

c Epitogium, *mox* Supertunicale, *ex Græco* ἐπὶ *et Latino* Toga.

d Burellum *seu* Cordetum, *a non nullis testibus cum addito de* Leonia *nuncupatum, a loco ubi conficiebatur aut præcipue vendebatur vulgo* Kar-leon, *Civitate Episcopali in Britannia*.

e Persicus, *color violaceus, alias* Perseus *et* Persus, *Francis et Teutonibus* Pers, *fortassis quia tinctura e Perside allata: nam quod ad* mali Persici (*quo respiciunt aliqui*) *colorem spectat, hunc flavum novimus, non cæruleum esse. Nunc idem color copiosius ex India per Lusitanos advehitur: ideoque ipsa qua tincturæ isti servit materia vocatur a Mercatoribus* Indigo.

f Foratus, Fourratus, *unde mox* Fourratura, *interior panni duplicatura, a Gallico* Fourrer *inserere, insuere.*

g Botæ, *ocreæ*, Bottes *vulgo.*

h Manerium *vulgo* Manoir: *a* Maneo *dictum pro domo: vide Cangium.*

i Sotulares, *calcei, Francus* Soulliers, *videntur dicti quasi* subtalares. D

EX MS TRECOR.

k Camisia, *interula lineæ, ad carnem immediate gestari solita*, Fr. Chemise.

l Canapium, *textum ex cannabi.*

m Lanvalon, *forte in talibus minus recte* Lanvelin, 5 *vel* 6 *leucis ab urbe.*

n Capsilia, *mox* Capuceria, *neutrum alibi legi: videtur significare oram supremam vestis, per quam caput exeritur.*

o Garenna, *alias* Warenna, *ubi lepores, cuniculi et similia animalia nidulantur: sumitur etiam pro vivario.*

p Abbatia S. Mariæ de Begar, *alias* Begardum *vel* Pura sylva, *Ordinis Cisterciensis*, 5 *vel* 6 *leucis ab urbe.*

q Reparo, *forte sic dicta tela grossior, quod ex ea fiant integumenta quædam vestium aut aliarum rerum, quas servatas melius cupimus.*

r Reclusagium, *alias* Reclusorium: *ubi* reclusus *aliquis vel* inclusus *degit: sic* Inclusagium *quoque et* Inclusorium *dicitur.*

s Septem Sancti Britanniæ, *sunt septem Episcopi qui ex Britannia Majori in Armoricam venerunt, nimirum* SS. Corentinus, Paulus Aurelianus, Tugdualus, Briocus, Maclovius, Sampson et Paternus: *qui singuli suis diebus coluntur: de quibus noster P. Petrus Champion consultus per epistolam respondit:* Plura illis altaria passim et nonnulla sacella majorum pietas consecravit, in quibus primaria ecclesia Brestensis urbis, nunc Parochialis, olim tantum sacellum. Celebris et frequens alias, maxime ævo S. Yvonis, fuit peregrinatio ad septem Cathedralia templa urbium quarum illi fuerunt Episcopi; an autem et ad alium aliquem locum in quo simul certo die coluntur necdum comperi. E

CAPUT IV.

Lecti durities, et cibi tenuitas, jejunii assiduitas a S. Yvone usurpata

Quomodo autem et quam duriter cubaret Sanctus, expertum se ait Testis II, *affirmans* quod per tres vel quatuor noctes jacuit cum D. Yvone in loco de Lohanec; et antequam irent cubitum vigilaverunt per maximam partem noctis legendo et divinis colloquiis insistendo. Dixit etiam se firmiter credere, quod quo tempore erat somno oppressus D. Yvo iret cubitum amore ipsius citius solito. Dixit etiam quod quando D. Yvo ivit cubitum in lecto suo, qui erat in quodam *a* baleto juxta ecclesiam de grossis virgis seu baculis nodosis contextus cum modico stramine, coopertus circa caput de quadam coopertura modici valoris; exuit se epitogio, et ipsum induit ordine retrogrado, ponendo pedes per foramina brachiorum. Dixit etiam ulterius, quod lectus ille erat ita durus, quod doluerunt ei latera fortiter; et quod fuit ita plenus pediculis, quod ipsum recedere oportuit, postquam cum D. Yvone jacuit in d. lecto per tres vel quatuor noctes; nec voluit ulterius ad ibi jacendum reverti, quod non poterat vitam ita duram amplius sustinere. *Præfatus quoque illius famulus* Hamo Tolleflam Testis XX, dixit quod modicum dormiebat, quia quasi totam noctem in vigiliis, lectionibus, orationibus, et exhortationibus expendebat: et tunc quando erat somno oppressus, vidit eum jacentem per multa tempora infra ecclesiam suam de Lohanec, indutum et calceatum super quemdam tumulum lapideum: vidit etiam ipsum jacentem ibi super quamdam clidam, de virgis seu grossis baculis contextam, cum modico stramine subtus eum. *Sic etiam* Dathovada *supra dicta*, per juramentum suum asseruit

Domi super durissimo strato assuetus Yvo,

A ruit, pluries se vidisse, quod quando somno gravabatur, positis brachiis circa pectus et involutis ad modum crucis, sedendo et se appodiando de pectore supra libros, inclinato aliquantulum capite, et non aliter, dormiebat. *Et famulus ejus* Yvo Auspice Testis XI dixit, quod vix aut numquam dormiebat de die aut de nocte, nisi quando erat labore studii aut orationis aut itineris adeo fatigatus, quod plus non poterat vigilare : et tunc dormiebat indutus vestibus, et raro excalceatus, et ad terram modico stramine subtus eum, pro pulvinari habens unum de libris suis, et quandoque cum tabulis, et quandoque lapidem ad caput.

EX MS TREHOR

alibi paratos commodos dimittit.

24 *Istam vero duritiam non solum domi suæ observabat Sanctus, ubi etiam, ut ejus quondam famulus* Testis XXX *dixit,* aliquoties jacebat in cathedra, in qua studebat; *sed etiam* quando ibat ad prædicandum per villas, et hospitabatur penes divites patriæ, dicti hospites bonum lectum pro ipso fieri faciebant; sed tamen numquam in lecto jacebat. Et dum erat in camera, post multas orationes et vigilias, totus indutus super terram jacebat, et ibidem modicum somnum capiebat, et statim surgebat ad orationes : B et ipse Testis, qui loquitur, in lecto facto pro Magistro Yvone dormiebat. *Quod si non adesset famulus, quem pro se in lecto collocaret, tunc* de mane inveniebatur lectus, factus sicut prius, per familiam domus, *uti asserit* Testis IV, *frequenter id expertus in domo matris suæ. Qui etiam narrat quid acciderit* Mauritio de Monte, quondam Armigero suo * litterato defuncto, cum in comitatu D. Yvonis reverteretur de peregrinatione S. Ronani *b* et essent in villa quæ Landelau appellatur. *Præstat tamen id exponere verbis sororis ejus,* D. Theophaniæ Testis XVI *supra notatæ : quæ* dixit ex d. Mauricio audivisse, quod cum D. Yvo et d. Armiger essent in una camera in villa *præfata*, et idem Armiger in lecto suo dormiret, et crederet quod D. Yvo etiam in lecto suo dormiret; idem Armiger quandam vocem audivit tribus vicibus sic dicentem, Surge, quia Beatus jacet in petra. Quod per d. Armigenum audito, a somno excitatus palpavit juxta se, nec D. Yvonem potuit invenire ibidem. Et surgens velociter, et accedens ad cœmeterium d. loci ad quemdam lapidem concavum, in quo S. Elau *c* fecerat pœnitentiam suam dum vivebat, eumdem D. Yvonem in eodem lapide dormientem invenit. Item dixit, quod, licet D. Constantia mater sua et ipsa etiam pluries pro ipso bonum lectum facerent apparare, ipse ad terram vestitus jacebat et calceatus, ut firmiter credit, cum C modico stramine subtus eum : quia semper inveniebant lectum in statu in quo eum dimiserant.

* *alias* Laureato. *semel etiam in lap de S. Elari repertus.* *b* *c*

Grosso pane et leguminibus victitans,

25 *Jam quod ad victus rationem attinet, jam bis allegatus famulus ejus* Hamo, dixit quod erat magnæ austeritatis et abstinentiæ, quando fuit conversatus cum eo : quia non comedebat nisi panem grossum et olera vel fabas sine aliquo condimento, nisi quod aliquando, sed raro, comedebat sive comedere fingebat de butyro propter hospites. Potabat etiam aquam frigidam, nec comedebat nisi semel in die, exceptis Dominicis, quia tunc cœnabat ad modicum. Jejunabat etiam pane et aqua tribus diebus in septimana et per totam Quadragesimam. Sed in ultima Quadragesima ante mortem suam, motus compassione cujusdam pauperis infirmi vocati Yvonis...... quem tunc nutriebat amore Dei, comedebat aliquando, sed raro, olera vel fabas amore d. infirmi, ut eum induceret ad comedendum. Dixit etiam quod per illa tempora, licet esset secum continue vel quasi, numquam vidit eum comedentem carnem, caseum, vel pisces, vel aliquid aliud nisi ut supra expressit ; excepto die Paschæ, quia tunc propter solennitatem comedebat unum ovum vel duo. Per illa D tempora etiam non vidit eum potantem vinum nec cerevisiam, nisi solummodo aquam frigidam. *Erat Yvo iste jam ante nominatus Testis* XI, *per annos duodecim apud ipsum versatus, ex cujus verbis excepta sunt omnia quæ habentur in vita circa particularia jejunia Sancti et hic non repetuntur;* interrogatus quare in anno duodecimo D. Yvo non jejunavit in pane et aqua, sicut in prioribus undecim annis; dixit eo quod d. Testis, qui erat et diu fuerat infirmus, necdum plane curatus fuerat, nolebat parare *d* potagium pro se et aliis pauperibus in d. Quadragesima nisi idem D. Yvo comederet de potagio.

crebro jejunat in pane et aqua.

d

Panem delicatiorem ablegans,

26 Hamo *vero testimonium suum prosequens,* dixit quod semel misit Testem loquentem apud Lohanec pro quærendo panem, quia non erat panis in domo: qui Testis detulit panem, et erat nimis delicatus, prout videbatur D. Yvoni, et ideo dixit Testi loquenti, Tu vis habere delicias : nonne invenisti panem grossum? Qui dixit : Inveni quemdam panem furfureum, qui nihil valet pro sustentatione hominis. Et tunc D. Yvo remisit illum panem quem portaverat, et dixit Testi loquenti quod deferret illum panem magis grossum, et posuit se ad mensam, et pauperes circumquaque. Et tunc, dum essent in E mensa, intravit quædam avis modica per fenestram, ipso Teste vidente, et posuit se super D. Yvonem. Et tunc dixit præd. Testis, Domine, videte avem juxta vos super vestes vestras. Et tunc D. Yvo accepit avem in manu sua, et respexit eam in manu per magnam *e* pausam. Avis autem erat, ut dixit, nivei coloris circa collum et circa pectus, supra autem erat viridis et resplendens, ut sibi videbatur. Et dum eam aliquamdiu respexisset, dimisit eam abire, dicens, Vade in nomine Dei. Dixit etiam idem Testis, quod credit firmiter, quod esset aliquod signum proveniens ex parte Dei, propter vitam bonam quam ducebat ; et etiam quia illa die jejunabat in pane et aqua ; et quia etiam numquam in domo illa, nec etiam in partibus illis, nec ante nec post, vidit avem similem illi : et propter modum etiam veniendi et recedendi, quia non recessit nisi licentiata *f*, licet tenuisset eam diu manu aperta.

recreatur aspectu aviculæ cœlitus missæ. *e* *f*

Totos septem dies jejunus transigit :

27 *Alium favorem, occasione jejunii factum Sancto, narravit jam tertio nominata* Dathovada, *cum* dixit quod D. Yvo stetit in camera sua duodecim diebus, et per septem dies fuit ibidem non manducans aliquid neque bibens, quod per ipsam seu familiares ejusdem vel quoscumque alios, quos ipsa sciverit, F sibi fuit ministratum. Post quos septem dies cum exisset de d. camera ad instantiam Episcopi Trecorensis, qui ad rogatum D. Yvonis, ipsum decessisse credentis, illuc personaliter venit; in adeo bono statu et vultu apparuit, ac si omni die bona cibaria splendide comedisset. *Filia vero ipsius Dathovadæ* Amicia, Testis XLI, anno XLV, *eamdem rem plenius narrans,* Dixit se vidisse quod D. Yvo per septem dies una vice et per quinque alias in sua camera se inclusit, et stetit ibidem sine pane et aqua et alio quocumque cibo temporali. Et cum quasi per dictos septem dies sic inclusus fuisset, ipsa Testis et mater sua, credentes quod decessisset, ad ipsum intrare non valentes, ad Episcopum Trecorensem accesserunt. Qui hoc audito, una cum aliis quibusdam Canonicis, ad locum Villæ-Martini accessit; et cum cameram ubi erat D. Yvo intrare non posset, Yvo Conan, sororius ipsius D. Yvonis, fregit fenestram ipsius cameræ, ad videndum quid hoc erat. Et vidit, secundum quod postea retulit, ipsum D. Yvonem orationibus insistentem : cui displicuit valde quod intrasset, dicens eidem intranti, ut retulit, Plus vellem quod esses infirmus in præsenti. Et credit firmiter ipsa Testis, quod per d. duodecim dies victu cœlesti seu Angelico fuerit sustentatus

et alias quinque,

nihil inde emaciatus.

A tentatus, pro eo quia paululum ante introitum D. Yvonis, ipsa fuerat in camera præd. et non erat ibi panis, nec aqua, nec alius cibus temporalis: et vidit eum intrantem d. cameram, et secum aliquid non portantem, nec d. tempore aliquem eidem aliquid ministrantem vidit, seu habentem ad ipsum aditum vel accessum, nec per d. tempus ipsum D. Yvonem de d. camera exeuntem: et tamen ejus vultus in egressu non erat in aliquo immutatus.

Etiam in mensa aliena eamdem abstinentiam servat,

28 *Prædictam porro abstinentiæ legem, non solum domi, sed foris quoque constanter tenuit: prout patet ex verbis* Testis VII, *qui fuit* Petrus Arnou, Presbyter Vicarius ecclesiæ Trecorensis, ætatis ann. LX: qui dixit se habuisse ipsius D. Yvonis notitiam, anni quinquaginta sunt vel circa; et vidit eum pluries et diversis temporibus comedentem in domo et in mensa Magistri Theobaldi le Bruc, quondam Cantoris ecclesiæ Trecorensis, patrui d. Testis. Et cum ante D. Yvonem carnes, pisces et alia cibaria diversi generis et vinum apponerentur; ipse tamen non comedebat nisi panem et olera vel fabas aut pisa, cocta cum sale sine alio condimento, et aquam bibebat: licet quandoque fingeret quantum poterat se de prædictis cibariis comedere, et de vino bibere, aliis B communiter ministratis. Interrogatus si in aliis locis vidit D. Yvonem hujusmodi abstinentiam facientem, dixit quod sic; in domo D. Alani le Bruc quondam Episcopi Trecorensis viginti vicibus vel circa, sicut et in Domo Cantoris prædicti: qui Domini Episcopus et Cantor et alii convivantes non comedebant de oleribus, pisis, vel fabis, quas ipse comedebat, quia ista specialiter parabantur pro eo et ad partem *g*. *Ast domi suæ* sumebat *eadem D. Yvo* aliquando cum sale, aliquando sine sale, *sicut dixit* Testis VIII, Hamo Nicolai Clericus civitatis Trecor. ann. L et ultra; *affirmans* quod sciebat ea sic parata pro eo, quia pluries de iis gustavit, et tamquam sibi insipida comedere respuebat. *Testis autem* XXXV *supra nominatus dixit, quod talia* vidit plus quam mille vicibus, quia conversabatur cum eo interdum per unam, et aliquando per duas septimanas et amplius; et tunc mittebat pro vino ad opus dicti Testis: sed licet d. Testis ipsum pluries rogaret ut potaret de d. vino, numquam ad preces ejus potare voluit, nisi semel, et parum.

præsertim a vino. g

ejus pauxillum admittens raro

29 *Similis indulgentiæ nonnulla exempla, tamquam rarissima, alleganlur a Testibus: inter quos quartus num* 19 *laudatus, postquam affirmasset quod* vidit C ipsum centies et plus in domo patris sui sic comedentem vel potantem, *excipit, quod* aliquando in magnis solennitatibus, ad magnum rogatum D. Constantiæ matris suæ, ponebat in aqua de vino ipsius quod potabat, ipsius Dominæ precibus et instantia devictus, sicut ponitur aqua in calice, quando ministratur Missæ. Dixit etiam quod D. Yvo carnes et alia cibaria, quæ ei offerebantur in mensa, recipiebat, et tamen non comedebat nisi de pane cum oleribus; sed d. cibaria frustatim dividebat, et in eleemosynam ponebat in fragmentis pauperum. Et hæc vidit in diversis maneriis patris sui, apud Pestuven, et apud Glomel, et apud Guezet diœc. Corisopitensis. Et induxit D. Constantiam præd. ad abstinendum a carnibus feria quarta cujuslibet septimanæ, quæ ex tunc abstinuit. *Sic etiam* Testis XXIX *fatetur, quod* amore ipsius bis vel ter potuit gustasse vinum, usque ad quantitatem unius modici vitri in omnibus vicibus. *Et Testis* XXX *in genere dicit, quod* dum esset cum Episcopis vel divitibus amicis suis, precum eorum devictus instantia, ponebat, sed raro, ita de vino, sicut solet aqua in vino poni: et taliter faciebat per decem annos ante mortem suam, sed in prædicto decimo numquam potavit vinum. Aliquoties *etiam, ut dicit* Testis XXXIII, manducabat seu manducare se fingebat de piscibus, aliorum devictus instantia, contra suam liberam voluntatem. D

EX MS TRECOR

ANNOTATA.

a Baletum, *et mox* Clida, *usitatiori pluribus aliis Testibus vocabulo*, cratis *dicitur, ex virgis viminibusve texta, uti hic etiam expresse notatur.*

b S. Ronanus, *ut infra num.* 38 *indicatur Corisopiti colitur* I *Junii.*

c S. Elan, *Patronus parochiæ de Landelleau in Cornuwallia. Acta et diem cultus ignoro: solum de eo mihi scribit P. Petrum Champion, quod* in ejus cœmeterio est sacellum ab æde primaria separatum, ubi visitur ejus sepulcrum in modum sarcophagi lapidei.

d Potagium, *a voce Teutonica* Pot, *lebes, cacabus, quæcumque coctio jurulenta potissimum ex radicibus, leguminibus, herbis*

e Pausa, *mora temporis.*

f Licentiare, *dare licentiam abeundi.*

g Ad partem, *idiotismo Gallico*, apart, *seorsim.* E

CAPUT V.

Quotidiana S Yvonis exercitia, conversatio et prædicatio fructuosa.

Gaufridus de Loanno, Rector Ecclesiæ de Rupe Deriani, æt. ann. LXX, Testis V, dixit, quod per tres annos ante ipsius D. Yvonis obitum, Gaufridus de Abbatia defunctus, quondam Procurator ecclesiæ Trecorensis et ipse testis, juraverunt ad invicem, quod omnibus diebus septimanæ, exceptis diebus Sabbati et Dominica, convenirent ad domum præd. Yvonis, ad audiendum lectionem Bibliæ et sermones ejusdem, et ad videndum et imitandum vitam et conversationem ipsius, quantum possibile iis foret. Propter quod omni septimana ad domum ipsius D. Yvonis, vocatam villam-Martini, insimul conveniebant, et lectiones Bibliæ et sermones ipsius audiebant, diebus quibus supra, festivis exeeptis. Et tunc videbat idem Testis, qui in mensa ejus etiam comedebat, quod D. Yvo panem siliginis, aliquando hordei, aliquando avenæ, aliquando panem *a* vassallorum cum oleribus vel pisis aut fabis coctis in aqua absque condimento aliquo comedebat, et absque omni pulmento alio, nisi quod aliquando comedebat *b* rabas F coctas cum farina. Item dixit quod omni die Missam bene mane celebrabat in capella sua, quam habebat in d. loco de Villa-Martini, et frequenter ante consecrationem amarissime flebat. Post Missam lectionem Bibliæ iis legebat, et post pauperibus qui tunc præsentes erant eleemosynas panis et illorum quæ habebat erogabat. Postmodum prædicabat verbum Dei usque ad horam meridiei: et in meridie cibum prædictum, cum ipso teste et Gaufrido de Abbatia et pauperibus qui tunc præsentes erant, sumebat. Post comestionem vero ipse cameram suam intrabat pro studendo et orando: et ibidem usque ad Vesperas stabat: et postmodum exibat de camera, et Horas suas una cum d. Teste et Gaufrido de Abbatia dicebat: quibus lectis sacra monita ipsis incessanter dabat usque ad noctis tenebras.

Tribus annis quotidie versatus cum Sancto,

totius diei ordinem ab eo servatum exponit. a b

Dono lacrymarum præditus erat,

31 Testis V dixit, D. Yvonem fuisse in oratione ferventem plurimum et devotum, quia prolixe et diu orabat flexis genibus et junctis manibus, et totus prostratus ad terram, facie cum capucio cooperta; et hoc ipse Testis vidit pluries in ecclesia Trecorensi, et in Capella sua et domo de Villa-Martini, et aliis pluribus locis. Testis XI dixit, quod frequenter antequam Missam celebraret, ante altare d. capellæ flexis genibus et complosis manibus in oratione

EX MS TRECOR.

A oratione prostrabat; et cum magnis gemitibus et suspiriis et lacrymis prolixe et adeo devote orabat, quod vestes suas ante pectus lacrymis quam plurimum irrigabat. Et in Missis suis, post Elevationem Dominici corporis, amarissime flebat, suspirabat, et gemebat. Et similiter gemebat et plorabat sæpius cum verbum Dei volebat incipere prædicare. Testis VIII dixit, quod vidit eum pluries Missam celebrantem in ecclesia Trecorensi et in capella sua: et in principio Missæ dicebat Confiteor: et post lotionem manuum dum inclinatus accedebat ad altare pro dicendo Canone, vidit eum amare plorantem: et alias ipsum frequenter vidisse genibus et junctis manibus prostratum ad terram, facie caputio occultata, orantem, suspirantem quam plurimum, et gementem, et sæpius dicentem, Cor mundum crea in me Deus et spiritum rectum innova in visceribus meis. Item dixit quod omni die celebrabat Missam, nisi esset fessus fatigatione itineris, vel infirmitate detentus. Testis XX dixit, quod antequam indueret se vestimentis Sacerdotalibus, prostrabat se ad terram juxta altare, et ibi diu et devote orabat, et lacrymas cum magna copia effundebat: et eodem modo orabat et flebat, et diutius, quando celebraverat: sed hoc faciebat ad secretius quod poterat, ne ab aliquibus B videretur. *Neque absque prodigiosis aliquando favoribus ea Yvonis religio fuit. Huc enim spectat ex Summario Miraculorum, quod* Guilielmus Balch Testis CLI asseruit, quod cum D. Yvo esset in Elevatione Corporis Christi, apparuit fulgor multum velociter circumdans Calicem, et post Elevationem evanuit idem fulgor.

præsertim in Missa: itemque ante ac post eam.

32 *Quod prædictam munditiem cordis semper intemeratam servarit, colligi potest ex omnium fere Testium concordi depositione, quorum* I dixit, se firmiter credere, D. Yvonem fuisse hominem castum, pro eo quod a pueritia fuit cum eo conversatus; et signo, verbo, aut facto, aut alias quoquomodo contrarium in eo percipere non potuit, licet circa hoc pluries dederit operam curiosam. *Similiter* Testis VI Alanus Soyen, Clericus Trecor. æt. LX ann. dixit, quod pluries multis temporibus fuit cum eo conversatus in societate D. Gaufredi de Tornamina quondam Episcopi Trecor. bene per septem annos ante mortem D. Yvonis: et quod numquam signo, verbo aut facto percipere potuit, ipsum vitio carnis irretitum: et quod ab omnibus familiaribus Episcopi et aliis quibuscumque, qui ipsum noverant, castus reputa- C batur. *Similiter* Testis VII *loquitur, addens*, quod sic abstinentiis et austeritatibus carnem domabat, quod ad peccatum incontinentiæ nullatenus inclinari debebat, et quod super hoc numquam fuit malus sermo auditus de eo. *Imo* Testis XLIII Jalretus, filius Rivallonis, parochiæ S. Petri de Lohanec, ann. L vel circa, credit quod nullus esset ausus aliquid inhonestum dicere vel facere coram eo. Testis XLII dixit, quod vidit plures, qui reputabantur casti et honesti, quos D. Yvo multum diligebat et cum eis conversabatur: et specialiter quemdam Hamonem Tolleslam, et Yvonem Annezy parochiæ de Lohanec tunc temporis, et plures alios de quorum nominibus in præsenti minime recordatur. *Denique* Testis V *asseruit*, quod audivit generalem confessionem ipsius per tres dies ante ipsius obitum, et a peccato carnis et a quocumque peccato mortali invenit liberum et immunem. Testis IV *publicam de eo famam confirmavit, per hoc quod* vidit ipsum Confessorem D. Constantiæ de Restauel, uxoris suæ, quæ vocavit et elegit ipsum in Confessorem suum propter suam bonitatem et honestatem: et quod d. Yvo multas domicellas suis bonis verbis et exhortationibus induxit ad castitatem, inter quas Azelicia, soror Domini de Muro, et plures aliæ, de quarum nominibus

Castissimis moribus ornatus,

amat cum pudicis versari,

et varios ad servandam castitatem inducit,

D non recordatur, Testis XLVII dixit, quod castitatem in suis prædicationibus præ ceteris virtutibus commendabat. Dixit etiam quod omnis sensus homines seu mulieres, ipsum conspicientes, propter ejus magnam humilitatem et sanctitatem invitabantur, et etiam propter suam magnam gratiam vix unquam poterant separari ab eo. Et hoc scit, quia sæpe fuit in ejus societate: et multum sibi displicebat quando D. Yvo recedebat, et propter bonitatem ipsius voluisset quod D. Yvo secum fuisset continue, si possibile ei foret. *Quin etiam* Testis XXXI Alanus Thomæ dixit, quod non solum in seipso castus erat D. Yvo, sed etiam Testem loquentem et uxorem suam, ad vovendam et tenendam castitatem et continentiam induxit, suis sanctis verbis et exemplis: et sic Testis qui loquitur, sicut asserit, et uxor sua servavit continentiam, per viginti quinque annos vel circa.

33 *Illa autem cujus nomen suprascribitur* Azelicia, *videtur esse diversa ab* Adelicia, *cujus et sociæ ejus in casto proposito meminit* Testis XLII, Amou Ville-Gouffi, parochiæ de Ploeguiel Trecor. diœc. ann. æt. LV, *cum* interrogata a quibus audivit, quod D. Yvo aliquando non comedebat de tota die quando veniebat E de prædicationibus, dixit quod ab Adelicia, quondam filia Homonis Deote, et Roaudelina quondam dicta de Ecclesia de civit. Trecorensi: quæ vocabantur Sorores D. Yvonis, quia eas ad tenendam sanctam vitam converterat et honestam: *quæ verba videntur aliquam prioris vitæ maculam indicare. Certe Testis* VIII *deponit*, quod personas lubricas, cujuscumque sexus aut conditionis existerent, quam plurimum arguebat: *et* Guilielmus Harausan, parochianus de Lohanec æt. ann. LX, Testis XXII, *addit*, quod in prædicationibus suis contra peccatum carnis prædicabat præcipue. *Hujus autem zeli fructus credi potest ille* Gaufridus Crabanec, *cujus meminit* Testis XXXV, qui ante malus ribaldus *c* erat et reputabatur, et post exhortationem D. Yvonis factus fuit et est hodie bonus et probus homo. Interrogatus vero quomodo scit, quod ipsum sic converterit D. Yvo: dixit quod audivit D. Yvonem frequenter admonentem et exhortantem d. Gaufridum, ut dimitteret malam vitam quam sequebatur: qui Gaufridus D. Yvoni et suis verbis, præsente eo qui loquitur, verbo et facto postmodum acquievit. Idem fecit de pluribus aliis ut audivit: et etiam dicitur et est fama, quod gentes patriæ totius meliores sunt quam ante erant, propter F bonos sermones suos.

etiam antea incontinentes:

34 *Sic etiam* Testis XLIII addidit, quod gentes videntes eum, propter sua verba sancta et gesta casta et honesta, ad bonum convertebantur, et honestiores et meliores in omnibus fiebant, ita quod postquam D. Yvo cœpit prædicare gentibus patriæ, meliores factæ sunt quam ante essent in duplum, ut communiter dicitur per patriam suam. *Et* Testis XLIV Derianus de Boisaliou, parochiæ Villæ-Mariæ-insulæ, dependentis sive unitæ nunc ecclesiæ de Lohanec, æt. ann. LXX, addidit, quod antea gentes totius patriæ suæ erant valde rudes ad bonum faciendum; et vidit eas tunc magis pronas ad lasciviam quam nunc sunt. *Longe autem expressius* Testis XLVI, Senguitus Yvonis, parochiæ de Lohanec, æt. LX ann. dixit, quod quando D. Yvo venit ad. d. parochiam, in ipsa erant multi inhonesti viri, propter defectum Rectoris præcedentis, qui de profectibus animarum nihil aut parum curabat. Sed quam cito D. Yvo intravit d. parochiam, incepit suis parochianis prædicare verbum Dei: et adeo utiliter prædicavit, quod bonos et honestos, in melius informavit; et malos se pravos et inhonestos, per suas sanctas et bonas prædicationes, reduxit ad viam salutarem; nec non luxuriosos et usurarios publicos induxit ad

totiusque regionis mores prædicando corrigit;

magnos etiam peccatores

A ad pœnitentiam peragendam, et malos mores eorum immutavit in melius, faciens ipsos jejunare in pane et aqua certis diebus et temporibus, et sine camisia incedere, et peregrinationes facere, propter sanctam suam doctrinam et quasi continuum documentum, et per sua sancta exempla et opera, quæ eis facto, verbo et opere prætendebat.

convertens ad pœnitentiam,

35 Et inter ceteros recolit Testis qui loquitur, de Deriano de Villa-Silvestri, nobili et divite, qui communiter dicebatur mulierum oppressor, et violator virginum, et homicida: quem ad talem statum D. Yvo reduxit, quod ivit Romam peditando, peccata sua deflendo, et pœnitentiam peragendo. Et dum fuit ad has partes reversus d. Derianus, largas eleemosynas pauperibus faciebat, et etiam Horas bene mane dicebat quotidie, licet esset conjugio copulatus. Item recolit de alio, vocato Autredo Rimenton Clerico, qui multum erat lubricus, et quam plurimum inhoneste vivebat: quem ad sanctam vitam per suas prædicationes reduxit; et etiam fecit ipsum sua sponte Romam peregre proficisci: et dum reversus fuit, fecit ipsum D. Yvo per sua bona monita ad Sacerdotium promoveri. Qui postmodum diu vixit, semper bona opera faciendo: et etiam in pane

B et aqua Quadragesimam jejunabat. Testis XXXVIII Guilielmus filius Armonel, parochianus de Treleveon Trecor. diœc. æt. ann. XL dixit, quod motus misericordia D. Yvo, quando videbat personam aliquam desolatam vel errantem a via veritatis, illi soli prædicabat ad illum finem, quod posset illum educere de errore. Unde quadam die vidit Testis qui loquitur, ipsum D. Yvonem verbum Dei prædicantem soli bonæ mulieri, vocatæ Helion, parochiæ de Treleveon in domo d. mulieris, tunc de quadam amissione quam fecerat desolatæ. *Insuper* Testis XLIV dixit, quod semel ipse qui loquitur et D. Yvo et quidam alii, iverunt insimul peregrinari ad B. Virginem de Quintino diœcesis Briocensis; et tunc unus ex sociis eorum, nomine Thomas, propter exhortationes et prædicationes, quas D. Yvo eisdem fecerat in camino seu via, reddit se monachum monasterii B. Mariæ de Begar.

privatis exhortationibus multum proficit,

36 *Quod autem ad frequentiam prædicationum publicarum attinet*, Testis II dixit, quod D. Yvo sequebatur prædicando D. Gaufridum de Tornamina Episcopum Trecor. dum suam diœcesim visitabat: et quod coram eodem Episcopo et de mandato ejusdem prædicabat publice populo verbum Dei. Testis V dixit, quod quandoque in una die in tribus ecclesiis,

et magis publicis prædicationibus,

C distantibus una ab alia per unam leucam, prædicabat, ad quas ivit cum eo; scilicet de Villa-Martini ad ecclesiam de Rocha-Deriani, et de d. Rocha ad ecclesiam de Plœsal, et de d. ecclesia de Plœsal ad ecclesiam de Plœc; de quibus ecclesiis redibat quandoque ad domum suam jejunus, licet fuisset a pluribus invitatus. *Similiter* Testis VIII vidit pluries et audivit, quod aliquando, quando prædicaverat in ecclesia Trecorensi, eadem die ivit prædicando ad ecclesiam de Tredarzec verbum Dei ibidem, quæ ecclesia de Tredarzec distat ab ecclesia Trecorensi per unum milliare. Et exinde ipsa eadem die ibat prædicando ad ecclesiam de Plebe-magna, quæ ecclesia de Plebe-magna distat ab ecclesia de Tredarzec per unam leucam. Dixit etiam, quod erat adeo gratiosus in prædicationibus suis, quod quamplures qui ejus prædicationem in uno loco audierant, ipsum prædicantem ad locum alium sequebantur, et quod magis volebant eum audire quam quemcumque alium prædicantem. Vidit etiam quandoque, ut dixit, eumdem D. Yvonem in suis prædicationibus amarissime flentem, et eumdem loquentem (quamvis cor durum haberet) et plures alios per suam prædicationem devotam ad lacrymas provocantem. *Imo*

quas plures uno die diversis locis instituit:

Testis XXXV dixit, quod vidit et audivit eum prædicantem quadam die Parasceves in ecclesia de Plebe-parva, et dicebatur per multos quod eadem die prædicaverat in septem ecclesiis: quod verosimile videbatur; quia post prædicationem prædictam, quam fecerat in ecclesia de Pleba-parva, idem D. Yvo fuit ita fessus quod vix se poterat sustinere, imo oportuit ut ipsum Testis qui loquitur sustineret. *Nec mirum: nam, ut* dixit Testis XXXI, ibat ad prædicandum semper pedester, licet habere posset bonum equum, si pompatice vivere voluisset. *Quinimo* Testis XVII dixit, quod pro uno qui ibat ad audiendum sermonem alicujus alterius, etiam Episcopi, ibant viginti vel triginta vel circa ad sermonem D. Yvonis. *Pedester tamen semper ibat: contigit autem, ut* Testis XXX dixit, quod quadam die Veneris Alanus tunc Episcopus Trecorensis, misit pro D. Yvone, et similiter unum palafredum transmisit per nuntium suum. Quod *d* palafredo per D. Yvonem recepto, ipsum retinuit, dicens d. famulo, Vade, quia statim sequar te. Et dum vellet iter arripere, præcepit Testi ipsi, qui tunc erat Clericus suus, ut d. palafredum ascenderet, et D. Yvo post eum incedebat prædicando. D

EX MS TRECOR. sequente eum frequenti auditore:

d

37 Testis XXII addidit, quod prædicabat verbum Dei, quoties inveniret quibus prædicaret: et pluries vidit ipsum agricolis et aliis operariis, dum erant in opere suo, prædicantem. Testis XXV Herveus Oucheval, Canonicus ecclesiæ de Brelevenez diœc. Trecor. æt. LV ann. dixit, quod semper habebat verba bona in ore: et quando inveniebat aliquos congregatos, semper dicebat eis de Vita alicujus Sancti aliquid. *Ad hunc scilicet finem, ut* Testis XIX dixit, scribebat etiam Flores sanctorum, ipso Teste præsente, qui etiam ex alia parte scribebat. *Seipsum tamen in hoc minime negligens*, quando inveniebat aliquid boni seu perfectionis in Vita alicujus Sancti (*sicut addit* Testis XX) in quantum poterat ipsum volebat imitari, sicut B. Martinum in liberalitate erga pauperes, et B. Augustinum in caritate, et sic de aliis Sanctis. *Præterea (ut deponit* Testis XXXVIII) dicebat laicis qui litteras ignorabant, quod ipsi frequenter dicerent Pater noster, et hoc in suis prædicationibus publice prædicabat. Ut autem dixit Testis IV, dicebat multum frequenter in verbis s[illegible]s, Jesus Christus filius Dei. E

solitus etiam prædicare in compitis,

semper aliquid promptum habet ex Vitis Sanctorum

38 D. Joannes de Pestuven Testis IV dixit, quod ipse vidit et audivit frequentissime D. Yvonem prædicantem publice Clero et populo verbum Dei, in ecclesiis et in viis, et specialiter apud S. Corentinum, in ecclesia Cathedrali Corisopitensi et aliis pluribus locis, de licentia Episcopi ipsius loci prius habita et obtenta. Interrogatus in quibus viis, dixit quamdam die Sabbati, circa mensem Augusti, per unum annum vel circa ante mortem ejus, dum idem Testis iret peregre pedester de manerio Guezet ad S. Romanum ad civitatem Corisopitensem, una cum patre et matre ac tribus sororibus ejusdem, videlicet Theophania, Plaisota, et Beneventa, et cum ipso D. Yvone et pluribus aliis. Cumque D. Yvo videret D. Constantiam, matrem ipsius Testis itinere fatigatam, remansit in quodam quadrivio et cœpit eisdem prædicare verbum Dei. Et dum prædicaret, contigit quod quidam Scutifer eques, vocatus quondam Dominus de Coitpont, per inde cum quodam alio transitum faciebat; quodque socius d. Domini de Coitpont de equo descendit causa audiendi prædicationem. Et cum Dominus de Coitpont ultra transisset, de prædicatione non curans, dixit D. Yvo; Ecce, iste qui transit, est plenus arte diaboli: quod si essent hic quatuor garciæ *e* cum taborno *f* diaboli, libenter remansisset; et remanere noluit ut audiret verbum Dei: sed rogo Deum, ut caro sua super hoc ante F

et audire contemnenti pœnam prædicit,

e f

A ante mortem pœnitentiam agat. Item dixit, quod infra quindecim dies post sequentes, d. Dominus de Coitpont fuit percussus infirmitate paralytica in lecto suo, et ibi fuit per annum et amplius. Et ipso sic patiente venit quidam nepos ipsius sic infirmantis ad matrem ipsius loquentis, narrans sibi infirmitatem prædictam; ipsamque rogans, ut si sciret remedium aliquod super hoc, sibi daret. Illa vero Domina, rediens ad memoriam de verbis D. Yvonis, quæ dixerat in via prædicta; dixit quod consulebat, quod Dominus de Coitpont voveret se D. Yvoni, dicens quia (ut credebat firmiter) pro eo quod noluerat audire sermonem ipsius in via, dum ipsa ibat ad S. Ronanum, illud patiebatur. Quo per d. nepotem audito, et ipso ad suum avunculum reverso, præmissa sibi exposuit. Et statim idem patiens se Deo et D. Yvoni, tunc defuncto, vovit, et promisit se ejus sepulcrum visitaturum personaliter, quod et postea fecit, et ibidem sanitatem habuit et recepit.

Ex MS. Trecor. ac pœnitentem sanat invocatus.

ANNOTATA.

1. a Vassalli *nomen humiliori hic notione sumitur, ut simpliciter significet domesticos famulos : de aliis acceptionibus vide Cangium.*

b Raba, *Francis* Rave, *Teutonibus* Rape, *Raphanus.*

c Ribaldus, *homo infamis, perditus, obscœnus : de quo hominum genere multa Cangius.*

d Palefredus, *antiquitus* Paraveredus, *medio ævo sessorium equum significabat.*

e Garcia, *Francis* Garce, *puella, meretrix.*

f Tabornum, *in Vita prolixiori num.* 43 Taborinum, *vulgo* Tambour, *idque ad originem Mauricam convenientius (nam ab Hispanis Mauris vox ea ad nos venit) significat autem, non tubam (ut Albertus vertit) sed* tympanum : *unde* Taburinus *seu* Tambyrinus, *tympanista.*

CAPUT VI.

S. Yvonis liber alitas erga pauperes, nudos algentes et famelicos.

Gaufridus Jupiter, Rector ecclesiæ de Tredudel, Testis xxx, dixit se novisse D. Yvonem, et fuisse in servitio suo per quindecim annos vel circa in ecclesia de Tresdretz, de qua idem D. Yvo fuit Rector per octo annos et amplius; et apud Villam-Martini, manerium ipsius D. Yvonis, per septem annos vel circa. Dixit etiam, quod fecit quamdam domum fieri in manerio prædicto, et ibidem pauperes recipiebat, et eos de bonis sibi a Deo datis reficiebat. Dixit etiam quod pluries, et specialiter hiemali tempore, pannos emebat, de quibus Christi pauperes vestiebat: et hoc scit, quia sæpe dictos pannos ad domum ipsius D. Yvonis detulit, et cum ipso multoties ivit ad dividendum ipsis pauperibus dictas vestes. Testis autem xliii *similiter* dixit, quod ipse vidit frequenter D. Yvonem ementem et emi facientem pannum pro pauperibus induendis; de quo idem Testis ad mandatum ipsius vestes ipsas faciebat, quas eodem Teste præsente pauperibus erogabat. Interrogatus ubi hæc fiebant, dixit quod pannus emebatur apud Rocham-Deriani et apud Lanniuon; sed in parochia de Lohanec et in aliis multis, fiebat pauperibus distributio prædictarum vestium. Testis iv *etiam* dixit, se vidisse apud Rocham-Deriani quadam die Veneris, qua est forum in d. loco, *quod* D. Yvo ante mortem suam emit ibi sex vel septem pecias panni grossi, pauperibus erogandi, ut credit firmiter : eo quod vidit postmodum multos pauperes indutos de panno præ-

Vestiendis pauperibus pannos emit.

C

D dicto, prout ipsimet retulerunt. *Similiter* Testis xxii dixit, quod vidit quod D. Yvo mittebat nuntium suum apud quamdam villam vocatam Lannoion pro emendo pannos et telam, ad dandum pauperibus; et quod petiit ab eo si habebat aliquos pauperes juxta se; et ipse Testis respondebat, quod sic : et D. Yvo dicebat, mittatis eos ad me. Interrogatus de nominibus dixit, quod Herveus filius Amoir et Rivalon filius Alvenet; et postea vidit eos indutos vestibus, quas dicebant se habuisse ab eo.

40 *Sed ista sollicitudine adeo non contentus fuit tenerrimus Sancti erga pauperes animus, ut ipse proprias sæpe vestes sibi detractas eisdem sit largitus. Exempla plura suggerunt Testes, quæ hic, eo fere quo exposita sunt ordine, adnumerabimus.* Testis i dixit, quod semel D. Yvo cuidam pauperi, cujus nomen et personam ignorat, occurrenti eidem ac præ nimio frigore trementi, tunicam quam portabat de die dedit. Et quod idem pauper d. tunica indutus, post modicum tempus venit ad domum d. Testis, et eidem uxore sua præsente dixit : Ecce tunicam D. Yvonis, quam mihi dedit amore Dei. Interrogatus quomodo cognovit d. tunicam D. Yvonis fuisse, et cujus panni et coloris erat; dixit, ideo quod non erant octo dies elapsi, quod ipsum D. Yvonem viderat indutum de eadem : et erat tunica quasi nova, et de panno albo vocato Cordet seu Burel. Testis xviii dixit, quod semel quando D. Yvo veniebat de ecclesia sua de Lohannec ad locum suum de Villa-Martini, expoliavit se tunicam suam, et dedit cuidam pauperi, et remansit in epitogio et cum camisia de stupis, quam portabat sub tunica. Interrogatus quomodo scit, dixit quia vidit tunc d. pauperem flentem præ gaudio, juxta D. Yvonem, indutum d. tunica, dicentem se eam habuisse ab ipso : et D. Yvonem ibidem præsentem, indutum cum d. camisia et epitogio tantummodo. Interrogatus unde idem Testis veniebat, dixit quod de quadam ecclesia vocata de Plebe-magna, in qua tunc erat Capellanus.

algenti donat tunicam suam semel

iterumque,

E

41 Testis xxii dixit, quod semel accidit, Teste præsente qui loquitur, quod D. Yvo fecerat fieri quamdam tunicam pro se, et quod tondurarius a veniret ad domum suam, ad hoc quod ipse videret utrum esset bene facta. Et tunc D. Yvo mandavit pro quodam paupere parochiæ de Lohanec, de cujus nomine idem Testis non recordatur : et dixit pauperi quod indueret tunicam illam cum capucio, quia super ipsum volebat videre utrum esset bene facta. Et tunc d. pauper, cum magno gaudio, totus verecundus, induit d. tunicam; et dixit sibi D. Yvo, Bene stat tibi, recede cum ea : et sic cum capucio et tunica lætus recessit d. pauper. Testis xxxvi dixit, quod semel audivit dici, quod D. Yvo, dum infestaretur per pauperes in domo sua, et non haberet aliquid quod tunc daret, nisi vestes quibus tunc indutus erat, eis omnes vestes suas dedit et nudus remansit : tamen involvit circa se culcitram punctam, alibi designatam, quo usque potuit habere alias vestes. Testis xlvi, *postquam declaravit qualibus vestibus Sanctus uteretur, addidit, quod* si videbat pauperem indigentem, ei dabat aliquam partem de vestibus supradictis. Unde contigit quod, cum quadam die idem Testis qui loquitur, vellet pro uxore sua vestem emere, dixit D. Yvoni; Domine Yvo, volo ire apud Lannuyon, ad emendam vestem pro uxore mea. Et tunc dixit ei, Eme mihi tunicam et capucium de eodem panno : quod et fecit. Et dum d. tunica et capucium essent facta in domo D. Yvonis; dixit scissor pannorum, Domine, videatis si sit vestra tunica bene facta; et dum vellet d. tunicam induere respexit ad ostium, et vidit pauperem nudum et plurimum indigentem : quem statim ad se vocavit, et dixit ei : Indue tunicam istam, et vide si pro te esset

alias recentei pro se factam, a

F

et iterum coram Sartore.

A esset bene facta. Et tunc d. pauper timens dixit, Domine, non sum dignus induere talem vestem. Et tunc dixit D. Yvo, Immo facies. Et illico d. pauper induit tunicam supradictam. Postmodum D. Yvo dixit d. pauperi; Recipe capucium. Et cum d. pauper capucium induisset, dixit ei D. Yvo, Vade cum benedictione Dei lucrari panem tuum, et noli male facere. Et tunc recessit cum capucio et tunica d. pauper, præsente ipso Teste.

Algentibus myricas suas ad focum permittit,

42 Testis xxxii dixit, quod quodam anno, de quo non recordatur, dum urgerent magna frigora, inter festum nativitatis Domini et Quadragesimam, venerunt ad ipsum plures pauperes dicentes, quod erant valde constricti ab illo frigore et coacti, et non habebant unde se possent calefacere nisi ipsos adjuvaret. Tunc dixit illis D. Yvo, Non habeo ligna ad dandum vobis, sed eatis ad quemdam campum meum, ubi sunt myricæ; et recipiatis de illis quantum vobis placuerit, et residuum dimittatis: et nullus recipiat nisi indigeat, sed dimittatur residuum aliis qui similiter egebunt. Interrogatus qualiter scit; dixit quia audivit quod D. Yvo præcepit dictis pauperibus ut myricas reciperent pro necessitatibus suis, et vidit dictos pauperes myricas colligentes et deportantes. *Addit autem* Testis xxii, quod licet D. Yvo non calefaceret se, tamen ipse emebat ligna pro pauperibus, et eos calefieri faciebat, et juxta ignem ponebat. *Pergens autem* Testis xxxii, dixit etiam quod quadam die Veneris, cum D. Yvo reverteretur de *b* Rocha-Deriani, ubi prædicaverat verbum Dei, obviavit cuidam pauperi nudo et coacto frigore: qui pauper ab ipso eleemosynam petiit, et tunc dixit ei D. Yvo, Veni ad domum meam, et faciam tibi dari de pane. Et pauper respondit, Heu! panem non quæro, quia manducare non possem, sed quæro aliquod modicum indumentum, de quo possem me cooperire, ne frigore peream. Et tunc D. Yvo misericordia motus respexit quamdam domum, et spoliavit se tunica sua alba quam portavit, et tunc vocavit pauperem, et illi dedit tunicam suam, et statim cum festinatione venit ad domum suam: et misit ad civitatem Trecorensem penes Rivallonem le Flove, ad quærendum tres ulnas burelli albi grossi, ad faciendum tunicam pro seipso. Interrogatus quomodo scit, dixit, quia vidit pauperem dictum indutum d. tunica, et dixit eidem Testi d. pauper, quod D. Yvo dederat ei tunicam prædictam. Et d. Testis bene cognovit, quod de tunica fuerat D. Yvonis, C quia ipsam pluries viderat.

alterum ut induat hieme B

tunicam suam exuit:

43 Testis xcvii Margilia, uxor filii Thaor, parochiæ de Lammeur diœc. Dolensis, æt. lv annorum vel circa, dixit per suum juramentum, quod quodam die, dum ipsa quæ loquitur cum quadam muliere, vocata Mahaut, uxore Rivallon Leyzone ejusdem parochiæ, peregrina iret ad Basilicas septem Sanctorum Britanniæ visitandas, obviaverunt D. Yvoni, in via inter civitatem Trecorensem et castrum vocatum Lannuyon. Et cum videret eum ipsa quæ loquitur, multum gavisa fuit, ut dixit; pro eo quod ipsum noverat et audiverat optime prædicare, quare ipsum desiderabat multum videre. Et eo salutato secutæ fuerunt eum ambæ, cupientes ab eo audire verba divina: de quibus ipse libenter loquebatur, quando inveniebat audire volentes, prout dixit se expertam fuisse ipsa quæ loquitur aliquando. Et dum irent una cum D. Yvone: invenerunt in via quemdam pauperem, jacentem sub quodam tugurio, eleemosynas petentem a transeuntibus. Et dixit Testis quæ loquitur, quod D. Yvo divertit ad pauperem prædictum, petentem eleemosynas ab eodem, et dicentem quod fame moriebatur. Et cum D. Yvo diu locutus fuisset cum eo in secreto, extraxit capucium suum de capite, et dedit pauperi supra dicto, D et dixit: Accipe, quia non habeo aliud de quo tibi faciam eleemosynam in præsenti: et postea recessit cum mulieribus supradictis, eundo sine capucio, dicendo Horas suas, ut dixit ipsa quæ loquitur, per spatium tertiæ partis unius leucæ vel circa. Deinde respicientes viderunt D. Yvonem, habentem in capite d. capucium, quod pauperi dederat, ut ei quæ loquitur certissime videbatur. Et addidit quod D. Yvo tunc flexis genibus in via, et junctis manibus dixit: Domine Jesu Christe, gratias tibi ago de munere tuo: et percutiebat pectus suum. Tunc dictæ mulieres cœperunt amare flere, admirantes propter miraculum quod viderant ibi factum. Et tunc D. Yvo dixit eis, quod ipsæ mulieres irent vias suas cum benedictione Dei, et quod facerent bonum, et et Deus redderet eis. Deinde divertit D. Yvo versus domum suam propriam de Villa-Martini. Interrogata quomodo scit, quod esset illud capucium quod dederat pauperi, dixit quod ita apparebat omnino sibi. Interrogata quanto tempore mense, die, dixit, quod circa triginta annos, de mense et die non recordatur, sed fuit in septimana Pentecostes. *Huic relationi adstipulata* Testis xcviii, Mahauta *prænominata*, E *ejusdem* ætatis annorum lv circa, interrogata de tempore dixit, quod triginta anni sunt elapsi, quodam die Lunæ circa festum Pentecostes, ut sibi videtur.

simili modo capucium sibi detractum,

ex Ms. Trecor.

divinitus recipit procul a loco ubi illud dimiserat.

44 *Non minor illius erga famelicos indulgentia fuit, nec minoribus favoribus compensata: nam* Testis iii dixit: quod omnia quæ habebat pauperibus erogabat: et quod semel vidit, quod furnatam *c* integram panis dedit pauperibus: et postmodum ipsa die, dum esset in mensa cum D. Yvone in domo sua Villæ-Martini, venit quidam pauper turpissimus in vili habitu, in præsentia ipsius Testis loquentis, et D. Yvo fecit d. pauperem sedere ante ipsum in mensa, et comedere secum in eadem scutella. Et dum idem pauper aliquantulum comedisset, de mensa surrexit: et dum esset ad ostium domus, vertit se ad D. Yvonem et ad d. Testem loquentem, et dixit eis in Britonice, ad Deum *d*, Dominus vobiscum. Quo dicto apparuit D. Yvoni d. pauper, pulcher et veste alba indutus: et idem D. Yvo eidem Testi statim retulit, sibique dixit, quod qui turpissimus venerat, pulcher recedebat, et quod de claritate vestis ipsius domus resplendebat; nec ulterius illa die D. Yvo in illa mensa comedit: sed post recessum d. pauperis, in præsentia ipsius Testis, fortiter flere incepit, et dixit, Nunc scio bene, quod nuntius Domini venit ad visitandum nos. *Modum autem quo suos convivas excipiebat Yvo sic exponit* Testis ix Yvo Rachel, Presbyter oriundus de civitate Trecor. æt. ann. xl, qui vidit in domo ejus apud Villam-Martini pluries, quando habebat ipsum qui loquitur et plures alios pauperes; quos ad terram sedere faciebat, et super unum *e* bassetum mappam ponebat seu extendebat, et demum ipsis omnibus discumbentibus panem grossum mixtum et olera quandoque, quandoque pisas, quandoque fabas, cum sale et farina paratas, et aquam pro potu manu propria ministrabat. Et post comestionem d. Testi qui loquitur, panem quandoque pro cœna dabat.

Integram furnatam panum elargitur, c

Angelum in forma pauperis sordidissimi excipit. d

e

45 Testis xii dixit, se vidisse quadam die, de qua dixit se recordari, sed fuit circa festum B. Joannis Baptistæ, bene sunt triginta anni et ultra, patronum cujusdam magnæ navis de Normannia, cum quibusdam sociis suis venientem ad D. Yvonem apud Villam-Martini, et dantem ei octo solidos vel circa monetæ Britanniææ, ut credit, se D. Yvonis orationibus commendando, in quibus propter suam sanctitatem magnam fiduciam videbantur et se dicebant habere. Quam pecuniam totam D. Yvo statim misit pro pane emendo. Quem panem postea, ipso Teste et

Decem solidos sibi oblatos

impendit panibus ad usus egentium:

EX MS. TRECOR.

A et ipsis nautis præsentibus, erogavit. Item dixit, se vidisse in domo ecclesiæ de Tredretz, cujus ecclesiæ D. Yvo fuit Rector, bene sunt triginta anni et ultra, quadam die, de qua dixit se non recordari, sed fuit circa festum Rogationum, D. Yvo de modico numero panum magnas eleemosynas multis pauperibus erogavit : quos panes dictis pauperibus sufficere, miraculose et non aliter, asseruit firmiter se credere d. Testis, quia non poterant esse ad majus nisi decem vel octo *f* solidatæ panes : de quo pane erat magna *g* caristia tunc in terra; et tunc erant ibi plusquam ducenti pauperes, ut credit, qui de ipso pane eleemosynas habuerunt. Interrogatus quibus præsentibus, dixit, ipso Teste loquente et Vicario ipsius D. Yvonis, de cujus nomine dixit se non recordari.

f — *g* *qui alias miraculose augentur :*

46 Testis XXXII dixit, quod semel contigit circa festum B. Mariæ Magdalenæ, dum esset fames valida, et idem D. Yvo non haberet quod pauperibus erogaret, venissentque plures pauperes ad ipsum apud Villam-Martini, quærentes eleemosynam ab eodem, D. Yvo respondit, Non habeo modo quod vobis valeam erogare : sed eatis ad viridarium meum, et videatis utrum fabæ quæ ibi sunt sint bonæ ad comedendum; et si vobis placeant et bonæ sint, recipiatis B quantum volueritis : et [vos qui advenistis aliunde] goussas *h* earum ad decoquendum licet ad meum hospitium apportetis : vos autem qui estis de villa ista portetis ad vestra hospitia quantum vobis necesse fuerit. Et sequenti die pauperes de civitate Trecorensi iverunt ad dictas fabas, et plures de circumvicinis villis, taliter quod infra tres vel quatuor dies omnes fabæ comestæ fuerunt, et portatæ a pauperibus et vicinis. Interrogatus quomodo scit, dixit, quia audivit quod D. Yvo præcipiebat pauperibus quod fabas reciperent, et vidit ipsos eas colligentes et portantes. Dixit etiam quod pluries vidit quod D. Yvo, quando obviabat pupillis, viduis, et aliis miserabilibus personis, dicebat eis quod venirent ad domum suam, et ipse daret eis de bonis sibi a Deo collatis. Et aliquoties vidit quod viduis et aliis pauperibus, hospitium tenentibus, mittebat unum vel duos *i* boissellos *k* bladi, ad ponendum ad molendinum.

eisdem horti sui fabas permittit, — *h* — *i* — *k*

47 Dixit etiam quod quodam die, dum esset magna [caristia] æstivo tempore, et D. Yvo non haberet quid daret pauperibus, nisi quemdam equum quem tenebat ad colendum terras suas, venit de Villa-Martini ad civitatem Trecorensem ad quemdam *l* C burgensem vocatum Rivallon Traquin, qui sororem ipsius habebat uxorem, et dixit, Ematis equum meum. Et d. burgensis incepit eum deridere et dicere, Vos estis unus fatuus, qui vultis vendere equum vestrum pro dando pauperibus. Et D. Yvo de istis opprobriis non curavit, sed tantum institit erga d. burgensem, quod emit pro quinquaginta solidis d. equum; et statim determinato seu soluto d. pretio, festinato recessit D. Yvo et ad domum suam accessit, præcipiens prius d. sorori suæ, quod eidem mitteret decem solidatas panis pauperibus erogandas, nam ubique pauperes ipsum quasi continue sequebantur. Interrogatus quomodo scit, dixit, quia vidit et audivit qualiter D. Yvo d. equum vendidit, et audivit quod præcepit sorori suæ quod d. panes mitteret, et vidit quomodo quidam famulus ipsius D. Yvonis panes præd. in quodam cophino recepit; creditque firmissime quod panes fuerunt pauperibus erogati, quia pauperes ipsum, ut dictum est, sequebantur. *Sic etiam* Testis XXXVI dixit, quod semel vidit, quod cum D. Yvo pecuniam non haberet, et pauperes ab eo eleemosynam quærerent, capucium unum extraxit de capite, et misit pro pignore ad habendum panem, quem statim pauperibus erogavit. Testis XLI dixit, quod vidit semel D. Yvonem suam tunicam exuentem, et cuidam pauperi conferentem; cum vestem aliam non haberet tunc pro ipso paupere. D

et equum suum vendit ut panes emat: — *l* — *alias ideo capucium oppignorat,*

48 *Hæc sunt quæ collegi circa præsentem materiam, ex testibus quorum depositiones supersunt : nec dubium quin plura similia erui possent ex iis quæ perierunt, si superessent. Pauca, quia cum miraculo conjuncta, apparent in Summario miraculorum, ubi secundo loco ponitur :* quod cum idem Yvo, tempore caristiæ, de unico pane, qui erat in domo, daret pauperibus; et ex his quos D. Yvo invitaverat esset ejus Vicarius ac murmuraret, eo quod non esset panis quem comederet; D. Yvo dedit sibi medietatem totius panis qui remanserat : quem Vicarius reposuit, et cum vellet accipere non invenit. Et dum comederet venit mulier modica, quasi nana, et detulit tres gastellos *m* seu foaslas *n* involutas toallia *o* : et dum comederent et vellent sibi dare, non viderunt eam, nec alias viderant, nec postea viderunt. Hoc testificatur per sui præsentiam Guilielmus, Testis CLII unus de invitatis, specificans quod d. Vicarius dicebat sibi Testi et aliis invitatis, Nisi impediatis eum totum panem dabit, et non habebimus quod comedemus. Et cum vellet accipere panem et non invenisset, E credens quod aliquis accepisset, recessit indignatus: et dum recessisset venit mulier Hamo Testis CLIII, item unus de invitatis, videtur concordare cum supra proximo Teste; et addit, quod erat tanta caristia, quod multi pauperes, propter defectum panis, terram interdum comedebant : et quod d. Vicarius dicebat, quod de duobus diebus non comedisset de pane; et quod medietas panis, quam dederat d. Presbytero, postmodum non potuit inveniri. Et quod mulier respondit, Audivi quod D. Yvo non habebat panem, nec invenit ad emendum : et ego apporto sibi. Et d. muliere ibidem sedente, cum dare vellet de d. pane eidem mulieri, idem Testis credens eam habere et sedere juxta ipsam, eam non invenit, nec mappam, nec vidit nec percepit quo iverit, imo credit firmiter quod miraculose evanuerit. Et admirati fuerunt omnes circumstantes, quo iverat d. mulier. Nec per ostium exivit, quia clausum semper remanebat. *Vicarius autem iste fortasse fuit* Testis XXX, *nomine* Gaufridus Jupiter, *qui* fuit per annos tredecim in servitio ipsius, *et fatetur, quod quia* D. Yvo erogabat quidquid habere poterat, ita quod nihil ei aliquoties remanebat, quod posset comedere nec eidem Testi ad comedendum conferre, cogebatur ipse pluries flere, quamvis D. Yvo eum confortaret et diceret, satis habetis de pane. F

unum qui solus aderat elargitus, — *m* — *n o* — *divinitus tres gastellos recipit :*

49 *Ponitur etiam*, quod viginti quatuor pauperibus et ultra, unum panem duorum denariorum distribuit, in tanta quantitate cuilibet, quod non debuisset sufficere duodecim. *Et hoc* testificatur Conanus, Testis CXLIX assertive de numero pauperum, ut sibi pro firmo videtur : et credit, quod, si plures pauperes venissent, d. panis omnibus suffecisset : et credit firmiter, quod hoc fuit miraculose factum. *Item ponitur* quod cum d. Yvo suum Presbyterum et quemdam Gaufredum misisset ad capiendum de frumento, pro suo hospitio et pauperibus; invenerunt *p* clavaturam arcæ amotam, et in ea valde modicum de frumento : et statim nuntiaverunt D. Yvoni, qui dixit, Non curetis : satis habemus Deo dante : et cum eo reversi arcam invenerunt quasi plenam de frumento; *sicut* testificatur ipse Gaufridus Testis CXLII per sui præsentiam; et addit quod non potuisset sic subito repleri arca, habito respectu ad modicum intervallum quod fuit in eundo et redeundo, nisi per miraculum divinum, et sic credit firmiter. *Et huc fortassis spectat (quia dicitur arca inventa reserata) quod* Testis XXII audivit dici a familiaribus suis, quod aliquando furabantur sibi de domo sua bladum, et ipse portabat hoc patienter : et quando dicebatur sibi, Domine

alias ipsi multiplicatur panis in manibus — *p* *et frumentum in arca.*

A Domine, Fulminetis q sententias contra eos ; ipse respondebat ; Dimittatis : Dominus Deus emendet eos, quia ego sum ditior iis.

ANNOTATA.

a Tondurarius, *quomodo pro* Sartore *usurpetur, nescio : cum* Tonderare *idem sit quod* tondere.

b Rocha-Deriani, *non nisi una alterave leuca Trecoris distat.*

c Furnata panis, *id est, tot panes, quot simul coquendos furnus unus capit.*

d Ad Deum, *Francis*, Adieu.

e Bassetum, *videtur dici humilis mensa, a radice* Bas.

f Solidata panis, *id est, ad valorem unius solidi : sic* solidata terræ *dicitur, quæ solidum unum annue reddit.*

g Caristia, *caritas annonæ, verbum medio ævo usitatissimum.*

h Goussæ, *Francis leguminum quorumcumque siliquæ appellantur.*

B i Boissellus, *modius Gallicus, vulgo* Boisseau *alias etiam* Boistellus.

k Bladum, *pro frumento, notissimum vocabulum.*

l Burgensis, *civis, sic dictus, a* burgo.

m Gastellus, *vulgo* Gatteau, *placenta, libum, ex ipso farinæ flore, ovis et aliis dulciariis factum.*

n Foassa, Focacia, Fogata, Fugatia *et* Fuatia, *omnia idem sonant, et significant libum, non coctum in furno, sed ad familiarem focum, unde et nominantur; quibusdam etiam est panis subcinericius.*

o Toalia, *id est, mappa.*

p Clavatura, *nescio an potius a* Clavi *hic ductum, ut seram significet, quam a* Clavo, *unde* Clavare.

q *Mos ille repetendi ablata per excommunicationes ecclesiasticas, contra detinentem res, quascumque et quomodocumque ablatas, merito abrogatus nunc est.*

CAPUT VII.

Aliæ quædam virtutes S. Yvonis, cum prioribus connexæ.

Paratos pro se cibos delicatos,

Testis XXIV Olivarius Floci, custos Reliquiarum ecclesiæ Trecor. et Vicarius perpetuus in eadem, æt. L ann. dixit, quod ipse habuit notitiam D. Yvonis tempore quo erat Officialis Archidiaconi Rhedonensis, vocati Mauritii, quia ille Testis qui loquitur C erat tunc in scholis in civitate prædicta, cum quodam alio vocato Deriano Guidomare, qui fuit postea Prædicator : et tunc præd. D. Yvo dabat eis de tribus diebus in tribus diebus duos denarios, et postea invitabat eos in festis annualibus, videlicet in nativitate Domini, in festo Paschæ, Pentecostes et omnium Sanctorum, quando d. Archidiaconus non erat in villa. Et tunc vidit d. Testis. quod cibariis paratis ad comedendum, prout est consuetum in talibus festis, et quando mensæ erant positæ, D. Yvo faciebat cibaria apportari, et ponere super mensam ac si fuissent comestores : et postea frangebat et ponebat in cophino, et tradebat custodienda Testi qui loquitur : et postea dicebat, Vade quærere gentes meas : et aperiebat portam magnam, et intrabant pauperes infra portam : et tunc faciebat apportari cibaria, et ipsemet ministrabat ipsis pauperibus, et dabat ipsis ad potandum bis : et postea ibat ad mensam cum duobus prædictis : et cum ipsi comederent copiam cibarionum una cum famulis ejusdem, D. Yvo solummodo comedebat panem grossum et olera, et potabat aquam frigidam de quodam fonte vocato Gormoye. Dixit etiam quod illo tempore, licet haberet pulchrum lectum secundum statum suum, ipse

exponit pauperibus domum admissis.

D tamen vidit pluries jacentem totum indutum super terram, amotis tantummodo sotularibus inter libros suos : et ipse Testis jacebat in lecto, facto pro eo de mandato suo. Item dixit, quod pluries D. Yvo venit quæsitum ipsum Testem ad domum patris sui, ut juvaret eum ad celebrandum in capella sua Villæ-Martini : et quod pluries juvit eum et celebrabat devotissime. Dixit etiam quod pluries comedit cum eo, et antequam comederet dabat eleemosynam pauperibus vicinis, et alios invitabat ad comedendum secum, et faciebat eos comedere juxta se; et antequam sederet ad mensam, scindebat panem pro pauperibus.

EX MS. TRECOR.

et lectum suum alteri cedit :

51 Testis x dixit, se jacuisse per unam noctem apud Villam-Martini, in domo ipsius D. Yvonis; et vidisse, quod in domo præd. jacuerunt nocte illa decem et novem pauperes : quibus Missam in crastino celebravit in capella sua, et Missa celebrata, cum non haberet panem ad dandum, cuilibet ipsorum plenam scutellam farinæ erogavit. Testis XIX dixit, quod habebat pro pauperibus unam domum, in qua recipiebat eos de nocte, et faciebat eis fieri ignem in hieme, et eos ibidem visitabat et prædicabat eis E verbum Dei. Dixit etiam, quod semel accidit, Teste præsente qui loquitur, quod D. Yvo visitabat pauperes peregrinos, qui erant in d. domo sua : et erat ibi quidam pauper, qui dicebat se ire peregre ad S. Jacobum, vel ad septem Sanctos Britanniæ, quia de loco ad quem ibat non recordatur ad plenum ; cui dixit D. Yvo, Tu habes bonos sotulares. Tunc dixit pauper, Verum est, Domine, si essent uncti. Et tunc D^s Yvo fecit apportari unguentum ; et cum pauper vellet ungere, idem D. Yvo unxit eos manu propria, ipso Teste vidente. Testis XXXI dixit, quod D. Yvo erat homo magnæ pietatis erga pauperes et infirmos, et quod sæpissime eosdem visitabat, eisdem pietatis intuitu necessaria, prout erat sibi possibile, ministrando; ipsos etiam suis verbis et exhortationibus inducebat prædicando, quod Deum diligerent et timerent, et mundum pro nihilo reputarent, quia gloria mundi vana est et transitoria. Pauperes etiam dum ad domum ipsius apud Villam-Martini vel ecclesiam suam de Lohanec veniebant, ad prandium invitabat si esset hora prandii : et tunc eis pane et olera vel fabas, sicut dederat sibi Deus, ministrabat : et cum eis pane grosso et cibis prædictis et aqua pro potu communiter utebatur, et ad terram cum ipsis sedebat : dum vero erat hora prandii panem pauperibus in tanta quantitate ministrabat, quod diem transire poterant competenter. Et scit prædicta, quia vidit pluries, F et comedit cum eo in locis prædictis. *Addit autem* Testis XIV, *quod* cum scypho cum quo bibebat, omnes etiam pauperes qui secum comedebant, bibebant.

multos pauperes hospitio excipit,

in domo ad id constructa,

eisque ministrat

52 Testis primus dixit, quod D. Yvo pauperibus largas eleemosynas panis et pecuniæ faciebat, ipsosque induebat, et hospitalitatem etiam exhibebat, et Religiosos Mendicantes sæpius ad domum suam vocabat, et eos ibidem bonis cibariis et vino recreabat, dissimulans se comedere et bibere sicut ipsi, licet pane grosso et oleribus, pisis et fabis paratis, ut supra, et aqua tantummodo uteretur. *Testis vero* XXII, *idem de Religiosorum caritativa exceptione commendans*, interrogatus cujusmodi Religiosi erant illi ; dixit quod vidit Prædicatores et Minores, quod alios viderit non recordatur. *Eosdem* Prædicatores et Minores *nominat* Testis XLVI, *eadem quæ* Testis I *asserens.* Testis *autem* VIII, *cum dixisset* quod D. Yvo habebat bonam ecclesiam vocatam Lohanec, quæ valet bene ad faciendum expensas centum librarum, et habebat etiam bonum patrimonium, de quibus si vellet poterat bona cibaria et vinum habere et emere; interrogatus si prædicta emere recusaret propter parcitatem vel avaritiam ut pecuniam congregaret,

Religiosos lautius habet :

A gregaret, dixit quod non, quia vinum et alia bona cibaria ægrotantibus indigentibus libenti animo ministrabat, quamvis sibi ipsi ministrare talia recusaret. *Expressius autem* Testis XI dixit, quod pauperes infirmos, confractos, senes, et valetudinarios faciebat in domo sua comedere et jacere, et aquam ad abluendum manus etiam iis invitis, et cibaria quæ pro iis habere poterat meliora propriis manibus ministrabat, et lectos ipsemet faciebat et cubabat eosdem : *et hoc scit*, quia ipsum in prædictis adjuvit.

EX MS. TRECOR ulí et infirmos

eis Sacramenta ministrans,

Testis V *exponit quomodo ad promptius succurrendum infirmis*, deferebat supra pectus suum quamdam pyxidem argenteam valde honestam, in qua tenebat corpus Christi, quod ministrabat infirmis quos visitabat, quoties sibi fieri debere videbatur. *Et hanc* pyxidem (*ut ait* Abbas de Begar Testis XIX) habuerat a Domina de Rostreven Corisopitensis diœc. Testis XXXII dixit, quod infirmos quos scire poterat, tam in parochia sua quam alibi, libentissime visitabat : et eos sanctis verbis et bonis exemplis inducebat, ut sacramenta suæ salutis reciperent, et sic mortem non timerent, cum essent Christi insigniis præmuniti. Dicebat etiam eis, quod si bonis suis etiam indigerent, ei secure dicerent, et ipse eis libenti animo necessaria ministraret : et sic vidit pluries et ivit aliquoties cum eodem. B

53 Testis XXXVII dixit, quod vidit ipsum pluries infirmos visitantem : et maxime cum die quadam faceret transitum per quemdam vicum, vocatum Vicum-perdicum in civitate Trecorensi, vidit quemdam virum dicentem sibi, Domine Yvo, veniatis pro Deo ad audiendam confessionem cujusdam infirmi, exeuntis in domo quadam. Qui dimisso itinere suo intravit domum, dicens; Si denegarem ire ad istum infirmum, inobediens essem Deo. Dixit etiam quod omnes occurrentes sibi humiliter salutabat, et mentis humilitatem gestu corporis demonstrabat : et quod magis placebat ei obviare pauperibus quam divitibus, et eorum societatem sæpius frequentabat, et ipsos informabat ne de paupertate sua tristarentur, sed in patientia tolerarent : prout aliquoties vidit et audivit. Testis XXXVIII dixit etiam, quod pauperes et orphanos nutriebat, et ipsos ut litteras addiscerent informabat, et ad scholas ponebat, et salarium magistris de suo proprio persolvebat : et recordatur quod vidit Yvonem Auspice et Hamonem Encoquer diœc. Trecor. circa quos fecit præmissa. Testis XLII dixit, quod vidit D. Yvonem frequentissime visitantem infirmos, videlicet Alanum Villæ-Gossy, fratrem ipsius testis, et Constantiam Villæ-Carmerii quondam, et Hasevisiam Nuz : quas visitavit diversis vicibus in infirmitatibus earum. *Idem affirmans* Testis XLIII, *inter eos numerat* specialiter semetipsum, quando infirmus erat, et Guegenet filiam Andreæ, et Azeliciam filiam Avœntec, et multos alios de quibus difficile esset recordari. Et tunc ipsos d. Teste præsente, confortabat ad confitendum, et sancta verba eisdem prædicando, ut ponerent se in bono statu, si volebant corporis et animæ sanitatem : et addidit, quod numquam vidit quod ipse alicui pauperi eleemosynam denegaret. C

et solantia ac salubria monita, suggerens,

54 Item dixit Testis VIII, quod in hospitali B. Mariæ de Lantreguier Trecorensis, pauperes morientes sepeliebat manibus propriis, et ipsos in feretro cum aliis ad sepeliendum portabat, et sudaria dabat eis, quod vidit pluries. Testis XXIX dixit quod fuit in domo Villæ-Martini per tres [hebdomadas] continuas in expensis ipsius D. Yvonis, qui Testis erat tunc Guardianus de Guingampo, et erat infirmus in tibia. Et tunc vidit D. Yvonem ibidem bona facientem, et quomodo recipiebat pauperes ibi confluentes, et eos recreabat spiritualiter et corporaliter. Vidit etiam quod quidam pauper infirmus decessit in domo sua : et die illa non venerunt pauperes ad domum ipsius ut consueverant, pro eo quod nolebant ipsum defunctum propter sui horroris fœditatem lavare, nec portare sepeliendum. Et tunc ipse D. Yvo et socius d. Testis, vocatus Fr. Olivarius de Putguoyt, laverunt eum humiliter et devote : et idem D. Yvo suebat sudarium, et propriis dentibus filum rumpebat, prout d. socius eidem Testi retulit : et postea ambo portaverunt d. defunctum ad sepeliendum, ipsumque sepelierunt. D

mortuis sepelit,

quamtumvis fœdos.

55 *Tam compatiens pauperum in necessitatibus corporalibus, nihilo minus tener erat in spiritualibus et efficax adjutor : unde* Amicia filia Dathovadæ sæpe nominatæ Testis XLI, dixit, quod ipsa Testis semel fuit ei confessa, qui amarissime flebat, dum eam audiebat, ipsam ad compunctionem, ut credit, volens radicare peccatorum. *Et* Testis XI vidit pluries D. Yvonem, flentem peccata eorum qui sibi confitebantur vel confessi fuerant, ita quod ipsos peccatores ad flendum sæpius provocabat; et super afflictos et infirmos, pro eorum infirmitatibus et afflictionibus, sæpius lacrymantem. Testis *autem* XIV dixit, quod cum audisset famam ipsius, antequam eum cognosceret; quadam die de qua non recordatur, volens et affectans eum multum videre, ivit ad eum ad locum de Lohanec, et ibidem fuit ei confessus peccata sua. Post quam confessionem adeo fuit compunctus et inductus ad devotionem, per sacra monita. D. Yvonis, quod amare cœpit flere peccata sua; et cœpit ipsum multum diligere, et quam plurimum affectare vitæ ejus sequi vestigia : et tunc per duos annos visitabat frequenter eum in loco Villæ-Martini et Trecoris. Et cum quadam die, de qua dixit se non recordari, d. Testis requireret D. Yvonem, ut daret sibi consilium, qualiter suam animam tutius et melius salvaret; consuluit et quantum potuit induxit, ut Ordinem Fratrum Minorum intraret, quod et fecit d. Testis. *Nec dubium videtur quin eodem spiritu impulsus id suaserit, certus ibi perseveraturum; quo alterius a simili proposito defectionem prænovisse eum* dixit Testis XXIX. Cum *enim* Archiepiscopus Turonensis *a* esset in civitate Trecorensi visitans, quædam mulier, antiqua pedissequa ipsius D. Yvonis in provincia d. Testis, dixit eidem D. Yvoni, quod impetraret Indulgentiam ad opus Dionysii, Inclusi in inclusagio *b* sito prope Rocham-Deriani, a d. Domino Archiepiscopo. Quo audito per D. Yvonem, stetit in contemplatione in cœlum respiciens per magnam pausam : post quam dixit : Ille Inclusus erit *c* amissus amore pecuniæ : qui etiam post mortem D. Yvonis exivit de reclusagio. E F

Confitentes suo fletu ad pœnitentiam movet.

Suadet uni religionem,

alterius apostasiam prædicit:

56 Testis VII *ceteris Yvonis virtutibus adnumerat*, quod vidit ipsum pluries jacentem indutum in ecclesia Trecorensi in sacristia ad terram, involutum in quadam culcitra *d* puncta, et quod loco pulvinaris tenebat lapidem subtus caput. Interrogatus quare jacebat in sacristia præd. dixit quod pro custodia rerum sacrarum et aliarum quæ erant ecclesiæ et in ecclesia, quas gentes Regis Franciæ, quæ tunc erant in civitate Trecor. volebant capere, ratione centesimi et quinquagesimi bonorum mobilium, quæ ab Episcopo et Capitulo Ecclesiæ Trecor. ceterisque personis Ecclesiasticis volebant habere, quibus D. Yvo modis et viis omnibus quibus poterat obviabat. *Hinc contigit quod idem Testis* audivit semel, quod Guilielmus de Tornamina, tunc Thesaurarius Trecor. et Collector centesimi et quinquagesimi Regis Franciæ, vocavit ipsum D. Yvonem, Coquinum : cui D. Yvo nihil dixit, sed ridere incepit, et læta facie ac hilari faciebat omnia. Vidit etiam quadam die, de qua non recordatur, quemdam servientem Regis Franciæ, qui quemdam equum *e* nardum, valoris quadraginta librarum vel circa, de domo Episcopali

vigilat pro custodia bonorum ecclesiæ :

Episcopi (quum a ministris, regiis abductum recipit.

A scopali ceperat; et cum duceret eum, D. Yvo obviavit eidem in cœmeterio, et ipsum equum per frænam cepit, atque de manibus d. servientis eripuit, et ad domum Episcopalem reduxit. *Attestatur id Summario* Gaufridus Hilarii Testis ccxv et addit, quod pranus Scutiferi Regii fuit læsa judicio Dei, ut audivit a pluribus : et post venit d. Serviens ad D. Yvonem, et reddidit se, et fuit curatus. Testis *autem* viii, *magnam ejus patientiam laudans*, dixit, quod pluries Guilielmus Tornamina, tunc Thesaurarius Trecor. et Mag. Joannes Querin Clericus civis Trecor. ipsum blasphemabant in ecclesia Trecor. ipsumque, quamvis esset de nobili genere procreatus, vocabant *f* truffando de ipso Rusticum, Coquinum, et Truanum pannosum; quod D. Yvo patienter sustinebat, ridens et eis respondens, Dominicus parcat vobis ista quæ dicitis.

57 *Similiter* Testis xlvii, *post quam dixisset, quod* multoties, licet crederent quod esset in camera, in ecclesia seu capella pernoctabat; *idque scire affirmasset, quia* aliquoties vidit quod domicelli juvenes, ad videndum quid D. Yvo faceret, sequebantur, et sic videbant facientem, ut eidem Testi pluries retulerunt; *postea addidit*, quod ipsa præsente, dum gentes Regis Franciæ vellent educere per vim quemdam equum Episcopi Trecorensis, D. Yvo occurrit, et abstulit eis equum dicens, quod in potestate B. Tugdoali *g* nihil sibi poterant vendicare. Quo facto Thesaurarius Trecorensis, qui tunc erat, dixit D. Yvoni ironice et opprobriose, Coquine, vos posuistis nos in periculo perdendi omnia quæ habemus. Cui D. Yvo benigne et hilariter respondit, Vos dicetis quidquid vobis placuerit, quia quantum potero me ponam pro defensione libertatis Ecclesiæ toto tempore vitæ meæ. Et licet omnes multum dubitarent quod inde malum sequeretur, tamen in crastinum fuit totum sedatum, et dicti Regales nihil reportaverunt : quod fuit pro maximo miraculo reputatum, et totum propter merita et bonitatem D. Yvonis. *Huc forte spectat quod additur in Summario*, quod Olivarius Lameur, jacens cum D. Yvone in Sacristia Trecor. quadam nocte audivit magnum strepitum, ad modum tonitrui tam horribilis quod visum fuit ei quod caderet ecclesia, et iens cum D. Yvone ante majus altare ibidem mansit : et D. Yvo ivit ad locum ubi Reliquiæ conservantur : et ibidem D. Yvo et quidam alius ad invicem loquebantur; ipse Yvo multum humiliter, et alius audacter. Et cum multa locuti fuissent, venit idem Yvo, et dixit, Pax est facta. Et credit, quod ille qui cum D. Yvone loquebatur, esset B. Tugdoalus : quia quasi visum fuit quod ivit ad locum ubi sunt Reliquiæ B. Tugduali. Item alia vice vidit columbam refulgentem, cujus fulgore et claritate tota illuminabatur ecclesia, de d. sacristia, ubi D. Yvo remanserat, procedentem ad altare : et D. Yvo inhibuit eidem ne alicui præmissa revelaret.

convitia idcirco illata sustinens.

Fruitur colloquio S. Tugdoali.

ANNOTATA.

a Archiepiscopus Turonensis *ab anno* 1285 *ad* 1289 Olivarius; *deinde post Philippum et Burchardum* (*qui hic intelligi nequeunt*) *ab an.* 1294 *ad* 1310 Reginaldus.

b Inclusagium, *ut alias et mox infra*, Reclusagium.

c Erit amissus, *id est*, perdetur *seu* peribit æternum. *Simile quid narrat Albertus his verbis :* Mulier quædam venit ad ipsum, dolens quia filius se dimissa monachum induisset : cui Sanctus : Noli lugere, redibit enim, quia nimis amat pecuniam : quod ita factum est.

d Culcitra puncta, *de hac vide Cangium. Videtur autem puncta dici, eo quod continendo tomento inter duos pannos infarto, punctim consuta sit.*

e Equus nardus, *qualis dicatur, non assequor.*

f Truffare, *id est illudere :* Truffa, *ludus, jocus.*

g *Colitur* S. Tugdoalus 30 *Novembris.*

D EX MS TRECOR.

CAPUT VIII.

Quædam viventis Yvonis miracula.

Testis viii dixit, quod si haberet centum linguas, non posset plene dicere bona opera, quæ D. Yvo faciebat tempore quo vivebat. Testis xx dixit, quod D. Yvo erat vir magnæ perfectionis, et in tantum quod, consideratis virtutibus ejus quas enumerare non sufficit, credit quod non erat similis sub sole : quia vita et conversatio sua erat aliis speculum et exemplum : et quod vita aliorum, quantumcumque essent bonæ vitæ, respectu vitæ suæ quodammodo culpabilis videbatur. *Huic tantæ sanctitati, etiam cum adhuc inter mortales degeret, non defuerunt alia quoque miracula : quæ partim ex ipsis Testium depositionibus partim ex Summario colligemus, ad supplendum defectum depositionum amissarum. Sic* Testis xxv *cum dixisset, quod* vidit D. Yvonem comedentem in domo D. Gaufridi de Tornamina Militis apud Boloy cum uxore d. Militis infirma quadam die Veneris, qua comedebat solum panem et aquam; *addidit quod* dedit eidem Dominæ unam lippam *a* fractam in aqua, quam comedit, et postea dixit Testi loquenti, quod ibi invenerat sanitatem suam. *Attestatur in Summario, Dominæ ejusdem, quæ ibi* Joanna *vocatur, filius* Guilielmus, Testis clxxiv per auditum a matre sua : et addidit, quod postea vixit per viginti annos et ultra, asserente d. matre quod meritis et precibus D. Yvonis receperat sanitatem.

Propter eximiam sanctitatem

E *miraculorum gratia donatus.*

a segmento panis sui sanat infirmam.

59 Testis cxxxv Henricus de Villa Guezoneti, Presbyter parochiæ de Contrevan et Rector ecclesiæ de Mantallot diœc. Trecor. ætat. xl ann. dixit per suum juramentum, quod cum quædam lignorum materia, parata pro opere pontis vocati Pont-Ars *b* d. diœcesis esset per imperitiam carpentariorum *c* illorum qui illam paraverant, adeo brevis et curta, quod ad d. opus inutilis reddebatur; precibus D. Yvonis tunc viventis fuit apta et habilis reddita miraculose d. operi faciendo. Interrogatus quomodo scit præmissa, dixit, quia vidit die quadam Yvonem de Villa Guezoneti patrem suum, qui d. ligna emerat pro d. opere faciendo suis sumptibus et expensis, iratum mirabiliter et turbatum, pro eo quod ter, quater aut quinquies d. materiam mensuratam per peritos in talibus operibus, brevem et curtam invenerat quasi de dimidio pede. Ad cujus patris consolationem D. Yvo a casu superveniens, rogavit Deum ut materia d. operi apta et utilis redderetur. Quo dicto D. Yvo d. materiam lignorum mensuravit, et d. materia apta et idonea operi est inventa. d. Teste in omnibus præmissis præsente, anno Domini millesime trecentesimo primo vel circa, præsentibus etiam matre et fratre ipsius Testis defunctis, et Olivario le Teriat parochiano ecclesiæ Trecorensis, in domo d. patris sui quæ est juxta d. pontem. *In Summario additur* Testis cxxxvi, Olivarius *prænominatus*, qui vidit decurtationes et mensurationes prædictas ante adventum D. Yvonis, et post vidit d. materiam per eum mensuratam longiorem esse fere duobus pedibus quam esset ante.

b c Lignorum materiem operi aptat eam producendo :

F

60 *Ex eodem Summario habetur*, quod cum aqua vocata *d* Leve esset magna, quod excedebat supra pontem ipsius aquæ, et D. Yvo cœpisset intrare aquam versus pontem, aqua erat ita profunda in introitu pontis et in exitu, quod nullus homo transire potuisset sine periculo submergendi. Et D. Yvo cepit

A pit famulum suum, per manum transiens eum: et cum pervenissent ad primam profunditatem aquæ introitus d. pontis ubi erat fovea, D. Yvo fecit signum Crucis super aquam; et statim aqua divisa fuit et se retrotraxit, ita quod ambo ascenderunt libere supra pontem. Et in exitu pontis, ubi erat similis profunditas, fecit similiter signum Crucis, et aqua ibi etiam divisa fuit, ita quod sicut in alia parte libere transiverunt, et statim aqua ad statum pristinum est reversa. Testificatur per visum et sui præsentiam ipse famulus qui secum erat, videlicet Hamo Labero Testis LXXX; et addit, quod ipse fuit mirabiliter stupefactus, et cognovit tunc quod Deus erat cum D. Yvone, et pro eo fuit hæc mirabiliter operatus. Item quod cum domus Hamonis, parochiani de Lohanec, incendio cremaretur; D. Yvone faciente signum Crucis super domo præd. dicendo, in nomine Patris et Filii et Spiritu sancti Amen, et projiciente modicum lactis super ignem, ignis immediate cessavit et fuit extinctus. Ita testificatur, per visum et sui præsentiam, Hamo Testis CXIX.

EX MS. TRECOR exundans flumen signo Crucis dividit, incendium restinguit,

dæmoniacum liberat,

61 Testis centesimus Yvo Auspice, Reclusus juxta pontem Guingampo, æt. LX ann. vel circa, per B suum juramentum dixit, quod D. Yvo audito de quodam qui dicebatur habere dæmonium, misit Testem qui loquitur ad adducendum ipsum. Qui venit cum eodem pacifice, licet ante teneretur inclusus et firmatus e in quadam domo ne noceret. Et cum fuit ante D. Yvonem in ecclesia sua de Lohanec, interrogavit eum D. Yvo, si habebat dæmonium. Qui dixit quod sic, infra tempus suum, quod frequenter vexabat eum, et loquebatur cum eo. Et tunc D. Yvo induxit eum ad confitendum: et post confessionem interrogavit eum, præsente ipso qui loquitur, utrum dæmon fuisset postea sibi locutus: qui dixit quod sic, minando et dicendo, Quare adduxisti me huc? Væ tibi nocte futura, væ tibi nocte futura: et tu scies multum in ista nocte, quia me huc adduxisti. Tunc D. Yvo dixit dæmoniaco, Mentitur de modo: quia tu non lues, sed ipse luet: et tu comedes, et jacebis in domo mea de ista nocte. Et sero facto jussit sibi fieri lectum, juxta locum ubi ipse D. Yvo jacebat. Deinde, vidente Teste, aspersit lectum et domum aqua benedicta, et dixit Evangelium B. Joannis et plures alias orationes. Et postea fecit d. dæmoniacum intrare lectum, et ipse D. Yvo vigilavit quasi per totam noctem studendo et orando: et in crastinum interrogavit dæmonia- C cum, qualiter sibi fuerat illa nocte. Qui dixit, Quia bene, et quia tres anni erant elapsi quod non ita bene requievit sicut fecerat illa nocte. Et dixit D. Yvo ad eum, Fuitne postea dæmon locutus tecum? Qui dixit, Non: imo recessit a me. Et tunc D. Yvo dixit, Redde ergo gratias Deo, et ego etiam reddo: et revertere ad domum tuam et fac bonum, audias libenter Missas et sermones, et facias eleemosynas, et sis bonus, et custodias præcepta Ecclesiæ, ne amplius revertatur dæmon ad te, et sit tibi pejus quam ante.

attestantibus duobus suis famulis,

62 Interrogatus quomodo scit, quod D. Yvo vigilavit ut supra; dixit quia famulus ejus erat, et jacebat juxta locum, et videbat lumen continue ardens, quod non consueverat nisi studeret vel oraret; sunt autem bene viginti novem anni vel circa, et fuit quadam die Lunæ quod adduxit dæmoniacum, qui in crastinum reversus fuit ad propria, curatus. Interrogatus quibus præsentibus, dixit, quod quando ivit quæsitum dæmoniacum in domo ejus erant uxor et familia, ut sibi videtur, et in domo D. Yvonis quidam alius famulus, vocatus Hamo Tolleflam, nunc Reclusus. Interrogatus de loco et quomodo vocabatur dæmoniacus, dixit quod in ecclesia fuit confessio, alia vero facta fuerunt in domo d. ecclesiæ: dæmoniacus autem vocabatur Alanus de Trez- D veleur diœc. Trecor. et non vidit eum ante arreptum, sed audivit dici quod per triennium: et postea vidit eum sanum pluribus vicibus. Testis CI Hamo Tolleflam, Reclusus de Lohanec, ætat. ann. LX, vidit d. dæmoniacum quodam sero, dum ipse qui loquitur venerat de agricultura, euntem cubitum in quodam lecto de paleis, juxta locum ubi jacebat D. Yvo; et ut sibi videtur fuit hoc per duos vel tres annos ante mortem D. Yvonis; et erant præsentes, ipse qui loquitur famulus D. Yvonis, et Yvo Auspice Clericus ejus, et Juliana mater ejus. *In aliis dixit conformiter iis quæ prior Hamo deposuerat.*

et filio ipsius liberati.

63 *Secutus est* Testis CII Guillelmus, filius quondam Alani Senis, æt. ann. L, et dixit quod vidit patrem, suum, furore et vexatione diabolica laborantem, homines si potuisset percutere volentem, et vestes proprias laniantem, et horribiliter clamantem, ac nullo tempore dormientem, et quandoque ad terram jacentem et dicentem, Quare me fatigas, dæmon? quare me fatigas? et verba similia proferentem: propter quod in quadam domo tenebatur inclusus continue, et per quamdam parvam fenestram d. domus dabatur sibi comestio, super qua E frequenter mingebat, et postea comedabat. Interrogatus quomodo scit, dixit quia de die et de nocte audiebat, et videbat ipsum frequentissime per d. fenestram sic facientem et dicentem: et quia aliquando dicebat quod dæmonium habebat in corpore quod loquebatur cum eo, et parum comedebat ipso vidente qui loquitur. Dixitque idem Testis, quod semel, dum ipse esset absens a domo sua, D. Yvo misit, ut audivit, pro patre suo, præsentibus matre et fratribus suis, qui omnes mortui sunt; et ipsum suis precibus curavit et a dæmonio liberavit, ut publice dicebatur. Dixit etiam quod vidit patrem suum, postquam regressus est, bene sunt quasi triginta anni vel circa, sanum et totaliter liberatum, et quod numquam tempore vitæ suæ d. infirmitas ipsum postea arripuit: et addidit, quod ipse vixit post curationem quindecim annos vel circa.

ANNOTATA.

a Lippa panis, *buccella: ut enim hæc a Latino* Bucca, *sic Francis a Teutonico* Lip, *labium, dicitur* Lippée.

b Pont ars, *Alberto* Ar-pont-losquet; in via quæ Trecori ducit ad Land-wion.

c Carpentarius, *faber lignarius Francis est.* F

d Leve: *an idem qui infra num.* 150 Lya? *In tabulis reperio* Lez *et* Ler?

e Firmatus, *id est* clausus, *vulgari idiotismo, quo* Fermer, *dicitur* claudere.

CAPUT IX.

S. Yvonis obitus et sepultura.

D. Theophania de Pestuven Testis XVI dixit, quod, per tres septimanas antequam moreretur, dixit eidem in Cætredam manerio suo et mariti sui, quod fuerat multum infirmus et crediderat mori, quod valde affectabat, dum tunc Deo placeret. Cui d. Testis dixit, quod non expediebat sibi Testi et multis aliis, qui ex ejus vita et doctrina plurimum proficiebant. Cui respondit, quod sicut ipsa vel quicumque alius gauderet, si hostem suum vel inimicum vicisset; sic ipse de morte gauderet, cum inimicum suum per Dei gratiam se credebat vicisse. Abbas de Begar, Testis XIX, visitavit D. Yvonem in infirmitate, de qua mortuus est, per quindecim dies ante: et invenit eum in tunica super quamdam culcitram punctam modici valoris, quia sine palea: et habebat duos

Aspirans ad mortem, jamque infirmus nihil de lecti duritia minuit.

A duos libros cum postibus sub capite loco pulvinaris. Et dum iret causa necessitatis, Testis qui loquitur posuit de palea super postes prædictorum librorum: et quando ipse rediit et vidit d. paleam, ipsam amovit. *Sic etiam jacentem invenit* Testis XVIII, quadam die lunæ, *id est sexta die*, ante mortem: et erat ibi præsens D. Gaufridus tunc Episcopus Trecor. cum pluribus tam Canonicis illius ecclesiæ quam aliis. Et *(sicut deposuit* Testis XVII, *qui et ipse præsens aderat)* idem D. Episcopus dixit *postea eidem Testi*, quod visitaverat D. Yvonem graviter infirmantem, et invenerat ipsum indutum super lectum, qui vilissimus apparebat, nec credebat quod erant nisi solum paleæ et vilissima coopertura. Et cum Episcopus reprehenderet eum, quod male erat; ipse dixit Episcopo, quod melius erat ita sibi quam aliter. *Adfuit tunc etiam* Testis III, *qui* dixit, quod culcitra *illa* puncta, parva et nigra *(sive, ut ait* Testis XXXVI*)* tota bruna de terra et pulvere, solummodo protendebatur usque ad pectus: vidit etiam paleas sub capite, et credit firmiter, quod subtus ipsis paleis esset lapis loco pulvinaris, quia hoc dicebant communiter adstantes.

B *Celebrata extrema Missa,*

65 *Die Martis aut sequenti credo accidisse, quod* Testis XL *refert, ut actum* in hebdomada qua decessit, *cum scilicet* D. Yvo adeo infirmus et debilis, quod se non poterat sustentare, sed sustentabatur per aliquos assistentes, Missam celebravit in capella suæ Villæ-Martini, ipsa Teste præsente etiam et vidente. *Sane* Sibylla, relicta qu. Raimundi de Grossillii de Rocha Deriani, ætat. ann. XLV Testis LII, *cum* audivit quod erat infirmus, ipsa, *quæ* erat prægnans de duobus pueris et nimis gravida, ivit ad ipsum pro confitendo, quia Confessor suus erat; die Mercurii ante Ascensionem Domini fuerunt viginti septem anni elapsi: et invenit eum in capella sua, et exuebat se vestimentis Sacerdotalibus, quia Missam celebraverat, et erat adeo debilis et infirmus quod vix se poterat sustinere. Imo Abbas Belliportus et D. Alanus le Bruc Archidiaconus Trecorensis sustinebant eum. Et quando fuit exutus, dixit Testi loquenti, Domina, quid vultis? Et ipsa sibi respondens dixit, Domine, audivi quod eratis infirmus, et volebam confiteri vobis. Et tunc D. Yvo assedit et audivit confessionem ipsius. *De eodem die intelligi etiam potest* Testis L, Joannes Autredy Rector ecclesiæ de Francher diœc. Trecor. ætat. ann. L, *qui, ut dixit*, visitavit D. Yvonem cum Mag. Yvone Cognati tunc Officiali Trecor. per tres vel quatuor dies ante mortem in manerio suo; et invenerunt eum vestitum

confessionem prægnantis audit

C tunica et epitogio cum sotularibus seu botis suis in lecto suo, videlicet super terram, et habebat lapidem pro pulvinari ad caput. Et cum d. Officialis eum reprehenderet, quod sic jacebat, et non habebat subtus se saltem satis de paleis seu stramentis; D. Yvo respondit, quod non erat dignus habere, et quod sibi sufficiebat illud quod habebat.

16 Maji ipsemet facta Confessione

66 *Ipso festo Ascensionis, id est* tertia die ante D. Yvonis obitum, visitavit eumdem Gaufridus de Loanno, Rector ecclesiæ de Rupe-Deriani, Testis V, et audivit confessionem ipsius. Et tunc vidit eum in lecto, tunica consueta indutum et culcitra puncta præd. coopertum, et lapidem ad caput, sibi et aliis assistentibus verbum Dei prædicantem incessanter. *Inter assistentes autem fuisse potuit* Testis XXI Gaufridus Arnaudi, Cantor ecclesiæ Trecor. ætat. ann. LXIII: *nam et ipse* visitavit eum in infirmitate qua decessit, per tres dies ante mortem ipsius: et tunc invenit eum in lecto, ubi erat modicum de stramine *Eadem die* præcepit Jabreto filio Rivallonis Testi XLI, quod iret ad ecclesiam suam, pro inhibendo gentibus ne venirent ad eum, et dicendo eis quod ipse erat in bono statu per Dei gratiam. Et hoc fecit fieri, ut dicit idem Testis, quia gentes, au-

prohibet plebis concursum,

D dientes ejus gravem infirmitatem, jam incipiebant ad eum confluere, et specialiter de sua parochia de Lohanec. *Simili modo jacentem reperit* die Veneris Guidomomarus de Haranen Testis XXIII, Parochianus de Lohanec ann. XL; *et* Derianus de Boisaliou Testis XLIV: et cum ipse qui loquitur dixisset ei, Domine vos non estis curatus, sicut dicebant gentes vestræ; ipse respondit, Deus novit, et extendit manus junctas versus quamdam imaginem Crucifixi, quam habebat ante se: et deinde ipso die Veneris recessit Testis qui loquitur.

EX MS. TRECOR.

67 Guilielmus Adegau, de parochia de Ploeguiel, ætatis LXXV ann. Testis XXVI, visitavit eum per unam diem antequam moreretur, et audivit quod dicebatur sibi, quod quæreret medicum. Et ipse respondit, quod numquam haberet medicum nisi Dominum nostrum Jesum Christum. *Eadem autem* die, *scilicet* Sabbati, de sero multum tardo, *ut ait* Dothovada Testis XL, *ab annis undecim usque ad eum diem in ipsius domo cum marito et quatuor liberis commorata*, vidit *ipsa Testis* D. Hamonem Gorec, Presbyterum Curatum ecclesiæ Trecorensis, D. Yvoni sacramentum extremæ Unctionis ministrasse: et audivisse ipsum D. Yvonem ipsum, inungentibus respondentem orationibus et aliis quæ in hujusmodi officio legebantur. Testis *etiam* IX *tunc* præsens, dixit, quod multum reverenter et devote d. Unctionem recepit, et quod ante conspectum suum in quadam fenestra habebat Crucem cum imagine Crucifixi, quam continue et cum devotione et reverentia respiciebat: et quod facientes Officium adjuvabat, dicendo Psalmos et alias respondendo. Interrogatus quis ministrabat sibi hujusmodi Unctionem, dixit quod D. Hamo Gorec, tunc Vicarius ecclesiæ Trecor. de et in cujus ecclesiæ parochia D. Yvo erat. Interrogatus de aliis adstantibus dixit, quod Mag. Yvo Cognati, tunc Canonicus Trecor. D. Gaufridus de Abbatia Presbyter, et quamplures alii, de quorum nominibus minime recordatur.

18 Maji recusat auxilium medici,

sacro Oleo inungitur.

E

68 *Pergit autem* Dathovada, *et ait quod* Unctione facta D. Yvo loquelam amisit; et respiciens Crucem, junctis interdum manibus, et devote et frequenter se signo Crucis signans et muniens, expiravit. De cujus ore spuma aliqua, vel aliud horridum naso, auribus, atque oculis non exivit: et quasi ridens et sudans omnibus assistentibus videbatur: et pulchrior et rubicundior, quam esset dum viveret, apparebat. *Obiit autem Sanctus* in crepusculo vel circa *ut dixit* Testis IX, interrogatus de hora; *et, ut* Testis I, interrogatus quando D. Yvo decessit; Dominica post Ascensionem Domini proxime præteritam, ut credit firmiter, fuerunt viginti septem anni. *Annus igitur erat Christi* MCCCIII *quando Cyclo solis* 12, *lunæ* 24, *littera Dominicali* F *Pascha celebratum fuit* VII *Aprilis, atque adeo festum Ascensionis* XVI *Maji, quam sequens Dominica numerabatur* XIX *mensis: qua die, tamquam S. Yvonis Natali, memoriam ejus festive celebrandam anno* MCCCLXVI *statuit Clemens VI, ut infra dicetur.*

et moritur 19 Maji summo mane,

F

an 1303.

69 *Prædictus* Testis IX, *qui adfuerat cum inungeretur sabbati vesperi, ut vidimus*, dixit, quod vidit in crastino eum mortuum in d. domo Villæ-martini de qua eadem die corpus fuit deportatum quasi eadem hora ad ecclesiam Trecorensem, d. Teste præsente et assistente, et quemdam cereum portante ante d. corpus, comitante etiam populi multitudine copiosa, tangente et osculante cum devotione maxima pedes et manus ipsius corporis. Testis *porro* XXXVI dixit, quod fuit unus de illis qui portaverunt corpus ad ecclesiam: et postquam fuit portatum ad ecclesiam: vidit ipsum expoliari rebus, quibus erat indutum, videlicet epitogio, tunica et camisia prædictis. Et tunc d. camisia fuit posita inter Reliquias ecclesiæ, et postea vidit eam inter d. Reliquias. *Domina etiam Theo-*

20 Maji ad ecclesiam Trecor. delatus

exuitur vestibus in quibus obierat:

EX MS TRECOR.

A *phania* Testis xvi dixit, quod fuit in sepultura D. Yvonis et de d. camisia, quæ D. Yvoni fuit reperta induta cum mortuus extitit, habuit unum frustum, et partem etiam zonæ ipsius, quæ erat de modico ligamine laneo : quæ præmissa servat et custodit honeste, ut dixit loco Reliquiarum, propter sanctitatem ipsius probi viri. Item dixit quod, cum corpus ipsius D. Yvonis esset in feretro in ecclesia Trecorensi, multitudo copiosa populi virorum ac mulierum ex devotione maxima tangebat et osculabatur cor ipsius et ornamenta quæ habebant, et annulos, et alia ornamenta eidem corpori tangere faciebant, credentes indubitanter ipsum D. Yvonem Sanctum fore.

et frequenti concursu honoratur.

70 *Atque hæc sunt præcipua eorum, quæ primo processu auditi Testes quinquaginta duo deposuere, de vita, virtutibus, miraculis et obitu S. Yvonis; ipse vero Processus hoc modo clauditur.* Et ego Petrus de Clausello, Clericus Engolismensis, publicus Imperiali auctoritate Notarius, supradictorum Testium productioni, receptioni, juramenti dictioni, examinationi, et Processibus factis a die sabbati ante Nativitatem B. Joannis Baptistæ, anno Domini MCCCXXX, Indi-
B ctione XIII, Pontificatus sanctissimi Patris et Domini Joannis divina providentia Papæ XXII anno XIV, usque ad diem sabbati post festum B. Petri ad vincula inclusive, in civitate Trecorensi, per reverendos in Christo Patres ac Dominos, DD. Rogerium Lemovicensem ac Aiquilinum Engolismensem Dei gratia Episcopos, et Aymericum permissione divina Abbatem monasterii B. Martini de Troarvo Bajocensis diœc. Commissarios a Sede Apostolica deputatos, ad inquirendum de vita et conversatione et miraculis bonæ memoriæ D. Yvonis Hælorii, Presbyteri, sepulti in ecclesia Trecoren. una cum discretis viris Bartholomæo de Cella, Priore secularis ecclesiæ B. Mariæ de Gratiaco Bituricensis diœc. Guilielmo Soubril Æduensi, Jacobo Brachifortis Engolismensi Canonicis, Radulpho de Fayolia Archipresbytero de Thorofalen *a*, et Jacobo Rectore ecclesiæ de Asso *b* Axsolanensis diœc. et Notariis infra scriptis, præsens interfui, et de mandato dd. Dominorum Commissariorum ipsorum Testium depositiones, contentas in viginti sex rotulis pergameni, satis superius seriatim, propria manu scripsi, una cum interlineaturis et rasuris factis in dictionibus septem .... *c* et de eis mihi constat ad plenum, quia propria manu feci, et in suis rotulis consuetum
C apposui signum meum : præsentibus interpretatoribus venerando in Christo Patre D. Aufredo Abbate monasterii de Bona requie *d* Ordinis Cisterciensis Corisopitensis diœcesis, ac Magistri Harvæo de Ploezmec Venetensis et Briocensis ecclesiarum Canonico, Ollivario de Curia Leonensis diœcesis. *Scilicet interpretibus opus fuit, quia Testes Britonice loquebantur.*

Processum claudit Notarius, coram testibus, et interpretibus.

ANNOTATA.

a Thorofalen. *Nescio in qua diœcesi requirendus hic Archipresbyteratus sit.*

b Axsolanensis diœcesis *nusquam nota est; adeo ut omnino scriptio vitiata hæc sit, cui corrigendæ nec conjectura quidem idonea occurrit.*

c Interlineaturæ et rasuræ, *in textu factæ, id est, supplementa et correctiones.*

d Abbatia de Bona-requie, *vulgo* Bonrepos, *Corisopitensis diœcesis Ordinis Cisterciensis, condita anno* 1184.

D

CAPUT X.

Miracula post mortem S. Yvonis, ac primum varii suscitati a morte.

Cum in Processu præcedenti parca dumtaxat Yvonis adhuc viventis miracula essent probata, nec fere ex professo; placuit specialem de miraculis Processum condere, continuando ordinem Testium post ultimum in priori numeratum Quinquagesimum secundum. Sed de anno, mense, die, quibus hic Processus cœptus institutusque ac finitus sit, nihil dicere possumus, quamdiu eum ex MS. codice non habemus nisi initio ac fine mutilum. Primus qui offertur nobis est Testis LXXXI. *Perierunt ergo Depositiones Testium præcedentium viginti octo. Deinde rursus, post depositionem Testis* CX, *offertur hiatus novus, per quem desiderantur Depositiones quindecim : quam multi autem desint post Testem* CXXXV, *qui in prædicto Codice ultimus est, nesciremus, nisi in Actis pro Canonizatione ipse Pontifex dixisset, universim auditos esse Testes* CCXLIX. *In hoc depositionum tam multarum defectu, optimum vobis videtur sequi ordinem in Summario servatum, ipsam tamen miracu-*
E *lorum narrationem immediate accipere ex verbis Testium quoties illa suppetunt; ubi autem desunt, referre strictam cujusque beneficii memoriam cum suis Testificationibus, quemadmodum in Summario exprimuntur. Primus ibi titulus est* de miraculis, quæ Deus est operatus in persona ipsius Yvonis ipso vivente, *et continet casus particulares novemdecim, pro miraculis habitos, et præcedentibus capitibus, prout occasio ferebat, insertos. Postea* sequitur de miraculis ipsius Yvonis post obitum, et primo de mortuis suscitatis atque a mortis periculo liberatis. *Hinc autem incipientes invenimus.*

Secundus Processus a Teste 52 usque ad 249 extensus,

in Codice mutilus, suppletur ex Summario miraculorum

72 Quod Raymundus filius Alani Ruffi, parochiæ de S. Brioco Trecor. diœc. æt. XIV ann. vel circa, de sub rota et aqua molendini Henricus Duaut extractus mortuus, et pessime vulneratus in capite et aliis locis corporis sui; voto per Gaufridum Morvani D. Yvoni emisso, ut ipse redderet sibi vitam, et d. Gaufridus faceret sibi reddi cingulum de cera secundum longitudinem corporis sui; recuperavit spiritum et vitam. Testificantur per visum et præsentiam sui Yvo Bruni Testis LX, et Gaufridus Morvani Testis LXIX. Yvo quidem, dicens quod ipse fuit cum
F aliis ad extrahendum de sub rota et aqua d. Raymundum, et intravit aquam ipse Testis usque ad guttur. Et dixit certissime, quod Raymundus fuit extractus mortuus et pessime vulneratus in capite, ore, spatulis et aliis locis corporis sui, et totus confractus et denigratus. Et vidit et audivit, quod Gaufridus Morvani vovit eum D. Yvoni : et voto emisso post aliquod intervallum vidit d. Raymundum recuperantem spiritum, et gementem multum debiliter. De verbis voti dixit, quod d. Gaufridus dixit hæc verba vel similia, Sancte Yvo, vobis reddo et voveo istum hominem, ut reddatis sibi vitam : et ego faciam vobis reddi pro ipso cingulum de cera, secundum grossitudinem corporis sui. Interrogatus quanto tempore fuit sub rota et aqua; dixit, quod bene fuisset una parva Missa celebrata : et stetit inter extractionem aquæ et recuperationem vitæ quasi per idem spatium, quod nulla signa erant in eo, et omnes qui præsentes erant reputabant eum pro mortuo. Gaufridus vero dixit, quod ipse et quidam alii extraxerunt d. Raymundum de subtus aqua et rota d. molendini : et ipse Testis flexis genibus lacrymando D. Yvoni d. Raymundum vovit; et deinde vidit quod d. Raymundus incipiebat vitam recuperare, audiens ipsum gementem. Interrogatus, quanto tempore fuit sub rota et aqua ; dixit, quod per

juxta quod dicuntur mortui suscitati : puer sub rota molendini contritus :

A per spatium unius leucæ, ut sibi videtur, et extra aquam, antequam recuperaret vitam, per spatium unius leucæ et ultra. Raimundus LXVIII Testis, ipse resuscitatus, testificari videtur de casu suo sub rota et aqua d. molendini : et licet dolorem magnum sentiret in principio casus, tamen postea nihil sensit, quia omnino spiritum exhalavit. Deinde invenit se in domo propria post duos dies positum super lectum : et tunc sensit dolorem maximum in omnibus membris, maxime in capite. Et demonstravit vobis vestigium vulneris; et erat ætatis XVI annorum vel circa, ut credit : et credit vitam recuperasse meritis d. Yvonis : De voto testificatur, per auditum dici; et de fama, asserit.

alius febri continua extinctus,

73 Quod Alanus filius Adevoræ, relictæ Guidonis parochiæ de Prato Trecorensis diœcesis, mortuus fuit post nonam circa vesperas : et d. mulier ejus circa mediam noctem invocavit flexis genibus D. Yvonem, dicens, Peto a vobis filium meum : et si resuscitatis eum mihi, omnibus diebus vitæ meæ jejunabo quarta et sexta feria et sabbato, et sexta feria in pane et aqua, et numquam utar vestibus lineis : et crastinum circa auroram, meritis d. Yvonis, fuit suscitatus; et vixit postea per quindecim annos, habens unam partem narium clausam. Testificatur Adevora, LIII Testis, mater d. Alani, asserens de morte et de resurrectione d. filii sui meritis D. Yvonis, et de voto a se emisso : et quod ipsa Testis clausit sibi os et nares : et vidit eum facientem singultus prout consueverunt facere morientes : et de lecto posuit eum super terram, et vigilaverunt eum per totam noctem sicut mortuum : et stetit mortuus ab hora vesperarum usque in crastinum circa auroram. Et dum volebant eum ponere in sudario, ipsa Testis vidit eum vertentem ad se, et petiit aquam : et postea dixit matri, Magnum laborem dedistis mihi. Interrogata, quis clausit sibi oculos et nares et os; respondit, quod Alanus Hilarii et Catharina, diu post mortem per spatium dimidiæ leucæ. Addidit etiam, quod post mortem emisit magnam quantitatem sanguinis, et erat frigidus sicut glacies. Interrogata, quam infirmitatem habuerat; respondit, quod continuam : et octavo die infirmitatis suæ fuit mortuus. Catharina LIV Testis, soror d. Alani, videtur accordare cum Adevora matre prædicta, de morte et invocatione, voto, resuscitatione, et de tempore per sui præsentiam; sed de infirmitate nihil dicit : de signis autem mortis dixit, quod fuit frigidus, rigidus et pallidus, a dicta hora mortis usque ad horam qua revixit. Leveneza, LV Testis, soror d. Alani, videtur accordare cum d. Adevora matre sua, de voto et resuscitatione prædictis, de signis ante mortem præcedentibus, et de tempore quo postea vixit : et scribitur in libro dixisse sicut Catharina soror sua, Testis immediate præcedens.

Teste matre quæ eum devovit,

cum duabus resuscitati sororibus :

mersus in mari,

74 Quod Aymericus, filius Hamonis parochiæ de Lannuyon, per decem annorum et plus, fuit submersus in brachio maris vocato Leguier : et mortuus inde extractus, ad domum paternam portatus; mansit mortuus per spatium duarum leucarum. Et superveniens mater ejus, flexis genibus, cum magno clamore, vovit eum D. Yvoni : et continuo puer aperuit unum oculum, et vocavit matrem. Testificari videntur, Joanna LXXIII Testis, soror patris d. Aymerici, de submersione et extractione, per auditum dici : quo facto ipsa Testis supervenit, et vidit puerum extractum de aqua, frigidum et mortuum. Deinde præsente se Teste, fuit ad domum paternam sic mortuus deportatus : et cum præpararetur pro sepeliendo, mater d. pueri supervenit : et cum vidit puerum mortuum, flexis genibus et cum magno clamore, vovit eum D. Yvoni. Et continuo puer aperuit d. oculum, et vocavit matrem : et mater ad eum D dixit : Fili mi, ubi fuisti? Qui respondit, cum quodam Domino Albo, qui me de fovea traxit, in qua submersus eram. Interrogata, quomodo scit præmissa; dixit, quod postquam fuit extractus de aqua dictus puer, ipsa Testis semper fuit præsens in omnibus. Interrogata, quanto tempore vidit eum sic mortuum; dixit, quod per spatium duarum leucarum et amplius : et quia erat pallidus et frigidus; et quia non habebat spiritum neque vitam, prout vidit ipsa Testis, ipsum tangendo cum diligentia et palpando. Interrogata cujus ætatis erat tunc d. puer, dixit, quod undecim ann. vel circa. Catharina, LXXIV Testis, cognata et vicina d. Aymerici, dixit, quod audiens gentes clamantes, cucurrit, et invenit d. filium mortuum super quamdam ripam : et vidit quod gentes puerum agitabant et palpabant, et nihil in eo inveniebant spiritus neque vitæ. Deinde portaverunt eum super quadam scala ad domum patris sui : et vidit paulo post matrem d. pueri supervenientem, quia absens fuerat : et cum vidisset filium sic mortuum, cœpit alta voce clamare, Sancte Yvo, peto a vobis filium meum, et vobis voveo eum. Et statim d. puer aperuit unum oculum, et levavit manum, et dixit : Ubi est mater mea? Interrogata, quomodo scit præmissa; dixit, quia fuit præsens : et E d. puerum fuisse mortuum credit firmiter, quia omnia signa mortui habebat, tenendo oculos clausos, et omnia membra sua erant frigida et rigida, et quia pro mortuo reputabatur absque dubio ab omnibus qui eum viderant. Interrogata, si eum ante cognoscebat; dixit quod sic, quia cognatus suus et vicinus erat. Interrogata, quanto tempore vidit eum sic mortuum; dixit, quod fere per spatium trium leucarum. Interrogata, si emisit de ventre aquam; dixit quod sic, quantum teneret palma manus. Harvæus, LXXV Testis, dixit, quod dum ipse et d. Aymericus balnearent se in brachio maris vocato Leguier; d. Aymericus submersus ibidem remansit, ipso Teste præsente et vidente. Post quæ quidam vocatus Rogalvey se expoliavit, et d. submersum perquisivit, et invenire non potuit; et exiens, aliquantulum quievit, quia fuerat fatigatus. Et iterum secundo, et tertio similiter perquisivit : et tertia vice invenit, et mortuum extraxit, et portavit versus domum patris d. submersi. Deinde in crastinum vidit ipse Testis d. Aymericum, vivum et sanum, sicut prius. F

attestantibus ejus sorore,

EX MS. TRECOR.

cognata,

et vicino, qui vidit submergi et extrahi.

Quartus per triduum exanimis,

75 Quod Yvo, filius Savimæ, relictæ Rivallonis, parochiæ de Ploneguiel, diœcesis Trecorensis, puer decem annorum, die Jovis Cœnæ Domini circa mediam noctem, exspiravit : et die Dominica, in Festo Paschæ in Vesperis, d. mater ejus invocavit D. Yvonem, et ei d. suum filium vovit per hunc modum; O sancte Yvo, vobis reddo filium meum, et promitto vobis dare candelam ceream, in longitudinem et grossitudinem ipsius. Et statim, ipso mensurato, sensit et vidit signum vitæ in filio : et resurrexit, et postmodum vixit usque post festum Nativitatis Domini. Testificatur Savima, LVI Testis, mater resuscitati, per sui præsentiam : et quod ipsa et filia sua d. Yvonem mortuum extraxerunt, portando eum mortuum per civitatem Andegavensem, quærendo eleemosynas pro sudario, et pro sepeliendo, et quærendo Presbyterum qui eum sepeliret : et propter solemnitatem diei Veneris et Sabbati et Paschæ, Presbyterum non potuerunt invenire qui eum vellet sepelire. Et die Dominica Paschæ circa Vesperas, d. testis invocavit D. Yvonem, et puer revixit : et usque ad d. horam qua revixit, fuit pallidus, frigidus et rigidus, et habuit oculos et os clausos, nec se movit, nec aspiravit, nec bibit, nec comedit, nec signa vitæ apparuerunt in eo. Et credit firmiter, quod

teste matre.

EX MS. TRECOR.

A quod filius revixit ad invocationem et per miracula D. Yvonis. Et addit de fama d. miraculi Andegavis, et in Civitate et diœcesi Trecorensi.

Quintus submersus in fossa domus, *testibus matre avo et patre.*

76 Quod Alanus, filius Yvonis Cadiocy, de parochia Plebis-parvæ, ætatis unius anni et dimidii vel circa, submersus et mortuus in aqua fossati juxta domum Joannis, et inde extractus, et mortuus per spatium eundi quartam partem unius leucæ vel circa; postmodum ad invocationem D. Yvonis, et matre, et avo ipsius pueri, et multis aliis rogantibus D. Yvonem, quod redderet ipsi puero vitam; et matre et patre et avo promittentibus dare candelam ceream de uno denario, et unum denarium pro offerenda annuatim; factis voto et invocatione hujusmodi, statim d. puer revixit, et signa vitæ apparuerunt in eo, et adhuc vivit. Testificantur per sui præsentiam. Basilia, mater d. Alani LV Testis, quod ipsam de fossato extraxit, et ipsum tetigit: et erat frigidus, rigidus, et pallidus; et habebat oculos clausos, et non aspirabat; et credit firmiter quod erat mortuus. Joannes, LXVI Testis, videtur in omnibus accordare cum Basilia. Item Yvo Cadjocy, LVII Testis, pater d. Alani.

Sextus sub rota molendini, *teste eo qui mortuum extraxit,* *et eo qui domum retulit:* *ipsisque, qui pro eo voverunt matre ac patre*

B 77 Quod Joannes, filius Petri, parochiæ S. Melani, diœcesis Trecor. puer viginti quatuor annorum vel circa, de sub rota molendini de Monte-Relaxo, et de sub aqua extractus, mortuus et frigidus et confractus; dum portaretur, superveniente matre, clamando et plorando, vovente eum B. Yvoni, statim puer resumpsit vitam, et in crastinum fuit curatus et sanus. Testificari videntur, Reliotus, LXXXV Testis, qui (ut dixit) sub rota d. molendini et sub aqua puerum adinvenit, et ipsum extraxit de aqua mortuum et frigidum: quod post votum matris statim puer resumpsit vitam, aliquantulum se movendo: et addit quod in crastinum vidit eum sanum et lætum: et credit firmiter hoc meritis B. Yvonis contigisse. Interrogatus quanto tempore fuit sub aqua d. puer; dixit, quod per spatium quartæ partis unius leucæ. Interrogatus, quomodo scit eum fuisse mortuum; dixit, quod propter signa mortificationis, palliditatis, frigiditatis, immobilitatis totius corporis, et denigrationis labiorum, quæ erant in eo. Yvo, LXXXVII Testis, dixit, quod supervenit quando puer fuit extractus de aqua, et erat mortuus vere et frigidus; et ipsum portavit ad domum patris. Et de voto matris videtur concordare cum supra proximo C Teste; et in crastinum vidit eum sanum et curatum. Interrogatus, quomodo scit, quod erat mortuus; dixit, quod sic videbatur sibi, pro eo quod non habebat spiritum nec calorem in se, nec colorem: et quod totum corpus ejus erat ruptum et tritum sub rota d. molendini, unde fuerat extractus, ut audivit. Margilia, LXXXVI Testis, mater d. Joannis resuscitati, asserit de morte d. Filii, et de voto a se emisso: et addit, quod eum vovit ad sepulcrum d. Yvonis cum candela suæ longitudinis. Quibus dictis, vidit quod vitam recuperaverat, et in crastinum ex toto curatus fuit, licet ipsa Testis crederet quod numquam curari posset, quia ossa pueri totaliter erant fracta a posteriori parte. Et hoc scit, quia tetigit eum cum magna solicitudine, nec videbat nec sentiebat in eo aliquod signum vitæ; et qui aderant, ipsum omnino mortuum reputabant. Interrogata, quanto tempore vidit mortuum sic puerum et infirmum; dixit, quia quamdiu diceretur oratio Dominica vidit eum mortuum, et in crastinum curatum. Petrus, LXXXIV Testis, pater d. liberati, dixit, quod quando vidit puerum primo post d. casum, erat puer totus confractus et denigratus, licet vitam recuperasset; et de voto uxoris suæ per auditum dici, et quando vitam recuperaret vidit etiam quod iterum vovebat. In aliis videtur accordare cum prædictis.

D

CAPUT XI.

Alii quidam vivificati etiam ante partum mortui: puerperæ adjutæ.

Resuscitantur infans in fonte submersus *testibus matre* *et fratre:*

Quod Joannes, filius Joannæ de Vau, parochianus Plebis-parvæ, ætatis unius anni cum dimidio, in fonte cecidit, qui est prope domum d. Joannæ, profundo spatio quatuor pedum et ultra, pleno aqua; et ibidem submersus et mortuus, fuit inde extractus: quem dicta mater ejus vovit B. Yvoni, de una candela quolibet anno, ut redderet ei vitam, et faceret in eo miraculum: et statim facto voto puer revixit, et adhuc vivit. Testificatur Joanna, CLXVII Testis, mater d. resuscitati, asserens de casu pueri in fonte: tamen non erat præsens quando cecidit, sed cum Derianus eum extraxit exinde. Et addit Testis loquens, et de voto a se facto, et de resuscitatione d. pueri asserit: et quod stetit mortuus ab hora merdiei usque ad horam nonam; et quod erat niger in facie, frigidus et rigidus, excepto collo, quod videbatur fractum. Derianus, frater d. resuscitati, CLXVIII Testis, qui extraxit d. puerum de E fonte, videtur concordare cum Joanna matre sua prædicta: et addit quod nulla signa vitæ apparebant in eo.

interfectus ab equo, *testibus duobus qui mortuum viderunt:*

79 Quod quidam puer, interfectus a quodam equo, portatus mortuus ad sepulcrum Yvonis prædicti, et ab astantibus ipso invocato ut eidem vitam restitueret, revixit; nec in aliquo dolebat, ut dixit. Testificari videntur frater Guillelmus, CCXXIX Testis, quod dum intraret Civitatem Trecorensem vidit puerum mortuum: et apparebat deinde in capella, in qua jacet corpus B. Yvonis, mortuum portari ad et juxta sepulcrum B. Yvonis: et vidit ibi d. puerum jacentem sic mortuum: et post finem Missæ vidit eum habentem oculos apertos, nec in aliquo dolebat, ut dixit. Et dum celebrabatur Missa, gentes quæ astabant invocabant d. Yvonem, ut eidem puero vitam restitueret. Dominus Lucas, CCXXX Testis, dixit, se vidisse d. puerum mortuum, antequam Missa inciperetur, et ea durante; Missa vero finita, dum dicebatur Evangelium S. Joannis, dum adstantes clamarent; Sancte Yvo, sancte Yvo, puer aperuit oculos, et revixit. De signis mortis, dixit, quia vidit eum ejicientem spumam per os, sicut mortui consueverunt, et pallidum. F

submersus in stagno, *teste eo qui extraxit,*

80 Quod Guillelmus, filius Alani, parochiæ Gazualon diœc. Trecor. ætatis viginti annorum vel circa, submersus in stagno vocato de Portu-Magno, a et inde extractus frigidus et mortuus; voto et promissione, de solvendo quolibet anno unam candelam suæ longitudinis, per matrem ejus d. Yvoni emisso; sic mortuus, ad domum propriam portatus, eadem die per spatium unius leucæ recuperavit vitam; et fuit sanus, et adhuc est vivus et sanus. Harvæus, LXXVI Testis, dixit, quod mense Julii, ut sibi videtur, ante horam Tertiæ, audiens clamorem dicentium, Occurrite; sic audiendo per spatium dimidiæ leucæ, ivit ad stagnum prædictum; et intravit, et quærebat d. submersum, dicendo, Sancte Yvo, auxilium, auxilium. Et hoc dicens, dictum submersum invenit, et extraxit, et posuit super ripam frigidum et mortuum. Et exinde venientes pater et mater clamaverunt, et dixerunt, Sancte Yvo vobis vovemus filium nostrum, et promittimus vobis solvere quolibet anno unam candelam suæ longitudinis. Et postea eum sic mortuum, ipso præsente, ad domum propriam portaverunt. Et eadem die post meridiem vidit eum sanum et vivum: et credit quod meritis d. Yvonis. Et adhuc est vivus et sanus, sicut fuit exhibitus coram nobis. Interrogatus quanto tempore fuit

A fuit sub aqua; dixit, quod per spatium unius leucæ magnæ: et vidit eum mortuum extra aquam per spatium tertiæ partis unius leucæ, et erat frigidus, rigidus et decoloratus omnino, tamquam mortuus: et ipsum omnes, qui erant præsentes, mortuum reputabant. *et patre qui vivit,* Alanus, LXXVII Testis, pater d. resuscitati, videtur concordare cum Harvæo prædicto: sed de voto a se emisso dixit, de reddendo quolibet anno unum denarium. Et mater dixit, per eadem verba; excepta quod addit de candela prædicta: et asserit de fama. *ipsoque resuscitato:* Guillelmus, LXXVI Testis, ætatis duodecim annorum, ipse resuscitatus, dixit, quod bene recordatur, quando cecidit in stagno. Interrogatus, si mortuus fuit sub aqua; dixit quod sic. Interrogatus, quomodo scit; dixit, quia nihil sentiebat, et sic audivit postea dici ab aliis. Interrogatus de tempore, dixit se nescire: tamen tunc ponebatur linum in aqua.

81 Quod cum Rollandus, filius Gaufridi parochiæ de Bothlazas diœc. Trecor. puer ætatis sex annorum vel circa, fuisset submersus in aqua vocata *b* Guindi, circa horam meridiei; *item alius,* Gaufridus pater ejus prædictus accurrens, intravit aquam festinanter, dicendo: Sancte Yvo, voveo et recommendo vobis filium B meum: et invenit, et extraxit eum mortuum: et circa solis occasum revixit. *teste patre qui extraxit,* Testificantur Gaufridus, LXXXI Testis, pater d. pueri, qui eum extraxit (ut dixit) mortuum: et quod nulla signa vitæ erant in eo, imo erat omnino frigidus et dealbatus, et collum habebat denodatum, sicut moris est mortuorum: et quod a tempore quo audivit clamorem, usquequo extraxit eum, ivisset homo plane per unam leucam: tamen credit quod diu fuit sub aqua, quia ita erat frigidus et dealbatus, et erat profunda dicta aqua per unam brachiatam. *et vicina quæ adfuit:* Prima, LXXI Testis, dixit, quod vidit dictum puerum, quando cecidit in aqua; et exclamavit Gaufridus supra proximus Testis, qui occurrit: et tetigit puerum prædictum frigidum et mortuum, et portavit eum mortuum: et audivit patrem d. Rollandi invocantem S. Yvonem: et præmissa vidit et audivit, et præsens fuit. In aliis videtur concordare cum superiore Teste, qui cucurrit et tetigit, excepto quod de resuscitatione nihil dicit; sed Inquisitores Apostolici addunt, quod ipsi viderunt d. Rollandum, sanum et vivum in præsentia sua, præsente etiam ipsa quæ loquitur; et testante, quod ille erat puer.

82 Quod Henricus Olliverii seu de Monstier, Corisopitensis, *item tertius submersus,* submersus in stagno magno hospitii de C Plelovan; et mortuus, ut credebatur, inde extractus; recommendatione et voto, per Joannam dominam d. Henrici ad d. Yvonem pro eo emissis, revixit. Testificantur, Rollandus, LXIII Testis, qui dixit, quod ipsum extravit de stagno: et quod tunc fuit quasi mortuus, nec habebat aliquod signum vitæ; et credebat et credit quod esset mortuus omnino, et id credebant omnes adstantes. Henricus, LXIV Testis, ipse liberatus, loquens de se, et de submersione et morte, et de voto d. Dominæ suæ, per auditum postea dici.

83 Quod cum Theophania, filia Mabiliæ, uxoris *De trimula resuscitata,* Alani, parochiæ de Plelan Leonen. diœc. ætatis trium annorum, expirasset; ad invocationem d. Yvonis, et propter ejus merita, revixit. Attestatur Mabilia, mater d. Theophaniæ, LXVI Testis, per sui præsentiam. Et credit, quod propter continuam febrim expirasset; *deponit mater:* et quod ipsa Testis et multi alii flexis genibus et devote d. suam filiam d. Yvoni voverunt, et deprecati fuerunt, quod redderet sibi vitam. Et post votum cognoverunt et viderunt signa vitæ, incipientia apparere: et statim revixit, et adhuc vivit. De tempore, dixit, quod mortua fuit quadam die Mercurii sequentis, qua hora revixit præsente ipsa Teste. Interrogata quod signum mortis cognovit in ea; dixit, quod vidit eam facientem singultus mortis, et post expiravit, nec spiritus vitæ D apparebant in ea: et ipsam per totam noctem vigilavit, et fecit præparari pro sepultura. Et firmiter credit, et fuit et est publica vox et fama, quod ad invocationem d. Yvonis et propter ejus merita, revixit. Et Inquisitores Apostolici asserunt, se dictam filiam vivam vidisse atque sanam. Theophania ipsa resuscitata, LIX Testis, per auditum dici pluries, et a pluribus per famam: et quod ita credit.

84 Quod Guemireta, filia Rivallonis, parochiana de S. Sulliavo *c* Leonen. diœc. fuit per annum furiosa et extra sensum, quod oportebat eam ligari pedibus et manibus. Et tandem idem pater suus adduxit eam sic furiosam ad sepulcrum d. Yvonis, pro sanitate habenda: *item suscitantur, furiosa, mortua ante sepulcrum Sancti,* et ibi fuit per septem dies ligata, quia mordebat quos poterat attingere, et ligamina per seipsam fuerunt dissoluta quadam die, quia expiravit. Et stetit ab hora Nonæ usque ad crastinum post magnam Missam mortua; et ipsam posuerunt in sudario, et fuerunt usque ad medietatem panni. Et tunc pater ipsius vovit ipsam d. Yvoni; et ipsa Testis vovit se et sudarium exuit, et obtulit sudarium et candelas ardentes ad sepulcrum d. Yvonis. Testificatur ipsa liberata, LXI Testis, loquens de se et de infirmitate, et quod sic ducta sit ad sepulcrum d. Yvonis: sed quod fuerit mortua et posita in sudario, et de voto patris; et quando vovit se, quod sudarium exuit, per auditum ab ipso patre suo: et recordatur se vidisse hora prædicta se nudam et sudarium.

85 Quod Amicia, filia Agnetis, de Plebe-peverit *et puella trimula:* Trecor. diœc ætatis trium annorum vel circa, in firma per tres menses, adeo quod videbatur per mediam noctem mortua; voto et promissione de solvendo duos denarios annuatim d. Yvoni, ut daret ei vitam, per patrem ejus factis, quod mortua videbatur, revixit sanata, et adhuc vivit. Asserit hoc Agnes LXII Testis, mater dictæ liberatæ, in omnibus ita esse.

86 Quod Blancha, uxor Joannis de parochia de Guerrandia Nanneten. diœc. prægnans de vivo in*fœtus extinctus in utero 5 diebus* fante quem pluries senserat, sicut moris est mulieres prægnantes sentire; post stetit per quinque dies quod eum viventem non sensit, sed potius mortuum: et ipsum et ventrem suum frigidos: nec se movit de dictis quinque diebus: et alia signa mortis sentiebat, quæ sentiunt mulieres prægnantes, habentes mortuos in ventre infantes. Quod advertens dicta Blancha, vovit se d. Yvoni pro remedio partus ejus, reddere promittens candelam ceream, in longitudinem quantum erat longa et grossa, si infans veniret ad baptismum. Et invocatione et voto factis, venit peregrina ad sepulcrum d. Yvonis: et cum intraret ecclesiam Trecorensem, ubi corpus ejus requiescit, statim sensit infantem vivere, et in ventre palpitantem. Et venter ipsius Blanchæ adeo inflavit, quod *d* bardelonus, zonæ, et tunica quam habebat indutam circa ventrem, ruperunt. Et infans revixit; et postmodum infra duos menses peperit filium, qui vocatur Guillelmus: et vivit adhuc, et est ætatis decem annorum et ultra. Testificatur hoc ipsa Blancha, Testis CLXXXIX, loquens de se et de d. filio suo.

87 Quod Marita, uxor Yvonis parochiæ de Plebe ploec Trecor. diœc. peperit ante solis ortum partum *alius abortus,* masculum (ut videbatur, et credit firmiter) mortuum: et sic fuit usque post horam Primæ ipsius diei. Tunc Guillelmus Ductor vovit eum d. Yvoni, ut sibi redderet vitam, et mensuravit longitudinem ipsius: et statim dictus partus vocem emisit, qui adhuc vivit. Testificatur hoc ipsa Marita, CCXVI Testis, loquens de se et de dicto partu suo, qui erat frigidus et rigidus; nec vocem emisit post partum ut est moris, et alia signa mortis apparebant in eo.

88

Ex MS. Trecor. tertius,

88 Quod cum Juzeta, mater Roberti de Blæzendet Leonen. diœc. pro pariendo laborasset per duos dies, ut credebatur, de infante mortuo; vovit se d. Yvoni, ut liberaret eam, et faceret infantem quem portabat venire ad baptismum, et daret ei duos denarios. Facto voto, antequam posset compleri salutatio B. Mariæ, peperit filium, qui vixit per undecim dies absque lacte, sustentatione victus, et alio nutrimento; et baptismum habuit: ita asserit Robertus, CCXXV Testis, filius dictæ Juzetæ: et quod dicta mater sua dicebat, quod per quindecim dies ante partum non senserat eum; imo stabat sicut mortuus, et credebat quod esset mortuus.

quartus.

89 Quod Mencia, uxor Oliverii de Fista diœc. Corisopit. prægnans laboravit pro partu quasi per quindecim dies, propter quod fuit effecta guttosa; et membra sua, maxime tibiæ et crura, fuerunt quam plurimum nigra effecta, et ipsa quasi mortua facta: demum ad invocationem d. Yvonis et votum emissum per Adenoram matrem ipsius (quæ vovit Yvoni Menciam et creaturam quæ erat in ea, et promisit sex denarios annuatim quamdiu viveret illa creatura, si salvaret Menciam, et illa creatura veniret ad baptismum) filiam peperit dormiendo et absque dolore, sine adjutorio obstetricis; et fuit etiam a gutta et infirmitate membrorum, tibiarum et crurium penitus sanata; et de aula mariti sui, post puerperium evigilata, sine cujuscumque adjutorio, ivit ad cameram ad lectum suum; et d. filiam nudam invenit absque macula sanguinis vel aliarum sordium, ac si fuisset pluries *e* balneata; et vivit, et habet maritum, et est multum devota; et jejunat per duos dies in pane et aqua in qualibet septimana. Testificatur hoc Mencia, CCXXVII Testis, ipsa liberata.

Adjuta puerpera, mortuo fœtu periclitans.

90 Quod cum uxor Hamonis, parochiana de Plestin Trecor. diœc. in pariendo per quinque dies laborasset, et emisisset brachium partus, toto residuo infra ventrem remanente, et sic stetisset per ipsos quinque dies; invocavit d. Yvonem, ut intercederet pro ea, ut ab isto periculo valeret liberari: et statim invocatione facta emisit partum mortuum, et fuit liberata. Testificatur Gaufridus, CLXXXI Testis, dicens quod obstetrix ostendit sibi brachium partus, dicens quod per quinque dies sic fuerat, et de vita mulieris desperabatur: et idem Testis consuluit uxori, quod invocaret d. Yvonem.

Lacte destituta puerpera,

** al. Plestin.*

91 Amo Villæ Goussy, Testis CIX, parochiana de Ploneguiel diœc Trecor. ætatis quinquaginta annorum vel circa, dixit per juramentum suum, quod viginti anni sunt elapsi vel circa, quod quædam mulier parochiæ de * Plessy diœc. Trecor. de cujus nomine non recordatur ad præsens, habebat quemdam parvulum filium, qui valde aspere plorabat. Et cum dicta quæ loquitur interrogaret semel d. mulierem, quare filius suus tantum plorabat; illa sibi respondit, quia puer famescebat, et quia ipsa non habebat lac nisi modicum in altera de mamillis suis. Tunc ipsa quæ loquitur sibi dixit, quod ipsa voveret se S. Yvoni, et impetraret sibi gratiam de lacte, quo posset suum filium enutrire. Et tunc mulier vovit se *f* ad partem: ut postea retulit eidem quæ loquitur. Et statim, ipsa præsente quæ loquitur et vidente, lac in mamilla quæ fuerat sterilis abundavit, ita quod visibiliter distillabat. Quo facto, statim ipsa quæ loquitur, flexis genibus gratias Deo reddidit et S. Yvoni, cujus meritis firmiter credit dictum miraculum esse factum. De die et mense, dixit se non recordari; tamen videtur sibi, quod fuit circa mensem Augusti. Interrogata, si dictam mulierem ante cognoscebat, dixit quod sic, per dimidium annum ante. Interrogata, quanto tempore, fuit illa mulier cum dicta mamilla sine lacte; dixit, quod a tempore quo peperit d. puerum, ut dicebat. Interrogata, cujus ætatis erat puer; dixit, quod unius anni, ut sibi per aspectum pueri videbatur.

ipsum ex voto impetrat.

ANNOTATA.

a Stagnum de Portu-magno, *Alberto* Porz-meur, *qui puerum ait fuisse* de Garlan prope Morlaix.

b Aquam Guindi, *fluvium vocat Albertus, et parochiam unde natus puer* Bolezan, *quæ in tabulis videtur poni inter Morlaix et Guingampum.*

c S. Sulliavus *Abbas colitur* I *Octobris, ubi licebit hunc locum requirere.*

d Hardelonus, *an ab* Hardéle *puella, quasi puellaris cinctus?*

e Balneare, *pro,* Lavare, *non videtur barbaris accensendum, cum inde ducatur nomen* Balneator, *primæ Latinitatis vocabulum.*

f Ad partem, *Francice* Apart, *seorsim.*

CAPUT XII.

Liberati a præsenti periculo mortis, invocato S. Yvone.

Ter suspensus mortem evadit.

Quod quidam homo de Morto *a*, ut dicebat, ad invocationem Yvonis fuit a mortis periculo liberatus, cum fuisset apud Mortum suspendio condemnatus, et tribus vicibus una die suspensus. Testificatur Laurentius, CXXIII Testis, asserens se vidisse (decem anni sunt vel circa) d. hominem venientem, et intrantem ecclesiam Trecorensem in camisia et braccis, cum corda ad collum, dicentem ac publice confitentem, et jurantem coram Officiali Trecorensi prædicta ita fuisse. Et asserit idem Testis, quod corda erat rupta: et quod in collo ipsius vestigia vulnerum, illatorum per prædictas suspensiones et cordam, manifestissime apparebant. Catherina, CXXIV Testis, videtur concordare, excepto de tempore; de quo dicit, quod XX anni sunt vel circa, ut firmiter credit. Ollivarius, CXXV Testis, scribitur in libro, quod dixit idem in substantia et effectu quod Laurentius. Gaufridus, CXXXI Testis, dixit etiam se vidisse et audivisse quemdam hominem cujus nomen ignorat, dicentem et publicantem a se periculo suspendii fuisse liberatum ad invocationem S. Yvonis. Et idem Testis vidit cicatrices, quæ præmissa esse vere ostendere videbantur.

Cæcus lapsus in profundum puteum,

93 Quod Gaufridus Rannou de Ploegrescant, cæcus, ætatis L annorum vel circa, cadens hora Vesperorum vel circa capite deorsum in puteo novo, prope Crucem magnam cœmiterii Trecorensis, profundo per octo brachiatas *b* et ultra, et parum erat ibi de aqua; invocato ab ipso cadente et aliis personis pro eo d. Yvonis auxilio, postea circa prædictæ diei occasum extractus est vivus, licet vulneratus in capite: et adhuc vivit et est sanus, cum tamen alius homo in d. puteum cecidisset et inde mortuus fuisset. Testificantur Floria, CLXIX Testis, de casu, per auditum, quadam die Veneris: et statim cucurrit ad puteum, ubi erat d. cæcus, et vovit eum d. Yvoni, genibus flexis: et statim ivit ad ecclesiam, et obtulit duos denarios ad *c* truncum d. Yvonis: et post rediit ad puteum, et invenit eum extractum, vulneratum in capite. Et addidit, quod alius quidam cecidit in puteo prædicto, et ibi propter casum mortuus fuit, et ipsa vidit eum mortuum. Interrogata, per quod spatium fuit in puteo; dixit, quod quantum homo potuisset ivisse per spatium tractus quatuor balistarum. Interrogata, si vidit eum in puteo; dixit, quod sic, quia erat homo suus *d* ligius, et pernoctabat in domo ipsius Testis. Gaufridus Hilarii, CCXV Testis, dixit, quod, cum Gaufridus cæcus cecidisset in puteo plateæ Trecorensis, Prigentius vovit

fere sine noxa educitur,

ex assertione 7 Testium præsentium.

A ait eum d. Yvoni, et commendavit ut possit habere Confessionem : et uxor Prigentii clamavit, Sancte Yvo, juva eum. Et vidit ipsum cæcum cadentem in puteo, adverso capite ; et inde extrahi vivum : et adhuc vivit. Et eodem anno quidam juvenis fortis in dicto puteo ceciderat, et propter casum ibi mortuus fuit. Et ipse Testis vidit ipsum vivum, et propter casum mortuum : et stetit in puteo per tractus quatuor balistarum, et non credit quod aqua esset alta per medium pedis. Rollandus, CCXVIII Testis, videtur narrare de casu et de extractione : et cum fuisset extractus, vidit eum quod non patiebatur, nec erat læsus, salvo aliquantulum in capite et in dorso, tamen sive periculo. Margilia, CXIX Testis, videtur concordare cum Gaufrido prædicto, de casu in puteum per visum, et de voto et invocatione, a se Teste et Prigentio tunc marito suo factis. Joannes, CCXX Testis, dixit, quod vidit eum extrahi vivum, et adhuc vivit, et audivit multos assistentes, invocantes d. Yvonem ut salvaret eum. Laurentius CCXXII Testis, dixit, quod d. Gaufridus cecidit capite deorsum in puteo, qui est in foro Villæ Trecorensis prope cœmeterium ipsius loci; cujus profunditas est septem B brachiatæ ; videlicet una brachiata et dimidium vel circa cum aqua, et residuum sive aqua ; et se mensurasse dicit. Qui cæcus licet fuerit in capite læsus, fuit tamen per invocationem d. Yvonis a mortis periculo liberatus. Interrogatus, quomodo scit ; dixit, quia vidit eum in puteo cadentem, et audivit alte clamantem, Sancte Yvo, adjuva me ; et postea vidit eum extractum de puteo vivum, in capite tantum vulneratum, dicentem quod cum cecidit et erat in puteo, nullum dolorem seu malum sentiebat : et fuit in puteo ab hora vesperarum vel circa quando cecidit, et circa diei occasum fuit inde extractus. Raolinus, CCCXXII Testis, dixit, quod vidit cum in puteo post casum, et vivit, et inde extraxit eum· et erat vivus, vulneratus tamen in capite magna plaga.

et approbantium casum fuisse letalem

Harvæus CCXXIII Testis, dixit etiam quod vidit Gaufridum cadere in d. puteum, hora vesperarum vel circa. Item dixit, quod d. Gaufridus habebat caput deorsum ad aquam putei, et pedes versus cœlum elevatos ; et sic erat in puteo post casum. Et extractus dicebat se non sentire dolorem, quia (ut dicebat) in omnibus d. Yvo juvit eum : et quod ad S. Jacobum iverat.

Liberantur lapsus ex equo in aquam ;

94 Quod cum Henricus de Villa Guezenoci, Presbyter, cecidisset cum equo, quem equitabat desuper pontem vocatum Pont-Ars, in aqua stagni, et de sub C aqua fuisset per mediam leucam et amplius, ut sibi visum fuit : ad invocationem d. Yvonis a mortis periculo reservatus et liberatus est. Et in *c* maleta, quam portabat retro se ligatam, erant multæ litteræ et scripturæ, quæ in nullo fuerunt destructæ seu madefactæ. Testificantur ipse liberatus, CXXVII Testis, loquens de se, et de litteris : et de voto a se emisso addit, quod promisit ad honorem B. Yvonis unam Missam anno quolibet celebrare, et duodecim denarios annui redditus sibi dare, Oliva, CXXXVIII Testis, videtur concordare cum liberato : et dum d. Henricus sic caderet, audivit eum sic clamantem, Sancte Yvo, adjuva me, et a periculo me defende. Et vidit sub aqua totum ipsum Henricum, qui credebatur mortuus et submersus : quem vidit postea liberatum ad invocationem prædictam. De maleta et litteris in ea existentibus, dicitur in libro dixisse, ut Testis immediate proximus. Yvo. CXXXIX Testis, scribitur in libro, quod dixit idem in omnibus et per omnia in substantia et effectu, quæ Testis immediate præcedens : et addidit, quod dum ipse Testis vellet juvare dictum Presbyterum ad exeundum de aqua; ipse inhibuit, dicens, Non indigeo, quia B. Yvo me juvit et adjuvat.

ex ms Trecor.

15 periclitantes a tempestate fractis jam remis,

95 Quod cum Dominus Joannes de Pestuven, D Miles Corisopitensis diœcesis; et Payen de Monte-Villæ, Armiger ; et alii numero quindecim vel circa, a manerio dicti Militis, vocato Roscolor, ad insulam Theven *f*, sitam in mari, distantem a terra per Leucam, navigarent, et essent prope insulam prædictam per jactum lapidis ; insurrexit turbatio et tempestas, et navigando fuerunt fracti remi, turbatione et tempestate maris convalescente. Qui existentes sine remis in navi quasi plena aqua, et de vita non sperantes, voverunt se Deo et d. Yvoni, quod si ad portum salutis venirent, ipsius sepulcrum nudis pedibus et sine camisiis visitarent. Quo voto emisso statim navis, contra cursum et impetum maris, venti et tempestatis, se vertit ; et ipsos recte duxit ad portum, de quo recesserant, liberos et incolumes. Testificantur Dominus Joannes prædictus, CXVII Testis, loquens in omnibus de se et de aliis : et quod hæc fuerunt bene sunt viginti quinque anni, circa festum omnium Sanctorum. Payen, CXVIII Testis, scribitur in libro, dixisse idem in substantia et effectu quod Testis immediate præcedens; excepto quod de tempore dixit, quod in hieme erunt XXII E anni et ultra, ut credit.

Item 2 naufragi, sociis submersis

96 Yvo Textoris, Testis CXXVIII filius Olivarii cæci, parochianus de Plebe Magna-Galtrei diœc. Trecor. ætatis quadraginta annorum vel circa, dixit per juramentum suum, quod navis quædam, onusta terra appellata *g* marna, naufragium pertulit exorta subito tempestate: ipse vero, cum esset in eadem, et se in mari periclitari conspiceret, D. Yvonem in quantum poterat invocabat ; vovens sibi, quod si meritis suis ab ipso naufragio evaderet, sepulcrum suum totus nudus visitaret ; statimque tranquillitas facta fuit, et ipse tandem ab ipso naufragio liberatus. Interrogatus de tempore, mense et die; dixit, quod quadam die Sabbati, mense Junii istius anni fuerunt sexdecem anni, ut firmiter credit. Interrogatus de nominibus eorum, qui erant in d. navi : dicit, quod Joannes Tardi, filius dicti Tardi, de prædicta parochia et diœcesi oriundus, et salvatus a d. naufragio, sicut ipse ; et sex homines alii, de quorum nominibus dixit se non recordari, quia tunc fuerunt ibidem mortui et submersi. Interrogatus de loco et hora naufragii ; dixit, quod in mari quod est inter S. Mandetum *h* de Insula et Villam de Lezardieu diœc. Trecor. fuit d. naufragium circa nonam. Interrogatus, quomodo scit, quod d. Joannes sic evasit ; dixit quod pro eo, quia ipse audivit pluries d. Joannem clamantem et invocantem S. Yvonem, F et talia vel similia verba proferentem : Domine S. Yvo, adjuva me, adjuva me ; et ego tibi voveo me visitaturum sepulturam tuam totus nudus, si evadam et salves mihi vitam. Interrogatus de loco et hora liberationis; dixit, quod in mari quod est propter Villam-Mouster, quod distat per unam leucam a loco naufragii supradicti, circa occasum solis. Interrogatus, si sciret nare ; dixit, quod non. Interrogatus, quomodo de mari prædicto, quod est prope Villam-Mouster exivit hora prædicta ; dixit, quod quidam convicini sui cum quadam navi advenerunt ibidem, et ipsum receperunt et extraxerunt de aqua. Joannes Lardi prædictus, Testis CXXIX, ætat. quadraginta annorum vel circa, super prædicto miraculo concordat cum Yvone Textoris ; et dixit, quod sequenti die Lunæ ipse Testis et d. Yvo hujusmodi votum compleverunt.

ANNOTATA.

a Mortum, *fortassis vicus,* Meur *vulgo dictus, in silva de Poulamere prope Rohan.*

b Brachiata, *Francice* Brassée, *ulna.*

c

EX MS. TRECOR.

c Truncus *in ecclesiis ad eleemosynas excipiendas ponitur, qua de re vide Cangium.*

d Homo-ligius *dicitur ratione feudi vel subjectionis, contra quemvis obligatus Domino suo.*

e Maleta, *diminutivum a Teutonico* Male, *pera.*

f Thiven *insula, an ea quæ nunc* Insula Bassa *dicitur, e regione* Roscou?

g Marna, *aliis* Marga, *quasi medulla terræ, utpote pinguis : nam Teutonibus* Marg *medulla est, et hujusmodi terra* Margel *iisdem appellatur.*

h S. Mandeti *insula, sinui Trecorensi proximum, Ipse* S. Mandetus? *Abbas colitur anniversarie* 18 *Novembris.*

CAPUT XIII.

Alii, a præsenti morte divinitus erepti, per S. Yvonem.

Equus cum famulo submergendus emergit,

Quod cum Alanus de Treraurays, Miles diœc. Trecor. et ejus uxor cum aliis vellent transire per portum maris, vocatum Lanaber *a*, diœc. Veneten. et idem Miles palafredum suum cum *b* Valleto præmitteret in una navi, [tabardo *c* vultum obvolvens]; cum essent in mari per magnum spatium a terra distantes, d. palafredus [se præcipitavit de navi in aquam. Quo viso Alanus] valletum et palafredum recommendavit B. Yvoni, ut eos ei custodiret. Qua invocatione facta, d. valletus, extra aquam apparens remo se apprehendit; et nautæ eum ad se trahentes, ipsum receperunt, et in navi posuerunt : palafredus vero contra undas maris, ventos et fluctus sibi contrarios, se vertit, tabardo adhuc ante vultum remanente; et venit ad portum unde recesserat recta via. Testificantur, nobilis Alanus Miles prædictus, CLVIII Testis : et addit, quod viso miraculo hujusmodi, idem Testis cum aliis et cum palafredo, ad sepulcrum D. Yvonis, accesserunt peregrini : et quam cito palafredus ecclesiam intravit, et quamdiu ibi stetit, hinnire quasi gratularetur non cessavit; licet d. die nec altera esset hinnire consuetus. Nobilis Theophania, CCXXVI Testis, videtur concordare cum d. Alano marito suo de contentis in themate, et quod erat cum eo in miraculo.

item naufragi sex ex 38 reliqui :

98 Quod cum Judicellus Omensy, parochiæ de Guicrastel; et Guido Cubis, parochiæ Plebis-Petri de Plœsquellet, Corisopiten diœc. et multi alii, numero XLV, essent in una navicula in mari, distantes a terra; et dicta navicula, propter nimiam sarcinam et inundationes et ventum contrarium, aquas subintraret; Judicellus et Guido prædicti, videntes periculum, D. Yvoni se voverunt : et nihilominus navis et omnes personæ prædictæ aquas subintraverunt, et fuerunt submersæ, exceptis Judicello et Guidone prædictis, et aliis quatuor, qui periculum submersionis evaserunt. Testificantur Judicellus, prædictus, CCX Testis, unus de liberatis prædictis, loquens de se et de Guidone socio suo et aliis prædictis : et addit, quod ipse Testis, D. Yvonem invocavit per hunc modum et similem, O Sancte Yvo, vobis me reddo, et voveo reddere decem solidos quando potero, ut me salvetis. Et facto dicto voto, licet idem Testis aquas subintraret, tamen postmodum elevatus stetit fluctuando super aquas; quousque piscatores venerunt (qui tunc per spatium duarum leucarum, ut credit firmiter, distabant) et supervenientes, ipsos Testem et Guidonem, de mari extraxerunt. Et ad interrogata, respondens, dixit; quod de aqua non potavit, et quod aquas subintravit bis : et quod stetit, tam cadendo, quam ascendendo et fluctuando, per spatium quod posset per duas leucas ambulare. Guido, CCIX Testis, alter de liberatis, videtur concordare cum Judicello socio suo, de periculo et liberatione prædictis; et quod, dum navis aquas subintrabat, idem Testis D. Yvonem invocavit. Et cum aqua eum sursum reduxisset et super aquam fluctuaret, iterum D. Yvonem invocavit, quod salvaret eum; promittens sibi candelam ceream, in longitudine quanta erat longus et grossus : et ad invocationem hujusmodi remansit super aquas fluctuando, quo usque piscatores de Leonia, distantes per spatium duarum leucarum sicut firmiter credit, supervenerunt; et se et dictum Judicellum extraxerunt. Et credit firmiter et est fama, quod ipse et d. Judicellus et alii quatuor, ut sibi dixerunt, D. Yvonem invocaverunt, et evaserunt : et hoc unus alteri recitavit. In aliis videtur concordare cum Judicello, excepto quod de aqua multum potavit, quam postmodum evomuit.

item eques ab æstu maris præventus,

99 Quod Guillelmus Tornamina, Domicellus de la Hunauday, Briocen. diœc. fuit liberatus in mari a periculo submersionis et mortis, in *d* la Greva de Hylion prope S. Briocum, ubi fluit mare et refluit in die bis vel ter. Et quia videbatur venire mare, et volebat accelerare iter; cecidit in fovea cum equo. Et post cum equo surrexit : et ad ripam terra defecit equo, et cecidit iterato in mari. Et surrexit cum equo, ut prius; et iterato super equum, qui natabat, credidit venire ad ripam. Et separatus tunc ab equo, ivit ad profundum. Et tunc in profundo maris vovit se in corde Deo et S. Yvoni : et statim mare projecit eum superius; et postmodum, nescit quo modo, invenit se super crupam equi sui : et tenens se ad sellam, equus natando portavit eum sanum et incolumem ad ripam maris, et non potavit aliquid de aqua, et sanus exivit de aqua. Testificantur, ipse liberatus, CLXV Testis loquens de se, ita fuisse; et quod fuit in periculo, ut credit, per spatium dimidiæ leucæ; et credit firmiter, quod Deus eum liberavit a d. periculo, meritis et precibus D. Yvonis. Harvæus, CLXVI Testis, dixit, quod vidit d. Guillelmum et ejus equum, cadentes in aquam maris in magno periculo; adeo quod non nisi miraculose poterant evadere. Quod advertens idem Testis et plures alii, quos nominat, qui aderant, videntes mare advenire et de se dubitantes, fugerunt, D. Yvonem invocantes, et dicentes, Sancte Yvo juva eum; hujusmodi invocationem pluries replicando. Et postmodum vidit eumdem Guillelmum, super aquas elevatum ad ripam.

puer submergendus soluto globo herbæ quem conscenderat,

100 Alanus Andreæ de Tredersec, diœc. Trecor. Testis LXXXI, ætatis triginta annorum vel circa (ut dixit, et per respectum corporis apparebat) dixit per juramentum suum et deposuit narrando, quod semel quodam die Jovis, ut credit, dum esset super ripa aquæ marinæ, prope portum Lapidis-nigri juxta civitatem Trecorensem, una cum tribus aliis pueris, et recollegissent in simul unum globum herbæ marinæ vocatæ *e* Goumon; et idem qui loquitur ascendisset super dictum globum herbæ, infra aquas prædictas, causa deducendi dictum globum, ad domum paternam, sicut ducuntur naves. Et cum jam sic duxisset per aquas, quantum est jactus lapidis, ut dixit; dictus globus laceratus et expensus fuit per aquas prædictas; et dictus qui loquitur, de globo tunc jactavit se in mari, æstimans terram posse suis pedibus attingere : quod non potuit, quia aqua profundissima erat ibi. Et sic d. Alano super aquam remanente et clamante, Sancte Yvo, Sancte Yvo; audivit mulierem quamdam et pueros prædictos clamantes, qui ipsam bono Yvoni similiter devovebant. Et tunc paulo post, dum fluctus maris ipsum duceret, et fuisset sic in aqua per spatium dimidiæ leucæ, ut sibi videbatur, tenendo baculum suum in manibus, habens in his aquis circum circa totum corpus

A corpus præter faciem; supervenit navis, in qua erat Alanus Clerici: qui surrexit de navi porrigens ei manum, et apprehendit eum trahens eum ad se infra navim. Sed ipse qui loquitur, surrexit, ut dixit, ab aquis, antequam dictus Alanus Clerici eidem porrigeret manus suas Item addidit, quod pater ejus dixit sibi, quod volebat eum evertere, ut exiret aqua de ventre ejus: sed ipse qui loquitur noluit, dicendo, quod non expediebat, quia una sola gutta aquæ non intraverat corpus suum. Interrogatus cujus ætatis erat tunc, dixit quod decem annorum vel circa, ut credit. Interrogatus si sciebat natare, dixit, quod nec tunc, nec etiam nunc. Interrogatus quomodo stabat super globum, dixit quod stando erectus, sicut staret super navem. *Ante hunc auditus* Alanus Clerici, Testis XCIII *dixerat*; quod dum navigaret per brachium maris prædictum, cum aliis qui erant in navi, invenerunt super aquas maris d. puerum, jacentem supinum, ac si vellet dormire: et gentibus clamantibus, Sancte Yvo, adjuva; navis cum ipso Teste appropinquavit ad locum ubi erat puer taliter super aquas. Et ipse Testis apprehendit puerum, trahens eum ad se: et puer extensis B manibus tenuit ipsum Testem ad collum, donec fuit infra navem: et sic evasit puer a periculo submergendi meritis D. Yvonis, ut credunt ipse Testis et alii qui ibi erant. Interrogatus de tempore; dixit, quod circa Nativitatem B. Joannis Baptistæ. Interrogatus, quanto tempore fuit sic super aquas; dixit, quod per spatium tertiæ partis unius leucæ vel circa postquam audivit clamores. *Concordat etiam* Andreas Bonamici, Testis XCVI, pater prædicti pueri. *Et* Joannes Gregorii, Testis XCV, ætatis quinquaginta annorum vel circa, deposuit sicut Alanus Clerici; excepto quod dixit, quod bene vidit d. puerum se elevantem ab aqua, antequam d. Alanus sibi porrigeret manus suas; et bene vidit patrem d. pueri, volentem evertere dictum puerum, et quod dictus puer noluit.

attestantibus iis qui fluctuantem juverunt,

iterum naufragus,

101 Quod cum Alanus de Laudehœz, parochianus de Plœnez Brioc. diœc. et Gaufridus Richardus et Hamo et alii essent in mari; fluxus maris duxit naviculam ad magnum lapidem, et fracta est: et statim d. Alanus D. Yvoni se vovit, promittens quatuor denarios annuatim. Et statim navicula frustatim dispersa, idem Alanus usque ad profundum maris cecidit: et aqua per os et per pectus, usque ad viscera, et non ultra quod sentiret, subintravit. C Et post modum aqua ipsum superius reduxit, et iterum vovit se sicut supra. Et quoddam lignum de navicula recipiens, se supra illud sustentavit, fluctuando ab hora Nonæ vel circa usque circa solis occasum. Et tunc supervenerunt Joannes et Alanus Seven, et ipsum susceperunt, et ad portum adduxerunt. Et dicti Richardus et Hamon fuerunt submersi: et d. Alanus evasit, meritis D. Yvonis, quia tunc se vovit eidem. Testificatur Alanus, CLXI Testis, ipse liberatus.

et alius periclitans: f

102 Quod cum Arnaldus, filius Sibiliæ, Trecoren. diœc. cum nautis duxisset navem ante portum de Rupella f; subito facta fuit in mari tempestas cum maxima obscuritate, ita quod navis agitabatur cum periculo submergendi. Et tunc d. Arnaldus, cum duobus qui remanserant, invocabant D. Yvonem dicentes, Sancte Yvo adjuva nos. Et incontinenti apparuit quoddam [lumen] visibiliter super navem: et statim cessavit tempestas, et postea continuaverunt feliciter iter suum. Testificatur Sibilia, mater dicti Arnaldi, Testis LXXXVIII, asserens, quod hæc omnia narravit ei d. Arnaldus filius suus: et quia ipsa Testis post recessum d. navis recommendabat D. Yvoni navem, et filium, et alios.

103 Quod cum Joannes Gat de Tredarzec esset in navi, in mari prope Portum-benedictum g, et D alii quinque cum eo; tempestas fuit, et navis fracta est, cooperta fluctibus, et submersa. Tunc ipse invocavit D. Yvonem, et se vovit, quod si evaderet iret nudus ad ejus sepulcrum. Et statim invenit modicum frustum navis, quod habebat longitudinis unum pedem vel circa, et latitudinem trium digitorum: et cum eo natando, semper invocans D. Yvonem, ad spatium dimidiæ leucæ et plus; pervenit ad aliam navem: et sic evasit, et socii perierunt. Testificatur ipse liberatus, XCI Testis, loquens de se in omnibus ita esse.

EX MS. TREFOR g

Item alius,

aliique. h

104 Quod ad invocationem D. Yvonis, Yvo, Guio, Lucas, et Henricus, parochiæ de Plœbalazuant Brioc. diœc. evaserunt de mari cum navi, periculo exposita super quadam rocha h, quæ post votum statim miraculose ad portum perducta fuit. Et alius evasit cum nave, fracta in anteriori parte contra quamdam rocham. Et Alanus Clericus, parochianus S. Viliani, a periculo evidenti submergendi in mari, evasit, orta maxima tempestate. Testificatur Alanus le Cervesus, Testis CXLV, per auditum a dictis liberatis: et ipse tres naves fecit de cera ad eorum instantiam, et eas appensas vidit in Ecclesia Trecorensi juxta sepulcrum D. Yvonis. E

Infantula intra incendium servatur.

105 Quod cum Beneventa, uxor Yvonis Harvæi diœc. Trecor. tradidisset pro custodia Agneti Narbonensi filiam suam, æt. unius anni vel circa, et ivisset ad campos, cœpit timere: et dubitans de filia sua prædicta, eam vovit D. Yvoni et domum in qua erat, ne filia periret. Et statim ad domum revertens, vidit fumum incendii, et currens intravit domum, et vidit quod fuerat ibi incendium; et d. filiam in cunabulis, et pannos usque ad umbilicum consumptos et combustos, et filiam sanam et illæsam: et adhuc vivit. Testificatur Beneventa, CXVI Testis, mater dictæ filiæ suæ liberatæ, per visum.

ANNOTATA.

a *Videtur indicari sinus ille maris, quem inter Venetos et Groizilium facit* Vigelania, *vulgo* Vilaine, *in Oceanum influens.*

b Valletus *Francis dicitur* famulus: *quod diminutive dici pro* Vassaletus *per quam verosimiliter censet Cangius, et de vocis hujus varia significatione erudite disserit.*

c *Transcribentis vitio mutilatum sensum oportuit utcumque supplere: res tota magis integre explicatur in sequenti Vita num.* 107. *Est autem* Tabardus *toga, non tantum senatoria, sed etiam viatoria seu militaris, manicas habens.* F

d *Gallice* la Greve, *ita ut* la *solum sit articulus. Est autem* Heliori *ad latus orientale cujusdam æstuarii arenosi, 3 leucis circiter a S. Brioco, nomen a natura habens: quia* Greva *dicitur arena, sabulum, glarea marina, quandoque etiam* Grena *invenitur: et Parisiis reorum suppliciis notus locus ad Sequanam,* la Greve *nuncupatur.*

e Goumon, *seu (ut alibi scriptum)* Govemon, *infra num.* 109 *vertitur* Alga.

f Rupella *civitas cum portu apud Pictavos, Hugonotorum pertinaci defensione memorabilis, obsidente eam tandemque obtinente Ludovico XIII.*

g Portum-Benedictum, *credo esse in æstuario Oderæ, infra Corisopitum mare subeuntis, ubi invenio vicum notatum* Benodet, *id est* Benedictum.

h Rocha *et* Roccus, *rupes.*

A

CAPUT XIV.

Contracti et paralytici ope S. Yvonis sanati.

Ad sepulcrum 7 hebdomadis perseverans contracta,

Quod Catharina, uxor Joannis de Gannetz oriundi de Plebe Joannis, nunc parochiana de Plestin diœc. Trecor. contracta manibus, pedibus, brachiis, et tibiis, quod ambulare non poterat, nec surgere, nec se pascere; et brachia habebat unum super aliud involuta et juncta, et manus clausas subtus spatulas sive assellas, et tibias junctas, et pedes unum super alium quasi ad modum Crucis. Et sic patiens et contracta, portata est ad sepulcrum d. Yvonis, pro recipienda sanitate: ubi fuit per septem septimanas vel circa, infirma ipsa, durante tempore sæpe dicto Yvoni se vovendo, et rogando quod ei daret sanitatem. Et cum non recuperasset sanitatem, ligata super equum, pro repatriando ducta, paulo post eadem die ad ecclesiam Trecorensem et sepulcrum d. Yvonis, suis pedibus rediit plenarie liberata. Testificatur Catharina, CLXX Testis, ipsa liberata, loquens de se: et addit, quod cum duceretur, et esset prope Pontem combustum, distantem a civitate Trecorensi quasi per unam leucam; ipsa iterato vovit se magna devotione ad d. Yvonem: et respiciens versus d. ecclesiam ubi corpus d. Yvonis requiescit, dixit devote, O Sancte Yvo, quomodo ibo infirma? O Sancte Yvo, habeam per vos liberationem. Et his dictis, statim vidit maximum splendorem, refulgentem circa eam: ex quo fuit calefacta, et ipsius brachia statim fuerunt soluta, et manus apertæ, et pedes disjuncti et tibiæ, et plene fuit liberata et sanata a passione et infirmitate prædictis. Et statim per famulum dissolutis ligaminibus, quibus ligata fuerat super equum, per seipsam ad terram descendit: et sanata et plene curata, per se et pedes ad sepulcrum d. Yvonis peregrina est reversa, et suam oblationem obtulit. Interrogata de tempore, mense, et die, quibus sanitatem recepit; dixit, quod quadam die Dominica ante festum omnium Sanctorum: et ante fuerat contracta per unum annum et ultra. Interrogata, unde evenerat d. infirmitas; dixit, quod ex gutta et aliis infirmitatibus quæ sibi acciderant. Joannes Audreti, Testis CLXXI, cum ea videtur concordare de infirmitate, per visum: et quod sic contracta fuit portata ad sepulcrum d. Yvonis: et Alanus, Testis CLXXII, dixit, quod vidit ipsam detentam in d. ecclesia infirmitate prædicta et postmodum sanam.

et frustrato voto revertens; B

iterum invocato Sancto, sanatur in via:

C

alius similiter post hedomadas 5

107 Quod Nicolaus de Guerrandia, Nanneten. diœc. paralyticus et contractus tibiis, quod ire non poterat; portatus cum quadriga ad sepulcrum d. Yvonis pro recipienda sanitate, et ibi manens quandoque ad sepulcrum, quandoque in hospitio, spatio quinque septimanarum vel circa; multoties invocans et se vovens Yvoni prædicto; tandem cum tristis et dolens quod non receperat sanitatem, computasset cum hospite in crastinum recessurus; nocte sequenti in camera ipsius apparuit magna claritas, quasi domus videretur incendi: et de mane surrexit sanus et curatus, dicens, Sanctus Yvo fuit mecum, et me omnino curavit: et ivit per se ipsum pedes, erectus, sanus et liberatus ad sepulcrum d. Yvonis cum sua oblatione. Testificantur, Helias, CLXXXVII Testis, asserens se vidisse d. Nicolaum paralyticum et contractum, in manibus brachiis et tibiis, et addit, quod tenebat manus clausas: brachia et tibias extendere non valebat, nec ambulare, nec surgere, nec super pedes stare, nec se pascere. Et sic paralyticus, apportatus fuit in uno carnello peregrinus ad sepulcrum d. Yvonis pro habenda sanitate: et in domo patris et matris ipsius Testis fuit hospitatus, et stetit per quinque septimanas vel circa; et audivit multoties

domum reversurus,

D

et frequenter idem Testis dictum Nicolaum se voventem d. Yvoni, et cum invocatione affectuosa et devota, per hunc modum aut similem; O Sancte Yvo, da mihi sanitatem, et ad tuum sepulcrum quamdiu vixero veniam quolibet anno, et dabo duodecim denarios annuatim, et candelam ceream de longitudine mea, et imaginem ceream. Et tandem circa finem quinque septimanarum, tristis et dolens quod non receperat sanitatem, computavit et satisfecit de expensis, in Crastinum (ut dicebat) recessurus. Et adveniente circa mediam noctem, idem Testis evigilans vidit in camera, per ostium apertum et gernatum, tantum lumen et claritatem, quod visum fuit ei quod incenderetur tota domus. Et ipso Teste jacente iterum in dicta camera, apparuerunt lumen et claritas, ut supra. Et iterum consurgens idem Testis et Catharina soror sua, timentes quod combureretur domus, dixit dictus Nicolaus; Sanctus Yvo est mecum. Et adveniente circa auroram, d. Nicolaus invocavit: et viderunt eum stantem in pedes, sanum et curatum, dicentem, Sanctus Yvo fuit mecum, et me omnino curavit. Et ivit per seipsum pedes, sanus, erectus et liberatus plene; et candelam incensam et imaginem ceream obtulit ad sepulcrum: et postmodum ipsum vidit sanum, et hilarem, et curatum. Interrogatus, quanto tempore ante ipsum vidit infirmum; dixit, quod per quatuor annos et ultra steterat et fuerat sic infirmus. Catharina, CLXXVII Testis, videtur deponere de prædictis et concordare super contentis in articulo cum Helia fratre suo. Hadou, Testis CLXXXVI, videtur etiam concordare cum prædictis Testibus.

apparente per noctem Sancto curatur.

E

108 Quod Harvæus Goloviæ, parochianus ecclesiæ Trecorensis, oriundus de parochia de Plœnez diœc. Briocen. habens per duos annos vel quasi tibiam sinistram contractam, quam extendere non poterat, sed tenebat eam retroversam ad crus conjunctam, et cum duobus baculis ipsum ire oportebat; stans multoties ad sepulcrum d. Yvonis, et ipsum invocans, et se vovens eidem quod sibi daret sanitatem; post, infra modicum tempus fuit sanus, et de dicta infirmitate curatus, et ambulavit rectus sine baculis per se ipsum. Testificantur Harvæus, CLXII Testis, ipse liberatus, loquens de se in omnibus; et addit, quod cum dormiret juxta sepulcrum d. Yvonis, audivit vocem quasi exeuntem de d. sepulcro, dicentem sibi; si offerres duos cereos ad sepulcrum meum, curareris. Et in crastinum obtulit. Et die sequenti, cum magna Missa celebraretur, exiens juxta sepulcrum, tibiam contractam extendit, et sanatus fuit. Et statim surgens, rectus et pedes per se ambulavit, sine baculis et adjutorio quocumque: et steterat infirmus per duos annos. Theophania, Testis CCXXII, videtur concordare cum dicto liberato per visum: et Gaufridus, Testis CCXXI, dixit, quod vidit eum per tres annos infirmum, et postea curatum: et audivit a dicto Harvæo, quod meritis B. Yvonis.

item contractus tibiam sinistram,

F

de oblatione facienda cœlitus monitus:

109 Quod Amou, relicta Guillelmi Davidis, parochiana Plebis-Barbatæ Trecor. diœc. per quatuor menses contracta manibus, brachiis, tibiis et pedibus, quod surgere non poterat nec ambulare, ad sepulcrum d. Yvonis portata; ad ipsius Yvonis invocationem, sæpe et sæpius per multa temporum intervalla repetitam, plenam recepit sanitatem. Testificatur Amou, CLXIV Testis, ipsa liberata, loquens de se ita esse: et addit, quod manus non poterat aperire, nec brachia et tibias extendere, et quod per alios pascebatur et portabatur. Interrogata de loco ubi sanata fuit; dixit, quod in domo sua prædictæ parochiæ, et quod fuerat infirma per annum et ultra. Et postea scribitur: Et vidimus ipsam, sanam et directe ambulantem.

et brachiis cruribusque contracta

110

A *Item contractus,*

110 Quod Joannes Guilloti, parochiæ de Louargat Trecor. diœc. paralyticus et contractus per duos annos vel circa, quod ambulare non poterat, nec surgere, nec tibias extendere (imo habebat et tenebat eas flexas, quasi junctas circa crura, tenendo unum pedem semper alium quasi ad modum Crucis) invocatione et voto, per ipsum contractum et per ejus matrem, ad d. Yvonem emissis et factis; ipsa die tibias extendit, ambulavit, et curatus fuit etiam infirmitate guttarum, quibus gravabatur, quas postmodum non sensit. Testificantur, Joannes ipse liberatus, CLXXXII Testis, loquens de se in omnibus ita esse; et addit de infirmitate, quod oportebat quod per alium levaretur et portaretur, existens contractus. Interrogatus de tempore; dixit, quod die Dominica, ante festum B. Joannis Baptistæ proxime præteritum. Interrogatus ad cujus invocationem, dixit, quod ipse vovit se d. Yvoni, et invocans eum promisit circulum corporis sui cereum. Et in fine attestationis ejus est scriptum, Et nos vidimus ipsum Joannem sanum, et per se directe ambulantem: membra tamen habebat debilia et tenuia, propter ipsam infirmitatem de novo præteritam. Nobilia, avia dicti liberati, CLXXXV Testis, testifi-
B cari videtur etiam de infirmitate per visum, et quod ipsa Testis et mater ipsius Joannis voverunt eum d. Yvoni.

Item amissa memoria contractus puer,

111 Yvo filius Yvonis Gatian, Testis CIII, parochianus de Bidernec diœc. Trecor. ætatis decem et octo annorum vel circa, ut dixit et audivit dici a parentibus suis; per juramentum suum dixit, quod balneando se in quodam fluvio vocato Taudi, juxta
a molendina S. *a* Inflanani d. parochiæ, perdidit memoriam, ita quod nesciebat quid faceret, nec etiam ubi esset. Et fuit hoc circa horam meridiei, ut dixit: de tempore, mense, et die non recordatur. Et addidit, quod durante hoc arripuit eum quædam infirmitas in manibus, et brachiis, et tibiis; ita quod brachia cancellata habebat, et tibias similiter, quod vix ire poterat: et lingua ejus et os erant ut combusta intrinsecus: sed ignorat, ut dixit, quomodo aut quando ista acciderant ei, nisi quod perdita memoria, ut dixit, ista prædicta sensit. Deinde memoriam recuperavit et sanitatem de infirmitatibus antedictis, die Dominica post octavam nativitatis S. Joannis Baptistæ, hoc anno: et credit firmiter quod fuerit meritis d. D. Yvonis: quia audivit a patre suo, quod ipse eum sibi voverat, et adduxerat ad ejus sepulcrum pro sanitate consequenda: et non
C recordatur de præsentibus, qui multi erant quando sanitatem recuperavit, quos non cognoscebat. Et fuit recuperatio sanitatis in domo ubi habitat Dominus Lemovicensis, in civitate Trecorensi, prope januam d. domus Porro Yvo Gatian, pater d. Yvo-

cui attestatur pater suus.

nis, Testis CIV, ætatis quinquaginta annorum vel circa, dixit per juramentum suum, quod duo anni sunt vel circa, et in mense isto Julii, quod ipse qui loquitur invenit prædictum filium suum, qui se balneabat in aqua et loco superius designatis, verba inordinata et fatua proferentem, tamquam furiosum et dementem. Deinde durante furore arripuit d. filium quædam infirmitas, qua habebat linguam et os interius combustas, et manus et pedes frigidos, et tibias ad invicem cancellatas, et brachia similiter. Propter quod ipse qui loquitur tractu temporis d. filium suum d. Domino Yvoni vovit, et adduxit ad ejus sepulcrum in ecclesia Trecorensi. Et addidit, quod fuit in civitate Trecorensi per decem dies continuos, d. ecclesiam continue visitando: et demum completis dictis decem diebus filius curatus fuit perfecte. Interrogatus de tempore, mense et die; dixit, quod invenit eum ut supra, sed de die non recordatur; dixit tamen, quod hoc anno mense Julii, quadam die Mercurii, curatus fuit in hospitio cujusdam D
Torneminæ, ubi habitat Episcopus Lemovicensis EX MS. TRECOR.
nunc in civitate Trecorensi. Interrogatus quibus præsentibus, dixit nullis in balneatione, quod ipse qui loquitur viderit; sed in curatione quam plures erant, de quibus non recordatur; quia, ut dixit, præ gaudio non curabat. Interrogatus quibus verbis, invocasset d. Yvonem, dixit, Dicendo, Sancte Yvo vobis voveo filium meum, et volo quod sit vobis obligatus de una candela cerea longitudinis sufficientis ad cingendum eum, reddenda vobis annuatim. Duravit autem infirmitas fere per duos annos continuos, parvo interposito intervallo.

Item biennio contracti, puer,

112 Quod Joannes, filius Alani, parochianus de Plebe-Nova Trecor. diœc. ætatis quindecim annorum vel circa, contractus bene per biennium, quod vix ire poterat curvus et manus tenendo super crura; nec poterat sedere, sed jacebat; portatus die sabbati ad sepulcrum d. Yvonis; die Dominica sequenti post meridiem surgens, sensit subito se curatum. Et appropinquans sepulcro d. Yvonis, dixit se sanatum meritis d. Yvonis, cui ipsum voverat mater sua. Et ipsemet frequenter dixerat, juxta sepulcrum d. Yvonis, Sancte Yvo, impetres mihi gratiam a Deo, ut me liberet ab ista infirmitate. Testificatur ipse libe- E
ratus, LXXXI Testis, loquens de se infirmo, vovente et sanato, et de voto matris suæ. Et circa finem dicti sui est insertum; Et nos vidimus libere eum ambulantem.

et puella,

113 Quod Adelicia Olivi Thomæ, oriunda parochiæ Plebis parvæ paralytica et contracta de gutta per duos annos vel circa, quæ tenebat tibias ad crura et pedes ad posteriora quasi flexos, sed cum manibus trahebat se super terram; dicta contracta vovente et promittente sex denarios annuatim d. Yvoni, ut eam liberaret, facto voto ad invocationem d. Yvonis, sanata fuit, et curata juxta sepulcrum d. Yvonis, et per se surrexit. Testificatur ipsa liberata, Testis CLXXX, loquens de se in omnibus ita esse: et in fine dicti ejus subjicitur. Et nos Commissarii, vidimus ipsam Adeliciam sanam, et per se directe ambulantem, gibbosam tamen, et capite aliquantulum inclinato ambulantem, quod (ut dixit) ante infirmitatem non habebat.

item unus dimissis potentiis ad sepulcrum,

114 Quod Henricus Augerii, de Anglica-villa Constantiensis diœcesis, contractus et curvus, non potens ire sine potentiis, sed trahebat pedes; et sic vadens ad d. Yvonem apud Lantreguier in peregrinationem; postmodum, undecim diebus vel circa F
elapsis, revenit inde, dimissis potentiis ibidem, ut dicebat, Dei gratia et d. Yvonis meritis curatus. Testificatur Fr. Andreas, Abbas Belliportus, Testis CCI, qui obviavit d. Henrico sic contracto, eunti cum potentiis seu *b* eschassis, ut dicebat, ad d. Yvo- *b*
nem apud Lantreguier: et postmodum, undecim diebus vel circa elapsis, venit ad Abbatiam prædictam, se curatum dicens, ut in themate continetur.

aliusque,

115 Quod Joannes, filius Nani, parochianus de Lanmeur Dolensis diœcesis, contractus in pedibus et tibiis per octo annos vel circa, quod surgere non poterat, nec tibias erigere, imo oportebat quod manibus et genibus ambularet; ad invocationem d. Yvonis sanatus fuit, et se erexit, et ivit, et vadit sanus et erectus. Testificatur Joannes, CLXVII Testis, ipse liberatus, loquens de se in omnibus: et addit de suo voto, quod promisit candelam de sua longitudine et grossitudine, pro liberatione sua. Et vadit (prout etiam nos vidimus) sanus et erectus; tamen gibbosus, quod ut dixit non erat ante. De loco, dixit, quod in ea ecclesia Trecorensi, juxta sepulcrum d. Yvonis.

116 Quod Guillelmus Balch, de Queriam diœcesis Corisopitensis, contractus de una tibia per sep-
tem

Ex MS. Trecor. *et alius post septennium.*

A tem annos et ultra, sic quod eam ad crus levatam tenebat, et eam extendere non poterat; et cum eschassis seu potentiis ambulabat; invocavit d. Yvonem et se vovit eidem, promittens esse homo suus, et sibi dare septem denarios annuatim pro curatione sua. Quibus sic dictis, fulgor eum circumfulsit, et fuit adeo calefactus quod sudavit : et post sudorem statim sensit se alleviatum, et extendit tibiam de qua contractus erat, et surrexit pedes : et dimissis potentiis, sanus, erectus, et plene curatus, ambulavit. Testificatur ipse liberatus, CLI Testis : et ad finem dicti ejus est scriptum, Et ipsum sanum vidimus ambulantem.

item contracta ac muta,

117 Quod Mahauta, filia Levenezæ, parochiæ de Lanmeur, ætatis duorum annorum et dimidii vel circa, amisit loquelam, et ejus facies versa est, videlicet os ad sinistram partem, et nervi brachiorum ac tibiarum, a parte sinistra paralytica, contracti fuerant, quod non poterat extendere nec habere usum de eisdem : et stetit sic infirma per decem septimanas. Et d. mater ejus vovit eam d. Yvoni de uno denario annuatim ut eam liberaret. Quo voto facto, dum duceret eam peregrinam ad sepulcrum d.
B Yvonis, in via a civitate Trecorensi per septem leucas, ipsa filia plenam sanitatem recepit, et locuta fuit : brachia et tibias extendit, et post unam horam per se ambulavit, et facies ad statum pristinum est reversa. Testificatur Leveneza, CCXLIV Testis, mater dictæ liberatæ, per sui præsentiam.

ac denique arthriticus

118 Quod Olivarius de Sista, ad invocationem d. Yvonis, quia Deo et d. Yvoni se vovit, fuit curatus de gutta, quam passus fuerat per dimidium annum quæ per medicos incurabilis dicebatur : quia descendit per tibiam suam dextram, et per foramen factum in d. Tibia miraculose exiit, et stillavit. Testificatur ipse liberatus, Testis CCXXVIII.

ANNOTATA.

a S. Inflanus, *vulgo* S. Efflam, *colitur* 6 *Novembris, ubi licebit in hæc loca quærere.*

b Potentiæ *dicuntur fulcra subaxillaria, a forma sortita nomen :* Eschasses *proprie Francis nunc dicuntur, quæ Latinis* Grallæ, *res longe alia.*

CAPUT XV.

C *Cæci illuminati, infirmitates oculorum curatæ.*

Illuminatur cæcus a cane adductus;

Quod quidam homo, ætatis LX annorum vel circa, de versus Rupem-amatoris oriundus, cæcus, et faciens se duci per unum canem tamquam cæcum, veniens ad civitatem Trecorensem, et ibi aliquamdiu moram trahens, et ad sepulcrum d. Yvonis ei se aliquando recommendans, recuperavit visum, et ibat postea sine cane, et videbat et discernebat colores. Testificari videntur Harvæus CXL Testis; dicens, quod undecim anni vel circa sunt elapsi mense Januarii, præsente ipso Teste et multis aliis in ecclesia Trecorensi, juxta sepulcrum d. Yvonis et ad invocationem ipsius Yvonis, verbis interpositis hujusmodi per eumdem; O Sancte Yvo, ad vos me voveo, et peto a vobis mihi reddi visum meum. Et dixit quod per XV dies viderat ipsum cæcum; sed quanto tempore fuerat cæcus ignorat, quia homo extraneus erat. Et quod esset cæcus evidenter apparebat; et per unum canem se duci faciebat sicut cæcus, quem visu recuperato dimisit : et vidit ipsum videre res, et colores discernentem. Olivarius, CLVI Testis, dixit, quod vidit hominem cæcum, cujus ductor canis erat : et vidit eum primo cæcum in civitate et ecclesia Trecorensi, et postmodum videntem : et miraculum fuit factum bene sunt decem anni vel circa, hora Primæ : et vidit eum cæcum bene per tres D septimanas vel circa ante curationem ejusdem.

et alius 15 diebus privatus visu

120 Quod Guido, filius Omensen, parochiæ de Laugoat diœcesis Trecorensis, fuit cæcus et visus cæcus XV dies et ultra; et postmodum ad invocationem d. Yvonis illuminatus est : et vidit, et ibat sine ductore, et discernabat res et colores. Testificantur Joannes, CLIX Testis, qui vidit et novit d. Guidonem, et erat cæcus : et postmodum vidit ipsum illuminatum et videntem. Interrogatus, quare scit quod esset cæcus; dixit, quod per alium ducebatur, et videntibus apparebat quod cæcus erat. Harvæus, CLX Testis, videtur concordare cum Joanne.

Curatur oculus maculosus,

121 Mahauta, uxor Rivallon Leyzone, Testis XCVIII, parochiæ de Lanmeur, ætatis LV annorum, dixit, quod ipsa fuit nutrix cujusdam puellæ, nomine Margiliæ, filiæ Domini Petri de Lanmeur Dolensis diœcesis, Militis : et vidit ipsa quæ loquitur d. puellam habentem maculam in oculo. Et cum mater vovisset eam ad S. Yvonem, præsente, quæ loquitur : post modicum tempus, vidit ipsa quæ loquitur d. puellam curatam totaliter a macula supradicta. Interrogata, quo tempore d. puella habebat d. maculam, et quo tempore fuit sanata et curata; dixit, quod possunt esse decem vel duodecim E anni vel citra, sed non bene recordatur. Item dixit, quod d. macula duravit in oculo d. puellæ per octo dies vel circa, ut sibi videtur. Interrogata de mense et die; dixit, se non recordari : tamen videtur sibi quod fuit in æstivo tempore. Interrogata, quibus præsentibus; dixit quod adfuerunt mater d. puellæ nomine Levenez, et pater similiter, et Testis quæ loquitur, et plures. Interrogata de loco; dixit, quod in domo d. Militis, patris d. puellæ, vocata Vetus-villa in parochia Vimahec. Interrogata, ad cujus invocationem fuit factum miraculum; dixit, quod B. Yvonis. Interrogata, per quæ verba; dixit matrem dixisse : O Margilia filia mea, prædiligerem te mortuam quam maculosam; et voveo te S. Yvoni; quia ego et pater tuus nudis pedibus deferemus ei oblationem tuam. Interrogata, si erat præsens quando illa verba fuerunt dicta; dixit, quod sic. Interrogata, quanto tempore noverat d. puellam antequam haberet d. maculam; dixit quod per quatuor annos vel circa : et addidit, quod d. macula nata fuit in oculo d. puellæ post assumptam infirmitatem quæ vocatur Veyrola. Interrogata de grossitudine dictæ maculæ; dixit, sicut unum parvum pisum. Testificatur hoc etiam Dominus Petrus, CLVI F Testis, pater liberatæ, per visum de infirmitate et liberatione : et quod ipse et uxor ejus voverunt eam post cœnam, et in crastinum invenerunt eam curatam de mane. Interrogatus de tempore; dixit, quod sunt XIV anni vel circa.

oculi inflati;

122 Quod Theophania, filia Deriani parochiæ de Prato diœc. Trecor. ætatis sex annorum, habuit ambos oculos inflatos et clausos, et videre non poterat; d. patre vovente eam de duobus oculis cereis, d. Yvoni reddendis quolibet anno quamdiu viveret; in crastinum vidit de ambobus oculis, sicut prius. Testificatur Derianus, LXXXIX Testis, pater liberatæ per visum.

dolor in oculo.

123 Quod cum Petronilla, uxor Guillelmi parochiæ de Tregrom, per sex septimanas haberet dolorem et infirmitatem de gutta pungenti in oculo sinistro, adeo quod parum videbat, et aqua exinde stillabat; vovit se et d. oculum d. Yvoni, promittens reddere unum oculum cereum, ut redderet ei sanitatem. Et invocatione et voto hujusmodi factis, statim cessavit dolor, gutta et infirmitas prædictæ, nec postmodum sensit, et plene fuit curata. Testificatur ipsa liberata, Testis CCI, loquens de se in omnibus ita esse.

124

A *Oculus obtritus.*

124 Quod cum Evenus Eudonis, parochiæ Plebis-novæ, esset in molendino Conventus B. Mariæ de Begar juxta parvam rotam, rota ad se traxit eum, et posuit sub se, ipsum adeo opprimendo, quod frontem supra oculum dextrum fortiter sibi læsit, et sibi extraxit oculum. Et tunc quædam mulier invocavit d. Yvonem ut eum liberaret. Et statim, facta invocatione, aqua stetit, et rota similiter: et sic exinde extractus fuit, et liberatus est, et oculus in suo loco repositus, et cicatricem habet in fronte supra oculum, et plene est liberatus. Testificatur ipse liberatus, Testis cevi, loquens de se et de dicta muliere vovente.

Mulier cæca visum recipit,

125 Quod cum quædam mulier cæca, penitus non videns, ducta a filia sua tamquam cæca, exiens de ecclesia vellet recedere ad propria; prædicta filia lacrymando alta voce proferebat, O Beate Yvo, vos facitis multa miracula, sed non apparent. Et dum ita recederent mater et filia prædictæ, et essent in cœmeterio extra ecclesiam; statim cœpit filia fortius acclamare cum gaudio, Mater mea videt. Et d. mater, revertens ad ecclesiam sine ductu alicujus, perfecte videbat. Testificatur Religiosus vir, Testis B LXXIX, per visum, auditum et sui præsentiam.

item puella.

126 Quod cum Juliana, filia Laviniæ de Quontreven Trecor. diœc. ætatis duorum annorum cum dimidio, propter infirmitatem quam habuerat visum amisisset, et stetisset cæca per undecim septimanas; ipsa Lavinia d. Filiam suam, quam peregrina apportaverat ad sepulcrum d. Yvonis pro habenda sanitate, d. Yvoni vovit ipsam, invocando ut liberaret eam, aut per mortem aut per vitam: et promisit reddere unum denarium annuatim. Et ad invocationem hujusmodi d. filia, quæ tunc erat cæca, visum de uno oculo recepit; et alium, qui clausus erat, aperuit: sed de eo nihil vidit. Testificatur Lavinia Testis CCIII, mater d. liberatæ.

CAPUT XVI.

Furiosis mens reddita, invocato S. Yvone.

Dæmoniacus ex maledicto matris,

Quod Yvo, filius Yvonis Andreæ, parochiæ de Denguenam diœc. Trecor. ætatis XX annorum vel circa, maledictus a matre, et datus et concessus diabolo, statim cecidit ad terram, et arripuit eum vexatio in corde et per totum corpus, ita quod multi homines vix poterant eum tenere. Die vero lucescente, rogavit patrem et Joannem Doligam quod C ducerent eum ad S. Yvonem. Qui cum ducerent eum in via, cum sensit matrem, cœpit vexari: et tunc pater fecit recedere matrem, et statim cessavit vexatio. Et cum venissent ad sepulcrum d. Yvonis, arripuit eum vexatio durissima sicut prius, et duravit usque ad Vesperas. Et circa horam Vesperarum pater fecit ipsum osculari caput lapidis, quod est super sepulcrum d. Yvonis: et statim dictus filius sensit se liberatum de prædicta vexatione, et postea obdormivit: et fuit in villa Trecorensi per novem dies vel circa: postea recessit vivus et incolumis ad domum suam. Yvo, CXX Testis, ipse liberatus, loquens de matre sua et de se, et de tempore, et de aliis, ut in themate est dictum; specificans etiam quod quodam sero, mater ejus ironice prorupit contra eum in hæc verba, Es tu qui diffamasti me? Deinde flexis genibus et extractis mamillis de sinu dixit, Ego do tibi maledictionem meam, et mamillarum istarum quas suxisti, et viscerum meorum quæ te portaverunt: et quidquid juris habeo in te et habere possum; et quidquid peperi de te, totum trado et concedo diabolo. Et quod postquam arripuit eum vexatio prima, vix quatuor homines poterant eum tenere. Deinde existens in lecto, vidit super se de nocte duos dæmones, magnos sicut turres, nigros et D horibiles, habentes formam, facies, et cornua capræ, nitentes eum capere, dicentes, Tu es noster, quia mater tua dedit te nobis. Et tunc apparuit ei S. Yvo sedens super lectum suum, et dixit ei: Non timeas, quia fuisti ad sepulcrum meum, et vocaris nomine meo, et ideo veni ad salvandum te. Nam mater tua non potuit tendere diabolo, quia nihil juris habebat in te plusquam saccus in frumentum quod portatur in eo. Die vero lucescente ductus est ad sepulcrum d. Yvonis, ut habetur in themate. Interrogatus de tempore; dixit, quod anno præterito, die Mercurii post Pentecosten. Et circa finem sui dicti est scriptum: Et nos vidimus eum sanum. Joannes Portevitaille, CCIX Testis, videtur concordare cum liberato: et dixit, quod statim dictus filius cecidit ad terram, ita quod credidit ipsum mortuum. Et dum esset super lecto, cœpit vexari, et clamare, sicut homo qui videbatur memoriam amisisse; dicendo, Latrones, non ibo vobiscum, quia S. Yvo me defendit. Et in crastinum vidit ipse Testis, qui loquitur, quod pater arripuit iter cum filio veniendi ad sepulcrum d. Yvonis, et nihil aliud vidit, donec fuit reversus infra octo vel decem dies, E sanus et incolumis.

Ex MS. Trecor.

ductus ad sepulcrum Sancti,

narrat quomodo invasus fuerit,

et a Sancto per visum venire jussus.

Ibidem curatur furiosa,

128 Quod Margilia, Guillelmi Hirundinis, parochiana de Prato, ætatis XXI annorum et ultra, demens et furiosa per mensem et ultra, quod in matrem et alios irruebat, vestes suas dilaniabat, et multas alias dementias faciebat, sic quod oportebat eam teneri et ligari, propter merita D. Yvonis, sanata fuit et curata, et liberata in ecclesia Trecorensi juxta sepulcrum D. Yvonis, ubi adducta fuerat peregrina pro habenda sanitate: et mater sua ipsam vovit D. Yvoni. Et facto voto statim sanata fuit et curata: et mater sua oblationem unius candelæ ceræ ibidem obtulit pro eadem. Testificatur ipsa liberata, loquens de se.

et Hispanus in nomen Sancti injuriosus

129 Quod Michael de Fontarabie Hispanus, qui spuerat in manus pauperis, eleemosynam postulantis amore Dei et Yvonis prædicti; amens, furiosus, et ad terram cadens, clamans et dicens, quod D. Yvo cum sociis, indutus vestibus albis, verberabant eum; ad invocationem D. Yvonis (cui magister d. Michaelis vovit eumdem, et eum adduxit ad ecclesiam: in qua vigilavit illa nocte juxta sepulcrum D. Yvonis, et in crastino fecit oblationem cereorum D. Yvoni pro eo) recuperavit pristinam sanitatem, et fuit curatus a prædictis dementia et furore. Testificatur Alanus, CXXII Testis, et dixit, F quod viderat d. Hispanum, clamantem et dicentem, quod d. Yvo, cum pluribus aliis indutus vestibus albis, habentibus candelas accensas in manibus, verberabant, et interficiebant eum; et postea vidit eum curatum a dictis amentia et furore: et quod fuit curatus ad invocationem D. Yvonis, cui magister d. hominis vovit eumdem, præsente ipso Teste; cum per d. Testem, et Laurentium, d. homo fuisset adductus ligatus ad d. magistrum et socios.

Alius furiosus

130 Petrus le Prevost de Pleli Macloviensis diœcesis, ætatis XL ann. vel circa, Testis CVI, dixit, per juramentum suum, quod Guillelmus Chauveti, parochianus d. loci, erat adeo amens et furiosus, quod vix eum tenere poterant etiam ligatum quatuor homines bene fortes. Et adductus ex voto, facto Deo et D. Yvoni per matrem et fratres suos, ad ecclesiam Trecorensem, fuit a d. amentia et furore curatus et liberatus, meritis et precibus D. Yvonis. Interrogatus, quomodo scit præmissa; dixit, quod pro eo quia vidit d. Guillelmum amentem et furiosum, ut supra dictum est; et postmodum vidit eum curatum. Et dixit, quod ipse fuit unus de illis, qui adduxerunt d. Guillelmum ad ecclesiam Trecorensem,

EX MS. TRECOR.

a curatus in via

A rensem, ad tumulum D. Yvonis. Interrogatus de tempore, quo fuit dictum miraculum; dixit, quod die Mercurii *a* post festum Apostolorum Petri et Pauli, anno Domini millesimo trecentesimo trigesimo. Interrogatus quibus præsentibus, dixit, quod idem Testis, Stephanus et Petrus Chouveti fratres, et Joannes le Sauver cognatus ipsorum fratrum erant præsentes. Interrogatus de loco; dixit, quod in via quadam, quæ est inter parochiam de Pleli et S. Briocum de vallibus, dum ipsum Guillelmum ad ecclesiam Trecorensem adducebant. Interrogatus, quibus verbis interpositis, mater et fratres prædicti D. Yvonem invocaverunt; dixit, quod vovebant Deo et D. Yvoni, promittentes quod eum adducerent vel adduci facerent ad sepulcrum D. Yvonis si daret ei sanitatem. Interrogatus, si d. Guillelmum antea cognoscebat; dixit, quod sic, a pueritia sua, quia vicinus suus est. Interrogatus, quanto tempore d. Guillelmus fuit infirmus; dixit, quod per quindecim dies vel circa. Interrogatus, cujus ætatis sit d. Guillelmus; dixit, quod quadraginta annorum vel circa. Interrogatus, utrum habuerit alias d. infirmitatem; dixit, quod non. *Huic concordans* Testis CVII Stephanus Chauveti, frater Guillelmi Chauveti, ætatis triginta quinque annorum vel circa; dixit, quod ipse adduxit d. Guillelmum, una cum Petro Præpositi et Petro fratre suo, et Joanne Sauver cognato suo, ligatum, de domo d. Guillelmi usque ad unam leucam, eundo versus Trecoram ad sepulcrum d. Domini Yvonis, cui mater et fratres prædicti d. Guillelmum voverant, propter prædictam infirmitatem. Cum vero essent in quodam loco, distante per unam leucam a domo prædicta ut supra; d. infirmus incepit convalescere et melius habere, in tantum quod prædicti Stephanus et Petrus ipsum, etiam non ligatum, adduxerunt ad d. sepulcrum pacifice et quiete: quem, cum de prædicta domo recessisset, vix quatuor homines etiam ligatum adducere poterant et tenere. Et postquam venissent et orassent ad prædictum sepulcrum, fuit perfecte restitutus pristinæ sanitati. Interrogatus, quibus verbis fuit prædictum votum emissum; dixit, quod mater et fratres prædicti dixerunt, quod eum vovebant Deo et S. Yvoni, promittentes quod eum adducerent vel adduci facerent ad sepulcrum ejus, et ibidem offerrent unam candelam grossitudinis ventris ejus, et aliam grossitudinis capitis ejusdem, si daret ei sanitatem. Item dixit idem Testis, quod prædicta mater et ipse Testis præsens voverant, et ipsum adduxerant ad S. Jagu *b*, et ad S. Leonarium *c*, et ad S. *d* Guillelmum Macloviensis diœcesis; de quibus reversus fuit, infirmus, sicut iverat. Et nos vidimus eumdem Guillelmum personaliter coram nobis curatum, et in brachiis ipsius apparebant vestigia, qualiter fortissime propter d. furorem fuerat alligatus.

attestante ipsi fratre suo — B — *qui illuc adduxerat eum:* — *post votum pro se factum.* — C — *b* — *c d*

131 Testis CVIII Yvo Ridell, civitatis Trecorensis, ætatis quinquaginta annorum vel circa, dixit per juramentum suum, se vidisse quamdam mulierem, vocatam Gloagnen, furiosam, in ecclesia Trecorensi prope tumulum D. Yvonis, et ligatam propter ejus furiam, quæ ad ipsius D. Yvonis invocationem sanitatem recepit. Interrogatus de tempore, mense et die; dixit quod isto tempore æstatis sunt octo anni vel circa, ut credit, quadam die, de qua nec de mense dixit se minime recordari. Interrogatus quibus præsentibus fuit factum d. miraculum, dixit se nescire, quia non fuit in d. miraculo præsens, sed ipsam vidit bene per octo dies sic furiosam, postmodum bene per tres vel quatuor dies sequentes sanam, et a d. infirmitate curatam. Interrogatus ad cujus invocationem fuit d. infirma curata, dixit se firmiter credere quod ad invocationem D. Yvonis. Interrogatus quare sic credit, dixit, quod pro D eo quia vidit quemdam hominem, cujus nomen ignorat, qui d. mulierem infirmam adduxerat et custodiebat, qui ipsam se vovisse dicebat Deo et B. Yvoni, ut sibi daret et restitueret sanitatem. Et dicebat d. Yvo, quod erat ipsa etiam neptis sua, et quod fuerat infirma per tres septimanas et ultra. Interrogatus de quo loco d. mulier erat oriunda, dixit, quod de prope montem Relaxum, ut dici audivit a d. homine qui eam ducebat. Interrogatus cujus ætatis tunc erat d. mulier, dixit se credere quod erat quindecim annorum vel circa, prout per aspectum corporis apparebat.

sanatur mulier furiosa ad tumulum:

122 Quod Hazevisia, filia Hymsiani parochiæ Plebis Petri Corisopitensis diœcesis, demens et furiosa per annum et ultra, adeo quod eam oportebat teneri et ligari; mater ejus invocavit D. Yvonem, et vovit eam sibi de una candela cerea, de longitudine et grossitudine dictæ filiæ, reddenda sibi annuatim dum viveret, ut ei daret sanitatem: statim sanata fuit et curata. Testificatur ipsa liberata, loquens de se de infirmitate et liberatione, et voto E matris, per sui præsentiam, visum et auditum. Et in fine dicti sui scribitur. Et nos vidimus eam sanam, ut apparebat, et sensatam.

item puella,

133 Quod Gleoguena, soror Yvonis de Trevol, Leonensis diœcesis, furibunda per quinque septimanas, quæ nitebatur manus suas, et brachia et alios ad se accedentes mordere, et oportebat eam ligari pedibus et manibus, per d. Dominum *e* Guillelmum tunc Episcopum Leonensem, et Danielem Brien avunculum d. mulieris, et Yvonem prædictum; *f* avotita et reddita d. Yvoni, et exinde per Danielem et Yvonem eosdem adducta ad sepulcrum d. Yvonis; fuit ibidem per quatuor dies sic furibunda. Et tandem ceciderunt ligamina de manibus et brachiis ipsius, et pedibus ligatis traxit se et intravit sepulcrum: et cum stetisset per modicum tempus, exivit: et ceciderunt ligamina tibiarum; et ex illa hora fuit sanata, et sensus fuit sibi restitutus. Testificatur Yvo Natalis, ex Testis prædictus, frater d. liberatæ, loquens de sorore sua furiosa prædicta, et quod multoties momordit eum in manibus et pluribus aliis locis corporis sui, et levavit unam morsellam de latere suo sinistro: et quod d. Episcopus dixit ipsi Testi et aliis, ut voverent ipsam d. Yvoni, et adducerent ad sepulcrum ejus. Et idem Testis et d. Daniel voverunt et adduxerunt eam, et fuit liberata, ut in themate continetur. F

et alia mulier. — *e* — *f*

ANNOTATA.

a *Anno* 1330 *litt. Dom.* G *dies Mercurii post* 30 *Junii, fuit* 4 *Julii.*

b S. Jagu *in Vita per Mauritium num.* 135 Jagutus, *alias etiam* S. Jagon *seu* Jegon *Vitam habere dicitur in nova ac tertia editione libri de Sanctis Britanniæ, quam editionem nondum vidimus.*

c S. Leonarius, *communius* S. Leonardus, *colitur in vicina Britanniæ Aquitania, captivorum liberatione imprimis celebris,* 6 *Novembris.*

d S. Guillelmus Firmatus, *colitur in similiter vicina Normannia* 24 *Aprilis, ubi Vitam dedimus: credimus autem eumdem esse, qui hic dicitur in Macloviensi diœcesi etiam habere ecclesiam.*

e Guillelmus *Episcopus Leonensis, Alberto* de Kersazon *cognominatus, dicitur hic scribi de* Villa-sazon; *nostrum ecgraphum corruptius* de Valde-saure, *ordinatus* 1292, *obiit* 1327, 15 *Junii, juxta Albertum prædictum.*

f Avotire, *pro* Devovere, *novum nobis est et peregrinum.*

CAPUT

A

CAPUT XVII.

Aliæ infirmitates curatæ, recuperatæ res amissæ, ope S. Yvonis.

Sanantur Hydropica

Quod cum Heliendis, uxor Anvirois civis Trecorensis, ætatis XL annorum vel circa, esset hydropica tribus annis vel circa, ita quod d. mulieris cutis crepuerat; fuit ad invocationem d. Yvonis curata hoc modo. Quia cum stetisset per spatium XV dierum vel circa juxta tumulum d. Yvonis vigilando et orando; maritus ejus, non sperans de curatione, ad domum fecit eam reduci. Et postea eidem mulieri fuit in somnis dictum, et revelatum per d. Yvonem; quod rediret ad ecclesiam, et faceret unum cereum ponendum et comburendum super tumulum d. Yvonis, et sic reciperet sanitatem. Et in crastinum d. mulier ad ecclesiam Trecorensem apportari se fecit : et ibidem facto miraculose quodam foramine, ad modum cuspidis acus, circa umbilicum, humores in modum aquæ exierunt, et copiosissime distillaverunt : et sic curata fuit mulier prædicta.

iterato adducta,

B Testificatur Laurentius, Testis CXXIII. per visum pluries de infirmitate d. vicinæ suæ, et postea vidit eam pluries per dictos XV dies in ecclesia Trecorensi adhuc infirmam. et postmodum a prædicta infirmitate curatam : et de apparitione et revelatione d. Yvonis, et de foramine, per auditum ab ea. Et dixit, se foramen et stillationem et madefactionem vidisse in ecclesia et loco prædictis : et vidit postea eam sanam fere per annum : et quod d. mulier habuit unum filium, post d. curationem conceptum.

item paralytica

135 Quod Helena, relicta Hyraes civitatis Trecorensis, per annum et amplius paralytica, et in latere habens foramen magnum, per quod viscera apparebant; sanata fuit curata, per merita et ad invocationem d. Yvonis. Testificantur, CCII Testis, Theophania. per visum multoties de infirmitate : et quod dum pateretur mandavit per ipsam Testem multis aliis, quibus dixit, quod d. Yvo ipsam visitaverat, et sibi dixerat quod sepulcrum ejus visitaret, et ibi reciperet sanitatem. Et fecit se duci per ipsam Testem et alios ad sepulcrum d. Yvonis, et ibidem se vovit eidem, et invocavit pro habenda sanitate : et sanata fuit et curata. Et ipsam postmodum vidit multoties omnino sanam, et hoc fuit juxta sepulcrum d. Yvonis. Blezuona videtur concordare cum d. Theophania, de infirmitate et liberatione.

Post morsum venenosi vermis fœde inflata,

C 136 Testis CXXVI, Adelicia, filia Billon parochiæ de Plœsat Trecorensis diœcesis, ætatis triginta annorum vel circa, dixit per juramentum suum, quod quidam vermis venenosus quadam nocte ipsam in gutture inter maxillam et collum momordit; et adeo graviter, quod fuit a vertice capitis usque ad umbilicum tam periculose inflata, infecta et infirma, quod ex tunc per octo dies vel circa totaliter amisit appetitum comedendi et bibendi, et timeret et crederet verisimiliter ex hoc mori. Propter quod se vovit D. Yvoni, dicens hæc verba vel similia, Domine Sancte Yvo, me vobis voveo, et rogo vos ut ab ista infirmitate et periculo in quibus sum velitis me liberare ; et ego visitabo sepulcrum vestrum, et oblationem meam vobis faciam Quo voto facto, et indicato Yvoni Alani, maritus Catharinæ Hælorii, sororis d. Domini Yvonis, cujus domum dicta Adelicia adiverat; dixit, eidem Catharinæ uxori suæ, quod capucium d. D. Yvonis, quod domi penes se habebat, apportaret, et poneret super caput d. Adeliciæ sic infirmæ. Quod quidem capucium d. Catharina apportavit, et posuit super dictam infirmam : quæ statim sensit se alleviatam ; et in crastino in aurora curata fuit totaliter et sanata. Interrogata

sanatur tacto Yvonis capucio :

D de tempore, mense et die; dixit, quod in mense Augusti, sicut credit : de anno et die, non recordatur. Interrogata, quanto tempore fuit sic infirma ; dixit, quod per octo dies vel circa. Interrogata, qui viderant eam infirmam ; dixit, quod Yvo Alani prædictus, et Catharina ejus uxor, et Robertus Brierry, et plures alii. Interrogata, quomodo scit quod per morsum d. vermis fuit sic inflata et infirma; dixit, quod antequam inveniret d. vermem, pungentem et mordentem guttur suum (quem manu sua accepit tremebunda et a se longe projecit) sana erat. Cujus autem generis vel coloris erat d. vermis, dixit se nescire, quia ipsum videre non potuit, quia de nocte contigit istud factum. Interrogata, si postmodum fuit infirma ; dixit, quod non. Et nos vidimus eam sanam. *Similiter* Testis CXXVII, Catharina Hælorii, soror bonæ memoriæ d. D. Yvonis Hælorii, parochianæ de Hengoat Trecorensis diœcesis, ætatis octuaginta annorum, dixit per juramentum suum, quod quadam die venit ad domum suam apud Hengoat Adelicia, filia Billon parochiana de Plœsat, horribilem et periculosam habens inflationem in pectore, capite et in collo, in tantum quod præ dolore vix aspirare poterat sive loqui. Quam videns d. Catharina, sic inflatam et afflictam, motu pietatis et ad suggestionem multorum adstantium, de quorum nominibus minime recordatur, apportavit et posuit super illam capucium d. D. Yvonis, quod penes se domi pro reliquiis conservabat, ac nunc conservat diligenter ac etiam reverenter. Et tunc statim d. Adelicia incepit dicere ista verba vel consilia, S. Yvo vobis gratias ago, quia dolor infirmitatis meæ incepit jam transire. Et credit firmiter, quod ad invocationem D. Yvonis sanata fuit, quia tactu seu appositione capucii prædicti, multi de diversis infirmitatibus plenam consecuti fuerunt sanitatem.

Ex Ms. Trecor

cui attestatur soror ipsius Sancti

E

137 Quod quidam homo, peregrinus venit ad sepulcrum d. Yvonis, pro habenda sanitate, ut dicebat, de infirmitate, quam patiebatur et habebat in testiculis *a* sive pelle eorum, quæ erat grossa et inflata ad quantitatem capitis hominis. Invocavit d. Yvonem, et se reddidit et vovit eidem, ut ab eo vitium illud expelleret : et factis voto et invocatione hujusmodi etiam in d. pelle testiculorum et inflatura apparuit foramen sive apertura : et per inde emanavit et cecidit unus lapis ad modum et quantitatem ovi anseris, cum aliquali quantitate humorum : et de passione, dolore ac infirmitate, quas patiebatur, fuit sanatus et curatus. Ollivarius Lamine Testis CCIX, per sui præsentiam in omnibus, vidit eum sic infirmum per XV dies et ultra, in civitate et ecclesia Trecorensi. Harvæus Testis CC, videtur in omnibus concordare cum prædictis per visum, auditum, et sui præsentiam.

Calculum in scroto ferens liberatur : a

F

138 Quod cum Ollivarius le Mazcon, parochiæ de Ploevelenec diœcesis Briocensis, iret per *b* carreriam; intravit inter pedem et tibiam suam dextram juxta cavillam *c* culpis frusti *d* fuselli, et fracto fusello remansit frustum ibi ad digiti longitudinem inclusum, ita quod non posset haberi sive incisione : et sic fuit per tres septimanas vel circa quod ire non poterat, et dolorem maximum sentiebat. Deinde vovit se d. Yvoni et promisit quod si curaretur, redderet ei quolibet anno quatuor denarios, et jejunaret die Veneris toto tempore vitæ suæ : et statim exivit frustum prædictum dicti fusi, et cessavit dolor. Testificantur ipse liberatus, Testis CXLIII, loquens de se : et Alienor, Testis CXLIV, uxor d. liberari ; et addit, quod non sperabatur de ejus curatione, et quod dictum frustum fuselli absque impedimento exivit.

b c d sanatur tibia læsa :

139 Quod Guidomarus, filius Loeder, parochianus de Lanna, diœcesis Dolensis, graviter passus per tempus

A tempus xxv annorum vel circa in maxilla dextra, adeo quod maxillam et tautam multum habebat inflatas, et interdum comedere non poterat nec potare; vovit se d. Yvoni, et eum invocavit; ut, si haberet potestatem cum Deo ligandi vel solvendi, eum liberaret: quia bene credebat quod poterat impetrare: et promisit unum denarium annuatim. Et tunc statim lapis, qui erat in *e* tauta et maxilla, exivit in ore dicti Guidomari: quem idem sentiens extraxit, et omnino dolor cessavit, et plene sanatus fuit et curatus: et erat ille lapis ad quantitatem primæ unciæ *f* pollicis, et ad similitudinem ossis pruni. Testificatur ipse liberatus, CLXXXVIII Testis, loquens de se.

Ex MS. Tre. Or. Item maxilla inflata,

140 Quod cum Fr. Andreas, Abbas B. Mariæ Belliportus *g* Briocensis diœcesis, esset in febre continua per XIV septimanas, et recidivasset, ac magis sperabatur de morte quam de vita; vovit se d. Yvoni, ut oraret Deum pro eo, quod daret ei sanitatem: et postmodum audivit vocem dicentem sibi, Tu puer mi, tene hoc: et quando ego reveniam, ego amovebo a te. Et statim fecit singultum per duos dies: et post statim fuit curatus. Testificatur ipse liberatus, CCIV Testis.

et febris continua.

B 141 Quod cum Symon, Clericus Jacobi Rectoris Ecclesiæ de Mosques Nannetensis diœcesis, esset per octo dies vel circa gravi infirmitate infirmus, habuit devotionem ad d. Yvonem, et se vovit eidem, et eum invocavit pro habenda sanitate; et sic infirmus fecit se portari coram imagine ipsius Yvonis, quam idem Jacobus fecerat in ecclesia Alneti ejusdem diœcesis cujus erat tunc Rector. Et cum per spatium quo posset dici Miserere mei, stetisset ibidem; revenit plene sanus et curatus, dicens quod S. Yvo euntem curaverat: et comedit et bibit cum eodem Rectore curatus et sanus. Et cum Guillelmus, Clericus ejusdem Jacobi, propter gravem infirmitatem, quam longo tempore habuerat, loquelam amisisset; se vovit et invocavit d. Yvonem pro sanitate habenda; et fecit se portari coram imagine supra dicta, et ibidem stetit per spatium eundi sextam partem leucæ, et post revenit sanus et curatus. Testificatur Jacobus, Testis CCVII, Rector prædictus, asserens prædicta de Symone Clerico suo prædicto: et interrogatus de infirmitate, credit de febre continua: et d. Guilielmus de infirmitate.

Item graviter infirmus, alius mutus,

142 Quod cum Juzeta, mater Roberti, esset adeo infirma per XV dies et ultra, quod non sperabatur de vita, mater d. Juzetæ eam d. Yvoni vovit de XII C denariis annuatim, quamdiu viveret. Et post modicum tempus statim in sero sudavit, et plene fuit sanata. Testificatur Robertus, CCXXV Testis, filius d. Juzetæ, asserens de dicta infirmitate, ut credit, febre continua.

et mulier ægrota.

143 Elezvenna Goasqueder, civitatis Trecorensis, Testis CXXX, ætatis XL annorum et ultra, dixit per juramentum suum, quod dum quadam nocte esset absens a domo sua, quam habitabat Trecoris; fures intrarunt domum suam, et omnia bona quæ in domo erant secum portaverunt; demum in crastinum rediens, et inveniens bona sua sic perdita, dolens et gemens et quam plurimum flens, accessit ad tumulum d. D. Yvonis in ecclesia Trecorensi, et oravit eumdem pro recuperatione bonorum suorum perditorum; vovens et promittens eidem decem solidos semel, et singulis annis ad vitam duodecim denarios, si contigeret ipsam prædicta bona recuperare. Quo voto facto, fuit sibi in mente seu animo (ut credit) divinitus inspiratum, quod in civitate Trecorensi in domo relictæ Galocoysin, et in domo Brientii Judicelli Bozec prope fontem S. Tugdoali, et in domo Yvonis Pontene de Langazou juxta d. capellam sancti Queizou diœcesis Trecorensis, bona hujusmodi inveniret. Quæ mulier statim adiens servientes Episcopi Trecorensis, et Domini Henrici de Tuonguindi, et Mauritii de Plebe-Crucis, in quorum dominio seu territorio prædicta bona consistebant; per dictos servientes dictas domos fecit quæri diligenter: et in domibus relictæ Galo et Brientii Judicelli tres partes bonorum prædictorum d. mulieris fuerunt inventæ, et demum per judicium dictorum bonorum restitutæ eidem: cum quarta vero parte bonorum prædictorum, quidam illorum furum, scilicet Yvo Ponteur, latenter fugit et recessit versus Rocham Deriani, distantem a civitate Trecorensi per unam leucam. Et cum esset in quodam loco vocato parcus Herverii, filii Herverii Bozec, fuit totaliter excæcatus. Et tunc uxor dicti furis misit Yvonem Lalœper Trecorensem fratrem suum, nunc monachum de Pulcro portu Dolensis diœcesis, dicens eidem fratri suo, quod iret ad d. maritum suum, quem inveniret in loco superius nominato volentem exire patriam. Et tunc d. monachus ivit ad d. locum, et invenit illum hominem sicut mulier ei prædixerat. Qui d. homo dixit præd. monacho, quod (ut credebat) cæcus erat, propter quasdam res quas subtraxerat de domo Blezuennæ; rogans ut iret ad d. Blezuennam, et diceret ei, quod veniret ad d. locum, res suas inibi receptura. Et postmodum d. monachus venit ad d. Blezuennam, et dixit ei quod iret ad d. locum die prædicto: et quod in loco, in quo inveniret miricas nodatas, res suas prædictas reperiret. Quod et d. Blezuenna fecit: et sicut ei dixerat præd. monachus, advenit. Interrogata, de tempore quo prædicta fuerunt; dixit, quod decem et octo *h* anni sunt vel circa, ut credit, in mense Martii, prima die lunæ mensis prædicti; præsentibus in dicto voto et in recuperatione præmissorum Prigentio Cozic, serviente Domini Gaufridi Torneminæ tunc temporis Episcopi Trecorensis, Bertou Urnosi, Præpositi ejusdem Episcopi defuncti; et Huro filio Guidonis, tunc serviente d. Domini Episcopi; et pluribus aliis, de quorum nominibus non recordatur. Interrogata, quot diebus præmissa bona sic perdita fuerunt, dixit, quod tres partes prædictorum bonorum recuperavit eadem die lunæ, qua votum emisit: prædictam vero partem residuam infra diem Dominicam subsequentem. Interrogata, si habebat aliquam suspicionem contra dictos fures ante votum emissum; dixit, quod non.

Matrona domum suam spoliatam inveniens, voto facto monetur interim ubi potior pars lateat, eaque reperta etiam reliquam recipit:

144 Yvo Ponteur civitatis Trecorensis, Testis CXXXI, ætatis sexaginta annorum, diligenter examinatus super d. miraculo, per d. Blezuennam superius exposito et narrato, dixit per juramentum suum, quod bona perdita, de domo ipsius Blezuennæ, cum quibusdam aliis quadam nocte, de qua non recordatur propter ebrietatem, inductus furtive substraxit; et quod in d. loco de Parco, ad quem fugerat, cum parte dictorum bonorum sibi per suos socios assignata, fuit excæcatus; et voto emisso per eum d. D. Yvoni dixit, quod bona prædicta restitueret, et duos solidos annuatim d. D. Yvoni daret, si sibi redderet visum suum: et visum recuperavit: et bona prædicta, quæ habebat restituit per d. monachum, modo superius exposito. De restitutione aliorum bonorum, quæ socii sui habuerunt, se nihil scire asseruit; nisi quod audivit dici, quod fuerunt d. Blezuennæ plenarie restituta, et firmiter ita credit, propter ea quæ contigerunt in personam ipsius superius expressata. Interrogatus de anno; dixit, quod decem et octo anni sunt vel circa, ut credit. Interrogatus de mense; dixit, quod in Martio: de die vero non recordatur, ut dixit. Interrogatus quibus præsentibus votum emisit; dixit, se in emissione voti hujusmodi solum fuisse. Interrogatus, qui viderunt eum excæcatum; dixit quod Morvanus Vicecomitis de S. Cazou parochiæ Trecorensis, et plures alii de quorum nominibus non recordatur, ut dixit.

fure qui eam auferebat cæcitate percusso, usque dum ea facit restitui.

Interrogatus

A Interrogatus, quanto tempore sic remansit cæcus; dixit, quod ab hora nona usque ad Vesperas diei immediate sequentis. Interrogatus, in quo loco visum recepit; dixit, quod in villa Conam parochiæ Trecorensis, distante a prædicto Parco, ubi fuit excæcatus, per duos tractus balistæ: ad quam villam fuit adductus per quemdam puerum, de cujus nomine non recordatur. Morvanus Vice-comitis, parochiæ Trecorensis, Testis CXXXII, ætatis sexaginta annorum vel circa, interrogatus, si audivit fieri votum a Blezuenna emissum; dixit, quod non; sed audivit prædictam Blezuennam, in dicto Parco existentem, dicentem hæc verba vel similia; Domine Sancte Yvo, vobis reddo grates, quia per vos bona mea inveni. Interrogatus, si et quanto tempore vidit ipsum illuminatum: dixit, quod ipse vidit eum cæcum per unam noctem et diem, et postea et nunc videntem. Interrogatus quibus præsentibus vidit eum cæcum: dixit, præsentibus Conano Davidis de Langazou vicino d. Yvonis parochiæ Trecorensis, et pluribus aliis de quorum nominibus non recordatur. Interrogatus de loco quo vidit eum illuminatum post diem et noctem prædictos. dixit quod in domo d. Yvonis.
B Interrogatus si eum ante cognoscebat, dixit quod sic per plures annos.

Eidem mulieri ablatus scyphus,

147 Yvo Agordone parochiæ Trecorensis, Testis CXXXIII, ætatis quinquaginta annorum, dixit, quod cum Blezuenna Guasquider civitatis Trecorensis quemdam scyphum argenteum perdidisset, D. Yvoni vovit, et promisit ac solvit quemdam scyphum cereum, ad finem quod prædictum scyphum recuperare valeret. Quo facto contigit, post sex annos vel circa, domum Gaufridi Guasqueider, prope civitatem Trecorensem sitam; cum omnibus bonis quæ ibi erant, comburi excepto prædicto scypho argenteo: qui licet in flamma ignis diu perstitisset, incombustus tamen et illæsus remansit: et postea idem scyphus fuit eidem Blezuennæ restitutus Interrogatus, quomodo scit præmissa; dixit, quod vidit domum comburi, et d. scyphum in flamma ignis existentem, per tantum spatium quod remitti vel resolvi debuisset omnino, nisi miraculose ab ejusmodi resolutione fuisset reservatus. Interrogatus, de tempore; dixit, quod sex anni sunt vel circa. Interrogatus de mense et die; dixit, quod in principio mensis Maji, quadam die Veneris, hora prima vel circa. Interrogatus, quibus præsentibus; dixit, quod Scolan furnerio Trecorensis civitatis, Theobaldo filio Presbyteri Novi,
C Yvone de villa Onsy, Gullielmo de villa Guilli, Yvone Abranthahe, et pluribus aliis. Interrogatus, in quo loco seu qua parte domus dictus scyphus erat in flamma: dixit, quod in medio domus. Interrogatus, ad cujus invocationem d. scyphus fuit ab hujusmodi incendio liberatus; dixit, quod ad invocationem D. Yvonis, ut firmiter credit, cui præfata mulier dictum scyphum voverat, ut supra dixit. Interrogatus, quomodo scit d. mulierem d. votum et quibus verbis emisisse; dixit, quod quia audivit ipsam mulierum, pluries dicentem hæc verba vel similia; Sancte Yvo, vobis voveo scyphum meum, et spero firmiter quod vos reddetis eum mihi. Interrogatus, quomodo scit d. mulierem d. scyphum cereum d. Domino Yvoni vovisse et solvisse; dixit, quod pro eo quia audivit, ut supra; et quia vidit in ecclesia Trecorensi quemdam scyphum cereum pendentem, super et juxta sepulcrum d. Domini Yvonis: et communiter dicebatur, quod ille scyphus erat, ille quem dicta mulier posuerat vel fecerat ibi poni. Interrogatus, qualiter scit d. mulierem d. scyphum argenteum perdidisse; dixit, quod pro eo quia audivit Sacerdotem in ecclesia Trecorensi pluries dicentem, et monentem palam et publice sub pœna excommunicationis, quod quicumque scyphum hujusmodi per d. mulierem perdi-

ardente post sexennium domo ubi erat, reperitur,

tum invenisset vel sciret, ipsum redderet vel revelaret eidem; et pro eo quia audivit dictum scyphum quæri per domos civitatis Trecorensis a servientibus Episcopi Trecorensis, ad instantiam mulieris prædictæ. Interrogatus, quomodo scit d. scyphum esse eumdem, quem d. mulier perdiderat: dixit, quod pro eo quia ipsum pluries viderat in domo prædictæ mulieris, et biberat cum eodem antequam ipsum perdidisset. Interrogatus, quomodo scit quod d. mulier d. scyphum recuperaverat; dixit, pro eo quod, post d. incendium et alia prædicta, vidit pluries d. schyphum in domo mulieris præfatæ: et ipsa mulier pluries hoc postea sibi dixit. Blezuenna, Testis CXXXIV, proxime nominata, diligenter examinata super præd. miraculo scyphi, ab incendio liberati seu reservati; dixit, quod duodecim anni fuerunt in festo B. Nicolai Maji *k* proxime præterito, quod ipsa quæ loquitur perdidit quemdam scyphum argenteum, planum, ponderis unius marchæ et dimidiæ Trecoris, in medio cujus erat laqueus *l* Gildasii vario modo pertractus, quem in crastino vovit D. Yvoni per hæc verba vel similia; Domine Sancte Yvo Hælorii, vobis voveo scyphum meum quem perdidi, rogans vos E
ut sic mihi custodiatis eumdem, quod per aliquem non possit vendi seu alienari; et ego promitto vobis unum scyphum cereum, et duodecim denarios semel solvendos, si dictum scyphum me recuperare contingat. Et quemdam scyphum cereum in crastinum d. voti poni fecit in ecclesia Trecorensi, supra et juxta sepulcrum D. Yvonis. Demum contigit sex annis revolutis, eadem die in qua scyphum perdiderat, domum Gaufridi Guasqueder igne comburi, cum omnibus contentis in ea, excepto d. scypho argenti, qui post combustionem prædictorum eidem mulieri restitutus extitit, omnino illæsus et nullatenus immutatus per Yvonem de Villa-Onsy, Nobilem: qui dixit eidem mulieri, ut ipsa asseruit, quod præd. scyphum habuerat a d. Scolano. Et Yvone filio Presbyteri Novi, qui ipsum invenerat in domo prædicta combusta.

D EX MS. TRECOR.

propter votum ejus causa factum.

k

l

148 Quod Stephanus dictus Lyrois, nauta civitatis Trecorensis, crochetum *m* ligneum, quod perdidit in Sequana prope Rothomagum, quasi per unam leucam, postea tertia die invenit ad invocationem d. Yvonis in portu de Maligneaux Rothomagensis diœcesis, ante navem, ubi venerat contra communem cursum aquæ. Testificatur Stephanus prædictus, CXL Testis, asserens quod si inveniret, F
promisit unam candelam ceream longitudinis dicti crocheti.

m

recuperatur contus amissus in fluvio.

149 Quod cum quædam domus, quæ non distabat a domo Ollivarii Deriani nisi per duos passus, igne maximo combureretur, et tunc flabat magnus ventus, quod domus d. Ollivarii cooperiebatur flamma incendii supradicti per spatium dimidiæ leucæ. Et tunc d. Derianus, pater ipsius, d. domum, flamma incendii coopertam, vovit d. Yvoni, ipsum invocando; et promisit reddere octo denarios quolibet anno toto tempore vitæ suæ. Et statim ventus a contrario versus perflare cœpit, ita quod d. domus libera fuit. Et flamma versa est ad aliam partem. Testificatur Ollivarius, LXXXIV Testis, per visum et sui præsentiam in omnibus.

servantur domus ab incendio,

150 Quod quidam mercator de Hispania, XV libras Turonenses trunco d. Yvonis in ecclesia Trecorensi obtulit, quas sibi promiserat, ut dicebat, pro valore vini unius dolii in periculo submergendi, una cum vinis suis in mari constitutis: a quo periculo ad invocationem ipsius Yvonis fuerat, ut dixit, liberatus. Testificatur Alanus, CXLV Testis, qui vidit dictum mercatorem, dictas XV libras offerentem.

navis a submersione,

151 Quod cum roncinus *n* Yvonis Lœgier, de *n*

A Plebe plœsunet Trecorensis diœcesis, cecidisset in fluvio vocato Lya, ligatis duobus pedibus primis; et stetisset ab hora nonæ usque ad solis occasum subtus aquam, et quod nihil de eo apparebat: Adelicia uxor d. Yvonis, dubitans de marito suo, qui sibi durus erat et crudelis; vovit dictum Roncinum d. Yvoni, et promisit solvere candelam de longitudine ipsius. Factaque invocatione et voto hujusmodi, aures equi apparuerunt super aquam, et exivit ad terram per seipsum. Testificatur Adelicia prædicta, CCXVII Testis, quæ dictum Roncinum duxerat ad molendinum cum blado.

Ex MS Trecor. item equus ligatis pedibus lapsus in flumen,

152 Quod cum esset magna mortalitas animalium, et animalia Agathæ matris Adeliciæ de parochia Plebis-Novæ indistincte morerentur; ipsa Agatha animalia sua vovit d. Yvoni; vitulum unius mensis, qui matrem non haberet, et ex tunc vixit sine lacte, promittens sibi dare. Et tunc cessavit prædicta mortalitas: et postmodum ipsa Agatha d. vitulum, ætatis quatuor annorum vel circa, tradidit et dimisit ad sepulcrum d. Yvonis. Testificatur Adelicia prædicta. *Denique proferuntur testimonia Commissariorum Apostolicorum, et Vicariorum Trecorensium de multitudine et qualitate anathematum, frequentia peregrinorum ad sepulcrum, et fama miraculorum late vulgata; pro qua etiam ita Summarium miraculorum finitur, incertum quando scriptum aut cui oblatum.*

et animalia a peste

B

ANNOTATA.

a Scrotum *magis proprie appellasset.*

b Carreria, *via curralis : Francis* Carriere.

c Cavilla *pedi, Latinius* Clavicula *dicitur.*

d Fusellus, *diminutivum a* Fusus, *lignum teres ac parvum.* Frustrum *autem pro* Frusto *invenias a multis seculo* 14 *scribi.*

e *Ambigua ecgraphi nostri scriptio,* Tauta *an* Tanta *legendum sit, non distinguit : nec alibi vocem hanc pro maxilla inveni usurpatam.*

f Uncia pollicis, *id est,* Articulus pollicis: *alias usitatum inter mensuraria vocabula verbum est,* Uncia, *quæ et* Pollex *dicitur, pars pedis geometrici duodecima.*

g Bellus-portus, *Ordinis Præmonstratensis Abbatia.*

h *Anno* 1312, *littera Dominicali* A, *prima dies lunæ mensis Martii fuit dies* 6.

C i S. Cazou, *quis sit, et quando colatur, libenter discam ; et Acta, si qua extant, accipiam : interrogatus de eo P. Champion nihil scire respondit.*

k *Hæc est Translatio ex Lycia Barium in Italia, notaturque in Martyrologiis* 9 *Maji.*

l *De* S. Gilda, *apud Armoricos notissimo, egimus* 27 *Januarii; sed nihil ibi notavimus, ratione cujus figuræ ejusmodi spirales (quales forsan etiam sunt qui a Belgis vocantur* Minne-stricken *seu* Laquei-amoris, *ex arte et eleganter duplici plexu ductæ) vocentur* Laquei Gildasii *: nec modo interrogatus P. Champion aliique rerum Britannicarum periti quidquam potuerunt de eo docere.*

m Croc *Uncus est Francis, unde diminutivum* Crochet *: plus tamen aliquid et cujus non ita facile reparabile damnum esset, quam vilem ex ligno hamum seu harpagonem, videtur ea vox nautis Britonibus indicare.*

n Roncinus *seu* Runcinus, *Gallis* Roucin, *equus gregarius et communis, fortassis diminutivum a Teutonico* Ruyn, *quod cantherium seu equum castratum significat.*

APPENDIX

De Canonizatione S. Yvonis, corporis elevatione, translationibus, cultu.

Laurentius Surius, inter Vitas Sanctorum, etiam proponens Vitam S. Yvonis, *elegantiori phrasi a se exornatam, de suo addit atque concludit :* Clemens ejus nominis VI Romanus Pontifex, eo tempore quo Clemens V et Benedictus XII Romanæ Ecclesiæ præerant, sæpe diligentem navavit operam, ut B. Yvo in Sanctorum numerum referretur. Et iter agenti apparuit vir sanctus, scipionem manu tenens; jussitque ut susceptum illud negotium accuraret, et ad effectum perduceret. Itaque admodum solenni ritu postea accessit ad adscribendum illius nomen Catalogo Sanctorum; eumque pro Sancto habendum pronuntians, solenniter, ut vocant, canonizavit, anno Salvatoris Christi MCCCXLVII die XIX mensis Maji. Gravi tum morbo affectus erat nepos ejus Pontificis, idemque Archiepiscopus Narbonensis, spemque vitæ ejus medici et periti homines abjecerant : sed cum illius amici, Dei et B. Yvonis opem implorassent, certumque votum B. Yvoni nuncupassent, statim illi instaurata salus est. *Quæ omnia Andreas Saussayus, in Martyrologio Gallicano, post longum de vita elogium ad* XIX *Maji, transcripsit. Habemus membraneum Codicem grandi et eleganti charactere pro usu seculi* XV *descriptum, et compendiariis notis longe pluribus, quam quibus anteriora secula assueverant, intricatum; continentem Acta pro Canonizatione, ornatiorem et prolixiorem Vitam seculo eodem* XV *ex Processibus collectam, et Officium totum proprium ad usum Trecorensis Ecclesiæ compositum : qui liber nobis venit anno* MDCXLIV *dono R. P. Jacobi Dinet, tunc Franciæ Provincialis. Prima pars dividitur in undecim Collationes sive Sermones, tum ab ipso Pontifice, tum ab aliis Prælatis super eo negotio consultis pronuntiatos ante solennem sententiam : quos omnes huc transcribere operæ pretium non putamus, cum sint communibus locis prolixe extenti. Singulorum tamen Themata placet exhibere.*

D *Ad Canonizationem 1347 celebratam*

E *factæ Collationes XI habentur MSS*

154 Collatio I facta per D. Clementem Papam VI, XVIII die Maji, Pontificatus sui anno V, in recitatione Processus D. Yvonis Hælori, quondam Presbyteri diœcesis Trecorensis, *sic incipit.* Heloy, Heloy. Marci XV. Quia Heloy interpretatur Deus meus, quia etiam noster Yvo de cujus Canonizatione petere voluimus consilium et habere. Cognominatur ex genere Heloy. Et ad veritatem bene fuit Heloy, non solum quoad perentelam et cognominationem; sed quoad gratiam et participationem. Illos enim dicitis Deos, ad quos Dei sermo factus est, Joan. X, et in Psalmo, Ego dixi Dii estis et filii Excelsi omnes. Merito, sive accipiamus Heloy per essentiam, sive Heloy per parentelam, sive Heloy per gratiam, possum hodie clamare et dicere verba Thematis præassumpti. Heloy. Et videtur mihi quod secundum istam triplicem acceptionem Heloy, possum tripliciter introducere thema meum. Primo quidem, accipiendo Heloy per essentiam, clamo Heloy, Heloy, ad divini auxilii supplicem implorationem. Secundo, accipiendo Heloy per cognationem et parentelam, ac pro sapientia clamo, Heloy, Heloy, per populi Britannici, imo totius Regni Franciæ concordem et frequentem supplicationem. Tertio, accipiendo Heloy per participationem et gratiam, clamo Heloy, per ipsius admirandi et præcelsi meriti consideratio nem et fidelem recitationem.

Prima ipsius Papæ rem proponit

F *dividitur trifariam*

155 *Hoc stylo primam partem deducens Pontifex; indeque transiens ad secundam, prosequitur studia Britanniæ pro obtinenda canonizatione prædicta, apud Prædecessores suos Pontifices,* Clementem V *et* Joannem XXII; *ea allegans quæ in litteris Commissariorum Apostolicorum supra relatis continentur, de plusquam quingentis personis, super fama sanctitatis insimul attestantibus. Addit postea, quod* non solum ista testimonia receperint de fama, nec solum etiam testimonia ducentorum quadraginta novem Testium, quos

Causa relata Joanni XXII,

quos sigillatim et ad partem examinaverunt; sed etiam ipsi oculis conspexerunt, *sicut ibidem narrant.* Inquisitione autem facta, *inquit*, tam super fama quam super veritate, de qua statim videbitur in tertio membro, Lemovicensis Episcopus d. Joanni prædecessori reportavit. Qui receptionem ipsius commisit D. Benedicto prædecessori nostro, tunc Tit. S. Priscæ Presbytero, et Joanni Episcopo Portuensi, et Lucæ S. Mariæ in Via-lata Diacono Cardinalibus, qui audierunt d. Episcopi relationem, et sigillorum probaverunt verificationem, et postea retulerunt. More solito rubricæ factæ sunt, et libri secundum numerum Cardinalium multiplicati, et traditi singuli singulis. Postea multis supervenientibus negotiis, usque ad nostra tempora requievit (causa :) sed tunc fortiter excitati cœperunt clamare votis communibus et Prælatorum et Principum, tam in Consistorio quam in Camera, Heloy, Heloy, et ad notitatem addebant verba referendo ad me, Lammasabactani, quod interpretatur, Ut quid dereliquisti me? Et in tantum clamaverunt, quod Dux Britanniæ, qui *a* nunc est, ad nos propter hoc in propria persona venit, et in sui præsentia negotium etiam proponi fecit in Consistorio, et ipsemet ibidem duo miracula retulit.

defertur a Clemente Duce Britanniæ

156 Unum de seipso, quomodo cum fuisset gravissime infirmus, et de ejus convalescentia medici desperarent, D. Yvoni se devovit: et non solum sanitatem recepit; sed ita ad pristinam fortitudinem est reductus, quod secunda vel tertia die suis pedibus ad sepulcrum D. Yvonis pervenit. Secundum fuit, quod cum esset ibi quædam navis, in qua erant *b* foraturæ multæ de variis, periclitata fuit, et sub aqua fere per tres dies stetit; mercatores autem ipsam devoverunt D. Yvoni; quæ elevata fuit, et (quod miraculum magnum videtur) foraturæ illæ in nullo madefactæ nec deterioratæ fuerunt. Et ista Barones, qui cum ipso Duce erant, testificati fuerunt. Dicebat etiam idem Dux, quod ipse et tota provincia firmam gerebant fiduciam, quod si Canonizaretur, Heloy, Heloy, quod secundum linguam eorum interpretatur Alacre-auxilium, quod pax illi patriæ redderetur; et quia mihi clamabant. Et certe mihi in somniis in anno isto visus est dicere, et me increpare, quia ad hujus Canonizationem non procedebam; quasi diceret Lamma sabactani. Utrum autem fuerit visio vel somnium, ipse scit, ego ignoro. sed bene scio, quod statim misi pro Procuratore negotii, et dixi sibi somnium: et ex tunc gessi in animo procedere in negotio memorato, et dicere isti D. Yvoni, Non dimittam te, nec derelinquam. Josue. I.

duo miracula per se attestante,

apud Papam etiam in somnis monitum :

157 Et forte non casu sed divina dispensatione factum est, ut mihi istud negotium servaretur. I Regum IX, De industria servatum est tibi. Et ratio videtur, prima ut, quia Dux Britanniæ Joannes ex parte patris Brito est, [Brito quoque] Yvo Hælori, per Papam Lemovicensem *c* Sanctorum Catalogo adscribatur. Secunda, ut ex Processu suo colligitur, iste D. Yvo anno ætatis suæ quinquagesimo, et XIX die Maji coronatur in cœlis; ego autem anno ætatis meæ quinquagesimo ad statum istum, licet invitus, assumptus, XIX die mensis Maji coronatus fui, sed diversimode: iste enim coronatus est in cœlis, ego in terris; iste in paradiso, ego in exilio; ipse ad honorem, ego ad laborem; ipse ad gloriam, ego ad pressuram ac pœnam; ipse ad gaudium, ego ad luctum; ipse ad consolationem, ego ad tribulationem.... Dico tertio, quod possum hodie clamare, Heloy, Heloy, per ipsius admirandi et præexcelsi meriti multiplicem considerationem. Iste enim totus in Deum transformatus, quod patet ex vita et miraculis, claruit singulari excellentia meritorum, et resplenduit radicali refulgentia miraculorum: et ista duo probabo in processu, ipsum in brevibus recitando. *Hinc in materiam propositam ingressus Pontifex, eamdem luculenter partitur: et eleganter prosecutus totis columnis sexaginta quatuor, quales quatuor transcripsimus, sic denique concludit:* His ergo in Consistorio diligenter sic discussis et examinatis, et relatione facta per Fratres nostros Petrum *d* Sabinensem Episcopum et Tit. S Anastasiæ Presbyterum, et Galhardum *e* S. Luciæ in Silice Diaconum Cardinales; et ibidem omnibus particulariter lectis, visum fuit, quod etiam a Prælatis hic existentibus in Curia habemus, [utrum] debemus ad ipsius Canonizationem procedere, consilium petere: Salus enim ubi multa consilia, Proverb. XI. Quare quid super hoc visum fuerit exponatis, ut in tanto negotio id solum faciamus, quod erit in oculis divinæ Majestatis acceptum. Quod nobis concedat ille verus Heloy, idem Deus. Amen.

qui rem sibi divinitus servatam suspicatus,

EX MS TRECOR. merita sanctitatis et miraculorum exponit.

158 II Collatio facta per Mauritium *f* Heloy procuratorem B. Yvonis, super supplicatione Canonizationis ejusdem, *pro Themate habuit*, Sanctus sanctificetur adhuc, Apoc. XXII: *proceditque per columnas viginti: et sequitur* Collatio III *seu* Sermo Domini Patriarchæ Antiocheni *g*, *ductus ex Themate*, Animadverto quod vir sanctus est iste. IV Reg. IV, *per columnas octodecim*. IV Collatio *est* Archiepiscopi *h* Narbonensis, qua supplicatur super canonizatione B. Yvonis, quam propter infirmitatem, qua idem Archiepiscopus tunc temporis vexabatur, non potuit publice prædicare, *assumpto Themate*, Exaltate illum quantum potestis: major est enim omni laude. Eccli. XLIII, *et extenditur per columnas viginti unam*. V *ponitur* Collatio Domini Armanovi *i*, Archiepiscopi Burdegalensis, in facto Canonizationis D. Yvonis, *super hæc verba*, Vere hic homo justus erat; *et implet Columnas novemdecim*. VI Collatio facta per Oliverium *k* Episcopum Nannetensem, *implens Columnas quindecim, procedit ab his verbis;* Laudans invocabo Dominum; ex B. Augustino, Sermone de Oratione Dominica, *assumens, quod* duas res qui invocat debet cavere, ne petat quod non debet, nec ab illo petat a quo non debet. *Postea* Sermo, quem formavit Dominus *l* Miropecensis, *quique est* Collatio VII, *ex Numer.* XVI *assumit;* Quemcumque elegerit Dominus, ipse erit Sanctus; *et implentur Columnæ decem*. Sermo Episcopi *m* Seguntini, *qui est Collatio* VIII, *sic præfatur*, Dignus est ut hoc illi præstes. Lucæ VII, *et per columnas duodecim extenditur*. Collatio IX, facta per Episcopum *n* Treventinum pro Canonizatione S. Yvonis, *occupat columnas septemdecim, in capite præferens ex* I Petri IV *verba hæc*, In omnibus honorificetur Heloy. *Denique* Sermo Fr. Galfridi, Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, Fernensis *o* Episcopi, *numeratur* Collatio X, *incipiens a textu* Joannis cap. XVII Pater venit hora, clarifica filium tuum, *per Columnas undecim. Omnes autem Sermones isti eo spectant, ut intelligat Pontifex omnino procedendum sibi in negotio esse. Post omnia ergo sequitur* Sermo factus per D. Clementem Papam VI, in canonizatione B. Yvonis, *assumpto Themate*, Exulta et lauda habitatio Sion, quia magnus in medio tui Sanctus Israel. Isaiæ XII, *incipitque a Bulla Joannis XXII superius cap. I prolata, et nonaginta octo Columnas implens, fuse agit de meritis causæ atque auctoritate Ecclesiæ ad hujusmodi actus, ac denique concludit, dicens :* Sed quia Spiritus sanctus specialiter illuminat et regit Ecclesiam, idcirco ipsum invocemus dicentes, Veni Creator Spiritus. Quo finito et oratione completa, ad ejus canonizationem procedimus in hunc modum.

Assentiuntur Prælati novem circa hoc consulti.

Quibus auditis procedens Pontifex,

Yvonem declarat Sanctum,

159 Ad honorem Dei omnipotentis, Patris et Filii, et Spiritus sancti, et exaltationem fidei, ac Christianæ religionis augmentum, auctoritate ipsius Dei omnipotentis

A omnipotentis Patris et Filii et Spiritus sancti, et beatorum Apostolorum Petri et Pauli, et nostra, de Fratrum nostrorum concordi consilio decernimus et definimus, bonæ memoriæ D. Yvonem Hælori, quondam Presbyterum Trecorensis diœcesis, Sanctorum Catalogo adscribendum, et tamquam Sanctum esse ab omnibus venerandum, ipsumque dictorum Sanctorum Catalogo adscribimus; statuentes ut ab universali Ecclesia in die obitus sui, scilicet XIX die mensis Maji, festum ipsius anno quolibet, et Officium sicut pro uno Confessore non Pontifice devote et solenniter celebretur. Insuper eadem auctoritate, omnibus vere pœnitentibus et confessis, qui in die revelationis sui corporis, et in die quo ibi primo de eo celebrabitur in ecclesia Trecorensi, interfuerint, septem annos et septem quadragenas; et in Octavis et per Octavas d. festivitatis alias revelationis et primæ solennizationis, singulis diebus unum annum et unam quadragenam; et qui annis singulis ad sepulcrum ejusdem in die Nativitatis suæ vel etiam revelationis devote accesserint, unum annum et quadraginta dies; accedentibus vero annis singulis in Octavis et infra Octavas dictorum festorum ad B sepulcrum ipsius, centum dies de injunctis pœnitentiis misericorditer relaxamus. Postea dicatur Te Deum laudamus, et Oratio quæ erit facta pro eo. Demum dicatur Confiteor, et fiat Absolutio more solito, et Indulgentia septem annorum et septem quadragenarum detur, et postea nos induemus et celebrabimus Missam de eo. *Totum hunc sermonem Gallice redditum invenire est apud Albertum le Grand, post Vitam ab eo deductam, qui aliud exemplar Actorum habuisse debuit in quo sola illa essent: si enim nostrum aliquando vidisset, meminisset contentæ in eo Vitæ quam infra damus.*

EX MS. TRECOR.

ejusque causa Indulgentias definit.

160 *Sequebatur porro in Codice electio et res gestæ Clementis Papæ VI, anno* MCCCXLII *ordinati, quæ in Chronologica serie Pontificum Romanorum suo loco referemus, ac deinde rubricatis litteris hæc scribebantur.* Anno Domini MCCCLXVI (*quem numerum corrige et lege* MCCCXLVII) fuit in Avinione canonizatus B. Yvo Hælori, natus de *p* Munehi et de parochia Munehi Trecorensis diœcesis, per eumdem sanctissimum Dominum Papam Clementem sextum: et fuit levatum a terra corpus dicti Sancti, vigesima nona mensis Octobris, quia die celebratur ipsius Sancti Translatio. *Hoc die invenio etiam adscriptam ejus memoriam in Kalendario Ecclesiæ Venetensis in Britannia ante propria Sanctorum diœcesis istius, impressa* C *sub annum* MDCLII; *nec dubito, quin hic sit verus Ecclesiæ Trecorensis et aliarum in Britannia exemplum secularum usus. Nihilominus Andreas Saussayus Translationis prædictæ memoriam in suo Gallicano Martyrologio ad* XXVII *Octobris consignat. His autem verbis utitur.* In Armorica civitate Trecorensi Elevatio et Translatio S. Yvonis Presbyteri, Advocati pauperum nuncupati; quando Clemens VI, ob crebrescentia ad ejus tumulum miracula, ipsius sacros artus de sepulcri pulvere levari, atque (quod animæ Deo fruentis ipsique adeo gratæ sacratissimum pignus, tot gloriæ radiis coruscum, indecore jacere non ferret) ad debitum tanto Cœliti cultum honorificam in thecam transferri, atque in sacrario reponi Apostolica præceptione mandavit. Qua in solenni evectione ingentia patrata miracula, in gratiam eorum qui beato Confessori vota nuncupassent, quam hæc ejus honorificatio ipsi fuerit accepta, perspicue ostenderunt.

p

Sequitur elevatio corporis 29 Octobris,

non 27 ut Saussayus.

161 *Meminit ejusdem Elevationis in principio Partis* IV *auctor sequentis Legendæ, sed nihil habet quo indicet de ea quidquam specialiter scriptum vel memoriæ traditum ad suas venisse manus, ac ne in genere quidem meminit miraculorum tunc patratorum, quæ tamen defuisse non est credibile. Sane Continuator Gallelmi* D *de Nangiis, hoc ipso tempore vivens ac scribens, et desinens in anno* MCCCLXVIII, *Canonizationem, et Elevationem uno anno serius ponit, itaque loquitur:* Eodem anno MCCCXLVIII Helori de Britannia minori Presbyter et Confessor, miræ virtutis et gratiæ fuit ab Ecclesia et Domno Papa Clemente sexto canonizatus. Et anno sequenti a Prælatis et Clero Britanniæ de terra elevatus, multis signis et miraculis, per eum seu a Domino tunc factis propter ipsum et ostensis. Et ecclesia nomine ejus in vico S. Jacobi inchoata primitus et fundata. Quantis autem virtutibus et sanctitate floruerit in ecclesia Trecorensi in dicta Britannia, ubi corpus ejus quiescit, liquide declaratur. *Hæc ille ad unum, ut dixi, annum exerrans, quemadmodum non solum ex prædictis patet, sed ex ipso fundationis prædictæ instrumento, quod in Theatro Antiquitatum Parisiensium Jacobi du Breul pag.* 586 *hujusmodi legitur.* Universis Christi fidelibus, præsentes litteras inspecturis et audituris, Fulco miseratione divina Episcopus Parisiensis, salutem in Filio Virginis gloriosæ. Etsi omnipotens Deus, qui E nullis patroniciis et remunerationibus indiget, in honoribus et piis operibus, quæ ad honorem et laudem ejus quotidie fiunt, gaudeat in cœlis: nos et alii orthodoxi, qui Sanctorum ipsorum precibus et intercessionibus eo amplius apud eum indigemus, merito congaudere debemus in terris. Cum igitur dilecti nobis in Christo nonnulli Christi fideles, Parisius degentes, et maxime de provincia Turonensi et de natione Britannica, cupientes, sicut asserunt, ad honorem et laudem S. Yvonis, gloriosi Confessoris, noviter per Dominum nostrum Papam modernum suis claris meritis et miraculis exigentibus canonizati, unam societatem seu confratriam Parisius creare et etiam ordinare, et de bonis sibi a Deo collatis et eidem confratriæ ab eisdem Christi fidelibus favente Domino imposterum erogandis, unam capellam seu ecclesiam, etiam Collegiatam, ad honorem dicti Sancti construere, fundare et dotare, et unum vel plura beneficia in eadem capella seu ecclesia fundare et dotare; Nobis humiliter supplicaverunt, quatenus eis præmissa faciendi et ordinandi licentiam et auctoritatem, nostra auctoritate ordinaria, impertiri dignaremur. Nos itaque præmissorum, et maxime meritorum et miraculorum ipsius gloriosi Confessoris obtentu inducti, ac dictos supplicantes in suo laudabili proposito confovere cupientes, eisdem supplicantibus omnia et singula F præmissa et eorum quodlibet faciendi, creandi et ordinandi, auctoritate nostra ordinaria, tenore præsentium damus et concedimus licentiam et etiam potestatem. Datum sub sigillo nostro, anno Domini MCCCXLVIII, die Lunæ post Assumptionem B. Mariæ Virginis. *Ecclesia ista in dicto S. Jacobi vico constituit angulum plateæ a Nucibus nuncupatæ, ut scribit idem de Breul: ipsique jam nominatus Fulco anno* MCCCLVII *addidit jus cœmeterii proprii, breviterque perstringit puncta statutorum ipsius confratriæ, quorum unum est, ut siquis ex confratribus non sua culpa sed fortuna adversante ad inopiam redigatur, ei communibus aliorum expensis de congrua sustentatione provideatur.*

Desiderantur miracula tunc facta.

Parisiis an. 1348, fundata ecclesia,

et in ea Confraternitas.

162 *Porro præter locum ex Martyrologio Gallicano relatum, iterum in Supplemento ad eumdem* XIX *Octobris ponitur* in Britannia minore, Translatio S. Yvonis Presbyteri et Confessoris, diœcesis Trecorensis, specialis Tutelaris, et totius Provinciæ Armoricæ communis apud Deum Advocati. *Index vero Nominum locum hunc notat, tanquam eo indicetur* altera Translatio: *de qua distinctionem certioremque notitiam requiro, æque ac miraculorum a tempore Canonizationis usque nunc patratorum. Interim dicere possumus, secundam corporis Translationem factam videri tempore*

Altera Translatio.

Ducis

A *Ducis Joannis V, seculo* XV; *et vel tunc, vel potius in prima Translatione, separatum fuisse caput, collocatumque in Gazophylacio Trecorensis Ecclesiæ. Postremum sentire videtur Albertus le Grand, ex quo deinceps accipe de Joannis V devotione erga Sanctum ut sequitur:* Asserebat hic Dux, filius Joannis IV cognomento Conquestoris, ex multis gravibusque periculis erutum se fuisse per merita S. Yvonis: ideoque in ecclesia Trecorensi, ad latus sinistrum mediæ navis, construi pulcherrimo opere fecit eam quæ ibidem hodie cernitur capellam, vulgo nuncupatam Capellam Ducis: intra quam candidi lapidis tumba eleganter celata corpus sanctum complectitur, supraque assurgit ex eadem materia speciosum tabernaculum usque ad fornicem: quousque etiam assurgunt crates ferreæ toti operi prætensæ, et interius obductæ cortinis e lino candenti consutis. Idem Dux ad instantiam Confessarii sui R. P. Fr. Joannis le Denteur, ex Ordine Fratrum Prædicatorum, ejusdem Ordinis conventum fundavit ad capellam S. Trinitatis prope oppidum Guerrandæ diœcesis Nannetensis, ejusque primum lapidem posuit anno MCCCCVIII, XVI Martii; atque ecclesiam voluit sub nomine S. Yvonis dedicari, sicuti et factum est anno B ipsius Ducis penultimo, Christi MCCCCXLI, XVI Septembris, per D. Guillelmum Maletroit, Episcopum Nannetensem.

Sancto devotus Dux Joannes V, capellam ejus fundat,

et sub ejus nomine ecclesiam Prædicatorum,

163 Fuerat hic Princeps proditorie captus per Margaritam Clissoniam, Comitissam Pontiverensem, XIII Februarii anni MCCCCXIX et Camptoceausensi castello conclusus: ubi considerato extremo cui subjacebat periculo, votum fecit Deo sanctoque Yvoni, quod si per hujus intercessionem liberaretur ab isto carcere, sepulcrum ejus fundata ad illud capella supradicta ornaret, cum dote ad quotidiana sacrificia sufficienti. Nec irrita vota ceciderunt; rei enim indignitate moti Principes, Barones, ac Primates Britanniæ, etiam ii qui Comitissam proxime contingebant, collecto plus quam quinquaginta quinque millium armatorum exercitu, obsessum Camptoceausense castellum tam fortiter oppugnarunt, ut intra hebdomades quinque coegerint propugnatores ad deditionem loci ac restitutionem Ducis, factam mense Majo anni MCCCCXX. Quapropter Octobri proximo residens in suo Parlamento apud Venetenses Dux Joannes, fundationis prædictæ instrumentum ratificari jussit, die mensis septimo, sub hoc principio:

quia per votum illi factum fuerat liberatus a captivitate,

C 164 Joannes Dei gratia Dux Britanniæ, Comes Monfortii et Richemontii, omnibus has visuris vel audituris salutem. Quoniam motu proprio et singulari devotione, qua ferimur erga gloriosum Sanctum et Dominum S. Yvonem, cujus corpus requiescit in Trecorensi ecclesia, elegimus nobis et designavimus sepulturam, iterumque sub Dei beneplacito eligimus et designamus, in prædicta ecclesia; idcirco etiam ordinavimus et per præsentes in nostro generali Parlamento ordinamus, faciendam fundationem divini Officii, sub dote certorum reddituum hic infra exprimendorum, ad celebrandum in prædicta ecclesia certum numerum Missarum sub explicanda mox forma: ac primo fundat missam quotidianam ante tumbam S. Yvonis, cantandam per unum ex Canonicis Vicariis vel Capellanis istius ecclesiæ post celebrationem Matutinarum, cum Diacono, Subdiacono, Crucifero, Acolythis aliisque ministris: qui cum toto Canonicorum Collegio processionaliter accedant ad tumbam dicti Sancti, cantantes Antiphonam, Versiculum et Collectam de illo; deinde Collectam pro Duce quoad vivet, post mortem vero ejus, Inclina. Quo facto inchoabitur Missa, Dominica quidem die de S. Trinitate cum Collecta de S. Yvone; Feria II de Requiem, pro animabus decessorum successorumque; feria III de S. Yvone, IV de S. Tugdualo, V de Spiritu sancto, VI de Cruce, VII de Diva, ita ut quotidie, præterquam feria II, addatur Collecta pro Duce: eaturque ad tumulum ejus ibique canantur, Ne recorderis, Pater noster, De profundis, aliæque consuetæ preces. Quotidie vero jubet sub finem Matutinarum tinnitu majoris campanæ signum dari, ad convocandum populum pro dicta Missa; qua finita teneatur Officians vulgari lingua pro Duce ipso preces concipere, cujus etiam anniversariæ Vigiliæ, primo die cujusque mensis non impedito, quam solennissime iterandæ præscribuntur: atque pro illis omnibus constituitur summa quingentarum librarum monetæ Britannicæ, quotannis percipiendarum ex juribus portus Rupis-Deriani, noviter acquisitæ a Pontiverensibus.

et electa sibi ante capellam sepultura,

designat quotidianam ibi Missam,

D EX MS. TRECOR.

165 Et ille quidem, his ista statutis, mortuus est anno MCCCCXLII mense Augusto, prope urbem Nannetensem: et, contra quam ordinaverat, in choro ecclesiæ ibidem Cathedralis sepultus; sed jus suum prosequente Capitulo Trecorensi, dedenda fuerunt nono post anno defuncti Ducis ossa, et Trecorim mittenda: quibus Episcopus loci D. Joannes de Ployec cum omni Clero populoque obviam proce- E dens, ipsa intulit in præparatam eo tumbam, ad pedem capellæ loco paulum humiliori quam quo consistit sepulcrum Sancti. Cui etiam per totam Britanniam multæ sunt ecclesiæ dedicatæ, tamquam Provinciæ Patrono, ac nominatim ecclesia S. Mariæ de Ker-martin, nunc S. Yvonis nuncupata, uno ab urbe Trecorensi quadrante, ad paternæ ipsius domus maceriam: quo magnus continuo affluit numerus peregrinorum, non solum ex Britannia, sed omnibus ubique regionibus, allectus multitudine miraculorum, quæ ibi ad sui Sancti honorem Deus operatur. *Hactenus Albertus, hoc etiam addens, quod universitas Nannetensis, ad instantiam Francisci Ducis II a Pio Papa item II erecta anno* DCCCCLX, S. Yvonem *sibi Patronum elegerit.*

ibique tumulatur an 1451,

ejusdem Sancti ecclesia in Ker-Martin.

ANNOTATA.

a *Post mortem* Joannis III, *quem n. 2 invenimus pro Canonizatione* S. Yvonis *supplicasse, obitum anno* 1342, *sub contentione fuit Ducatus Britanniæ, inter* Joannem Montefortium, *pro quo Angli; et* Carolum Blesensem, *pro quo Franci faciebant. Gestum est autem bellum acerrime, varia utrimque fortuna; neque capto Montefortio desiit uxor strenue rem gerere pro viro: quo elapso de custodia atque mox defuncto, sub annum* 1344, *successit filius etiam* Joannes, *dictus in ordine Ducum Britanniæ Quartus, eo quod pater numquam habuerit possessionem pacificam, imo hæc ei fuisset per sententiam Regis Franciæ abjudicata. Iste autem felicior ac sæpius victor, vidit adversarium suum primum anno* 1345 *captivum abduci in Angliam (cujus uxor nihilominus strenue bellum est prosecuta) ac denique prælio cæsum anno* 1354, 28 *Septembris: in quem diem servamus Processum pro ejus canonizatione formatum. Atque ita finem accepit contentio, et* Joannes IV *cognomen* Conquestoris. *Ipse autem est, de quo hic agitur jam inde a captivitate Caroli, omnia in Britannia Ducali et absoluto jure agens, præterquam in paucis locis a Caroli prænominati uxore defensis.* F

b Foraturæ, *hic ponuntur pro Mercibus, fortassis sic dictæ a Foro, in quo venales exponi solent: quod tamen alibi necdum invenit Cangius.*

c Clemens VI, *natus erat de Malo-monte Lemovicensis diœcesis; ante Papatum dictus* Petrus Rogerii.

d *Duo inveniuntur circa hæc tempora* Petri, Sabinenses Episcopi: *prior* a Mortuo-Mari *dictus, Gallus; alter,* de Barosso, *Hispanus: de quorum successione*

A *sione et anno obitus non convenit inter auctores. Mihi vel hinc probabile fit, priorem non obiisse anno* 1345, *sed saltem ad annum* 1348 *vixisse; quod credam, causam istam non Hispano, sed Gallo Cardinali commissam fuisse; atque ideo libentius assentior Frizonio dicenti, quod posterior solum sit factus Episcopus Sabinensis anno* 1348, *non item quod prior vixerit usque ad annum* 1350.

Ex MS. Trecor.

e Galhardus de Mot, *Cardinalis creatus anno* 1316, *vixit usque ad an.* 1357.

f *Nempe, ardente tunc vel maxime bello circa civitatem Trecorensem non licuit Episcopo Yvoni, quem anno* 1329 *vidimus num.* 4 *electum Procuratorem, ea de causa Avenionem se conferre : ideoque substituendus alius fuit.*

g *Quis hoc tempore gesserit titulum* Patriarchæ Antiocheni, *necdum comperi.*

h Narbonensis Archiepiscopus, *ab anno* 1346 *ad* 1375, Petrus le Juge, *Consobrinus Gregorii Papæ XI.*

i Amanevum *appellant Sammarthani ab anno* 1345, *ac successorem habuisse aiunt fratrem suum Bernardum anno* 1348.

k Oliverius Salabadinus, *Nannetensis Episcopus, ab anno* 1337 *ad* 1354

B l Mirapicensis Episcopus *in Occitania, ab anno* 1342, *fuit* Petrus de Pireto : *et huic successit* Joannes de Gojordano; *cujus notitiam invenimus Sammarthani ab anno* 1348 *usque ad* 1354. *Prior ex Ordine Prædicatorum fuit, et adhuc vivebat anno* 1345; *necdum tamen definimus, uter eorum hanc Collationem attulerit.*

m Seguntinus Episcopus, *per resignationem Petri Barrosi,* Gonsalvus de Aguilar, *factus postea Archiepiscopus Toletanus.*

n Triventinus *Episcopatus, sub Archiepiscopatu Beneventano in finibus Aprutii, notus in tabula Geographica Comitatus Molisii : seriem tamen Episcoporum istorum exhibet Italia sacra Ughelli in Appendice ad Tom.* 2 *ubi* Fr. Jordanus Curti *Ordinis Minorum invenitur, anno* 1344 *creatus, et anno* 1348 *ad Messanensem in Sicilia Archiepiscopatum translatus.*

o Galfridus, Fernensis *in Anglia Episcopus, creatus hoc ipso anno* 1347 *Avenione* 5 *Martii : de quo Waræus in Episcopis Fernensibus, et Herrera in Alphabeto Augustiniano*

p Munehi, *Alberto le Grand* Menehi *scribitur.*

C

VITA PROLIXIOR,

Auctore Mauritio Gaufridi Ordinis Prædicatorum.

Ex MS. Membraneo Trecorensi, nunc nostro.

PROŒMIUM.

Ab Episcopo et Capitulo

Reverendo in Christo Patri ac Domino, D. Christophoro, divina misericordia et sanctæ Sedis Apostolicæ gratia Episcopo Trecorensi, præstantissimisque ejusdem ecclesiæ Presbyteris et Dominis de Capitulo, totique venerabili Collegio, Fr. Mauritius Gaufridi, in sacra Pagina humilis Professor, ac in Ordine Prædicatorum meritis postremus cum sim, recommendationem omnimodam, reverentiam, et obsequium, non tam debitum quam devotum.

rogatus Lectiones pro duplici festo componere,

Dudum mihi, per certas Quadragesimas verbum Dei apud vos populo prædicanti, per quosdam vestræ ecclesiæ Vicarios, divini Officii, et S. Yvonis ipsius ecclesiæ alterius Patroni zelatores, suasum est, et a me nihilominus instanter requisitum, ut de festis ipsius B. Yvonis, et eorum Octavis et infra, Lectiones ex vita et miraculis ejusdem Sancti retraherem, et secundum duarum Festivitatum ejus exigentiam competenti dictamine disponerem. Super quo hæsitans, et vestram aliorumque Dominorum de vestris Capitulo Collegioque mentem nequaquam convincens, propter quod et dubitans, distuli quod suadebant. Nuper autem iterato ab iisdem instanter pulsatus, et de speratæ gratæ habitionis vestræ [favore] per eosdem informatus et asseturatus, imo et de mora et dilatione argutus, quamquam ad hoc insufficiens, et in negotiis familiaribus nostræ mendicitatis occupatus; in Dei tamen adjutorio, suffragio Sancti, et obsequentis caritatis confisus merito, mentem adhibui, studium excitavi. D

rejecta veteri Legenda ut insufficienti,

2 Sane dum ad ipsum opus Acta ejusdem Sancti, si quæ digna penes se habebant, mihi exhiberi postulabam, quamdam Legendam Chori et librum Inquisitionis Sedis Apostolicæ de ejusdem Actis præsentarunt. In qua quidem Legenda, et nonnulla quæ magnæ æstimationis videbantur, discussi diligentius; et inspecta [judicavi], prout ibi sunt posita et minus digne inveniuntur, propter defectum plenariæ veritatis, non multum ad titulum B. Yvonis pertinere; nonnulla vero notam potius et minorationem importare. Quamobrem ipsa rejecta, almi ipsius Confessoris vitam inclitam, et obitum prodigiosum, nec non virtutum prodigia, quibus divina potentia largiente, sive dum viveret sive post obitum, coruscavit, prout ad universam Ecclesiam, veritatem omnium, libro Inquisitionis teste, Apostolicæ Sedis transmisit auctoritas, humili quidem, sed veraci stylo perstrinxi : in quo poterunt et ipsæ Lectiones, prout expetuntur, facilius ordinari. Sic autem in omnibus servare medium studui, ut nec verborum nimia rusticitas nobilitatem diminuat historiæ, nec ornatus superfluus suspicionem pariat veritati secutæ : protestans quod nihil in hac editione notatum est, quod non prius debita sit cum libro collatione discussum, et ex conjecturis licet verosimilioribus, juxta Regulam Ticonii, in singulis non expressatis ad unguem elimatum. E

novam ex Processu faciendam decernit,

additis nonnullis moralibus.

3 Ad profectum autem legentium nonnumquam moralia quædam documenta interserui, et hortamenta ad Sancti imitationem et devotionem adjeci. Suscipiat ergo reverenda Paternitas Præclaritasque Dignitatum vestræ Ecclesiæ, Capituli, Collegiique sacra Societas, quod rata ac grata habitio vestra mihi facta suasit et extorsit : et felicem Patronum gloriosum Yvonem, miris nec minus veris splendoribus, ut ita dixerim, innovatum, universitas gaudeat filiorum. Audacter nempe profiteor, quod in comparatione eorum quæ de novo hic addita sunt, pauca simul et parva, sed et indigna censenda sunt, quæ prior editio continebat. In omnibus autem et singulis, quantum ex hac compilatione laudi ejus accreverit, ipsius diligens examinatio et ad præcedentem comparatio poterit indicare, si tamen pium et fidelem habuerit inspectorem. Promissum igitur ordinem prosequentes, primum de ejus inclita vita occurrit agendum : quam ab exordio usque ad obitum perstringendo, per ordinata Capitula distinguamus. F

Distinctionem hanc notamus in margine, aliam operi nostro magis, commodam partitionem assumpturi : interim veteres Titulos, ut habentur in codice rubrica notati, hic simul accipe.

Primum Capitulum. Quod divina providentia, quæ semper ab exordio mundi, singulis temporibus singulisque nationibus, aliquos ad communem aliorum salutem inspiravit, præclarum Yvonem, post alios quamplures, in mundi jam vespere, Britonum nationi, pro ipsorum salute delegavit.

II Qualiter divina providentia, more sacrarum Scripturarum et historiæ Sanctorum, decenter et convenienter virtutes et gratias S. Yvonis, et suis natalibus

A natalibus et ex impositis sibi et parentibus nominibus, præsignavit.

III Qualiter divina providentia Yvonis sanctitatem futuram et oraculis prænuntiavit, et signorum indiciis Sanctorumque suorum præsagiis, ab ejus infantia et pueritia, præmonstravit.

IV Qualiter divina providentia disponente missus est Parisius, ubi liberalibus artibus primum imbueretur, et sic ad alias humanas et divinas scientias disponeretur : et quomodo in Philosophicis et Theologicis efficaciter studuit et profecit annis novem.

V Qualiter eadem divina dispositione postea missus est Aurelianis, ubi Juris Canonici et Civilis florebat studium, ut utriusque scientiam nactus, futurus ipse Advocatus et Judex, causis spiritualibus simul et temporalibus salubrius consuleret.

VI Qualiter in præmissis Universitatibus, pro studio litterarum, virtutum religionem non neglexit : sed ambabus intente serviens, mores sanctos semper scientiæ prætulit.

VII Qualiter post cursum studii, ejus peritia ac morum probitate comperta, factus est primum Officialis Archidiaconi Rhedonensis, et quod strenue et B legitime se in officio habuerit.

VIII Qualiter ob famam sui regiminis et justitiæ, loco propriæ nativitatis exigente, inde ab Episcopo Trecorensi evocatus est : ejusque Officialis constitutus, quam digne et fructuose exercuit Officium.

IX Qualiter defuncto præfato Præside, successor ejus simili voto virum sanctum in suum Officialem retinuit : et quomodo justas causas, præcipue pauperum, sic tuebatur; quod Pauperum Advocatus communiter vocabatur, et pro eorum causis injurias et contumelias patiebatur.

X Qualiter tantarum curarum, negotiorum et solicitudinum tempore, Deo fixus intendere cupiens, indefessam sensualitatis ad rationem pugnam per octo annos passus est : quam tamen nono anno, divina in eo clementia penitus sopivit.

XI Qualiter, quia carnem simul et spiritum in activa et contemplativa vita debite rexit, et perfecte obtulit, Regalis Sacerdotii Christi merito, dignus ipsius minister factus est.

XII Qualiter Sacerdotii diademate percepto et animarum regimine imposito, ut verbo pariter et exemplo efficacius luxum seculi fugiendum monstraret, in virum alterum factus, pristinam vitam innovavit; et primo de ejus vestitu, supellectili, et C stratu.

XIII De qualitate mensæ ejus, abstinentiis et jejuniis.

XIV De humilitate ejus : quomodo in omnibus verbis, signis, et gestibus humilitas elucebat.

XV De patientia ejus in pœnis, innatis, illatis, et assumptis.

XVI . . .

XVII De ipsius devotione in Missa et Canonicis Horis, et extraordinariis orationibus, et ipsarum efficacia.

XVIII Quomodo medendis animarum plagis diligenter septem Ecclesiæ Sacramenta ministrabat, Sacramentalia munde tractabat, Bibliam tamquam apothecam, et Quartum Sententiarum tamquam mensam medicinarum Sacramentalium, secum continenter deferebat.

XIX Qualiter septem opera misericordiæ corporalia circa egenos et orphanos exercuit.

XX De ipsius hospitalitate.

XXI Qualiter vestivit nudos.

XXII Qualiter visitabat infirmos.

XXIII Quomodo sepeliebat mortuos.

Epilogus virtutum, et exhortatio ad imitandam vitam ejus. Et sic finit prima Pars. Secunda Pars, quæ promittebatur, de sancti Confessoris obitu, per D sex Capitula distinguetur. A. MAUR G UFRID EX MS

I Qualiter prævidit in spiritu et prænuntiavit quibusdam caris finem vitæ imminentem sibi, quem lætus expectabat.

II Quod, licet viribus destitutus et debilis valde, ultima septimana divinis operibus instabat, usque ad quartam feriam, in qua ultimam Missam celebravit et Confessiones audivit.

III De dispositione suæ valetudinis in feria V.

IV Quomodo visitatus a compluribus et parochianis, fecit eis ultimum vale feria VI.

V Quomodo sumptis sacræ Communionis et extremæ Unctionis Sacramentis, in Sabbato, in aurora sequentis Dominicæ, in Domino feliciter obiit.

VI Quomodo corpus ejus jam extinctum magis puritate splenduit.

VII De ipsius celebri sepultura.

Tertia Pars, quæ promittebatur, de miraculis et prodigiis duplex erit. Nam primo tangentur de his quæ Dei virtus operata est in persona ipsius ipso vivente, et habebit tot Capitula quot erunt ipsa miracula. E

I. Quomodo meruit apud Deum miraculis clarere, et quandoque variis in vita claruit.

II. Qualiter, ubi Sanctus merriamenta pro ecclesia Cathedrali sumpserat, infra quinquennium prociores et grossiores arbores Dei virtute succreverunt.

III. Quomodo per negligentiam fabri lignarii ligna duobus pedibus nimis curta, quatuor pedibus invisibiliter producta conspiciuntur.

IV. De duplici miraculo pro libertate Ecclesiæ.

V Qualiter arcam, frumento furtim evacuatam, plenam ad eructationem invenit, pauperibus erogandam.

VI. De pane ad supplendum defectum suum et convivarum divinitus transmisso, et est duplex miraculum.

VII. De panibus unica vice multiplicatis.

VIII. Qualiter Christus, in forma pauperis, capucium ab eo receptum, sibi miraculose transmisit.

IX. De paupere turpissimo in ingressu, et in egressu in pulcherrimum transfigurato.

X. De colloquio Yvonis adhuc viatoris cum Tugdualo jam comprehensore, super servanda tranquillitate Ecclesiæ suæ.

XI. De ave invisa speciosa, Sancto in mensa sedenti in solatium cœlitus missa. F

XII. De columba apparente, et ecclesiam suo fulgore complente.

XIII. De fulgore apparente cum Sanctus elevaret Corpus Domini in Missa.

XIV. De dæmoniaco et furioso curato.

XV. De infirma liberata a gravi febre, sumpta de mensa Sancti lippa, qua et ipse reficiebatur.

XVI. Qualiter vir Dei dono prophetiæ claruit.

Quarta Pars, de miraculis et prodigiis almi Confessoris post mortem ejus, distinguetur secundum diversa genera, species et individua ipsorum miraculorum, quæ patebunt per ordinem subsequentem.

De solenni translatione sanctissimi corporis ejus, et causis rationabilibus ejusdem.

De conceptibus mortuis et abortivis resuscitatis. *Et ponuntur consequenter* miracula *quinque absque alio titulo quam numeri solius.*

De liberatis a periculo mortis. Et primo de condemnato ad suspendium.

De cœco in puteum cadente.

De Rectore in stagnum cadente, cum equo et litteris illæsis.

De Domino de Pestuven cum comitiva a periculo mortis liberato.

Quod

A MART. GUFRID. EX MS.

A Quod ex octo personis naufragium patientibus, duo S. Yvonem invocantes, aliis sex submersis, evaserunt.

Consimile miraculum de D. Alano de Karanreis: et est duplex.

De decem in passagio de Treisquinec liberatis, S. Yvonem invocantibus, aliis non invocantibus pereuntibus.

De D. Guillermo Tournemin, cadente in mari Hilion.

De puero liberato prope portum Lapidis-nigri.

De liberato a naufragio.

De liberato a tempestate.

De naufragante liberato.

De tribus navibus liberatis a periculo naufragii.

De filia ab incendio liberata.

De contractis et paralyticis a membrorum impotentia liberatis. *Et ponuntur consequenter, sub sola distinctione numeri rubrica signati,* miracula XII.

De cœco illuminato.

De alio cœco.

De macula oculi purgata.

De oculo eruto sanato.

De cœca lumini restituta.

B Duo miracula circa unam cæcam.

Sequuntur miracula VI, de dæmoniacis et furiosis, per S. Yvonem a dæmonibus liberatis, et ad sensum et memoriam revocatis, *absque alia Titulorum designatione. Et similiter* Articuli V, De liberatis ab hydropisi, inflaturis, rupturis, crepaturis, et vulneribus.

De liberatis continua febri, *Articuli tres, nec numero quidem notato distincti. Atque* de temporalibus substantiis miraculose repertis, *Articuli rubricati quinque.*

De animalibus a peste præservatis.

De elevatione lapidis, in quo sculpitur imago capitis B. Yvonis.

CAPUT I.

Patria, genus, nomen Yvonis et parentum ejus, et sancta primæ pueritiæ studia.

Divina providentia,

Cum multifarie multisque modis, humanis lapsibus providentia divinæ bonitatis occurrat, pro temporum opportunitatibus, quæ mira ejus sapientia disponuntur; non parva eis suæ pietatis beneficia C contulit, cum a rectitudinis callo cæcutientibus et deviis rectores ducesque salutis ostendit. Unde post gemebundum in deliro Protoplasti capite humani generis casum, mundo passim omni vitiorum sorde labefactato nondumque propalata via Sanctorum, viros quosdam suæ voluntatis vocare semper ac mittere non destitit; qui mundum ipsum de suis erroribus admonerent, honestatis et justitiæ verbis et exemplis documenta præberent, ac promissa justitiæ præmia proponerent; sicque sui et aliorum salutem exquirentes, ad eam in solo Conditore constitutam adspirarent. Sed neque ab ejusmodi salutis auxilio pius ipse hominis auctor et amator ulla unquam ab exordio mundi tempora despexit ullasve nationes abjecit. Teste nempe Scriptura, non est acceptor personarum Deus; sed in omni gente, qui timet Deum et operatur justitiam, acceptus est illi. Hinc mundo impiorum cataclysmo pereunte, octavum Noe justitiæ præconem destinavit: hinc Job de Esau descendentem, fide et moribus clarissimum, gentilibus in terra Hus designavit: hinc Moysen in Ducem electi populi delegavit; donec post ipsos quoque sanctos Patriarchas, Prophetas, Judices, et Reges, ipse qui condiderat, collapsum mundum in propria reparare veniret, ejusque ruinæ tempore accepto congruis suæ incarnationis medelis occurreret. D

Act. 10, 34

quæ semper aliquos ad mundi salutem destinavit,

5 Post hujus vero plenitudinem temporis, haud minus cum hominibus aut parcius egit: quin potius volens omnes, sicut naturæ in eo consortes, sic gratiæ et gloriæ fore participes, a primo diei gratiæ mane, horis singulis in undecimam usque, hoc est seculi consummationem, ex omnibus gentibus, populis, et linguis in vineam, quam plantavit dextera ejus, cultores semper mittere pater familias ipse non desinet. Proinde cum hoc commune divinæ bonitatis beneficium ceteris per orbem diffusis nationibus concessum sit; Britigenarum illam antiquissimam nationem, nec hoc suæ gratiæ dono insalutatam, divinam dignationem præterisse, verum propensiori eam honore donasse, planum est. Divina nempe munificentia, etsi magnificis titulis ipsam ceteris nationibus extulerit, in eo maxime quod sceptro Israel antiquitate præcesserit *a*, et mille octingentis annis inconcussum tenendo, fortissima regna et Monarchias duratione excesserit; hoc tandem etiam ab adventu Salvatoris celeberrimum laudis præconium ipsius munere nacta est, quod inter ipsius orbis E populos ab anno incarnationis trigesimo quinto *b* irradiantis Christi lucem accepit, et ab ea postmodum faciem per apostasiam non avertit, et neque schismaticos aut hæresiarchas pessimisve criminibus famosos (de quibus in gestis antiquis et sacris canonibus eorum invasores notati sunt) quin potius fidei et morum propagatores propugnatoresque, in omni statu, sexu et ordine, nec numero raros, sed et exercitus et legiones, Martyres, Confessores et Virgines semper protulit, et cursim in hæc nostra tempora producere non desistit.

in mundi vespere Britonum nationi, vetustissimæ,

a

b

et Christianissimæ,

6 Ex hac etenim illustri Britonum natione, pago Trecorensi, nobili prosapia, almus ipse Sanctorum conditor et illustrator, mundi senescentis ætate ad vesperam jam vergente, stellam nequaquam occiduam nuper produxit matutinam, velut sol solem jam suæ claritatis participem, noxiæ peccatorum noctis expertem, omnis eclipsis nescium, nullius nubis obnoxium velamento, B. Yvonem, præclarum sui nominis Confessorem, inclitam Ecclesiæ lucernam, patrem Britanniæ, Trecoriæ præsidium singulare. Docet autem utriusque Testamenti Veteris simul et Novi series, Sanctorumque historiis patulum est, Sanctos, ad Dei gloriam et mundi salutem Dei providentia ordinatos, non solum ex moribus F describi, sed ex natalibus et impositis nominibus in suis virtutibus et gratiis præsignari. Decuit igitur ut tanti Confessoris excellentia tales haberet parentes, qui et genere et religione ac etiam nuncupatione futuræ suæ quasi hereditariæ testimonium proferrent sanctitatis. Magno igitur futuri præsagio ex insigni et Catholica prosapia ortus est, ut præclarus ipse genere et religione, futurus esset vita et moribus præclarior; et nativam carnis nobilitatem, in spiritualem animi generositatem aptius commutaret; et mundanæ nobilitatis dignitatem, excellentioris nobilitatis conversatione transcenderet, et ita fieri debere vanis mundi nobilibus sui mutatione monstraret.

S. Yvonem dedit:

CAP. II.

ex nobili virtuosaque prosapia,

7 Quod vero Yvo nominatus, ex matre vero Hadou et Hælorio patre, legitimo matrimonio procreatus est, largitam sibi divinitus bonitatis abundantiam, abundantisque suæ bonitatis in alios redundantiam, atque in his relucentem jucundæ congratulationis vehementiam, ipsorum nominum significatio præsignavit. Yvo enim, qualiter moderni Gallici et Latini causa euphoniæ, licet corrupte, proferunt: exteri autem et antiqui Latini *c* Eudo, Britones vero ipsi Euden, ab Eu Græco et Den Britonico composito vocabulo, et in Latinum translato Bonum

ipse nomine suo præsignatum Bonum-hominem,

c

A BONUM-HOMINEM seu BONITATIS HOMINEM apertissime significat, et *d* abundæ bonitatis divina largitate sibi conferendæ præsagium fuit. Porro cum ipsa Sapientia teste in malevolam animam non introeat sapientia, nec habitet in corpore subdito peccatis; ipsius decuit ordinem, ut quem sibi in templum habitationis præpararet, bonus ipse solus existens et in solis bonis habitans; bonitatis suæ charismatibus, corporis simul et animæ bonitate donaret, et secundum bonitatem ejus sic et nomen imponeret; ut secundum nomen, sic et laus ejus in fines terræ permaneret; ut et sic cum Salomone glorietur et dicat, Puer eram ingeniosus et sortitus animam bonam; et cum essem magis bonus, veni ad corpus incoinquinatum. Nec me tamquam delirum rideas, Græcum Britonico ad compositionem nominis in Britonum appellationibus apponentem: nam et ipsi Britones ex clarissimis Græcorum originem duxerunt, et eorum idioma, licet corrupte, retinuerunt. Britonicum nempe, auctum Græcum est.

d Sap. 1, 4 — Sap. 8, 20

8 HADOU vero, maternum ipsius Boni-hominis Yvonis nomen, Britonico idomate pluralis numeri est, et SEMINA significat, per quod quid aptius quam abundæ bonitatis ipsius in alios redundantiam accipere B valemus? Enimvero ipsa ingenua mater, etsi semen unum numero fuerit in persona, virtute tamen plurima semina in plurali quodam præsagio nuncupata est. Beata nempe mater ista, in bono filio suo uno, multiplici bonitate fœcundo, doctrinæque et morum seminibus redundante, matris Ecclesiæ genimina non tam numero quam merito multiplicavit, ac fructu salutis et bonorum operum prole ante sterilia, fusis verbi Dei et lacrymarum seminibus, ad propagandum quam plurimam salvandorum messem fœcundavit.

ex matre Hadou dicta, quod Semina significat

Nam cum sacra seges Trecorum impleat orbem,
Omnis ab hoc uno semine messis erat.

Quippe de illorum numero prorsus fuit, de quo Psaltes, Euntes ibant et flebant mittentes semina sua, venientes autem venient cum exultatione portantes manipulos suos.

Ps. 122, 6

9 Verum cum ipsius summi Boni et bonorum omnium Largitoris edictum sit, Bono animo gloriam redde Deo, et in omni dono hilarem fac vultum tuum; sed et ejus Tuba cunctis insonet, Unusquisque prout destinavit in corde suo, non ex tristitia aut ex necessitate, hilarem enim datorem diligit Deus; planum est quod in se meritorie bonus esse, C et bonorum operum seminibus in alios redundare, hilaritate seclusa, nemo potest. Teste enim Augustino, Nemo invitus bene facit, etiamsi bonum est quod facit: nec valent esse Deo placita, coacta servitia. Recte noster Bonus homo HÆLORICUS cognominatus est, ab Hælorio carnali patre propagatus, quod nomen HILARITATEM Britonibus sonat. Divina enim bonitate donatus ad excolendos agros Dominicos, et salutis seminibus conferendos, omni semper gaudio et spiritus hilaritate formatus est: atque ad depellendum seculi tristitiam, quæ mortem operatur in mundanis eventibus, æquam semper mentis hilaritatem institutus. Rursus quod in Regio vultu Scriptura commendat. Sicut imber serotinus et ros matutinus super herbam, sic hilaritas vultus ejus; in nostro Bono homine, Regio Yvone, verificari conspicimus. In serotino nempe, præsentis vitæ in occasum vergente, viator existens, copiosis Christicolas compluens beneficiis; et in matutino futuræ vitæ, vesperam nescientis, nunc comprehensor, crebris suffragiorum irrorans asperginibus; eos hinc inde, velut ex utraque parte illius fluminis in Apocalypsi, prospiciens, mira sui vultus hilaritate perfudit atque perfundit.

Eccli. 35, 11 — 2 Cor. 9, 7 — *et patre Helorio, Hilaritatem notante,* — Prov. 16, 15

10 Itaque hujus almi Confessoris bonitatis abundantia et bonitatis abundantis redundantia, et in D utraque hilaritatis spiritus vehementia, horum trium nominum clara significatio est, quorum unum merito non incongrue præconium illud, quod in Bethulia fidelis populus Salvatrici deprompsit *e* Judith, nos in Britannia Yvoni glorioso, nobis ex nobis pro nostra salute destinato, recte depromere valemus; Nova lux oriri visa est, Gaudium, honor et tripudium. Lux etenim sanctitatis ac bonitatis ejus mundo diffusa; et gaudium quidem commune cunctis affert Christicolis, et generalis extitit honor Britigenis, Trecorensibus vero perenne tribuit tripudium speciale.

A. M. UR. GAUFRID. EX MS. — *accipiens præsagia hilaris et fructuosæ bonitatis:* — *e*

CAP. III

11 Sic autem Sanctum suum gratiosus Largitor charismatum gratuitæ dulcedinis multiplici benedictione prævenire dignatus est, ut etiam sanctitatem ejus futuram et oraculo prænuntiaret, et signorum indiciis ab ejus infantia demonstraret. Neque enim hoc etiam privilegio, quibusdam amicis specialiter facto, carum suum Yvonem privandum divina providentia decrevit. Ipsius nempe pia mater, divino præscio futurorum visitata spiritu, futurum hunc fore Sanctum in somnis accepit, et plebi palam prophetice prædixit. Quæ quidem manifestatio spiritus, quæ secundum Apostolum datur ad utilitatem, E et Dei revelantis, et matris prolisque, ac cunctæ plebis gratiam gloriamque complectitur. In hoc etenim claret ipsius Dei ad suum carum dignatio mirabilior, ipsiusque cari Dei dignitas est ostensa præclarior, mater felicior est effecta, et tanto filio cura cautior est impensa, plebs cuncta facta jucundior, et ad deferendam observando puero debitam reverentiam reddita paratior. Ex hoc etenim in ore cunctorum audientium non absonum resonabat, id quod in Præcursore Salvatoris Evangelista fatetur, Posuerunt omnes in corde suo dicentes, Quis putas puer iste erit!

matri quoque præsignificatur futurus Sanctus, — 1 Cor. 12, 7

12 Hujus autem prænuntiatæ sanctitatis indicia, ipsa primitiva ejus ætatis studia fuere: puerilia enim ejus initia, futura viriliora prognosticarunt, prædixeruntque effigiata, quæ postmodum perfecta contigerunt. Teste nempe Scriptura, Ex studiis suis cognoscitur puer, si recta et munda sunt opera ejus. Sic enim ex studiis suis Astyages cognovit Cyrum; sic puer Ambrosius genitrici et germanæ, Sacerdotum manus osculantibus, suam etiam offerens osculandam, et ita oportet fieri dicens, futurum se Episcopum prognosticavit. Sic etiam puer Athanasius, in solo uno ludo, puerilem videlicet Missam cum pueris decantandi, prout id ecclesia fieri conspexerat, delectatus, Christi se Sacerdotem futurum F præfiguravit. Divina igitur gratia in eo jam mirabiliter operante, a primis annis divinam servitutem sacra illustris pueri spiravit infantia, pueri illius puerorum factoris pueritiam imitatus, qui a parentibus triduo quæsitus in templo inventus est, in his quæ Patris erant occupatus. Cœpitque, priusquam aliqua juvenilis vitii labes ejus illaberetur animo, omnium virtutum imbui studio, ut sanctitatis odorem velut testa recens imbiberet, quem postmodum antiquata perpetuo tenore conservaret.

Luc. 1, 66 — Prov. 20, 11 — *quod et ludicra pueritiæ ejus probarunt,*

13 Et ne in cordis ejus adhuc recens hospitium mundus gressum infigeret, ipsum sibi salutaris disciplina præveniens vendicavit. Instar enim pueri Samuelis et nobilium more puerorum, puer adhuc elementarius traditus est præceptori, Magistro Joanni Villæ-senis, moribus et primitivis litteris erudiendus; quibus, utpote puer valde bonæ indolis, sub ipsius Magistri diligentia sedulus insistebat. Supplente autem in eo gratia quod ætas et natura negabat; vitia, quibus ætas illa implicari solet, repudians; ad totius maturitatis et sanctitatis studium se totum conferebat, totus pergens in Deum. Die noctuque

et prima disciplinarum rudimenta:

A. MAUR. G. ALFRIDI EX MS.

A noctuque, vespere et mane, ecclesiarum limina terebat; divinum Officium et Missarum solennia avidissime frequentans, Sacerdotibus et altaribus diligentissime serviebat; Epistolas auscultans et Evangelia, Ecclesiæ præcepta et sermonum doctrinas vitæ institutione servabat; lectioni et orationi sine intermissione vacabat; et secum cum Jacob in tabernaculis habitans, Esau in agros declinabat excursus. In Sanctorum historiis frequentissime et studiosissime legens, magnum ex eis perfectionis cumulum apprehendit, dum proprias singulorum perfectiones hauriebat. Hujus continentiam, illius jucunditatem sectabatur; illius lenitatem, illius vigilias, alterius legendi æmulabatur industriam; istum jejunantem, illum humi jacentem mirabatur; alterius patientiam, alterius mansuetudinem prædicabat. Omnium ita erga se retinens caritatem, atque universis virtutum partibus irrigatus, ad se regrediebatur : ibi secum omnia pertractans, omnium in se bona nitebatur exprimere : et super his exemplis, velut firmis fundamentis, non minus mente quam ætate proficiens, ad virtutum arcem feliciori quotidie gradu conscendere.

inter quæ Sanctorum Vitas legere et imitari studuit,

14 Hæc autem et similia pueritiæ studia, quid B aliud quam futuræ sanctitatis ejus præludia erant? Dederat siquidem ei Dominus cor docile, et utile nunus illud Sapientis f consilium menti ejus impresserat, Bonum e se viro cum portaverit jugum Domini ab adolescentia, Nam, ut alibi, idem Sapiens ait; Proverbium est, Adolescens juxta viam suam, etiam cum senuerit, non recedet ab ea. Pueros enim, neglectis litterarum et virtutum studiis, discolis relictos, vitiis initiatos, perditis moribus irretitos, quis emendabit? Jeremias quærit, Numquid potest Æthiops mutare pellem, et pardus varietates suas? Et vos, cum didiceritis malum, potestis bona facere? Petit etiam Sapiens, Quæ non congregasti in juventute, quomodo in senectute invenies ea? Agite ergo nunc pueri, et aversantes vitia otiaque vitantes et vana, primos affectuum pedes litteris et bonis moribus date, ne parvus error in principio, a recto calle salutis aversos, fine quoque frustratos vos constituat. Mementote, scientiis et virtutibus nudos vos fore natos, sine quibus tamen ad finem, quo tenditis, pertingere non valetis. Adite igitur litterarum studia, colite virtutes; et quarum habetis solum semina, studii labore et bonorum operum exercitio, habitus conquirite, et fructibus uti contendite. C Aspicite et facite secundum exemplar quod vobis in monte, hoc est, in eminenti pueri Yvonis conversatione monstratum est; scientes quod ad hæc erit vobis ejus intercessio suffragium, si conversationis non deseratis exemplum.

alius pueris ad exemplum

Thr 3, 27
Prov 22, 6
Jer. 13, 13
Ecli. 25, 5

jungendi litteris virtutem

ANNOTATA.

a *Israeliticum regnum communiter dicitur cœpisse anno Mundi* 2960, *ante Christum* 1094 : *unde autem accepta sit ista de Britannici Regni antiquitate fabula, non lubet scrutari : verior historia primum ibi Regem Conanum Meriadecum, ex Britannia insula advectum, agnoscit circa annum Christi* 383.

b *Si S Petrus prædicandi Evangelii causa usque in Britanniam insulam excurrit, potuit etiam Armoricæ radium aliquem lucis Christianæ attulisse.*

c *Quod* Eudo *et* Yvo *idem nomen sint, non facile comprobabitur, cum ex ipsiusmet vulgi Britannici usu* Yves *dicatur, non* Euden. *Multo minus credam nomen alterutrum aliquid debere Græcis, licet Britonum genus mox ad eos referat Auctor noster, et eorum idioma,* auctum Græcum *esse dicat : nam hæc omnia gratis fingi videntur.*

d *Sic etiam Ekkehardus* abundum panem. *id est, copiosum, dixit.* D

e *Imo* Esther : *nam ex hujus libro cap.* 8 *v.* 16 *acceptus est versiculus qui sequitur.*

f *Nec hoc Salomonis est, sed Hieremiæ.*

CAPUT II.

Studia S. Yvonis Parisiis et Aurelianis.

Puerilibus autem annis innocenter excursis, adolescens jam quatuordecim annorum factus, missus est Parisius, ut sibi liberalium artium compararet studii exercitatione peritiam. Exposcebat enim divinæ dispositionis ordo, ut quem Dominus ad domum sapientiæ, sacræ videlicet Scripturæ et doctrinæ fidei, atque ad artem artium regimen animarum invitabat; primum artes artium vias, et scientias scientiarum januas salutaret; et ab eis claves, quibus introiret, obtineret. Cum enim Apostolus dicat : videte nequis vos seducat per Philosophiam et inanem fallaciam, quis a fallaciis se defendet, qui fallacias non novit? aut a philosophantibus, qui de Philosophia nil didicit? Spoliis enim Ægyptiorum ditantur Hebræi, cum ea quæ apud Artistas inveniunt fideles, asportare student ad fidei defensionem, errorum destructionem, Scripturarum expositionem, eruditionem morum. Quoniam per paganos et E hæreticos et fictos Christianos studet prohibere diabolus, ne sint Doctores in Ecclesia, liberalibus Artibus imbuti, qui spiritualia arma faciant Christianis ad prædicta. Quod sub figura liber Regum commemorat, ubi dicitur; Porro faber ferrarius non inveniebatur in omni terra Israel; prohibuerant enim Philistiim; ne forte facerent Hebræi gladium aut lanceam usque ad aculeum bovis.

CAP. IV Missus Parisios,

Col. 2, 8

post artium studia,

1 Reg 13, 19

16 Cœpit ergo sanctus adolescens non segniter agere, eruditioni cujus gratia missus erat, diligenter intendens : unde factum est ut in Artium liberalium eruditione super multos coætaneos spatio breviore proficeret, et tandem in iisdem ex discipulo et auditore Magister et Determinator fieret. Postquam vero liberalibus Artibus diligenter insudans sufficienter edoctus est; ne tempus salubrioribus disciplinis congruum in ipsis non tam scientiis, quam veræ et summæ Philosophiæ præludiis deperiret, ad Theologiæ studium se totum contulit : cujus studiis per annos plurimos ardenter invigilans, de thesauris ejus ibidem hausit avide, quod postmodum populis effudit abunde.

Theologiæ se applicat,

17 Considerans autem Christi fideles, quos Rex F ipse pacificus disposuerat, ore pudicos, pacificos, et modestos, effrænata et sui prodiga cupiditate sibi ipsis æmulari, litigare, jurgari, quæstionibus implicari; jus inter eos litium anfractibus perire, justitiam litigiorum abusibus extingui, et dato libello repudii quasi ubique concordiam exulare; juris etiam canonici studio, cujus regulis noxius omnis appetitus limitatur et injustitiæ conatus reprimitur, fideles ut honeste vivant, alterum non lædant, jus suum cuique tribuant informantur, summam etiam ibidem operam dedit : quatenus litium certaminibus agnitis, futurus ipse Judex et Advocatus, clarius in causis discerneret, certius justitiæ opitularetur, et iniquitati cautius obviaret. Rursus attendens ipsum mediatorem Dei et hominum, hominem Jesum Christum, Regem et Sacerdotem, unumque et eumdem omnis Imperii et Sacerdotii auctorem et principium, sic pro actibus propriis et distinctis dignitatibus Officia potestatis utriusque decrevisse propria, ut Christiani Reges et Imperatores pro æterna vita Pontificibus indigerent, et Pontifices ipsi pro cursu temporalium tantummodo rerum Imperialibus legibus

CAP. V deinde Jurisprudentiæ,

tum ecclesiasticæ

quam civili Aurelianis;

A bus uterentur; ne causarum secularium vertiginibus fluctuaret, sed rebus Ecclesiæ tam spiritualibus quam temporalibus decidendis et consulendis paratus semper et sufficiens esset, anno suæ ætatis circiter vigesimo quarto Aurelianum petiit, Juris utriusque studium : ubi sub magistro Guillermo de Blavia, postmodum Engolismensi Episcopo, audivit Decretales; sub Domino vero Petro de Capella, postmodum Cardinali, Instituta : ibidemque pluribus annis instructus, tandem utriusque Juris peritiam nactus est.

18 Porro cum apud Poetam pudeat descendere in aciem, pro diis et hominibus susceptam, subula armatum; divinam decebat providentiam, ut quem pro divinorum fide hominumque bonis moribus tuendis, militanti Ecclesiæ destinaret, non subula, hoc est exigua et tenui scientia, muniri disponeret. *ut excellenti doctrina undequaque instructus,* Enimvero si pro qualitate temporum et locorum, vel regnante hæresi, vel ubi perfidis Ecclesiæ vicinæ sunt, pro materia fidei Theologus quærendus sit; pro jurisdictione vero regenda, causarum ventilatione et occurrentium casuum terminatione Jurista; ubique tamen et semper ex utroque mixtus ad regimen Ecclesiarum præferendus est. Gloriosus igitur scholaris iste Sanctus, et omni prorsus honore in Ecclesia plebis et in cathedra seniorum exaltandus, qui tamquam Scriba doctus in regno militantis Ecclesiæ, nova et vetera, divina pariter et humana, ex suo thesauro proferre dignus et copiosus habitus est. Hic enim alter ille Bezeleel est, quem Dominus implevit spiritu sapientiæ et omni doctrina, ad faciendum opus in auro, argento, et ære, in omnibus quæ requiruntur ad Sanctuarium Tabernaculi. *serviret Ecclesiæ, sicut Bezeleel Tabernaculum :* In auro divinæ sapientiæ pretiositas, in argento canonicarum sanctionum claritas, in ære legum civilium sonoritas importantur. Si enim secundum Aristotelem secantur scientiæ, quemadmodum et res de quibus sunt, et subjecta subjectis comparantur; quomodo aurum præfertur argento, et argentum æri; sic Theologia præcellit Canonibus, et Canones Legibus, ubi divina humanis et spiritualia temporalibus præferuntur. In auro igitur, argento, et ære doctum operarium, ad ornatum sui tabernaculi Dominus Yvonem dedit; quia in Theologia, Jureque Canonico simul et Civili, ad decorem militantis Ecclesiæ, in sua vocatione peritum et industrium complevit.

19 Libet autem diligenter advertere, vas electionis futurus vir Dei Yvo, postquam adipiscendæ C scientiæ cœpit intendere, quanto discendi studio ferebatur. *CAP. VI vino et carnibus abstinens,* Nam præmissis salutaribus studiis, pluribus annis invigilans, tanta eis diligentia tantaque aviditate inhærebat, quod pene noctes ducebat insomnes. Salomonis etiam imitatus propositum, ut animum transferret ad sapientiam, cogitavit a vino (Eccle. 2, 3) abstrahere carnem suam; cogitavit, inquam, et quod cogitavit effecit, et neque tantum a vino et ab omnibus gastrimargiæ vitiis carnem abstraxit, et eam continentiæ legibus subjugavit. Ejus enim referunt Gesta, quod dum esset adolescens in Studio Parisiensi, carnis jam delicias abhorrens, non in lecto *atque humi cubans;* resolutus, quem tamen in camera bonum et honestum habebat; sed in terra cum modicis straminibus corpori rigorosus jacebat. Aurelianis etiam, ceteris sociis carnibus et vino utentibus, ipse ab eis abstinebat; et frequenter, sextis autem feriis semper, jejunabat. Sacrarum autem Scripturarum Canonumque ac Legum, quibus insudabat, scientiam intenta cordis aure suscipiens, tamquam terra cœlesti imbre perfusa, non solum sacrarum meditationum et affectionum segetes, sed etiam bonorum operum fructus uberrimos producebat. *castus et humilis·* Videns enim, in divitiis pietatem, in deliciis castitatem, et in honoribus humilitatem perire; et nihilominus consocios scholares, ut plures per abrupta vitiorum gradientes, ad eas aspirare, humilitati et misericordiæ animum dedit: D ab insidiis mundi, carnis, et diaboli sollicite custodiens semet ipsum. *A. MAUR. GAUFRIDI EX MS.* Neque vero aliquando adversus ipsos socios et coævos movebatur; sed ea tantum flamma egregio scholari crescebat in pectore, ne secundus cuiquam in virtuosis operibus inveniretur.

20 Libenter ibat ad Missas, Sermones frequentabat, Horis B. Virginis numquam deficiebat, numquam de Deo aut Sanctis ejus jurabat, nec verbum inhonestum quodcumque proferebat : *non tam litteris quam virtutibus studet excellere,* portionem suæ pitantiæ carnium piscium ve, in mensa coram positam, integram pauperibus erogabat : nullum juvenilis lasciviæ aut incontinentiæ signum (ut in ejusmodi non dico scholaribus, sed discolis ut in pluribus, esse solet) castitati contrarium ferebat. Quin imo totius pudicitiæ et interioris munditiæ foris titulum prætendebat : quibus in rebus quosdam de scholaribus et magistris in admirationis provocabat excessum, quosdam vero ad imitationem operum et sanctitatis divina suffragante gratia perducebat. Sapiebat enim virtutem in hoc supereminere scientiæ, quoniam virtus, etiam sine scientia, via est ducens ad vitam; scientia vero sine virtute, via perducens ad perditionem. Aliter enim Augustinus, adhuc Catechumenus et nudus, in Christo renatus, E collaterales alloquens socios litteratos, non dixisset; Surgunt indocti et rapiunt cœlos, et nos cum litteris nostris in infernum demergimur. Alioquin et infideles Philosophi, adeo in scientiis excellentes, ab inferis non fuissent absorpti; quod tamen et de ipso Salomone sapientissimo asserunt fidelium multi, de quorum omnium scientia Propheta meminit dicens, (Is. 15, 9) Aquæ Dibon repletæ sunt sanguine. Dibon, Abundanter-intelligens, interpretatur.

21 Et certe scientia modernorum scholarium, in quibus abundanter intelligentes vel sunt vel ut sint sitiunt, sanguine id est peccato plenæ dicuntur ; quia hodie ut plurimum cum peccato acquiruntur, et multorum peccatorum occasio sunt. *ne ut plerisque scientia sibi fieret in ruinam,* In hoc autem isti similes sunt Uriæ, portantes adversum se litteras mortis suæ : quando enim majori pollent dono scientiæ, tanto majori subjacent culpæ, et consequenter et pœnæ. Ad eas autem, virtutum cultu non tam neglecto quam spreto, tanta hodie anhelant aviditate, tantis studiis atteruntur; ut quod cunctis est naturale, et eis meritorium esse poterat, finem indebitum præstituendo, in vitium sibi damnationemque convertant. Quidam quippe apud Bernardum studium iis impendunt, tantum ut sciant et curiositas est; quidam ut sciantur, et vanitas est; quidam ut F ditentur, et cupiditas est; hi autem omnes in hocce delirantium Protoparentum se filios et imitatores ostendunt, qui diabolica suggestione, neglecta Dei lege, et virtutum religione, boni dempti et adepti mali scientiam, quam non habuerant, tenuerunt; et virtutes, quas tenuerunt, amiserunt. Non sic sanctus juvenis et floridus scholaris noster, sed cum Apostolo sapiens supereminere scientiæ caritate, *sed proficeret ad salutem.* non adeo inordinato amore amplexatus est servientem scientiam, ut divinam caritatem abnegaret; nec adeo imperanti adhæsit caritati, ut ductrici caritatis scientiæ non intenderet : sic autem unam alteri prætulit, ut neutri repudium daret; sed ambas, suæ vocationi pernecessarias et sibi mutuo subservientes, non tam in matres quam in sponsas assumeret. Dum enim ab infantia scientiæ et religionis studiosus ubera suxit, earum alumnus fuit : dum vero in eis in virum perfectum crevit, sponsus fœcundus factus est. Ex ipsis enim collecto primum, et postmodum sparto semine, plurimos antea steriles fœcundavit; et ampla in eis et ex eis, fructu salutis bonorumque operum prole multiplicatis, matris Ecclesiæ gaudium cumulavit.

CAPUT

A

CAPUT III.

Munus Officialis Rhedonibus et Trecoris præclare gestum. Caro spiritui post octennem luctam perfecte subdita.

CAP. VII Rhedonensis Archidiaconi Officialis factus,

Talibus igitur et tantis sapientiæ et religionis in Beato, jam viro facto, gratissima venustate vernantibus, cœpit fragrans odor sanctitatis et sapientiæ ejus circumquaque diffundi: qui dum ad notitiam dignæ memoriæ Mauritii, illius temporis Archidiaconi Rhedonensis, fama celebri deferente, perveniret; ipsum continuo accersivit, et accersitum instantissimis precibus inductum, et caritati acquiescentem, suum Officialem instituit; beatum sane se reputans in hoc ipso, dum et sibi de tam inclito Officiali, et suæ jurisdictioni de tam industrio et sufficienti Ministro providisset. In quo et ipsius Archidiaconi venit laudanda provisio, et Yvonis accedit officii acceptatio commendanda, et Rhedonensium susceptio gratulabunda succedit. Felix Archidiaconus, et ipsa dignitate non immerito dignus, qui B talem et tantum in Officialem quærit, et inter impares Parisios et aureas Aurelianos præcipuum unum sibi propitium invenire meruit. Laudabilis et ipse vir sanctus, quæsitus et inventus, qui sicut officium non ambivit, sic nec oblatum ex caritate renuit aut pertinaciter recusavit. Conscius enim sibimet erat, talenti sibi crediti Deo et proximo se fore debitorem, et de lucro reportando districtam supremo Judici redditurum rationem. Resultat quoque regio Rhedonarum, talem et tantum Judicem divinæ dignationis dono suscipiens: qui quod justum esset juste judicaret, et eorum quæ supremus Archas *a* sub delegatis Judicibus imponit cuncta compleret; nec ulla seductus ignorantia aut passione, aliquid quod juris et justitiæ esset præteriret.

fuit in eo munere omnibus æquus et pacificus.

23 Statim enim ut Officialatus functus est officio, cœpit omnibus suadere, ut abnegantes impietatem et secularia desideria, sobrie quoad se, juste quoad proximum, pie quoad Deum viverent in hoc seculo, expectantes beatam spem et supremi Judicis retributionem justam. Rebelles autem et protervientes, debitis censuris et pœnis medicinalibus subdendo, coercebat a malis, et ceteris in exemplum eorum correctionem exhibebat. Nimirum quia et veritatis erat in causis investigator, et inventa veritate erat justitiæ fidelis propugnator, unicuique sine delectu C et differentia personarum celerem justitiam faciebat. Dissidentes ad pacem et concordiam totis conatibus reducebat: in transactionibus et concordiis, partium jura, quantum poterat, conservabat; et quando pacificare non poterat, celerem eis justitiam ministrabat. Mirantur causidici tam subitum justitiæ et veritatis apicem, quasi lucernam super candelabrum, et quasi civitatem supra montem positam; videntesque quod sapientia Dei erat in eo ad faciendum judicium, benedicebant in eo Dominum, et Joelis *Joel.* voce Rhedonarum regioni dicebant, Filii Sion, exultate et lætamini in Domino Deo vestro, qui dedit vobis doctorem justitiæ.

CAP. VIII Inde evocatus ab Alano Ep. Trecor.

24 Hujus itaque tam laudabilis justitiæ tamque fructuose regnantis fama pervolante, cœpit in eum patriæ nativæ desiderium aspirare. Porro hoc et ipsius patriæ necessitas flagitabat: ejus enim inhabitantes tunc temporis adeo erant ad bona pigri et tardi, ad mala vero quæque proclives et proni, ut opus haberent quadrato virtutibus viro, qui eos et a malis refrænaret, et ad honesta quæque et laudabilia stimularet. Antistes etiam illius temporis bonæ memoriæ Domnus Alanus le Bruc, existimans felicem fore tali Curiam suam Judice, hoc idem ex D spectabat, et modis omnibus exquirebat: ipseque vir sanctus, Tulliani dicti memor, quod nulla causa intervenire deberet, unde propria patria denegetur, id ipsum satagebat. Hoc igitur triplici ordinatæ caritatis funiculo, quod difficile rumpitur, tractus, Rhedonas linquens, solum patrium petit. Archidiaconus deflet valedicentem, Episcopus exultans suscipit accedentem: deplorant Rhedonenses, Trecorenses applaudunt: lugent exteri, gaudent indigenæ.

Jer. 1, 10 omnes boni Officialis partes implet,

25 Exceptum itaque Præsul exultans, ipsum suum Officialem instituit, et in verbo Prophetæ, imo verius Dei per Prophetam prorumpens, onus Officialatus expressit: Ecce, ait, constitui te hodie, super gentes et regna, parvos scilicet et magnos, pauperes et potentes, ut evellas, et destruas, et ædifices, et plantes. Quæ omnia vir sanctus, Officialatus munere functus, diligenter adimplevit. Mox enim arbores autumnales, bis mortuas, frustra hortum Domini occupantes, eradicavit; infructuosos palmites, qui etiam vineam Domini Sabaoth demoliri videbantur, Petri gladio putavit; dum patriam pravis et perversis, corruptis et pestilentibus hominibus purgavit, Parochialiumque hortos ecclesiarum, per diœcesim in circuitu, novellis justificatorum plantationibus implevit. Ex numerosis nempe luxurioso- E rum, usurariorum, prædonum, mulierum et virginum oppressorum, variorumque aliorum vitiosorum turbis, quosdam in Monachos ad cœnobia transferendo, alios immutatos in Sacerdotes promovendo, alios in eremitagiis in Solitarios recludendo, alios in Peregrinos ad Apostolorum limina et loca alia longinqua transmittendo, variisque aliis modis, quibus subtilis et multiplex spiritus dabat, a Deo elongatos et a salute devios, per Ecclesiæ Sacramenta Sanctorum Societati conseruit. Sic igitur rebelles, obstinatos et pertinaces, pœnis et debitis censuris destruens et evellens, obedientes vero et pœnitentes caritativis exhortationibus verbisque paternis et exemplis plantans et ædificans, totam patriam in melius reformavit, reformationisque vestigia in hos usque dies patent, et fructus uber perseverat.

cum maximo illius diœcesis bono,

26 O felix aspice, Trecora, et parumper oculos attolle: sta in excelso, et vidi tuorum beneficia Sanctorum super te cumulata. Gaude, et super Patronis tuis jugiter delectare. Clama, et in gratiarum actiones erumpe. Nonne quondam Pontificis tui sacratissimi Tugduali tuis demeritis absentia tibi, ab homine usque ad pecus, imo et terræ nascentia, sterilitatem procreavit? pluviam et cœlestium influentiam annis tribus interdixit *b* Nonne ejus ad te pœnitentem et correctam regressus, animalium fœ- F cunditatem, fructuum ubertatem, et omnium bonorum opulentiam ministravit? Successu vero temporis infelicius et perniciosius afflictam, nonne fames et sitis, haud panis et vini, sed verbi Dei et justitiæ, te ad plurimarum animarum mortem oppresserat? Nonne bonorum operum sanctæ et honestæ conversationis sterilitas, quasi apud omnes; fructusque salutis apud nullos, aut certo raros inerat? quando alter iste Sanctus Patronus tibi superveniens, inundantis doctrinæ et justitiæ pluvia, arida et sterilia in te corda rigavit, influentiam gratiarum supernarum impetravit, et ad ubertatem salutarium fructuum verbi et exempli scientia fœcundavit. Quas ergo condignas laudes ac pares gratiarum actiones pro beneficiis, his Patronis tuis exolves? Age igitur exiles, et pro tuo modulo impares gratias et honores; et cum pro voto condigna munera non valeas offerre, tuam culpam supplex excusari, et inopiam suppleri deposce.

b

alterum in eo Patronum nactæ

27 Defuncto autem præfato Præsule, qui quoad vixit ipsum in Officio retinuit, successor ejus dignæ memoriæ Domnus Gaufridus de Tornamin, compertis sancti

CAP. IX Alani successori Goufrido carus, dicitur Pauperum Advocatus,

A sancti Officialis virtutibus et perfectione, nullatenus eum deserere voluit; sed consimili ad eum fervens devotione, omni eum amore simul et honore prosecutus est. Cum autem quandoque e pluribus aliis Curiis, quibus ipse non præsederat, et ad quas eum suus animus, præmonitus Dei quo agebatur spiritu, ducebat, et ab aliis vocatum contigisset adesse; pro pauperibus, pupillis et viduis, ceterisque miserabilibus personis, gratis postulabat, causas fovebat, ad eorumque defensionem se offerebat: unde pauperum Advocatus communiter vocabatur; pro eis sine salario *c* patrocinabatur et consulebat; eorum memorialia, litteras et acta scripto pro nihilo redigebat: dum vero et ubi ipse præsideret, Advocatos et Notarios Curiæ ad idem faciendum, rogatibus inducebat. Erat autem aliis pium spectaculum, videre Yvonem Sanctum Domini, licet generosum, scientem, et in omnibus spectabilem, pro justis Christi pauperum causis fovendis et tuendis, ab Advocatis adversarum partium jurgiis impetitum, ludibriis, subsannationibus et blasphemiis expugnatum, coquinum communissime vocatum; non tristem tamen animo aut turbulentum, non denique in aliquo impatientem fieri, sed placido et hilari vultu gratis B et rationabilibus responsis adversantes convenientem: in quo et Apostolorum non est fraudatus gloria, quorum exemplo gaudebat in conspectu concilii, quoniam dignus habitus est pro Christi pauperibus contumeliam pati.

usque ad convitia sustinenda prolis,

28 Hæc autem manifestius in quam plurimis litium certaminibus patuerunt, præsertim in causa cujusdam pauperis viduæ, cum quodam usurario; et in causa contractus cujusdam juvenculæ cum juvene quem petebat, non habentis unde Notario solveret: in causa etiam pauperis Armigeri Richardi le Brouze, contra Abbatem de Reliquiis, terram sibi auferre conantem: qui substantia denudatus, nisi ipse pauperum Advocatus, clamoribus Armigeri pulsatus, causam ejus pietatis intuitu ducendam suscepisset; ipsam penitus dimisisset, et justitiam nequaquam obtinere valuisset. Dictas autem causas et quam plures similes, præstitis juramentis quod justas se causas habere crederent, suscepit, et usque ad definitorias sententias conduxit, et pro eis obtinuit. Dicat ergo cum asserto Rege et pio Judice Job, et vere dicat; Pater eram pauperum et defensor *d* viduarum: oculus fui cæco, pes claudo; causam quam ignorabam diligenter investigabam; conterebam C molas iniqui, et de dentibus impii auferebam prædam: et cum Propheta, Eripiens inopem de manu fortiorum, egenum et pauperem a diripientibus eum.

modo justas esse causas sciret.

Job 29, 15

Ps. 34, 10

29 Utinam sic audiant auribus hæc ut intelligant corde nostri temporis Officiales, Judices, et causidici, Advocatum ac Officialem Yvonem imitari studiose contenderent. Hoc enim est quod per organum Sapientiæ Spiritus eis sanctus acclamat, et ut attendant admonet comminando; Audite, inquit, Reges et intelligite: discite Judices finium terræ; præbete aurem vestram qui continetis multitudinem, et placetis vobis in turbis nationum: quoniam data est vobis potestas a Domino et virtus ab Altissimo, qui interrogabit opera vestra, et cogitationes scrutabitur: quoniam cum essetis ministri regni illius, non recte judicastis, nec custodistis legem justitiæ, neque secundum voluntatem Dei ambulastis. Horrendo et cito apparebit vobis, quoniam durissimum judicium, in his qui præsunt, fiet. Exiguo enim concedetur misericordia, potentes vero potenter tormenta patientur. Juxta quam sententiam refert in suis Tragœdiis Seneca *e*, quod Nero, qui iniquus Judex et crudelis exstiterat, iniquis et impiis sibi similibus Advocatis vallatus apud inferos balneari, ministris D undique aurum bullitum infundentibus, visus est: qui cum prope videret quamdam Advocatorum cohortem, clamavit, O venale genus hominum! O Advocati amici mei, huc accedite et in hoc vase mecum balneamini: adhuc enim in eo superest locus, quem pro vobis reservavi.

Judicibus omnibus imitandus,

Sap. 6, 3

CAP. X Inter hæc Mariam Marthæ perbene jungens, et Liam Racheli,

30 Tantis autem negotiorum curis ac variis causarum solicitudinibus, virum sanctum hinc inde constringentibus, sicut in cursu studii pro lectione religionem non neglexit, sic nec in tanta rerum varietate a cultu virtutis oculum intentionis deflexit, nec mentem in Deum tendentem a devotione et contemplatione distraxit. Marthæ nempe sive adjuvando, sive judicando, sive circa frequens aliud ministerium satagendo, gerens partem et inde turbatus, non tamen perturbatus; partem Mariæ nec ad momentum amittens, sed Deo fixus intendens, ab ejus pedibus discedere non valebat: Liæque, quia fœcundæ, non horrens lippitudinem, Rachelis pulchritudine sorbebatur. Verum quia communem cum ceteris mortalibus humanitatem gerebat, communem ceteris mortalibus, inter carnis sensualitatem et spiritum rationalem, pugnam indefessam patiebatur. Quam quidem pugnam intestinam, et bellum ab utero cunctis innatum, lucta Jacob cum Esau germano, E cum adhuc essent in utero, figuravit. Decebat enim per omnem modum, ut Rex ipse gloriæ Christus, qui militibus suis, quo magis in agonia et corona confirmarentur, et in tribulatione et regno participarent, diversa providit bellorum certamina: almo suo Confessori, strenuo tironi, hoc etiam durum certaminis genus, non in pœnam culpæ, sed in conservationis remedium et cumulum meritorum indiceret; quatenus verus Christi miles probaretur, et Deo acceptus ac corona dignus inveniretur; cum gloriosius sit non consentire, quam tentationem non sentire. Sic nempe per Angelum Dei Tobiæ sancto dictum est, Quia acceptus eras Deo necesse erat ut tentatio probaret te: et alibi Scriptura dicit: Tamquam aurum in fornace probavit electos Deus, et invenit eos dignos se.

carnis et spiritus luctam sustinet

ad exercitium et augmentum virtutis;

Tob. 12, 13

Sap. 3, 6

certantibus ex parte carnis temporalibus bonis,

31 Carnis igitur in eo querulosa sensualitas extorquebat, ut Maria totam contemplationem omneque studium, totum quod saperet, legeret et meditaretur, in adjutorium Marthæ coassurgens, in ipsius carnis obsequium committeret: econtra vero rationalis spiritus contrarium justius exigebat, ut totum activæ Marthæ ministerium, contemplationi Mariæ ad usum et obsequium rationis deserviret. Dumque utraque utrumque sibi vendicare, atque ab alterius obsequio abstrahere moliretur et contenderet, sibimetipsis repugnando, indefessa inter carnem et rationem pugna resultabat, et in domo Justi tempestuosus suscitabatur insultus. Offerebant autem F se ad insultum ultro cum carne, floridæ juventutis elegantia, generis pomposa nobilitas, callens ingenium, inflans scientia, fastus auctoritatis, favor mundi, hominum accessus, multitudinum concursus, obventus opum, fama præclara, variæque plures aliæ plurium carnalitatum occasiones, satellites vitiorum, sathanæ cohortes, diaboli legiones, quæ carnales obsident homines, voluptuosos debellant ducuntque captivos. Hæc enim et consimilia, velut exercitus, pro sensualitate contra rationem adunatus, leges rationis supponere, rebellionem fovere, et ei bellum indicere suadebant; rationemque sensualitati in servam redigere, et dominam rationem sibi tributariam reddere ac debitam obedientiam subtrahere moliebantur.

ex parte rationis agnitione obligationis suæ pro iisdem,

32 Rationi autem parte ex altera, contra sensualitatem, concurrebant in suffragium, collatorum donorum naturæ, gratiæ, et fortunæ prudens consideratio: qua nisi ea Largitoris servitio exponeret et ad lucrum

MAUR. G. A FRIDI EX MS

A lucrum credita dispensaret, non tam vanitatem in eis, quam ex eis damnositatem sibi paratam observabat. Accedebat in subsidium excelsioris generis agnitio, qua divino existens genere, humanæ conditionis dignitati, deferens, vile corporis mancipium fieri, et degeneri conversatione in carnalium voluptatum servitutem redigi, dedignabatur. Sed et propagationem carnalem, terram replentem, pro spirituali cœlestia restaurante respuebat. Sequebatur et commissa judiciariæ potestatis auctoritas, præmonens quod non hominis, sed Dei exerceret judicium, et quodcumque judicaret in eum redundaret, ac in extremo judicio judicandas exolveret. Circumdantis promiscui populi concursus et accessus admonebat, ut Deo, Angelis, et hominibus spectaculum factus, in medio pravæ et perversæ nationis, conversari studeret innoxius. Obvenientes opes, piis operibus erogatæ, confligenti mittebant commilitones in auxilium, Sanctos quos honorabat, et pauperes socios quos cibabat. Cardinales virtutes, prudentia videlicet, temperantia, fortitudo et justitia bene quadratum, ad omnem occurrentis passionis impulsum stabilem reddebant et immotum. Totum omnium virtutum corpus lorica fidei circumcingebat, caput muniebat galea spes salutis, jacula ministrabat et missilia ignita caritas. E

et virtutibus omnibus:

33 His igitur armis defensivis et invasivis, quibus Sancti vicerunt regna, operati sunt justitiam, et adepti sunt repromissiones, ratio munita, et ut castrorum acies ordinata, sensualitatis audiens buccinam, procul odorata bellum, ad hortationes ducum et ululatum exercitus procedens in occursum, vociferabatur Vah! Primos enim carnis motus, quibus sensualitas invitat ad pugnam, sentiens, et quamlibet tentationem in ejus etiam initio percipiens, qualiter etiam et quibus actibus sese contra eum vitia capitalia præparant, et multiplices earum species, veluti ducibus satellites ululatum fortis imminentis belli suscitant, deprehendens; vocem contemptus, Vah! emittebat, ob spem victoriæ et coronæ, a Rege certanti promissæ. Nam etsi sensualitatis et exercitus ejus suggestiones, ad portam usque cordis insultantes, progrediebantur: aditum nequaquam indulgebat, nec consensus januam aperiebat: sed consuetis præfatarum virtutum exercitiis omnium ejus tentationum insultus protinus repellebat.

quibus instructus

34 Cum itaque octo continuos annos, tum pugnandi exercitio, tum divini adjutorii dono, in ipsa C dira duraque pugna, sine casu transegisset; nono tandem anno, singulari Dei dono, paucis hactenus concesso, sic sopitum sedatumque bellum extitit, ut nec sensualitas carnis in spiritum rationalem insurgeret impugnando, nec ei obedientiam subtraheret aut obtemperare renueret obsequendo, nec rebellionem præstaret in operatione virtutis, nec distractionem aut depressionem ab elevatione mentis. Sicque divino numine, in mentis almi Confessoris domicilio, hæc pax imperata est, ut sensualitatis assensu actio Marthæ contemplationi Mariæ subserviret, et omne suum ministerium impenderet ad votum et beneplacitum rationis, atque ex lege et imperio rationis prodiret quidquid in ministerio Marthæ sensualitati deserviret. Datur itaque carni ejus divinitus inviolabile decretum, quod a modo rationis ancillam se cognoscat, eique in omnibus acquiescat; et rationi, ut tamquam domina sensualitatem in ancillam teneat subjugatam, et in suum semper assumat obsequium præparatam. O gratum Christi habitaculum, sic almo Confessoris exercitio et miro sancti Spiritus artificio præparatum, in quo non meretur Martha corripi, nec Maria; sed utraque pro sua laudabili et ordinata occupatione laudari! O domus jucunda, in qua Racheli formosæ Lia fœcunda non invidet, sed mutua concordia sibi sua gaudia miscent; et mutuis D obsequiis occurrentes sese corridendo resalutant, et invicem dulcia basia donant! Sic certe Confessor almus, in concordi mentis psalterio et harmonica carnis cithara, regium Psalmistam imitatus est dicentem, Cor meum et caro mea exultaverunt in Deum meum. Ps. 83, 3.

nono tandem anno victoriam obtinet,

carne spiritui perfecte subjugata.

ANNOTATA.

a Archas, *fortasse scribendum* Archus: *nam* Ἀρχός *Græce* Princeps *est.*

b *Allertus le Grand, in Vita Gallica S. Tugduali, solum* duos annos *notat: Latina, quam aliquando habuimus, cum Hymno et Officio, nescio quomodo non comparet amplius; quare aliud ejus exemplar desideramus, tanto magis, quanto evidentioribus figmentis inquinata videtur.*

c Salarium, *militare vocabulum, a castris traductum ad cujuscumque laboris mercedem significandam. de qua voce multa Mathias Martinius in Lexico Philologico.*

d *Non adsunt in Jobo verba hæc,* Defensor viduarum; *ordo quoque alius verborum est: et quædam quoad vocem, non sensum, mutata reperies: quod in aliis Scripturæ locis subinde Auctori huic evenit gnomis biblicis pro suo concionatoris officio de memoria recitandis assueto: unde etiam errare illum aliquando contigit fallente memoria, et unum librum sacrum pro altero suggerente, quod ei ignoscendum.* E

e *Inter Tragœdias, quæ sub nomine L. Annæi Senecæ passim extant, licet variorum eas esse auctorem certius sit, una est* Octavia, *in qua Neronis scelera prolixe notantur: quæ autem sit alia Tragœdia,* Neronis *titulo aliquando inscripta, nescio; Christiani alicujus, et quidem multo recentioris opus esse, ex iis, quæ hic absque ulla metri specie allegantur, apparet.*

CAPUT IV.

Yvonis ad animarum curam traducti vita exemplaris et austera.

Quia vero non minor est virtus quam quærere, parta tueri; sciens se tantæ gratiæ, tam caræ tamque pretiosæ pacis concordiæ thesaurum in vase fragili gerere, summopere eam in se conservare ac fovere studuit, et ne quandoque furtim consimilis pugna repullulet summa vigilantia cavit. Ex tunc enim carnem ipsam, quam ut hostem sic rationi subjugaverat, ne futuram ei concivem necaret; postmodo concivem factam sic tenuit et fovit, ne iterum in hostem resurgeret. Ipsam itaque crebris vigiliis, assiduis laboribus et jejuniis sic educavit, nuditate et asperitate sic vestivit, ut hostiam vivam factam, Deo placentem in sacrificium offerret. Spiritum vero sic pingui et delicioso pane Christi, hoc est Scripturarum meditationibus, orationibus devotis, desideriis cœlestibus, charismatum divinorum suspiriis pavit, ut in suavissimum holocaustum Deo totum incenderet. Ex sacrificio pars Sacerdoti manet, pars alia Deo offertur: et vir sanctus carni necessitatem non negavit, carnis tamen mortificatam voluptatem immolavit. Holocaustum totum Deo incenditur, et vir Seraphicus omnem sensum, omnem affectum, totumque Deo collectum spiritum, suæ caritatis igne liquefactum et excoctum, adolevit. Quia igitur sic activam vitam et contemplativam sub divinæ legis ordine rexit, carnemque et spiritum unanimi exultatione Deo in odorem suavitatis obtulit; nedum Regni et Sacerdotii Christi particeps factus est, sed et Regalis ejus Sacerdotii minister merito dignus habitus est. F

CAP. XI *Actione simul et contemplatione perfectus*

36 Hoc autem diligenter attendens, sanctæ memoriæ

Parochiæ de Trezdretz Pastor constituitur.

A moriæ supranominatus Præsul, Alanus le Bruc scilicet, contradicenti et plurimum renitenti parochialem ecclesiam de Trezdretz regendam contulit : et licet invitum, ad ejus titulum Presbyterum ordinavit. Et hanc quidem per octo annos et paulo amplius, ad Dei laudem et animarum salutem, digne et laudabiliter rexit. Inde autem successu temporis, per d. defuncti Præsulis successorem D. Gaufridum de Tournemin, superius etiam nominatum, ad parochialem ecclesiam de Lohanec translatus est : in qua per decennium et usque ad finem vitæ Rector perstitit. In quo prorsus ipsorum Præsulum, imo verius Principis Pastorum Christi collaudanda venit providentia : quæ gregibus, pretioso suo sanguine demptis, in fide et moribus dirigendis, tam industrium Regem tradidit ; et sacris eidem ministrandis, ac Deo precibus et meritis commendandis, tam idoneum et dignum Sacerdotem credidit. Resultat etiam ipsarum plebium gratulabunda fiducia, quæ tanti Regis ductibus adhærendo, ad thronum hic gratiæ et futuræ gloriæ felicius gradiuntur, et tanti Sacerdotis commendationibus innitentes, omni procul pulsa repulsa, in portis utriusque gratus ipsis B et hilaris aditus aperitur. Veneranda prorsus est patri pro filiis collata facultas, ut missus eis Rex eos sub Deo regat, et Sacerdos institutus ipsi rectos offerat : sed et amplam nimis filiorum ex patre consecuta commoditas, quo regente sanctificantur, quo offerente gratificantur.

CAP. XII. Ut subditos exemplo prius quam verbo doceat,

37 Mox autem ad regimen animarum et Sacerdotale ministerium assumptus, ut Rectoris et Sacerdotis plenius impleret officium, tamquam esset novus Honoratus, pristinam vitam immutavit, et totum statum in apparatu, victu, vestitu, gestu, in virum alterum factus, innovavit. Sciens enim secularium corda exemplis potius moveri quam verbis, ut Christum pauperem et fidem ejus, non verbis tantum et labiis personaret, sed rebus et manibus demonstraret ; neque Pharisæorum more qui dicunt et non faciunt, sed sui exemplo Magistri, qui cœpit facere et docere ; cœpit et ipse primum facere, quod post aliis suaderet : nam nimis a sensu doctrinæ devius errat, qui quæ curavit scire, fugit facere.

pretiosis vestibus in pauperes distributis,

Abjectis igitur armis Saulis, cum David in funda et baculo contra Goliath prosternendum pergens ; omnia quæ mortali corpori ornatui viderentur esse, omnesque mundi fastus abegit et Christo pauperi prædicando se penitus dedidit ; ut quæ linguæ vox C promeret, vitæ meritum confirmaret. Posito itaque apparatu raubarum, et persicarum ac foratarum vestium, quas a præfatis Archidiacono et Episcopis acceptas, in eorum Officialatibus honestas et mediocres, ob jurisdictionis venerationem deferre solebat, et in quibus communi vulgo et populo prædicare cœperat ; vilem et communem, et magis evangelizantes pauperem Christum habitum sumpsit. Unde statim hospitale civitatis ingressus, uni pauperi capucium dedit, alteri supertunicale, alteri supertunicalis foraturam, alteri cæco botas ; et loco capucii, alam epitogii super caput tenens, nudus pedes, egredi visus est.

humilem omnino et vilem habitum assumit.

38 Ex tunc autem pauperem habitum, humilem et abjectum detulit. Epitogium videlicet de grosso burello albo longum, et tunicam cum magnis et largis manicis sine botonibus, et caputium ad occul tandam faciem et vultum aliqualiter inclinatum ; omnia albi coloris, in innocentiæ suæ signum, humilis spiritus insignia, pudicitiæque et castitatis carnis indicia ; ut sic virtutes mentis, habitus corporis loqueretur. Sotulares altos et corrigiatos, ad modum Prædicatorum et Cisterciensium, in viam pacis ad evangelizandum præparatos, sine caligis deferebat : nec eques per loca, quamvis multum

duriter cubare solitus,

A. MURA. GAUFRIDI EX MS.

D distantia, sed pedester laboriosus incedebat. Ad carnem asperrimum cilicium deferebat, et grossam de stuppis camisiam, cilicium ipsum, ne videretur, desuper operientem. Stratus ubi sibi foris pararetur ad quiescendum idoneus, non in ipsa mollitie, sed super tabulas aut in terra nuda, vel modicis straminibus recumbebat : domi vero super cleda de lignis et grossis baculis, virgis contextis, quiescebat : culcitra puncta, vili et nigra, quandoque tempore frigoris operiebatur ; reliquo tempore suis vestibus contentus, numquam vel raro discalceatus requiescens.

aliquando in petra dormiens invenitur

39 Quadam nocte, dum armiger quidam Mauritius de Monte, et ipse Sanctus, in eadem camera essent ab hospite locati, et dictus Armiger lectum ingressus, Yvonem crederet in camera permansisse, vocem dormiens audivit, tribus vicibus admonentem ; Surge, Beatus jacet in petra, et tu resolutus jaces in lecto. Qui expergiscens, de lecto concitus surgens, nec Sanctum in camera accenso lumine reperiens, ad cœmeterium pergens, ipsum a casu in concavo lapide, in quo S. Eleau pœnitentiam egerat, dormientem invenit. Pro cervicali elegerat biblicum librum, non somnolentiæ sed diligentiæ instrumentum ; illum per diem etiam secum ferens, E ut in lege Domini die ac nocte versaretur. Aliquando autem more Jacob, petram capiti supponebat : nam et in vera petra, qui Christus est, suam quietem locaverat et suum jactaverat cogitatum. His lectis, his culcitris, hac supellectili singulis utebatur temporibus ; et carnem suam pro subditorum salute crucifigebat quotidie, duro dormiens in lecto, exemplo ejus, qui somnum mortis pro grege suo cepit in duro mortis patibulo.

CAP. XIII Crebris jejuniis assuetus in pane et aqua

39 De mensa autem ejus, cibique et potus qualitate, aut etiam quantitate, quid dicam ? Tanta erat in victu sobrietas, in abstinentia tanta austeritas, ut nec carnalium mens concipere, nec lingua suffe rat parturire. Undecim annis totam Quadragesimam in pane et aqua ; Adventum etiam Domini et ab ejus Ascensione usque ad Pentecosten, in jejuniis quatuor Temporum, atque in Vigiliis B. Virginis et Apostolorum, cum omnibus Vigiliis ab Ecclesia ordinatis, omnibus quartis et sextis Feriis ac Sabbatis, etiam in pane et aqua jejunabat : aliis autem diebus hebdomadæ semel tantum in die pane et potagio vescebatur : diebus autem Dominicis, in Natali Domini, festo Paschæ, Pentecostes et omnium Sanctorum, bis in die reficiebatur. Erat F autem panis ejus grossus, siliginis videlicet, avenæ, hordei, furfuris, vel mixturæ : potagium vero pisorum, fabarum, olerum vel raparum, ut plurimum cum sale sine alio condimento ; quandoque, licet raro, adjuncta modica farina et aliquantulum de butyro : aliquando autem in die Paschæ pro pitancia unum vel duo comedebat ova, quasi continue aquam bibendo.

alias non nisi grossioribus vescitur :

nec nisi raro quidquam remittit,

40 Dum esset in mensa cum Episcopis vel amicis, eorum devictus instantia, parum de vino, licet raro, ponebat in aqua : de carnibus vero seu pisci bus, caseis aut nucibus, aut aliis cibis, quos inter fragmenta pro eleemosyna reponebat, se comedere simulabat. In ultima tamen Quadragesima ante mortem, cujusdam eremitæ pauperis et infirmi, Yvonis nomine, pietate et compassione ductus, aliquando potagium comedebat ; ut dictum infirmum, quem nutriebat, induceret ad manducandum. Aliquando etiam deprehensus est per quinque dies, quandoque vero per septem, non manducans aliquid neque bibens, cœlesti tantum et Angelico victu sustentatus ; post quod actum adeo in bono statu et jucundo vultu apparebat, acsi quotidie cibo et potu regio vesceretur. Cum autem sufficiens Beneficium bonumque patrimonium

sola ad id virtute impellente

A patrimonium haberet, ac in temporalibus acquirendis providus et industrius esset, omnisque omnium affectus in eum accensus, se et sua eidem elargiri devoveret; non arctatus inopia aut paupertate coactus, mollibus vestibus et delicatis cibis aut potibus carebat; sed illius amore simul et exemplo, qui ut subditos suos stola gloriæ vestiret, et beata fruitione satiaret, esca fellis cibatus, et aceto potatus est; nudusque pro eis in cruce pendens, ad se omnia traxit, ipse quoque, ut suos subditos ad ejus imitationem traheret, omnia hæc austera sustinebat.

CAP. XIV Conversatione humilis,

41 In gestu quoque valde humilis fuit et mansuetus, patiens et benignus, pacificus et quietus. Verba ejus, signa, et opera, et vitæ totius honesta conversatio sanctitatem, munditiam, et puritatem, et nihil eis contrarium redolebant. Inclinato capite pudicos dimittens oculos, ante tracto capucio, humiliter incedebat. Pauperum potius quam divitum gaudebat contuberniis, consolatoriis eos verbis et factis humillime tractans. Mundanos honores, a cunctis ipse honorandus, fugiebat : multumque sibi displicebat, si quis eum commendaret. Quoscumque gradus, status, sexus, et ordines ad humilitatis or-
B dinatæ meritum provocabat; et ipse cunctis et in cunctis exemplum in se humilitatis exhibebat. Unde et semel apud Locnzer diœc. Trecor. ubi annue magna populi multitudo conveniebat, populo præ cunctis aliis ejus sermonem postulante, contra omnem omnium voluntatem, Fratribus Ordinis Prædicatorum, qui præsentes erant, detulit; asserens se in eorum præsentia indignum prædicare : et pro eo faventes, quibus hoc displicebat, ad eos audiendum induxit.

CAP. XV patiens et mansuetus apparet:

42 Magnæ autem patientiæ fuit rebus in adversis, sive hominum videlicet opprobriis, sive assumptis pœnitentiæ asperitatibus, sive præsentis incolatus miseriis illatis et innatis. Sæpe enim blasphemantes, et, licet spectabilem et venerandum, Coquinum tamen vocantes, patienter hilarique vultu sustinebat. Pediculos etiam, circa collum et supra ipsius vestem prodeuntes, non permittebat auferri; sed in sinu reponens dicebat, Vermes in cadavere dimitti, et cuniculos in garena. Fuit etiam pacificus et quietus, juxta doctrinam Apostoli velox ad audiendum

Jac. 1, 19

quæque salutaria; tardus autem ad loquendum, nisi quæ Dei honorem et proximi salutem ædificarent. Si quando irascebatur malis, non peccabat: sed siquid in eos contrarium loqueretur aut faceret, be-
C nigne et patienter implebat. Sic igitur in vestitu, victu, simul et operum gestu delectabile cunctis clarumque sanctitatis vitæ speculum et conversationis exemplum exhibebat, etsi non ex æquo omnibus, tamen utcumque pro suo modulo imitandum. Quis visa tantæ austeritatis tantæque sanctitatis vitæ exhibitione, ad sanctimoniam vitæ et pœnitentiæ justitiam non revocetur, non animetur?

CAPUT V.

Prædicationum Yvonis et orationum efficacia. opera misericordiæ corporalis ac spiritualis.

CAP. XVI In prædicatione verbi assiduus

Non solum autem sanctæ et cœlestis conversationis exemplis suos desuper volitans provocabat pullos ad volandum, nec familiaribus tantum et privatis colloquiis, sed publicis etiam sermonibus, frequenter et ferventer hortabatur. Sic autem erat verbi divini prædicationi assiduus, quod frequentissime et quasi continue eidem insistebat; et non tantum in propria parochia, civitate, aut parochiis suæ diœcesis, sed in quam pluribus aliis diœcesi-
D bus, civitatibus et parochiis, de Episcoporum et locorum Ordinariorum, non tam licentia, quam instantissima requesta. Locis etiam publicis, triviis et compitis, plateisque communibus, annuntians verbum, eodem die eodemque loco bis aliquando prædicabat. Sed et quandoque tribus vel quatuor diversis locis et distantibus parochiis, uno eodemque die, sæpe in Quadragesima prædicavit. Sed et gestorum ejus attestatio refert, in die quadam Parasceves ipsum septem vicibus in septem locis prædicasse. Quid plura? Pluribus sic pluries prædicans, licet a pluribus affectuose invitatus, aliquando tamen jejunus revertebatur, sic mirabiliter fatigatus, ut se sustinere non valens ab aliis fulciretur. Tanta autem labiis ejus erat diffusa gratia, quod copiosa gentium multitudo ex diversis partibus confluebat; nec valentes ejus dulcedine verborum satiari, de sermone ad sermonem, de parochia ad parochiam, ut iterum eum audirent, sequebatur. Mos autem ei erat ante sermonem et postea, flexis genibus et complosis manibus, devote orare, quandoque etiam lacrymando. In ipsis etiam prædicationibus cum tanta flebat aliquando devotione, quod ipsos quoque suos auditores ad lacrymas provocabat.

in eaque mire gratiosus

E 44 Talibus igitur et tantis prædicationibus, et sanctis doctrinis, salubribusque bonorum operum exemplis excitantibus, patriæ gentes, ad bona pigri et vitiosi quam plurimi, et ad mala quæque proni a suis sunt erroribus reversi, et a perversitatibus revocati; totaque patria, experientia teste, in melius reformata est. Boni et honesti in virtutibus profecerunt, pravi et perversi ad salutarem viam reducti sunt, discordes et divisi ac odiis iniquis inveterati uniti et pacificati sunt; lubricitatibus, lasciviis, lenociniisque dediti perpetuis in pane et aqua jejuniis, mollium lineorumque abstinentiæ et peregrinationibus, sicut in quodam Gaufrido, pessimo ante ribaldo patuit, mancipati sunt. Publici usurarii, mulierum oppressores, violatores virginum et homicidæ (ex quibus fuit quidam Derianus, dives et nobilis) post peregrinationes ad limina Apostolorum emendati sunt. Quidam vero alius, lubricus Clericus et quam plurimum inhonestus, post Romanam etiam peregrinationem emendatus et Sacerdos factus, omnem Quadragesimam in arcto pane et aqua brevi, postea voto proprio jejunavit. Quemdam etiam Scutiferum, dum prædicaret prætereuntem et de sermone non curantem, Sanctus coram populo primum quidem reprehendit dicens, quod si adessent garciæ cum taborino diaboli libenter permansisset, qui ad au-
F diendum verbum Dei manere contemnebat; deinde publice deprecatus est Dominum, ut ante mortem in carne pœnitentiam ageret. Mira Dei justitia et misericordia! Non multo post tempore per annum et ultra paralysi percussus, curandum Deo et Sancto se devovit, sanitatem recepit, et in multorum exemplum vitam correxit.

magnum fructum animarum facit

multosque peccatores convertit:

CAP. XVII obstinatos in malo precibus emollit;

45 Quos autem nec bonorum operum exemplis, nec privatis admonitionibus, publicis sermonibus, convertere et emendare valebat; ad consuetum orationis refugium se convertens, precibus revocabat, et divinæ gratiæ instinctu redire cogebat. Retulit nobis quidam Gaufridus de Insula, quod orta erat aliquando maxima dissensio et litis controversia inter eum et uxorem suam ex una, et privignos suæ uxoris ex alio marito filios, Mag. Radulfum Portarii et germanum suum Jacobum Portarii, parte ex altera, super quibusdam bonis mobilibus et immobilibus, in quibus dicti Radulfus et Jacobus privigni vitricum suum Gaufridum et ipsam matrem impetebant. Sanctus autem vir altercantium lites dirimere, ac inter eos justitiam et pacem facere satagebat, ad amicabilem inter eos compositionem ordinandam laborabat

discordantes Missa dicta ad pacem flectit.

laborabat, et se ultroneum offerebat. Ipsi autem vitricus et mater in nullam aliam compositionem pacis aut concordiæ, quam quæ juris rigor cum strepitu et figura judicii definiret, acquiescebant, quin immo indurato animo penitus resistebant. Cernens ergo vir sanctus ipsos malitia excæcatos, obstinatam considerans voluntatem, et in casu ad eum solum esse recursum, qui solus ad se etiam rebelles compellit propitius voluntates; hoc saltem eos obnixius rogans, ut quos monitis concordare non posset, oratione converteret, precibusque obtinet ab eisdem, ut paulisper expectent et horam prorogent, donec Missam de Spiritu sancto celebret, et donum sibi caritatis infundi deprecetur, quo facile paci et justitiæ condescendant et ad pacis fœdera deflectantur. Quid ultra? Mira Dei gratia! mira apud Deum Sancti viri merita! Accedit Sanctus ad sacra Mysteria, orationum profert incensa, redit, et reduniti occurrunt per prius rebelles et obstinati, dicentes; Amplius spiritui resistere aut contradicere non valemus, Domine: de totius litis controversia et discordia, quæ vertitur inter nos amodo facite plenariam voluntatem. O mutatio dexteræ Excelsi! Quis non videat quam efficax apud Deum sit oratio Sancti, cujus Sacrificii oblatione et orationis virtute, libera voluntas de malo affectu in bonum repugnans subito mutatur, et in malo proposito fixa, manens libera, ad oppositum cogitur.

In Sacrificio aliisque orationibus devotissimus,

46 Hic in Canonicis Horis dicendis et Officio mortuorum, ordinationes Ecclesiæ temporaque statuta indefectibiliter observabat. Missarum crebra et quotidiana celebrabat solennia, nisi infirmitatis causa vel alio magno impedimento teneretur. Frequenter quando Corpus Domini elevabatur, in tanto mentis rapiebatur incessu, ac si ibidem præsentem Christum videret incarnatum. Antequam accederet, mos ei erat, ante altare flexis genibus, complosis manibus, inclinato capite, et facie occultata, se in oratione prostrare; et cum gemitibus, suspiriis et lacrymis prolixius orare. In ipsa vero Missa multotiens gemebat et flebat in altari, memor quoniam ipse Salvator, in ara crucis cum clamore valido et lacrymis se offerens, in omnibus pro sua reverentia exauditus est. Extra vero Missas, in privatis orationibus, assiduus pro peccatoribus, miseris et afflictis, novum in se præferens Jeremiam, uberrime flebat, et miro compassionis liquescebat affectu. Supra modum vero animarum pereuntium zelo succensus, nec minus desiderio cœlestis habitationis affectus, creber in orationibus pernoctabat. Sæpe autem et inter orationes rugiebat a gemitu cordis sui, nec continere se poterat, quin vox plangentis eminus audiretur.

CAP. XVIII Sacramenta sedulo ministrat:

47 Hic ergo sanctus Presbyter et pius Pastor, sancto conversationis exemplo, continuo prædicationis officio, assiduoque orationis suffragio populos ad salutaria quæque revocando, eorum etiam animabus corporibusque curandis opportuna subsidia, spiritualia simul et corporalia, diligentissime dispensabat. Curandis nempe languentium animarum plagis, septem Sacramentorum salubribus medelis, diligentius occurrebat; ægrisque moribus et egenorum corporibus septem operum misericordiæ, spiritualium corporaliumque, dispensationi ferventius insistebat. Ad hoc ipsam Bibliam, salubrium omnium medicinarum apothecam, cum Breviario in sinu vel in manu continuo ferebat; Quartumque Sententiarum, vasorum gratiæ mensam, scrutabatur; ut in promptu semper haberet, quod unicuique occurrenti, pro suæ valetudinis qualitate consuleret, et quod expediret ministraret. Catechizandis rudibus magnum studium impendebat; subditorum Confessiones per se libenter audiebat, in eis flebat, et ad flendum peccata confitentes, velut alter Ambrosius, provocabat. Pœnitentibus et confessis Corpus Domini et alia Ecclesiæ Sacramenta devotissime ministrabat, atque ipsa et quæque alia Sacramentalia mundissime et honestissime tractabat.

A. MAUR. GUIFRID EX MS.

CAP. XIX misericordiæ operibus intendit;

48 In corporalibus autem pietatis operibus, circa egenos exercendis, animi ab infantia secum crevit miseratio, ut a matris utero egressa sit, prout in superioribus ostensum est: amplior tamen in eo, cum Presbyter et Rector factus est, abundavit. Orphanos nutriebat, et ad scholas ponebat, ac de suo magistris salarium persolvebat, Nubilibus pauperibus puellis maritandis suffragabatur: ubi vero didicisset quampiam, temporalium tempestate compulsam, forte periculo lapsus posse patere; aut lapsam a prava societate discedere non posse, quia victum et vestitum aliunde habere facile nequiret; ubi aliunde non haberet quo tantæ miseriæ relevaret egestatem, opem Domini, qui dives est in omnibus, pro ipsarum inopia relevanda importunius propulsabat.

CAP. XX. hospitalitatem largam exercet:

49 Hospitalitatem cunctis, pauperibus et divitibus, tenebat: ad quam, præter ecclesiæ suæ Presbyterium, in proprio manerio de Kar-Martin specialem domum fecerat, ubi omnes confluentes, infirmos, confractos, cæcos et claudos, senes et valetudinarios, junctis in cœlum manibus Deum benedicendo, cum gaudio recipiebat; aquam ad lavandum manibus ipse dabat, ad comedendum necessaria propriis manibus ministrabat, cum eis in terra sedebat; magis confractos, turpes et difformes juxta se collocabat, eosque in sua scutella comedere et cum suo scypho bibere faciebat, De pano albo frumenti, et potagio, et quæ meliora habere poterat eis dabat, et ipse juxta eos panem grossum dumtaxat et aquam sæpissime sumebat. Licet etiam se minime calefaceret, ligna tamen pro eis emebat, et ab igne longius ipse stans eos ad ignem propinquare compellebat: eos ipse discalceabat, pedes lavabat, sotularesque propriis manibus ungebat, lectos pro eis parabat, et in ipsis eos cubabat et cooperiebat, ipse vero humi jacebat. Supra modum vero religiosos mendicantes, Prædicatores et Minores, miro venerabatur affectu, ipsos ad suam domum frequenter invitans, et ipsos bonis cibariis vinoque quibus abstinebat læto vultu recreans, et iisdem cum eis ne vereretur uti simulans. Hoc non raro aut leviter et in transitu faciebat: sed pluries et aliquando continuatis, septimanis in ipsa sua domo retinendo, spiritualiter eos et corporaliter recreabat.

CAP. XXI nudos vestit:

50 Frequenter autem et specialiter tempore hiemali pannos et telas emebat, et factas ex eis vestes pauperibus dividebat. Trementi aliquando cuidam pauperi, cum aliam vestem quam ei daret non haberet, tunicam indutam exuit ac pauperi dedit, et ipse in camisia et epitogio tantummodo mansit. Cum semel a pluribus infestaretur pauperibus, nec aliud quod daret, præter vestes quibus induebatur, pro tunc haberet; omnes eis dedit, et sola illa puncta culcitra, de qua locuti sumus, involutus et opertus, quousque alias vestes habere potuisset, remansit. Alia vice, cum pro se quamdam tunicam fecisset, eique diceret cisor, Induite eam, ut sciamus si bene facta sit; vertens se ad ostium, vidit quemdam suum parochianum plurimum indigentem; et vocans eum dixit illi, Indue te tunica cum capucio; super te enim videre volo si bene facta sit. Pauper autem, licet verecunde, gaudenter tamen ipsam induit. Et ait illi Sanctus: Multum bene tibi stat, recede cum ea.

CAP. XXII infirmos visitat,

51 Infirmos quoscumque, tam divites quam pauperes, quamvis libentius pauperes, et tam proprios parochianos quam alios, et tam in communi domo Dei,

A. MAUR. GAUFRIDI EX MS.

A Dei, hospitali scilicet, quam alibi in propriis domibus indifferenter, libentissime et frequentissime visitabat. De eorum vero languoribus animarum magis quam corporum solicitus, divinis eis colloquiis et bonis exemplis confortabat, et inducebat ad præsentium pœnarum patientiam, temporalium bonorum et præsentis seculi contemptum, et desiderium æternorum. Hortabatur etiam ad confessionem peccatorum, forefactorum emendationem, et salutarium Sacramentorum receptionem ; ut si Conditoris voluntas foret, in bono statu exeuntes, animæ simul et corporis citius reciperent sanitatem ; et si terminus suæ assumptionis instaret, Viaticis et Christi insigniis præmuniti, securius transirent ad bonorum societatem. Corpus eis Domini ex argentea pyxide, ante pectus suum ad collum pendente, deferebat, et eos devotissime communicabat. Totus etiam lacrymis infusus eos in extremis constitutos animo læto mundo valedicere, et suo Judici justificatos securos occurrere, pia fide contestans, preces fundebat, et Christiano more extremam Unctionem propriis manibus impendebat.

CAP. XXIII defunctos sepelit.

52 Defunctorum autem in hospitali pauperum seu alibi cadavera lavabat, sudaria dabat, in feretris B reponebat, ad sepulturam ferre juvabat, et propriis ipse manibus sepeliebat. Contigit autem quadam vice, eorum quidam deformis pauper in domo sua defunctus est, propter cujus horrorem die illo pauperes, qui quotidie confluere consueverant non venerunt, ne tantam fœditatem lavarent, aut ad sepeliendum portantes aut alias ministrantes fœtore et horrore gravarentur. Sanctus autem Presbyter et pius Pater ipsum defunctum humiliter et devote lavit, lotum sudario cadaver involvit, sudarium consuit, et filum quo suebat dentibus scidit, et tandem sepulturæ gratiose mandavit.

Epilogus I partis.

ita virtutibus cunctis abundans,

53 Tanta igitur vir iste sanctus morum honestate pollebat, tanto divini fervoris impetu ferebatur, ut ipsum esse vas honoris et gratiæ, vas ornatum omni lapide pretioso, haud dubie probaretur. Plenus enim discretione, scientia et virtutibus, Deo gratus et hominibus, sic præsentem incolatum sine querela conduxit, ut ejus memoria in benedictione Justorum permaneat, et in gloria Sanctorum similis factus sit. O vere beatus, in quo dolus non fuit! neminem judicans, neminem damnans, nulli malum pro malo reddens. Quid in illius ore nisi Christus? quid in illius corde nisi pietas, nisi pax, nisi misericordia inerat? Quæ unquam lingua explicabit om- C nino illius in oratione perseverantiam, abstinentiam in jejuniis, et in vigiliis potentiam, nullumque vacuum ab opere Dei tempus, quo vel otio indulserat vel negotio, sed nec cibo aut somno quidem, nisi in quantum naturæ necessitas exigebat. Numquam ulla hora momentumque præteriit, quo non aut orationi incumberet aut insisteret lectioni aut operi ; quamquam etiam inter legendum aut si quis aliud forte agebat, numquam animum ab oratione laxabat. Nimirum ut fabris ferrariis est moris, qui inter operandum pro quodam laboris levamine incudem suam feriunt; ita Sanctus iste, etiam dum aliud agere videretur, semper orabat. Flebat autem uberrime, et flebant ei lacrymæ panes die ac nocte, die quidem tunc magis, cum Missarum crebra et quotidiana celebraret mysteria ; nocte vero, cum super omnes infatigabilibus excubaret vigiliis ; et cum sic quantum a fragilitate corporis extorquere posset vigilaret, et tandem lassitudine succedente et lassescente spiritu somni interpolaret necessitas, sive ante altare et in terra nuda, sive super memorato stratu paululum requiescens, rursus evigilabat ad spiritus orationisque fervorem.

orans cum lacrymis

54 Verus erat pauperum amator : vilibus uti vestimentis ; flere cum flentibus, et se totum in proxi- D morum curam atque miserorum compassionem effundere, sibi proprium vendicabat. Omnes homines largo recipiebat caritatis sinu, et cum omnes diligeret, ab omnibus amabatur. Conspicientium sanctitatem ejus et gratiam sic erant sensus immutati, ut sicut nec ipse a Deo, sic nec ipsi ab eo, aut a Deo in eo valerent separari. Ubicumque versaretur, domi vel foris, inter prælatos seu pares, magnates vel plebeios, semper ædificationis affluebat sermonibus, abundabat exemplis, quibus ad amorem Christi, seculi contemptum, et animarum salutem, audientium animus flecteretur. Quibus omnibus ex causis, licet humanas laudes honoresque mundanos respueret, omnes tamen eidem assurgebant, post ipsum ut patrem abibant, et ut Sanctum ipsum venerabantur : unde communiter et publice, proprio neglecto nomine, Sanctus Presbyter ab omnibus vocabatur. Quis hujus hominis usquequaque virtutem imitari sufficiat? Imitemur tamen, Fratres, ut possumus, nostri Patroni vestigia, simul et agamus gratias Redemptori, qui talem in via hac qua ambulamus ducem servis suis exhibuit ; et deprecemur misericordiam ejus, ut illo suffragante ad metam perpetuæ beatitudinis, ad E quam ille felix introivit, nos quoque per ejus vestigia pertingere mereamur. Amen.

et omnes mira caritate complexus,

amabatur ab omnibus

CAPUT VI.

Mors prævisa Yvoni : ejusdem extremæ actiones et sepultura.

PARS II.

Mortis suæ præscius Yvo,

Appropinquante autem fine certaminis, cursus meta, et bonorum laborum glorioso fructu, quo beatus Yvo repositam sibi justitiæ coronas accepturus erat in cœlo ; placuit divinæ benignitati hanc gratiam ; paucis et privilegiatis caris ejus hactenus indultam, etiam caro suo Yvoni concedere, ut obitum suum longe ante in spiritu prævideret, et quibusdam dignis secretis et familiaribus imminentem tabernaculi sui corporis dissolutionem prædiceret. Retulit namque Theophania de Pestinen, insignis et devota Domina quondam de Carenrez, quod per tres septimanas ante obitum Sancti viri, mutuis inter eos salutaribus habitis colloquiis, huic mundo cum delectationibus suis inter verba vilescente, ipsisque inhiantibus ore cordis pariter in superna fluenta fontis vitæ ; inter cetera Sanctus adjecit, Ego, Domina, ex præcedente mei corporis infirmitate propinquam mortem perpendo, in quo mihi F summum gaudium et spiritus exultatio est. Sed et propinquiorem mihi mortem, si Deo placeret, affecto ; cupio enim dissolvi, et esse cum Christo. Cui pia Domina, tristis et ex auditione suæ mortis amaricata spiritu, vehementique cordis dolore intrinsecus tacta, gemens et ejulans inclamavit, Pater amantissime, petite Domino vivendi vobis commeatum. Siccine separabit nos amara et intempestiva mors? Me miseram? quid agam? cur me, Pater, deseritis, aut cui desolatam relinquitis? Neque enim mihi, sed nec populis mundi, qui dietim ex vestra vita proficimus, recessus a nobis sic per mortem anticipatus expedit. Salva vobis vestra sunt præmia, nec dilata minuentur; nostri potius miseremini, quos deseritis. Cui vir sanctus, ut alter Martinus, de sua morte gaudens, et vivere si Dei voluntas esset non recusans, ad relevandam Dominæ tristitiam et consolationem impendendam, respondit : Domina, sicut vos vel alius quisquam, cum hostem et inimicum vicisset, gauderetis ; sic et ego de ipsa mea morte inæstimabiliter gaudeo, cum per auxilium Dei inimicum meum me devicisse confido, nilque funestum in me habere conspicio. O felix triumphator

lætanter ad eam aspirat,

tamquam hoste devicto.

A triumphator inferni, incola mundi et civis cœli; qui sui exitus terminum non ignoravit, cujus secura conscientia Judicis occursum non expavit; nec accusantem in transitu inimicum formidavit; sed in fine præsentis militiæ repositam sibi de victoria coronam, lætus et gaudens donec immutatio veniat, expectavit.

CAP. II. *Quarta feria ante eam Missam extremam facit:*

56 In ipsa vero septimana qua decessit, licet ultimæ ægritudinis, qua defunctus est, vi jam corporis inciperet viribus destitui, non tamen a Dei opere, Missarum celebratione, Confessionum audientia, et imprætermissa verbi Dei prædicatione cessabat. Unde quarta ejusdem septimanæ Feria, in capella sua manerii de Kar-martini, finalem et ultimam suam Missam devotissime celebravit: in qua copiosis infusus lacrymis, pios gemitus et alta suspiria diutius emittebat. Erat autem adeo tunc infirmus, ut præ debilitate corporis nec induere, nec exuere per se sufficeret sacras vestes; sed nec alia pro Missa necessaria præparare, ad altare se sustinere, aut ad elevandum Corpus Domini se juvare, nisi ab assistentibus Abbatibus Belli-portus et de Begar, et Archidiacono Trecorensi Domino de Karrimet cum aliis præsentibus fulciretur. Tanta tamen non ob- B stante debilitate, vim sibi inferens, licentiata primum illa spectabili comitiva, et ad tempus a se remota, statim post Missam, ad audiendum expectantium Confessiones se convertens assidebat.

CAP. III. *quinta decumbens, a variis visitatur:*

57 Sequenti vero Feria quinta, jam non valens amplius celebrare, sed nec stare nec sedere; nobili illo strato, jam superius descripto recubans, fatiscentes artus adhuc spiritui servire cogebat, et mentis Deo infatigabiliter adhærentis robore proficiebat: imo, quasi jam liber esset a corporeis nexibus, spiritualibus alis in Deum mente conscendebat; et iter eis pandens, assistentes ad idem provocabat; alasque ad ascensum verbis ædificatoriis, piis exhortationibus, et consolatoriis exemplis, ex ipso recubitu, præparabat. Cum autem ab Officiali et quibusdam Canonicis ipsum visitantibus, ut aliquam culcitram aut saltem paleas et stramenta, et pro lapide, quem capiti suppositum habebat, pulvinar apponi permitteret, hortaretur; illis se minime dignum respondebat, et satis esse quod habebat. In imaginem autem Crucifixi, quam ante conspectum depictam habebat, oculis ac manibus semper intentus, invictum ab oratione spiritum non relaxabat.

CAP. IV. *sexta, confluxum ad se populi prohibet:*

58 Feria autem sexta ante obitum, ubi jam super C ejus morte et tanti thesauri amissione compatriotas et parochianos, inconsolabiliter dolentes, ad ipsum visitandum confluere perpendit; concussis super eis paternæ pietatis visceribus, concitum nuntium destinavit, qui eis interdiceret, ne tantum corporis laborem et mentis inquietudinem sumerent; sed potius in utroque homine consolarentur, quia per Dei gratiam in bono statu et omni cordis voto consisteret. O cor purum, pia ad filios compassione commotum! inter ipsas mortis angustias, quia sui oblitus, suorum potius miseretur angustiis; et de suo securus, de suorum tamen erat statu sollicitus: sed et miseranda derelicti gregis jactura, tanti Patris solatio destituti. Interrogo vos, Fratres, quorum cor perampliori dolore concutitur; an Patris de suorum filiorum derelictione, an filiorum de sui tanti Patris amissione? Pensate si valetis, ego non facile judicaverim.

CAP. V. *Sabbato Viaticum sumit,*

59 Sabbato vero advesperascente, corporis jam deficiente virtute, in extremis se sentiens constitutum, Eucharistiæ viaticum, Communionem corporis Christi, cum maximo cordis ardore sibi supplicavit exhiberi: quo reverenter et devote suscepto, ipsam etiam extremam Unctionem humiliter expetiit, et præsentibus Officiali, Canonicis, Presbyteris ecclesiæ, aliisque quamplurimis devotis diversarum conditionum utriusque sexus personis, suscepit. In Psalmis autem dicendis atque Litaniis, in precationibusque faciendis, ad singulas verborum formas respondit: ceterisque quæ in hujusmodi exquiruntur, ministeriis coadjuvit; et ad Crucem cum imagine Crucifixi, quam ante se positam habebat, vultum indeflexum tenuit. Unctione autem jam perfecta, statim quidem loquelam amisit; sed adhuc ipsam crucem manibus tenere, piis oculis intueri, labiis frequentius osculari, ejusque signo crebrius se munire, per ipsam totam noctem non destitit. Illucescente autem die felicis sui transitus, posterius junctis ad Deum manibus, spiritum Creatori recommendans, quasi se sopori daret, in aurora intra Octavam Ascensionis Domini, vitæ suæ anno quinquagesimo, in Domino feliciter obdormivit, et mortalitatis terminum immortalis vitæ continuavit initio. Congruebat sane, ut spiritum filii lucis, quem tenebræ non comprehenderunt, non nox, sed lux auroræ consurgentis et in ipsum diem crescentis exciperet; et septenarium sui præsentis incolatus, Octava gloriæ terminaret; et qui in hac valle lacrymarum ascensiones in corde disposuerat, tempus ascensionis, quo ascensor cœli fieret, observaret; et per- E acto indulti præsentis temporis spatio, in quinquagesimum æternæ lætitiæ jubilæum transiret.

D — A. MAUR. GAUFRIDI EX MS. *et sacra Unctione recepta,* — *Dominica mane expirat.*

CAP. VI *Defuncti corpus mira specie nitet:*

60 Hanc spiritus ejus, ad eum qui dedit redeuntis, gloriam ipsa quoque exanimati corporis species, quæ in expiratione claruit, manifestissime declaravit. Testati namque sunt qui affuerunt, corpus ipsum naturam et proprietatem quasi corporis glorificati quoddammodo induisse, et quoddam decus futuræ incorruptionis prætendisse. Vultus ejus quasi ridens et sudans etiam adstantibus videbatur, pulchriorque et rubicundior quam esset dum viveret apparebat; et neque os ejus aut nares aut membra cetera spuma quidem aut tenuis macula fœdabat, aut vultus claritatem obscurabat. Pensate, Fratres carissimi, quanto puritatis candore ejus spiritus refulgeat, qui in corpore jam extincto tales reliquias reliquerat.

CAP. VII *magnus ad exequias confluxus fit:*

61 Jam vero in obsequium funeris credi non potest quanta hominum multitudo convenerit, quantave fuerit convenientium devotio, pectora tundentium, emittentium mirabiles ejulatus. Alii manuum et pedum insatiabiliter oscula repetebant, alii corpus ipsum aut saltem feretrum manibus aut certe rebus suis, annulis, jocalibus, capuciis, aut aliis or- F namentis, prout melius poterant, tangere festinabant. Alii autem fimbrias aut frusta vestium, aliorumque quæ sanctam ejus carnem contigerant, passim sibi pro Reliquiis surripiebant. Accurrebant et ipsi sui parochiani, lacrymosis mugitibus orphanos se derelictos clamitantes; vitam suam et defensorem ab iis fugisse querulantes; totam multitudinem eos audientem et sic torqueri videntem, ad compassionem commoventes. Subsequitur et aliorum, pauperum, contractorum, cæcorum, claudorum, leprosorum, et aliorum languidorum ac debilium alumnorum suorum maxima multitudo, vocibus incertis, sed certis clamoribus aera replens, pastorisque et medici mortem deplorans. Sic igitur omni Clero et populo comitante, sanctum corpus ejus ad ecclesiam Cathedralem S. Tugduali summa animi devotione delatum est: et ibidem solenniis exequiarum honorifice celebratis, venerabiliter tumulatum, glebæque terræ traditum, quod totius munditiæ fuerat alabastrum.

sepelitur in ecclesia Trecor. S. Tugduali,

62 Decuit autem ut almus Confessor, sicut per vitæ meritum claruerat in terris, et per gloriæ participium spiritus assumebatur ab Angelis, honorandus in cœlis; sic et corpus per gloriosam sepulturam

A. MACR. GAUFRIDI EX MS.

A ram a cunctis veneraretur populis. Congruebat etiam ut alterum Patronum, cum Patre principali diœcesis, mater parochialium ecclesiarum sepeliendum exciperet, quo filiarum amplior matri devotio et major affectio crescat, et in necessitatibus recursus filiabus ostendatur, et fiducia ad eam securior exurgat. Hoc etiam exposcebat Patroni ad Patronum caritas et devotio singularis, cujus zelo diutius et ejus ecclesiæ restaurationi multo labore desudaverat, et in ea dum adhuc viveret elegerat sepulturam. De qua etiam cum ei diceretur a pluribus, quod tantum opus in vita perficere non posset; in spiritu prophetico respondit, quod nisi eam in vita perficeret, ipsam post mortem consummaret. O grandis in morte fiducia, quæ se potentiorem suis adjutorem futurum non dubitaret, quo in potentias Domini securior introisset! O caritatis vehementia, qua de seipso jam securus, de suorum tamen relinquendorum erat ope solicitus! O felices filii, quorum jam non est de sui patris defunctione tristari, cum eum utiliorem sint obitum habituri.

cui restaurandæ allaborarat.

CAPUT VII.

B

Quædam viventis Yvonis miracula.

Pars III CAP. I *Miraculorum gratia merito donatus,*

Sicut autem dum vixit proprium divinis mandatis subjecit arbitrium, et se Deo gratam et acceptabilem hostiam immolavit; sic obediente Deo voci hominis et in eo sibi bene complacente, multis et evidentibus miraculis effulsit. Anteibat enim justitia vultum suum, qua sibi cooperante cum gratia, sicut erat insignis vitæ admiratione conspicuus, sic etiam innumeris signis et miraculis coruscabat. Ad cuncta quippe quæ voluit impetranda votorum compos merito factus est, quoniam teste Apostolo, qui adhæret Deo unus spiritus est cum eo, et secundum cujus velle posse est, unius efficitur voluntatis. Sic ergo potens factus in illo, ut de multis pauca referamus, multorum defunctorum revocavit animas ad corporum claustra vitaliter vegetanda, dæmoniacos furore vexatos ad quietem restituit, curavit insuper a diversis languoribus languidos, ac fragiles ejus suffragia implorantes. Membra contractorum ac debilium ad naturalia officia reformavit: ignis incendium a domibus proximorum, hominibus et rebus eorum salvis, signo Crucis extinxit; profundam fluminis aquam, sibi et pedissequo socio transitum præpedientem, veluti Moyses in virga, sic in signo Cru- C cis ipse divisit; quæ post liberum sui et pedissequi transitum per siccum, ad pristinum meatus sui cursum reversa est.

CAP. II *in silva, unde exciderat ligna pro ecclesia,*

64 Considerans aliquando providus Sanctus, Cathedralis ecclesiæ structuram casum ruinamque minari, et magnis ac pernecessariis membrorum suorum reparationibus egere; præpotentem et magnificum Dominum de Rostrenen adiit, et ei matricis ecclesiæ necessitatem exposuit. Ipse autem Dominus, inter cetera suæ liberalitatis dona, hoc etiam animo volenti et prompta liberalitate concessit, ut quidquid opus exigeret, et ubilibet, in nemoribus et potioribus silvis, in quibus abundabat, prout placeret, acciperet. Mittuntur a Sancto carpentarii, qui juxta concessam licentiam ex electis silvarum partibus quod pulchrius et optabilius occurrebat in secuti et ascia pro libito voluntatis excidunt et asportant. Quid ultra? Ubi tam pii et sancti operis *a* merreamenta scissa sumptaque sunt, omnipotens Dei munificentia infra quinquennium, supra naturæ vires; condensiora nemora conseruit, proceriores et grossiores arbores produxit; quæ ad Dei gloriam, tanti tamque pii operis commendationem, nec non d. magnifici Domini dignam et justam temporalem

a cito succrescere alia facit;

etiam compensationem, in nostra adhuc tempora D perseverant, prout intuentibus loci evidentia et nemoris excellentia patefacit.

CAP. III *eademque justo breviora,*

65 Sed et adhuc majus insuetumque miraculum secutum est. Cum enim Architectus quidam industrius, quem in fabrefactura lignorum operi Sanctus præfecerat, sumpta dimensionum ecclesiæ mensura, ligna ejus juxta regulas geometricas suo judicio proportionata secuisset; cum ad levanda et in ædificio jungenda ligna perventum est, ad ipsa iterum demetienda suas antea mensuras applicans, improportionem notabilem deprehendit. Quid plura? Repetitis vicibus ligna revisitat, merreamenta nimis curta truncata comperit. Irrumpit in clamorem, pilos evellit, corporis compagibus dissolutus contremiscit, attonitus mente totus expavescit. Suæ itaque artis errore confusus, de tanto ecclesiæ damno reus, ruboris et reatus sui refugium non habens, in tanta cordis angustia funem quærit, quem manibus gerens Sanctum adiit; ejusque se pedibus advolutans, querulosis vocibus et lacrymosis gemitibus allocutus est: Venerabilis magister et Domine mi, me miserum! quid agam? quomodo apparebo in E conspectu tuo? quomodo potero tantum dedecus et opprobrium sustinere? Tota die verecundia mea contra me est, confusio faciei meæ cooperuit me. Sed quomodo valebo tantum Trecorensis ecclesiæ detrimentum restaurare? Tibi ecce corpus et collum cum fune committo puniendum, quia per mei imperitiam et negligentiam merreamenta, tuis solicitudinibus et sudoribus acquisita, jam inutilia facta sunt, et duobus pedibus ad ædificium nimis curta.

miseratus architecti culpam agnoscentis,

fusis precibus jubet denuo mensurari,

66 Quo audito pius Sanctus duplici compassione, fabri lignarii videlicet desolatione et lignorum perditione, commotus, ad videnda merreamenta concitus cum ipso properat; sub aspectu suo remetiri jubet: et, sicut sibi retulit, sic oculis verum esse conspicit. Mox Sanctus consternatus caput submittit, pectus tundit; tandem piis oculis in cœlum erectis, paululum intra semetipsum orans, in Architectum pium divertens vultum, ait illi; Non bene mensurasti: accipe calamum, et remetire. Carpentarius autem paulo ante permortuus, in Deo et verbo Sancti quasi quodam spei radio reviviscens, ipsius jussibus obtemperat, et iterum merreamenta remensurat. Magnus Dominus et magna virtus ejus! F In verbo et jussu Sancti Dei, misericordiam pio desiderio præstolantis, ligna duobus pedibus curta, iterato mensurata, quatuor pedibus invisibiliter et divinitus producta protinus, illico conspiciuntur; ita quod duobus pedibus longiora essent quam ecclesiæ structura requirebat, et tantumdem longitudinis oportuit de eis postmodum secuisse. Vertitur igitur luctus in gaudium, mirabilis Dominus in Sanctis suis prædicatur, et gloriosus in operibus proclamatur. Similis formæ miraculum perpetratum est in lignis pro Ponte Ars præparatis, per imperitiam aut negligentiam carpentarii dimidio pede curtis inventis, et inutilibus redditis, ipsius viri sancti precibus postea sufficientibus et habilibus inventis.

et longiora inveniuntur:

CAP. IV *Regios ministros prohibet res ecclesiæ auferre,*

67 Cum clientela regia gentis Regis Franciæ, pro centesima et vicesima levandis et exigendis, Trecorensem venissent civitatem, et Episcopi palafredum de Episcopio captum violenter educerent; Sanctus Officialis, domus Dei et suæ libertatis zelo succensus, occurrit; nihil eis in libertate B. Tudguali vendicare posse proponit, violentiam ecclesiasticæ libertati illatam objicit, eosque dure redarguit. Quid plura? Irruente in eum spiritu Domini, audacter ad satellitem, equum abducentem accedit, manum in equum mittit, et eum per frænum tenuit. Satellite autem per habenas, sancto vero Officiali per

A per ferrum frænum equi hinc inde tenentibus et ad se trahentibus, sæviens satelles habenas rumpens solo tenus corruit; suavis et constans Sanctus per ferrum equum obtinuit. Accurrit ad violentiam, in subsidium Sancti, suorum alumnorum, pauperum videlicet et diversi generis infirmorum communisque populi civitatis, multitudo: sed ex adverso clamat *b* mango, justa ultione Dei percussus, ad vim diram se sacrilegæ manus læsionem sentire: feroces Franci minarum tela jaciunt, et Regalium ultionum tonitrua fulminant: Ecclesiasticæ percelluntur Dignitates, omnis civitas timore concutitur, potentiores quique pavidi contremiscunt, cunctique futura sibi formidant evenire pericula. Quid ultra? Conveniunt omnes in unum, insultantes adversum Sanctum Domini, terroribus eum et objurgationibus ac blasphemiis ut desistat impetentes.

b

et equum Episcopalem vendicat,

68 Sed et Ecclesiæ Thesaurarius et magna Dignitas ejus, qui ideo ad ipsius libertatem pro muro defensionis se sancto Officiali jungere debuerat, econtra magis in eum insurgit: fœda enim Francis adulatione notatus, degeneri inconstantia Regiæ clientelæ Ecclesiasticam dignitatem subdens, profanus ipse, illius exacti Regii collectorem se fecerat: B pulsat hic plurimos, concitat universos: et quia non penetrabat Ecclesiæ privilegium, quasi ad justum commonet excessum, et velut de temeraria justitia sacrilegas vociferat injurias. Coquine, inquit, vos solus eratis, qui liberius ex omnibus nos omnes Ecclesiasticos et seculares, cum ipsa civitate, et bonorum perditioni et scandalis et periculis debebatis exponere? qui vacuus ipsis, nil valetis aut potestis amittere? O quantas perfert injurias, audit minas, subsannationes intuetur! Sed in omnibus superabat cum Apostolo; beatum se reputans, quia dignus esset, pro Ecclesiæ juribus, per B. Tugdualum acquisitis, contumelias pati. O rerum materies! pusillo quidem angor undique, sed magno animo nil magnum. Ecce concitata venti rabies, tumidi fluctus et immanes undæ, non tam ab exteris quam intestinis exurgentes, Sancto naufragium minantur: sed ecce, quoniam ipse in causa Ecclesiæ, interrita mentis constantia fultus, ac in petra Ecclesiæ Christo, solidus et immotus stabat, submergi non veretur. Gerebat enim animo et conferens in semetipso dicebat; Nonne fluctus, qui saxo illiduntur, non amplius proficiunt, quam ut in semetipsos dissolvantur, et in spumas exterminati depereant? Nonne adversarii Ecclesiæ, defensores ejus clariores C rediderunt; suas vero ipsi vires tantummodo contriverunt? Ecclesia enim nihil fortius, asserente Domino; quod portæ inferi non prævalebunt adversus eas: si quis impugnare proponit, vires atterat necesse est.

licet alii id temere factum dicerent:

quorum conviciis nihil motus,

69 Hæc dum animo volvit, quasi subito facto Spiritu Domini super eum, septiformi ipsius Spiritus dono, quo plenus erat, eruditus et actus, omnia repente tempesta tranquillavit, nubila serenavit, ac unicuique juxta ejusdem Spiritus instructum, quod debebat, et expediebat, exsolvit. Dono sancti Timoris Domini, terreni Regis terrorem; Regii vultus, cœlestis indignationi postposuit; et in Ecclesiæ suæ præjudicium exactum denegavit. Dono pietatis, mangonis pœnitentis et Dei misericordiam, per ejus deprecationem implorantis, manum immaniter cruciatam protinus illico sanavit. Præclara quidem victoria, sed et præstans misericordia: hosti non cessit, misero pœnitenti subvenit. Dono Scientiæ, quo docemur in medio pravæ et perversæ nationis inculpate conversari, Ecclesiasticorum simul et secularium furoribus, concivium exterorumque objurgationibus, placidis alloquiis mollibusque responsis mitigatis, pressit iracundiam, impetumque impii furoris extinxit. Nam Sapientis usus consilio, non eis D juxta suam stultitiam respondit, ne similis eis stultus efficeretur: sed ne sibi sapientes qui stulti erant viderentur, hilari et placido vultu respondit; Dicetis, Domini, quod placuerit: quia pro tuendo jure et libertate Ecclesiæ pro meo posse præsto sum exponere vitam meam, pro qua Christus exposuit suam. Dono Fortitudinis, justus ipse ut leo confidens, ferocibus ferocis Regis ministris intrepidus et solus obsistere non expavit; propugnatorem divinæ justitiæ, caput et sponsum Ecclesiæ Christum, ante oculos statuens, qui pro ea salvanda torcular crucis calcavit solus, et de gentibus non erat cum eo vir. Dono vero Consilii, magni consilii Angelo viam pacis sibi ministrante, sic mature cum Regalibus nuntiis in crastinum de pace tractavit, quod totius furoris eorum monstra placavit; scandalis et malis, quæ formidabantur, finem dedit; et ne prodirent compensavit.

turbas sedat seque ostendit instructum dono timoris, pietatis,

scientiæ,

A MAUR. GALLIBIPE EX MS

Prov 26,

fortitudinis,

consilii,

70 Dono Intellectus, juxta judicium Salvatoris, quæ Regis erant, Regi tuenda dimittens; quæ vero Dei et suæ Ecclesiæ erant, Deo et Ecclesiæ illæsa conservans; ostensis Ecclesiæ juribus et antiquis ejus privilegiis, nuntios Regis nihil incontra vendicantes, legitimis responsis placatos in pace dimisit. E Dono Sapientiæ, cujus est in rebus modum et ordinem ponere, in tanti ponderis negotio sic processit, attingens a fine usque ad finem fortiter et disponens omnia suaviter, quod omnes videntes mirati sunt, et audientes collaudarunt sapientiam ejus, quam et ipse Sapiens sub sole probaverat maximam, ubi ait; Civitas parva et pauci in ea viri; venit contra eam Rex magnus, et vallavit eam, et perfecta est obsidio; inventus est in ea vir pauper et sapiens, liberavitque eam per sapientiam ejus. Sed et tam mirifici viri tamque mirabilis beneficii, futuris semper seculis recolendi, ingratos et oblitos quosque reprehendendos ostendit; cum improperando subjungit: Et nullus deinceps recordatus est hominis illius pauperis. Sapientiæ etiam contemptum et doctrinæ aspernationem admiratus adjungit: Quomodo ergo sapientia pauperis est contempta, et verba ejus non sunt a posteris audita?

intellectus,

et sapientiæ

Eccle 9, 14

71 Cum vir Sanctus in domo cujusdam parochiani sui, prope suam ecclesiam, arcam frumento refertam, clausam claveque firmatam haberet, suum Presbyterum cum serviente mittit, ut de frumento, quod pro hospitio et pauperibus opus esset, capiant et auferant. Accedunt, clavem ereptam et arcam quasi vacuam reperiunt, plangunt damnum et Sancto renuntiant. Audiens Sanctus consolando respondit, Ne curetis, Domino largiente satis habebimus; cum eis it ad arcam ut visitet, et eam frumento plenam usque ad eructuationem invenit. Nuntii igitur itus et reditus sui non habentes intervallum, opus divinum esse cernentes, et Dei virtutem et Sancti merita mirati sunt.

C. P. V.

Arcam exhaustam frumento plenam exhibet

72 Fame pervalida Britanniæ partibus ingruente adeo, ut pauperes ob panis defectum terram comederent, vir Sanctus Yvo, cum die quadam post Missam suam quosdam, qui ad eum visitandum venerant, invitaret ad prandium: quam plurimi pauperes, Sacerdotes quidem et Levitas, sed Samaritanum rarissimum invenientes, more solito secuti sunt; quibus cum pius Sanctus unicum solum panem, quem habebat scinderet, et jam tertiam ejus partem vel circa distribuisset; videns Presbyter et Vicarius ejus, invitatis dixit ut impedirent, alias totum daret, et quod commederent postea non haberent. Sed et de ipsis solicitus et sui ipsius non oblitus, reclamans ad Sanctum dixit: Unde ememus panes ut manducent hi: ecce magister jam biduo jejunus substinui, nec panem comedi. Sanctus vero exultans spiritu,

C. P. VI.

Distributo unico qui suppetebat pane,

A

A. MAUR. GAUFRIDI EX MS

non sine querela Vicarii sui:

spiritu, vultu alacri benedixit Deum, et quasi desuper infusa sibi fiducia confortans eum, dixit : Non timeatis; vos medietatem totius panis habete, residuum pro me erit et pro sociis meis. Tollit ille suam partem, et, dum mensam ponit, deponit eam (ut æstimat) in tuto : quæ tamen nec ibi nec alibi postea potuit inveniri. Mira prorsus et divina res! Ipsis sedentibus ad mensam, appositaque panis quæ remanserat portiuncula, adest ad ostium domus pulsans quasi parvula mulier, quæ statura nana videbatur, tres placentas mappa coopertas super caput deferens : et interrogata quid quæreret aut ferret, respondit : Audivi quod D. Yvo non habebat panem, nec invenit ad emendum, en affero sibi. Quibus datis, et panibus super mensam appositis, subito sic discessit, ita ut nullus unquam de cetero, vel unde venerat, vel quo postmodum divertisset, scire potuerit. Qua discedente, vir Dei ad sodales et commensales hinc inde protensa manu, Modo, inquit, fratres, comedite. Quocirca de muliere illa nemo discumbentium ausus est virum Dei quidquam interrogare, scientes quod divina providentia, quæ per Angelum Danieli in Babylonem prandium Abacuc transportavit, et Eliæ per corvum in deserto cibaria ministravit, viro Dei et convivis ejus per Angelum, in forma ministræ mulieris transformatum, panem quotidianum in extrema necessitate transmisit.

divinitus tres placentas accipit.

B

73 Tempore quo Ecclesiæ de Trezdretz Rector esset, non minoris virtutis opus, sed æquæ potentiæ miraculum egit, de septem panibus largas et sufficientes eleemosynas plus quam ducentis pauperibus erogando. Rector etiam de Lohanec existens, de uno solo pane, quem tunc habebat, plus quam viginti quatuor pauperibus distribuit, cuilibet in tanta quantitate, quod paucis valde sufficere non debuisset; et si plures venissent, solus ille panis sufficere posse videbatur; illo nimirum in manibus viri Dei operante, qui per manus discipulorum ex paucis hordeaceis panibus tot hominum millia satiavit.

CAP. VII. *De 7 panibus 200 pauperes satiat,*

alias 24 de uno.

74 Dum quadam vice cum quibusdam comitantibus et secum de salute conferentibus, vir Sanctus iter ageret; occurrit pauper, qui a transeuntibus eleemosynam petebat, et se fame mori conquerebatur. Ad quem divertens Sanctus, prius verba consolatoria dedit, demum demens de capite capucium pauperi porrexit dicens; Accipe, quia aliud quod tibi tribuam pro præsenti non habeo. Ædificato igitur paupere et consolato, Sanctus cœptum regreditur ad iter, per mediamque leugam Horas dicendo nudus capite incedit. O digna digni muneris recognitio? Respiciens Christi dignatio in Sanctum dignum, et in dignum munus ejus, quo eum in suo paupere honoraverat, suum ipsum sibi capucium restituit et suo capiti reposuit. Sanctus autem de se et meritorum suorum apud Christum acceptione ipso signo certificatus, illico flexis in ima genibus, junctis manibus, tunsoque pectore adorans, dixit : Domine Jesu Christe, tibi gratias ago de tuo munere. Hominibus autem hoc videntibus et audientibus, et ex hoc nimium admirantibus, et ad tales auditus et spectacula præ gaudio lacrymantibus, dimittens eos vias suas ire et valedicens ait; Ite cum Dei benedictione, et quantum poteritis benefacite. Ad oculum videtis, quam gratus est Christus, et retribuit bona facientibus.

CAP. VIII. *capucium pauperi datum,*

C

invisibili manu recipit.

75 Quadam die, postquam furnatam panis integram vir sanctus pauperibus erogaverat, dum esset cum suo contubernali in mensa, quidam in apparentia turpissimus pauper, habitu vilis, abominabilis forma supervenit; quem Sanctus ante se in mensa sedere, et secum in eadem scutella comedere fecit. Cum autem paululum comedisset, de mensa surrexit; et dum exiens ad ostium domus esset, ad Sanctum et suum comitem se vertens, Britonice valefecit dicens, Ad Deum. Dominus vobiscum. Mira divinæ dignationis et acceptationis ostensio! Qui turpissimus venerat, pulcherrimus discedebat, splendidissima nempe veste indutus : immensa ipsius vestis claritate tota domus adeo resplendebat, ut ejus pulchritudine delectatus vir Dei, ulteriori recreatione refici recusaret, sed essent ei lacrymæ gaudii panis die illa ac nocte, dum diceret assistenti socio, Nunc scio bene et certus sum, quoniam in nuntio suo visitavit nos Christus, oriens ex alto.

CAP. IX. *excipit Christum sub forma fœdi,*

D

dein formosi pauperis.

76 Cum in diebus viri Dei gentes Regis Francorum Trecorensem advenirent civitatem, centesimam et vigesimam bonorum mobilium ab Episcopo et Capitulo ceterisque personis Ecclesiasticis civitatis et diœcesis Trecorensis, contra jura et libertates ipsius Ecclesiæ, exacturi; vir sanctus, zelo Dei et S. Tugduali ejus Patroni, qui ipsa jura et libertates ab omni terreno dominio, Deo sibi favente, a priscis Francorum Regibus obtinuerat, modis et viribus omnibus quibus poterat resistere disponebat. Quadam igitur nocte, dum solito more cum socio suo, pro sacrarum rerum et aliorum bonorum quæ in ecclesia erant custodia, ne pro vadiis surriperentur, in sacristia jaceret; accidit, ipsis solis in ecclesia inclusis, audire strepitum magnum, ad modum tonitrui, terribilem adeo ut eis videretur quod tota ecclesiæ structura rueret. Surgunt igitur, lumen accendunt, et ut videant quid hoc esset sacristiam exeunt, et ad majus altare procedunt. Jubet Sanctus socium suum ad sepulcrum coram altari persistere. Vir autem iste Sanctus ad sanctuarium, ubi Reliquiæ ipsius beatissimi Tugduali conservabantur, accedit. Nec mora : et ecce duo inibi confecto invicem sermone diutissime conferebant, non quidem æquo tono aut pari sono vociferantes, sed pauperis et potentis morem servantes, de quo Scriptura; Cum obsecratione loquitur pauper, dives autem affabitur rigide. Unus enim loquebatur humiliter, alius audacter. Audiebat autem socius, de loco in quo stabat, utriusque quidem vocem ; sed cum quo Sanctus loqueretur neminem videbat, nec quid mutuo colloquerentur intelligebat. Cumque multa ad invicem ratiocinantes contulissent, rediens ad socium vir sanctus dixit illi : Vadamus ad quiescendum, quoniam pax facta est : et hoc tibi in Dei virtute præcipio, ne quæ vidisti et audisti alicui me superstite revelabis.

CAP. X. *Pro custodia ecclesiæ in sacristia pernoctans,*

E

fruitur colloquio S. Tugduali,

Prov. 18, 23

F

77 Qua in re cum alii, præter Sanctum et socium ejus in ecclesia clausi, qui sic colloquerentur, nulli penitus essent; constat B. Tugdualum illum alterum fore, ad cujus Reliquias, pro imprecando præsidio et tutela suæ ecclesiæ et jurium ejus, devotus ejus et sanctus zelator excubias observabat : qui et ipse, more pauperis adhuc viator, humiliter loquebatur, divitem Tugdualum jam comprehensorem obsecrando, ut ecclesiam quam fundaverat protegeret, et ejus jura sicut acquisierat sic et conservaret. Dives autem Tugdualus comprehensor eidem viatori audacter affabatur et rigide : quoniam ejus erat in cœlis auditor, animator, et adjutor, ad cujus honorem in terris adhuc positus, erat ipse facundus zelator. In strepitu autem terroris veniebat, quoniam terrorem persequentium Francorum contra Ecclesiam imminentem præmonebat. Colloquio autem singulari, ad defendendam Ecclesiæ causam, instruebat, et ad libertatem tuendam animabat. Et ita amborum simul ope et præsidio, jugi pace frui et secura tranquillitate vigere eis, intente et digne servientem Ecclesiam Trecorensem prænuntiabat.

et causam ecclesiæ apud cum suppliciter agit :

78 Non est etiam silentio pertranseundum, quod die quadam, qua in pane et aqua jejunaret, dum hora

CAP. XI.

recreatur aspectu avis insolitæ:

A ra refectionis, cum pauperibus more solito circumfusis, ad mensam sederet, et panem magis delicatum, per servientem oblatum, ipsi servienti et pauperibus concederet, grossum autem et furfureum sibi apponi juberet; avis quædam modica, circa collum quidem nivei coloris, de super autem viridis et resplendens, cui in domo aut partibus illis numquam antea, sed nec postea, similis vita est, per fenestram ingreditur, et viro sancto ante pectus pro ramo insedit. Suadentibus autem assistentibus eam vir Dei recipiens, et aliquandiu aperta manu respiciens, tandem in nomine Domini præcepit abire dicens, Vade in nomine Domini. Sane hanc miram avem, tum propter invisam speciem ejus, tum propter insuetum accedendi et recedendi modum (non enim non licentiata recessit, licet manu semper aperta teneretur) quid aliud nisi signum quoddam divinum, in testimonium sanctitatis et austeritatis vitæ solatium, cœlitus Sancto transmissum, judicabimus.

CAP. XII. super sacrificantem columba fulgida apparet,

79 Non defuit etiam testimonium sanctitatis viri Dei, in quo Deus devotionem sui Confessoris, in ascensu altaris sancti, suæ Majestati bene complacuisse, clarissime monstravit. Cum enim vice quadam, dum Campanista ad Matutinas pulsaret, et ad B signum pulsationis Sanctus de sacristia, ubi propter causas supra memoratas cubaverat, ad chorum procedens, ante altare inclinans adoraret; d. Campanista quamdam refulgentem columbam, suo fulgore totam ecclesiam circumquaque immensa claritate replentem, vidit e d. sacristia ad altare procedentem. Quo viso ab ulteriori cessans pulsatione, et ad videndum quid hoc esse poterat properans, statim columba disparuit, et claritas ipsa evanuit. Dictis autem Matutinis, cum vir sanctus Campanistam argueret, eo quod ita parum contra morem ecclesiæ pulsaverat; respondit, supradictam narrans visionem. Cui præcepit Sanctus, ne cuiquam eo superstite revelaret.

CAP. XIII alias in elevatione lumen cœleste

80 Ejusdem etiam sanctitatis et immensæ devotionis evidentissimum extitit testimonium, quod Sanctus semel Missam celebrans, dum Corpus Domini elevaret et Sanguinem, apparuit circa ipsum Corpus et Sanguinem fulgor luminis, qui statim post peractam Elevationem disparuit et discessit.

CAP. XIV. Energumenum furiosum, ad se accersitum

81 Non defuit etiam viro Dei, ad assertionem sanctitatis ipsius, virtus Altissimi, etiam in dæmonibus effugandis. Erat circa tres annos ante obitum C viri Dei energumenus quidam, qui per terminum continuum furore ac diabolica jactatione laborabat, homines pro posse percutiebat, proprias vestes laniabat, parum comedebat, nullo tempore dormiebat, ad terram se collidebat, horribiliter clamabat, cum eo dæmon loquebatur, et ipse eidem reclamabat. Quare me fatigas dæmon? quare me fatigas? et similia proferebat: quapropter et continue tenebatur inclusus, et per angustam quamdam fenestram sibi ministrabatur tenuis illa qua utebatur refectio, super quam tamen frequenter mingebat et eam postea comedebat. Quod ubi comperit vir Dei, miseratus ejus, servientem suum qui eum solveret et ad se adduceret mittit. Quem solvens serviens ipse, illico totum mansuetum, libere, obedienter, et pacifice ad virum Dei deducit. Sanctus autem ipsum ad Confessionem primum inducens, facta Confessione interrogavit, si dæmon ei amplius aliquid loqueretur: qui respondit quod sic, sibi comminando et repetendo, Quare huc adduxisti me? væ tibi nocte futura: væ tibi nocte futura. Tu lues, et multum lues nocte ista. Quare huc me adduxisti? Sed vir Dei dæmoniacum confortans, Tutus, ait, et securus esto: mentitur dæmon: non tu lues, sed ipse. Tu comedes, et in pace jacebis in domo mea, et ipse esuriet de te, et cubabit in sua gehenna. Quid multa? Sanctus refectionem pro famelico paravit, lectum ei juxta lectum suum stravit, ipsumque lectum et totam domum aqua benedicta conspersit: et sic dæmoniacum refocillatum lecto cubavit, et super eum Evangelium Joannis legit, et alias orationes quam plures protulit. In crastinum autem interrogatus a Sancto, quomodo sibi esset, si dæmon amplius ei loqueretur aut secum esset; respondit, Jam tres anni revoluti sunt quod non ita bene requievi, et dæmon mihi non amplius loquitur, sed recessit penitus a me. Tunc Sanctus Deo gratias agens, dixit illi: Revertere in domum tuam, et in gratiarum actione perseverans esto: amodo benefacito, Missas libenter audito, sermones frequenta, eleemosynis insta, bonis operibus persevera, observa Dei et Ecclesiæ præcepta, ne revertatur dæmon amplius ad te, et deterius tibi contingat quam ante. Qui Sancti monitis pro viribus obtemperans, post hæc per quindecim annos Deo et Sancto ejus gratus et devotus supervixit.

atque ad confessionem inductum,

D

... MAUR GAUFRIDI EX MS a dæmone liberat:

C. P. XV. segmento panis sui moribundam sanat:

82 Cum D. Joanna de Beaumanoir, uxor D. Gaufridi de Tornemin Militis, in mortis esset periculo constituta, in tantum quod medici eam reliquerant, et pro sepultura funeralia pararentur; vir sanctus, qui ejus Confessionem frequenter audierat, venit ut E eam visitaret. Cum autem hora prandii advenisset, et suis solitis cibariis, grosso videlicet pane vesceretur, et offas in aqua coram ipsa Domina sumeret; ipsa de una lipparum, quas Sanctus pro se paraverat, dari sibi instanter expetiit. Mox ut ipsam lippam recepit, et (mira Dominæ fiducia! mira Sancti gratia!) aliquantulum gustat; se alleviatam et de sua infirmitate liberatam exclamavit, et postea per viginti annos in gratiarum actione, Deo et Sancto devota, perseveravit.

C. P. XVI Reclusi avari ruinam prædicit.

83 Archiepiscopo Turonensi Ecclesiam Trecorensem visitante, quædam pia mulier et antiqua viro Sancto familiaris et devota, ipsum rogavit, ut in suffragium necessarium, cuidam Recluso prope Rupem Deriani Indulgentiam a præfato impetraret Archipræsule. Sanctus vir aliquamdiu contemplans et in cœlum suspiciens, ac si aliquem divinæ prædestinationis radium fuisset intuitus, respondit: Ille, inquit, Inclusus, amore pecuniæ erit aliquando perditus. Hoc autem sequens probavit eventus. Post mortem nempe viri Dei reclusagium exivit, et retro respiciens, ineptus regno Dei, ut Sanctus prædixerat, perditionis iter arripuit.

F

ANNOTATA.

a Merreamentum *videtur dici, quasi* Materiamentum: *dicitur autem et* Maeremeum, Meremium, Merenum, Meranna *etc. ab his antiquum Francicum* Maronner, *ligna cædere: de quibus plura Cangius in Glossario. Et* Mairrein *etiam hodie in usu est.*

b Mango *proprie significat eum, qui pueris mancipiisve aut jumentis venum exponendis quæstum facit, vel alias merces expoliendo ornat, ut vendibiliores faciat: hic vero accipitur pro Equisone: atque ita infra num.* 107 Palafredus cum mangone *præmissus dicitur, ubi in Processu num.* 96 *dicitur* Palafredus cum valleto, *id est famulo.*

CAPUT VIII.

Mortui suscitati, plures a mortis periculo liberati invocato S. Yvone.

PARS IV Elevatur de terra corpus

Post transitum almi Confessoris, a multiplicandis per ejus merita miraculis, divina potentia incessanter non destitit. Deus enim omnipotens, qui in Sanctis suis gloriosus ostenditur, non est passus solem

MAIR. GALFR. DI. EX MS.

A lem obumbrari nubilo, nec thesaurum in pulvere latitare. Decrevit nimirum ut lucerna tam inclita, super candelabrum Ecclesiæ posita, ad profectum omnium coruscaret signis, emicaret miraculis. Quapropter crebrescentibus indesinenter miraculis, cum non posset ulterius beati viri sanctitas occultari, fidelium digna duxit devotio, corpus ejus, humili prius loco repositum, ad altiorem debito cum honore transferre. *propter frequentiam miraculorum.* Indignum nempe videbatur et erat, ut illius ossa vilis terra contegeret, cujus merita Dei potentia, signis tam evidentibus, prædicaret. Prudenter revera sapienterque sapientia disposuit Redemptoris, ut illius corpus emortuum corporum cederet in medelam, cujus viventis membra felicia animarum viventium extiterant medicina; et illius caro sanctissima digna in opinione mortalium venerabiliter haberetur, propter coruscantia beneficia sanitatum, quæ per totius puritatis et virginalis munditiæ gloriam germana fuerat Angelorum. Quid enim mirum, si sacra illa membra languores sanant et mortes reparant corporum, quibus velut organis sanaverat Deus languores et pestes animarum? Quid indignum, si virtutes spirituales retinuerint Reliquiæ corporis illius, quod tamdiu largitor virtutum omnium inha-B bitavit Spiritus Dei? Jam itaque ad aliqua miracula stupenda, quæ post ejus obitum per ejus merita, ad exaltationem gloriosi sui Confessoris, ostendere Deus dignatus est, dignaque sunt Testium assertione coram summis Pontificibus, Clemente VI et Joanne XXII probata, fideli narratione subsequamur: et primo, circa mortuos suscitatos et a mortis periculo liberatos.

85 Raymundus quidam adolescens de S. Brioco,
I dum canalis seu aquæ meatus cujusdam molendini clausioni minus cautus insisteret, in aquam lapsus, *Suscitantur a mortuis, juvenis sub rota molendini extinctus,* et a rota molendini raptus, capite vulneratus, ore toto, scapulis, aliisque sui corporis membris confractis et contusis, in aqua suffocatus est. Mole autem sui corporis, aquæ cursui aliqualiter obsistente, et rotam molendini a suo motu retardante, senex *a* monerius causam explorans et comperiens casum, cœpit pro viribus ad auxilium clamare. Agricolæ vero e vicinis campis, vocem senis pro sua debilitate a primo quidem vix audientes, sed ad clamorem tandem continuatum attendentes, magno interjecto temporis spatio, ad videndum quid hoc esset tandem accesserunt: et casum comprehendentes, usque ad collum aquam ingressi, ex profundo mortuum educunt. C Quid ultra? Super tam miserabili juvenis nece plangentes, ipsum Deo et S. Yvoni commendant, ac pro ipsius vita reparanda vota precesque supplices emittunt. Haud eos fefellit spes in Domino, et fiducia in Sancto ejus. Nam facto temporis intervallo, ad comprobandam veram ejus mortem concesso, mox in oculis eorum, juvenis qui mortuus fuerat revixit, et una cum adstantibus, nimium in Deo exultantibus, Deo et Sancto gratiarum actiones devotius exolvit.

86 Filius etiam unicus matris suæ, quæ et vidua *alius febri continua defunctus,* quidem spectabilis et ingenua erat, febre continua
II laborans, octava infirmitatis die mortuus est. Cumque spiritus et vitæ signum nullum in eo penitus appareret; pia mater a propinquis admonita, magno post interjecto temporis spatio, os, nares et oculos clausit; et cum nobili et numerosa comitiva, ac tota ululante familia, tota nocte circa corpus extincti filii vigilias observavit. Hic autem circa præparanda funeralia occupatis, aliis vero tædio affectis ad quiescendum secedentibus, dolorosa mater sola remansit; et juxta caput defuncti filii se collocans, habenas lacrymis relaxavit; piissimum Yvonem, ut matri, jam a marito relictæ, ipsum suum unicum reddat, votis pariter et vocibus incessanter interpellans. Factum est igitur illucescente aurora, D ut qui mortuus fuerat revivisceret, et apertis oculis et ad matrem conversis diceret: Mater mea, magnum mihi laborem præbuistis: sed et B. Yvo, vestræ desolationi compatiens, ut vobis vivus redderet suis meritis impetravit. Fama autem tum pervolante quod mortuus esset, plusquam ducentæ personæ ad sepeliendum convenientes, ipsum non solum vivum sed et sanum penitus invenientes, una cum matre Deo et Sancto vota solverunt, et debitas gratias reddiderunt.

87 Alterius viri nobilis Hammonis Kargeze Aymericus duodecim annorum filius, in brachio maris dicto Leguer se balneans, submersus et inde III *tertius mari mersus,* mortuus extractus, ad primam domum portatus est. Dum autem funeralia eidem pararentur, interjecto trium horarum spatio; mater a longinquo superveniens, nimia super filio absorpta tristitia, valido clamore, genibus flexis, fusis lacrymis, suffocatum filium almo Confessori commendavit et devovit. Qui continuo oculos aperuit, et suam matrem vocavit. Cui mater, Fili mi, ubi fuisti? Qui respondit, Cum quodam Domino albo, qui me de flumine submersum eripuit. E

88 Cum universam Britanniam clades famis invaderet, Azenora quædam de Plœguiel cum filio IV *item mendicæ mulieris filius,* quinquenne, Andegavensem civitatem quæstuaria perveniens, in hospitali pauperum recepta est. Accidit autem ut cum filius ejus media nocte Cœnæ-Domini expirasset, et ipsa pro funeralibus et sepulturæ necessariis cum defuncto filio per civitatem mendicasset; tandem ad domum cujusdam civis Britonis deveniret. Ipse vero compatiens eis, et eos Britones esse perpendens, monuit matrem, ut fideliter et devote S. Yvonem, qui vicinus et compatriota sibi fuerat, super filio suo invocaret, et sibi ipsum devoveret. Mox vero, quæ prius absorbebatur tristitia, ex verbo viri quodam spei radio reviviscens, exclamavit ad Sanctum, ut filium sibi vivum reddat, et cereum magnitudinem corporis ejus circumcingentem devovit. Surgens igitur, et filum, quo cadaveris filii mensuram capiat, perquirens; dum circa Vesperarum diei Paschæ horam corpusculum mensurat, quæ plorabat mortuum, recepit filium vitæ protinus restitutum.

89 Mulier quædam de Plebe-parva, Basilia nomine, filium suum unius anni et dimidii in aquam V *et puer in fossa mersus,* cujusdam fossati submersum et mortuum invenit, F elavavit, et extraxit. Ad matris autem clamorem patre et avo defuncti cum aliis quam plurimis accurrentibus, flexis genibus, flebilibusque vocibus, pro puero sanctissimum Confessorem interpellarunt. Parens etiam uterque et avus ipse, vota de candela cerea unius denarii, et uno denario annuatim vita comite offerendo, emiserunt. Quo facto statim puer ipse revixit, et Dei gloriam et sancti Confessoris famam adauxit.

90 Alia etiam ex eadem Plebe mater, Joanna VI *alius in fonte,* nomine, filium ætatis unius anni in fonte profundo, domui vicino, submersum et suffocatum, voto de candela reddenda cum imprecationibus emisso, quem mœsta flebat neglectum, mox læta recuperat suscitatum.

91 Guillermus etiam puer sex annorum paro- VII *tertius in stagno;* chiæ de Goaz-valon, in stagno de Portu magno submersus et mortuus extractus, matris precibus almo Confessori commendatus, emissoque per eam voto de candela suæ longitudinis et latitudinis annuatim offerenda, eadem die sibi vivus et sanus restitutus est. . . . .

92 Gaufridus parochiæ de Bothlazan filium suum VIII *item quartus,* Rolandum, ætatis circiter sex annorum, in aqua Guindi submersum extraxit mortuum. Exclamavit ad

A ad Sanctum et invocavit eum, atque emisso voto vivum recuperavit et sanum.

93 Henricus Furnarius D. Guillermi de Plœeric, calefactus a furno, in stagno domus magno se balneans, ad fundum usque casu demersus, mortuus est. Quem Domina Joanna, præfati Militis uxor, de mancipii improvisa morte condolens, sæpe sæpius ardentissimo clamore glorioso Dei Confessori commendavit, et pro eo vovit : et continuo meritis ejus famulus revixit, et devotæ Dominæ sanus restitutus est. Qui protinus a præfata Domina, cum sibi tradita pecunia, ad sanctum Sancti sepulcrum missum cereum, magnitudinem sui corporis amplectentem, cum triginta denariis atque cum laudibus et gratiarum actionibus, Deo et Sancto ejus obtulit.

IX *et quintus,*

94 Quidam puer ab equo peremptus est : quem plangens mater et ejulans ad S. Yvonis sepulcrum in gremio gestavit. Dum autem solenniis Missæ celebratis, Evangelium Joannis legeretur ; assistentes, matris clamore et extincti filii compassione commoti, exclamaverunt replicantes, O Sancte Yvo ! O Sancte Yvo ! Puer autem, acsi ipso clamore de somno expergefactus esset, mox oculos aperuit et revixit : sicque matris terminavit tristitiam et Sancti gloriam amplificavit.

X *atque puer ab equo occisus,*

B

95 In parochia de Plœlare Leonensis diœcesis, puella ætatis circiter trium annorum gravi infirmitate expiraverat : quam mater et noti ejus sancto Confessori devoverunt, et eum pro ipsa deprecati sunt. Nocte autem tota in funeralibus et vigiliis ejus expleta, sequentis diei luce revixit, et post planctum plausum induxit.

XI *puella pue triennis :*

96 Filiam quamdam, nomine Guenuretam adeo furiosam, quod eam ad postem firmum manibus et pedibus ligari oporteret, eo quod quoscumque contingere posset morderet ; pater postquam per totum annum ad plura Sanctorum loca pro habenda sanitate conduxisset, nec obtinuisset, tandem ad sepulcrum sanctissimi Confessoris Yvonis adduxit. Ibidem autem cum septem diebus perstitisset, sabbato circa horam nonam, ipsa corporis ligamina per seipsa dissoluta sunt, et ipsa simul expirante, anima corporis nexibus est absoluta. Dominica vero sequenti finita Missa, dum mortuæ sudarium suerent, et funeralia pararent ; pater ipse querulosis gemitibus et genibus flexis exclamavit, Sancte Yvo, num laboris et patientiæ, quem per annum jam pro inquirenda salute filiæ meæ sustinui, etiam a te mercede frustratus recedo ? Num spe mea, spiritualiter in te posita, frustrabor ? Heu dolor ! Quomodo dolorosæ matri ejus mortis nuntius ibo ? Hæc igitur et hujusmodi suspiria et planctus dum fierent, mox defuncta sudarium exuit, nuda surrexit, et ipsum exutum sudarium candelasque per duos Presbyteros oblatas, et ad suum funus accensas, ad Sancti sepulcrum, in redditæ vitæ testimonium, præsentavit.

XII *item furiosa ad sepulcrum expirans :*

C

97 Retulit Agnes, relicta Joannis Brientii Vicecomitis de Peverith, quod Amicia, filia sua, ætatis trium annorum, gravi infirmitate per tres menses detenta, languore invalescente et natura deficiente, tandem defuncta est. Patre autem filiæ, videlicet ipso Vice-comite quondam d. relictæ marito, S. Yvonem pro filia sua devotius imprecante, et pro ea vovente, mox non tam a defunctis revocatam, quam a languoribus incolumem recuperavit.

XIII *item trimula alia.*

98 Scribantur et hæc in generatione altera, et populus qui creabitur laudet Dominum in suo glorioso Confessore, et nihilominus Yvonem laudibus attollat, qui mirabilia ipsius virtute operatus est, etiam in conceptibus mortuis et abortivis resuscitatis. Domicella quædam, Mentia nomine, Corsopitensis diœcesis, prægnans, tantis doloribus et angustiis quindecim diebus parturiens laboravit, quod membris omnibus, maxime tibiis et cruribus, guttosa penitus effecta, lurida et denigrata, et velut omnino mortua facta est. Mater igitur ejus, videns eam viribus destitutam, nequaquam parere valentem, adeoque mortem in januis excludere spem salutis, ad S. Yvonis auxilium invocandum se convertit, et pro ea vovit, implorans ut filiam de pœnis illis liberaret, et fœtum baptismo salvaret. Quid plura ? Continuo mira et hactenus insolita miracula secuta sunt. Statim namque ipsam parturientem, obstetrices, omnesque obsequentes et assistentes somnus opprimit ; domicella suaviter dormiens, absque manus obstetricantis auxilio et sine dolore, filiam parit ; ab omni etiam gutta membrorum, tibiarum, crurumque dolore penitus est sanata ; atque de loco puerperii, aula videlicet domus suæ, sine cujusquam adminiculo, ad thalamum et lectum suum evigilata processit. Filia quoque nata, sic munda et absque macula sanguinis aut alterius sordis inventa est, ac si fuisset pluries balneata. Postmodum vero ad ætatem nubilem perveniens, quemdam Magnatem supra mensuram sui status maritum sortita est : cum quo quoad vixit, præter alia pietatis opera, in quibus abundavit, duobus diebus in pane et aqua singulis septimanis jejunavit. Quæ quidem omnia Dei dona, per S. Yvonis Patroni sui merita et suffragia, consecutam se fore nullo unquam postea tempore siluit ; sed verbis semper et factis enarravit.

D

A. 31 UR. GAUFRIDI EX MS

I *Adjuta puerpera moribunda fœtusque salvatus,*

sine dolore in lucem venit :

E

99 Mulier quædam de Guerandia prægnans, quæ infantem in utero vivum quampluries deprehenderat, et improbi laboris occasione certis signis per quinque dies mortuum postea adverterat ; se et infantem S. Yvoni recommendavit et vovit, imprecans ut nec ipsa periret, nec infans baptismum amitteret. Mira res ! Statim ad visitandum Sancti sepulcrum iter arripiens, ubi ipsum sepulcrum attigit, illico infans in utero palpitavit, venterque adeo intumuit, quod et cingulum disruptum et tunicellum dissutum est ; aborsusque revixit, et eum post duos menses, baptismo reservatum, salvum peperit.

II *item alius extinctus in utero,*

100 Marita mulier parochia de Ploeyunet, masculum peperit mortuum : quem ipsa una, cum marito et quodam familiari superveniente Clerico ac quampluribus advenientibus, parientis et abortivi pietate ductis, fusis precibus sancto Confessori devovit. Qui statim reviviscens, emissa viva voce cunctos lætificavit.

III *et mortuus natus,*

F

101 Juzeta de Plebe-Danielis Leonensis diœcesis, cum per duos dies de infante, diebus quindecim in utero mortuo, magno partus dolore laborasset ; corde oreque pariter quantum valuit inclamavit : Sancte Yvo libera me, et infantem quem porro fac ad baptismum pervenire. Quo facto statim filium peperit : qui baptizatus quidem, sine lacte tamen aut cujusque alerius alimenti sustentatione novem diebus vixit.

IV *item alius,*

102 Huic accedat illud factum miraculum de muliere, sterilem mamillam habente. Dum mulier quædam de Plestin infantem haberet parvulum, pro quo alendo in una sola mamillarum lac haberet, et hoc etiam parum ; atque ob id super eam infans, quasi in sinu animam exhalaret, continuo ploraret ; ad cujusdam matronæ suggestionem super hoc ad S. Yvonem recurrens, ipsum deprecatur, et ei se et infantem devovet. Quo facto, lac in sterili mamma abundavit, et continuo visibiliter distillavit, unde pereuntem filium refocillavit et pavit.

lac puerperæ impetratum.

103 Fuit apud Nyortum *b* quidam mortis suspendio condemnatus, qui tribus vicibus una die suspensus, ad invocationem B. Yvonis, ab ipso mortis periculo liberatus est. Propter quod etiam statim ad

b Servatur, ter suspensus,

A. Maur Gaufridi ex Ms.

A ad sepulcrum ejus, in camisia et braccis cum chorda in collo, quibus suspensus fuerat, iter arripuit: et tandem perveniens, et factum suum et perpetratum Sancti meritis in eo miraculum publice confessus est. Chordam etiam ipsam in medio ruptam, et illatorum vestigia vulnerum collo suo ex ipsa suspensione relicta, cunctis perspicere cupientibus ostendit.

cæcus in puteum lapsus.

104 Cæcus quidam annorum quinquaginta, in profundum puteum prope cœmeterium pro tunc civitatis Trecorensis, in quo anno emergenti fortis quidam juvenis cadens, mortuus fuerat, adversus deorsum decidit capite. Sed Sanctum interpellans ex nomine dixit: Sancte Dei Yvo, tibi adjutorium adclamo. Accurrentium etiam votis et precibus Deo et S. Yvoni commendatus, inde, licet capite vulneratus, vivus tamen extractus est. Asserebat etiam, quod sicut præfatus juvenis, sic et ipse quoque eodem præcipitio periisset, nisi S. Yvo ipsum in omnibus conservasset.

Presbyter in aquam ex ponte cadens,

105 Vice quadam contigit, Henricum, Presbyterum et Rectorem Ecclesiæ de Mentaloet, dum esset aquarum inundatio permaxima, per pontem Ars transitum faceret et ipsum equum ejus in stagnum, B cujus aqua subtus meatum habebat, una cum maleta litteras continente præcipitare. Cum autem protinus exclamaret, Sancte Yvo, adjuva me; et ad honorem ejus ipsa die annuatim Missam celebrare, et duodecim denarios perpetui redditus ordinare devoveret; Sanctus ipsum illico a submersionis periculo liberavit, et maletam cum Scripturis et litteris incorruptam penitus reservavit. Dum etiam quidam accederent, et ad exeundum de aqua se in adjutores offerrent, Presbyter solius Sancti suffragium sufficere contestatus est.

15 periclitantes in tempestate:

106 Circa festum omnium Sanctorum, Magnates quidam et Domicelli, numero circiter quindecim, ad quamdam insulam per leugam a terra distantem causa venationis accedere proponentes, dum navigarent et jam ad jactum lapidis ab insula distarent; ecce tempestas et maris turbatio adeo valida consurgit, quod nauta diffidens et metuens, quam citius reverti consulit. Sed quidam ex eis animosior Dominus de Pestuven, non acquiescens, sed remum post remum capiens, omnes vehementia navigationis confringit. Tandem tempestate ac turbine maris invalescentibus, et ipsis sine remis existentibus, navi- C que undis tumentibus et aquis inundantibus repleta; humanum non habentes, ad divinum recurrunt auxilium. Sanctum igitur Yvonem patronum et apud Deum pro eis intercessorem constituerunt, eidem devoventes, si portum salutis eis dignaretur impetrare, se sine camisiis et nudis pedibus ejus sepulcrum visitare. Nec mora: et ecce contra cursum et impetum maris, venti et tempestatis, navis se vertit; ipsoque recto tramite ad portum unde recesserant, salvos et incolumes reduxit.

item naufragi duo.

107 Accidit etiam ut octo personæ in mari, quod est inter insulam Maudeti et villam de Lesardroe, in navi onusta terra marina transfretantes, exorta subito tempestate, naufragium paterentur: duo vero ex ipsis, cum natare nullatenus scirent, seque penitus periclitari conspicerent; corde et ore clamantes, S. Yvonem in auxilium invocaverunt, voventes quod si evaderent, omnino nudi ejus sepulcrum visitarent. Statim autem tempestas ipsa cessavit, et magna facta tranquillitate, sex sociis suis submersis, ipsi a supervenientibus vicinis salvi suscepti sunt.

108 Nobilis vir Alanus de Freranrais Miles, cum Domina Theophania sua uxore ac quibusdam aliis eorum familiaribus, per portum maris, dictum *c* Lober, Venetensis diœcesis transfretare disponens,

c

Equus cum famulo in mare se præcipitans.

D cavens de periculo societati, palefredum cum mangone in passagio præmisit, vultum palefridi taubardi velamento operiens, ne maris fremitum expavescat. Cum autem longius a terra processissent, in quodam passu periculoso, in quo oportebat naviculam duos aut tres circuitus facere, antequam ulterius procederet, dictus palefredus infestatus et perterritus, in mari se cum mangone præcipitavit. Quo viso ipse Dominus statim exclamavit: Sancte Yvo, et valetum meum et palefredum tibi recommendo. Et ecce continuo mango submersus supernatavit; et apprehenso remo sibi projecto, navi receptus ac liberatus est: palefredus vero, quem refluxus maris in suum ducebat et trahebat alveum, se divertit; et contra maris undas, per ventum et fluctus sibi contrarios, velamento etiam sibi apposito impediente, ad portum unde recesserat et ubi eum Dominus expectabat, recto tramite remeavit. Tanto igitur viso miraculo, ingratitudinem ad Deum et Sanctum ejus non patiens, statim una cum suo mangone et palefredo, pro publicando miraculo et gratiis exsolvendis, ad Sancti sepulcrum properavit. Ubi etiam novum aliud miraculum et quoddam portentum ostensum est. Palefredus enim ipse, brutum illud animal, divino quodam instinctu, quasi Sancti gratiam agnosceret et suam ei liberationem tribueret, ecclesiam ingressus, dum appropiaret sepulcro, miro et insolito more cœpit inhinnire, cum tamen tota die non inhinnisset, nec alias hinnire consuevisset: sed nec ab hujusmodi hinnitu quamdiu perstitit cessavit, sed continuo hinniens donec discederet perduraverit. E

liberationem suam hinnitu testatur.

Servati ex 40 naufragi 10,

109 Passagium de Treysquinet, quod est in confinibus Corisopitensis et Leonensis diœceseon, quadam vice præ nimia sarcina personarum, propter etiam inundationes aquarum, ventum, et fluctus contrarios, in profundum pelagi cum omnibus transfretantibus, numero circiter quadraginta quinque personis, submersum est: ex quibus tantum decem, Deo et S. Yvoni se devoventes, evaserunt; qui et ipsi sæpius ad fundum usque ad arenam maris descendentes et inde ascendentes, sicque ad duas horas et ultra fluctuantes, et S. Yvonem continue invocantes, tandem a quibusdam piscatoribus de Leonia, a duabus leugis inde supervenientibus, extracti et recepti, sancti Confessoris meritis liberati sunt. *d*

d

eques cum equo a maris æstu absorptus,

110 Guillermus Tournemin, Dominus quondam de Hunaudoye, cum in comitiva notabili littus maris F de Hilion, ubi bis, aliquando ter in die fluit et refluit mare, transire proponeret, credens fluxum prævenire ceteros præcedere contendit. Ipsis vero metu supervenientes maris sequi recusantibus, solus ipse per media littora agit equum: in quibus cadens, iterato resurgit: sed tandem solido pedibus equi deficiente solo, ad fundum maris cum equo demergitur. In ipso autem profundo existens, dum se in corde Sancto devovit Yvoni, mare eum evomuit: sed credens equum supernatantem tenere, iterum cum equo descendit in profundum. Quod videntes comites, nec aliter juvare valentes, S. Yvonem etiam pro eo crebrius invocabant, et incolumem, nec parum etiam aquam glutientem, ad siccam perduxit.

puer aqua mersus,

111 Contigit etiam ut puer quidam decem annorum, desuper unum globum coacervatarum algarum, quem per mare tunc fluens domum patris transvehebat, soluto sparsim globo in aquam profundissimam, prope portum Lapidis nigri juxta civitatem Trecorensem caderet. Puer autem statim clamare cœpit, Sancte Yvo! Sancte Yvo! Sic etiam super aquam remanens, ab una ripa maris audivit quamdam mulierem, ab alia vero pueros clamantes. Accurrite, quæsumus, accurrite; submerso subvenite. Sancte Yvo adjuva, Sancte Yvo adjutor adesto. Nec mora et

A et ecce navis celeriter appropinquans supervenit ad puerum, suis vestibus indutum, diutissime super mare supinum, ac si dormire vellet interritum, nec natando nec aliter evadendo se juvantem, sine etiam aquæ glutatione servatum, salvat et recipit illæsum.

item naufragus,

112 Navicula quædam, in qua Alanus de Landehoez Briocensis diœcesis, cum aliis sociis erat, fluxu maris impellente ad rupem fracta est. Ipse autem Alanus mox exclamavit, Sancte Yvo, ad veram Confessionem et hujus periculi evasionem salva me; et cunctis annis vitæ quatuor denarios reddam tibi. Statim vero navicula frustatim dispersa est, et ipse in profundum demersus, aqua subintrante usque ad interiora ejus. Sed mari eum ad summum iterum reducente, et ipso iterum sicut ante Sanctum invocante, lignum de mari ascendens apprehendit: super quo fluctuando se sustentavit, quousque nutu Dei et Sancti meritis, perveniret navis, quæ eum suscepit et salvavit.

et mercator in tempestate periclitans,

113 Cum Arnaldus, filius Raymundi de Rupe-Deriani, causa negotiandi navigio Vasconiam peteret; ante portum de Rupella, nautis ad terram descendentibus et ipso cum duobus sociis in navi remanentibus, subito tempestas maxima cum tanta obscuritate B suborta est, quod navis cum mercimoniis pessime agitata in periculo submersionis constitueretur, et vix unus alium videre posset. Tunc d. Arnaldo cum aliis sibi derelictis clamantibus, et Sanctum cordibus simul et vocibus imprecantibus, incontinenti super navim ipsam lumen quoddam visibiliter apparuit, et statim tempestas omnino cessavit.

rursum naufragus,

114 Joannes etiam Gad Trecorensis diœcesis, dum semel esset cum quinque aliis sociis in mari, prope Portum-benedictum ejusdem diœcesis, tanta in ipso mari tempestas orta est, quod navis in qua erat fracta et fluctibus operta, submersa est. Tunc autem ipse, natare aut aliam evasionem invenire nesciens, inter ipsas arctatus angustias, Beatissimum Yvonem invocavit; et si evaderet, ejusdem sepulcrum nudum se adire devovit. Statim igitur Sancti meritis operantibus, modicum ligni frustum, longitudinis unius pedis et latitudinis trium digitorum, e fundo maris emergens, apprehendit: in quo ad aliam navim perveniens, periculum mortis evasit. Aliis natare scientibus, qui et Sancto se recommendare neglexerunt, pereuntibus.

et tres naves periclitantes.

115 Alanus civis Trecorensis emissa vota Sancto exolvens, tres cereas naves ad sepulcrum S. Yvonis appendit, unam pro evasione parati naufragii, super C quadam Jocha, ubi statim emisso voto miraculose navis ad portum meritis Sancti perducta est. Aliam ratione alterius, in anteriori parte etiam confractæ, quæ etiam voto emisso Trecoris ad suum portum pervenit. Tertiam vero ratione alterius navis, a periculo etiam naufragii et nautarum submersione, per subortam maximam tempestatem, a quibus devotos suos pius Sanctus liberavit et illæsos conservavit.

Parvula incensa domo servatur.

116 Uxor Vicecomitis de Peverith, Deudmat nomine, confessa est se filiam suam unius anni Agneti e cuidam matronæ custodiendam tradidisse. Cumque inde revertisset, cœpit quodam cordis angore timere. Nesciens autem unde hoc poterat sibi evenire, venit sibi in mentem de ipsa filia sua dubitare, et eam ac domum in qua erat beatissimo Xvoni devotius commendare. Stupenda res! Ad domum, in qua filiam dimiserat, S. Yvonem semper invocando statim revertitur, fumum incendii ex ea prodeuntem aspicit, et cursum accelerat: domum intrat, incendii vestigia deprehendit, ipsam quoque filiam suam in cunabilis positam et pannos ejus usque ad umbilicum consumptos et combustos intuetur. O Sanctum, totius fidei et spei cultu prosequendum! cujus meritis et ignis incendium cessavit, et filia combustis pannis D sana penitus et illæsa remansit.

A. MAUR. GAUFRIDI EX MS.

ANNOTATA.

a Monerius, *Francis* Meunier, *Molitor: alias* Molinarius, *unde contractum videtur.*

b Nyortum *in Processu num.* 92, Mortum.

c Lober, *in Summario Processus* Leombar: *atque hoc modo in transcribendis nominibus locorum haud levis hinc inde apparet diversitas, quam non libuit sigillatim notare.*

d *Refertur hic casus ex Summario num.* 97, *cum tam notabili circumstantiarum quarumdam defectu aut differentia, ut utrumque locum conferenti appareat optandum fuisse ipsarummet depositionum contextum integrum, tam hic quam alibi, ubi nunc Summario debuimus esse contenti.*

CAPUT IX.

Contracti et paralytici sanati; cæci et oculis infirmi curati; dæmoniaci ac furentes liberati. E

Puella omnibus membris contracta,

Producenda sunt etiam in medium miracula de contractis, paralyticis, guttosis, et memororum impotentia liberatis. Catharina, de Plebe Joannis Trecorensis diœc. oriunda, ætatis quindecim annorum vel circa, ex gutta et aliis infirmitatibus, manibus, brachiis, pedibus et tibiis per annum et ultra sic contracta facta est, quod nec ambulare, nec surgere, nec se pascere ullatenus prævaleret: habebat enim brachia unum super aliud involuta et juncta, clausas manus subtus spatulas, tibias junctas, et pedes unum super alium ad modum crucis superpositum. Sicque equo posita et ligata, pro obtinenda sanitate, ad sepulcrum S. Yvonis ducta est. Cumque autem ibidem septem septimanis circiter precibus devotis insisteret, nec sanitatem obtinuisset; tandem equo sicut prius posita et ligata, repatriare jubetur. O dilatæ pietatis dissimulatio! Ecce discedens et jam per unam leugam a civitate posita, adhuc antequam omnino ecclesiæ et domus, in qua Sanctus requiescit, visionem amittat, fideli ad Sanctum affectione ligata versus civitatem retrospicit: et intuita campanile, a fundo cordis alta ducens suspiria, suspiriis pias lacrymas addens, hujusmodi voces ingeminat: F O Sancte Yvo, maxima mihi infuit inestque in vestra pietate fiducia, et vestra domo inconsolata recedo? Sancte dulcisque et pie Yvo, quomodo adhuc infirma, in nullo modo curata, ad matrem rediens ejus oculos contristabo? O piissime Confessor Yvo, qui et vivens et mortuus nulli misero vos deprecanti defuistis, me miseram! quomodo vestra pietate frustrata et de vestra misericordia despecta, vobis et sacræ domui vestræ ex nunc et in futurum valefacio? Dum igitur dilatis in tribulatione consolationibus sic ingemiscit, ecce subitum et repentinum divinæ retributionis solatium. Nondum verba hujuscemodi finierat, et ecce splendor eam circumfulgens eamque calefaciens brachia solvit, manus aperit, disjungit pedes et tibias, atque a pristina infirmitate liberat et sanitati restituit. Experta igitur in se gratiam Dei, jubet illa ligamina, quibus ad equum ligata fuerat, protinus absolvi, per se ipsam de equo ad terram descendit, ac cum comitibus suis cunctisque sibi viso miraculo obviantibus, ad Sancti sepulcrum pedes per se properat. Quo audito, omni Clero et populo sibi processionaliter occurrentibus, et ad sepulcrum usque conducentibus, communi omnium clamore

neque per 7 hebdomadas exaudita,

sanatur in reditu a sepulcro.

A clamore Deo et Sancto ejus exolvuntur laudes et gratiarum actiones.

A MAURO [illegible] GAUFRIDO [illegible] EX MS. [illegible]

Vir similiter contractus,

118 Quidam alius, Nicolaus nomine, de Guerranda oriundus, consimiliter sic manibus, brachiis et pedibus paralyticus et contractus fuerat, quod nec manus aperire, nec brachia aut tibias extendere, sed nec ambulare, surgere, aut pedes stare, aut se pascere per quatuor annos valebat. *sanatur post 5 hebdomades,* Hic cum ad S. Yvonis sepulcrum pro sanitate habenda in curru delatus esset; in domo cujusdam civis hospitatus, crebro ad ipsum sepulcrum, quandoque etiam in hospitio, quinque septimanarum spatio degens, in continuis deprecationibus et votis pro sua sanitate perseverans, nec ab ipsa adhuc infirmitate relevatus aut in aliquo emendatus est. Diffidens igitur et de recuperanda salute desperans, hospitem vocavit, cum eo computavit, et de suis expensis satisfaciens in crastinum recedere proposuit. O prona divinæ tarditatis compensatio! Adveniente enim nocte, omnique familia in suis cubilibus collocata, ostio autem infirmi aperto remanente, ecce civis circa noctis medium evigilans, per ostium in camera ipsius infirmi Nicolai tantum lumen, et claritatem intuetur, quod B tota domus incendi putaretur. Ipso igitur perterrito et subito consurgente, lumen ipsum et claritas disparuerunt. *apparente ipsi Sancto.* Iterum igitur recumbens et jacens in lecto, cum iterato ipsum lumen et claritas amplius radiarent, ipse iterum hospes cum excitata sorore II velociter consurgentes, clamaverunt quod tota domus combureretur. Nicolaus autem ipse eisdem respondit: Non moveamini, quoniam bene sum, et S. Yvo mecum est. Aurora autem diei lucescente, et illo lumine et claritate disparentibus, in pedes stantem viderunt, sanum penitus et curatum invenerunt; itaque ad Sancti sepulcrum procedentes, Deum et Sanctum glorificaverunt, emissaque vota et gratias reddiderunt.

III 119 Henricus de Volonia tibiam sinistram, ex gutta et aliarum infirmitatum occasione, habuit per duos annos sic contractam et contraversam quasi ad crus conjunctam, quod eam extendere non valebat, *Item tibia contractus,* sed cum duobus baculis seu potentiis ire oportebat. Cum autem semel ad sepulcrum S. Yvonis staret, et juxta ipsum dormiret, vocem quasi de sepulcro procedentem audivit, Si duos cereos invenires et ad sepulcrum hoc offerres, curareris. Evigilans igitur, et ostiatim per civitatem pro ipsis cereis mendicans, quæsitos invenit, et inventos statim cum precibus C obtulit. Sequenti autem die cum magna Missa celebraretur, promissam curam præstolans, et orans, cunctis cernentibus tibiam extendit, et ab ipsa et omni infirmitate curatus surrexit: relictisque ibidem baculis, pedibus ambulavit.

120 Amou de Plebe barbata manibus et brachiis, IV pedibus et tibiis sic contracta per annum est, quod *alia toto corpore* nec surgere, nec ambulare, nec manus aperire, brachia aut tibias extendere, seve potare aut pascere valebat. Ad crebram autem per intervalla temporis S. Yvonis invocationem, adjuncto voto quod ad honorem Dei et Sancti ejus sextis feriis vita comite jejunaret, orationibusque et eleemosynis pro viribus intenderet; repetita membra extendit, manum aperuit, ac plenam sanitatem recepit.

V 121 Joannes de Loargat adeo paralyticus et contractus effectus est, quod tibias quasi cruribus junctas tenuit, *et alius cruribus* pedemque unum alteri ad modum crucis suppositum habuit, ita ut nec ambulare, nec suis membris se juvare posset; sed oporteret quod per alios sæpius aut per matrem portaretur, aut de loco ad locum mutaretur. Cum autem per duos annos continuos tantam calamitatem pertulisset, semel tam diuturni temporis tædio affectus, suæque matris doloribus et laboribus compassus, gemens et ejulans D exclamavit: Piissime Sanctorum Yvo, aspice clemens ad calamitatem meam, et matris miseriam: tibi corpus, sanguinem, et animam reddo, et circulum mei corporis cereum promitto. Ad hæc autem subsequens mater adjunxit, Et ego tibi, beatissime Confessor, tribulationem ostendo: miserere mei et filium meum mihi trade ad celerem vitæ sanitatem vel mortem. Nec mora: invocationibus et votis emissis, contractus tibias extendit, surrexit, ambulavit, et ab infirmitatibus quibus gravabatur illico curatus est.

122 Yvo quidam de Pedermac memoriam amisit, VI ita ut nesciret aut ubi esset aut quid faceret, sed tam quam furiosus et demens verba fatua et inordinata *Sanitas et mens sua redditur furioso et contracto* proferebat: in tantum autem productus est furor, quod talis eum arripuit infirmitas, quod linguam et totum os haberet interius combustum, manus vero pedesque frigidos, tibias ad invicem cancellatas et brachia similiter. Cum autem per duos annos, parvo interposito intervallo hujusmodi infirmitate laboraret; pater eum ad S. Yvonis sepulcrum adduxit, et pro eo de annuo circulo sui corporis cereo offerendo votum emisit. Precibus igitur et ejusmodi votis E perseverans, ecclesiamque et sepulcrum per decem dies continue visitans, tandem memoriam recuperavit, et de prædictis infirmitatibus Sancti meritis convaluit.

123 Joannes quidam de Plebe-nova, ætatis quindecim annorum, prægrandi miricarum oneri suc- VII cumbens, prægravatus et pressus, sic contractus *Curantur contractus ex nimio pondere,* factus est, quod incedere aut sedere non valens, solum jaceret et curvas manus ad crura tenendo procederet. Hic autem pro habenda sanitate ad ecclesiam Trecorensem equo vectus, cum S. Yvonis sepulcro cum anxio labore appropinquasset, exclamavit; Sancte Yvo, ab hac infirmitate seu per vitam seu per mortem libera me, et servum tuum perpetuo de uno annuo denario vita comite me devoveo. Quo facto, subito surrexit, et se erexit, et omnino sanum se sensit.

124 Apud Guengampum olim Azelicia nomine, VIII per undecim circiter annos paralytica et gutta con- *a cingulo deorsum paralytica,* tracta est adeo, quod tibias ad crura et pedes ad posteriora flexos et adjunctos extendere non valebat, sed manibus et mamillis quasi reptile se retrahebat. Hæc adeo d. gutta gravabatur, quod nec ipsa vix dormiebat, nec assistentes præ gemitibus et clamoribus ejus vel raptim dormire permitteret. Multis ergo votis et precibus pluries pro salute S. Yvonem F interpellans, vice quadam ardentius solito et insolentius pulsavit aures Dei, et S. Yvonis meritis expetiit aut a carcere carnis absolvi, aut carnis sanitati restitui. Quæ protinus extensis membris et toto corpore rectificata surrexit, et omni gutta ac infirmitate curata plenæ sanitati restituta est.

125 Henricus, Constantiensis diœcesis in Normannia, manibus et pedibus contractus, non valens sine IX potentiis incedere, sed curvus vadens, post se pedes *contractus manibus et pedibus,* trahebat. Ad sepulcrum Sancti tandem perveniens, precibus et votis emissis, dimissis ibi potentiis, sanus et curatus ad sua remeavit.

126 Joannes Core de Lammuer Dolensis diœce- X sis, per octo annos vel circa sic tibiis et pedibus *alius cruribus,* contractus est factus, quod nec se erigere, nec ambulare, nec equitare valebat; sed more quadrupedis manibus et genibus per terram se trahebat, et tibias proprias frustra, quasi alienas, portabat. Tandem autem per D. Theophaniam de Silva-Eudonis, D. Petri de Lammuer Legum Professoris uxorem, quæ ipsum in alumnum habebat, equo bastato a positus, ad sepulcrum S. Yvonis pro sanitate missus est. a Votis igitur et precibus ab eo et ab aliis pro eo factis, sanus et curatus inde rediit, et Sancti gloriam dilatavit

A dilatavit, ipsiusque Dominæ et suæ familiæ lætitiam et sanctam devotionem ampliavit.

127 In diœcesi Corisopitensis parochiæ de Queriam, Guillermus Balch, per septem annos et ultra, de una tibia contractus est, quam ad crus levatam habens extendere non valebat, unde et cum potentiis ambulabat. Hunc, Sanctum invocantem et se in hominem de sex annuis denariis devoventem, fulgor maximus circumfulsit, et eum sic calefecit quod sudavit: post sudorem vero alleviatum se sensit, contractam tibiam extendit, pedes surrexit, potentiis scilicet relictis, hilaris et sanus ambulans ad propria, Deum glorificavit et Sancto suo benedixit.

XI *tertius tibia:*

128 Quædam filia de Lammuer, ætatis duorum annorum et dimidii, quadam infirmitate percussa, et loquelam amisit, et os ei ad sinistram partem faciei versum est: brachio etiam tibiaque et nervis totius sinistri lateris sic paralytica et contracta facta est, quod per decem septimanas nec aliquem ex eis usum habere valebat. Mater igitur, deformitate et pœna filiæ pietate materna commota, sumpta ad piissimum Sanctum fiducia, ipsum deprecatur, ut in suam tristitiam et filiæ miseriam oculis pietatis aspiciat, et eam vel vitæ tollat vel sanitati restituat. Cum autem ab honorem Sancti, causa devotionis et consequendæ citius sanitatis, ad sanctum sepulcrum B. Yvonis iter cum filia arripuisset, et jam per leugam processisset, sicque adhuc ab ipso sepulcro septem leugis distarent; continuo filia sanitatem recipit, loquitur, brachia et tibias extendit, facies ad pristinum statum reversa est: et cum matre læta plures viæ partes, sine baculo vel alio fulcimento aut vehiculo, ad ipsum sepulcrum properavit, Christi Jesu gratias agens nomini, ac B. Yvonis testimonium perhibens sanctitati.

XII *ore distorto muta et latere uno paralytica.*

B

129 Nec sane prætereundum sanctitatis abundans quoddam et evidens argumentum, quoniam B. Yvonis meritis non tantummodo vita mortuis, salus ægris, gressus claudis, loquela mutis, sed et lumen cæcis redditur et surdis auditus. Nam cæcus quidam de Rupe Amatoris ad Trecorensem pervenit civitatem, atque in ea moram multo tempore traxit, duce cane ostiatim mendicans. Hic ad Sancti sepulcrum frequentius assidens, assidue ipsum pro oculorum lumine precabatur. Nec tandem fuit suo desiderio fraudatus, sed clarissimum recipiens visum, hoc cunctis civibus singulorum discretione probavit: eisque ductorem suum canem, quem paverant, dimittens et ad suos repatrians, Sancti apud eos gloriam nuntiavit.

Illuminatur mendicus,

C

130 Anno quo vir sanctus mortuus est, et die qua de ipso *b* Septimæ fierent, quidam juvenis de Lancout Guido nomine, per longa tempora cæcus, ad ejus sepulcrum deductus, ibidem Sanctum pro suo visu prolixius et instantius exoravit. Tandem igitur, Sancto quod petebat impetrante, dum Missarum solemnia celebrarentur, palam illuminatus est, et protinus agens oblata sibi ab assistentibus pia dona ad altare votivus obtulit.

b *item juvenis cæcus:*

131 D. Petri de Lammeur Legum Professoris filia, Margilia nomine, maculam ad quantitatem unius pisi, occasione cujusdam infirmitatis contractam, in oculo habuit, quæ per octo continuos dies immanens et quotidie crescens, incurabilis videbatur. Mater autem puellæ, malens eam mortuam quam in oculis maculosam, una cum patre et sua nutrice, ipsam Sancto Dei Yvoni recommendantes, et ad sanctum ejus sepulcrum cum oblationibus deferre voventes, in crastinum eam ab oculi macula purificatam et plene mundatam invenit.

oculus maculosus mundatur:

132 Evenus Eudonis de Plebe-nova Trecor diœc. in molendino monachorum de Begar, a rota molendini casu tractus et oppressus est, cui etiam fronte concussa dexter oculus excussus est. Hunc autem ejus jacturam præsens quædam mulier aspiciens, sibi quidem compatiens, in nullo tamen ei auxilium aliter impendere valens, ad S. Yvonem pro auxilio flexis genibus exclamavit. Ad hanc autem exclamationem statim aqua stetit, et rota: et ipse extractus et liberatus est. Ipsa etiam muliere oculum extractum suo loco reponente, ipse quidem oculus integer et sanus reparatus est; modica tamen cicatrice, nullam prorsus deformitatem præstante, sed tanti dumtaxat miraculi memoriam commendante, in ipsa fronte remanente.

D *A MAUR. G UFRIDI EX MS* *restituitur oculus evulsus:*

133 Retulit vir religiosus Gaufredus Abbas de Bona-requie, quod ipso præsente filia quædam matrem suam diutissime cæcam, pro obtinendo oculorum lumine, ad Sancti sepulcrum conduxerat: quæ plurimo tempore cæcitatis suæ remedio, precibus et votis implorato, nec tamen impetrato, desperans de consecutione, ab ecclesia et sepulchro discedere proponebat, et filiæ suæ eam conducere jubebat. Filia autem matris monitis et jussionibus, ne eam offenderet, obtemperans, dum matrem ad propria reducere coacta extra ecclesiam educit, in ipsis ecce liminibus ad Sancti sepulchrum retrospicientes, ipso Abbate et adstantium multitudine audiente, exclamavit: O sanctissime et piissime Yvo, qui multa et in multis miracula facitis, ut quid in mea matre cæca, vos imprecante, seque et sua vobis offerrente, vestra miracula non ostenditis? Nec mora: et ecce filia in matrem respiciens, et ejus oculos divinitus Sancti meritis apertos intuita, lugubri sono subito in jubilum mutato, voce altera proclamavit, Mater mea videt. Mater mea videt. Ipso igitur Abbate cernente et tota multitudine, matre quidem vice versa præeunte, et filia e vestigio subsequente, ad sepulcrum revertuntur; Deoque et Sancto ejus laudes extolluntur, et gratiarum actiones referuntur.

redditur mulieri cæcæ visus,

E

præsente quodam Abbate;

134 Juliana de Coutrevan, ætatis duorum annorum cum dimidio, cæcam filiam ad sepulcrum S. Yvonis pro viso restaurando detulit; et eam Sancto devovens, imprecata est ut eam aut per vitam aut per mortem a cæcitate liberaret. Quo facto statim de uno oculo visum recepit: alium autem oculum, qui etiam clausus erat, aperuit, de quo tum nihil vidit. Duo quidem mira Sancti meritis patrata, in oculo cæco visio clara, et in clauso honesta apertura.

item bimulæ cæcæ

135 Hoc etiam sanctitatis ejus et in eo divinæ virtutis testimonium emicuit in dæmoniacis furiosis, per ipsum a dæmonibus liberatis, et ad sensum et ad memoriam restitutis. In parochia de Penguennam Trecor. diœc. mater quædam filio suo, Yvoni nomine, ætatis viginti annorum irata et turbata, flexis genibus et ostensis mamillis, diffamationem sibi factam objiciens, maledixit: Diffamasti, inquit me, qui famam defendere debueras: ego do tibi maledictionem meam, mamillarum harum quas suxisti, et viscerum quæ te portaverunt: et quidquid in te juris habeo, quidquid de te peperi, totum do diabolo. Qui statim in terram velut mortuus corruens, tanta subito est in corde et toto corpore vexatione arreptus quod vix a quatuor fortibus valuit detineri. Portatus autem ad vicinam domum, et lecto quodam ligatus ac positus, videbat ipsa nocte manifeste contra se irruere duos dæmones nigros et horribiles, magnos sicut turres, facie et cornibus caprinam formam prætendentes, nitentes eum capere et dicentes, Noster es, Noster es: quia te mater dedit nobis.

F

Maledicente matre invasus a dæmone,

136 Pater autem superveniens, et videns filium furiosum more canis ejulantem, et jam contra se erigentem ac mordere quærentem, terribiliter etiam clamantem; Defendite me ab istis latronibus et capris, qui volunt me portare; eidem incumbens exclamavit,

ad votum patris apparente Sancto.

A M. GR. GAUFRID. EX MS,

A clamavit, S. Yvo, filium meum vestræ custodiæ recommendo: protector et defensor estote. Qua prece fusa apparuit statim ipsi filio S. Yvo, sedens supra pectus ejus, qui importunas ab eo dæmonum abigebat molestias, eorumque impetum virtuosa potentia coercens, et dicens: Fuisti enim die lunæ ad sepulcrum meum et vocaris nomine meo, idcirco veni ad salvandum te; nec te potuit mater diabolo dare, quæ nihil juris habet in te plus, quam saccus in frumento quod portatur in eo. Gallo autem statim cantante, conversus ad patrem dixit ei, Dimitte me, pater, cum S. Yvone colloqui, qui me defendet. Quibus verbis pluries repetitis, dormire cœpit et quievit usque mane. Die autem illucescente excitatus a somno, rogavit patrem ut eum protinus ad S. Yvonem perducat. Cum itaque duceret eum pater et procederet in via; mater pœnitens et dolens etiam secuta est. Quam appropinquantem sentiens, cœpit iterum secundo a dæmonibus vexari, et terribilius clamare, Auferte eam. Cui condolens mater, ex fundo cordis in cœlum vociferans, ait: Fili mi, ego te S. Yvoni, quo properas, recommendo. Jussu igitur patris domum reversa, statim cessavit ipsa secunda vexatio. Cum autem ad ecclesiam pervenissent, et ad sepulcrum accessissent, durissima eum iterum tertio arripuit vexatio; quæ usque ad Vesperas perduravit. Dumque Vesperæ dicerentur, ductu et monitu patris, post preces et vota, finaliter lapideum caput quod est ad sepulcrum deosculans, Sancti meritis Deo reconciliatum ac a dæmonibus liberatum se sensit, vestes et zonam repetiit, Deoque et et Sancto gratias agens, domum cum patre, matrem pacificaturus ac lætificaturus, sanus et sensatus rediit, et peccata sua humiliter confitens emendationem vitæ proposuit et perfecit.

juxta ejus sepulcrum liberatur:

B

II. 137 Fuit in parochia de Prato Trecor. diœc. filia quædam duodecim annorum Margilia nomine, per mensem et ultra demens et furiosa, adeo ut in matrem aliosque irrueret, vestes suas et domus utensilia frangeret et laniaret, multasque alias dementias exerceret, propter quas eam ligari et arcta custodia teneri oportebat. Hæc per matrem ad sepulcrum gloriosi Confessoris adducta, invocata super eam Sancto et voto emisso, statim sanata fuit penitus et curata.

item puella,

138 Hispanus quidam, nomine Michael de Fonterabie, cuidam pauperi eidem pro Dei honore et S. Yvonis amore eleemosynam postulanti, postposita Dei reverentia et Sancti honore suppresso, pro pietate derisionem, pro eleemosyna indignationem erogans, turpiter excreando in palmam pauperis spuit. Nec impune. Paupere enim respondente, Retribuat vobis Dominus et Sanctus ejus: statim præfatus Hispanus ad terram allisus, amensque et furiosus effectus, fortiter exclamavit, quod unus cum sociis suis, vestibus albis indutus, ipsum sine fœdere verberabat, et absque misericordia internecabat. Ipse nihilominus seipsum cum duobus pugnis percutiebat vehementer ad pectus. Tandem a quibusdam sociis ejus, et adstantibus a terra levatus ad navem, de qua erat, ductus et portatus est. Superveniens autem magister navis, collocutione cum nautis super suo casu habita, ipsum ad ecclesiam in qua peccaverat, et Sancti sepulcrum quod despexerat, deduxerunt. Pluribus igitur pro eo Missis celebratis et candelis multis oblatis, largis eleemosynis pauperibus et præsertim injuriato sed pacificato post pauperi erogatis, nautam suum Michaelem ipsum, curatum et liberatum, Deo et Sancto veniam postulantem, et de justa correctione sibi facta gratiarum actiones rependentem, sanum et sensatum sibi reddi gavisi sunt.

et Hispanus nauta.

C

IV. 139 In diœcesi Macloviensi fuit quidam Guilermus nomine, ætatis quadraginta annorum, per D quindecim dies sic amens et furiosus, quod vix eum tenere possent quatuor homines, bene fortes, etiam ligatum. Hunc mater et fratres pro sua liberatione primum duxerunt ad S. Jaqutum, inde ad S. Leonardum, postea ad S. Guilermum dictæ diœcesis. Ad quæ loca, sicut iverat, sic etiam reversus est infirmus. Tandem ipsa matre eisdem fratribus aliisque coetaneis, eum S. Yvoni recommendantibus et voventibus ad sepulcrum ducere; dum iter arripuissent, et leugam vel circa processissent, incepit convalescere, et melius habere, in tantum quod ipsum solventes pacifice et quiete ad sepulcrum usque perduxerunt. Quo cum pervenissent, et ibi pro eo orarent, et vota offerrent, perfecte est pristinæ sanitati et memoriæ restitutus.

alius 15 dies furiosus;

140 Harevisia quædam Corisopitensis diœcesis, V. filiam habuit, per annum et ultra sic amentem et furiosam, quod eam oporteret arcte teneri et ligari. Cum autem filiam suam S. Yvoni recommendaret, et pro ea circulum sui corporis cereum ad ejus sepulcrum annuatim offerendum voveret; dum sua corrigia corpus filiæ mensurat, continue plene curata est et sanata.

item puella, una per annum

141 In diœcesi Leonensi Gluguenna, quædam E VI. juvencula per quinque septimanas adeo fuit furibunda, quod nitebatur manus proprias et brachia, aliosque suos et alienos indifferenter ad eam accedentes, mordere quasi volens comedere; eratque necesse manibus eam ac pedibus ligare. Quam Episcopus illius temporis Guilermus actu visitans, ut aspexit, adstantibus dixit. Consulo ut eam voveatis S. Yvoni et reddatis, et confido quod curabitur: Et ego, ait, ex nunc eam voveo et reddo Jesu Christo et Yvoni sancto, et volo ut eam ad ejus sepulcrum ducatis. Cumque juxta consilium Præsulis et votum deducta esset, per quatuor quidem dies furibunda remansit; post quos de manibus tandem et brachiis ligamina ceciderunt, et ex illa hora sanata est, et sensus ei restitutus. Cum magnis autem gratiarum actionibus, Deo et Sancti ejus sepulcro devote valefaciens, ad patriam remeavit; et post hæc maritata multos liberos, Sancto devotos, procreavit.

et alia per 5 hebdomadas amens.

ANNOTATA.

a Equus Bastatus, *id est, Clitellis instructus: nam* Bastum *clitellæ sunt.* F

b *Antiqua Ecclesiæ consuetudine solennius aguntur* tertius, septimus *et* trigesimus depositionis dies: *atque hoc est quod hic dicit* septimas fieri: *sicut festivitatum octavæ dies pluraliter sæpe nominantur* Octavæ.

In ceteris nominibus propriis hominum ac locorum, in quibus scriptura Processus ab hujus vitæ scriptura varia, Brito aliquis eorumdem peritus, haud raro inveniet quod correctione videatur egere: nos ecgraphorum fidem simpliciter secuti, quidquid in iis incorrectum fuerit, notari optamus ad instructionem posteritatis, opus hoc ad alteram editionem recognituræ: nec enim dubitamus qui plura opus habeant correctione aliqua, quæ modo nos fugerint Britonicarum vocum ignaros.

CAPUT X.

Diversa alia beneficia per invocationem S. Yvonis miraculose obtenta.

Adjiciendum etiam hoc est laudi ejus, in testimonium sanctitatis de liberatis ab hydropisi, inflaturis, rupturis, crepaturis et vulneribus. Anno quo gloriosus Confessor Yvo obiit, mulier quædam civitatis Trecorensis, quæ tribus annis hydropica fuerat, in tante

Sanatur hydropica;

A tanta grossitie et inflatura intumuit, quod in pluribus locis sui corporis nimia extensione cutis crepuit, cumque ob id ad sepulcrum Sancti per spatium quindecim dierum et ultra in vigiliis et orationibus perstitisset, et nihil profecisset, maritus ejus de ipsius curatione desperans, eam domum reduxit. Nocte autem quadam apparuit ei in somnis S. Yvo, revelans eidem ut ad ecclesiam iterato rediret, et cereum accensum ad ejus sepulcrum offerret et sic sanitatem reciperet : quæ mox confisa in Domino ad ecclesiam se portari fecit, et sibi revelata complevit. Continuo autem foramine circa umbilicum ejus ad modum cuspidis acus, miraculose et ipsa non percipiente facto, humores in modum aquæ defluentes copiose distillaverunt et terram circum jacentem madidam reddiderunt. Sicque ipsa mulier plene, curata Deo et Sancto gratias reddidit et successu temporis virtuosos et sanos partus, Deo et Sancto ejus devotos edidit.

II *paralytica cui latus grandi patebat vulnere :*

143 Mulier quædam Helienna nomine, civitatis Trecor, oriunda, per annum et ultra paralytica et contracta et aliis infirmitatibus sic confracta stetit, quod per latus ejus viscera et intestina apparebant ; B dumque S. Yvonem incessanter pro sua invocaret sanitate, responsum accepit in spiritu quod ejus sepulcrum visitaret et ibi sanitatem obtineret. Quæ statim convocatis quibusdam familiaribus et sibi fidelibus ait ; S. Yvo me visitavit, et fuit mecum, posuitque manus ad latera mea, et dixit mihi quod irem ad ecclesiam suam : ducite me ad sepulcrum ejus. Perducta vero Sancto se vovit, et cum invocans publice dixit : Domine S. Yvo, quem corporaliter vidi, qui me vestra gratia visitastis, qui miracula de longe et de prope multa facitis, qui mihi ut ad tumbam vestram accederem jussistis, en jam veni. Nunc igitur vestram deprecor pietatem, intercedite pro me ad Dominum Jesum Christum, ut de angustia quam patior liberet me. Statimque coram adstantibus, super ea pietate commotis, et in ipsis angustiis quidem, liberata est, et infra octo dies ab omni vulnere penitus sanata et curata : supervixit autem postea per octo annos, in bono opere et gratiarum actione perseverans.

III *ex morsu vermis venenosi inflata ;*

144 Azelicia de Ploesal Trecor. diœc. ex morsu cujusdam vermis venenosi, qui inter maxillam et collum eam momorderat, horribilem et periculosam inflationem in capite, collo, et pectore toto, et usque ad umbilicum incurrit : ex quo etiam morsu sic in- C fecta erat et infirma, quod per octo dies nec comedere poterat nec bibere, imo vix loqui poterat aut spirare, sed verosimiliter credebat ex hoc mori. Videns igitur nullum aliud sibi superesse remedium, vovit glorioso Confessori, quod si eam liberaret, ejus sepulcrum visitaret et oblationem faceret. Interim autem venit ei in mentem domum adire Catharinæ Hælori, germanæ sororis ipsius S. Yvonis, quæ penes se domi capucium ipsius sui fratris habebat, et ipsum pro Reliquiis decenter et venerabiliter conservabat. Ipsa igitur pia soror, piissimi sui fratris memor, super tanta afflictione ducta pietate, ad suggestionem etiam sui mariti, Yvonis etiam nominati multorumque adstantium conrequirentium, capucium ipsum detulit, et super infirmam posuit ; statimque ipsius tactu se alleviatam sensit, et ad auroram sequentis diei totaliter curata et sanata Deum et Sanctum glorificavit.

IV. *calculum in scroto patiens,*

145 Venit peregre infirmus quidam ad sepulcrum S. Yvonis, qui de infirmitate testiculorum et mentulæ sive pellis eorum, grossæ et inflatæ ad quantitatem capitis hominis laborabat, et per quindecim dies ibidem præ nimio dolore fortiter et assidue clamabat ad Sanctum. Tandem affectuosis precibus et votis emissis, apparuit id d. mentula sive pelle inflata foramen et apertura quædam, per quam lapis D croceus admodum et ad quantitatem ovi anseris cum aliquali humore cecidit : et sic de ipsa passione et dolore liberatus, Sancti meritis penitus curatus et sanus factus est.

A. MAUR. GAUFRIDI EX MS.

V *læsus ad pedem,*

146 Cum Oliverius Latomi Briocen. diœc. in dextro pede prope cavillam infirmaretur, ex punctura seu inclusione cujusdam frusti seu petiæ unius fuselli ad longitudinem unius digit, nec per tres septimanas pergeret, nec melioramentum perpenderet, sed de sua cura desperaret ; emisso Deo et B. Yvoni voto quod si de pedis infirmitate convalesceret, ad honorem suum semel in qualibet septimana jejunaret, et quatuor denarios annuatim solveret ; illico statim frustum illud exivit, in terram cecidit, et idem Oliverius curatus fuit, nec quidquam doloris amplius sensit.

VI *maxilla calculo innato tumens*

147 Cum Guidomarus Lœdec Dolensis diœc. graviter infirmaretur in dextera maxilla, adeo ultra modum inflata, ut interdum nec comedere valeret nec bibere, et neque facies sic inflata, sine notabili cicatrice vel deformi macula, curabilis videretur ; tentatis frustra variis medicinæ remediis, ad invo- E cationem beatissimi Yvonis, beneficium obtinuit sanitatis. Ipso enim votis et vocibus invocato, statim lapis unus, qui erat in ipsa tanta seu maxilla resiliit in ore : quem sentiens exemit, et mox omnis dolor cessavit, et maxilla ejus curata et plene sanata est, et nec vestigium quidem morbi remansit in facie. Erat autem lapis ille ad quantitatem primæ unciæ pollicis et ad similitudinem ossis pruni.

VII *Sanantur Abbas febri continua laborans,*

148 Cum Fr. Andreas, Abbas monasterii Belliportus Ordinis Præmonstratensis, in febrem continuam recidivum pateretur, et per quatuordecim septimanas infirmus, fuisset a Physico judicatus ad mortem, jam de ipsa morte sua magis quam de vita sperabat. Humano igitur auxilio desperatus, dum ad Deum et S. Yvonem se convertit, quamdam vocem hæc sibi dicentem audivit. Tu puer mi, nunc interim hoc tene, et ego cum revenero curabo te. Statim autem Abbas singultum, quem ante non habuerat, passus est ; et post singultum illum tertia die perfectæ sanitati redditus est.

VIII *puer cum socio muto,*

149 Detulit Jacobus, Rector ecclesiæ de Mesquer Nannetensis diœc. quod erant sibi duodecim [discipuli], quorum unus Symon, febre continua graviter laborabat ; alius autem Guillermus, alia infirmitate F longo tempore detentus, loquelam amiserat : qui dispari quidem languore laborantes, parem tamen medelam quæsierunt. Solius enim S. Yvonis meritis confidentes, et simili devotione eum invocantes, se eidem devoverunt, et se coram ejus imagine, in ecclesia ipsius Rectoris existente, ferri fecerunt. Qui ibidem paululum pro sua sanitate Sanctum invocantes, statim ad suum magistrum Rectorem præfatum sani redeunt et curati.

IX *mulier ægra ad mortem*

150 Juzetam quamdam de Plebe-Danielis Leonensis diœc. sic febri continua laborantem quod non sperabatur de vita, mater Theophania, sibi suisque parvulis compassa, S. Yvoni commendavit, ipsum invocans ut filiam sanaret ; et saltem ad fovendum et firmandum parvulos suos vocationis mortis terminum prorogaret ; votum etiam adjiciens de duodecim denariis, ad honorem Sancti annuatim offerendis ; eidem sero veniente pro omni medico procuravit sudorem, et sic plenæ sanitati restituta est.

Domum spoliatam lugens

151 Nec est oblivione delendum, quod non solum corporalibus incommodis infirmantium relevandis occurrit, sed et temporalibus substantiis miraculose repertis recuperandis. Cum quædam mulier civis Trecorensis, nomine Bleuzuena Goasqueder, per suam absentiam cuncta bona a furibus asportata perpenderet ; gemens et ejulans ad sepulcrum S. Yvonis

A. M. UR. G. UERIDI EX MS

A nis accessit, ipsum affectuosius pro bonorum recuperatione exoravit, votumque de decem solidis fecit, singulis autem annis de duodecim denariis exolvendis emisit. Statim autem quasi divina revelatione venit ei in mentem, ut per servientes Curiæ tres expressas domos inquireret, in quibus tres partes ablatorum bonorum invenit et recuperavit: quartam vero partem latro fugiens et secum ferens, excæcatus est. Peccati igitur sui culpam ex inflicta pœna cognoscens et pœnitens, Sancto se recommendavit, duosque solidos annuatim offerre vovit, et illico visum recuperavit, et furtum per quemdam monachum restituit. Sic itaque Sancti meritis illa matrona amissa bona recuperavit integre. Quadam etiam alia vice contigit eamdem Bleuzuenam scyphum argenteum ponderis unius marcæ cum dimidio perdere, pro quo recuperando iterum Deum et S. Yvonem invocavit, et de scypho cereo simul cum duodecim denariis semel offerendis votum fecit et solvit. Interim autem ad ejus instantiam censuræ currunt Ecclesiæ, præcedentes intonant canonicæ monitiones, et super detinentes excommunicationis sententiæ fulminantur. Contigit autem sex annis inde postea revolutis, eadem die qua scyphum perdiderat, domum sui consanguinei detinentis, cum omnibus in ea contentis igne comburi, excepto dicto scypho argenteo: qui licet in medio domus in flamma ignis per tantum spatium resolvi omnino debuisset, nisi miraculose et divinitus a resolutione fuisset præservatus, ac tum Sancti meritis incombustus omnino permanens et illæsus, præfatæ Bleuzuennæ restitutus est; et qui detinuerat, post debitam pœnitentiam, misericordiam et absolutionem consecutus.

ablata recuperat facto voto:

uti et scyphum amissum,

B

II 152 Stephanus nauta, Trecorensis diœcesis, qui prope Rhotomagum ad unam leugam in Sequana ligneum crochetum perdiderat, votis et precibus Deo et Sancto ejus Confessori emissis, idem tertia die ante navim reperit in portu de Meulinieux, ubi contra cursum aquæ, mira Dei virtute et Sancti ejus meritis, ascenderat et pervenerat.

et nautæ contum perditum.

III 153 Cum domus Oliverii de Plugiel, Trecorensis diœcesis, maximo accensa igne combureretur, ventoque flante prævalido proxima vicina domus patris sui, duobus circiter passibus distans, flamma incendii, vento impellente, per mediam horam vel circa operiretur; pater ipse, Derianus nomine, domum suum, flamma incendii sic coopertam, B. Yvoni recommendavit; et de oblatione octo denariorum, vita comite annuatim offerendorum, votum fecit; statimque ventus a contrario versus, perflare valide cœpit, et domum ab incendio defendit ac protexit.

Simili voto arcetur incendium,

C

IV 154 Mercator quidam de Hispania semel quindecim libras Turonenses trunco S. Yvonis in ecclesia Trecorensi votivus et lætus obtulit, asserens se in periculo submersionis constitutum, pro sua suorumque vinorum liberatione, summam ipsam tamquam pretium unius dolii devotati promisisse; si cum aliis bonis et navi ad portum salutis conduceretur: quod factum fore, solius Sancti meritis adscribebat.

servatur merces a periculo maris,

V 155 Contigit ut equus Aselitiæ de Pluzonet, in quo bladum ad molendinum duxerat, duobus primis pedibus ligatis, in fluvio Leu caderet, et in ipso a nona usque ad solis occasum sic subtus aquam staret, quod nihil de eo apparebat. Dubitans igitur de equo, metuensque maritum, qui sibi crudelis et durus erat, S. Yvonem imprecata est, et suum ei devovit equum: quo facto equus aures ostendit, et per seipsum fluvium exivit, et ad siccum pervenit.

equus ligatis pedibus in aquam lapsus:

VI 156 Anno quodam cum magna strages esset animalium ac mortalitas, et Agathæ Domicellæ de Plebe nova animalia, indistincte morerentur; ipsa vitulum unius mensis, sibi post matrem relictum (qui et ex tunc vixit sine lacte) ut reliqua sibi relicta animalia præservaret a peste, S. Yvoni si superstaret, devovit offerre: quo facto prædicta cessavit mortalitas: quod quidem tamquam miraculum gloriosi Confessoris meritis adscribens, cum per quatuor annos [vitulum alere] vovisset, ad sepulcrum ipsius obtulit et ipsum ibi reliquit. D

animalia præservantur a peste.

157 Quidam familiares Dominorum ad inquisitionem de S. Yvone fiendam a Domno Apostolico deputatorum, in primo suo adventu sepulcrum ipsius visitantes, et lapidem in quo sculpta est imago capitis ipsius et ad osculandum ob devotionem et memoriam ejus fidelibus exposita, expressa; omnesque circumstantias ejus diligenter inspicientes et notantes, asseruerunt quod ab ipso adventu citra, secundum lapis prædictus fuit et est miraculose, non per ministerium hominis, per duos digitos et ultra elevatus: quia tunc erat magis suppressus, et cum aliquali majori gravitate et inclinatione osculabatur: quod etiam ipsi mensuraverunt, et hoc plurimi etiam illius temporis asseruerunt.

Lapis sepulcri miraculose levatur.

158 Retulerunt etiam ipsi Domini, quibus post obitum viri Dei commissa est inquisitio super miraculis per eum perpetratis, se informatos fuisse, quam plurima alia contigisse miracula, quæ tum propter antiquitatem temporis et hominum labilem memoriam, tum propter eorum multitudinem, ac etiam personarum ignorantiam, declarari nequiverunt, nec singula singulariter exprimi. Quis piissimum Yvonem exoravit, et non impetravit? Quam multis et infinitis, meritis ejus, temporalia Deus beneficia præstitit, quæ tamen ille contempsit? non ut peccantium infirmitas permaneret, sed ut ad petenda meliora de terrenis concessis amor fieret. Hæc autem annotata sunt, ad adstructionem sanctitatis ipsius, ad ædificationem fidelium, ad laudem quoque et gloriam ejus, qui facit mirabilia magna solus, qui Trinus et Unus vivit et regnat per infinita secula seculorum. Amen.

Plurima alia signa reticentur

E

APPENDIX

De Reliquiis S. Yvonis in Belgio.

§ De iis quæ Antuerpiæ et Gandavi habentur.

Occasione Reliquiarum S. Mariæ Ægyptiacæ, translaturum Antuerpiam ad S. Salvatoris monasterium, ad diem II *Aprilis, expandimus universum sacri illius loci thesaurum, et diximus qua occasione is illuc pervenerit ex Lusitania, anno* MDXCIV *ab Antonio Principis Lusitani notho, Regem se dicente post mortem Sebastiani, donatus filio Emanueli: in Appendice quoque ad prædictum diem dedimus Joannis Alvaris de Luzana Episcopi Portucalensis diploma, docens de* XXXVI *Sanctis, qualia et unde accepta lipsana eorum essent. Ibi num.* 2 *leges*, S. Yvonis Jurisconsultorum Patroni tres partes notabiles, primitus a Philippo Luxemburgensi, S. R. E. Cardinali Presbytero, Apostolico per Galliam Legato a latere, et LXIII Episcopo Cenomanensi, collatas fuisse Christianissimo Regi Francisco I, die IV Maji MDXVI: quas idem Rex Christianissimus eodem anno, VI die Novembris, post triumphalem in Mediolanensem civitatem ingressum, et inde Viglevenum seu Viglebanum secedens, inter aliorum Principum, imo et Pontificis Legatos salutantes, Marchioni Monferratensi personaliter prædictas Reliquias consignavit, ut eæ ad Emanuelem I Portugalliæ Regem ejusque uxorem Mariam Aragonicam demandarentur, uti et factum est, quod eædem ab eo tempore regno Lusitaniæ remanserint.

Tres partes notabiles a Rege Franciæ

F

missæ Regi Lusitaniæ

2 *Dictæ ergo* tres partes notabiles, *una cum aliis*

exhibitæ

Antuerpiæ cum aliis ann. 1672 circumlatæ

A *exhibitæ Episcopo Antuerpiensi Miræo, et ab eodem approbatæ anno* MDCX, *tandem anno* MDCLXXI *in lucem publicam, ad commune civitatis solatium, eductæ sunt; institutoque ad earumdem cultum Confraternitate, sequenti anno solennissima pompa translatæ, universo Clero ac Magistratu comitante* VII *Augusti. Hac in pompa (quæ sane ornatissima fuit, cum sub novem laboris totidem triumphales currus procederent, singuli instructi Sanctorum quatuor imaginibus, quorum mox subsequebantur Reliquiæ, a totidem Religiosis Ordinum diversorum portatæ) sub sexto labaro, quod Sanctorum Confessorum erat, primus conspiciebatur* YVo La Vs aDVo Cator VM, *Sanctis Alexio, Rocho, et Hyacintho comitatus, succollantibus ex Ordine Minorum Recollectorum Sacerdotibus quatuor. Exinde festum Translationis prædictæ pari fere solennitate, sed a solis dictæ Abbatiæ Religiosis Confratribusque instauratur quotannis, una cum illustribus aliquot argenteis ferculis, eorumdem pietate ac liberalitate successive elaboratis, ad decentiorem ipsarum Reliquiarum gestationem et expositionem in suo cujusque Sancti festo die, in ecclesia ejusdem Abbatiæ sigillatim solito celebrari.*

ex illis partem unam anno 1675,

3 *Ex hinc qui latuerat annis* LX *thesaurus, celebri*
B *jam fama ubique notus, nobiliores nonnullos Religiosorum istorum amicos movit, ut summis precibus apud Abbatem agerent instarentque, in partem aliquam tam singularis boni recipi cupientes. Sed prænobilis quidam urbis hujus Senator D. Franciscus Paulinus de Broukhoven Toparcha de Vechel primas facile tulit, non sibi tantum verum etiam aliis fortunatus; sicuti patebit ex consequentibus Episcopi Antuerpiensis litteris, anno* MDCLXXV *Maji sub hoc tenore expeditis:* Fr. Ambrosius Capello, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Episcopus, omnibus has visuris salutem in Domino.

approbante Episc. Antuerpiensi,

Quoniam muneri nostro Episcopali incumbit, ut juxta Catholicæ et Apostolicæ Ecclesiæ usum, a primævis Christianæ religionis temporibus receptum, Sanctorum Patrum consensionem, et sacrorum Conciliorum novissime vero Tridentini decreta, fideles diligenter instruamus et doceamus, Sanctos, una cum Christo regnantes, orationes suas pro hominibus Deo offerre; nec non Sanctorum Martyrum aliorumque cum Christo viventium sancta corpora, quæ viva membra Christi fuerunt et templum Spiritus sancti, ab ipso ad æternam vitam suscitanda et glorificanda, a fidelibus esse veneranda; non possumus non eos peculiari benevolentia et caritate complecti, qui quod voce nostra audiendo percipiunt, id opere complent et fructu perficiunt, dum sacras
C Sanctorum Reliquias pie asservant, publicæ venerationi legitime exponunt, earumdem in alios liberalitem laudabilem exercent, quæque Sanctorum cultui promovendo conducunt pietatis zelo prosequi satagunt: et nos ipsi hujusmodi rei tam sanctæ promovendæ officia nostra libenter impendimus.

4 Cum igitur in monasterio S. Salvatoris, Ordinis Cisterciensis in hac civitate, asservetur immensus ille ac nobilissimus variorum Sanctorum, Martyrum, Confessorum, Virginum, Viduarumque Reliquiarum thesaurus, præcedentibus seculis a Regibus, Principibus, aliisque viris, qua ecclesiastica qua seculari dignitate præfulgentibus et conspicuis, variis Portugalliæ Regibus donatus, a nonnullis S. R. E. Cardinalibus visitatus, approbatus, ac publice in Sacello Regio Ulissiponensi venerationi expositus; subinde ab Antonio, dicto I Portugallæ Rege, genuino caritatis ordine ac liberali dono concessus D. Emanueli Lusitaniæ Principi, die III Aprilis MDXCIV, Parisiis existenti; ac tandem ab hoc Serenissimo Principe, Monasterio S. Salvatoris præfato, ob benignissimam in eo liberalitatem ab eo quondam receptam, in perpetuum gratitudinis et munificentiæ monumentum, oblatus et donatus (prout horum omnium litteræ autenticæ nobis ex- D
hibitæ luculenter testantur) ac a Reverendiss. D. Joanne Miræo, Antuerpiensium Episcopo, prædecessore nostro, et a nobis ipsis pro vero et legali recognitus et approbatus. Cumque Adm. Rev. D. Franciscus Dierícx, ante dicti monasterii modernus Prælatus, ex hoc sacro thesauso propria manu ex commissione nostra separavit quatuor particulas, a quatuor Sanctorum ossibus, nimirum de mento S. ROCHI Confessoris, qui colitur XVI Augusti; de ossibus S. YVONIS Confessoris, qui colitur XIX Maji; S. CÆCILIÆ Virginis et Martyris, quæ colitur XXII Novembris; et S. BARBARÆ Virginis et Martyris, quæ IV Decembris: easque sic separatas et sigillo nostro Episcopali munitas, dono dederit Nobili ac Clarissimo viro D. Franciso Paulino de Brouckhoven I. V. L. huic Urbi per annos plures a Senatu, Nobilis D. Christiani filio, pio osculo gratoque animo hæc sacra dona acceptanti et veneranti; non potuimus non gratam et ratam habere ante dictam donationem.

AUCTORE D. P. obtinet D. Franc. Paulinus de Broukhoven

5 *Ita Episcopus sub data* XXIX *Maji, cum antea ejusdem mensis initio, die scilicet* II, *similes fere litteras expedivisset, attestantes de solis Reliquiis* S. Yvonis *prædicto Domino de Brouckhoven donatis, eo quod, sicut* E
ibidem ait, hic Dominus Donatarius, non minori dicti Sancti cultus promovendi zelo accensus, humiliter supplicaverit, quatenus a præfata sanctarum Reliquiarum parte sibi donata, aliam minorem particulam separare, sigillo Episcopali confirmare, ejusque quam intendebat donationem approbare vellet et dignaretur. Nos autem, *inquit Episcopus,* tam piæ devotionis affectui et liberalitati propensissime inclinati, a præfata sacri ossis parte, minorem (ut præfertur) particulam separavimus, eamque pyxidi argenteæ, vitro crystallino imposito inclusimus, et sigillo nostro Episcopali in cera Hispanica impresso obsignavimus: ac donationem qua D. Donatarius declarat se d. sacram particulam dono dare Amplissimis viris, Dominis jurisdictionis operum lanificii in hac urbe Præfectis, ejusdemque Senioribus seu Scabinis, nimirum Consultiss. D. Cornelio de Bisthoven I. V. L; Nobili viro D. Philippo Helman Domino de Leefdael; eorumque locum tenentibus Nob. viro Joanni Paulo Cano et Joanni Henrico Gomez Scabinis seu Senioribus; Consultiss. DD. Nicolao Nuyts et Jacobo Antonio de Witte I. V. Licentiatis; Nobilibus viris Petro Mariæ Charles et Eduardo de Brouckhoven, Toparchæ de Novion D. Donatoris fratri; nec non Francisco Vermeulen et Nobilibus viris, Alexandro Philippo della Faille et Alexandro della F
Faille Toparchæ de Reeth etc. denique Consultiss. DD. Arnoldo Bruyninex et Godefrido Vrancken Actuario, I. V. Licentiatis, ratam et gratam habentes, testamur hanc pro vera S. YVONIS particula et reliquiis publicæ venerationi exponi posse, et ad id licentiam impartimur.

qui 2 Maji decerptam inde particulam

donat Magistratui Lanificus præsidenti:

6 *Fuit ea* Operum lanificii Jurisdictio, *ex subalternis Antuerpiensi Senatui Curiis una,* de Laken halle *vulgo dicta, in quam in plurimum assumi solebant honoratiores quique hujus urbis viri, et vel proximi ad summum urbis hujus Magistratum gerendum, vel eodem (annuus enim hic dumtaxat est) jam defuncti Scabini; et fere in honorifico illo numere permanebant donec ad altiorem gradum eos vel assumi primum vel revocari a Rege contingeret, uti hoc ipso anno* MDCLXXXIV *Consulatum ex iis unus iterum gerit Consultiss. D. Jacobus Antonius de Witte, supremam vero urbis Præturam jam inde ab annis aliquot perpetuo beneficio obtentam pro Rege gerit Nobilis vir D. Alexander della Faille. Conveniebant isti ad tractandas dijudicandasque fori sui causas omni feria* II. *Nunc vero cum ærarii levandi causa suppressus Magistratus iste specialis est, eoque* jussi

hæc et quot hebdomadis osculanda offertur.

AUCTORE D. P.

A *jussi fungi ipsi Scabini: idem ab hic continuatur eadem feria qua alias summus Magistratus vacat; et tunc in Curiali sacello iis qui adfuerint Dominis Sacrum dicitur, sub eoque prædicta* S. Yvonis *reliquia, argenteo Irenophoro* (Pacem *Ecclesiastici appellant*) *inserta, ad Agnus Dei osculanda offertur, ut cunctos aspectu suo admoneat justitiæ cum misericordia, sancti Patroni exemplo, in administratione sui muneris conjungendæ.*

Alia 25 Maji donatur D. Aug. Jo. de Lannoy,

7 *Eodem anno* MDCLXXV, XXIX *Maji, prædictus Antuerpiensis Episcopus ratam habuit*, ex *primo memorata* donatione profluentem liberalitatem aliam, qua *idem ille* D. Donator, amico suo integerrimo Clariss. viro D. Augustino Joanni de Lannoy I. V. L. hujus urbis quoque Senatori, gratiose conferre decrevit quatuor alias minores particulas, a præfatis quatuor Sanctorum Reliquiis sibi donatis depromptas: *easque* ad humilem utriusque supplicationem, piæque eorum devotionis zelo favorabiliter inclinatus, desumpsit, separavit: omnesque et singulas quatuor pyxidibus argenteis, vitro crystallino imposito inclusit et obsignavit, fidem faciens et attestans, hæc sacra pignora, cum sua quodque inscriptione, esse veras et genuinas respective SS. Rochi, Yvonis, Cæciliæ et Barbaræ *præfatorum* Reliquias, atque pro B talibus rursus confirmat et approbat, et Dominis Donatori et Donatario præfatis illas publice in sua diœcesi exponendi licentiam concedit. *Hac tamen facultate nondum usus D. Donatarius est, sed ipsas domestico in oratorio reverenter asservat, tutamen familiæ et excitamentum devotionis: sicut etiam D. Eduardus de Braukhoven, fratris sui haud multis post annis defuncti heres, inter relictum ab eo Reliquiarum præstantissimarum thesaurum, alias forsitan sigillatim explicandum, in extructo ipsis privatim altari, ubi omnes pulcherrimo ordine digestæ ornataque conspiciuntur, partem adhuc servat, quam reliquam fecit fraterna ad ejusmodi largitiones liberalitas, parem aut majorem ceteris simul omnibus particulis inde sumptis.*

annoque 1677 alia Sodalitati J. C. Gandavi,

8 *Interim Gandavi, amplissima Flandriæ metropoli, viri ex utroque ordine primarii aliquot, de conflanda ad pauperum patrocinium gratuitum Sodalitate, sub invocatione* S. Yvonis, *agitabant consilia; prolixeque tum Romano Pontifice, tum Gandavensis Ecclesiæ sede vacante Vicariis generalibus approbantibus eidem feliciter auspicandæ diem dixerant, ipsimet* S. Yvoni *sacrum, anno* MDCLXXVII. *Hi, cognita prælaudati D. Francisci Paulini liberali pro Sancti honore propaganda voluntate, per denominatum sibi a Catholico Rege Episcopum, D. Franciscum van Horenbeek, ipsius D. Francisci Pau-* C *lini consanguineum proximum, eo facilius obtinuerunt aliam particulam, ex eodem thesauro decerpendam; quod ille transitum a politico magistratu ad ecclesiasticum moliens, decreverat deinceps Deo ac sibi Gandavi vivere, in addicto sibi ecclesiæ Metropolitanæ Canonicatu. Ipso ergo die, quo publicata istic fuit Sodalitatis novæ erectio,* XIX *Maji, pignus sui erga tam salubre institutum amoris ille obtulit, argenteæ ut alia thecæ inclusum de ejus veritate fidem novam, ut supra, faciente Illustriss. ac Reverendiss. Antuerpiensium Episcopo prænominato. Quo autem prælaudati instituti exemplum latius propagari possit (præsertim ad suprema Provinciarum Consilia, ubi præ causarum undique coacervatorum multitudine, pauperes sæpius differuntur longius quam eorum fortuna patiatur) juvat ipsiusmet institutionis formam hic proponere, prout eam jam dicto anno die* IV *Maji DD. Vicarii Episcopales, vacante (uti dictum est) Sede, comprobaverunt, sub hac præfatione.*

19 Maji ibidem erectæ

9 Cum in amplissima hac Urbe Gandavensi, Flandriæ Metropoli, sit ingens Judicum, Jurisperitorum, aliorumque Practicorum numerus, tam ratione præclaræ totius Provinciæ Curiæ in ea residentis, quam duorum insignium Magistratuum, qui præ immensa urbis magnitudine, sigillatam justitiam incolis administrant, ultra plurium aliorum Judicum D subsellia; ea propter prævio decreto S. D. N. Innocentii XI Pontificis Opt. Max. omnino congruum ac pene necessarium visum est, pro majori justitiæ zelo ac splendore, ut Confraternitas, S. Yvoni (communi omnium Juris-profitentium Patrono) sacra ac dedicata, erigatur; cujus objectum non tantum erit, ut assiduo tanti Patroni cultu, ejus apud Deum Omnipotentem intercessione, omnes justitiæ Ministri majori indies zelo accendantur; verum etiam, ut Confratres pro tempore existentes, singulari assumpti muneris cura, viduarum, pupillorum, pauperum, captivorum, aliarumque miserabilium personarum causis patrocinio suo invigilent. Et quemadmodum in hunc finem Parochialis ecclesia S. Michaelis Archangeli, in medio urbis inter maximum Practicorum numerum sita, præ ceteris magis commoda visa est, in qua duabus Bullis Pontificiis Romæ concessis VIII Januarii MDCLXXVII, Altare Privilegiatum S. Yvoni dedicabitur; ita non nihil expedit divina hujus Confraternitatis officia, ac alia pauperum obsequia, discreta et in perpetuum duratura methodo præscribere ac regulare.

et approbatæ Regulæ.

Imprimis itaque eligentur ex Confratribus duo Præpositi (quorum alter ecclesiasticus, alter secu- E laris e Dominis Consiliariis semper requiretur) qui dignitate, prudentia et consilio, utilitati Confraternitatis ac Pauperum bono prospicient.

Quoad Corporis constitutionem,

II. Deinde assumentur Decanus et novem alii Jurisperiti, nec non octo Procuratores, quorum quatuor erunt postulantes in Curia, et totidem qui coram utriusque Collegii hujus Urbis Scabinis causas Pauperum promovere poterunt, et ex his omnibus unus ad Officium Scribæ, pro occurrentium resolutionum in scriptis redactione; alter ad receptionem oblationum, quæ offerentur per Christi fideles ad persolvendas inexcusabiles causarum expensas, constituentur.

III Quoties vero per obitum alicujus Confratris, aut voluntaria depositione pro libitu facienda, locum vacare contigerit; electio per omnes de Corpore, cum adjunctione Dominorum Pastorum, secreto scrutinio, de pluribus præsentandis erit facienda, ut cui pluralitas votorum contigerit, in locum vacantem succedat.

IV. Omnes prædicti Confratres semel in mense convenient Dominica prima, nec non in festo S. Yvonis, ac solenni Sacro et Orationi Latinæ in prædicto festo faciendis intererunt, insuper privato colloquio miserabilium personarum causas (quas justas esse reperient) promovebunt, sub pœna mul- F ctæ unius solidi, pro singula absentia, ad opus Confraternitatis.

V Sicuti hæc institutio non minus pia, quam toti Reipublicæ utilis futura merito speratur, si longævam ac perennem esse contigerit; ita ab omni indiscreto zelo abstinere, præsertim circa causarum receptionem, Confratres monentur, cum nullum violentum soleat esse perpetuum.

receptionem causarum

VI. Ac proinde antequam Confraternitas causam amplectatur, hæc indispensabiliter concurrere necesse erit; primo quod miserabilis sit persona, vel talis quæ patrocinium titulo eleemosynæ rogare velit. Secundo, quod causa, ad minus per duos aut tres Confraternitatis Advocatos, justa fuerit reperta. Tertio, quod probatio requisita fieri poterit, nec adeo difficilis aut sumptuosa sit, ut ad summam principalem fere pertingat vel hanc absorbeat: quippe tali casu periculum litis suscipere non expedit, etiam pro iis qui solvendo sunt, multo minus pro pauperibus; et his concurrentibus, semper hujus civitatis incolæ, ante alios forenses, venient præferendi.

VII

A vii. Hinc perspicuum est colligere, hanc Confraternitatem non posse amplecti causas Hospitalium, Mensarum pauperum, vel aliarum Fundationum, quæ ad sui conversationem censibus ac redditibus gaudent; ne causarum multitudo Confraternitatem obruat et destruat. Salvo nihilominus, quod unusquisque Confratum in particulari quoad similes causas facere poterit, quod ipsi secundum exigentiam justum et æquum visum fuerit.

viii Insuper, postquam Confraternitas patrocinium alicujus susceperit, Advocatus et Procurator ad hujus instructionem commissi, ante litis institutionem, partem adversam ad amicabilem concordiam invitabunt, offerendo sese in mediatores, si in hac Civitate commorentur; sin minus, litteris hoc indicabunt: Christiana etenim caritas absque necessitate tam leviter litigare non sinit.

ix Et si in progressu litis nova et imprævisa difficultas se offerat, quæ causam pauperis minus probabilem reddat vel male fundatam, Advocatus instructor rursus super hac consulet cum priori vel prioribus Advocatis, nisi legitime fuerint impediti; quo casu alios e Confratribus accedet, ut simul resolvant, an cedere vel contendere velint; nam in B quacumque parte litis Advocatus Clientis sui causam noverit esse injustam, hanc in conscientia deserere tenetur.

x. Quamvis igitur mens et intentio sit, ut Confratres gratis et sine honorario patrocinium pauperibus præstent, centuplum a Deo expectantes; nihilominus cum pars adversa in expensas litis per sententiam fuerit condemnata, tam Advocatus quam Procurator causæ instructores jura sua recipient, cum æquitati resistat, ut temere litigantes qui solvendo sunt Confratrum labores retineant, et imposterum tanto liberius pauperes litibus frivolis vexent.

xi. Quapropter personæ, hujus Confraternitatis auxilium implorantes, ab initio monendi erunt, ne pendente lite concordiam ineant, sine Advocati et Procuratoris deputatorum consensu: et secundum exigentiam causæ, hoc in Registro resolutionum promittent et subscriptione firmabant.

xii. Attento præterea, quod vera inter Confratres pax et unio sit basis omnis communitatis, siquidem concordia res parvæ crescunt; sic in omni resolutione, tam quoad causarum receptionem, quam C aliorum quorumcumque negotiorum pro tempore occurrentium, juxta pluralitatem votorum concludetur; salvo quod, si de quæstione Juris agatur, solorum Advocatorum suffragia numerabuntur.

xiii Quemadmodum opus est summopere meritorium partes ad rationabilem perducere concordiam et dicto Decreto Pontificio hoc facientes Indulgentia donantur; ita Confratres semper dordi habebunt sese in mediatores exhibere, quotiescumque fuerint requisiti.

Pecuniarumque solutionem.

xiv Si post hac contigerit (ut sperare fas est) quod Christi fideles, qui huic Confraternitati sese inscribi curarunt, vel pluribus litibus involuti, peculiari S. Yvonis cultu, felicem causarum suarum exitum commendare velint, vel alia miseratione commoti, pias donationes et legata huic Confraternitati largiri dignentur, pro sustinendis inexcusabilibus litium pauperum expensis; hæc Confraternitatis Receptor fideliter libro suo inscribere, et de ordinatione Confraternitatis tantum et non aliter erogare poterit, ad solvendam probam ac alios inevitabiles sumptus, qui a Confratribus non dependent.

xv Prædictus Receptor pariter recipiet et annotabit oblationes, quæ a Christi fidelibus in gazophylacio capellæ S. Yvonis factæ erunt, nec non quæ singulis Congregationibus offerentur; ut hæ primo in capellæ et altaris ornamentis, ac aliis necessariis D expensis impendantur.

AUCTORE D. P.

xxi Denique præfatus Receptor singulis annis fidelem computum reddere tenebitur, die ad hoc a Confratribus designando.

Confraternitatem et Regulas etiam Rex confirmat an. 1684,

10 *Talibus institutis stabilita Sodalitas, cum processu annorum fructus minime pœnitendos faceret, et copiosiores porro polliceretur; placuit Regiæ Catholicæ Majestati eamdem confirmare, anno* MDCLXXXIV *per supremum suum Bruxellis Senatum, sub* XXIV *Martii signato diplomate, quod ex stylo Burgundicæ Curiæ Francica lingua scriptum, sic Latine sonat.* Cum propositum esset Regi ex parte Confraternitatis S. Yvonis, Patroni justitiæ, in civitati Gandensi, quod eadem Confraternitas ibi erecta anno MDCLXXVII, XIX Maji, juxta Pontificiam Bullam, et approbationem Vicariorum Generalium Episcopatus Gandensis Sede vacante (quemadmodum patuit ex libello desuper exhibito) pro primario suo fine habeat assiduum cultum sui Patroni, ut omnes ministri justitiæ, ipso intercedente, sanctius efficaciusque fungantur suo munere; pro fine autem secundario subsidium ferendum pauperibus, viduis, orphanis, captivis, aliisque personis miserabilibus, per decem Advocatos et Procuratores octo, operam suam identidem gratis impensuros promovendis justis eorum causis, centu- E plum a Deo expectando in hac vita et postea vitam æternam: quodque hac ratione religiose subvenietur eorumdem pauperum ac miserabilium necessitatibus, ad abundantiores divinæ Clementiæ influxus promerendos, et avertendum rigorem justitiæ ejus super hasce provincias magis quam alias unquam aggravatæ; pro cujus Confraternitatis subsistentia commodiorique directione conceptæ sunt Regulæ, quarum talis est tenor (*hic omnia ut supra Latine interseruntur*) Quamquam autem prædicta Confraternitas eum usque in præsens habuerit effectum, qui a tam pio opere poterat expectari; adeo ut jam nunc quampluribus pauperibus subventum sit in suis juribus consequendis, a quibus fuerant diuturno tempore elongati: tamen, cum secundum prædictas Regulas opus futurum sit, ut congressus frequenter habeantur, quos intersit auctoritatis Regiæ citra annutum suum non celebrari; ideo Proponentes prædicti, pro eadem Regia auctoritate manutenenda omni quæ concipi potest veneratione zelantes, humiliter supplicaverunt suæ Majestati, ut dignaretur prædictam Confraternitatem S. Yvonis ejusque Regulas gratas ratasque habere, permittereque ut exhinc possit litte- F ris suis aliisque actis conficiendis in modum sigilli apponere effigiem sui Patroni. Majestas autem sua, iis omnibus consideratis, et consultis desuper Præside atque Concilio Provinciali Flandriæ, dictorum Supplicantium petitionibus ac precibus favorabiliter sese inclinans, gratam ratamque habuit, sicut per hasce gratam ratamque habet, Confraternitatem S. Yvonis ejusque Regulas, quoad singula puncta et articulos: permittit etiam ut litteris aliisque actis conficiendis apponat effigiem sui Patroni in modum sigilli: mandatque sua Majestas omnibus quos id tangit vel spectat, tangere vel spectare potest, ut conformiter ad hasce agant procedantque.

eidemque indulget jus formandi sigilli.

§. *De Reliquiis S. Yvonis Mechliniæ et Lovanii.*

Mechliniense Concilium, æmulatione Gandensium,

G*andavensium, de quo egimus Jurisconsultorum studium erga* S. Yvone.n *toti mox Belgio innotuit, libello edito per Consultiss. D. Valentinum Rosa, Episcopalis Curiæ Graphiarium, exponente* Motiva IX, vere salutaria, ad promovendum S. Yvonis cultum, cum facili ejusdem methodo, Regulisque et Privilegiis Confraternitati concessis. *Hic libellus cum alibi aliorum plurimum animos, tum præcipue Mechliniæ, Juris Belgici*

AUCTORE D. P.

A *Belgici Burgundicique suprema sede, omnium mentes accendit, ad imitationem tam præstantis exempli, aut etiam sanctam quamdam (si ita loqui fas est) invidiam; dedecus suum fore existimantibus, si quis ceteris omnibus justitiæ administrandæ gloria præstarent, non etiam antecellerent pio erga communem Jurisconsultorum Patronum affectu. Moris id illic obtinuerat stabilita pridem pluresque jam annos continuata Dominorum Senatorum erga Præsidem Divum religio, ut festa eidem die solenne Sacrum, quanto posset splendore et apparatu, decantandum curaretur; ad quod tum ipsi tum omnes Curiæ suæ ministri convenirent; et Dominica festum subsequente in eorumdem Sodalitio, quod apud Patres Collegii Societatis Jesu habetur, ab ejusdem Sodalitii Directore Latine pronuntiaretur oratio de Sancti laudibus panegyrica. Sed jam amplius aliquid exigere videbatur laudabilis exempli æmulatio. Igitur Ampliss. D. Guilielmo de Blitterswik, Magni tunc temporis Consilii Vice-Præsidi, demandatur, ut litteris quam posset efficacissimis cum adm. Rever. Domino S. Salvatoris Abbate ageret, pro impetranda parte aliqua sanctarum, quas penes ipsum esse jam notissimum erat, D. Yvonis reliquiarum; qui id sequenti epistola fecit Nonis Novembribus anni MDCLXXIX.*

an. 1697, per suum Vice-præsidem,

B 12 Adm. Reverende Præsul, Amplissime Præstantissimeque Domine. Ignotior sim adm. Rev. Amplitudini Tuæ, quam pridem fuerim Caspari Jongelino et Christophoro Butkens, quantis inclitæ Antuerpiæ et magni Ordinis vestri luminibus! ausim tamen eidem scribere, imo libertatem vendere, id est beneficium poscere, unde inverecundiæ quis arguatur. Quod interim tento, a non uno et non semel rogatus sum ut facerem; sicque unus quidem, at non solus, hasce exaro: quod eo lubentius in me suscepi, quia negotium pietatis est: in quo ab Antistite, hac (ut scio) aliisque virtutibus præclare prædito, repulsam me laturum nullus credo. Causa est. Amplissimos Dominos magni Consilii Senatores ac libellorum supplicum Domus Regiæ Magistros, caros meos Collegas, tam ecclesiasticos quam laicos, zelotypia (ut ita dicam) laborare, sed laudabili et sancta, erga Jurisperitos Gandavenses, sacris nuper honoratos Divi Yvonis Reliquiis, Patroni nostri communis, quem supremus hic Belgii Senatus, præ ceteris Consiliis Provincialibus, etiam Brabantico, quotannis perquam solenniter veneratur, tum in Parochia primarii hujus dicasterii, quæ est Principis Apostolorum; tum in Sodalitate Optimatum, quæ nostra est apud Reverendos Patres Societatis Jesu, qui C spartam hanc suam Partheniam hic et alibi egregie adornant. Idcirco unice optamus, thesauri illius vestri, vere pretiosi et a Regibus profecti, participes quoque fieri, ac generosam Ampliss. Dominationis Tuæ munificentiam, ea qua par est observantia, imploramus, ut iisdem lipsanis et nos dignetur condecorare: qua gratia nos imprimis plurimum sibi obstringet, reliquosque hic sacræ Themidos Mystas ac Ministros, et Regios et Civiles, metropoliticis item Dignitatibus ac Sacerdotiis nobiles et venerabiles, aliosque toga et sago illustres, Mariani cultus cum adm. Rev. Dominatione Tua professores eximios, Consodales nostros; et illam ipsam Jesu Societatem, omni favore et amore dignissimam, in qua duos me habere filios et lætor et glorior. De sancto insuper Officiali isto Trecorensi, Jurisconsultorum in cœlis tutelari, Advocatorum et Judicum in terris vero exemplari, optime merebitur. Et quid ni mereatur? dum in magnam fructuum hinc proventurorum partem veniet, pro particula vel exigua lipsanorum, quam a liberali tam generosi præsulis manu, quam deosculor, anhelantes omnino præstolamur.

ab Abbate S. Salvatoris Antuerpiæ,

particulam petit,

collocandam in oratorio Sodalitatis;

13 *Sic rogari, honori sibi, ut decuit, duxit Abbas; seque felicem existimabat, si voto tam illustrium supplicum facere posset confestim satis; sed fieri id difficilius* D *poterat, Sede Antuerpiensis Ecclesiæ vacante per mortem Illustriss. D. Auberti vanden Eeden: et apparebat non longam futuram moram, quin hujus loco consecraretur designatus jam tum successor, et a Sede Apostolica confirmatus, Illustriss. D. Joannes Ferdinandus van Beughem, ad ejusmodi officia, quibus Sanctorum honor promovetur, propensissimus. Hoc ergo ubi factum est, cum urbis totius Antuerpiensis applausu, et gratulantium primus æstus deferbuit; nihil ferme prius agendum ille sibi duxit, quam ut comitantibus præcipuis de Capitulo suo accederet ad S. Salvatoris ecclesiam; atque sacra pignora, quæ ibidem asservantur, veneratus, thecam, S. Yvonis partes insignes continentem, reseraret; earumque divisione facta, suo utrimque sigillo obsignaret, secundum formam a Concilio Tridentino præscriptam; condito de re tota instrumento, sub nota* XIX *Januarii anni* MDCLXXX. *Negotio sic inchoato non diu finem imponere destitit Amplissimus Prælatus: sed quoniam cari pignoris non alium a se bajulum esse volebat, mensis Januarius abiit, et initio Februarii Mechliniam ipsemet venit, atque ad Illustriss. Concilii Præsidem invitatus divertit. Tum illico advocantur testes, accersuntur e Societatis Collegio Rector et Director Sodalitatis, explicatur felix sarcina, ipsique Illustrissimo Præsidi, gratanter acceptanti et tenero cum affectu deosculanti, in manus traditur lipsanotheca, ac scribitur instrumentum, ad æternam posterorum memoriam hunc in modum.* E

qui unam a novo Episcopo separatam approbatamque,

anno 1680 Mechliniam ipse defert;

14 Nos Fr. Franciscus Dierickx, monasterii S. Salvatoris sacri Cisterciensis Ordinis in civitate ac diœcesi Antuerpiensi humilis Abbas etc. Cum ex libro nostro, cui titulus, Fides et traditio sacrarum Reliquiarum XXXVI eminentium Sanctorum (quem a sexennio cum privilegio Regio, publicæ lucis fecimus) ditioni Belgicæ, aliisque probe innotuerit, tres partes notabiles, ex veris ac genuinis S. Yvonis Jurisperitorum Patroni ossibus, anno MDXVI ab Eminentiss. D. Philippo Luxenburgensi S. R. E. Cardinale Presbytero, Sanctæ Sedis per Galliam a latere Legato, et LXIII Cenomanensi Antistite, ad Franciscum I, Christianissimum Galliæ Regem, pro approbatis recognitas devenisse; quæ dein ab Eminentiss. D. Julio de Medices, tum S. R. E. Cardinale, Romanæ Ecclesiæ Cancellario, ab Archiepiscopo Florentino (qui postmodum Clemens VII Pontifex Maximus exstitit) reapprobatæ; ex dono dicti Christianissimi Regis, per manus Excellentissimi D. Marchionis Monferratensis, Potentissimo Emanueli, Primo ejusdem Nominis Portugalliæ Regi, delatæ, ac traditione in Ecclesia consueta traditæ F sunt: cumque insuper ex demonstratione manifesta, ac instrumentis publicis in eodem libro sæpe relatis, ac in archivis apud nos conservatis, legitime constet, totum illum sacrarum Reliquiarum thesaurum XXXVI eminentium Sanctorum, ex Sacello Regni Lusitaniæ ad nos nostrumque monasterium per Serenissimum D. Emanuelem, ejusdem Regni Principem, Antonii Ex regis primogenitum, devenisse; sic per præsentes notum facimus et certificamus, die XIX Januarii præsentis anni millesimi sexcentesimi octogesimi, per Illustrissimum D. Joannem Ferdinandum Episcopum Antuerpiensem, in præsentia Amplissimi Domini de Ibarra et Ortiz Decani Cathedralis ecclesiæ, et D. Comperis Canonici dictæ ecclesiæ ac Sigilliferi Episcopatus ejusdem, Nos aperuisse thecam nostram, sigillo Illustrissimi D. Ambrosii Capello piæ memoriæ Episcopi Antuerpiensis bene occlusam ac munitam (in qua conspicuæ erant prænominatæ tres partes notabiles ex ossibus S. Yvonis, Presbyteri ac Jurisperitorum Patroni) et ex qua trium partium unam dimidiari ac separari jussimus, ad effectum alteri donandi, aliove transferendi. Quam partem

eamque sub attestatione publica,

breviter complexa historiam translationis,

et novæ separationis,

A tem sic separatam (quæ equidem etiamnum conspicua et notabilis est) novæ thecæ argenteæ, crystallo a facie perlucidæ includi, ac vittis sericis rubri coloris in formam Crucis circumligari rogavimus; dictamque novam thecam (ut sacra et antiqua ejusdem Reliquiæ fides in Ecclesia illibata permaneat) a tergo in junctura ligaturæ Sigillo Episcopali præfati Illustrissimi D. Joannis Ferdinandi Antuerpiensis Antistitis in cera Hispanica occludi ac muniri fecimus, ut latius patet in litteris ejusdem datis, die ac anno præfatis. Nos igitur ad instantiam, ac devotas Illustrissimi ac Amplissimi Viri, ac Domini Joannis Antonii Locquet, Equitis, Toparchæ de Hombeecq, de Impel, etc. Majestati Catholicæ a Consiliis status, ac Supremi Consilii Regii Præsidis, ac totius dicti Magni Consilii seu Parlamenti Regii Senatorum preces, prætactam notabilem S. Yvonis Reliquiarum partem, Sodalitati Parthenicæ Optimatum, Consiliariorum, aliorumque Jurisperitorum (quæ apud Patres Societatis Jesu Mechliniæ intertenetur) gratiose donare intendimus, uti in præsentiarum donamus, sub conditione expressa, ne dictæ Reliquiæ quacumque ex causa, alibi quam in dicto Sodalitio, seu Sacello, vel ad summum in ecclesia dictæ Societatis ibidem publice Christi fidelium cultui aut venerationi exponantur. Nos, in signum roboris hujus donationis ac firmitatis perpetuæ, confirmamus, prætactam S. Yvonis partem notabilem, sigillatam ac clausam, ut supra, in præsentia præfati Illustrissimi Domini Joannis Locquet, ac Prænobilis ac dilectissimi ejusdem filii Joannis Michaelis Locquet, Equitis, Toparchæ vanden Broecke etc. in manus Rev. Adm. Patris Francisci Du Bois, Collegii Societatis apud Mechlinienses Rectoris, assistente R. P. Joanne Du Trieu, dictæ Sodalitatis Præfecto, tradidisse ac dono dedisse. In quorum omnium fidem ac robur perpetuum, hoc nostrum donationis ac declarationis instrumentum publicum, manus propriæ subscriptione et sigilli minoris impressione munire voluimus; hac II die Februarii, anni sexcentesimi octogesimi supra millesimum.

tradit D. Præsidi magni Consilii

B

servandam apud Patres Societatis

die 2 Februarii.

15 *Curatum deinde est, ne quid consuetarum ceremoniarum deesset, ut Ampliss. D. Amatus de Coriache, Illustriss. Archiepiscopi Mechliniensis Vicarius generalis, visis instrumentis præfatis, et matura Theologorum ad id convocatorum deliberatione præmissa, definiret, rite constare de præfatis omnibus, ipsasque Reliquias fidelium venerationi, ut veras et undequaque certas,* C *etiam in Mechliniensi Archidiœcesi posse exponi venerandas; quod fecit per litteras, die* XX *Aprilis signatas. Ipse vero Illustriss. Archiepiscopus D. Alphonsus de Berges, ad preces Patrum Societatis Jesu, apud quos in Oratorio Sodalitatis adservandæ Reliquiæ erant, atque in templo ipsorum quotannis exponendæ, ad venerationem civitatis totius recurrente festivo* S. Yvonis die omnibus et singulis Christi fidelibus qui ipsum templum, et Dominica immediate festum sequente oratorium supradictum, devote singulis annis visitarent; ibique ante ejusdem Sancti Reliquias sic expositas, in spiritu humilitatis et animo contrito, quinquies Pater et Ave, aut alias preces juxta Sanctæ Matris Ecclesiæ intentionem recitarent; quadraginta dierum Indulgentiam misericorditer in Domino concessit et elargitus est, per litteras ad decennium duratas die XXVI Aprilis.

Eamdem approbat Vicarius Mechlinien.

et Archiepiscopus Indulgentias addit:

16 *Jamque appropinquabat dies festus Sancti, commodum eo anno, qui bissextilis erat, litterasque Dominicales censebat* G F. *in Dominicam incidens. Ergo Societatis novum templum, S. Francisco Xaverio ab annis non ita multis specie venustissima erectum, quo esset seipso ubique ornatius curatum a Patribus diligentissime est; in media vero ejus navi erectum pegma, quod sculptæ eleganter statuæ, Religionem atque Justitiam exprimentes, humeris sustentabant, impendentibus superne victricis Astreæ et miserantis Pietatis symbolis: sub quibus venustate insignis theca (tunc quidem lignea et solum inducto desuper argento fulgens, paulo post argentea tota futura) sic continebat sacri pignoris custodem pyxidem, ut ad osculum commode eximi reponique posset, et circumlucentibus undique luminaribus copiosis die illo Dominico mane tacitos habuit adoratores, quoad Missæ sacrificia fiebant in ecclesia; post meridiem vero, didita per urbem fama, in horam vespertinam, pro qua indicta erat præparatoria concio, numerosum excivit auditorem; cui cum verba facta essent, ad devotionem erga Sanctum excitandum quam poterant convenientissima, solenni musica decantatæ Laudes profestum clauserunt. Sequenti vero Feria* II, *qua convenerat translationem celebrare (neque enim interturbanda festivitas erat, quam ipso festo in parochiali S. Petri ecclesia, nostræ ex adverso posita, de more agebant Domini Advocati) primum ex pegmate illo ad aram principem traducta venerabilis Lipsanotheca est; ad eamque continuatis ex ordine Sacrificiis jugiter litatum, ab omnis fere ordinis professionisque Presbyteris; donec solennis Missæ hora submeridiana adfuit: ad quam cum totum Amplissimi Consilii corpus, cum sibi subordinatis ministris Curialibus convenisset; Illustrissimus quidem Præses ascendit ad formulam precatoriam, eminentiori in gradu tapetis pulvinoque instratam; ceteri vero amplissimi Domini intra communicantium septum ordinate se locaverunt; numerosissima utriusque sexus turba capacem templi navem sic implente, ut nobiliores per subsellia pro suo gradu et conditione distributi, convenientissimo ordine cernerentur. Coram quibus Amplissimus D. Franciscus vande Venne, Regiorum Consiliariorum pro ordine Ecclesiastico primus, et Metropolitanæ ædis Præpositus, solenni ritu operatus est, ad eamdem principem aram, sub festivo musices exquisitissimæ concentu.*

Hac 19 Maji exposita in templo Patrum,

D

AUCTORE D. P.

et postridie collocata in altari,

E

solenne cantatur sacrum coram Senatu toto:

17 *Post meridiem hora quinta vespertina post solutum Consilium, idem qui mane consessus Senatorum, aliorum vero frequentior etiam concursus factus est: et decantatis festive Laudibus, cum Ampliss. D. Præpositus populo ad venerabilis Sacramenti adorationem prostrato, elata Hierotheca benedixisset, illamque loco suo reposuisset; accessit ad pegma præmemoratum, indeque sublatam reliquiariam thecam venerabundis manibus sustulit, inferendam in oratorium Sodalitatis, ad præparatum sibi marmoreum loculum, qui antea (cum locus iste adhuc pars veteris templi esset) recipiendis S. Francisci Xaverii thaumaturgis Reliquiis Sedem præbuerat. Res autem hoc ordine peracta est. Prægredientem Societatis Jesu Novitium cum Cruce, et Acolythos cum cerostatis argenteis binos, subsequebantur adesse jussi omnes ministri Curiales. His succedebant Jurisconsulti Sodales, facem singuli gestantes, intermixtis primæ istic notæ Nobilibus ac Metropolitanæ Ecclesiæ Canonicis nonnullis. Exinde Societatis Jesu Presbyteri, omnes linteati ac stolis sacris amicti, face sua singuli etiam instructi Ampliss. D. Præpositus, pluvialem quam vocant cappam speciosissimam indutus, et Sacerdotibus utrimque ministrantibus stipatus, post illos sequebatur, sacra lipsana ante pectus efferens; et pone, præferentibus Regia magni Consilii insignia Apparitoribus, augustissimo nec alias fere viso ordine procedebant Illustriss. D. Præses Amplissimique Domini Senatores, omnes dignitatis suæ habitu conspicui et famulari turba stipati: agmen vero claudebat numerosa promiscuæ conditionis ac sexus turba, quamvis magis etiam conferta alia cingeret plateas, per quas processionalis hæc pompa ducebatur, forumque boarium.*

vesperi vero cum pompa processionali

18 *Hoc ordine ventum est ad vestibulum Sodalitatis, cui ornatus triumphaliter arcus præstructus spectabatur, cum effigie Sancti pauperum Advocati: et ingressum intro cum lipsanotheca D. Præpositum secuti Præses Senatoresque, stratum sibi cum pulvinis locum*

eadem Reliquia infertur in oratorium Sodalitatis,

oratorii

A *oratorii occupant, quem nihilo minori apparatu quam ecclesia fuerant exornaverant nostri : et lecatis supra aram Reliquiis, audiunt Hymnum Ambrosianum, præcinente D. Præposito, suavissime decantatum a choro musicorum et omnis generis instrumentorum, quæ fuerant processionem comitata. Triplex deinde in proximo foro tormentorum æneorum minorum explosio secuta est, et conclusa solennitas per venerabundam deosculationem Reliquiarum : quæ tunc denique in marmoreum, quem dixi, loculum sunt repositæ, æternum Mechliniensi civitati incitamentum pietatis, Amplissimoque imprimis Senatui, ibidem pollicito quotannis ejusmodi solennitatem Patrono suo simili ritu iterare. Denique subsequente Dominica, eademque octava festi die et* XXVI *Maji, eodem quo prius in ecclesia modo renovatum est festum in oratorio sæpedicto : et post panegyricam de Sancti virtutibus ac laudibus orationem, suavissima rursus musicorum instrumentorum ac vocum præstantium harmonia inchoavit Sacrum, quod ibidem decantavit Ampliss. D. de Frerin, Magni Consilii Senator etiam ipse et Cathedralis Iprensis Canonicus. Idem Confratribus ac Consodalibus suis sacras Reliquias rursus osculandas præbuit, eo majori cum fiducia Advoca-*
B *tum sibi gratulantibus in cœlo, quo præsentiorem jam sibi eum videbantur habere in terra.*

ubi sequenti Dominica solennitas clauditur.

19 *Mechliniæ vicinum Lovanium est, nec minus quam illa Consilio Regio, gloriatur celeberrima disciplinarum omnium Universitate. In hac a multis jam annis obtinuerat consuetudo, ut Juris utriusque Doctores ac Periti festum Patroni sui S. Yvonis solenni Sacro celebrarent, in primaria Collegiata D. Petri ecclesia, coram exposita insigni ipsius ex argento statua, quinque pedes alta : quem deinde cultum Dominica proxima iidem, in Sodalitio Mariano, apud Patres Societatis* D *Jesu, resumunt. Hi sperantes se quoque apud præfatum S. Salvatoris Abbatem, suum olim alumnum et Theologicæ Licentiæ laureola apud se ornatum, inventuros gratiam si postularent etiam ipsi partem aliquam sacrarum Reliquiarum, ad excitamentum præsentius antiquæ, sed numquam remissioris devotionis ; eodem fere quo Mechlinienses Senatores modo et sub instrumentis similibus obtinuerunt, atque ad perpetuam rei memoriam Academicis in fastis sic scribi fecerunt.* Hoc anno MDCLXXXII Clarissimus et Magnificus D. Thomas Stapletonus, Juris utriusque Doctor et sacrorum Canonum Professor ordinarius, nec non almæ Universitatis pro tempore Rector Magnificus, obtinuit a Rever. Adm. atque Ampliss. D. D. Francisco Diericx Abbate S. Salvatoris Antuerpiæ, pro Facultatibus Juris Lovanii Reliquias S. Yvonis, Patroni Jurisconsultorum, quas in Vigilia præfati S. Yvonis solenni ritu et ingenti pompa, comitante Capitulo D. Petri cum toto Clero, assistentibus omnibus Juris Doctoribus in habitu, Licentiatis, Jurisque studiosis cum tædis albis, e Collegio suo portavit præfatus Magnificus Dominus ad D Petrum : ibidemque ad magnum altare omnibus cum summa veneratione osculandas porrexit : quibus et dono dedit atque ap- E pendit numisma aureum, ornatum, cum Indulgentiis plenariis, effigie S. D. N. Innocentii Papæ XI Pontificis Maximi, quod Romæ ante biennium de manibus ejusdem Sanctissimi accepit. Et die sequenti festo S. Yvonis cantatum fuit solenne Sacrum, cum exquisitissima musica per Reverendiss. et Ampliss. D. Cobligins Decanum D. Petri.

Facultas Jurisconsultorum Lovanii,

anno 1682 similem particulam impetrat exponitque.

DE B. AUGUSTINO NOVELLO PRIORE GENERALI FF. EREMITARUM S. AUGUSTINI,

SENIS IN HETRURIA.

D. P.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Vita a coævo scripta, ætate, patria, familia, reliquiis.

ANNO MCCCIX

E*ximium Ordinis Eremitarum S. Augustini sidus effulsit, seculo Christi decimo tertio, pro-*
C *pter doctrinæ et sanctitatis excellentiam* B. Augustinus, *ad distinctionem primi illius ac magni Doctoris, Hipponensis in Africa Episcopi,* Novellus *cognominatus : qui cum Summorum Pontificum Pœnitentiarius, et totius Ordinis sui Prior Generalis fuisset; elegit seculo Christi decimo quarto in quodam eremitorio sibi Deoque vivere; et sic miraculorum gloria celebris, meruit ab hac mortali vita ad æternam atque immortalem migrare hoc die* XIX *Maji, feria secunda Pentecostes. Annus is erat* MCCCIX, *quo cyclo Lunæ* XVIII *Solis* II, *et littera Dominicali* E, *Pascha celebratum fuit die* XXX *Martii, ac festum Pentecostes die* XVIII *Maji, ut mirum sit in re tam clara varios auctores, qui ejus meminerunt, potuisse aberrare. Sacrum ejus corpus adservatur in urbe Hetruriæ Senensi in Ecclesia Patrum Augustinianorum, ampla valde, multisque vetustis altaribus exornata : quam nos adeuntes anno* MDCLXI *die* X *Octobris, venerati fuimus corpus* B. Augustini Novelli, *inclusum marmoreæ arcæ, parieti insertæ supra aliquod laterale altare. Ibidem etiam vidimus antiquissimam ejusdem Beati picturam, et quatuor insignium miraculorum historiam : deinde allocuti R. P. Marcellinum Senensem, accepimus oblatam nobis Vitam, describendam ex duplici MS. codice, altero membraneo, altero chartaceo, in quorum alterutro saltem notabatur, illam desumptam fuisse ex antiquo MS. conventus Pisani,* F *ejusdem Ordinis Eremitarum S. Augustini. Cum dein* XI *Octobris mane occuparemur in describenda Vita dicti* B. Augustini *aliisque monumentis, quæ pridie invenæramus ; ultro attulit dictus R. P. Marcellinus instrumentum authenticum, de cultu ejusdem* B. Augustini, *prout infra ipsi Vitæ subjungimus. Auctor Vitæ plane coævus fuit, ejusdemque Ordinis Eremitarum S. Augustini, qui* de ejus conversatione, vita, morte, et miraculis se tractare *præfatur,* secundum quod a fide dignis audivit : *atque ita num. 4, dum tractat ea quæ sunt a B. Augustino præstita cum Curiæ Manfredi Regis esset Præfectus, asserit* se quæ narrat didicisse a Fratre Augustino de Forteguerris, qui tunc aderat inter assistentes dicto B. Augustino : *et num.* 14 *innuit se scribere, cum regno Neapolitano præesset* Robertus Rex, *qui patri suo Carolo II anno* MCCCIX *mortuo (quo jam ostendimus B. Augustinum etiam e vita decessisse) subrogatus, vixit usque ad annum* MCCCXLIII.

Obitus feria 2 Pentecostes.

Corpus Senis.

Vita ex MSS. hactenus inedita,

auctore coævo,

2 *Hanc Vitam hactenus ineditam varii viderunt, et inde sua descripserunt : inter quos primus merito censendus est* Jordanus de Saxonia, *qui sæpe munus Vicarii Generalis obivit, et in libro, quem Vitas Fratrum inscripsit, plurima allegat servatis verbis ipsius; librum autem eum composuit circa annum* MCCCLX. *Octavius Cajetanus*

ex qua descripserunt sua Jordanus de Saxonia,

A *Cajetanus tomo 2 de Sanctis Siculis edidit Vitam, a se ordine temporis digestam, ex iis quæ Jordanus de eo sparsim tradidit in libris quas Vitas Fratrum inscripsit, ut ita dicta Vita, in unum corpus coagmentata, unicuique ante oculos interque manus nullo labore esset : cui labori supersedere potuisset, si quam damus Vitam obtinuisset. Breviarium vitæ ejusdem scripserunt varii, inter quos* Jacobus Philippus Bergomensis *in Supplemento chronicarum, sed perperam obitum ejus retulit ad annum* MCCCIII : Thomas de Herrera *in Alphabeto Augustiniano, qui asserit e vita abiisse anno* MCCCX, *et secutus eum est Philippus Elssius in Encomiastico Augustiniano.* Jacobus Pamphilus *Episcopus Signinus, in Chronico Ordinis Fratrum Eremitarum S. Augustini, recte statuit obiisse anno* MCCCIX, *et describit quæ repererat apud Bergomensem atque Jordanum de Saxonia.* Cornelius Dielman, *ejusdem Ordinis Religiosus Gandensis, edidit* Vitæ monasticæ normam, in aliquot viris Ordinis FF. Eremitarum S. Augustini, scientia et vitæ santimonia illustribus, delineatam; *ubi primus profertur* B. Augustinus Novellus, *ejusque Vita latissime deducitur. Sed ea pars nobis certissima apparet, quæ cum Vita hic danda congruit. Extant præterea in nostro*
B *Societatis Jesu Panormitano Collegio* duo volumina manuscripta de origine hæresum, auctore D. Bernardo Riera V. I. D. Siculo Depranensi : in quorum secundo, ubi agitur de Regno Siciliæ, qualiter semper fidem Catholicam servavit, et specialius de Religione sub Carolo Andegavensi Gallo, legitur Vita B. Augustini Novelli; *extracta (sicut præfatur auctor)* partim ex libro qui inscribitur Vitæ Fratrum Eremitarum S. Augustini, quas scripsit Jordanus Saxo vicinus illis temporibus; et novissime ex Josepho Pamphilo, Episcopo Signino ejusdem instituti; et aliis. *Inter hos alios etiam Jacobus Bergomensis fuit, qui anno* MCCCCXXXV *opus suum absolvit Brixiæ et vulgavit : Pamphilus, uno post seculo et anno Christi* MDLXXXI, *librum suum prælo Romano subjecit : scripsit ergo Bernardus ante finem seculi* XVI; *atque hoc sensu Vincentius Auria, ipsam Vitam, cum suis Annotationibus impressam Panormi anno* MDCLXIV, *dedicans Senatui Panormitano,* ex Vetusto codice *acceptam dixit in præfatione ad Lectorem. Nos præteritis rivulis istis omnibus, puriorem ex fonte aquam porrigimus; neque graviter ferimus ad manus nostras non pervenisse vitam, quam (eodem Vincentio teste)* Jacobus Cascio Thermitanus *Panormi edidit anno* MDCXI.

et inde Bergomensis,

Herrera,

Pamphilus,

Dielman,

atque Riera.

3 *In Annotationibus prædictis* duo *præsertim assumit Vincentius Auria,* discutienda et explananda. Primum
C quo tempore vixerit seu floruerit; secundum, qua in urbe natus sit Augustinus. *Circa primum invehitur auctor in Philippum Ferrarium, quod is in Martyrologio generali annotet eum,* claruisse sub Frederico II Imperatore, circa annum MCCXC. *Agnoscimus hic aliquod σφάλμα, Ferrarii : nam Fredericus II Imperator, anno* MCCL *die* XVIII *Octobris, in Apulia e vita excessit : sed σφάλμα istud correctum fuerit, si dicatur Augustinus* claruisse sub Frederico II, Rege Siciliæ : *hic enim ex Aragonensibus natus, anno* MCCXCVI *Panormi* VII *Kalendas Aprilis Coronam suscepit, et ad annum usque* MCCCXXXVI *regnavit. Floruit ergo revera tempore Friderici* Augustinus, *jam senior, et mortui anno* MCCCIX *obeundæ propinquus; dum autem adhuc in seculo* Matthæus *vocabatur, Regem ac Dominum agnovit Manfredum,* cujus Curiæ ipse præerat, *cum titulo* Consiliarii et Judicis perpetui : *quemadmodum apparet ex hoc prædicti Regis instrumento, quod exhibet Vincentius præfatus, anno* MDCLXIII *authentice transcriptum* ex originali Registro, quod conservatur in archivio magnæ Regiæ Curiæ Siculæ Neapoli, *estque tenoris hujusmodi.* Manfridus Dei gratia Siciliæ et Hierusalem Rex ac Taranti Princeps, omnibus et singulis [seriem] præsentis privilegii visuris et quomodolibet inspecturis. Quare sit

Tempore Frederici 2 Regis Siciliæ an. 1309 *mortuus,*

fuit anno 1259 *Mafredi R. Consiliarius,*

notum [quod...] claritas sanguinis, inveterata magnificentia, et servitia propriis impensis, sanguinis effusione in rebus gestis contra Barbaros, aliisque importantissimis occasionibus Christianæ fidei, tam in servitio Serenissimorum Regum Aragonum et Castellæ, quam nostro nostrique Serenissimi Patris, præstita per strenuam et claram familiam de Thermes, Provinciæ Cataluniæ Hispaniarum, quam ex antiquorum Regum Gothorum prosapia originem traxisse ejus antiqua privilegia aiunt; atque Comitibus Narbonensibus, et Vicecomitibus Thermensibus, quorum regimen toti familiæ nomen dedit. Considerantes nos merita multorum aliorum servitiorum, per te nobilem Matthæum de Termes, Consiliarium nostrum nostræque Regiæ Curiæ Judicem perpetuum, ac nobilium Oliveri et Joannis de Termes, avi et patris tui, nostro Serenissimo Patri Friderico Imperatori Consiliariorum, quomodolibet præstitorum, quibus et tibi debitum esse remunerandi, ne nostra regia largitas suo debito careat, visum est. Pro modo, in computum dictorum servitiorum, libenter damus et concedimus tibi, nobili Consiliario nostro Matthæo de Termes, prout per præsentem seriem hujus præsentis nostri regii privilegii concessionis conceditur; feudum et castrum E
Campi-Martini in Bitonto, cum juribus et pertinentiis suis omnibus : sicut ample tenebat et possidebat Jacobus de Montecavioso, proditor noster, ac eodem modo et forma, nihil addendo neque diminuendo, cum confirmatione potius eorum regiorum privilegiorum, illis per prædecessores nostros quomodolibet concessorum. Ideo mandamus omnibus de nostro regio dominio, et præsertim nostræ Civitatis Bitonti, quod statim et incontinenti accepto præsente, vacuam, liberam, et naturalem possessionem præsentis feudi et castri Campi-Martini, cum juribus et pertinentiis suis omnibus, in manibus propriis præsentis nobilis Matthæi de Termes Consiliarii nostri, vel ejus legitimi procuratoris, tradere debent, et in ea continue manutenere, obediendo eum, uti verum Dominum et Baronem præsentis feudi et castri, sicut esset nostra regia persona, cum ipsismet auctoritatibus, potestatibus, jurisdictionibus, dominiis, præeminentiis, lucris, et introitibus, quomodocumque ad dictam Baroniam feudi et castri Campi-Martini spectantibus et pertinentibus. Sic exequimini, sub pœna nostræ regiæ indignationis. Datum Gaetæ VIII Julii MCCLIX.

De mandato Serenissimi Regis Manfredi.
Vidit Gualterius de Ocrea, magnus Cancellarius. F

D *AUCTORE D. P.*

ab eodemque donatus est nobili feudo.

4 *Hactenus privilegium istud, cujus exordium, haud satis feliciter fideliterque transcriptum, nonnihil placuit lævigare, interpositione ac transpositione paucularum vocum; suspicamur tamen etiam sic non haberi integrum, sed in principio totam unam lineam, a qua pendeat sanus sensus, omissam fuisse. Annum datæ* 1259 *Arabicis zyfris notat Vincentius pag.* 39 : *pro quo deinde pag.* 55 *obrepsit typothetico errore nota anni* 1254, *facili duarum zyfrarum* 9 *et* 4 *commutatione : cui corrigendæ certam rationem suggerit annus* MCCLVIII, *quo primum Rex coronatus Manfredus est; junctus cum anno* MCCLXVI, *quo periit, prælio victus a Carolo Andegavensi, fratre S. Ludovici Regis Franciæ. Tunc enim* B. Augustinus, *seculo renuntians, habitum monasticum Fratrum Eremitarum S. Augustini assumpsit in Sicilia : eumque in hac insula* non multo tempore cum suis Fratribus fuisset conversatus, *uti num.* 11 *dicitur,* venit in provinciam Senensem : *ibidemque pro idiota habitus, vilissima quæque munia in variis Conventibus peregit; dum tandem quis esset fuissetque ab aliis scitum est. Tunc scilicet Sacerdos creatus, et ab Ordinis universi Generali B. Clemente de Aquino in Socium assumptus, cum hoc Constitutiones Ordinis*

Habitum sumpserat Beatus an. 1266,

composuit

AUCTORE D. P.

A *composuit. Dedimus Vitam* B. Clementis *die* VIII *Aprilis, diximusque prima vice Ordini præfuisse ab anno dicti seculi* LXX, *usque ad annum* LXXIV; *et postea iterum assumptum anno* LXXXIV, *et anno* LXXXVII *fuisse stabilitum. Videtur autem a B. Clemente electus* Augustinus *cum prima vice Generalis esset; eumque potuit postea in Constitutionibus componendis adjuvisse, cum esset Nicolai IV Summi Pontificis Pœnitentiarius creatus, anno* MCCLXXXVII *aut sequenti. Hoc porro munus sustinuit usque ad annum* MCCXCVIII, *quo creatus est Ordinis universi Generalis: dignitatem autem ultro deposuit anno* MCCC, *ac deinceps in eremitorio S. Leonardi privatus vixit, usque ad diem* XIX *Maji anni* MCCCIX, *quo ibidem feria secunda Pentecostes (ut diximus) ad cœlestem patriam migravit.*

Patria an Panormus,

5 *Alterum, quod Vincentius Auria discutiendum assumpserat, est, quia in urbe natus fuerit* B. Augustinus; *atque resolvit, ipse Panormitanus, in sua urbe Panormitana illum natum fuisse. Probationem primam ac ferme omnem assumit ex Vita a Bernardo Riera composita, ubi ista leguntur:* Ortus fuit hic sanctus Pater in urbe Panormitana, ex nobili familia de Thermes dicta, usque hodie clarissima. *Sed quis* B *ante Bernardum Rieram meminit Panormi, ut patriæ? Auctori antiquæ Vitæ num.* 3 *dicitur* B. Augustinus ex quodam castro, Teranum vocato, quod a Panormitana urbe fere XXX milliaribus distat, sumpsisse originem: *et num.* 11 *antiquo nomine appellatur* D. Matthæus de Therano. *Et Jordano de Vitis Fratrum (quem Bernardus Riera præcipue laudat) appellatur* Augustinus de Terano, *aut priori nomine* Matthæus de Terano. *Ita legitur lib.* 2 *cap.* 4, 5, 7, 13, 14, 18 *lib.* 3 *cap.* 11, *lib.* 4 *cap.* 10, 11, 14. *Hinc posteris etiam appellatur* Augustinus de Iterano, *et* Interamno. *Jacobus Bergomensis in Supplemento ad annum* MCCCIII *ita elogium auspicatur.* Augustinus de Interamno, Generalis Ordinis nostri Prior, natione Siculus, olim Juris utriusque consultissimus et Theologus insignitus, hoc ipso anno haud procul a Senensi Hetruriæ urbe, locello Divo Leonardo dicato, multis clarus miraculis, bono fine quievit etc. *Quod ejus elogium in editione Parisiensi anni* 1585 *plane omissum est. Ast in Chronico Josephi Pamphili videtur Bergomensis, et alii eum secuti, vicini plane nominis ambiguitate decepti,* Interamnum *seu* Interamnam, *Umbriæ civitatem respexisse, quæ vulgo* Terani, *et contractius* Terni *dicitur: ex ipsomet tamen eorum errore manifestum fit, eos non aliud nomen, quam quod in antiqua Vita legitur, expressum reperisse.*

an potius Castrum Teranum?

C

et hoc idem quod Thermes?

6 *Sed difficultas alia hinc exurgit, quomodo ita constanter scribatur ab antiquioribus* castrum Teranum, *quod nusquam nunc invenitur; cum in eadem* XXX *milliarium distantia ab urbe Panormitana situm sit oppidum,* Thermæ *dictum; et hoc cognomine, tam ipse* Augustinus *seu* Matthæus *in seculo, quam alii ex eadem familia, ante et post eum nati, inveniantur appellati: de quibus in Dedicatoria sua Vincentius:* Familia ea repetit originem suam ab Oliverio de Thermes, inter Proceres Catalaunos præcipuo viro; cui adnectit Fr. Joannem de Thermes, Archiepiscopum Panormitanum; Hieronymum, Episcopum Mazarensem electumque Panormi Antistitem; Matthæum, qui B. Augustinum patruum habuit, Regni Siciliæ Magistrum Justitiarium; Franciscum, Equitem Hierosolymitanum; aliosque viros, qui Panormitanam urbem, cum Capitanei ac Prætoris, nec non Senatorum dignitate rexerunt, aut arcis Præfecturam gesserunt. *Addit etiam Vincentius pag.* 45, hujus familiæ viros vulgo omnes *dici* de Termini *et* da Termini, *quod etiam exemplis probat; estque mirum satis, cum* Thermes *et* Termini *vicina quidem ejusdem tractus, sed tamen diversa loca sint. Accedit ad difficultatem augendam, quod Thermitani prætendunt, quam antiqua Panormi est familia* a Terminis *nuncupata,* D *tam esse vetustam apud se familiam* de Terano, *licet ea modo extincta sit. Nam in scrutinio Magistratus Thermitani, facto sub Rege Martino anno* MCCCXCVIII, *legitur inter alios* Petrus de Terano, *hoc ordine:* Thomas de Palma, Simeon de li Pulielli, Simeon de la Sentina, Antonius de Basto, Thomas de S. Marco, N. de Salvo, Petrus de Terano, Agathinus de lu Cavano, Petrus Solito, Philippus de lo Masello.

unde nomen familiæ?

7 *Quod autem ad* Castrum Teranum *pertinet, putat Octavius Cajetanus noster in Annotatis, corruptam esse vocem, et* Thermes *legendum. Josephus Pamphili, verbis a Riera descriptis, sic exorditur:* Augustinus de Therma, nostri Ordinis Generalis Prior, natione Siculus. *Sed complete suspicionem purgat Scrutinium Thermitanum prædictum; et probat, vere* Teranum *aliquod fuisse, a* Thermis *æque ac a* Terminis *diversum. Conciliari tamen differentia posset, si præsumere liceat ipsius Thermitanæ civitatis castrum, quod Augustini pater pro Rege gubernator tenebat, proprio nomine* Teranum *appellatum fuisse. Ceterum sicut non sequitur,* Augustinum, *quia* de Thermes *cognominatus fuit,* Thermis *quoque natum esse; cum hoc familiæ ipsius nomen fuerit, traductum ad posteros ab Oliverio, istius* E *oppidi quondam Domino seu Toparcha: sic neque ex eo quod eadem familia Panormi nunc Sedem suam habeat, occasione munerum prænotatorum, quæ tam ipse* Augustinus *quam alii post eum ibi gesserunt, minime consequitur, ibidem, et non in Thermitana suæ familiæ domo ad lucem venisse Sanctum. Quare, si* Teranum castrum *et* Thermæ *oppidum diversa non sint sed ad has illud pertineat; justior præsumptio et antiquiori auctoritate nixa, contra simplicem Rieræ et Auriæ conjecturam, stabit pro Thermitanis, veterem apud se traditionem prætendentibus. Propter hanc autem officii sui esse crediderunt, post acceptas Senis Reliquias aliquas* B. Augustini, *anno* MDCXX, *ad Serenissimo Magno Hetruriæ Duce Cosmo II, in cultum ac venerationem ipsius solicitius inquirere, prout constabit ex duplici Appendice addenda post Vitam. Sufficienter autem informati et certificati de omnibus, a Ferdinando Archiepiscopo Panormitano impetrarunt anno* MDCXLV *facultatem, ipsas Reliquias in majori ecclesia publice exponendi, ac processionaliter quotannis circumducendi, in die suæ Translationis: quam fuisse Dominicam primam Augusti, docuit nos R. P. Vincentius Galeanti, Collegii nostri Netini in Sicilia Rector anno* MDCLXIX.

aliquæ Reliquiæ Senis allatæ.

NOT. 24 APP. TOM. VII MAJI

F

VITA

Auctore coævo Ordinis Eremitani.

Ex MSS. Senensi et Pisano.

PROLOGUS.

Licet omnipotens et bonus Deus dona et gratias unicuique secundum suum beneplacitum largiatur: alii tamen majora, alii minora partitur: (Hoc est enim quod per Apostolum dicitur: Alii datur sermo sapientiæ, alii autem sermo scientiæ: alteri fides, alii gratia sanitatum, alii operatio virtutum, alii prophetia, alii discretio spirituum, alii genera linguarum, alii interpretatio sermonum: hæc omnia operatur unus atque idem Spiritus, dividens singulis prout vult) sacram tamen ac venerandam religionem Fratrum Eremitarum Doctoris eximii Augustini donis præcipuis et gratiis uberrimis cumulavit. Nam sanctis Apostolis, quiete mortis accepta, suscitavit Deus filios, scilicet Sanctos Eremitas, verbi Dei semine in utero matris Ecclesiæ generatos: qui tamquam legitimi filii, priorum Patrum, scilicet Sanctorum

1 Cor. 12, 8

Eremitæ S. Augustini

imitatores Apostolorum, A Sanctorum Apostolorum, vitam imitarentur et mores : et in quos et super quos ipsorum Apostolorum, sicut Eliæ super Elisæum, spiritus requiesceret, et pallio sanctæ conversationis fluenta carnalitatis dividerent : qui supernæ patriæ dilectione accensi, omnia mundi prospera, veluti quædam stercora, reputarent : qui non solum mortem minime timerent, sed præ dulcedine Dei ipsam inhianter appeterent : qui velut alter Abraham, ad præceptum Domini, cognationem et patriam relinquerent : qui velut alter Moyses, se filios filiæ Pharaonis, id est ipsius carnis et mundi, vocari abhorrerent, et improperia Crucis magnas divitias æstimarent : qui velut alter Joseph, frumenta Ægyptiis et pabula verbi Dei hominibus carnalibus, Ægytiorum tenebris involutis, solicite ministrarent : qui velut alii Machabæi, pro ipsis sanctis Dei legibus cuncta sua relinquerent, et mori minime formidarent ; de cunctisque hostibus, videlicet mundo, carne et dæmone, viriliter dimicantes triumpharent. Hi sunt Seraphim, zelo Dei ferventes : hi Cherubim, pleni scientia, Dominum contemplantes, et ad ipsum cognoscendum alios educentes : hi Throni, in solo Deo quiescentes, et nullam nisi in Deo quietem esse monstrantes : hi Dominationes, aliis vita et moribus præsidentes, et alios ad cuncta Dei obsequia dirigentes : hi Virtutes, miraculis coruscantes, et de Deo conscii nihil impossibile pene putantes : hi Potestates, dæmones coercentes, et sua virtute Dei populum protegentes : hi Principatus, Archangeli, et Angeli, curam aliorum habentes, et nunc majora, nunc minora, scilicet quod hominum saluti congruit, nuntiantes, populumque Dei orationibus, vita et exemplo solicite custodientes et defensantes : hi Sol, mundum illuminantes, et ignorantiæ et peccatorum tenebras effugantes : hi Sidera cœli, in nocte adversitatis mœstos dirigentes, et suo exemplo eos roborantes : hi lapides pretiosi in vestimento Aaron, et ipsius veri Sacerdotis Christi mirabili fulgore lucentes : hi ædificati super fundamentum Apostolorum et Prophetarum firmissima sunt stabilitate durantes. Gaudeat ergo sancta Mater Ecclesia, tot ac talibus filiis fœcundata : gaudeat Eremitarum Religio, cujus caput est Augustinus, Doctor egregius, a suo Sponso tot ac tantis muneribus decorata : gaudeat plebs fidelium, tot militibus defensata ; gaudeat et Senarum civitas, tanti Patris, scilicet S. Augustini, novi Confessoris, Reliquiis prædotata. Sed jam ad B. Augustinum Novum, qui nostris temporibus in sancta Ecclesia et nostra Religione, velut quoddam cœleste sidus emicuit, et in quem omnia supra dicta convenerunt, redeam : cujus conversationem, vitam, mortem, sed et quibus claruit miraculis, secundum quod a fide dignis audivi, tractare intendo, ipsius Sancti devotione permotus, ad sanctæ conversationis exemplum et animarum salutem.

comparandi Patriarchis — *Angelis* — *et Planetis,* — B — C *is præsertim cujus hæc Vita, a fide dignis accepta, datur.*

CAPUT I.

Augustini Vita ante et post susceptum habitum in Sicilia.

Fuit autem B. Augustinus duplici nomine appellatus; videlicet Matthæus et Augustinus : MATTHÆUS in seculo, AUGUSTINUS in ordine : quod divina providentia, non casualiter actum est, ut videlicet ex duplicis *a* nominis appellatione multiplex perfectio innotesceret. Interpretatur enim *b* MATTHÆUS, Donum festinationis : quod bene competit sibi propter festinam ejus conversionem. Statim enim post mortem Domini sui, scilicet Regis Manfredi, cujus Curiæ ipse præerat; ut vocem interius pulsantis audivit, de lectulo corporis et negligentiæ surgens, pulsanti aperuit; ipsumque introrsum inducens, cœnam ei exhibuit et ab eo recepit. Vel dictus est AUGUSTINUS ab AUGUSTO, qui est mensis calidissimus, ut in eo denotetur fervor caritatis: vel dictus est AUGUSTINUS ab AUGUSTO Imperatore, qui principabatur in orbe, ut ex hoc denotetur intelligi, quod ipse erat principaturus in Ordine : vel dictus est AUGUSTINUS ab AUGEO, quia suo tempore Ordo Eremitarum multipliciter exaltatus est, et multis privilegiis et gratiis a sancta Matre Ecclesia præmunitus.

a b Matthæus in seculo — D *a. coævo ix mss. Augustinus in religione dictus.*

3 Igitur B. Augustinus ex quodam castro *c* Teranum vocato, quod a Panormitana urbe fere xxx milliaribus distat, sumpsit originem : et licet nomen *d* patris vel matris ignoretur, constat tamen ipsum nobilibus ortum natalibus, sicut progenies sua usque in hodiernum diem declarat, quæ ibidem et pluribus aliis castris dominatur. Ab ipsa autem pueritia sua et litteris traditus, et quantum illa ætas patitur sufficienter instructus est. Volentem autem eum pergere Bononiam ad studendum, prohibuit eum mater, quæ eum tenerrime diligens retrahebat : videns autem firmum animum ejus, eum usque Romam secuta est. Cœpit autem ipsa ab adolescentia ejus prædestinationis donum in ipso lucere, et qualis esset futurus indiciis manifestissimis apparere. Nam multa vitia, quibus ipsa adolescentia et modus vivendi scholarium ex sua quasi implicatur natura, cœpit abhorrere ; mulierum et lasciviorum juvenum consortia spernere, inania verba et dissoluta cachinnia devitare, ecclesiam adire, prædicationi intentus esse, et (quantum ætas illas patitur) quæ audiebat opere adimplere. Perveniens autem Bononiam, ita in non multis annis profecit, ut posset merito inter Doctorum numerum computari. Utriusque ergo Juris factus Professor, ad propria rediit : cœpitque fama ejus crebrescere, et undique diffundi ; in tantum, ut Rex *e* Manfredus, qui tunc in Regno præerat, universæ Curiæ suæ eum accersitum præfecerit, et ad ejus imperium omnia agebantur.

c — *d natus in Sicilia,* — *Bononiæ U. I Doctor creatus,* E — *Præfectus curiæ Manfr. Regis : e*

4 Et quia quodammodo impossibile est, ut quis in medio carnalium positus, maneat a vitiis, illibatus ; protexit eum Deus gratia et misericordia sua, ut saltem non iis implicaretur vitiis, quæ in interitum animum mergunt, et ad Deum minime redire permittunt, et quæ ejus futuram vocationem maxime impedire valerent. Nam licet, ut diximus, in medio carnalium positus, fecerat tamen sibi perpetuæ virginitatis propositum, quod usque ad mortem tenuit et servavit ; prout [innotuit] ex verbis ejus, non ex jactantia, sed ex caritate dictis, sicut Apostolus, caritate discipulorum devictus, se aliquando commendabat. Adsistebat autem viro Dei quidam Frater Uguitio, vir bonus, nobilis et sensatus : qui cum ex quodam casu abesset, ait vir sanctus quibusdam ex sibi assistentibus tunc Fratribus, inter quos erat tunc Frater Augustinus de Forteguerris, a quo quæ narro didici ; ait autem : Ego ita diligo istum Uguitionem, sicut filium, licet numquam id egerim unde filium possem habere ; ipse autem semper a me recedit. Et statim subticuit, quasi pœnitens ejus quod dixerat. Ex quo verbo datur intelligi, quod non solum in Ordine, sed etiam secularis existens, votum virginitatis tenuit et servavit. Quod verbum voluit Deus ex ore suo prolabi, ut ex hoc detur intelligi, qualis ac quantus esset, cujus vita ponenda esset aliis in exemplum. In eadem etiam Curia manens retraxit se, ut dixi, divina protectus gratia, ne esset vir sanguinis, quæ ædificaturus erat domum nomini Domini, Pater et Pastor futurus in ipsa Religione Eremitarum. Nam numquam interfuit judicio sanguinis, nec in consiliis ubi de fundendo sanguine tractaretur. Ab illicitis etiam lucris et munusculis, in quibus talium hominum genus implicari

alienus a vitiis carnis, — F — *judicio sanguinis,*

A. COÆVO EX MSS.

muneribus et duplicitate.

implicari consuevit, erat totaliter alienus; ut non Judex, sed Pater quasi ab omnibus haberetur. Juramenta et verba duplicia et inania, et extorsiones quæ sæpe in Curiis fiunt, omnino abhorrebat in tantum, ut jam reluceret in eo, quod futurum eum gratia Dei præviderat.

5 Cum autem esset idem Venerabilis Pater in Curia supradicta, contigit supradictum Regem Manfredum a Rege *f* Carolo debellari: in quo conflictu dum esset Augustinus, Deo disponente, timore mortis ductus, fugit in Siciliæ insulam: in qua insula incurrit ægritudinem validam, jam suo judicio descensurus ad inferos, portans secum peccata. *Ad eum ægrum,* Timensque ante conspectum æterni Judicis cum multis peccatis, quæ ipse in se ex humilitate esse agnoscebat, et sine ullis meritis comparere, petivit a Deo spatium pœnitentiæ, promittens se ingressurum Ordinem religiosum, statim cum fuerit liberatus. Respexit autem illum Deus, et restituit pristinæ sanitati: qui non immemor verbi Salomonis dicentis, si quid vovisti Deo non tardes reddere, quia displicet sibi stulta et indiscreta promissio; disposuit intrare Ordinem S. Dominici. Et missis duobus ex familia (Eccl. 5, 3)

B

sua, obviaverunt eis duo ex Fratribus Eremitis S. Augustini: quos ad Dominum suum domi manentem adducunt: quos ipse videns venerabatur ut Patres; propositum tamen suum minime eis aperiens, remisit eos. *cum pro vocatis ter Dominicanis* Indignatus autem contra famulos missos, quos docuerat, qualiter erant Fratres, quos quærebat, induti, et de vocabulo eorum, et ubi morabantur, ait: Cur non implestis quod dixi? Ite, adducite quos dixi. Qui euntes, duos alios ex iisdem Eremitarum Fratribus adduxerunt: quos similiter remisit, et amplius contra famulos indignatus, tertio eos ad locum Prædicatorum remisit. Qui Angelo duce, non cognoscentes locum vel Fratres, iverunt recto itinere ad locum Fratrum Eremitarum, et acceptos Priorem simul cum alio Fratre duxerunt ad Dominum suum. *venirent semper Augustiniani,* Ex quo facto pater manifeste, ipsum a Deo singulariter præelectum, ut esset Dux et Pater Fratrum Eremitarum. Cognovit autem vir sanctus, se divina gratia ad locum Fratrum Eremitarum vocatum: et divinam misericordiam et bonitatem in seipso considerans, æstuabat igne divini amoris: et jam de præmio æternæ beatitudinis factus certus, seque præ dulcedine Dei non capiens, illis Fratribus propositum suum patefecit: funditusque seculo et pompis ejus renuntians, in virum alterum penitus est mutatus, et habitum sanctæ Religionis, videlicet Fratrum Eremitarum S. Augustini, assumpsit. *horum habitum assumit:*

C

6 Et quia soli ruinæ crescit quod ædificatur, nisi fundamentum humilitatis ante molem fabricæ procuretur; voluit vir Dei, in ipso suæ conversionis initio, humilitatis jacere fundamenta, ut domus animæ suæ [fundata] in illo qui dicit. Discite a me quia mitis sum et humilis corde, nullis posset dirui [ruinis]; scilicet quia in Evangelio scribitur, Venerunt flumina, flaverunt venti, descendit pluvia, et irruerunt in domum illam, et non cecidit: fundata enim erat supra firmam petram. (Matth. 11, 29) (Matth. 7, 27) Ideoque vir Dei divinitus inspiratus, non solum in affectu, sed in exteriori effectu, studuit virtutem humilitatis habere. Quapropter ad Ordinem veniens, et habitum sanctæ Religionis assumens, occultavit suæ scientiæ claritatem, generis nobilitatem, et prioris status sublimitatem: nequis ex aliquo prædictorum eum considerans veneraretur, et ne ex hoc posset aliqua superbia irrepere in cor ejus. *et personam suam occultans,* Factus est igitur inter Fratres stultus, ut a Deo instrueretur: factus est pauper, ut divitiis cœlestibus ditaretur; factus est ignotus hominibus, ut a Deo cognosceretur; factus vilis mundo, ut apud Deum exaltaretur. Conversabatur igitur inter Fratres cunctis vilior et despectior, sciens se tanto esse majoris meriti apud Deum, quanto amore ejus magis despiceretur in mundo. D *se ad infima quæque demittit,* Humilis erat in effectu, sed plus in affectu: jactantia aut verbum aliquod prioris status numquam audiebatur ex eo: *g* quæstas et humilia servitia domus quæcumque viliora, incognitus manens, devotione et humilitate nimia adimplebat. In ipsa vero sua humilitate gaudens, plorabat quia tantum distulerat Deus gaudium animæ suæ. Liquefiebat anima ejus amore supernæ patriæ, propter cujus amorem quæcumque hic ageret pro nihilo reputabat. Si quod verbum aliquando causa fraternæ correptionis faciendæ laberetur ex ore ejus, quod aliquando detestatione mali et fraterna caritate solitus erat facere, statim se ipsum condemnans, ad pedes Fratris prostratus veniam postulabat.

7 Habuit et perfectionem altissimæ paupertatis, sicut patere potest omnibus, vitam ejus et mortem considerantibus: *paupertatis tenax* nam cum primo in seculo multis divitiis abundaret, in Ordine breviter nihil sibi ex iis, præter humiles pannos et paucos voluit retinere, sive in Sicilia manens, sive ad Senensem provinciam veniens. E Et cum stetisset in Curia Confessor Summi Pontificis viginti duobus annis, in quibus potuisset, ut alii Confessores summi Pontificis, abundanter abundare; numquam tamen voluit aliquid adunare: in tantum quod ad mortem veniens, nihil haberet breviter quod oporteret eum relinquere; imitatus Patrem suum B. Augustinum Doctorem, cujus nomen et habitum tam ferventi devotione acceperat, qui ad mortem veniens testamentum non fecit, quia unde faceret pauper Christi non habuit.

8 Fuit et valde austerus sibi in cibo et potu, *in victu parcus et austerus* quamquam in seculo fuerit cibis nobilibus et delicatis nutritus. Nam in sua juventute, quando venit ad Ordinem, numquam aliquid quærebat, nisi illa cibaria vilia, quibus tunc Fratres communiter utebantur, hoc superaddito, quod semper solitum ei erat comedere semel in die. Postquam autem stetit in Curia, Prior Generalis Ordinis factus, et postquam ad desideratam solitudinem est reversus; licet aliquando ratione infirmitatis aliis cibis eum uti oporteret, semper tamen comedebat, semel in die, ponderans panem quem comedebat, videlicet quindecim uncias omni die; in hoc non voluptati, sed necessitati condescendens.

9 Fuit hospitalitatis sectator: nam licet occupationibus quam pluribus, quas dimittere ex ipsa conscientia nullatenus poterat, esset implicitus; erat tamen hospitalitatis consultor, et fautor eorum qui hospitalitatem amabant. Quod maxime [patuit] in Domino Restauro, quem ipse suo consilio induxit, ut esset Pater Hospitalis S. Mariæ *h* de Senis. Nam cum idem D. Restaurus multis divitiis abundaret, posuit se totaliter in manibus suis, facturus per omnia prout sibi consuleret. *Hospitale Senense fundandum curat,* Et cum potuisset ad subveniendum Ordini eum inducere, quod et fecisset; judicavit melius esse, ut ipse D. Restaurus omnia sua bona Hospitali committeret: quod et factum est. Et ex tunc, tam ex bonitate D. Restauri, qui multum laudabiliter supradicto præfuit Hospitali, quam ex divitiis quas ibidem dimisit, incepit Hospitale augmentari et crescere, cum prius modicum esset. Insuper et omnia bona privilegia, quæ habet dictum Hospitale, et quod possent vocari Fratres, et de eorum exemptione a sancta Matre Ecclesia, ipse cum esset magnæ reputationis in Curia, acquisivit. Ipsis etiam Fratribus Hospitalis modum vivendi et ordinem tradidit: sed et ipsi Domino Hospitalis, qualiter deberet *i* indui, ordinavit: *et ordinandum* quod, usque ad tempus venerabilis memoriæ Domini Joannis, servatum fuit.

10

A

Dei amore et devotione fervens,

10 Tanta etiam devotione afficiebatur cor ejus ad Dominum ut cuncta sibi amarescerent, et solus Deus dulcesceret animæ suæ. Tædium erat ei cogitare nisi de Deo vel loqui : quod manifeste potest patere, cogitanti qualis fuerit in vita ejus : nam usque ad decrepitam ætatem, quando homo defectus senio cogitur a labore cessare, hic videbatur in Dei servitio omni die viribus convalescere. Nam semper in nocte erat prior ad Matutinas, diu semper in oratione manebat, semper, aliis occupationibus penitus dimissis, magis solicitus ad omnes Horas. Missam omni die infallibiliter, nisi infirmitate detentus, devotione fervida celebrabat : nec, postquam dixerat, ad communia verba redibat ; sed in cella se claudens, usque ad Tertiam in oratione manebat. Juvenes, quos ad Ordinem venire cernebat, quia eorum innocentiam et puritatem considerabat, et quia Deum in ipsis venerabatur, tenerrimo amore et paterno affectu amabat : et quando ad S. Leonardum de Silvalacus ad eum videndum adibant, suis manibus serviebat, et pabulo verbi Dei eos pascebat. Et si aliquando aliquem vel exire Ordinem, vel non plene agere quod debet, cerneret ; pius Pater pias lacrymas emittebat. Sed jam ad ordinem vitæ ejus, unde aliquantulum digressi sumus, reverti intendimus.

novitios accurate intruit.

ANNOTATA.

a *Ignoscendum Auctori, quod more sui ævi futiles nominum interpretationes præponat. Ita norunt omnes et explodunt actum in Historia Longobardica sive Aurea Legenda Jacobi de Voragine, qui eodem cum B. Augustino Novello vixit seculo, aliquot ante eum annis vita functus. De quo ejusque interpretationibus nominum, in Præfatione Generali ante Acta Sanctorum Januarii dictum est cap.* 1 §. 4.

b *Hebraice* Matan *est* donum. *Sed quidni a Græco idiomate sumpserit originem, in quo* μάταιος, *idem est quod nobis* homo vanus et demens, *ut qui a vanitate et stultitia mundi fuerit ad meliorem vivendi rationem conversus? quidni idem quod sub aliis punctis* Matathias ?

c *De* castro Terano *supra actum.*

d *Pater ejus* Joannes de Termes, *et avus* Olyverus, Frederici Consiliarii, *indicantur in Privilegio Manfredi Regis.*

e Manfredus, *Frederici Imperatoris filius nothus ; pro fratre Conrado administravit regnum Siciliæ ab anno* 1251 ; *et hoc anno* 1253, *die* 21 *Maji extincto, paulatim Siculos in suam fidem attraxit; ac postea, anno* 1258 *die* 10 *Augusti, Rex Panormi coronatus est.*

C

f *Hic est* Carolus Andegavensis, *frater S. Ludovici Regis Francorum : a quo debellatus est Manfredus in conflictu ante civitatem Beneventanam, anno* 1266 *die Veneris* 26 *Februarii, et occisus.*

g Quæsta, *eleemosynæ corrogatio.* S. Petrus Thomasius *Ordinis Carmelitarum* unam quæstam fecit, apportando mille florenos de quæsta unius diei. *Ita Philippus Mazzerius in ejus Vita* 29 *Januarii num.* 12.

h Hospitale *illud, sive (ut Ughellus tomo* 3 *Italiæ sacræ acturus de Senensibus Episcopis colum.* 619*) appellat,* famosum xenodochium de Scala, a B. Sororio fundatum : opus sane memoria dignum, cœptum ab sutore, auctumque lapsu temporis variorum collatione et liberalitate, et ipsius redditus ad octoginta ducatorum millia exurgere est fama. *Nos ibidem fuimus anno* MDCLXI, *et die* VIII *Octobris totam hoc ædificium lustravimus, alia occasione latius de eo acturi. Quid autem huic Hospitali contulerit* B. Augustinus, *ex hac ejus Vita lector cognoscet.*

i *Est ibidem pictura ab anno* 1442 *facta, in qua B. Augustinus confert relato Restauro habitum Rectoris Hospitalis, cum hisce verbis Italice subscriptis :* Quomodo S. Augustinus Novellus det habitum Rectori Hospitalis.

D

A. COÆVO EX MSS.

CAPUT II.

Acta Augustini in Italia usque ad obitum.

e Sicilia in Prov. Senensem transgressus,

Postquam autem in eadem insula Siciliæ, de qua supra fecimus mentionem, fuit idem venerabilis Pater habitu sanctæ Religionis indutus, et ibidem non multo tempore cum suis Fratribus conversatus ; contigit quemdam Fratrem de Senis, nomine Bindum Nenni, ex obedientia Ordinis ad insulam eamdem accedere. Quem videns vir Dei, interrogabat de locis Senensis provinciæ : didicitque ibidem esse loca ab hominum habitatione *a* semota, et ad vacandum Deo plurimum apta : et licentia a majori obtenta, venit ad Senensem provinciam, paucis et vilibus pannis indutus, Fratribus illius provinciæ penitus ignotus, Deo autem notus et approbatus. Et positus in quodam eremitorio, quod S. Barbaræ [dicatum] conditum fuerat prope castrum de S. Flora, soli Deo vacabat : tantumque delectabatur quod videretur *b* Beatorum agminibus interesse, et beatæ quietis præmium degustare. Quia autem non cognoscebatur qualis et quantus esset, imponebantur sibi humilia servitia domus; quæ ipse humilitate sedula et caritate fervida adimplebat. Faciebat quæstas, purgabat domum, paropsides et alia domus supellectilia abluebat; sed et omnia alia, prioris vitæ fastu omnino deposito, voluntarie exercebat. Quamquam esset humilis et abjectus in oculis suis, considerabant tamen Fratres perfectam conversationem ejus, et morum gravitatem, et verba vitæ quæ semper ab eo prodibant, et libenter eum audiebant. Erat autem ibidem Prior Frater quidam de Senis, Fr. *c* Bonus vocatus, Frater satis venerabilis et sufficiens, qui diu postea fuit Vicarius D. *d* Rainaldi Senensis Episcopi : qui considerans ejus bonitatem et consilia saluberrima, ultra quam videret de eo existimabat, delectabaturque de ejus humilitate, morum gravitate, et eloquiorum suorum suavitate. Cum igitur idem Fr. Bonus a Conventu S. Barbaræ transferretur ad locum *e* S. Antonii, secum eum adduxit : et alio sequenti anno factus Prior *f* Rosiæ etiam secum retinuit ; et quamvis eum non agnosceret, venerabatur ut patrem : in quo loco B. Augustinus manens, licet invitus, factus est notus et manifestus.

E

humiliter vivit ad S. Barbaræ :

Rosiam abducitur :

occasione scripturæ cujusdam a se factæ :

12 Cum Fratres conventus Rosiæ quamdam in Curia haberent quæstionem, in qua jam Fratres succumberent ; et de hoc nimium tristarentur, cum ex hoc quamdam possessionem perderent, ex qua Conventus multum sustentabatur; voluit Deus lucernam, quæ diu sub modio fuerat, super candelabrum Sanctæ Religionis imponere, ut luceret omnibus qui in ipsa erant. Videns igitur vir sanctus Fratrum animos perturbatos, et cognoscens Fratribus injuriam maximam fieri, Procuratorem adiit, petens sibi occulte aliquid ad scribendum. Procurator vero deridebat eum, ignorans quod legere sciret vel scribere : ipso tamen perseverante petere, porrexit sibi chartam, calamum, et atramentum, ut dixerat. Scripsit autem pauca verba, sed scientia multa : quam scripturam exhibuit, tradendam Procuratori adversario D. Jacobo, patri D. Neri de Pagliaresis. Quam scripturam cum legeret D. Jacobus, verborum brevitatem et scientiæ virtutem considerans, ait : Diabolus, vel Angelus, vel D. Mathæus de Therano, cum quo ego fui studens Bononiæ, qui ortuus est in conflictu D. Regis Manfredi, hanc scripturam condidit. Et audiens a Procuratore quod quidam Frater rusticus et ignarus hanc scripturam condidit, alii : Non, inquam, ita est. Et statim descendens ad locum Fratrum Eremitarum de Senis, accersitos Priorem Fr. Placitum et plures alios Fratres

F

agnoscitur et indicatur ab olim condiscipulo.

A. COÆVO EX MSS.

A Fratres rogavit, quis esset hujusmodi Frater, et cujus patriæ, et qualiter accesserit huc. Et ex responsione Fratrum suis conditionibus cognitis, suspicatus est esse qui erat : et statim accedens Rosiam, et videns quem mortuum existimabat, admirans ejus humilitatem, ruit in amplexus et oscula ejus, lacrymas devotionis continere non valens. Et cum rogaret eum idem venerabilis Pater, non perturbare pacem suam eum manifestando; nullatenus acquievit, sed ait Fratribus : Fratres, habetis thesaurum occultum; hic enim est melior homo mundi; teneatis ergo eum ut decet : sed et quæstio vestra est terminata pro vobis. Cœperunt ergo Fratres eum venerari, et sibi reverentiam exhibere. Ipse autem vera humilitate fundatus, honores et omnem reverentiam respuebat; operaque servilia non dimittens, omnino sic permanebat.

g Factus Presbyter cum Generali Constitutiones ordinat :

13 Contigit autem, B. Augustino in eremo manente, venerabilem Patrem *g* Fr. Clementem, tunc Ordinis Generalem, ad Senensem conventum accedere : qui audiens celeberrimam famam ejus, accersitum eum in Socium suum assumpsit : ducensque eum ad Curiam, licet invitum, Presbyterum ordinavit. B Conversantes itaque ambo simul, composuerunt Constitutiones et modum vivendi Ordinis, multa ordinatione et sanctitate lucentes; ubi de cultu Dei, de caritate mutua, quam Fratrum unusquisque ad Fratrem habere debet; de officio Clericorum et laicorum, de receptione et nutritione Novitiorum, de electione Officialium Ordinis, de pœnis imponendis pro culpis, et de ceteris aliis, quæ ad modum vivendi Fratrum pertinent, tam sapienter et discrete tractatur, ut nihil possit judicari addendum vel minuendum.

h creatur Pœnitentiarius Papæ

14 Commorantibus itaque ambobus Venerabilibus viris per aliquod tempus in Curia, petivit Papa *h* Nicolaus a Generali dari sibi unum Confessorem in Curia sua, sufficientem atque idoneum : qui existente Summo Pontifice simul cum Cardinalibus in consistorio, adduxit B. Augustinum, virum idoneum et probatum. Et videntes Cardinales despectum in habitu, in facie austerum et rigidum, Generali dicebant : Ex qua silva adduxistis eum? Ductus itaque B. Augustinus ad pedes Summi Pontificis, et ignorans ad quid duceretur; cum Papa imponeret ei manus, auctoritatem suam tribuens; ita acerrime plorare cœpit, ut Papam et Cardinales provocaret ad planctum. Inerat ei appetitus, ad eremum, ubi prius conversatus fuerat, revertendi, ut soli Deo C prout solitus erat vacaret. Summus autem Pontifex et Domini Cardinales, cognoscentes ejus humilitatem, et sanctam conversationem, et scientiæ ipsius facunditatem, amplius quam credi possit venerabantur. Quamquam pius Pater cogeretur manere in Curia corpore, animo tamen morabatur in eremo, sicut post tempus apparuit manifeste. Mansit autem Venerabilis Pater in Curia supradicta Pœnitentiarius Summi Pontificis *i* annis viginti duobus, summo Pontifici et Dominis Cardinalibus ultra quam credi possit acceptus et gratiosus. In tantum enim gratia Dei exuberabat in eo, ut ipse Summus Pontifex et Domini Cardinales pio eum venerarentur affectu. Et cum quandoque, justitiæ zelo fulcitus, non solum obsecrando sed increpando argueret, patientissime audiebant, Deum in suo famulo venerantes : tanti enim judicii et ita celeberrimi consilii erat, ut viderentur e cœlo sonuisse verba et consilia, quæ sæpe ab eo prodibant.

Electus Generalis.

15 Eo autem tempore quo pius Pater in Curia morabatur Romana, contigit Generale Capitulum Mediolani celebrari : in quo Capitulo idem Vener. Pater unanimiter et concorditer in Generalem Ordinis, licet absens, ab omnibus de Capitulo est *k* D electus, Quam electionem nullatenus acceptavit : nec acceptasset, nisi per Summum Pontificem D. *l* Bonifacium fuisset ad acceptandum coactus. Præfuit autem Ordini annis duobus, multa caritate, humilitate, ac justitiæ zelo fulcitus. Humilis in exhortando, severus in corripiendo; omnibus benignus, licet sibi austerus : et quia gravissimum erat ei solitam pacem et dulcedinem devotionis ac contemplationis relinquere, et aliorum curæ intendere; festinavit regiminis onus deponere. Nam cum ex more Ordinis Capitulum de triennio in triennium celebrari consueverit, ipse pius pater devictus regiminis tædio, anno secundo sui regiminis, Capitulum *m* Neapoli fieri instituit; ubi licet ab Ordine urgeretur ad regendum, nullatenus acquivite. In quo etiam Capitulo devotus Rex, scilicet, *n* Carolus pater Regis *o* Roberti, tam Ordinis quam sancti viri devotioni affectus, *p* caput B. Lucæ Evangelistæ Ordini tradidit, instituens, omni anno ut B. Lucæ festum solenniter celebrari ibidem deberet (quod usque in hodiernam diem servatur) ubi tam Rex quam Regina et alii Regales, tam ipsius S. Lucæ devotione, quam supradicti Regis institutione, convenire consueverunt.

post biennium se abdicat :

accipit caput S. Lucæ Evangel.

16 Deposito itaque regiminis onere, ad Curiam minime rediit; sed statim, omnibus aliis omissis, ad E desideratam solitudinem : et in quodam Eremitorio, quod in honorem *q* S. Leonardi conditum fuerat, cum paucis sibi adjunctis Fratribus, quiescebat ad umbram divinæ contemplationis ac spiritualis dulcedinis; dimissisque omnibus aliis curis, soli Deo vacabat. Jamque beatæ quieti sibi videbatur adesse : nec poterat tamen lumen, quin manifestaretur, latere. Nam alii homines de Senis longe manentes, audientes famam sanctitatis ejus eum adibant : quos ipse verbo vitæ et sanctitatis exemplo omnes reficiebat : nec erat aliquis tam passionatus tamque afflictus, qui non consolatus ab eo discederet et qui Deum non veneraretur in eo. Nam et quidam nobilis vir D. *r* [Joannes] Præpositus, de Salibenis vocatus, cum ex monte matris esset tam afflictus ut tæderet eum etiam vivere; consilio suorum amicorum ad eum accessit : et audiens dulces exhortationes ejus, amplius quam credi posset admirans, ait : Ego nollem matrem meam vivere, nam ego tantam consolationem minime percepissem.

degit in Eremitorio S. Leonardi :

consolatur afflictos :

17 Cum autem stetisset idem Venerabilis Pater in eodem eremo anno *s* ferme decem, postquam regimen Ordinis dimiserat, voluit eum Deus a mundi exilio et carnis suæ sarcina liberare : cœpitque, ultra modum consuetum suæ infirmitatis, molestias F alias corporis sustinere. Et vocem Dei se vocantis intelligens, pluribus Fratribus dixit, et rogavit ut suo obitui interessent : ex quo manifestum est suam mortem spiritu cognovisse. Perveniens autem ad ipsum vitæ extremum, ita sana mente et sensu semper permansit, ac si nullam alterationem haberet in corpore. Et cum adessent obitui suo multi Nobiles de Senis, ipsis et Fratribus omnibus patefiebat ex gestu, ipsum ad æternas epulas accedere invitatum : sicque adstantibus sibi Fratribus et orantibus, spiritum Deo reddidit. *t*

prævisa morte pie defungitur :

18 Fuit autem obitus ejus [revelatus] cuidam magno et probato longo tempore, [qui vocabatur] Fr. Petrus de *u* Camerata, qui circa viginti annos manens in quadam eremo, ubi erat unus locus Ordinis relictus, ex licentia Ordinis in magna austeritate et sanctitate vitæ permansit. Hic etiam B. Augustino magno afficiebatur amore. Cum itaque Fratres vellent B. Augustinum in extremis ferme positum recreare, miserunt duos Fratres, Fr. scilicet Bonaventuram de Monte-Puliciano, et Michaelem de Podio Bonizi, ad dictum Fr. Petrum de Camerata : cujus mansio manebat a civitate fere milliaribus XIV, ut

ejus mors alteri procul posito revelatur.

A ut dignaretur venire et visitare tantum Patrem. Qui Fr. Petrus, egressus aliquantulum extra cellam obviam illis Fratribus, antequam sibi suum propositum panderent, ait quadam lacrymabili voce : Fratres, non est necesse, ut ego veniam : Pater enim noster Augustinus migravit ad cœlum, et ego recommendavi animam modo Deo. Revertentes autem Fratres missi, cognoverunt eadem hora, qua venerant et talia verba audierant, B. Augustinum Deo spiritum tradidisse. Ex quo manifeste patet, quod idem B. Petrus, in cella sua corporaliter tam longe manens, erat spiritu præsens, prout patuit in effectu.

ANNOTATA.

a *Famosa in primis est* sacra Lecitana silva, *quam præclare descripsit Ambrosius Landuccius, libro Romæ excuso anno* 1675; *ubi Beatis hujus loci annumeratur Augustinus Novellus. Fuimus nos anno* 1661, *die* 12 *Octobris in Lecitano S. Salvatoris monasterio, a R. P. Bartholomæo Moronti Priore benignissime excepti,*
B *descripsimusque quæ ad nostra spectabant studia : distat Senis vix sesquihoræ itinere.*

b *In Montanis, vulgo* la Montagnata *dictis, versus ditiones Pontificias, spectatur oppidum vulgo* S. Fiore *dictum, Comitatus titulo insigne, ad caput cognominis sibi fluvii. Orlandus Malavoltus part.* 2 *Historiæ Senensis lib.* 5 *ad annum* 1331, *describit controversiam Comitum S. Floræ cum urbe Senensi, et quibus conditionibus fuerit pax composita. In Lecitana historia pag.* 68 *appellatur conventus* S. Barnabæ in Sancta Flora, *et pag.* 61 *solum* S. Floræ.

c *Aliquod elogium* Boni *habent dictus Landuccius pag.* 98, et Beatum *appellat : Herrera in Alphabeto Augustiniano par.* 1 *pag.* 92, Venerabilem *nuncupat.*

d Rainaldus *ordinatus est Episcopus anno* 1282, *vita functus anno* 1307.

e *Conventus* S. Antonii in Valle-Aspera *in Ardinghesca, subjectus Congregationi Lecitanæ, ab urbe Senensi dissitus est* XVIII *M. P. Plurima de hoc Conventu leguntur apud Landucium pag.* 57 *et seqq.*

f *Conventus* S. Luciæ in Valle-Rosia, 9. m. p. *distat Senis, ut dicitur in Appendice : pluribus de eo agit Herrera parte* 2 *fol.* 257.

g Clemens de Auximo, *de quo supra egimus, mortuus anno* 1291 *die* 5 *Aprilis, miraculis clarus, uti ad illum diem in ejus Vita diximus.*

C h Nicolaus IV Papa *electus est* 25 *Nov. anni* 1277.

i *Hi anni sunt valde incompleti. Nam esto adhuc anno* 1277 *fuerit assumptus, istius anni pauci menses, et pauci menses anni* 1298, *pro completis annis sumendi sunt, ut requisiti anni* 22 *habeantur.*

k *Electus est* 25 *Maji anni* 1298.

l *Hic est* Bonifacius VIII, *qui successerat anno* 1294 *cum se Pontificatu abdicasset S. Cœlestinus V, uti jam retulimus in hujus Vita.*

m *Anno* 1300 *Kalendis Maji.*

n *Hic est* Carolus II, *filius et successor in regno Caroli primi patris sui, ab an.* 1285.

o *Hic est* Robertus, *dictus* Sapiens *et* Bonus, *successit patri anno* 1309, *mortuus anno* 1343; *quo regnante hæc Vita est conscripta.*

p *Joseph Pamphilus in Chronico appellat* Reliquias capitis D. Lucæ, quæ hodie multa cum veneratione in ecclesia S. Augustini Neapoli custodiuntur.

q *Conventus* S. Leonardi *distat* 4 m. p. *Senis, et unico a monasterio Licetano : cognominatur* della Silva de Lago : *de eo latius infra agitur, nec non apud Herreram parte* 2 *fol.* 33, *qui ait, an* 1251 *unitum fuisse ipsi Lecitano conventui.*

r *Octavio Cajetano, ex Jordano, dicitur* Joannes cognomento Salimbenius.

s *Imo annus decimus solum inceperat cum initio* D *Maji.*

t *Anno* 1309 *feria secunda Pentecostes,* 19 *Maji, uti infra confirmatur.*

u *Herrera tom.* 2 *pag.* 241 *elogium ejus habet hoc exordio* : B. Petrus Florentinus, a loco Cameratensis, ubi vitam beatam duxit, a Camerata cognominatus, spiritu prophetiæ, et multis miraculis fulgens, discessit e Vita.

CAPUT III.

Miracula post obitum.

Quidam juvenis de *a* Massa, laborando in quadam fovea, stando in fovea, terra cecidit super eum in tanta quantitate, quod mortuus inde extractus fuit. Soror autem, videns fratrem suum mortuum, recommendavit ipsum B. Augustino, ut si eum a mortuis resurgeret, quod veniret ad monumentum ejus pedibus discalceatis, et unam imaginem pulchram et magnam, sicut erat ipse, faceret : et facta oratione devote, ipse oculos aperuit, et aliquid comestibile sumpsit. Stetit autem mortuus per diem et noctem, et precibus B. Augustini ad Deum liberatus est. Quædam puella, filia cujusdam *b* Mezaioli D. Ugonis, cecidit in quamdam foveam plenam aqua, et suffocata est. Pater ejus et mater quæsierunt eam per diem unam, et die sequenti in tertiis reinvenerunt eam. Capientes autem eam et extrahentes de fovea illa, reportaverunt ad domum : et voverunt eam B. Augustino, ut si illam juvenem resuscitaret, quod facerent sibi quamdam magnam reverentiam.

a Resuscitantur mortui juvenis

b et puella :

19 Quidam de comitatu Senensi dormiebat in quodam suo agro, et dormiendo quidam serpens intravit per os ejus in corpus ejusdem. Venit autem Senas, et nullum medicum invenit, qui eum ab illo serpente liberare posset. Recedendo autem de Senis quasi desperatus, quidam qui erat ad portam civitatis dixit sibi. Quare non facis votum B. Augustino Fratrum Ordinis S. Augustini, et liberaberis? Qui statim recommendavit se B. Augustino devotissime : et coram multis astantibus serpens ille exivit, per os illius qui passus fuerat, et liberatus est.

serpens evomitur :

20 Quidam juvenis de Senis passus fuerat magnam infirmitatem in parte inferiori, scilicet quod *c* fractus fuerat : stetit autem in illa infirmitate per magnum tempus : vovit autem se B. Augustino, et facta oratione liberatus est. Votum autem quod promisit B. Augustino facere, non fecit : et statim illud malum, quod primo habebat, iterum habuit, et passus fuit postmodum illam infirmitatem sex mensibus : et iterum vovit se B. Augustino devote, et facto voto liberatus fuit ab illa infirmitate : et quod sibi promisit obtulit B. Augustino.

c curatur bis hernia :

21 Quædam femina de Senis peperit unam puellam, et ista juvenis non habebat lac, unde posset nutrire filiam suam : erat autem paupercula juvenis, unde non poterat dare nutrici propter paupertatem nimiam. Mater autem illius juvenis, quæ peperit illam puellam, erat vidua, et magno tempore steterat quod non habuit lac. Vovit vero se B. Augustino, ut si de lacte habere posset, ut filiam suæ filiæ nutriret, quod faceret sibi illam reverentiam quam sua paupertas poterat satisfacere : et facta oratione statim lac habuit, et filiam suæ filiæ nutrivit, et votum quod sibi promisit fecit.

alendo infanti lac obtinet anus

22 Quidam puerulus filius D. Monæ *d* Margaritæ, Uxoris Miguccii D. Joannis Paganelli de Senis, erat in cuna : et nutrix ejus ducendo cunam ut pausaret, accidit quod funiculus cunæ fractus est, et puer percussit caput in murum : unde ex percussione capitis in murum, factum est caput ejus sicut una guastella :

d sanatur caput infantis confractum

A COÆVO EX MS.

A stella e: erat autem puer fere sex mensium. Unde mater ejus plorabat fortiter, et clamabat acriter, quia videbat filium suum sic male peractum. Unde Mona Nera D. Joannis Paganelli cœpit caput pueri reaptare, quasi esset cera: et sic reaptando vovit puerum B. Augustino, ut si illum ab illo malo liberaret, ipsum offerret super altare suum, vestitum ad modum sicuti esset Frater: et facto voto devotissime, statim puer cœpit plorare, et mamillam sugere, et liberatus fuit. At eum mater sua portans ad locum, ei fecit sicut promisit.

acus manui inhærens educitur.

23 Uxor Bindi de Maladerata de Senis, una die cecidit in terram, et cadendo sic posuit manum suam ad terram, ut sibi non faceret magnum malum; sed una acus erat ibi ubi ceciderat, et intravit in manum ejus: unde illa Domina suscepit maximum dolorem, et non exivit sanguis propter hoc, ita quod non poterat illa perpendere quid esset in manu: at ipsa faciens multa argumenta, et vadens ad balnea, nihil proficiebat. Et stetit illa acus in manu ejus par annum: unde quod illa veniens ad festum B. Augustini, stando ante altare, vovit se sibi, quod si de illo malo illam liberaret, magnam B reverentiam sibi faceret. Et facta oratione cœpit ipsa cum alia manu illam partem, in qua erat acus, confricare: et statim apparuit f puncta acus: et videndo acum, coram multis adstantibus extrahit acum de manu, et liberata fuit, et reverentiam quam sibi promisit adimplevit.

ANNOTATA.

a Massa, *urbs Episcopalis sub Metropoli Senarum, a qua distat* 35 p. m. *versus Populonium*, 18 p. m. *inde dissitum.*

b Mezajolus *seu* Mezariolus, *dicitur colonus, medietatem fructuum cum domino dividens, quales apud nos ad Mosæ tractum plurimi, Teutonice* Halvenaers: *est autem Italis* Mezo *seu* Mezzo, *medietas.*

c *Jordanus*, utpote qui ruptus erat. *Dein sequentia miracula omittit. Sed sub finem apud Cajetanum ista adduntur:* Ceterum B. Augustini corpus in oratorio S. Leonardi sepulcro marmoreo servatur, ubi singulis annis proximo post solennia die, memoriæ ejus ac nomini solennes publicique honores habentur, ad Dei gloriam in Sanctis suis. *Hæc ibi: quibus in Animadversionibus suis addit Cajetanus: dictum sepulcrum marmoreum servari super aram a dextra* C *altaris majoris, et se anno 1597 Senas devenisse, et edoctum de sancti viri sepulcro, oratorium S. Leonardi adivisse, et sacras B. Augustini Reliquias veneratum fuisse. Sed hæc de Reliquiis nonnullis: nam corpus ad monasterium S. Augustini in urbe Senensi olim delatum fuit.*

d Mona, *videtur honoris causa præponi nomini alicujus Matronæ, quasi contractum ex* Madona, *Domina mea.*

e Guastella *videtur accipi pro Phiala seu vasculo vitreo: sic enim invenio quod dicatur* Guastada: *alias* Guastellus *et* Wastellus *placentam significat, sive libum ex ovis, lacte ac polline temperatum.*

f Punta *Italis, Gallis* Pointe, *id est, Cuspis.*

APPENDIX I.

Examen ad probationem antiqui cultus anno MDCXXXVIII.

Mandato Generalis inquisitione facta,

In Dei nomine. Amen. Cum Admodum Reverendus Pater Magister Ægidius Mediolanensis, Syndicus et Prior Generalis Augustinianæ Religionis, diebus proxime elapsis scripserit litteras Adm. Reverendo Patri Magistro Aurelio de Salvenienis de D Castiglione Florentino, ad præsens Conventus Religionis Augustinianæ Senis Priori; aliasque litteras scripserit R. P. Othoni Petruccio Senensi ejusdem Religionis, curaturis, ut dixerunt, authenticari facere memorias, miracula et alia quæ hisce in locis B. Augustini Novelli reperirentur; in prædictarum litterarum executionem convocato Capitulo, in supradicto Venerabili monasterio, a dicto Adm. R. P. Priore suorum Confratrum, fuerunt pro hujusmodi effectu duo electi et deputati Patres ejusdem Conventus, videlicet R. P. Otho Petruccius Senensis prædictus, et R. P. Jacobus Orlandinus pariter Senensis et Syndicus ejusdem Conventus, uti tam ipsi quam dictus Adm. R. P. Prior dixerunt apparere in libro deliberationum ejusdem Conventus. Hinc est propterea, quod anno a salutifera D. N. J. C. Incarnatione MDCXXXVIII, Indictione septima stylo a Senarum, die vero XXII Decembris, Urbano VIII summo Pontifice sedente, Ferdinando Austriæ III Romanorum Imperatore electo regnante, et Sereniss. D. Don Ferdinando Magno Hetruriæ Duce V Domino nostro feliciter dominante.

inveniuntur Senis altare imago et corpus Sancti;

E 2 Ego Notarius, stante electione de me facta ab iisdem pro eorum Notario ad effectum prædictum, cum viderim quam pluries in eorum Ecclesia Senis adesse altare ejusdem Beati, in tabula picta stantis in medio arborum, induti Augustiniano habitu, et habentis Angelum ad aures, et librum rubeum in manibus; in eademque tabula aliqua miracula ejusdem Beati, et quod in altari est capsa marmorea cum hac inscriptione particulari, HIC JACET CORPUS B. AUGUSTINI NOV. SENEN. ORD. EREM. et cui stat ante continuo lampada accensa; ivi simul cum dictis RR. Patribus in primis ad locum nuncupatum Val di Rosia, distantem a civitate Senarum per milliaria IX circiter, ubi adest quædam ecclesia in medio nemorum, nuncupata S. Lucia di Val di Rosia dictorum RR. Patrum, ubi continuo morantur duo Patres ejusdem Religionis, alter Sacerdos, alter vero laicus: et celebratur saltem omni die festo Missa, et bis in anno duo solennia, in festo videlicet S. Luciæ ac in festo dedicationis dictæ Ecclesiæ, magno populorum convicinorum concursu. Et aspicientes diversa, tam intus quam extra muros dictæ ecclesiæ, inter alias imagines Sanctorum diversorum in lodia b dictæ ecclesiæ, [vidimus] imaginem in pariete pictam, similem illi supradicti altaris in eorum ecclesia principali Senis; videlicet in medio duarum arborum, habentem ad alteram aurem Angelum. Et F quia non recte cognoscebatur Angelus, præ humiditate et tumescentia cum salenitro, et distantia ab humo, ideo accepimus scalas; et ascendentes ad eam, vidimus et cognovimus recte esse Angelum. Ac in charta pecudina, supra tabellam posita in sacro adyto, antiquo charactere scripta vidimus hæc formalia verba, videlicet c. Anno Domini MCCLXXVI, Clementis Papæ Quarti III, opera B. Reinerii restaurata fuit ecclesia hæc, et ornata picturis, paramentis atque Reliquiis. Deinde Reverendissimus Episcopus Volaterrarum, motus bonitate et sanctitate Patrum hujus loci, consecravit prædictam ecclesiam, ad honorem Dei et sanctissimæ Matris ejus, nec non gloriosi Patris S. Augustini et S. Luciæ Virginis ac Martyris: et ita attestor pro veritate, ego Notarius supradictus.

in Valle Rosia imago;

et in conventu S. Leonardi,

3 Discedentes illinc postea eadem die, et facientes iter ad conventum sub titulo et devotione D. Leonardi, procul Senas per milliaria quatuor circiter, ingressi ecclesiam cum Adm. RR. Patribus ejusdem conventus, postquam genibus flexis aliquantum oravimus, simul etiam cum aliquot rusticis ejusdem loci S. Leonardi, et Adm. Rev. D. Angelo, Curato ecclesiæ Communitatis S. Columbæ, loci contigui, et

A et animarum et etiam populi S. Leonardi; vidimus picturam integram, apud pulpitum et altare dictæ ecclesiæ, similem supradictis et optime conservatam: et ab omnibus et publice, absque interrogatione a dicto Adm. R. D. Angelo, postea vero ab aliis infrascriptis sed interrogatis, fuit dictum et affirmatum, audivisse publice, eamdem imaginem esse B. Augustini Novelli. Et descendentes de dicta ecclesia per scalam duodecim graduum, aliquantulum angustam, fuimus quoddam oratorium sive sacellum ingressi; vidimusque altare cum infrascriptis picturis, sive imaginibus antiquis in tabula, id est, B. Virgine Maria in medio, deinde S. Joanne Baptista, S. Augustino, S. Leonardo *d* induto formali habitu nigro dictæ Religionis D. Augustini (etenim intus capuccium nigrum videtur delineatum album, in medio præcincto corrigia, et in manibus librum rubeum habente) ac B. Augustino Novello, cum Angelo ad aurem ut supra, et cum his verbis, S. AUGUSTINUS. Quo in oratorio intus murum vidimus locum arcuatum, latitudinis brachiorum duorum circiter, longitudinis vero brachiorum trium circiter, ubi adest similitudo Domini nostri Jesu Christi

imago duplex.

d

Item cum frequenti accursu die 2 Pentecostes,

B orantis in horto picta, et adest intus sedile, hujusmodi arcuatum circumdans. et ante versus altare, ubi adstabat Deo faciens dictus B. Augustinus Novellus, est proportionatum genuflectile longitudinis arcuati prædicti: quem ad locum concurrunt populi, sedituri et se prostraturi secunda die Pentecostes die sui obitus, partim devotionis gratia, partim vero ut ab aliqua ægritudine convalescant, sicut prædicta et infrascripta respective sponte [testatus est] Adm. R. D. Angelus, Presbyter Curatus ecclesiæ S. Columbæ prædictus, ætatis annorum sexaginta: qui dixit etiam in sua supradicta ecclesia habere in sirica pictum dictum Beatum, cum stemmate Nobilium Azzolinorum *e* Senensium, tacto pectore more Sacerdotali: Sanctesque Augustini de Pepis annorum sexaginta quinque, Dominicusque Antonii de Gazzeis annorum sexaginta quinque, Dominicusque Joannis de Joris annorum quinquaginta quatuor, Joannesque Baptista Antonii de Gagliardis annorum quadraginta quinque, tactis sacris, ad meam Notarii infrascripti delationem jurarunt, coram infrascriptis testibus, esse ejusdem B. Augustini Novelli, et devotionis gratia illius confecta, et ita audivisse publice; semperque a suis antiquis audivisse, tamquam talia venerata fuisse; semetipsos quoque et

e

imago in ecclesia S. Columbæ.

C alios omnes veratos fuisse, et adhuc in eadem veneratione permanere. In parietibus dicti oratorii, habentis in *f* voltis diversas diversorum Sanctorum picturas, cum Evangelistis pariter pictis, adsunt picta, videlicet dicti Beati admirabilis ingressus in Augustinianam Religionem; ejus mala valetudo jacentis in lecto, ubi videtur mittens vocandos Religiosos, quod bis reiteratum duobus aliis subsequentibus in locis videtur; quando dictæ Religionis cœpit habitum ab uno dictæ [Religionis] Augustinianæ Fratre, videtur genibus flexis, [reverentiam] faciens Crucifixo, indutus habitu Religionis prædictæ; videntur [etiam] multi pauperes et claudi, recurrentes ad ipsum, eleemosynam et gratiam reportaturi: videntur alia particularia, sed non recte perpenduntur ob temporis vetustatem, quæ propterea prætermittuntur: sed bene et recte videtur ejusdem Beati caput cum splendoribus, et aliquæ aliæ personæ orationem aperte habentes cum uno religioso: videtur ipse Beatus librum tenens, et secus sive a parte videtur stans bubulcus: item cum splendoribus videtur orans ante Crucem etc.

f

Res ejus gestæ exprimuntur pictura in fornice,

et caput cum splendoribus.

4 Ego Dominicus Julii qu. Joannis de Boschis, Notarius publicus et civis Senensis, quia hæc vidi et audivi, ideo requisitus in notam sumpsi, et in

subscribentibus Notario et Testibus.

D hanc publicam formam redegi, meoque solito signo munivi, ad laudem Dei, Beatissimæ Virginis matris Mariæ, D. Dominici, S. Luciæ, et B. Augustini Novelli. Acta prædicta fuere dictis in locis, et (quoad ea quæ visa et audita) in ecclesia S. Leonardi Conventus S. Leonardi, coram et præsentibus Bartholomeo qu. Hieronymi del Banda, et Sebastiano qu. Hieronymi de Senis, rusticis in prædicto communi S. Columbæ, die XXIII dicti mensis.

EX MS. PROCES.

5 Regressi Senas, simul una cum D. R. P. Mag. Othone, contuli me ad Hospitale magnum S. Mariæ Scalarum: et prævia licentia Illustriss. Rectoris illius loci D. Laurentii de Daccis Nobilis Senensis, ivi in locum nuncupatum il Pellegrinario, sive Infirmaria vecchia, ubi adsunt quam plurimæ picturæ diversorum Sanctorum, Beatorum, Evangelistarum, Prophetarum, et similium: inter quas de anno millesimo quadringentesimo quadragesimo secundo, optima manu pictas et optime conservatas, pictum B. Augustinum Novellum vidi, induentem habitu Rectoris Rectorem Hospitalis, cum his infra verbis præcisis *g*. Quomodo S. Augustinus Novellus dedit habitum Rectori Hospitalis.

In hospitali est pictura dantis habitum Rectori ejus.

g

E 6 Die sequenti, videlicet XXIV ejusdem mensis annique, simul cum dictis RR. Patribus, ivi ego Notarius supradictus in Archivium dicti Conventus S. Augustini Senis: et vidi duos libros in quarto folio, alterum in charta pecudina cum *h* copertis ligneis et suis fimbriis de ottune *i* in fine; et alterum in charta ordinaria, sine copertis, sed antiquo charactere scriptos et bene retentos, in quibus sunt descripta Vita et multa miracula dicti Sancti.

Vita et miracula in duplici MS

h

i

7 In ecclesia ejusdem Conventus vidi altare cum capsa lignea antiqua, in qua, ut asseruerunt dicti RR. Patres, jacebat corpus d. Beati, antequam missum fuisset in prædictam capsam marmoream: in qua capsa lignea sunt quatuor picturæ antiquæ, sed bona manu et bene conservatæ, quas dixerunt esse in memoriam dicti Beati: prima videlicet, quando ægrotus jacebat in lecto, et suos servos mittebat vocaturos religiosos Religionis prædictæ, sed in actu discessionis eorum alter valde est humiliatus, alter respicit unde discedit. In secunda videntur duo Patres, simul cum dictis servis, et D. Augustinus in aere, qui manibus retrudit illos ad d. Beatum ægrotum. Tertia continet d. Beatum cum splendoribus aureis, indutum tunica, patientia *k* ac capuccio albis, et corrigia nigra, genuflexum ante altare, imo

capsa lignea vetus, in qua pingitur,

vocatio Beati, assumptio habitus,

k

F coram Religioso in ecclesia habitu Augustiniano induto, similante Superiorem d. Religionis; eumque recipientem ibi habitum nigrum multa cum humilitate, habentem retro suos servos, nunc aliis vestibus vestitos quam prius, quando ducebant Religiosos ad ægrotum. In quarta pictura apparet d. Beatus cum suis aureis splendoribus, vestibus sacris indutus, genuflexus ante Episcopum nigra veste vestitum, ponentem illi planetam: ex quibus apparet illius ad [Sacerdotium] ordinatio. Ibi adstantes videntur alii Fratres ejusdem Religionis. In sacristia in quadrata tabula picta, altitudinis unius brachii circiter et latitudinis similis, apparet quidam Religiosus, habitu Augustiniano cum splendoribus aureis, denotans Beatum sive Sanctum: cujus sinistræ pictus est Episcopus, habens pastorale, mitram ac pluviale, ac retro multos Religiosos habitu Augustiniano indutos ante portam ecclesiæ, recipientes quoddam caput in *l* baccino, cum splendoribus aureis, cum pompa porrectum a quodam Rege, habente secum multos variis vestibus vestitos et ornatos, cum vexillo Regis, medio nigro et medio albo in alto, cum magna Cruce *m* aurea cum aliis sex Crucibus parvis intermediis, et in parte nigra videntur aliqua lilia aurea, et in vertice pariter lilium aureum: quam

ordinatio,

acceptio capitis S. Luciæ

l

m

Ex MS proces.

A quam effigiem dicti RR. Patres dixerunt esse ejusdem Beati, recipientis Neapoli gratis D. Lucæ Evangelistæ caput. Et quia hæc vidi, legi et audivi ego Notarius publicus, ideo hic publice attestor requisitus. Sequitur subscriptio Fabii Sergardii Patricii Senensis, Generalis Vicarii Illustriss. Archiepiscopi et testium duorum.

8 In Dei nomine Amen. Anno Incarnationis prædicto, die XXVIII mensis prædicti...... Vocatus ego Dominus Boschus, qui supra a præd. R. P. Mag. Othone Petruccio Senensi, iterum in præd. Senarum Ecclesiam, sub titulo et devotione S. Augustini alias *n* B. Augustini Novelli, inter aliquas parvulas picturas existentes in altaribus (altero videlicet sub nomine et devotione S. Stephani Protomartyris, Nobilium Dominorum de Pinis; et altero antiquissimæ et nobilissimæ familiæ de Ghinuccis, vulgariter altare Dominæ nostræ a partu) visurus imagines illic propterea collocatas in altaribus prædictis; inter parvulas imagines diversorum Sanctorum et Beatorum, vidi in illo Dominorum de Pinis pictum Sanctum sive Beatum, cujus non adest illic scriptum neque sculptum nomen, habentem librum rubeum in manibus, et ad aurem dexteram columbam: quod dixit præd. P. Mag. Otho Petruccius esse in honorem hujus Beati. In illo autem nuncupato Dominæ nostræ a partu.... antiquissimæ familiæ de Ghinuccis, vidi picturam d. Beati, cum Angelo ad aurem, sed aliquantulum deleto vetustate, et infra antiquo charactere hæc verba, Sanctus Augustinus Novellus: quæ omnes picturæ sunt eodem sive simili habitu Religionis Augustinianæ; declarans ulterius, in manibus d. Beati in altari Dominæ nostræ, esse pictum librum rubeum similem supradicto. In quorum fidem etc. *o*.

n Imago in altaribus S. Stephani

B

et Deiparæ.

o

ANNOTATA

a *Erravi ad diem 16 Maji, in prævio ad Acta S. Francisci Senensis Commentario, deceptus ambiguitate responsi Senis ad me missi, cum credidi, stylum Notarialem Senensium, ex Pisanorum et plurium aliarum per Tusciam civitatum usu, communis anni initium prævenire novem mensibus; cum fuerit econtra statuendum, quod Senenses, æque ac Florentini, annum protrahant tribus mensibus ultra Kalendas Januarii, usque ad* XXV *Martii. Sic autem optime conciliantur, primum Auctores omnes, qui B. Ambrosium Sansedonium,* XX
C *Martii defunctum, scribunt obiisse anno* MCCLXXXVI; *licet a Januario inchoantibus annum debeat dici mortuus* MCCLXXXVII: *deinde quomodo processus de B. Francisco Senensi, inchoatus anno* MDCXXII *mense Octobri, duraverit usque ad Februarium ejusdem anni, qui nobis cœptus erat* MDCXXIII *a Januario numerari. Id autem necessarium esse probatur, tum ex instrumentis de B. Ambrosio, mensibus Aprilis et Majo factis, et* XV *Indictionem cum anno* MCCLXXXVII *componentibus, tum ex hoc instrumento, ubi Indictio* VII, *mense dumtaxat Septembri inchoata, componitur cum anno* MDCXXVIII, *meritoque additur* Stylo Senarum; *quia stylo vicinarum Pisarum debuisset scribi annus* MDCXXXIX.

b Lodia, *sive* Logia, *porticum ecclesiæ annexam significat.*

c *Formalia verba Italice sunt ista:* L'anno 1276 del Signore, il 3 del Pontificato di Clemente IV, per opera del Beato Rinero, fu restaurata questa chiesa, et ornata di pittura, paramenti et reliquie: et fatto questo, il Reverendiss. Vescovo di Volterra, mosso dalla bonta et santita de, Padri de questo luogo, consogro la detta chiesa a honore di Dio, et della santissima sua Madre, del glorioso Padre S. Augostino, et di S. Lucia Virgine et Martyre. *Quæ maluimus Latine dare. Erat autem dicto anno* 1276 Raynerius Ubertinus Episcopus Volaterranus, *de quo consule Ughellum tomo* I *Italiæ sacræ, columna* 366. *Quis autem fuerit* B. Reinerius, *dictæ restaurationis auctor, ignoramus; nec ullam ejus mentionem invenimus apud Herreram in Alphabeto, Torellum in Centuriis, vel alios Augustinianos scriptores.* D

d *Colitur* S. Leonardus 6 *Novembris, et passim pingitur in habitu Levitico, nec hactenus Augustinianorum scriptorum aliquis eum adscripsit Sanctis sui Ordinis.*

e Decius Card. Azzolinus, *an.* 1585 *a Sixto V creatus, pro insignibus habet sex stellas aureas in campo cæruleo apud Ciacconium: sed is ex* Azzolinis Firmanis *est; an autem hi communia insignia habeant cum* Azzolinis Senensibus, *nescio.*

f Volta, *fornix, ex Chronico MS. Trudonensi de Reliquiis S. Eucherii Episcopi 20 Februarii num.* 1 *et alibi.*

g *Italice ita erat:* Come S. Agostino Novelo die l'abito a Rettore de lo Ispedale.

h Coperta, *id est,* Cooperculum.

i Ottone *et* Latone *aurichalcum dicitur, et vox posterior etiam ad Hispanos, Gallos, Anglos, ac Belgas modice variata transiit.* E

k Patientia, *Scapulare, non solarum Monialium (uti credidi ad Vitam S. Catharinæ Bonomensis* 9 *Martii num.* 37) *sed (ut hinc apparet) etiam virorum.*

l Baccinum, Bacile *id est pelvis, a Teutonico* Bac.

m Crux *illa major in campo albo, videtur Ducatum Calabriæ notare, quamvis hodie illa non aurea, sed rubra effingatur; nec adsint senæ cruculæ, hic pariter expressæ:* Lilia aurea *numero indefinito, pro more antiquiori Regum Francorum, etiam hodie Neapolitanæ urbi pro insigni sunt, sed in campo cæruleo: qui color, hic fortassis ab initio expressus, paulatim abiit in nigredinem.*

n *Videtur hic dubitare Notarius, utri* S. Augustino *sacra ecclesia sit, et forte posterius restaurata ea est, etiam sub nomine* Novelli, *quæ initio prioris dumtaxat nomen ferebat; uti patet ex instrumento anni* 1201 *apud Herreram parte* 2 *pag.* 409, *prius utique facto quam* Novellus *nasceretur.*

o *Sequebatur Notula P. Jacobi Orlandini Senensis, absque anno Italice scripta, post Reliquiam, de qua infra, Thermensi civitati (quam ille* Terni *vocat) concessam: qua asseritur inter alia, per annorum trecentorum spatium celebrari solitas continuo Missas in eo altari, in quo est depositum corpus Beati; ipsamque marmoream arcam antiquissimam esse; tunc autem cum Notula illa scriberetur, vixisse ibidem aliquos Patres, qui asserebant a se visas olim duas tabulas ex candido marmore vetustas, in quibus sculpta erant quædam Beati miracula: quod autem Notula sit scripta post annum* 1620, *intelligitur ex assignato Hymno,* Iste Confessor, *cum isto adhuc anno (ut mox apparebit) alius Hymnus recitaretur.* F

APPENDIX II.

Testimonia de cultu et Reliquiis Thermas in Siciliam missis, sub die XX *Aprilis anno* MDCXX.

Nos infrascripti fidem facimus, quomodo verum sit, quod in civitate Senarum in conventu S. Augustini Patrum ejusdem Ordinis, singulis annis celebretur festum B. Augustini Novelli Ordinis S. Augustini, secundo die Pentecostes, incipiendo a primis Vesperis, in quibus processione instituta itur ad ejus altare, cantando hymnum, Magne pater Augustine: et dum Patres accesserunt ad altare, cantant Antiphonam: Augustine via morum, norma Tu es monachorum, civibus junge Cœlorum catervam,

Festum 2 die Pentecostes.

A vam, quæ te Doctorum profitetur canonem. Dein Versus, ora pro nobis B. Augustine, ut digni efficiamur etc. Et additur Oratio : Creator omnium, ut infra. Ipso autem die festo cantatur Missa solennis de Spiritu sancto occurrens, et ad secundas Vesperas iteratur Processio, uti in primis Vesperis.

Ita est Mag. Fr. Bartholomæus de Ricciolinis Florentinus, Prior Conventus S. Augustini Senarum.

Ego Fr. Christophorus Senensis Secretarius confirmo.

Atque hæc, partim Italice, partim Latine, Vincentius Auria subjunxit Vitæ a se editæ, ut accepta ex Registro privilegiorum, ubi notantur privilegia et alia splendissimæ civitatis Thermarum, *fidem faciente ac subscribente* Antonio Mola Magistro Notario. *Addit deinde ex eodem Registro sub ejusdemque Notarii fide, testimonium Archiepiscopale* de corpore B. Augustini Novelli in civitate Senensi, ejusque adoratione ac miraculis, *hujus tenoris.*

Archiep. Senensis

10 Ascanius Piccolomineus de Aragona, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Senensis, B universis et singulis..... majoribus debitam reverentiam, ceteris vero salutem in Domino.... Cum justa petenti non sit denegandus assensus, et veritatis testimonium sit libenti animo concedendum; cumque pro parte Splendidissimæ Civitatis Thermarum, ad honorem omnipotentis Dei Sanctorumque suorum, ac nominatim B. Augustini Novelli, requisiti fuerimus, quod de infra contentis testimonium veritatis perhiberemus; ideo præcedente diligenti super infrascriptis nonnullorum fide dignorum, medio ipsorum Juramento habito, examinatione prævia, insuper personali visitatione altaris prædicti B. Augustini Novelli, in ecclesia Reverendorum Fratrum Ordinis Eremitarum S. Augustini in hac Senarum civitate, et sic super eisdem habita plena informatione; tenore nostrarum præsentium fidem indubitatam facimus atque testamur, qualiter in hac civitate et ecclesia præsenti Ordinis S. Augustini, corpus et altare prædicti B. Augustini Novelli, prædicti Ordinis repetitur erectum cum sepulchro marmoreo, sub inscriptione, videlicet : HIC IACET CORPUS B. AUGUSTINI NOVELLI ORDINIS EREMITANI, ejusque imagine, et figura cum Angelo ad aurem dexteram collocato, et quatuor prodigiis depictis, videlicet; Puer a cane ad mortem laceratus, et per B. Augustinum Novellum sanitati restitutus. Item puer ab alta cadens fe- C nestra, et in terra prostratus, ejusdem Beati voto surrexit illæsus. Item puer, trito capite, ad mortem deventus, ejusdem Beati voto illæsus apparuit. Et demum homo quidam a monte altissimo cadens, incolumis surrexit, Beati invocatione. Item testamur qualiter reperiuntur ad dictum altare et sepulchrum, dicti Beati corpus, et imago ac figura, anteque lampas die noctuque accensa : prædicta publice venerantur, et coluntur. In dicti Beati cultum et honorem Fratres dicti conventus, anno quolibet, die prima et secunda Pentecostes, simul cum Sacerdote, cappa serica induto thuribulum deferente, magna cum populi confluentia, devotione et veneratione, Hymnum de communi Confessorum, videlicet Iste Confessor, canentes, cum cereis faculis ad Beati ejusdem altare et appositis et accensis, ab antiquissima et numquam præscripta ac sine interruptione ullius temporis longitudine, processionaliter de immemorabili consuetudine accesserunt et accedunt; completoque dicti Beati Hymno; ac corpore et altari incensatis, cantores alta voce decantant; Ora pro nobis B. Augustine Novelle, Chorus respondet ; Ut digni efficiamur promissionibus Christi : Sacerdos autem decantans dicit; Oremus, Creator, conditor, et distributor omnipotens et misericors Deus, qui Beatum Augustinum Novellum D Confessorem tuum eremiticam vitam ducere, et miraculis coruscare fecisti; tribue quæsumus nobis famulis tuis, sic ejus vitam et mores imitari, ut cum eo consortes simus gloriæ Beatorum : per Dominum nostrum etc. Attestamur quoque, qualiter in dicto altari Beati Augustini Novelli quotidie Missa celebratur, nobis non repugnantibus, Sedeque Apostolica tolerante. Hunc publicum cultum pro dicto Beato Novello, ab annis trecentis fuisse adhibitum, semper et continuatim, et ad præsens adhiberi et tribui, compertum est; ut patet evidenter. In quorum omnium testimonium. Dat. in Palatio nostro, tenente die vigesimo Novembris 1632. Archiepiscopus Senarum. Bernardus Bartolinus Notarius, et Cancellarius de mandato.

facta inquisitione

testatur corpus honorari,

festum celebrari

EX MS. PROCES.

et ad ejus altare Missas fieri.

11 *Hactenus ille, Sedis suæ anno tertio, quam deinde diutissime tenuit, ab Ughello tom.* 3 *col.* 665 *laudatus, ut qui non minus doctrina et virtute claruerit, quam frater ejus Dux Amalfitanus ducendis in Belgio Catholico exercitibus, ad provinciarum Regiarum defensionem. Idem, nescio qua occasione, rursum post triginta annos, sub die* IX Januarii MDCLXIII, *simile propemodum Testimonium scripsit, cujus* originale apud E R. P. M. Augustinum Trabucco, Panormitanum Ordinis Eremitani, *reperit Vincentius ediditque, nec operæ pretium videtur iterare : solum noto ex hoc specialius constare, quod Altare Beati sit* numero quintum, a manu læva ingressus ecclesiæ. *Addit etiam hoc ipsum Testimonium,* iconam, in qua picta est effigies ejusdem Beati, cum splendoribus, ad aurem dexteram Angelo obloquente, in manu librum rubrum tenentis, habitu Ordinis induti, inter duas arbores; habere ad dexteram duo, aliaque duo miracula a sinistra; primum, demonstrans infantem a lupo vorante; secundum, puellam ab altitudine domus præcipitem ; tertium, quemdam ascendentem in rupem cum equo ad imum ruentem; quartum, infantem in cuna soporem capientem, dum a matre innaturaliter fracto fune, puer lapsus in terram, magnum vulnus patitur, ex Beati intercessione liberatus. *In quibus nonnulla diversitas apparet, a modo quo eadem miracula explicata fuerant ante annos triginta. Nempe* lupum *a* cane ; *et* puerum *a* puella, *non erat facile distinguere in marmore : proinde facile fuit post tot annos explicationem aliquatenus variari, manente eadem miraculi substantia. Dicit etiam hoc testimonium quod* Plura vota fidelium ex reportatis gratiis adsunt F appensa, numero septemdecim : *et assignatur Hymnus idem qui supra,* Iste Confessor : *unde intelligitur intra annum hujus seculi* XX *et* XXX, *mutationem factam, desitumque usurpari hymnum,* Magne Pater Augustine : *et merito, quia hic Hymnus, pro festivitatibus ipsiusmet sancti Doctoris compositus, non debebat alteri applicari, cum periculo confusionis inde aliquando proventuræ.*

12 *Sequitur denique apud Vincentium Auriam* Actus Illustriss. et Reverendiss. Don Ferdinandi de Andrada, Archiepiscopi Panormitani, de reliquiis B. Augustini Novelli, in Civitate Thermarum (*quæ hic antiquo nomine* Himera *appellatur*) ejusque adoratione permissa. Nos Ferdinandus de Andrada et Castro, Dei et Apostolicæ Sedis gratia Archiepiscopus Panormitanus, de Consilio suæ Catholicæ Majestatis etc. universis et singulis has præsentes visuris, lecturis, pariterque audituris notum facimus et testamur, cum Reverendus Don Julius Regna, Protonotarius Apostolicus, olim Archipresbyter majoris Himeræ civitatis ecclesiæ, nostræ Panormitanæ diœcesis, acceptaverit in Planitia maritimæ et piscariæ ejusdem civitatis, ibique adoraverit in præsentia quam plurium Sacerdotum et Clericorum, tam secularium quam regularium, et Spectabilium Ju- ratorum

Duo ossium frusta

ex ms proces.

A ratorum Syndici et Secretarii et Magistri Procuratoris civitatis prædictæ, infrascriptas reliquias B. Augustini Novelli Ordinis Eremitarum S. Augustini, scilicet duo ossium frusta brachii, vulgariter vocata sicili, super quibus adest in parte aliqua pellis et caro cum pilis affixis, ex corpore dicti B. Augustini, prout infra, capta et in quadam scatula lignea posita, conducta, et appportata a quondam P. F. Joseph li Maistri S. T. D. Ordinis Minorum Convent. S. Francisci, præfatorum Spect. Juratorum Procuratore; cui fuerunt in civitate Florentiæ per Serenissimum Dominum Don Cosmum Medici secundum, Magnum Hetruriæ Ducem quartum, nomine Universitatis dictæ civitatis consignata, et eidem Serenissimo Magno Duci dono data a Patre Magistro Priore Conventus dicti Ordinis Eremitarum S. Augustini civitatis Senarum, et per eumdem Patrem Priorem capta de corpore dicti B. Augustini Novelli, in ecclesia ejusdem conventus existente, in qua ecclesia prædictum corpus adoratur et veneratur: et hoc, stante licentia Eminentissimi Domini Cardinalis ab Auria, olim Archiepiscopi Prædecessoris Nostri, prædictis Spect. Juratis concessa, ingrediendi in eamdem civitatem Thermarum Reli-

donata Thermensibus a M. Duce,

B quias prædictas, quæ fuerunt a dicto Reverendo Archipresbytero de Regna receptæ, ad effectum ut eas apportaret et conduceret in dictam majorem ecclesiam, ibique depositaret ad nomen dictorum Spect. Juratorum, nomine Universitatis Populique prædicti; ut videre est ex serie Actus hujusmodi consignationis, celebrati apud notarium Hieronymum de Martino Himerensem, die vigesimo mensis Julii anni MDCXX. Et cum dicto Patre Magistro Joseph li Maistri vita subtracto, ante ejus mortem declaraverit, alterum frustum carnis parvum, quod penes eum remansit, fuisse ex dictis Reliquiis dicti B. Augustini Novelli, per eum latis in dicta civitate Thermarum, et sibi consignatis a dicto Serenissimo Magno Hetruriæ Duce; fuit de mandato dicti Eminentissimi Cardinalis Doria Archiepiscopi prædecessoris nostri provisum, dictum carnis frustum servari cum dictis duobus præsentialibus Reliquiis, et venerari tamquam cum dictis propriis comprobatum, prout fuerunt dictæ Reliquiæ in dicta majore Thermensi ecclesia apportatæ, et publico cultui expositæ: prout etiam ex serie Actus hujusmodi mandati facti, apud acta Curiæ spiritualis dictæ civitatis die XX Octobris, XI Ind. MDCXXVII, et Fidei

cum particula carnis data ipsi Procuratori

C Rev. Don Francisci Anfuso, Vicarii foranei ejusdem civitatis factæ, sub die XXX mensis Junii proxime

D præteriti, XIII Indict. instantis MDCXLV, vidimus contineri, ad quem et quam in omnibus et per omnia habeatur relatio. Fuit igitur nobis supplicatum per dictos Spect. Juratos et Syndicum præfatæ Himeræ civitatis, ut stantibus scripturis et actis prædictis B. Augustini Novelli, quæ in dicta majori Himeræ ecclesia conservantur, concedere dignaremur. Nos vero attendentes prædicti B. Augustini Novelli corporis venerationem, quæ hactenus in dicta ecclesia dicti conventus Sancti Augustini civitatis Senarum servatur, et hujusmodi populi Himeræ civitatis devotionem erga Beatum istum, dedimus Judicem in causa Reverendum Don Franciscum Salerno, vigore actus hujusmodi electionis facti in actis nostræ Archiepiscopalis, die XXVIII dicti mensis Junii MDCXLV, an Reliquiæ prædictæ adorari et venerari possint. Et fuit per dictum de Salerno nobis relatum, Reliquias prædictas (attentis et bene consideratis scripturis prædictis) adorari posse et venerari. Ob id fuit, citato prius Promotore Fiscale nostræ Archiepiscopalis, sub die primo præsentis, per dictum de Salerno, de nostro mandato facta provisio in dorso dicti memorialis cum scripturis prædictis, sub die 4 etiam præsentis, quod habeant

permittuntur publicæ venerationi exponi.

E licentiam exponendi et adorandi reliquias Beati Augustini Novelli, prout antea, et fiant litteræ in forma, et juramentum stet penes acta. Idcirco tenore præsentium eamdem licentiam, et facultatem damus et concedimus, supradictas B. Augustini Novelli Reliquias in dicta majore Himeræ ecclesia publice exponi posse, et ab omnibus Christi fidelibus rite ac pie prout antea coli et venerari, ac processionaliter per eamdem civitatem quolibet anno circumduci in die suæ Translationis, prout idem corpus B. Augustini Novelli in dicta ecclesia Conventus S. Augustini Senarum prædicti colitur, adoratur, et veneratur. In quorum fidem præsentem dedimus, nostra subscriptione et sigillo quo utimur obsignatas. Panormi die VIII Julii, XIII Ind. MDCLXV Ferdinandus Archiepiscopus Panormitanus. De mandato Illustriss. et Reverend. Domini Archiepiscopi Panormitani. Antoninus Camali Mag. Not. Hieronymi de Albano Act. *In exprimendo per zyfras numero Indictionis, geminus typrographi error corrigendus fuit; unus in fine, ubi notata erat Indict.* 15, *quæ supra post medium recte notabatur* 13 : *et alius ibidem postmedium paulo ante, ubi loco Indictionis* 11, *inchoatæ cum Septembri anni* 1627, *perperam numerabatur Indictio* 15.

F

B. P.

DE B. BARTHOLOMÆA SEU ELISABETH

VIRGINE TERTII ORDINIS SERVORUM B. M.

SENIS IN HETRURIA. SYLLOGE HISTORICA.

Ejus cultus, elogium, reliquiæ.

An MCCCXLVIII Memoria ut Beatæ in Annal. Ordinis et Fastis Senen.

A*rchangelus Gianius Florentinus, in Annalibus Ordinis Servorum B. Mariæ, sub annum* MDCXVIII *evulgatis, librum* 2 *Centuriæ* 2 *auspicatur ab anno* MCCXLVIII, *quo pestis ingens, a Siculis oris repente oborta, integrum pene triennium tenuit, cum maxima hominum ac jumentorum clade per orbem totum; ipsi quoque Ordini luctuosa, propter mortem illatam nono ejus Generali Matthæo. Mortem hanc, mense Novembri obitam, toto semestri præcesserat felix obitus* Beatæ (*ut vocat*) Elisabeth Senensis, quæ etiam Bartholomæa, antequam sacrum Beatæ Virginis habitum recepisset, vocata fuit. Qua enim die, *inquit,* S. Pudentianæ Virginis memoria colitur XIV Kalendas Junii, ex ergastulo carnis ad cœlum translata fuit. *Meminit ejusdem ad hunc diem in suis Fastis Senensibus noster P. Sebastianus Conti Pistoriensis, elogii argumentum ex Gianio mutuatus, sub solo nomine* B. Bartholomææ. *Nos ex fontibus, quando possumus, libentius haurientes, elegantioris styli curiosum lectorem ad Fastos istos remittimus, et* Bartholomææ *seu* Elisabethæ ipsius gesta, sicut in Chronico Ordinis enarratur, *ex Gianio accipimus.*

A *Ex institutione B. Francisci Senensis vitam agit,* 2 Prudentissima Virgo Bartholomæa, quæ et Elisabeth de Vajariis, Senensis, Soror tertii Ordinis Servorum, ac B. Francisci dilectissima discipula, tanti magistri vestigia secuta, ad eamdem beatitudinem meruit pervenire: quorum enim idem est labor gloriosus, idem utique debet esse præmium et merces copiosa. Quam quidem mercedem quomodo sit adepta mulier ista sacra, est æquum asserere. Nam (ut tradunt Annalia monasterii Senensis) edocta a B. Francisco, castitatis votum vovit et inviolabiliter observavit; consilia, ut præcepta, adimplevit: jejunia ac carnis macerationes erant sibi lautissimæ epulæ, oratio item ac sacra confessio, eloquia casta, quæ semper præ ore habebat: quinquagies enim in die et quinquagies in nocte Christum Deiparamque Virginem salutabat, ut remissionem peccatorum ac mentis jubilum assequeretur. Piacula quotidie expiare conabatur, imo Sacerdotum pedibus advoluta, quædam cum lacrymis se accusando confitebatur, in quibus vix aliquid inquinationis apparebat, ea videlicet quæ in pueritia otiose dixerat.

3 Ferunt nonnulli, quod, cum corpus reficeret pane, a dæmone fuit insultata his verbis, O gulosa! B quid mereris manducando? Ipsa vero inimici fraudes *carieque tentatur* cognoscens, tanto magis manducare conabatur, quanto serpens astutus invidia torquebatur. Multa alia de hujus Virginis tentationibus et abstinentia dicuntur a Patribus, quæ omnia dimittuntur. Tantum hoc universis innotescat, quod ipsius cineres Senis commorantur in æde Servorum B. Mariæ Virginis, *Caput defunctæ miraculis claret,* qui adhuc miraculis clarent: ipsius enim venerabile Caput, super infirmorum capita impositum, eos a languoribus curat, simulque obsessos a dæmone liberat. Illud quoque videtur de eo nequaquam silentio prætereundum, quod idem Caput, longe post mortem ignem conjectum (sive id casu accidisset, sive ut aliqua de eo probatio fieret) incombustum et illæsum ut antea, cunctis admirantibus et venerantibus, remansit. Ejus imago, antiquitus depicta, apparet Sororum nostri Ordinis more induta, cum figura sanctissimi Crucifixi in dextera, libro in sinistra, et corona ad cingulum. Verum siquis illam dapes ad mensam benedicentem cum dæmone adstante appingeret, rem fortasse propius, juxta ejus enarratam historiam, attingeret; et ejus typum ab aliis hujusmodi Beatorum imaginibus elegantiorem procul dubio repræsentaret.

4 *Hactenus Gianius, Annalium vetustiorum verbis* C *nonnulla (ut apparet) addens de suo, nec incongrue. P.* D *Sebastianus affirmat, miraculum illæsi ab igne Cranii* *AUCTORE D. P. illæsum ab igne anno circ. 1570,* centum annis circiter *a tempore scriptionis suæ, id est circa annum* MDLXX *accidisse; ipsumque* in Senensi Servorum templo, pretiosa conditum theca, *servari. De tentationibus vero ipsius Beatæ addit, quod* hostis, licet quotidie profligatus, ausus est in morientem Bartholomæam validioribus insidiis insurgere. Opportune tamen, *inquit,* affuit spectabilis e cœlo beneficentissima servientium sibi Virginum Patrona; tartareoque tenebrione eliminato, ad supremum usque spiritum, non minus quam beatam oculis serenitatem, serenam decumbentis pectori tranquillitatem servavit. *Jam dicta porro veneratio Capitis, per* *in aliqua ossium elevatione ab illis sejunctum.* *tot annos quorum principium assignari nequit continuata, scientibus nec contradicentibus Ordinariis, argumento est, eam absque dubitatione apud Senenses habitam semper pro* Beata *fuisse; facitque etiam verosimile, aliquam corporis elevationem translationemque, vel sub altare quodpiam, vel ad honestius in ecclesia monumentum, jam olim esse factam; in qua Caput a reliquo corpore, ad majorem fidelium commoditatem, separatum sit; licet ejusmodi elevationis translationisve nec auctor, nec tempus, nec circumstantiæ aliæ nunc commemorentur, ac ne sepulturæ quidem primæ secundæve* E *locus monstretur amplius.*

5 *De præmemorato* B. Francisco *egimus* XVI *Maji, vidimusque num.* 4, nimiam mulierum consuetudinem *eidem ab invidis objectam fuisse; ipsumque, ut occasionem calumniæ præscinderet, humiliter deprecatum obtinuisse surditatem, per quam ab omni hominum* *Ejusdem cum B. Francisco familiaritas.* *colloquio excusaretur. Inter illas* Bartholomæam *fuisse, cum ipsoque tulisse partem injuriosæ dicacitatis, ad suæ virtutis experimentum, vix dubitaverim. Non tantum fundamenti apparet ad firmandam conjecturam, qua quis poneret, ipsam illarum duarum Virginum unum fuisse, quæ* eo concionante globum igneum se vidisse affirmarunt supra ipsius caput. *Minus etiam fundate dixerit nunc primum aliquis, quod eadem fuerit illa* nobilis ac sancta Senensis Matrona, *quæ,* ipsa qua Beatus, expiravit hora, conspexit eum sole splendidiorem ante conspectum sanctissimæ Trinitatis adduci, capitique ejus pretiosissimam coronam a Deipara imponi. *Neutrum tamen aut repugnat rationi temporum cum Franciscus totis viginti tribus annis ante* Bartholomæam *obierit; aut alienum est ab ejus sanctitate eximia, quam præmissa satis superque confirmant.* F

DE B. ANDREA PISCARIENSI,

ORDINIS PRÆDICATORUM IN VALLE TELLINA.

COMMENTARIUS PRÆVIUS.

De Vitæ Summario, cultu, translatione,

MCCCLXXX. *Cultus Morbinii* Sanctuarii seu *Martyrologii Novocomensis, anno* MDCLXXV *impressi, auctor D. Primus-Aloysius de Tattis, Congregationis Somaschæ Theologus et sacri Officii Consultor, ad* XIV *Kalendas Junii notat* Apud Morbinium, Vallis Tellinæ oppidum, diœcesis Comensis, *cultum et memoriam* B. Andreæ de Pischeria Ord. S. Dominici, *ejusque longum elogium texit; atque in Annotatis hæc subdit.* Ejus vitæ compendium, ex antiquis cœnobii Morbiniensis monumentis, et ex S. Benigni Abbatis Actis manuscriptis, edidit Novocomi anno Domini MDCXLIV Lactantius Guarinonus Ordinis Prædicatorum: cui consentiunt, Joannes Michael Plodius et Leander Albertus de viris illustribus Ordinis S. Dominici; Lazarus Carafinus in Catalogo Sanctorum ac Beatorum, quorum corpora servantur in diœcesi Novocomensi; Franciscus Ballarinus, Chronici Comensis parte 3 cap. 2, et alii. *Ex his Leander lib.* 5, *Vitis BB. Venturini et Conradini interserens nomenclaturam quorumdam virorum, præcelsa sanctitate fulgentium, cum titulo* Beati *in margine, hoc solum ait,* Andreas de Pescheria Morbinii claret miraculis. *Prolixioribus verbis, sed vix amplius significantibus, utitur Bellarinus; sepultumque ait* circa annum Domini MCCCCLXXXX. *In hoc tamen tum ipsum errare, quam eos qui annum* MCCCCLXXXV *definiunt, convincit Epitaphium, cum prolixiori virtutis elogio*

A *elogio editum apud Plodium sive Pio lib. 3 §. 48 : dicitur enim, quod*

AUCTORE D. P.

in die Translationis, factæ anno 1497.

Mille quadringentis obit octoginta sub annis.
Certa dies, *inquit Primus-Aloysius*, ignoratur : cui substituta est altera Repositionis seu Elevationis, quando scilicet veneranda ejusdem ossa decentiorem nacta sunt tumulum, anno MCCCCLXXXXVII. Exornant eum ad hæc usque tempora plures imagunculæ cereæ et argenteæ, quæ non modo singularem populorum observantiam erga beatum virum, sed etiam supernam ejus intercessionem attestantur in illos, qui aliqua pressi ægritudine ejus patrocinium implorarunt. Nondum est adscriptus in Albo Sanctorum, licet passim ab omnibus habeatur Beatus, et ante illius Reliquias lychnus pensilis semper ardeat. *Hactenus Auctor Martyrologii; qui rogatus ipsum, quod allegat, Lactantii Summarium communicare, benigne fecit. Id vero cum præter elogium vitæ contineat historiam Translationis prænotatæ, nonnullaque miracula, congruum erit Latinitati donare. Prius tamen adverto,* Morbinium *insigne oppidum, ubi Beatus hic colitur Adduæ fluvio, ex Rhetia oriundo et in Comanum lacum se tandem immergenti, adjacere, ad ripam ejus* B *dextram, istic fere ubi in ipsum fluvium alius minor influit, Bito dictus.*

ACTA

Ex Italico Lactantii Guarinoni Ord. Præd.

Pescharia *a*, Dominii Veneti arx, beato Patri Andreæ nascendi locum dedit, in familia Græcorum, quantum quidem colligere licet ex Vita *b* MS. S. Benigni Abbatis. Hic adolescentiæ annos ingressus, ætatem utique opportunam maturamque ad ineunda de reliquo vitæ cursu consilia, considerata vanitate secularium voluptatum et incertitudine divitiarum, transitoriis cunctis remisit nuntium; et securum salutis portum respiciens, ubi versaretur extra tumultus atque procellas quibus mundus jactatur, elegit sanctissimum Ordinem Prædicatorum, doctrina et sanctimonia quam maxime florentem. Recepit autem se ad Congregationem *c* Lombardicam, quæ tunc veluti aurora consurgens micabat radiis sanctissimorum virorum, totum Ordinem collustrantium. In hac tam ferventer cucurrit ad perfectionem, ut brevi fastigium ejus obtinuerit; quare nec timuit se dare in publicum, ut luceret mundo, qui ardebat Deo. Etenim (si non fallit nos Vita prædicta S. Benigni) ad- C modum juvenis venit in Vallem Tellinam, et prius quam fundaretur venerabilis Conventus S. Antonii : ubi ab invicem divisi zelosi isti prædicatores Veritatis, unus ex una, alter ex altera parte satagebant inquilinorum animos accendere ad virtutem; incertum quo præcise anno; sed hoc certum, quod Conventus prædictus fabricatus fuerit circa annum MCCCCLXV, sub regimine primi istic constituti Prioris P. Fr. Bartholomæi Maggii Comensis, uti in libris rationum demonstratur.

a

b

Ingressus Ord. Prædicatorum

c

excolit Vallem Tellinam

2 Omnes Andreæ Prædicationes, instituto conformes, eo tendebant, ut populorum curaret conversionem, eorum animis alte imprimendo contemptum mundanarum et amorem cœlestium rerum. Quod ei mirabiliter successit, cum tota in valle nullum quamvis exiguum locum dimitteret inaccessum, in quo non seminaret Dei verbum, tanto penetrantius corda feriens, quanto profundioris humilitatis et Apostolicæ simplicitatis exemplis præibat. Extra Conventum acturus noctem, apud pauperes libentius frequentiusque hospitabatur quam apud divites; magis id expedire judicans, sive ad minuendam in suis auditoribus æstimationem commoditatum hujus seculi, sive ad continuandam austeriorem qua utebatur victus rationem, solo pane ex millii granis facto castaneisque et aqua contentus, nec nisi duriter D cubare solitus : læto nihilominus semper vultu, de Deo plerumque loquens, et caritatem sibi ab hospitibus corporaliter impensam spiritualiter remunerans. Non est facile explicare, quanto arderet zelo ad omnes Christo lucrifaciendos : verus utique magni sui Patriarchæ Dominici filius, cujus pectus non aliud fuerat quam fornax amoris erga proximum. In hujus obsequium hic Dei servus totum se impendebat ac superimpendebat, usque dum vitæ mortalis terminum attigit, raræ sanctitatis vestigia post se relinquens, anno MCCCCLXXX; ideoque cœlestibus honoribus dignus æstimatus ab universis.

sermone et exemplo

moritur an. 1480,

3 Ut autem devotio populorum erga hunc afflictorum consolatorem, patrem pauperum, magistrum ignorantium, ducemque peccatorum magis accenderetur post ejus mortem; voluit Deus ut anno MCCCCLXXXXVII, de communis sepulturæ humilitate sublata ossa efferrentur ad tumbam, in capella S. Rochi erectam, debito cum honore; picta desuper ejus imagine radiata, atque subscripto, Ora pro nobis Beate Andrea de Pescheria. Utrimque picta etiam fuerunt miracula ejus ex præcipuis, duo, quorum memoria simul cum pictura obducta est calce, E ab incuriosis conservandæ antiquitatis hominibus, cum anno MDCXXVII capella S. Rochi dealbaretur : remanent tamen usque hodie votivæ tabellæ plures, cum anathematis argenteis cereisque, et lucerna ante sepulcrum ardente, ab eo fortassis tempore quo primum erecta tumba fuit, hoc Epitaphio antiquitus inscripta.

transfertur an. 1497,

Edidit Andream fausto Pischeria partu,
Ordinis altiloqui qui juga fausta tulit.
Maluit in tenui, lauta quam mandere mensa,
Ardua cui claustri dulcia fecit amor.
Imbuit auspiciis populos felicibus hosce;
Christicolæ assertor Religionis erat.
Plurima quæ fecit vivens et funere pressus
Prodigia, hæc perhibent gratia quanta sui,
Huic operæ pretium toties relevare misellos,
Explicat immensos cum pietate sinus.
Mille quadringentis obit octoginta sub annis,
Qui hic recubat, Vallis Morbiniique memor.

laudatur in Epitaphio.

4 Tempus nihilominus, quo lentescunt et tepescunt etiam ferventissima principia, paulatim extinxerat populorum devotionem : hanc igitur ut resuscitarent Morbinienses, anno MDCXXIII novis ornamentis tumbam excoluerunt. Quo facto incaluit F rursum antiqua erga virum beatum religio, præsertim anno MDCXXX grassante epidemica lue : quando Communitatis Morbiniensis Magistratus, inter alia votum fecit curandi sacrorum ossium Translationem impendio scutorum ducentorum, si, quod sperabat, consequeretur a Deo; eodemque mox alii condendo testamento adjecerunt legata varia. Cœptum est ergo sequenti mox anno de tali Translatione agi, resumptaque aliquoties deinde est ejus negotii cura : sed publicæ eorum temporum calamitates, et quæ varia supervenere impedimenta, rem distulerunt usque in Prioratum Rev. P. Fr. Thomæ Fontanæ; sub quo tantum profectum est, ut anno MDCXXXXI, cum ille jam esset officio defunctus ipsumque vacaret, ultima manus sit apposita operi, occasione advenientis in Vallem Tellinam, propter negotia quædam sua, Illustriss. ac Reverendiss. D. Lazari Carafini Episcopi Comensis.

Renovato cultu sub an. 1623 et 1630,

decernitur nova translatio anno 1641

5 Tunc enim convenit inter illustrissimos Syndicos Morbinienses et Patres Conventus S. Antonii, ut per suum utrimque procuratorem, videlicet Adm. Illustrem D. Petrum Antonium de Castello S. Nazarii, supplicem ad hoc libellum offerrent, sicut factum est ipsis progressis in occursum suæ Illustrissimæ ac Reverendiss. Dominationis, tunc in Conventu

consentiente Episcopo Comensi:

Ex ital. Lactantii Guarin.

A Conventu residentis; quo is rogabatur favere consilio, suscepto ad honorem unius Beati, tantopore honorati a populo, æstimati a Religione Dominicana, et ab ipsomet Episcopo relati in tabulas Martyrologii Comensis, cum hoc dignissimo elogio: Fr. Andreas de Pescheria morum pietatem miraculis post mortem patratis ostendit: ut nihil diceretur de Joanne Michaele Pio de Bononia, Inquisitore Mediolanensi et quondam Lombardiæ Provinciali, deque Leandro Alberto perquam honorifice de eo locutis. Addebatur, Pischeriæ patria Beati, in ecclesia majori altare haberi, ejus nomini dedicatum, cum lampade ante ipsum ardente, quemadmodum testabatur Illustriss. ac Reverendissimus Episcopus *d* Veronensis.

qui tumbam aperiens

6 His auditis probavit sua Illustriss. ac Reverendissima Dominatio, laudavitque partium supplicantium devotionem: cui ut obsequeretur, statuit ante omnia sibimet ipsi inspiciendam esse arcam. Ergo assumptis in testimonium viris aliquot nobilibus Morbiniensis loci, ad ecclesiam se contulit; et clausis post se valvis ivit ad arcam, lateritio opere fabricatam, fundatamque supra spatiosam petram: et cunctis diligenter descriptis in Processu desuper B confecto, jussit perfringi a cæmentariis tumulum ex capite uno. Hoc facto apparuit intus lignea capsa rubra, extrinsecus panno lineo obvoluta; et ea inde extracta reserataque vidimus, magno cum solatio omnium, veneranda ossa ejus qui tam fideliter servivit Domino; cum iisque ampullam vitream, et in ea membranam involutam, atque hujusmodi verbis inscriptam. Hoc est corpus venerabilis Patris ac beati Fratris, Andreæ de Pescheria, qui longo tempore per hujus Vallis oppida et villas prædicavit, numquam fere, nisi dum abluere vellet, vestes extrahens; lectos plane relinquens, et super sarmenta semper dormiens; cibos delicatos respuens, miliaceo pane, castaneis, et aquæ potu vitam sustentans: apud pauperes libentissime hospitatus, eosque exemplis potius quam verborum foliis ad bene vivendum suadens. Sancto fine quievit anno *e* MCCCCLXXX, in conventu B. Antonii Abbatis; et in hoc mausolæo reconditum MCCCCLXXXXVII die XIX mensis Maji, per Venerabilem Fr. Dominicum de..... Ex altera membranæ parte scriptum erat: Hujus beati Patris animam inter Cœlicolas..... collocatam, nemo noscentium est qui ambigat, tum per zelum quem ferventissimum habuit animarum, tum per testimonium omnium: et ut dicitur Venerabilis... tum propter miracula, quibus ipsum post mortem Dominus decorare C voluit..... Nam dum cum quodam *f* Speciali.. .. Desunt cetera, ævo corrupta, etiam in spatiis per puncta notatis.

invenit testimonium Translationis primæ,

et ossa transfert in arcam portatilem,

7 His perlectis transcriptisque, collecta sunt ossa sacra in pannum lineum, repositaque intra capsulam novam, quæ tribus sigillis obsignata intra cellam quamdam collocata fuit; usque dum sua Illustriss. Dominatio rediret *g* Arienno. Interim quaquaversum diffusa est fama futuræ Translationis: missus etiam aliquis Pischeriam, ad invitandos illius loci Primores, quatenus diligerent e suo numero quosdam interfuturos solennitati. Denique reversus post negotia peracta Morbinium Illustriss. ac Reverendiss. Dominus die VIII Junii, atque postridie (nam Dominica erat) absolvere omnia cupiens: prædicta ossa sacra reposuit intra capsulam plumbeam, interius sericeo panno convestitam, signans eam supra cericeas quasdam fascias ipsi circumductas. Post id Musicorum diversis e locis advocatorum chorus insignis, magna cum pompa, deduxerunt depositum venerabile ad ecclesiam, cantando Hymnum, Iste Confessor: et Reverendiss. P. Fr. Petrus Martyr de Aqua-nigra Inquisitor Comensis, ad solennitatem invitatus etiam ipse, Pluviali cappa indutus stabat ad pedem scalarum, a D dormitorio conventus ducentium ad ecclesiam; quæ tota instar nobilis theatri mirabiliter erat adornata, *h* arbustis æqualis proceritatis. Haud procul a gradibus, supra quos assurgit sanctuarium, ac fere in media ecclesia, erectum erat altare, cum sex candelabris Cruceque argenteis, candida desuper umbella instructum, et sedilibus utroque ex latere seriatim positis usque ad initium graduum sanctuarii, ad excipiendos Dominos Curatos aliosque Ecclesiasticos, designatos ad ministerium Missæ Pontificalis et pompam processionalem honorandam. Tum inchoatæ sunt Vesperæ de B. Jacobo *i* Veneto Dominicano, Officium faciente Reverendissimo Patre Inquisitore, coram Illustrissimo Domino Episcopo. Hujus porro dispositione, cuncta studiosissime et sapientissime digerentis, advocati fuerant Protonotarii Apostolici, Archipresbyteri, Præpositi, Curati, et alii omnes Ecclesiastici, præsertim ex territoriis Morbiniensi et *k* Trahovensi: mandatumque ut ipso vespere præcedenti pulsarentur campanæ omnes dictorum territoriorum per horam integram.

8 Junii,

coram frequenti Clero,

postridie sacris Pontificaliter factis

8 Tali invitatione nec non affixis per loca diversa chartis, exciti quos dixi Domini, Dominica mane cum insigni comitatu undique convenerunt. Sacrum E autem Missæ Officium Pontificali ritu cantuque peregit Dominus Episcopus; et in laudem Beati panegyrim habuit Mediolano accersitus celeberrimus Pater, Thomas *l* Reina e Societate Jesu. Finita Missa elatum Beati vexillum sericeum est, utrimque imaginem ejus pictam exhibens; quod modica pluvia irroravit cœlum, quasi testimonium præbens sanctitati: quæ tamen pluvia, ne impedimento Processioni esset, mox cessavit. Vexillum autem istud portabat Adm. Illustris D. Petrus Antonius de Castello S. Nazarii: subsequentibus duabus Confraternitatibus sub suo unaquaque vexillo, tum sub Cruce sua Patribus S. Antonii, quorum tredecim Como atque Mediolano advenerant, Patribus etiam Reformatis Trahovensibus, Patribus Cappucinis, Clero denique seculari perquam numeroso, planetis, dalmaticis, superpelliceis ac pluvialibus induto, pro suo cujusque gradu. Deinde præferebatur ipsi Illustrissimo et sacrorum ossium venerabili feretro Pedum Pastorale, a quodam Ecclesiastico titulato, quem subsequebantur tædiferi sex, omnes Nobiles Morbinienses; ac pone Illustrissimus ipse, cui præ devotionis teneritudine crebræ ex oculis fluebant lacrymæ. Hic suis ipse humeris inter primos sacra ossa bajulabat, donec alii aliique ex ordine succederent vicibus mutatis, uti mutabant etiam Nobiles illi qui umbellæ portatilis hastilia substinebant: subsequentibus iterum aliis tædiferis sex, et D. Diocletiano Bergamino de Pischeria, etiam tædam portante inter viros nobiles duos. Nihil dico de clamoribus energumenorum ad conspectum sacri depositi sublatis, neque de personarum devotarum acclamationibus lætis, aliorumque piis lacrymis.

Processionaliter ea circumfert,

cum insigni apparatu triumphalium arcuum,

9 Ad ecclesiæ ingressum fabricatus erat pulchro artificio triumphalis arcus, ad leges perspectivæ introrsum ducens, inscriptus versibus aliisque instructus ornamentis, supra columnas duas; sicut in latere dextero essent absides duæ, cum totidem statuis et Cherubino, utramque absidem suis veluti alis complexo, subtus autem elogium hoc:

Considet Andreas [Benaci] *m* cur proximus undis?
Magnus piscator quid, nisi flumen, amat?

sub aliis duabus in latere sinistro statuis, desuper imminente Cherubino, inferne sic legebatur:

Andreæ trans-ossa-ferens cur jubila promis?
Me verbo in vitam lætus et ipse tulit *n*.

In basibus columnarum exprimebatur figura Leonis,

EX IT-L. LACTANTII ... HIS.

A nis, et sub ipsius arcus hemicyclo pendebant Angeli volantes duo, medium habentes scutum gentilitium Illustrissimi Domini. Eminentem supra portam parietem contexta in formam pancarpiorum hedera ambibat, nec non imaginem ipsius Beati, sub qua talis legebatur inscriptio : Beato Andreæ a Pischeria, in hac olim insigni valle amatori animarum eximio, amatori olim vestro, nunc apud Cœlites præsidi, sacra instaurate funera Morbinienses. Huc vota, animos, inferias date. Festiva feretro assultent gaudia : lacrymas aut exprimat aut explodat lætitia.

varioque publicæ lætitiæ argumento.

10 In fastigio portæ assurgebant pyramides quatuor, interque eas statua S. Antonii, ut Patroni ecclesiæ : ac denique ex ipsius frontispicii basilicaris culmine pendens vexillum pretiosum, arbitrio levis auræ fluctuabat : sonantibus interim Morbiniensibus campanis omnibus. In capite areæ ante ecclesiam patentis, qua itur in vicos oppidi, ad unam alteramve plateam stabant pyramides duæ cum insigniis Communitatis et ipsius Beati : et ex altera areæ parte stabat tertia pyramis, portæ majori correspondens. Cum autem veniebatur a l forum ipsius oppidi, occurrebat alius triumphalis arcus, juxtaque eum fons, vino bono fluens, ex liberalitate cujusdam personæ multum devotæ Beato. Domorum autem parietes picturis, corollis, corymbisque vestiti communem omnium testabantur lætitiam, quacumque pompa ducebantur; arcus etiam triumphales alii aliis in locis visebantur, donec rediretur ad aream Conventus. Hic sacrum feretrum suis humeris excepe-runt Patres Dominicani quatuor, inferendum in ecclesiam : qui istud ibi collaverunt supra altare, reliqueruntque ad venerationem populi ista die, simul cum ipsius Beati Breviario manuscripto, quod intra capsam argenteam collocatum jacebat ad pedem altaris. Atque in hunc modum peracta festivitas ista est. Postea devota quædam Beato persona attulit ferulas duas subaxillares ligneas, quodam mane inventas ante altare S. Mariæ Magdalenæ, quod est Adm. Illustrium Dominorum Castelliorum, ibi (ut credebat) relictas ab aliquo, pedibus manco et divinitus sanato.

Beati Breviarium religiose servatum

Gratiæ quædam ipsi attributæ, et tunc,

11 Nunc vero narrandum mihi est, quod deposuit Joannes Mateselli de Gerola, veluti patratum in persona filiæ suæ Antoniæ mensium octodecim; cui obvenerat continuus quidam tremor, cum febre et nutatione oculorum assidua, atque inappetentia materni lactis. Hoc in statu delata est ad D. Presbyterum Orlandum Curtoni, Curatum *o* Bemensem, ut malum ejus cognosceret eique benediceret. Is post aliquas preces super eam recitatas, suasit patri, ut conventum Morbiniensem S. Antonii accedens, devoveret illam S. Dominico *p* Sorianensi, sumeretque de Oleo lampadis ante imaginem Sancti ardentis, atque eodem inungeret parvulam. Fecit ille quod sibi suasum fuerat; oleo autem quod accepit, misceri voluit aliquid alterius lampadis, ante depositum B. Andreæ ardentis, ut multiplicatis intercessoribus facilius quod optabat consequeretur. Sic instructo domumque venienti occurrit uxor gratulabunda, ac dicens; Credo quod benedictionis aliquid tecum feras : quia filia nostra subito sanata est. Unxit eam nihilominus solicitus pater, et sana deinceps perseveravit. Hoc autem accidit anno MDCXXXXII. Idem dicebat Joannes sibi usuvenisse in filio præcedenti anno, ipso quo Translatio erat facienda tempore, cum eum S. Dominico Sorianensi Beatoque Andreæ commendasset. Est etiam in Conventu S. Antonii liber vetustus de reditibus monasterii, conclusus in anno MDCXXXXV, in quo legitur quod anno MCCCCLXXXVIII, quidam D. Andreas Rusca, Beatissimæ Virgini Mariæ, Sancto P. Dominico,

et olim an 1488.

D Sanctoque Vincentio Ferrerio, ac B. Andreæ voveat sedecim libras, dandas Conventui, si per istorum Sanctorum merita liberos sibi concesserit Dominus : cujus voti compotem factum credo, quia postea ipso in libro sua manu notavit quod prædictam pecuniam solverit.

ANNOTATA.

a *Vulgo* Peschera, *in agro Veronensi, locus perquam munitus natura, utpote intra aquas Benaci lacus, situs ad ostium inferentis se illuc Minzii, sub Dominio Veneto,* 18 p. m. *Mantua, paucioribus Verona distans.*

b S. Benignus Abbas, *Comensi Martyrologio adscriptus* 12 *Februarii, a nobis refertur in Supplemento, cum Vitam hic indicatam nobisque promissam acceperimus.*

c Congregatio Longobardica *Ordinis S. Dominici initium habuit Venetiis an.* 1391, *uti scribit Michael Pio Parte* 2 *Annotat.* 3.

d Veronensis Episcopus, *ab anno* 1631 *ad* 1649, *fuit Marcus Justinianus, Patricius Venetus, in quo suum Veronensium Episcoporum Catalogum finit Ughellus.* E

e *Ecgraphum nostrum, et hic, et supra num.* 2 *per cyfras scriptum, habet* 1485 : *sed non possum credere, quod Auctor Martyrologii, si in illa membrana putavisset revera talem numerum lectum fuisse, minus fidei eidem, tam paucis a morte Beati scriptæ, fuerit habiturus, quam Epitaphio quo præsumi possel rotundus numerus dumtaxat explicatus, ne per unus redundaret versui si scriberetur,*

Mille quadringentis obit octoginta quinque sub annis.

f Specialem *intelligo* Aromatarium *dici : sicut* Aromata *dicuntur,* Species.

g Ardennum *trans Adduam, Morbinio distat* p. m. *circiter* 8.

h Zandolinæ *in textu Italico leguntur, diminutivum a* Zandolo *seu* Sandolo,*quod Academici della Crusca explicant arborem, cujus lignum sit coloris inter rubeum et flavum : ita ut* betulam *videantur significare, quæ etiam in nostro Belgio frequentissima cæditur ad ornatum templorum in istiusmodi festivitatibus, præsertim Bruxellis, ubi ex Sonia silva ad talem finem permissu Regis plerumque gratis petuntur, singulæ singulis columnis applicandæ. Nomen autem, ab origine Longobardicum, videtur acceptum a Teutonico* Sand, *Arena; et sic etiam betulæ nostræ perfectæ quadrat, quæ non alibi fere quam in arenosis regionibus juvenitur.* F

i B. Jacobus Venetus *Ordinis Prædicatorum, colitur* 31 *Maji : sed quia anno* 1641 *Pascha celebratum fuit* 31 *Martii, atque adeo festum Corporis Christi* 30 *Maji, dilatum fuit officium B. Jacobi usque post octavam.*

k Trahova *trans Adduam circiter* 5 p. m. *distans Morbinio : quæ autem Italice dicebantur* squadræ *(nescio an recte)* territoria *verti : neque enim video quid huc facere possit vocis* squadræ *vulgo nota significatio, denotans turmam militarem, in quadrum dispositam aut disponi solitam cum pugnandum est, unde et nomen ei factum.*

l Thomæ Reina , *nobilis in Societate Concionatoris, elogium vide in nova Bibliotheca Societatis Jesu, edita nuper a Nathanaele Sothuello. Notior est autem Quadragesimalibus Concionibus, quadriennio ante mortem Romæ obitam ibidem vulgatis an.* 1649 : *aliisque post mortem Mediolani excusis an* 1671.

m *Nomen* Benaci *nostro quidem ecgrapho deerat, sed addendum esse persuasit ratio metri, situsque Pischeriæ, ad cujus nomen hic versus alludit.*

n

A n *Videtur id dici in persona ipsius Morbinii, forma qua civitates solent repræsentati : unde colligo reliquas etiam statuas, licet nominatim non expressas, sustinuisse personam oppidorum, fluviorum, vel lacuum vicinorum.*

o Bema *vicus* 5 p. m. *supra Morbinium, ad Bitonem prædictum.*

p *Cum* S. Dominicum Sorianensem *legis, noli cogitare hujus nominis Abbatem Soranum, cujus Acta dedimus* 22 *Januarii : intelligendus enim est, ipse sanctus Ordinis Prædicatorum Patriarcha, cujus imago an.* 1530 *cœlitus allata ad Sacristanum ecclesiæ Soriani in Calabria ulteriore, tantis continuo cœpit clarere miraculis, ut imaginis istius ectypis, passim per Ordinis ecclesias multiplicatis venerationique expositis, ubique fere ea nunc inveniatur, sub nomine* S. Dominici de Soriano : *de cujus ibi miraculis librum bene magnum anno* 1634 *Messinæ Italica lingua iterato vulgavit Silvester Frangipanius.* D

EX ITAL. LACTANTII GUARIN.

MONITUM

Locus hic, *ex more nobis hactenus servato, postularet* Appendicem Addendorum *ac* Mutandorum, *prout contigit, progrediente lentius præsentis Tomi impressione, supervenire vel deprehendi aliqua, quæ vel addita vel mutata in jam excusis voluissemus. Sed quod in prioribus quatuor Mensibus factum rite est, quia toti simul prodibant in lucem; minus commode in parte hujus* Maji *anticipato exhibenda usurpatum fuisse, experientia docuit. Postquam enim tribus prioribus Tomis suam singulis dedi Appendicem, rursum se obtulerunt alia quædam, quæ non videntur aut negligenda, aut differenda in* Supplementum *novum totius* primi Semestris, *quod post absolutum* Junium, *vita comite, meditor. Ne igitur, quod prioribus, accidat etiam huic Quarto ac deinde Quinto Tomo, sitque facienda* Appendix ad Appendicem; *consultum censui, pauca quæ huic Tomo addenda habebam, in spem plurium fortassis accessurorum, differre in* Appendicem *novam ac* generalem Maji, *subjiciendam Tomi septimo.*

Cum vero inaudiam nonnulli offensioni esse phrasim acerbiorem, in tomo 2 Maji pag. 625 *initio Commentarii de S. Liceria, mihi elapsam circa tum viventem, nuper autem defunctum Archiepiscopum Senonensem, vellem eamdem (ab his verbis —— Senonensem Archiepiscopalem —— usque ad illa —— haberet obligatum ——) prætermissam, posterisque delendam in ipso Commentario, cum recudetur, præscribo.*

Rursum tom. 3 *Pag.* LXVI *num.* 264 *lin.* 8 et in Saxonia Francofurti, *lege* et in Franconia Francofurti : *qui error nominis in re tam mihi nota, nescio an et quomodo potuerit elabi ex meo nihil simile cogitantis calamo.*

Denique tom. 2 *præcitato pag.* 715, *num.* 33, *lin.* 22, *dele hæc verba —— ejus argumenti, et repone —— alterius argumenti —— aut potius totus iste numerus omittatur in altera editione; quando iis quorum istic laudatur modestia, ejusmodi commendatio gravis et invidiosa accidit apud alios, aliter agentes ac sentientes a quibus utinam pari facilitate similem obtineant satisfactionem; pro injuria toti suo Ordini facta in evulgatione libelli cujusdam famosi, sub nomine viri inter ipsos honoratissimi, seque ac suos injuste traduci querentis velut ejusmodi scandali auctores. Idem gravius etiam publicoque coram Notariis ac testibus instrumento est questus alius, inter Parisienses Eruditos notissimus; ob similis farinæ libellum Gallicum, patentiori etiam ausu suppositum sibi Leodii, cum intimi sui amici contumelia, sub æque falsis Typographi et Approbatoris Parisiensis nominibus.*

INDEX HISTORICUS

IN VITAS SANCTORUM

TOMI IV MAJI.

Cum de Sanctis, quorum in hoc Tomo Acta aut Memoriæ ex professo illustrantur, præmissus sit Index proprius; Index hic solum continebit nomina hominum, non omnium, sed præcipuorum, et aliquo titulo memorabilium, quorum in dictis Actis, vel nostris ad ea Observationibus, specialis fit mentio: quod si iis titulus *Sancti* vel *Beati* competat, ejus loco † ponitur: pro *seculo* autem quo quisque vixit, ponitur abbreviate *sec.* aliæ Breviaturæ per se innotescunt. Numerus paginam, litteræ *a, b, c,* paginæ locum designant.

Benedictus

Edelgyw,

F

G

Marius

N

O

P

R

INDEX
TOPOGRAPHICUS

Continet hic quæ ad regnorum, Oppidorum, Pagorum, Monasteriorum, Fluminum, Montium etc. Nomen, situm et historiam occurrunt memoratu digna.

Heluca

INDEX
ONOMASTICUS.

E

INDEX

INDEX

MORALIS.

A

Carnes

D

N

O

P

id

Ob

V

LECTORI.

Ut hæc pars vacaturæ alias Paginæ utiliter occupetur, accipe quid additum velim ad sesquifolium post pag. 144 *insertum num.* 16 *post verba : —— ex eodem utique fonte : ——*

NOT. ULT

Cujus vitia indicando, et primam scaturiginem manifestando, non intendimus vel in minimo redarguere sapientissimam prudentiam eorum qui sacræ Rituum Congregationi consulunt vel præsident Theologorum ac Cardinalium, quasi parum consulte processerint in Lectionibus de S. Venantio *vel ad usum Camerinensis Ecclesiæ approbandis primum, vel deinde in Romanum Breviarium recipiendis. Illæ enim omnino continent nihil, de quo vir prudens potuerit debueritve dubitare, nisi aliunde offerretur causa cogitandi, illa quæ exhibebant Camerinenses, tamquam antiquitus credita et a nævis olim aspersis diligenter repurgata, fundamento neque satis antiquo neque solido niti. Quoties enim non accidit etiam nobis ipsis in hoc opere, ubi singula intendimus examinare et discutere, aliqua inobservata fuisse et proposita in præcedentium Mensium aliquo, quæ multos post annos damnavimus ut prorsus fictitia, et supposititia. Equidem hæc meditor die* XXIII *Aprilis ipso quo colitur S. Megalo-Martyr Georgius, cujus Acta, sicut apud Græcos habentur, conatus fui ut vero similia defendere ante annos decem : nunc autem, postquam prodiit liber Lactantii Firmiani de mortibus Persecutorum, Stephani Baluzii Commentario illustratus mutavi sententiam, evidenti falsitatis convictione adstrictus : non minus (ut existimo) prudenter nunc, quam tunc videbar processisse. Quis igitur dubitet, majori etiam jure, idem sentire, de iis quibus sacra Congregatio olim commisit, aut posthac committet causam de Lectionibus* S. Venantii, *si fortassis, visis observationibus meis, delenda judicent quæ olim probaverunt ? humana enim diligentia agitur etiam res ista, non ex infusa divinitus scientia.*

FINIS.